
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
12
F
12

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

TOMVS XII.





BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè scripserunt, fere omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domestico assistente sacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiscopo Valentino: olim in eiusdem Vrbis Vniuersitate S. Theologiæ Primario Professore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, postmodùm totius Religionis Generali Magistro; semel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præsentia Hispaniarum Inquisitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI


INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS XII.





ROMÆ, M.DC.XCVIII.

Ex Typographia Ioannis Francisci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.



Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

CENSVRA
TOMI XII.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

DE ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: Francisci Agricolæ: De Primatu Sancti Petri, & Rom. Pont. Francisci à S. Augustino Macedo: De Clauibus Petri, & Potestate Rom. Pont. De Auctoritate Papæ: De Iudicio veritatis Fidei, &c. De infallibili auctoritate Romani Pontificis: & de Antichristo. Francisci Peniæ: De Regno Christi. Francisci Suarez: De Primatu Summi Pontificis: De Antichristo, &c. De Summo Pontifice: & de Concilijs. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt duodecimus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus Sanctæ Mariæ in Porticu in Campitello hac die 12. Maij 1698.

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacr. Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES

Quorum opera in hoc XII. Tomo continentur.

Francisci Agricolæ: De Primatu S. Petri, & Rom. Pont.

Francisci à S. Augustino Macedo: De Clauibus Petri, & Potestate Rom. Pont.

Item: De Auctoritate Papæ.

De Iudicio veritatis Fidei, &c.

De infallibili auctoritate Romani Pontificis.

De Antichristo.

Francisci Peniæ: De Regno Christi.

Francisci Suarez: De Primatu Summi Pontificis.

Item: De Antichristo, &c.

De Summo Pontifice.

De Concilijs.

INDEX CAPITVM

Huius Duodecimi Tomi.

FRANCISCI AGRICOLÆ.

De Primatu S.Petri Apostoli, & successorum eius Romanorum Pontificum, omnibus tàm Catholicis, quàm Hæreticis vtilis, maximeque necessarius, ibique Synopsis. pag. 1.

FRANCISCI A S. AVGVSTINO MACEDO,

Minoritæ Conimbricensis, Lusitani, Magistri Philosophiæ, Theologiæ Professoris, & in Vrbano de Propaganda fide Collegio Controuersiarum Lectoris: Sanctæ Inquisitionis in Vrbe Qualificatoris.

De Clauibus Petri, ibique Synopsis, pag. 112.

DISSETATIO I.

De Clauibus Petri.

DISSERTATIO II.

De Persona, cui Claues traditæ sunt à Christo.

EIVSDEM AVCTORIS.

SCHOLA SESTA.

De iudicio Veritatis Fidei, & morum in dubijs circa eam ortis. *Proloquium*. pag. 221.

SCHOLA VII.

De infallibili auctoritate Romani Pontificis. Præfatio. pag. 229.

SCHOLA XIII.

De Antichristo.

FRANCISCI PENIÆ,

Sacri Palatij Apostolici Auditoris, & Decani, & S. ac Gen. Romanæ Inquisitoris Consultoris.

De Regno Christi Liber vnus ibique, Synopsis. pag. 255.

Cap.

§.j.Ad

FRANCISCI SVAREZ GRANATENSIS,

E Societate *Iesu*, Sacræ Theologiæ in celebri Conimbricensi Academia Primario Professori.

Defensione Fidei Catholicæ, & Apostolicæ aduersùs Anglicanæ Sectæ errores, cum Responsione ad Apologiam pro Iuramento Fidelitatis, & Præfationem monitoriam Serenissimi Iacobi Angliæ Regis, ibique Synopsis, pag. 362

LIBER TERTIVS.

De Summi Pontificis supra temporales Reges excellentia, & Potestate. pag. 364

Cap.

LIBER QVINTVS.

De Antichristo, cuius nomen, & personam per calumniam, & iniuriam falsò Protestantes Pontifici attribuunt. p. 480

Cap.

EIVSDEM AVCTORIS,


DISPVTATIO DECIMA.

De Summo Pontifice, pag. 576.

DISPVTATIO XI.

De Concilijs. pag. 608

FRAN-



FRANCISCI AGRICOLÆ TRACTATVS

DE PRIMATV S. PETRI APOSTOLI, & Successorum eius Romanorum Pontificum, omnibus tàm Catholicis, quàm Hæreticis vtilis, maximèque necessarius.

Franciscus Agricola Lonensis, qui pagus est Adenhouiæ vicinus in Ducatu Iuliacensi vir fuit antiquæ probitatis, & eruditione nemini ferè cessit. Noctè, diùque Sanctis Patribus tùm Latinis, tùm Græcis, & Concilijs insudabat, vnde si quis alius Religionem Christianam, & opere, & scripto iuuit, is fuit. Diuersarum Ecclesiarum Parochus est electus, primùm Rodingensis, post Sittardiensis Pastor, & Canonicus, Concilijque Susterensis Archipresbyter. Edidit quàmplurima opera celeberrima. Commentarium de Verbo Dei scripto, & non scripto Leodij 1597. 8. De Lectione Sacræ Scripturæ, eiusque Interpretibus Orthodoxis. De Lectione horarum Canonicarum simul edita ibidem 1600. 12. De æterno, & vero Deo, nec non indubitato Christo, & Messia Christianorum libros 3. aduersùs Caluinistas Coloniæ 1605. Demonstrationum Euangelicarum libros 4. quibus demonstratur Christum secundùm animam re vera ad inferna descendisse, & piorum animas inde è lymbo liberasse. Ibidem 1578. 8. apud Cholinum. De Christo Saluatore, eiusque regno gratiæ, & gloriæ tùm cognoscendo, tùm capessendo. Tractatum de amplissimis Priuilegijs, & certissimis Signis veræ Christi in terris Ecclesiæ. Ibidem typis Bernardi Gualteri 1616. De Cultu, & Veneratione Sanctorum in Cælo regnantium, eorumque imaginibus lib. 2. Ibidem 1580. & 1614. 8. apud Kinchium. De SS. Reliquijs præsertim Aquisgranensibus, quas illi pia industria Caroli Magni possident. De periculoso, abhominabili statu Concubinariorum impænitentium. Ibidem 1604. apud Herm. Hobergium. Lingua vernacula scripsit Speculum Pænitentiæ. Ibidem 1582. 8. Confutationem Anabaptistarum: Ibid. Institutionem de SS. Eucharistiæ Sacramento. Ibidem 1575. Speculum Biblicum officiorum cuiuscumque conditionis. Ibidem 1577. Meditationes hebdomodales de Passione, ac Morte Dominica. Item Precationes Catholicas ad SS. Trinitatem &c. Colloquium Theodori Malcotij de Lutheri, eiusque consortium in causa Religionis inconstantia Germanicè vertit, & auxit. Ibidem 1583. 8. Denique de Primatu D. Petri Apostoli, & Successorum eius Romanorum Pontificum ex Græcis, Latinisque Patribus ibidem, quem tractatum enumerat Ludouicus Iacobus à S. Carolo in sua Bibliotheca Pontificia, & Valerius Andreas in sua Bibliotheca Belgica, & relinquit in enumeratione cæterorum librorum Conradus Gesnerus, & Iosias Simlerus in Bibliotheca sua; non tamen reliquerunt alij, qui mentionem insignem de eo fecere, vt Georgius Matthias Konigius Suuer-

tius in Atheneo Belgico, & alij. Est autem impressus Coloniæ sumptibus Hermanni Hobergen 1599. in 8. Floruit Agricola sub Clemente VIII. cui & librum de Primatu S. Petri Apostoli, & successorum eius Romanorum Pontificum dedicat, eo quod Apostolici Primatus, non solùm assertor præcipuus, & propugnator, sed etiam proprius, & personalis existat. Methodus autem, sicut in alijs tractatibus placuit doctis, & profuit indoctis seruata etiam est in isto, est enim compendiosa, & referens quasi in succo ea omnia, quæ doctissimi Robertus Bellarminus, Sanderus, Valentia, Stapletonus fusiùs disserere, vt fatetur Auctor in Præfatione. Defunctus denique Auctor per multiplices, assiduas occupationes, & distractiones Pastorales plenus dierum, & meritorum obijt initio huius sæculi.

CAPVT I.

De verbis Domini; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. *antithesis, collatio, et conciliatio SS. Patrum Apostolicæ, et pr. maua Ecclesiæ, quos hinc inde Catholici, et Hæretici huius temporis ex diametro, seu pro, et contra allegare solent.*

Vera sententia Catholicorum.

HÆc verba Christi ad S. Petrum dicta; super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: secundùm Christi intentionem non de Christo, nec propriè, aut principaliter de fide, aut confessione fidei S. Petri; sed de ipsamet persona Petri, quatenùs erat Pastor, & Caput visibile Ecclesiæ à Christo designatus, propriè, & principaliter sunt intelligenda: nam, sic credunt, & testantur Veteres Ecclesiæ Patres.

Clemens discipulus SS. Apostolorum Petri, & Pauli, vixit in Italia Anno Christi 80. Epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini. Simon, inquit, Petrus, veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, [fundamentum esse Ecclesiæ definitus est: qua de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus.]

Tertullianus Carthaginensis in Africa Anno Christi 200. cùm adhuc Catholicus erat de præscript. aduersùs hæreticos. [Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?

Origenes Alexandrinus, qui vixit in Ægypto Anno 230. homil. in Exod. 5. Vide, inquit, [magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus ædificauit Ecclesiam,] quid dicatur à Domino; Modicæ fidei quid dubitasti?]

Cyprianus Episcopus Carthaginensis in Africa Anno 240. in Epist. ad Quirinum. Petrum, inquit, Dominus primùm elegit, [& super eum ædificauit Ecclesiam suam.]

Idem in epist. ad Iulianum. Nam Petro primùm Dominus, [super quem ædificauit Ecclesiam,] & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem illi dedit. Eadem sæpè alibi repetit, & inculcat.

Athanasius Episcopus Alexandrinus in Ægypto pro anno 340. in Epist. ad Felicem, quam scripsit nomine suo, & Synodi Alexandrinæ. Tu, inquit, es Petrus, [& super fundamentum tuum] Ecclesiæ columnæ, id est Episcopi, sunt confirmatæ.

Hilarius Pictauorum Episcopus in Gallia, Anno 350. in cap. 16. Matthæi. O in nuncupatione noui nominis [felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra,] quæ inferorum leges dissolueret: O beatus cœli ianitor.

Idem libr. 6. de Trinit. [Petrus ædificationi Ecclesiæ subiacet.

Falsa sententia Hæreticorum.

HÆc verba: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: non de persona Petri, sed vel de Christo; vel de fide, aut confessione fidei B. Petri, sunt propriè intelligenda: sic enim testantur Patres Veteris Ecclesiæ.

1. Augustinus Tractat. vlt. in Ioannem. Super hanc, inquit, petram, [quam confessus es,] ædificabo Ecclesiam meam.

2. Idem lib. 1. Retract. cap. 21. Dixi, inquit, in quodam loco de Apostol. Petro, quòd in eo tamquam in petra sit fundata Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in Versibus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait; Hoc, ipsa petra canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, vt supra hanc petram intelligeretur, [quem confessus est Petrus: non enim dictum est illi: Tu es petra: sed tu es Petrus: petra autem erat Christus.] Harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector.

3. Hilarius lib. de Trinitate. [Super hanc, inquit, confessionis petram] Ecclesiæ ædificatio est.

4. Item: [Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum:] per hanc fidem infirmæ aduersùs eam sunt portæ inferorum: hæc fides regni cœlestis habet claues, &c.

5. Ambrosius lib. 6. cap. 9. in Lucam. [Fundamentum, inquit, Ecclesiæ, fides est.]

6. Chrysostomus hom. 55. in Matthæum. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, [fidem, atque confessionem.]

8. Idem hom. 83. in Matthæum super illa verba: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.

Cur nam inquit, si omnes expetijt, pro omnibus deprecatus non est? Patet hinc quod paulò ante dicebam; quia vehementiùs eum tangens, & ostendens multò peiorem eius, quàm aliorum lapsum esse, ad eum conuertit orationem. Cur autem non dixit,

Ego

Ego non dimisi; sed ego deprecatus sum? Humiliùs iam loquitur ad passionem iturus, vt humanitatem suam demonstret. [Nam qui supra confessionem eius Ecclesiam suam ita fundauit, atque muniuit.]

8. Cyrillus lib.4. de Trinit. [Petram, inquit, opinor nihil aliud, quàm inconuulsam, & firmissimam discipuli fidem vocauit, &c.]

Ambrosius Episcopus Mediolanensis in Italia, Anno 380. Sermone 47. Denique, inquit, pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. [Petra enim dicitur, eo quòd primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, & saxum immobile totius operis christiani compagem, molemque contineat.]

Idem, in Hymno, quem citat Augustinus lib.1.cap.21. Retractationum. Hoc (idest, Gallo gallicaneo) canente, [ipsa petra Ecclesiæ] (S.Petrum intelligit) culpam diligit.

Hieronymus in Syria, Anno 380. in cap.16. Matthæi. Quid, inquit, est, quod ait: Ego dico tibi? quia tu mihi dixisti: Tu es Christus filius Dei viui: ego vicissim dico tibi, ego inquam, cuius dixisse fecisse est, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur: [ita & Simoni, qui credebat in Christum, Petri largitus est nomen,] & secundùm metaphoram petræ, inquit, rectè dicitur ei, [ædificabo Ecclesiam meam super te.] Idem in epist. ad Damasum de nomine hypostasis, de sede Petri loquens: [Super hanc petram, inquit, ædificatam Ecclesiam scio.]

Idem, in cap. 2. Esaiæ; Hæc domus, inquit, (intelligens Ecclesiam Catholicam) ædificata est super fundamenta Apostolorum, & Prophetarum, qui & ipsi montes sunt. Et paulò post: [Vnde & super vnum montium Dominus fundauit Ecclesiam, & loquitur ad eum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.]

Basilius Magnus in Græcia, Anno 380. lib.2. in Eunomium. [Petrus, inquit, propter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in se suscepit.]

Idem Basilius in Concil. de Pœnit. [Petrus petra est propter Christum petram.] Largitur enim Iesus suas dignitates: petra est petram facit.

Gregorius Nazianaenus in Græcia anno 380. orat. de moderatione in disputationibus seruanda. [Petrus, inquit, petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta, fidei suæ credita habet.]

Ioannes Chrysostomus Archiepiscopus Constantinopolitanus in Græcia anno 340. Hom.55. in Matth. Dominus ait, inquit. [Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.]

Idem ex varijs in Matthæum locis Hom. 27. Princeps Apostolorum Petrus, [super quem Christus fundauit Ecclesiam.] Verè immobilis petra, & firma confessio. Et Hom. 4. in cap.6. Isaiæ: Quid autem, inquit, Petrus basis Ecclesiæ; ille vehemens amator Christi; ille sermone indoctus, & rhetorum victor; ille imperitus, qui tamen Philosophis obturauit os; ille qui græcanicam scientiam non aliter, quàm aranearum telam dissoluit; ille. qui sagenam misit in mare, & piscatus est Orbem? Idem in illa verba Io. 1. Tu vocaberis Cephas. Aduertendum autem, inquit, quòd non omnia, quæ ventura erant ei, hoc primo congressu prædixit. Non enim appellauit eum Petrum, non dixit super eam petram ædificaturum se Ecclesiam suam, sed dixit: Tu vocaberis Cephas; [adhuc in futurum hoc differens:] maioris enim erat authoritatis, & potestatis nomen. Cùm verò diuinitatem suam monstraret, [maiora narrauit inquiens. Ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus in Græcia anno 390. in Ancorato. Ipse Dominus, inquit, constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est,] & portæ inferorum non præualebunt aduersùs illam.

Augustinus Episcopus Hipponensis in Africa anno 400. in Psalm. 69. Petrus Christum confessus erat Filium Dei, [& in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.] Item in Psalm. contra partem Donati. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede: [ipsa est petra, quam non vincunt inferorum portæ.]

Et in Ioan. Tractat.7. Petro dicente: Tu es Christus Filius Dei viui, [ibi Dominus nominauit petram, & laudauit firmamentum Ecclesiæ in ista fide.]

Idem Epist.165. Si enim, inquit, ordo Episcoporum succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti (propter Apostolatus sui primatum scilicet, vt Tract.124. & alibi sese explicat) Dominus ait: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam.] Idem Serm.15. de Sanctis. [Petrum itaque fundamentum Ecclesię Dominus nominauit:] & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, [supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.] Et serm.29. de Sanctis. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis. [lapis esset ad fundamentum,] Columna ad sustentaculum, clauis ad regnum. Et lib.1. retract. cap.21. Dixi quodam in loco, de Apostolo Petro, quòd in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij. Item serm.2. de SS.Petro, & Paulo. [Audistis frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum,] sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. [Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia,] rectè priùs pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet: ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.

Maximus Taurinensis Episcopus in Gallia anno 420. serm. 1. de Petro, & Paulo. [Petro, inquit, Christus communionem sui nominis libenter indulsit.] Vt enim, sicut Apostolus Paulus edocuit, petra erat Christus; [ita per Christum Petrus factus est petra, dicente Domino: Tu es Petrus, & super

hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Paulinus Nolanus Episcopus in Iralia anno 420. Epist. 4. ad Seuerum. Petra est Christus: bibebant enim de spirituali sequente eos petra, petra autem erat Christus. [Sed etiam Discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, cui ait; Supta hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.

Cyrillus Alexandrinus Episcopus in Ægypto anno 430. lib. 2. cap. 12. in Ioannem. Nec Simon fore iam nomen illi, sed Petrus, prædicit, vocabulo ipso commodè significans, [quòd in eo, tamquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.]

Theodoretus Cyri Episcopus in Syria anno 440. in Cantica Canticorum. [In Petro, inquit, Apostolorum Principe Dominus in Euangelio se suam Ecclesiam ædificaturum promisit.]

Leo Magnus in Italia anno 440. serm. 2. in Anniuersario assumptionis. Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cœteris est ordinatus, [vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur,] dum regni cœlorum ianitor constituitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum mysteria nosceremus. Et serm. 3. in anniuersario assumptionis. Sicut meus pater tibi manifestauit diuinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, idest: Cùm ego sim (inquit ad Petrum Christus) inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: [tamen, & tu quoque petra es, quia virtute mea solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.]

Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus in Gallia anno 450. lib. 2. de vocatione gentium cap. 28. [Hæc fortissima petra ab illa principali petra, communionem, & virtutis sumpsit, & nominis.]

Andreas Episcopus Cretæ in Græcia anno 540. in oratione in Domini transfigurationem. [Petrus supra petram (Christum) stabiliter fundatus, & fidei fundamentum,] & eam, quæ fit per virtutes, Ecclesiæ dispensationem in se suscepit.

Gregorius Magnus in Italia anno 600. lib. 6. Epist. 37. [Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur?]

Vniuersa Ecclesia Catholica in Concilio generali Chalcedonensi, quod fuit vnum ex quatuor celeberrimis, in Græcia, anno circiter 454. in quo fuerunt 630. Episcopi partim Græci, partim latini, actione 3. Vndè sanctissimus, inquit, Archiepiscopus magnę Romæ Leo per nos, & per præsentem sanctam Synodum, vnà cum ter beatissimo, & omni laude digno B. Petro Apostolo, [qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum,] nudauit eum (Dioscorum hæreticum) tam Episcopatus dignitate, quàm etiam, & ab omni Sacerdotali alienauit ministerio.

Submonitio ad Lectorem.

Constat ex testimonijs Orthodoxorum Patrum primitiuæ Ecclesiæ, quos citant Catholici, non aliter illos verba Christi; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; intellexisse, & interpretatos fuisse, quàm hodiè quoque etiamnum vniuersa intelligit, & vnanimiter, atque constanter interpretatur Catholica, & Romana Ecclesia: scilicet; quòd illa Christus ad Petrum dixerit; & super ipsum tamquam firmissimum diuinitùs futurum petram, & fundamentum, Ecclesiam suam ædificaturum sese diserrè, seriòque promiserit.

Requirit hunc quoque sensum circumstantia, & consequentia textus, & propositum, atque intentio Christi. Voluit enim Dominus Petrum propter excellentem illam, & præclaram fidei confessionem de sua diuinitate, singulariter præ alijs quoque beare, & præter æternæ vitæ amplissimam mercedem, singulari quoque, & magnificentissima in præsenti Ecclesia dignitate, & præeminentia exornare, atque euehere, ideòque ab illis verbis; Beatus es Simon bariona; vsque ad illa inclusiuè, quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cœlis; continuè ad ipsummet loquitur, ac dirigit S. Petrum, ipsique fidei confessionis præmium multipharium, quo donandus erat, diuersis metaphoris exponit.

Etsi autem certissimum, & indubitatum sit, Christum essentialem tantùm esse petram, & primarium, ac perpetuum Ecclesiæ fundamentum; vt alibi expresè satis, & disertè sacra testatur Scriptura: tamen hoc loco sui, quatenus petra, aut fundamentum est, mentionem expresè facit nullam, sed petrum, seù Cepham vocat petram, & super ipsam petram pollicetur sese, suo nimirum tempore, Ecclesiam suam ædificaturum. Si simpliciter dixisset; super petram ædificabo Ecclesiam, de sese petra locutum fuisse suspicari aliquis posset, si verò addidisset; super me petram ædificabo; dubitandi nullus relictus fuisset locus. Quando verò, nec simpliciter dicit, super petram: nec addidit, me, aut suæ personæ aliquam, vel minimam demonstrationem insinuat, sed immediatè præmisit; Ego dico tibi, quia tu es Petrus, hoc est, petra (nam Græcis, Petrus etiam petram significat) seù vt hæbraicè locutus fuit Christus, Cephas, quòd est interpretatum, vt inquit S. Ioannes primo, petra: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vel pueto liquidum fiat, Christum non de alia petra dixisse, quàm, cuius antea, & quidem proximè, atque immediatè mentionem fecerat, scilicet de Petro, atque super ipsum Ecclesiæ suæ ædificium construendum promisisse.

Hoc etiam, præter rationes allatas, vel indè manifestum quoque, & meridiana luce clarius euadat, quod Christus non dixit, ędifico, seu ædificaui Ecclesiam meam, sed ędificabo super hanc petram, quod de Christo propriè intelligi non potest, quia non ædificaturus erat super sese Ecclesiam, sed iam dudum Apostolos, & alios discipulos, ac fideles super sese ædificauerat, & sine inter-

missione

missione ædificabat, ac ædificare, atque superstruere pergebat; super Petrum verò, demum post resurrectionem,& quando ascensurus ad Patrem, visibiliter amplius, & consueto more eam docturus, & recturus non erat, ædificare Ecclesiam, hoc est illi post se, & suo nomine, tamquam supremo, ac generali Pastori visibiliter docendam,pascendam, atque gubernandam committere statuerat: hoc enim est super Petrum Ecclesiam ædificare, totius videlicet Ecclesiæ supremum inter alios Ecclesię Pastores, & ministros curam iniungere,id,quod factum est,quando illi sine exceptione omnes agnos,& oues suas pascendas, regendasque concredidit, atque demandauit, Ioan. 21.

Neque derogat hoc Christo quicquam, quod Petrus secundarium Ecclesię constituatur fundamentum, sicut, & omnes Apostoli fundamenta quoque Ecclesię à Spiritu sancto nuncupantur, Eph. 2. Apo. 21. quia Christus primarium est, & manet semper fundamentum, seù, vt S.Paulus loquitur, summus angularis lapis, super quem Petrus, & Apostoli, tamquam secundaria fundamenta superstructi, in Christo,& post Christum Ecclesiæ structuram, & ædificationem in se suscipiunt, & veluti bases, ac fulcra quædam immota sustentant, atque conseruant, volente sic, & disponente sapientia, & clementia diuina, quæ homines per homines docere, & regere, & mysterium salutis humanæ, visibili quoque, & humano ministerio dispensare, atque transigere decreuit. Ideò autem per metaphoram, ædificandi super petram, seù saxum immobile ædificij, supremum Ecclesiæ, & vniuersale, atque visibile, seù monarchicum regimen exprimere voluit, S. Petro committendum, vt testatum faciat, non solùm quàm vtile, sed etiam quantopere tale regimen Ecclesiæ foret necessarium.Sicut enim domus vtiliter ædificari, aut firma consistere nequeit, si non in solido, atque immoto collocetur fundamento, vt Christus satis expresśe insinuat, atque testatur Matthæi 7. ideòque domus firmitas, & soliditas à fundamenti firmitate, & soliditate dependet potissimùm: ita Ecclesia vtiliter colligi, & crescere, frù ædificari, & firma consistere non potest, si non habeat ordinarios, & idoneos doctores, Pastores, rectores, & vt vnitas seruetur, & ordo, atque schismata euitentur, inter pastores, & rectores supremus aliquis sit, & vniuersalis Pastor, qui diuina gratia illustratus, atque præcipuè, certòque confirmatus, alios semper, & subditos instruere possit, & informare de omnibus, atque confirmare etiam, & regere; cui etiam tutò credere, & confidere possint ad vnum omnes, & obedientiam præstare teneantur inferiores. Hinc (saluo, quod Christus maneat primum, & principale fundamentum, ac inuisibile, atque essentiale caput) supremos inter homines, ac ministros Christi, atque generalis Pastor, suo modo fundamentum quoque, ac caput etiam Ecclesiæ appellatur metaphoricè: quia sicut fundamentum regit domum, & caput reliquum corpus, & à fundamento domus stabilitas, & à capite corporis incolumitas, atque integritas dependet: ita domus Dei, hoc est, Ecclesia in terra visibilis, visibili, sub Christo Pastore, & capite, seù rectore carere, & sine visibili monarchia Ecclesiastici regiminis illæsa consistere, aut salua manere non potest: id quod non solùm Scriptura sacra, sed etiam quotidiana nimis apertè testatur experientia, nec hostem humani generis, & Ecclesiæ potissimum Christi, latet: qui vt domum Dei subruere possit, & euertere, atque in ouile Christi grassari licentiùs Pastores omnes, prohibere, præcipuè verò supremum, ac generalem Pastorem, Romanum, inquam Pontificem,ordinarium S.Petri,& legitimum successorem, è medio tollere, aut omni auctoritate, atque æstimatione spoliare, & præterea inuisum omnibus,atque exosum efficere omni contentione, & quo potest calumniandi,& nocendi genere laborauit semper,& hoc in primis seculo singulariter adlaborare non desinit, sceleftissimi sui voti in multis, proh dolor, & apud multos, qui ex Deo non sunt, & mendacio crediderunt potiùs, quàm veritati, compos effectus, eoque nomine (præter alia infinita sua stratagemata) scripturam quoque sacram, & præterea Orthodoxos etiam eiusdem interpretes, & Ecclesiæ Patres deprauare, corruptè, & mutilè, atque peruerso sensu, quo citiùs simpliciores, faciliùsque seducat, citare, & allegare non erubescit.

Exegesis, & Germana explicatio Patrum, quos Heretici perperam, & corruptè allegant.

1. Sanctus Augustinus, vt ex allegatis per Catholicos ipsius diuersis testimonijs constat, non dubitauit Petrum suo etiam modo, & sensu petram dici, & fundamentum Ecclesiæ à Christo esse constitutum, & super ipsum Ecclesiam ędificandam, cùm Christus illa diceret, posteà verò ędificatam esse secundariò, cum supra Christum ædificata esset, & ædificaretur indesinenter, atque continuò tamquam primam, & principalem petram: id, quod Catholici liberaliter concedunt, & palam, meritòque confitentur, & docent. Sed in hoc subdubitauit S.ille Pater, vtrùm hoc loco Petrus, & petra idem significarent, & pro eodem accipi, ac intelligi deberent, cùm, vt terminatio, ita & significatio diuersa esse videretur, & non idem sonare Petrus, & petra. Si Hebraicę, ac Chaldaicę linguę gnarus, atque memor fuisset, qua Christum, & non græca, aut latina lingua, loquutum fuisse constat,in dubium illud, aut conceptum scrupulum non incidisset. Neque enim, aut Petri, aut petrę Christus mentionem fecit, Gręca videlicet, aut latina lingua, sed Cephę vocabulum vtrobique natiua, tunc lingua, & Iudęis consueta, quod ad dictionem illam, de qua controuertitur attinet, vsurpauit, dicens: Tu es Cephas, & super hanc Cepham ędificabo Ecclesiam meam. Non aliud, inquit Hieronymus in cap. ad Galatas, significat Petrus, aliud Cephas: sed quam nos latinè, & gręcè petram vocamus, hanc Hebręi, & Syri propter linguæ inter se vicinam Cepham nuncupant. Hoc etiam manifestissimum est ex primo capite S. Ioannis, vbi Christus, cùm Simon Andreę frater

pri-

primùm accederet eidem exprefsè dixit,cùm effet ipfum prę alijs intuitus: Tu es Simon filius Ionę: tu vocaberis Cephas, quod eft interpretatum Petrus. Quid clarius? Si igitur Petrus,iuxta interpretationem S.Euangelift ę, idem fignificat,quod Cephas,& Cephas aliud non fonat lingua tùm Gręca, tùm latina, quàm petra,vel faxum ingens, & immobile, Chriftus verò non temerè nouum hoc nomen Simoni indidit, & hoc cum nomine, poft factam illam fidei præclaram confeffionem vocans, rationemque, & caufam inditi nominis affignans dixit: Tu ex Cephas, & fupee hanc Cepham ædificabo Ecclefiam meam; quis relinquitur ambigendi locus, ad eumdem, & de eodem dictum effe, fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam, ad quem dictum erat ftatim, & immediatè priùs, Tu es Petrus, feu Cephas? Quin, & Petrus fubinde non alitet, quàm Cephas à S. Paulo; proculdubio fecundum communem patriæ, & Ecclefiæ confuetudinem, nuncupatur, 1.Cor. 1. 3.9. 15. Gal.2. vt dubium non fit, & Chriftum haud aliter hoc quoque loco eum nuncupaffe.

2. Etfi ex ignorantia Hebreæ, & Syriacæ linguæ S. Auguftinus putauerit differentiam effe intee Petrum, & pettam; tameo non negauit Simonem Petrum hoc etiam loco petram vocari, nedum blafphemum iudicauit hoc afferere, vt calumniantur hæretici: fed licèt inclinaret magis in illam fenteotiam, quòd per petram Chriftus hic intelligeretur, ignorans videlicet, & non confiderans idioma hebræum, quo Chriftus vfus erat, Simonem Cepham vocando: liberum tamen lectorifque iudicio reliquit, vt vel Chriftum, vel Pettum, alio atque alio modo petram vocari iudicaret: vnde liquidum euadit, ipfum ab Ecclefię communi fenfu, & huius loci germana intelligentia nequaquam receffiffe, & proinde hęreticis, qui pertinaciter negant Petrum petram dicendum, & fupra Petrum ædificandam,aut poftea ædificatam fuiffe Ecclefiam, nullo pacto fuffragari, quod tamen plenis buccis indefinenter, impudenterque affeuerare. & iactare apud rudiores non erubefcunt.

3.4. Hilatius exprefsè fatis, & fæpiùs fatetur, & docet Pettum Ecclefiæ effe fundamentum, vt ex allegatis ex parte Catholicorum patet locis: quod verò etiam fuper fidem tamquam petram Ecclefiam ædificatam effe, afferit, priori fententiæ non repugnat, quia diuerfo fenfu, & fuper petrum, & fupee fidem Ecclefia fundata fuit: fupra Petrum tamquam fuptemum, & generalem Paftorem, & moderatotem: fupra fidem tamquam fundamentum, & initium falutis, fine quo nec exurgere poteft, oec confiftere Ecclefia. Hæretici verò ita affeuerant fidem effe fundamentum Ecclefiæ; atque ita fuper fidem, & fidei confeffionem Ecclefiam effe fundatam; vt negent fupra Petrum conftructam effe, aut Petrum quoque, prædicto fenfu, petram effe fundamentum Ecclefiæ credendum, id quod S. Hilarius non fecit, imò ne illi quidem in mentem venit.

4. Quin ideò, ficuti & alij Patres, fidem, non abfolutè, fed fidem Petri, feu confeffionem fidei à Petto de Chrifto factam, petram, & Ecclefiæ afferit etiam effe fundamentum; tum quia fidei, & eiufdem factæ coofeffionis merito confecutus fuit Petrus, vt efſet fundamentum Ecclefiæ; tum quia ob fidei indefectibilitatem à Chrifto ipfi exoratam, & conceffam (cuius beneficio alios in fide confirmare, & fuftentare poffet) potiffimùm effectus eft, atque conftitutus bafis Ecclefiæ, atq; fundamentum folidum.

5. Quàm difertè petram fateatur, & fundamentum Ecclefiæ S. Petrum, Beatus Ambrofius, fupra allegatum, atque auditum fuit. Quod verò etiam fidem Petri Ecclefiæ fundamentum dicit, pari ratione factum eft, qua & alij Patres idem afferunt, & quam paulò ante afsignauimus. Imò hoc eodem loco, quem hæretici allegant, exprefsè quoque fubiungit: Etiam Difcipulo fuo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipfe fit Petrus, qui de Petra habeat foliditatem fubftantiæ, fidei firmitatem.

6.7. Chryfoftomus exprefsè quoque, & non femel fatetur, ac docet publicè, fupee Petrum tamquam folidatum fundamentum, ac firmatam petram ædificaffe Ecclefiam Chriftum, vt patet ex allegatis ipfius teftimonijs ex parte catholicorum: quare, etfi fuper fidem,& confefsionem Petri alibi quoq; dicat ædificatam effe Ecclefiam, non tamen ideo negat fuper Petram ædificaffe Chriftum Ecclefiam, fed hoc ipfum inde probat, confirmatque, quia propter fidem, ac confefsionem Petri hoc ipfum permiffum illi, atque præftitum quoque fuit poftea. Imò in vtroque loco, quem citant hæretici, explicat fefe Chryfoftomus, docetque quid fit Ecclefiam ædificari fupee confeffionem Petri, introducens Chtiftum, fic ad Petrum loquentem: Ego fuper te ædificabo Ecclefiam meam.

8. Cyrillus quoque allegato loco non quamlibet, nec cuiufuis fidem, fed illam inconcufsam, & firmiffimam B. Petri fidem, dicit effe fundamentum, ac petram: ficque Petrum non excludit, fed includit; fateturque Petrum fide illuftratum, & infirmatum diuinitùs, petram efse, ac fundamentum, quod alibi fatis apertè fignificat, quando fcribit, Petrum ipfum efse petram, & lapidem firmifsimum, fuper quem fundatur Ecclefia, lib. 2. cap. 2. in Ioannem, vt fupra quoque à Catholicis allegatum fuit. Si igitur Hæretici ita cum SS. Patribus fuper fidem, aut confefsionem Petri ædificatam dicant Ecclefiam, vt fimul etiam cum ijfdem credant, & fateantur fupet Petrum, fenfu fuperiùs explicato, tamquam firmatam à Deo petram, efse fundatam, nulla erit inter nos hoc nomine controuerfia, fed idipfum dicemus, & fatebimur vtrinque.

CA-

CAPVT II.

An S. Petrus pro se tantùm; an verò omnium Apostolorum nomine confessus fuerit, Christum esse filium Dei vivi.

Vera sententia Catholicorum.

SAnctus Petrus pro se, & non ex sententia aliorum Apostolorum respondit Christo: Tu es Christus filius Dei viui: nam sic sentiunt, & testantur orthodoxi Patres veteris, & primitinæ Ecclesiæ.

Hilarius in hunc locum Matthæi. Dignus, inquit, iudicatus est (Sanctus Petrus) qui, quod in Christo Dei esset [primus cognosceret.

Idem libro 6. de Trinitate. [In cunctorum Apostolorum silentio, Dei filium ex reuelatione Patris intelligens, &c.

Chrysostomus hom. 55. in Matthæum. Quandoquidem de sententia vulgi petebat, omnes responderunt: cùm verò de sua eos rogaret, [Petrus confestim præsiliuit, ac præueniens,] ait: Tu es Christus filius Dei viui.

Falsa sententia Hæreticorum.

SAnctus Petrus ex persona, & nomine omnium Apostolorum respondit: Tu es Christus filius Dei viui: nam sic sentiunt, & testantur orthodoxi Patres veteris Ecclesiæ.

1. Chrysostomus hom. 55. in Matthæum, in cap. 16. Quid igitur, inquit, [Petrus, omnium Apostolorum os, vertex consortij totius?

2. Hieronymus in hunc locum] ex persona omnium Apostolorum profitetur,] Tu es Christus filius Dei viui.

3. Augustinus sermone 13. de Verbis Domini. Domino interrogante, & dicente: Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Petrus: Tu es Christus filius Dei viui. [Vnus pro multis dedit responsum,] vnitas in multis.

Cyrillus lib. 1 s. in Ioanem cap. 64. [Vt princeps inquit, caputque cæterorum primus exclamat:] Tu es Christus filius Dei viui.

Augustinus serm. 124. de Tempore. Hic est, inquit, Petrus, [qui diuina reuelatione primus omnium veritatem meruit confiteri,] dicens; Tu es Christus filius Dei viui.

Leo serm. 11. de passione Domini: Meritò inquit, beatus Petrus Apostolus in huius vnitatis confessione laudatus est, qui, cùm Dominus quid de ipso intelligerent Discipuli scrutaretur, [omnium celerimè ora præueniens:] Tu es, inquit, Christus, filius Dei viui.

Idem sermone 2. de SS. Petro, & Paulo: Tamdiu respondentium sermo communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur: at vbi quid habeat Discipulorum sensus exigitur; [ille primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate,

Submonitio ad Lectorem.

EX his orthodoxis Patribus satis apertè colligitur S. Petrum non ex aliorum Apostolorum persona, & sententia confessionem fidei de Christo edidisse: sed pro sese, & quid ipse diuina reuelatione illustratus, de Christo senserit, & crediderit palam enunciasse: ideo enim testantur, quòd primus, à Deo inspiratus, Christum esse filium Dei cognouerit, primus quoque, & alios præueniens, atque præsiliens hoc ipsum confessus fuerit, & nequaquam illo nomine priùs cum alijs consultauerit, nedum ex eorum ore responderit.

Hoc quoque ex textus circumstantia, & verbis, ac responsis Christi manifestum satis, atque euidentissimum euadit. Primò, quia Petrus non potuit corda aliorum Discipulorum intueri, & scire, an idem de Christo sentirent, & crederent, nisi illos priùs interrogasset, ac illorum fidem sic intellexisset: atqui statim, & nulla interposita mora, postquam Christus interrogauerat: Vos autem quem me esse dicitis: respondit, alijs tacentibus, seu, vt inquit S. Hilarius, in cunctorum Apostolorum silentio; Tu es Christus filius Dei viui. Secundò, non potuit aliorum Apostolorum nomine, quasi idem crederent respondere, quia certum est, Iudam in Christum non credidisse, vt Deum; tum quòd nunquam alioquin illum prodidisset; tum etiam quia Christus palam testetur, non omnes in se credidisse Apostolos, & potissimum Iudam, qui ipsum postea tradidit, vt patet Ioannis 6. cùm Petrus omnium nomine postea responderet: Nos credimus, & cognouimus quia tu es Christus filius Dei: Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariotis: hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim. Et paulò ante: Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum.

Tertiò, certum quoque, aut saltem probabile est, nec alios Apostolos, tunc adhuc Christi diuinitatem credidisse: si enim credidissent, & cognouissent Christum esse Deum, vtique sese non habuissent, nec ex catois suggestione, sed diuina reuelatione; quia fides Dei donum est, non ex nobis: atqui Christus satis, apertè testatur, soli Petro, & non alijs Apostolis illam reuelationem esse factam, dicens: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis, tibi, inquit, non alijs, reuelauit Pater meus. Quartò, ex verbis quoq; Christi claret Petrum pro se tantùm, & suæ fidei confessionem edidisse. Si enim omnes Apostoli idem credidissent, & Petrus ex sententia, & nomine omnium respondisset, non solùm Petrus beatus erat dicendus, sed in vniuersum omnes beatificandi fuissent. Atqui non dixit Christus: Beati estis quia reuelauit vobis Pater meus: sed ad solum Petrum expressè illum, & singulariter à cæteris secernens, dixit; Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pa-

ter

ter meus, qui est in cælis. Quintò si omnium Apostolorum fuisset eadem fides, & omnium Apostolorum nomine respondisset, & fidem illam confessus fuisset Petrus, omnibus parem, atque æqualem meritò mercedem rependisset Christus: & non solùm omnes, absque personarum delectu, beatos pronunciasset, sed etiam omnibus claues Regni Cælorum æqualiter promisisset: atqui sicut non omnes beatos dixit hoc loco, sed solum Petrum; ita non omnibus, sed soli Petro nominatim tantùm claues Regni Cælorum addixit. Tibi, inquiens (non vobis) dabo claues Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaueris (non ligaueritis) super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcumque solueris, (non autem solueritis) erit solutum,& in cælis. Ex quibus meridiana luce clariùs euadit, & vel cæcis pateat, soli Petro præ omnibus singulare aliquid promissum, atque concessum fuisse à Christo hoc loco, propter fidem, & confessionem deitatis suæ ab ipso editam, idque non ob aliam causam, quàm, quia Petrus singulariter, & pro sese, non pro alijs, & credidit diuinitùs illustratus, & confessus fuit Christum esse verum, ac naturalem, atque æternum Dei Patris filium, promissum Messiam videlicet, & Saluatorem mundi.

Exegesis,& conciliatio Patrum, quos Heretici perperam, & corruptè allegant.

1 Sanctus Chrysostomus non dicit S. Petrum iussu, aut ex sententia aliorum Apostolorum respondisse, sed vt principem, ac caput, atque os, vt ipse loquitur, Apostolorum, cùm ipsi tacerent, & ignorarent, quid potissimùm responderent. Hinc paulò post addit, & quidem statim post verba ab hereticis allegata: Cùm omnes interrogati essent, inquit, ipse solus respondet. Et quandoquidem de sententia vulgi petebat, omnes responderunt: cùm verò de sua eos interrogaret, Petrus confestim præsiliuit, ac præueniens ait: Tu es Christus filius Dei viui. Ex quibus liquidò apparet, iuxtà sancti Chrysostomi sententiam, Petrum solum, & pro se respondisse, non expectata, nedum interrogata aliorum confessione, vel responsione. Et consequenter inducit sanctus Chrysostomus, atque exaggerat promissiones, quas Christus soli Petro fecit,& non alijs, (quorum nullam facit, nec minimam quidem mentionem) propter præclaram illam, & diuinitùs inspiratam fidem, & fidei confessionem: quo satis insinuat, suo, & non aliorum nomine (ea saltem, qua volunt hæretici, intentione) Sanctum Petrum quæ sibi soli Pater cœlestis reuelauerat, ad Christi interrogationem respondisse.

2. 3. Sanctus Hieronymus, sicut & Sanctus Augustinus in locis allegatis eodem modo intelligendi sunt. Petrum videlicet, vt in Apostolorum ordine, sicuti eodem loco ait Sanctus Augustinus, primum, & in Christi amore promptissimum, pro omnibus respondisse, quia omnes interrogati erant, & singuli respondere debuissent, & licèt nescientes, quid respondere propriè deberent, taciti hærebant, consentiebant tamen omnes, vel penè omnes, excepto Iuda traditore videlicet, in Petri responsionem, eiusque sententiæ facilè astipulabantur. Alioquin non ignorabant SS. isti Patres, sicut soli Petro facta erat reuelatio istius fidei, ita solum Petrum præ alijs à Christo laudatum,& remuneratum singulariter, qui inconsultis alijs pro se responderat, & fidei confessionem ediderat, priusquam sciret, aut scire poterat, quid alij sentirent, aut responsum vellent ad interrogationem Christi.

CAPVT III.

De Verbis Domini. Matth.16. Tibi dabo claues regni cœlorum: An soli Petro Christus claues regni cælorum promiserit: an verò alijs Apostolis, & vniuersæ Ecclesiæ simul.

Vera sententia Catholicorum.

Soli Petro Matth.16.claues regni cęlorum, hoc est supremum totius Ecclesiæ, & vniuersale regimen, peculiariter promisit Christus; & non alijs Apostolis, aut vniuersæ Ecclesiæ simul: quia sic intelligunt, & testantur Veteris, & primitiuæ Ecclesiæ orthodoxi Patres.

Anacletus Pontifex & martyr, qui præfuit Ecclesiæ Anno Domini 84. in epistol. ad Episcopos per Italiam. In nouo autem Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, [quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesia datus est, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, [& tibi dabo claues regni cœlorum.

Tertull. lib. de præscript. hæret. Latuit aliquid, inquit, Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, [claues regni cœlorum consecutum, & soluendi, & ligandi in cœlis, & in terris potestatem?]

Origenes Homil. 16. in Matth. Sed quoniam, inquit, oportet aliquid maius habere Petrum, præ illis, qui ter arguerunt, [ideo illi quidem sic dicit: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcumque solueris super terram erunt soluta, & in cęlis: & quęcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis. Non ergo modica differentia est,cùm Petro quidem datæ sunt claues non vnius cęli, sed multorum cœlorum: & quæcumque ille ligauerit super terram, sunt ligata non solùm in vno cœlo, sed in omnibus cœlis.] Ad eos autem qui multi sunt ligatores, & solutores, sic dicit, vt soluant, & alligent, non in cœlis, sicut Petrus, sed in vno cœlo: [quia non sunt in tanta perfectione, sicut Petrus, vt alligent, & soluant in cœlis omnibus.]

Sanctus Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum. [Loquitur, inquit, Dominus ad Petrum:] Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. [Tibi dabo claues regni cœlorum,] & quæ ligaueris super terram, erunt, & ligata in cœlis. [Et eidem post resurrectionem dixit: Pasce oues meas.]

Falsa

Falsa sententia Hæreticorum.

NOn soli Petro, sed omnibus simul Apostolis, atque adeò vniuersæ Ecclesiæ claues regni cœlorum Christus Matt. 16. promisit: quia sic docent, & testantur veteris Ecclesiæ Patres Orthodoxi.

1 Sanctus Cyprianus libro de simplicitate Prælatorum, siue de vnitate Ecclesiæ. [Hoc, inquit, erant vtique, & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis,] sed exordium ab vnitate proficiscitur, & primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.

2 Beatus Hilarius lib. 6. de Trinitate: Vos, inquit, ô sancti & beati Viri (Apostolos alloquitur) ob fidei vestræ meritum [claues regni cœlorum sortiti, & ligandi atque soluendi in cœlo, & in terra ius adepti, &c.]

3 Hieronymus lib. 1. adu. Iouinianum. At dicis, inquit, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio super omnes Apostolos fiat, [& cuncti claues regni cœlorum accipiant,] & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter 12. vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.

4 Augustinus tract. 50. in Ioan. Si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues regni cœlorum: Si hoc Petro dictum est, non facit hoc Ecclesia: si autem hoc in Ecclesia fit, [Petrus quando claues accepit Ecclesiam significauit.] Idem in psal. 108. Sicut, inquit, quædam dicuntur, quoad Petrum propriè pertinere videntur, [nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam,] cuius noscitur in figura gessisse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, [sicut est: Tibi dabo claues regni cœlorum, & si qua sunt eiusmodi.]

5 Sanctus Leo serm. 3. de anniuersario assumptionis suæ ad Pontificatum, explicans hæc verba: Tibi dabo claues regni cœlorum. [Transiuit, inquit, in alios Apostolos vis potestaris istius, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit.]

Idem in epistola ad Iubaianum. Manifestum est, inquit, vbi & per quos remissio peccatorum dari possit. [Nam Dominus primùm Petro, super quem ædificauit Ecclesiam suam, & vnde Vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit.] Et infra: Ecclesia, quæ vna est, [super vnum, qui claues eius accepit,] voce Domini fundata est.

Beatus Athanasius cum vniuersis Ægyptiorum, Thebæorum, & Libyorum Episcopis in S. Alexandrina Synodo congregatis epistola ad Felicem Pontificem, allegans inter alia potestatem S. Petro, & eius successoribus à Christo collatam, inquit: Tu es, (sicut diuinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, [tibique claues regni cœlorum commisit, &c.]

Sanctus Hilarius in psalm. 131. Namque cùm Christus quædam de passione sua locutus ad discipulos fuisset, & Petrus tamquam indignum hoc Dei filio detestatus esset: [Petrum, cui superiùs claues regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat, aduersùs quem portæ inferi nihil valerent, qui quæ interris, vel soluisset, vel ligasset, ea in cœlis vel soluta persisterent, vel ligata:] Hunc itaq; tali conuicio, detestantem hoc Sacramentum passionis, excepit. Vade post me Satana, scādalum mihi es. Tanta enim religio illi fuit pro humani generis salute patiendi, [vt Petrum primum Filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni ianitorem,] & in terreno iudicio iudicem cęli, sathanæ conuicio nuncuparet.

Idem in Matthæum Can. 16. in illa verba. Tu es Petrus &c. [O beatus, inquit, cęli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur,] cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo: vt quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant, & in cœlo.

Idem lib. 6. de Trinitate. Post sacramenti, inquit, confessionem beatissimus Simon ædificationi Ecclesiæ subiacens, [& claues regni cœlestis accipiens.

Beatus Ambrosius lib. de Isaac, & anima cap. 3. Petro, inquit, dicenti, quo vadis? respondit verbum Dei: non potes me sequi modò, sequeris autem postea. [Claues autem commiserat regni cęlorum,] & sequendo se imparem iudicauit.

Idem lib. 10. in cap. 52. Lucæ. Quare Petrus, inquit, [Quia ipse est, qui accepit claues regni cęlorum.] Ille enim condemnat, qui & absoluit: quoniam ligandi idem, & soluendi accepit potestatem.

Idem lib. 10. in Lucæ cap. 24. Resurrectionis, inquit, tempore præstò sunt mulieres, & cùm viri fugarentur, solæ tamen ab Angelo, ne timeant, admonentur. Petrum euocant, studio priores, sed posteriores fiducia: denique ille sine metu aduenit, & incunctanter, qui posterior venerat, [primus ingreditur, quasi qui claues regni, vt alijs aperiret, acceperat.

Beatus Heronymus in cap. 16. super illa verba: Vade post me Satana. Prudens, inquit, lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem: Beatus es Simon Bariona. Et, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. [Et tibi dabo claues regni cęlorum. Et quod ligaueris, vel solueris super terram, erit ligatum, vel solutum in cœlo; nunc audiat: Vade retrò Satana, scandalum mihi es.] Sed si consideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ, in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget.

Sanctus Chrysostomus homilia 55. in cap. 16. Matthæi. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est fidem, atque confessionem. Hic apertè, inquit, prædixit magnam eorum qui crediturí, & erant, & sunt multitudinem fore; & sublimiora sapere ipsum facit, [& Ecclesiæ futuræ Pastorem constituit. Et ego dabo tibi claues regni cœlorum. Non dixit, rogabo Patrem vt tibi det,] sed, quamuis

uis magna erat potestas, & doni magnitudo ineffabilis: [& ego tamen dabo tibi, inquit: ac si diceret; Quemadmodum tibi Pater dedit, vt me cognosceres, ita & ego tibi dabo, Quid das, quæso? Claues, inquit, regni cœlorum: vt quæcumque ligaueris super terram, sint ligata in cœlis: & quæcumque solueris super terram, sint soluta in cœlis.

Quomodo igitur non est eius, qui dicit ego tibi dabo, sensum etiam in dextris, & sinistris concedere? Animaduertis quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & seipsum his duabus pollicitationibus reuelandum filium Dei ostendit. Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, [cuius Pastor, & caput, piscator homo, atque ignobilis, terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet:] hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & Pater ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Se ipsum quidem genti vni Pater: [hunc autem vniuerso Orbi Christus præposuit.] Quare libenter ab illis quærerem, qui dignitatem Filij minorem, quàm Patris dicunt, quænam sibi maiora dona videantur, quæ Pater, aut quæ Filius Petro largitus est? Pater quidem reuelationem ei Filij dedit: Filius autem partim, vt tam Patris, quàm Filij sui reuelationem vbique terrarum posset seminare; partim [vt quamuis homo esset mortalis, cœlesti tamen potestate polleret, & claues haberet regni cœlorum:] ita Petrus Ecclesiam per vniuersum Orbem amplificatam, cęlo etiam ipso validiorem monstrauit. Transibunt enim, inquit, cœlum, & terra, verba autem mea non transibunt. Quomodo ergo minor est, qui hæc in Petro effecit? Hæc autem non ideo dico, quia alia Patris, alia Filij esse opera putem. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Sed ve linguam eorum abscindamus, qui talia proferunt. [Tu verò mecum ex eis omnibus, quanta sit potestas eius, intellige. Ego tibi dico, inquit, tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam, ego tibi dabo claues regni cęlorum.

Idem in hæc verba Petri Matth. 16. Propitius, inquit, ad Christum, tibi esto, nec fiat tibi hoc. Quidnam, ait, ò Petre, hoc est: tu qui reuelationem desuper habuisti, qui beatificationem consecutus es; [cui claues cęlorum traditæ,] tam citò adeò grauiter cecidisti, vt passionem pertimueris?

Idem hom. 26. ex varijs in Matthæum locis. Princeps, inquit, Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio: nonne pauper erat, despectus, & piscator? Et paulò post: [Et Petrus pro hamo piscatorio, accepit claues regni cęlestis.

S. Leo Pontifex, quem ter sanctum S. Synodus Chalcedonensis nuncupauit: serm. 3. in anniuersario die assumptionis suæ. Verbum enim, inquit, caro factum fuerat, & habitabat in nobis, vt reparando humano generi totum se Christus impenderet. Nihil indispositum sapientiæ, nihil arduum erat potestati. Famulabantur elementa, ministrabant spiritus, Angeli seruiebant, nec vllo modo poterat inefficax esse sacramentum, quod simul ipsius deitatis vnitas operabatur, & Trinitas. [Et tamen de toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.] Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio: & si quid commune cum cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quod cæteria non negauit. Omnes denique Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur interrogat: & tàmdiu sermo respondentium communis est, quàmdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cùm dixisset: Tu es Christus filius Dei viui: respondit ei Iesus: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Id est: ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cœlestis te instruxit: & non caro, & sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus filius, indicauit. Et ego, inquit, dico tibi, hoc est; sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam; quia tu es Petrus: Id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum: & Ecclesiæ meæ cęlo inferenda sublimitas; in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: Vox enim ista vox vitæ est. Et sicut confessores suos in cœlestia prouehit, ita negatores in inferna demergit. [Propter quod dicit beatissimo Petro: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quęcumque ligaueris super terram, erunt & ligata in cœlis. Et quæcumque solueris super terram, erunt & soluta in cœlis. Transiuit quidem in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit; sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur.] Manet igitur Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec nimia est, vel seueritas, vel remissio, [vbi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut soluerit, aut ligauerit.]

Optatus, qui floruit in Africa etiam ante tempora B. Augustini, anno Domini 370. de schismate Donati lib. 7. Petrus, inquit, præfetti Apostolis omnibus meruit, [& claues

regni

regni cœlorum, communicandas cœteris, solus accepit.

B. Augustinus sermone 124. de tempore, [Credendæ, inquit, erant Petro Apostolo claues Ecclesiæ, iam creditæ sunt ei claues regni cœlorum,] credenda quoque erat ei populorum inoumera multitudo, quæ esset pro suæ naturæ vitijs, & passionibus, culpis inuoluta, & peccatis. [Denique sic ad eum Saluator dicit: Tibi dedi claues regni cœlorum; deinde sequitur, dicens: Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis; videlicet vt in clauibus fidelis esset ianitor, & in sententijs clementissimus dispensator.] Erat enim re vera hic Petrus paulò durior, & seuerus, sicut eius austeritatem, truncata ob Christi iniuriam serui Principis sacerdotum declarat auricula. Hic tam durus, tamque seuerus, si donum non peccandi fuisset adeptus à Domino, quæ venia commissis populis donaretur? Sed idcircò diuinæ prouidentiæ secretum ita temperauit, atque permisit, vt primus ipse laberetur, & rueret in peccatum quo erga peccantes duriorem sententiam, proprij casus intuitus temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga salutem hominum, quantum curæ fuit, quantumque sollicitudinis impeditur, aduertite. Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem. [In ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobili fidei fundamento, in Petro scilicet illo,] qui dixerat; etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.

Idem lib. 2. aduersùs Gaudentij epistolam. Numquid, inquit, melior Rasias, quàm Apostolus Petrus? Qui vbi dixit: Tu es Christus filius Dei viui: [tam beatus à Domino pronunciatus est, vt claues regni cœlorum mereretur accipere.] Nec tamen creditur imitandus, vbi mox eodem momento reprehensus audiuit, vade post me &c.

Vniuersa Ecclesia Catholica in primo Concilio Niceno, (in quo trecenti decem, & octo, ex vniuerso Orbe Christiano, Episcopi, & Patres fuerunt congregati) in præfatione testatur S. Petrum à Christo accepisse claues regni cœlorum, & per B. Petrum successores, & ipsam Romanam Ecclesiam.] Sciendum est sanè, inquit, ab omnibus Catholicis, quoniam sancta Ecclesia Romana, nullis Synodicis decretis prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit; vbi dixit B. Petro Apostolo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlo.

Submonitio ad Lectorem.

QVi hæc orthodoxorum Patrum testimonia, quæ allegant Catholici penitiùs inspicere, & seriò ponderare volet, statim sole clariùs intelliget, ipsos in hoc conspirare, quòd soli Petro, & nulli Apostolorum, hoc loco claues regni cœlorum promiserit, & veluti (nam Christi dicere est facere; promittere est præstare, propter infallibilitatem promissionis, quæ non fuerit conditionata) tradiderit Christus.

Hoc ipsum conuincit, & circumstantia textus. Illi enim claues regni cœlorum absolutè promisit Christus, cui paulò ante dixerat; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & statim, ac continenter subiungens addit; & tibi dabo claues regni cœlorum. Si omnibus in vniuersum Apostolis promittere voluisset, dixisset, vobis, non tibi, dabo; atqui non dixit vobis, sed tibi dabo, tibi nimirum, qui es Simon Ioannis, tibi, cui Pater meus reuelauit; tibi, qui me ex reuelatione paterna confessus es Christum esse filium Dei viui, Patet idipsum ex verbis subsequentibus statim; & quicquid solueris, inquit, super terram; non, quicquid solueritis. Vnde liquidum, atque manifestum euadit, soli hæc Petro, & non alijs Apostolis, licèt præsentibus, hæc omnia dixisse, & promisisse Christum.

Neque hoc tantùm loco soli Petro claues regni cœlorum promisit, sed nusquam alibi Apostolis idem promisisse Christum, probari potest. Nusquam enim claues regni cœlorum vlli Apostolorum, præterquàm soli Petro Christus promisisse legitur. Promisit quidem, & dedit quoque omnibus simul potestatem alligandi, & soluendi, remittendi & retinendi peccata Matth. 18. Ioan. 20. sed clauium potestas, illam longè excellit: quia significat generalem, & supremam, ac plenariam potestatem in Ecclesia Christi, quam Christus Petro, tamquam supremo sub se Ecclesiæ rectori, & Pastori promisit, & dedit; cuius pars quædam est, potestas ligandi, & soluendi; quam cum Petro communem, sed non æqualem, aut æquè generalem, cæteri Apostoli à Christo acceperunt.

Nec poterant etiam, aut debebant claues regni cœlorum omnibus Apostolis æqualiter promitti, aut donari; nam Christus hac metaphora ad seruandam vnitatem, & cauendum schismata, vnum Vicarium Ecclesiæ caput, & rectorem generalem, cum plenaria potestate, constituere voluit, hoc verò fieri, aut consistere non poterat, si omnes Apostoli æquali, tum inter sese, tum in vniuersam Ecclesiam potestate supremi regiminis præditi fuissent; vbi enim omnes fuit in omnibus æquales, ibi nullum est caput, nullus est rector supremus, cui ad vnum omnes subesse, & parere possint, aut debeant. Vbi tunc illud Christi: Erit vnus Pastor, & vnum ouile? Nec auctoritates Patrum, quos citant aduersarij contrarium asserunt, si rectè intelligantur.

Exegesis, & Germana explicatio Patrum, quos Hæretici perperam, & corruptè allegant.

1. SAnctus Cyprianus, vt ex allegatis ex parte Catholicorum auctoritatibus liquer, expressè testatur, vt soli Petro dictum est; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; &, pasce oues meas; ita eidem dictum esse, tibi dabo claues regni cœlorum; & illum claues Ecclesiæ accepisse, super quem voce Domini eadem Ecclesia fundata est. Ex hoc loco, quem citant hæretici,

Petro asserit primatum esse datum inter Apostolos, ad moustrandam, seruandamque vnitatem Ecclesiæ. Si primatum habuit inter Apostolos Petrus, ergo omninò, & in omnibus pares non fuerunt Apostoli; pares tamen fuerunt in Apostolica potestate, & eamdem in populos Christianos habuerunt potestatem; sed pares non fuerunt inter sese, quia Petrus cæteris omnibus tamquam primus, & supremus Pastor à Christo præfectus, & prælatus fuit, & vt solus præ alijs claues regni cælorum accepit, ita & secundùm Cyprianum, primùm non tempore (quia omnibus eadem vice dixit, quorum remiseritis peccata remissa erunt Ioan. 20.) sed ordine, hoc est, principaliter, tamquam caput, & supremus omnium, remittendi peccata potestatem est consequutus; sicque exordium Ecclesiæ ab vnitate proficisci, vt vna monstretur esse Ecclesia; hoc est, ideo Petrum à Christo visibilis Ecclesiæ, visibile caput, & fundamentum esse constitutum, atque ordinatum, vt sicut vna domus dicitur ab vno fundamento, & vnum corpus ab vno capite; ita vna diceretur, & esset, atque monstraretur Ecclesia, propter vnum ipsius visibile fundamentum, & caput, Apostolum Petrum. Quam vnitatem Ecclesiæ, & quanam ratione exordium fiat, seu proficiscatur ab vno Petro, hoc ipso libro de simplicitate Prælatorum, latiùs explicat porrò, docetque ex professo eo modo vnam esse Ecclesiam, quo omnes radij solis vnum dicuntur lumen, quia ab vno sole manant, & multi riui vna aqua, quia ab vno fonte deriuantur, & multi rami vna arbor, quia ab vna radice omnes pullulant. Atque eò spectant, quæ in epistola ad Iubaianum scribit: Nos, inquit, Ecclesiæ vnius caput, & radicem tenemus. Et explicans quod sit istud caput, & quænam radix Ecclesiæ, paulò post subiungit: Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificauit, & vnde vnitatis originem instituit & ostendit, potestatem illam dedit. Et infrà: Ecclesia, quæ vna est, super vnum qui claues eius accepit, voce Domini fundata est. Ex quibus patet nequaquam B. Cyprianum hæreticis suffragari, sed Catholicorum cum primis sententiam confirmare.

2. Confitetur expressè, & non semel Beatus Hilarius S. Petrum primum post Christum Ecclesiæ esse fundamentum; super Petrum ędificasse Christum Ecclesiam suam; Petro primò fidei confessori præ cæteris claues regni cęlorum promisisse, atque adeò tradidisse etiam; ideoque beatum illum cœli ianitorem nuncupare, & celebrare non veretur, quia videlicet eius arbitrio, claues æterni aditus tradantur; vti ex testimonijs à Catholicis allegatis manifestum euadit. Quod verò idem dicit alios quoque Apostolos claues regni cœlorum sortitos, hoc non eodem sensu est intelligendum, quo B. Petro promissæ, & traditæ sunt, scilicet principaliter, & vt supremo Ecclesiæ post Christum rectori, & ianitori; sed hactenùs Apostolos quoque easdem accepisse asserit, quatenùs videlicet ius etiam ligandi, & soluendi à Christo sunt consecuti, quod ius, clauium potestas quidem in se quoque concludit, & possidet, sed longè tamen latiùs patet, & sese extendit; generale nimirum, & supremum Ecclesiæ regimen designans, atque complectens, quod vni, solique Petro, non alijs Apostolis à Christo promissum, & datum esse idem Hilar. non obscurè fatetur, cum ait S. Petrum sua fidei confessione, quam solus, tacentibus cæteris Apostolis, ediderat, supereminentem locum promeruisse. Quatenus igitur clauium potestas, ligandi, & soluendi, remittendi item, & retinendi peccata facultatem includit, suo, sed non pari modo cæteris Apostolis cum B. Petro est communis, licèt illa sub nomine clauium, illis nec data sit, nec promissa; quatenus verò primatum, & generalem totius Ecclesiæ, ac supremam curam, & moderationem omnium Christi fidelium designat, vt propriè hoc loco intelligenda venit, secundùm phrasim sacræ Scripturæ familiarem, Is. 22. Apoc. 33. & communi quoque vsu, & praxi, in Principum, & Magistratus supremi inauguratione est receptum, hactenùs clauium nec promissionem, nec collationem cœteri acceperunt Apostoli; sed solus Petrus, qui etiam solus præ omnibus Apostolis beatus idcircò cœli ianitor, iure, meritòque à B. Hilario vocatur.

3. D. Hieronymus seipsum explicat, & aduersarios nostros veluti ex professo refutat, quando in eadem periodo addit: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Ex quibus verbis satis colligitur, ita super alios quoque Apostolos ædificatam Ecclesiam, ita eosdem claues quoque, suo modo, & mensura accepisse, vt tamen Petrus caput illorum à Christo electus, & designatus, ideoque prælatus illis, & excellentior fuerit: & Apostolos, vt membra, Petro subiectos nihilominùs, & nequaquam pares illi in potestate, aut æquales fuisse. Quomodo enim membra capiti paria, aut subditi suo supremo rectori æquales esse possunt? Nec humano, sed diuino iure vnus Petrus veluti caput præpositus fuit; quia disertè dicit Hieronymus ibidem, non Ioannem, licèt alioquin dilectissimum Discipulum, sed Petrum à Christo, propter senium inter duodecim electum esse, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio, Hoc facit quod idem Hieronymus in sequenti quoque libro contra Iouinianum in hæc verba scribit. Et in veteri, & in nouo Testamento alium ordinem Pontifex tenet, alium Sacerdotes, alium leuitæ, alium ianitores, alium æditui. Quibus satis insinuat, quòd non minùs in nouo, quàm in veteri Testamento sit Pontifex, & vt ibi vnus fuit, sic & in nouo vnus sit, & esse debeat, per cuius primatum, & supremam potestatem, cæteri Sacerdotes, hoc est Episcopi, Presbyteri, cum reliquis Ecclesiæ ministris, in suo officio contineantur, & in pace, ac vnitate conseruentur.

4. Nequaquam hæreticis, vel in minimo, suffragatur B. Augustinus. Ille enim disertis verbis, & sæpissimè B. Petrum Ecclesiæ fundamentum, crepidinem, verticem Apostolorum, & ianitorem appellat; quod pertinaciter negant hæretici, quin & in hoc ipso testimonio, quod allegant ex Psalmo centesimo octauo, expressissimè asserit primatum gessisse inter Apostolos S. Petrum. Fatetur quoque non minùs apertè B. Petro singulariter credendas, imò creditas fuisse, & traditas claues

claues regni cœlorum: vt ex testimonijs à Catholicis citatis liquet. Quod autem dicit S. Petrum pro Ecclesia, seu in figura, & persona Ecclesiæ claues accepisse, non hunc habet sensum, quasi ipsi personaliter, & singulariter promissæ non sint, aut traditæ regni cęlorum claues; sed vult beatissimus ille Doctor, Sanctum Petrum, tamquam primarium membrum, & supremum Ecclesiæ ministrum non pro se, & sua tantùm persona, sed etiam pro successoribus ordinarijs, & in vsum, ac ædificationem, conseruationemque totius Ecclesiæ (cuius ipse tunc caput, seu primarius sub Christo rector destinatus erat) non solùm, quæ tunc ædificari cœperat, sed etiam quæ ab isto tempore, vsque ad finem mundi, & æternum Christi ad generale iudicium duratura est aduentum; & quia S. Petrus non pro sua dumtaxat persona, quæ breui moritura erat, sed pro vniuersa Christi Ecclesia claues acceperat; idcircò S. Augustinus B. Petrum Ecclesiæ personam gessisse, & Ecclesiam in Petro tamquam supremo sub Christo visibili capite claues accepisse, non ineptè, nec sine ratione asseuerat. Inde tamen non sequitur, aut S. Petrum personaliter, & principaliter non accepisse claues, & supremum, ac generale totius Ecclesiæ regimen; aut omnes, qui in, & de Ecclesia sunt membra eamdem simili modo, & sensu potestatem consecutos, & exercere iure suo posse sigillatim, priuatoque arbitrio: sicut non sequitur, ideò omnia membra videre, aut audire, quia corpus per oculos, & aures capitis videt, & audit; sed soli oculi propriè vident, & aures audiunt, non pro se tamen, sed pro vsu, & commodo cæterorum membrorum, ac totius corporis: sicuti Consul aliquis, aut Princeps, claues quidem accipit ciuitatis, aut ducatus, in signum supremi, & generalis regiminis, ac concessæ plenipotentiæ; sic tamen, vt non sibi, sed subditis seruiat, & non præsit solùm, sed etiam prosit suis: si quæ etiam à superioribus indulta, aut priuilegia perpetua consequatur tamquam Princeps, aut Consul, & pro posteris accipit, atque successoribus ordinarijs, & in vsum, atque vtilitatem subditorum, & totius communitatis accipit, ac tueri obligatur; &, vt summatim loquar, quicquid superior accipit, aut facit nomine, ac pro vtilitate subditorum, subditi accipere, ac facere dicuntur: tum quia ipsorum nomine, & fructu, tum etiam consensu fiunt, aut fieri solent, ac debent: quicquid etiam Regi datur propter vtilitatem Regni, & eiusdem conseruationem, regno dari dicitur; licèt Regi re vera tamquam Regi, & totius regni moderatori, ac Principi detur. Et hoc sensu in figura Ecclesiæ, ac figuram præsentans Ecclesiæ Petrus claues regni cœlorum accepisse dicitur ab Aug. quia videlicet primus erat designatus, & supremus Pastor Ecclesiæ, & propter primatum illum, quem gesturus erat, & gessit pro vtilitate Ecclesiæ, Ecclesiæ personam retulisse, id quod manifestissimè colligitur ex diuersis S. Augustini testimonijs. Tractatu enim vltimo in Ioannem ait: Cuius Ecclesiæ (loquitur de Ecclesia Christi) Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Et in psalmo 108. Cuius (Eclesiæ) ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum, quem in discipulis suis habuit. Et serm. 13. de Verbis Domini. Petrus à petra cognominatus, beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens. Ex quibus apertè satis, mens B. Augustini intelligi potest. Obseruandum tamen venit in hoc sanctissimo Patre, dupliciter ab illo nomen Ecclesiæ circa hanc materiam intelligi; vno videlicet modo, pro Præsulibus, Episcopis, & Sacerdotibus Ecclesiæ. Et hoc modo S. Petrus, vt summus, ac princeps omnium Præsulum accipiens claues Ecclesiam repræsentauit, quia eas accepit, non vt solus ipse illis vteretur, sed vt illas cum omnibus Episcopis, & presbyteris, limitatè tamen, & certa cum mensura, communicaret, in vsum Ecclesiæ totius. Quatenus autem figura fuit S. Petrus, propter primatum suum, totius cœtus Ecclesiasticorum ministrorum; hactenus dixit S. Augustinus tractatu quinquagesimo in Ioannem. Si hoc (scilicet, tibi dabo claues regni cœlorum) Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, hoc est; si ita dictum est soli Petro: Tibi dabo claues, vt ipse solus debeat soluere, & ligare, sequitur Ecclesiam reliquam, id est, posteros, ac successores, & reliquos Episcopos, & presbyteros hoc non facere: si autem etiam alij hoc faciunt (accepta videlicet à Beato Petro, & eius successore potestate) vti indubitatum est, Petrus cùm claues accepit, vniuersam Ecclesiam, hoc est omnes Ecclesię ministros (ijsdem clauibus, certa tamen cum limitatione, & mensura à summo præsule donandos) repræsentauit. Notandum autem est hæreticos locum hunc more suo corruptè, & mala fide citare. Omittunt enim illud (tantùm) cùm in eo magna, & potissima vis consistat, secundùm propositum, & intentionem Sancti Augustini; qui quidem fatetur, & asserit Petro dictum esse personaliter, & historicè: Tibi dabo claues; sed non vult illi tantùm, eo sensu, dictum esse, quasi sibi soli, & nulli prætetea promissæ, aut datæ essent, quia sic & posteri, & vniuersa Ecclesia ab illarum vsu, & fructu excluderetur. Altero modo accipit Augustinus nomen Ecclesiæ pro iustis, & viuis Ecclesiæ membris, quam Petrus claues accipiens quoque suo modo figurauit, non quod quantumlibet iusti actu absoluant, & cum auctoritate, quod solis Sacerdotibus competit, sed quod ad preces, & intercessiones piorum, charitas, & vera pœnitentia, sine qua claues non soluunt, diuinitus impetrentur; de quibus videre est, tract. 121. in Ioan. Item libro 3. de baptismo cap. 17. & 18. & alibi.

5. Petro tamquam Principi, & vertici Apostolorum supremum, plenum, & vniuersale totius Ecclesiæ regimen, & ad hoc designandum, confirmandumque, claues quoque regni cœlorum illi personaliter, & principaliter esse traditas, idem S. Leo, & quidem in eodem sermone, vndè hæretici quædam allegant, scilicet 3. in Anniuersario die assumptionis suæ, multis, grauibusque verbis affirmat: vti ex testimonio, quod ex parte catholicorum prolixè positum est, colligi potest. Transiuit igitur, secundùm intentionem

bea-

beatiffimi illius Pontificis, in alios quoque foluendi, & ligandi auctoritas, fuo videlicet modo, & certa menfura: fed tamen S. Petro principaliter, & plenariè illa data fuit à Christo, atque conceffa. Subiungit enim idem S. Leo ibidem: Si quid cum eo S. Petro commune cæteris Chriftus voluit effe principibus, numquam nifi per ipfum Petrum dedit, quicquid alijs non negauit. Petro igitur tamquam principi fupremo, plenariè, & abfque limitatione claues regni cœlorum datæ funt; cęteris autem tamquam coadiutoribus, fuo modo, & certa cum menfura, non eadem, aut æqualis poteftas, fed pars quædam clauium, ligandi videlicet, & foluendi fibi fubditos, conceffa eft facultas. Huc fpectat, & apprimè quadrat, quod idem beatiffimus Pontifex fcribit in epift. ad Epifcopos in Viennenfi prouincia conftitutos: Diuinæ, inquit, cultum religionis, quem in omnes gentes, omnefque nationes Dei voluit gratia corufcare, ita Dominus Nofter Iefus Chriftus humani generis faluator inftituit, vt veritas, quæ ante a legis, & Prophetarum præconio continebatur, per Apoftolicam tubam in falutem vniuerfitatis exiret, ficut fcriptum eft: In omnem terram exiuit fonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris facramentum, ita Dominus ad omnium Apoftolorum officium pertinere voluit, vt in beatiffimo Petro omnium Apoftolorum fummo, principaliter collocaret: vt ab ipfo veluti à quodam capite, dona fua velut in corpus omne diffunderet, & exortem fe myfterij intelligeret effe diuini, qui aufus fuiffet à Petri folidirate recedere. Hunc enim in confortium indiuiduę vnitatis affumptum, id, quod ipfe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam: vt æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri foliditate confifteret, hac Ecclefiam fuam corroborans, vt illam, nec humana temeritas poffit appetere, nec portæ inferi contra illam præualere. Verùm hanc petræ iftius facratiffimam firmitatem, Deo ædificante conftruentem, nimis impia vult præfumptione violare, quifquis eius poteftatem tentat infringere. Et paulò poft: Cui Petro cum præ cæteris foluendi, & ligandi fit tradita poteftas, pafcendarum tamen ouium cura fpecialiùs commendata eft. Cui quifquis principatum æftimat denegandum, illius quidem nullo modo poteft minuere dignitatem, fed inflatus fpiritu fuperbię fuæ, femetipfum in inferna demergit.

CAPVT III.

De Verbis Domini: & ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Luc. 22. An Chriftus pro Petro, tamquam Principe Apoftolorum, & fupremo Ecclefiæ Rectore defignato fingulariter orauerit ne deficeret fides eius, vtque confirmare poffet fratres fuos: an verò pro omnibus fimul, & fimiliter Apoftolis.

Vera fententia Catholicorum.

CHriftus pro Petro, tamquam fupremo Ecclefiæ defignato Paftore fpecialiter orauit, ne deficeret fides eius, vt in fide ftabilis, femper poffet confirmare fratres fuos: quia fic intelligunt, & teftantur Orthodoxi Patres veteris, & primitiuę Ecclefię.

S. Ioannes Chryfoftomus homil. 83. in cap. 26. Matthęi. His igitur mederi omnibus volens, cadere eum Petrum permifit, ac ideò cœteris pretermiffis ad eam orationem direxit, dicens: Simon ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret ficut triticum, ideft, tentaret, perturbaret, vexaret: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Cur nam, fi omnes expetijt, [pro omnibus deprecatus non eft?] Patet hinc quod paulò ante dicebam, quia vehementiùs eum tangens, & oftendens multò peiorem eius, quàm aliorum lapfum effe, [ad eum conuertit orationem.] Cur autem non dixit, Ego non dimifi, fed ego deprecatus fum? Humiliùs iam loquitur, ad paffionem iturus, vt humanitatem fuam demonftret. Nam qui fuper confeffionem eius Ecclefiam ita fundauit, & muniuit, vt nullum periculum, neque mors ipfa poffet eum fuperare, qui claues regni cœlorum illi conceffit, & totam poteftatem ei commifit, nec vnquam pro illis omnibus oratione indiguerit: quantò minus in hac re indiguiffet? Maxima quippè auctoritate illa dicta, ædificabo fuper te Ecclefiam meam: &, dabo tibi claues regni cœlorum. [Quomodo ergo orare ei opus fuit, vt vnius hominis commotum animum ftabiliret?] Quare igitur ita dixit? Propter caufam profectò, quam iam expofuimus, & propter infirmitatem difcipulorum, qui nondum decentem fuper ipfo habebant exiftimationem. Et paulo poft: Quibus rationibus Verticem quoque Apoftolorum labi permifit, humiliorem eum faciendo, & ad maiorem profectò charitatem inducendo.

Falfa fententia Hæreticorum.

CHriftus non folùm pro Petro, fed etiam pro omnibus Apoftolis æqualiter orauit: quia fic veteris, & primitiuæ Ecclefiæ Patres docent, & teftantur.

S. Auguftinus quæftione ex Nouo Teftamento, quæftione 75. Quid, inquit, ambigitur? Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat? vt cœteros taceam?

Idem Tom. 3. hom. 72. in cap. 13. Ioannis.

Hoc

Hoc Lucas significat, cùm inquit Christus: [Et ego pro te rogaui, ne deficeret fides tua. Hoc est, ne in fide pereas:] in omnibus humilitatem eum erudiens, & humanam arguens naturam, quod ex se nihil sit. Cùm enim immensa dilectione Magistri dicto refragaretur, [cohibet eum Iesus, & admonet, vt postmodum emendetur, cùm Orbis terrarum dispensationem reciperet, & sui recordatus se agnosceret.]

Idem hom. 3. in cap. 1. Actuum Apostolorum, agens de electione noui Apostoli in locum Iudæ. Meritò, inquit, primus omnium auctoritatem vsurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu. [Ad hunc enim dixit Christus, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.]

S. Hilarius lib. 6. de Trinitate. O miseræ stultitiæ, inquit, furor impius, non intelligens beatæ senectutis, fideique Martyrem, & Martyrem Petrum, pro quo Pater rogatus est, ne fides eius in tentatione deficeret.]

S. Leo hom. 3. in anniuersario die assumptionis suæ. Instante autem, inquit, passione sua Dominus, quæ discipulorum erat turbatura constantiam, [Simoni inquit: Simon, ecce Satanas expostulauit vos, vt cribraret, sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,] vt non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: [& tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.]

S. Augustinus quæst. ex nouo Test. quæst. 75. Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat? vt cæteros taceam? [Manifestum est in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in Præposito, populus, aut corripitur, aut laudatur.] Quia & in alio loco dicit: Ego pro his rogo, quos dedisti mihi, Pater: & volo, vbi ego sum, & ipsi sint mecum.

Theophylactus in 22. Lucæ. Itaque, quia proditori (Iudæ) væ adiudicatum est, illorum autem, qui permanserunt in amore erga illum tantùm prædixit fore honorem: vt ne extollantur quasi magnum quiddam fecissent, & permansissent in charitate, & non perdidissent: Satanas vos, inquit, petiuit cribrare, hoc est, turbare, nocere, tentare. Sed ego rogaui. Ne existimetis, inquit, quod vestrum sit totum hoc bonum opus. Diabolus enim valdè vrget, si possit vos ab amore mei depellere, & ostendere proditores. [Ad Petrum autem verba hæc dirigit, qui erat cæteris audacior; & probabile est superbisse in ijs, quæ à Christo promissa erant: idcircò & reprimit eum, dicens: Satanæ quidem fuit multum studium contra vos, ego autem rogaui pro te.] Et hoc humano more dicebat. Nam vt Deus non opus habebat orare aliquem. Rogaui igitur, dicit, vt non deficiat fides tua: quamuis enim breui tempore concutiendus sis, habes tamen recondita fidei semina, vt etiamsi folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen viuet, & non deficiet fides tua. Tu verò conuersus confirma fratres tuos. Planus huius intellectus is est. [Quia te habeo, vt principem discipulorum, postquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & firmamentum.]

Submonitio ad Lectorem.

PRo Petro igitur, iam Ecclesiæ petra post Christum, & Apostolorum Primate designato, Christus singillatim, & præcipuè rogauit, ne deficeret fides eius, sed vt in fide radicatus, & firmatus fratres quoque suos, hoc est, non solùm oues, & simpliciores, seù laicos, sed etiam Coapostolos, Episcopos, & alios Ecclesiæ Præpositos, ac Ministros, in fide, ac fidei articulis, alijsque fidem, & Religionem spectantibus instruere, & confirmare posset. Hoc ipsum, & verba Christi apertè exigunt, atque conuincunt. Quod enim Petro, & non alijs Apostolis, licèt excepto Iuda, omnibus præsentibus loqueretur, patet ex verbis. Simon Simon, Ecce Satan expetiuit vos cribrare &c. patet, & consequenter ex eo, quòd licèt dixisset, Satanam omnes cribrare cupiuisse: expetiuit, inquit, vos cribrare, tamen non pro omnibus, quos ille cribrare petiuerat, sed pro Petro singulariter rogasse se dicit: ego rogaui pro vobis, quos Satan exagitare cupit: sed rogaui pro te Simon, vt non deficiat fides tua: tua inquit non, vestra: quod dicendum erat, si pro omnibus simul orasset; Et tu aliquando conuersus. Tu inquam, pro quo rogaui, conuersus, confirma fratres tuos: quod vtique de omnibus Apostolis intelligi, nec debet, nec potest, secundùm intentionem Christi hoc loco. Rogauit quidem postea pro omnibus Apostolis, & fidelibus tam præsentibus, quàm futuris, vt S. Ioannes cap. 17. recenset ad longum: sed non rogauit tunc pro illis ea intentione, vt hic pro solo Petro nominatim, & personaliter rogauit: vtpotè qui solus inter illos caput Ecclesiæ, & supremus Pastor erat futurus, pro cuius firmitate, & in fide constantia, proindè potissimùm erat rogandum, quia, si caput deficiat, membra quoque deficiant, aut languescant necesse est: sin autem caput, & Rector constans firmusque permanserit, membra quoque, & inferiores facilè instruere, & confirmare poterit: vti allegati Patres à Catholicis, non obscurè indicant, & vnanimi quasi consensu conspirantes asseuerant.

Exegesis, & Germana explicatio eorum, quæ ex Patribus perperam, & corruptè allegant Hæretici.

ALibi pro Apostolis simul omnibus, Ioannis videlicet 17. rogasse Christum asserit B. Augustinus, & nemo inficiatur: Hoc verò loco, & casu Christum pro omnibus, tamquam Pastoribus, & Rectoribus Ecclesiæ, perfona-

sonaliter, & specialiter rogasse non affirmat Augustinus, & negat S.Lucas, qui testatur Christum nominatim pro Petro, non autem pro alijs identidem, & simili fine, ac intentione rogasse. Rogasse tamen ait Augustinus pro Apostolis cœteris quoque, sed quatenus in Petro tamquam Rectore, & capite continebantur: eatenus autem pro omnibus, implicitè videlicet, rogasse quoque Dominum, & piè asserit Augustinus, & omnes meritò fatentur. Hoc tamen non obstante, pro Petro tantùm nominatim, & singulariter,& non sine singulari ratione, quæ alijs non erat ita communis rogasse Christum, & ipse Christus testatur,& ex Patribus allegatis à Catholicis, & ipsomet Augustino vtrinque citato; constare potest euidentissimè.

CAPVT V.

De verbis Domini Pasce oues meas, Ioan. 21. *An soli Petro, an verò etiam alijs Apostolis sigillatim dictum sit: Pasce oues meas.*

Vera sententia Catholicorum.

SOli Petro, & nulli ex reliquis Apostolis dictum est: Pasce oues meas: quia sic sentiunt, & testantur Patres primitiuæ Ecclesiæ.

Io. Chrysostomus in cap. 21. Ioannis. Quod autem, inquit, maximè diuinum nobis amorem conciliat, est proximi dilectio, quàm à Petro Christus exigit: nam cùm finem cibis fecissent, [dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, Tu scis quia amo te. Dicit ei; Pasce agnos meos. Quod tandem (inquit Chrysostomus) alijs omissis,his dumtaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & princeps,] propterea, & Paulus eum præter alios visurus ascendit; simul vt ostenderet iam sibi fiduciam habendam. Tamquam enim negationis obliuisceretur, fratrum ei curam committit, neque negationis meminit, neque exprobrat: tantùm dicit; Si amas me, [fratrum curam suscipias,& quam in omnibus dilectionem ostendisti, & qua delector, nunc ostende; & animam, quam pro me positurum dixisti, hanc pro ouibus meis trade. Et paulò post; Ter autem interrogat, & semper idem præcipit, [vt demonstret, quanti ouium suarum curam faciat,] & quod maximum hoc sit amoris argumentum, & cùm dicat quantum eum diligat, prædicit, & martyrium, quod passurus erat, ostendens quod non ob eius diffidentiam hoc diceret, sed quòd maximè crederet, volens amoris in eum signum demonstrare.

Falsa sententia Hæreticorum.

OMnibus Apostolis singillatim dictum est, & non soli Petro; Pasce oues meas; quia sic primitiuæ Ecclesiæ Patres testantur.

Io. Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio, etiam hæc verba Basilio applicat, persuasurus, vt Episcopatum, ad quem vocabatur lubens susciperet. Ergo non soli Petro, sed etiam omnibus Episcopis,& pastoribus dicta sunt.

2. S. Augustinus lib. de Agone Christiano, cap.30. [Cum ei (Petro) dicitur omnibus dicitur, pasce oues meas.]

3. Idem homilia de Pastoribus. In ipso (inquit) Petro Dominus vnitatem commendauit. Multi erant Apostoli, & vni dicitur. Pasce oues meas. Absit, & desint modò Pastores. [Sed omnes boni Pastores in vno sunt.] Christus ipse pascit, cùm ipsi pascunt.

Idem lib. 2. de Sacerdotio. Hic (Christus) enim, inquit, [cum Apostolorum Principe verba faciens: Petre amas me, inquit, atque illo id confitente, adiungit; Si amas me pasce oues meas.] Interrogat Discipulum Magister, num ab eo ametur; non quòd ipse edocearur; (qui enim id edoceri cupiat is,cui vni mortalium omnium corda peruia sunt?) [Verùm vt nos doceat, quanta sibi curæ sit gregis huius præfectura.] Et paulò post; Etiamne nunc nobiscum contendes (inquit ad Basilium) fraudem istam tibi non bene, ac feliciter cessisse, qui per eam vniuersis Dei Opt. Max. bonis sis præficiendus? cum præsertim ea agas, quæ cùm Petrus ageret, illum Christus [auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere; Petre enim, inquit, amas me plusquam hi omnes?] Atqui illi quidem licebat verbis huiusmodi Petrum affari; Si me amas Petre, ieiunia exerce, super nudum humum dormi, vigila continenter, iniuria pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduæ item re maritorum loco habeant. Nunc verò prætermissis omnibus his, [quidnam ille ait? Pasce oues meas.] Nam quæ modò à me dicta sunt, ea complures etiam ex subditis præstare facilè possint, non viri sòlùm, sed etiam fœminæ. [At cum de Ecclesiæ præfectura, de credenda huic, vel illi tam multarum cura agitur;] vniuersa quidem mulieribus functionis istius moli, ac magnitudini cedat oportet, itemque & bona virorum pars.

S. Ambrosius lib. 10. in cap. 24. Lucæ. Non est igitur dubium credidisse Petrum, & credidisse quia dilexit, dilexisse quia credidit. Vnde, & contristatur, quia tertiò interrogatur, Amas me. Is enim interrogatur, de quo dubitatur; sed Dominus non dubitat,qui interrogabat non vt disceret, [sed vt doceret, quem eleuandus in cælum, amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat.] Sic enim habes; Simon Ioannis diligis me? Vtique tu scis Domine quia amo te; Dicit ei Iesus; Pasce agnos meos. Bene conscius sui non ad tempus assumptum, sed iamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis enim alius, qui de se hoc facilè profiteri possit? [Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.

S. Augustinus Tract. 123. in Ioannem in hæc verba: Simon Ioannis amas me? &c. Sed priùs Dominus quod sciebat interrogat, nec semel, sed iterum, ac tertiò, [vtrùm Petrus eum diligat, nec aliud totiens audit à Petro, quàm se diligi, nec aliud totiens commendat Petro quam suas oues pasci.] Redditur negationi trinæ, trina confessio,

fessio, ne minus amori seruiat lingua, quàm timori: & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium, pascere dominicum gregem: si fuit timoris iudicium negare Pastorem. Et paulò post: Meritò dicitur Petro, diligis me? & respondet, amo te: [eique refertur, pasce agnos meos, & hoc iterum, hoc tertiò.

S. Cyrillus Alexandrinus cap. 64. in Ioannem hæc eadem verba tractaos: Præueniebat alios Petrus, ardore namque præcipuè Christi feruens, & ad respondendum paratissimus erat; vnde tarditatem modò nauigij videns; tunica succinctus in mare exilijt. Et quando Saluator Discipulos interrogauit, dicens; Quem me dicunt homines esse? Quum iterum post responsionem ab eis quæreretur; vos autem quem me esse dicitis; [vt Princeps, caputque cæterorum primus exclamauit; Tu es Christus filius Dei viui.] Et statim post; Meritò [igitur eum Christus interrogauit, si plus eum cæteris diligeret, & id tertiò.] Petrus autem amare se fatetur, & amoris sui non alium, sed Christum ipsum in testem citat. In singulis autem confessionibus, variatis parumper verbis, [audiuit rationalium ouium curam sibi esse habendam.]

Maximus Taurinensis, sermone de sanctis Petro, & Paulo; Iam necessarium, inquit, reor, vt proprias eorum, specialesque virtutes prosequamur. [Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas ouiculas suas, ouesque commendat.

S. Leo epist. 89. ad Episcopos Viennensis Prouinciæ. [Cui (Petro) cum præcæteris] soluendi, & ligandi potestas tradita sit, [pascendarum tamen ouium cura specialis mandata est.

Submonitio ad Lectorem.

OMnes isti sanctissimi Patres constanter asserunt, & probant nemini ex Apostolis alij, sed Simoni Petro, qui Christum ter negauerat, quique Christum præ cæteris feruentiùs amabat, quem Christus ter nominatim interrogabat num se diligeret, agnos suos, & oues specialiter commendasse. Probat hoc etiam, & conuincit ipse Textus. Cùm enim septem essent, vt testatur Euangelista, præsentes; solum Petrum post capturam piscium, & prandium absolutum, nominatim primo, & proprio nomine, addito etiam nomine Patris, vt ab alio Simone Apostolo, qui cognominabatur Cananęus secerneretur, solù, inquam, Simonem Ioannis compellauit dicens; Simon Ioannis diligis me? additique plus his; quibus verbis iterum illum ab omnibus alijs distinguit. Et cùm nullus alius, quàm idem Simon, & vt exprimit S. Ioannes, Petrus responderet, tertiò ad trinam interrogationem respondit; eidem Simoni Petro, & nulli ex alijs, in secunda, non tertia persona respondit Christus, pasce, non pascite, agnos, & secundò pasce agnos, & tertiò, pasce oues meas. Eidem Petro statim prædicit mortis genus. Amen amen dico tibi, cum esses iunior &c. Ex quibus omnibus liquidissimum euadit, soli Simoni Petro, & nulli alij ex Apostolis, quantumuis præsentibus, Christum locutum, & interrogasse de amore sui nulli præterquàm soli Petro agnos suos, ouesque commendasse.

Exegesis, & Germana Explicatio eorum, quæ ex Patribus perperam, & corruptè allegant Hæretici.

1. SAnctus Chrysostomus non negat soli Petro specialiter agnos, ouesque suas commendasse, sed hoc non obscuris verbis ex professo, non solùm in S Ioannem scribens, sed etiam in hoc eodem libro, quem citant hæretici, asseuerat & probat, vt patet ex testimonijs à Catholicis allegatis; sed tantùm vult inde probare, omnes, qui Christum amât, curam ouium, si diuinitus ad tale munus vocentur, promptè, libenterque suscipere, & diligenter, fideliterque eamdem administrare debere quia Christus ter de amoris testimonio interrogauit Petrum, priùsquam illi oues suas curandas, pascendasque concrederet.

2. Quæ fuerit mens S. Chrysostomi, & Augustini, liquet ex testimonijs supra ex parte Catholicorum allegatis. Quod verò Augustinus dicit, omnibus dici, quod Petro dictum est pasce oues meas sanè, ritèque intelligendum est; non enim omnibus sine exceptione hoc dictum putauit sanctissimus ille Doctor, alioqui etiam omnibus laicis, imò omnibus mulieribus, imò, & pueris dictum esset, vt oues Christi pascerent, & sic omnes Pastores essent à Christo constituti; si autem omnes Pastores, vbi oues, vbi qui pasci debent? Deinde nec omnibus Pastoribus, aut Episcopis propriè, & ex proposito, illa vice, & eodem sensu asserit dixisse Christum; pasce oues meas; cùm hoc textui apertè, & reliquis Patribus, imò & ipsimet Augustino repugnet. Sed omnibus, qui ad Pastoralem functionem legitimè vocati sunt secundùm, & suo modo, iuxta vocationis suæ statum, & differentiam dictum esse, vt pascant oues suas, singuli suas, hoc est sibi commissas, Petro tamen principaliter, & tamquam supremo, ac generali totius Ecclesiæ destinato, & iam ordinato Pastori dixit Christus, vt absque exceptione oues, & agnos suos pasceret; quod nulli ex Apostolis eodum alijs, sed soli Petro, & suis ordinarijs successoribus dictum est. Hoc satis ex ipsomet Augustino tum alibi, tum hoc eodem loco colligi facilè, & euidenter poterit. Nam ante hæc verba, quæ allegantur ab hæreticis, præmittit; Non sine causa inter omnes Apostolos, huius Ecclesiæ personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiæ claues Regni Cælorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt. Et tunc subiungit: Et cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, pasce oues meas, Quare autem, & quo sensu Petrus, secundùm Augustinum, Ecclesiæ personam sustinuerit, idem S. Augustinus alibi explicat. asserens videlicet propter Apostolatus sui primatum, gessisse personam Ecclesiæ, vt ait Tractatu 124. in Ioannem: seu portasse figuram Ecclesiæ, & Apostolatus principatum tenere: vt ex Cypriaui sententia scribit lib. 2. cap. 1. de baptismo contra Donatistas. Ergo Petro tamquam primati, & Principi Apostolorum, hoc est supremo Pastori Ecclesiæ dictum est, pasce oues meas, omnes inquam oues meas: alijs verò sub Petro idem dicitur, sed

sed non tamquam primatibus, & supremis Pastoribus, sed tamquam Petri coadiutoribus, qui sub Petro singuli singulas oues fidei suæ commissas pascere, & procurare renentur. Alioquin non solùm singuli Episcopi, sed etiam singuli Pastores omnes in vniuersum oues pascere deberent, & Petro in Pastoratu essent æquales. Atqui idem Augustinus disertè ait: Quis nescit inquit, illum Apostolatus principatum (de Petro loquitur) cuilibet Episcopatui præferendum? hæresi 53. Si nullus Episcopus in cura, & officio est æqualis Petro, quantò minus simplex aliquis, & paruæ parœciæ Pastor? Et damnat Aerium hæreseos, qui dicebat presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Si nullus presbyter Episcopo potest coæquari, absque hæresi, quantò minùs Summo Pontifici, seu Pastori supremo? Idcirco ad omnes quidem dicitur, quod Petro dicitur, secundùm mentem D. Augustini, quia omnes Pastores in Petro, veluti inferiores in suo superiore continentur: sed pro eo gradu, & auctoritate ad singulos dicitur, quam sub Petro amoris Christi, vt ait S. Ambrosius, Vicario, variam, & distinctam, limitatamque singuli obtinent, quia auctore eodem Augustino sermone 24. de sanctis, [in vno Petro figurabatur vnitas omnium Pastorum.

3. Ex ipsis verbis B. Augustini, quæ allegant hæretici, Augustinus explicatur, ait enim: Multi erant Apostoli, & vni dicitur. Vni, inquit, dicitur, non omnibus, Pasce oues meas. Si non omnibus Apostolis, quomodo omnibus ad vnum, vel infimis sacerdotibus aut pastoribus? Et quomodo Petrus, vt ibidem D. Augustinus asserit, figuram corporis, id est Ecclesiæ portauit, nisi propter primatum Apostolatus, vt supra quoque monuimus, & alibi sese explicat Augustinus? Si tamquam primario & supremo Apostolo hoc est, generali pastori: quomodo eodem sensu omnes pastores censebuntur? numquid omnes supremi, & generales Episcopi, numquid omnes principes Apostolorum? Negat igitur Augustinus ita dictum esse Petro, pasce oues meas; vt non sit alijs quoque suo modo sensu dictum idipsum. Alioqui nulli essent pastores præter solum, & vnicum Petrum, quibus incumberet pascere oues quoque suas. Pascit igitur Petrus, vt supremus, & generalis pastor: pascunt quoque alij vt inferiores, & Petro subditi pastores, imò Petri adiutores, & cooperatores, quilibet secundùm mensuram suam, & suæ curæ, & sic quasi in suo supremo pastore, pascere itidem iussi sunt oues quisque suas. Huc spectat, quod hac de re Sanctus quoque Leo testatur, sermone 3. de anniuersario suæ assumptionis. [Ideo Petro hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur.

CAPVT VI.

An Christus hisce verbis: pasce agnos, pasce oues meas: Petro omnes oues absque exceptione, & vniuersam Ecclesiam commiserit, & eumdem supremum, ac generalem Ecclesiæ totius Pastorem, principem, ac Rectorem ordinauerit, sic quod secundùm promissionem factam Matt. 16. Ecclesiam suam supra Petram adificauerit.

Vera sententia Catholicorum.

Christus hisce verbis: pasce agnos, pasce oues meas, omnes Petro Christianos, & vniuersam Ecclesiam pascendam, regendamque commisit: sic enim sentiunt, & testantur Patres veteris, & primitiuæ Ecclesiæ.

Arnobius anno 290. in Africa, in ps. 138. Quod vt doceam (scilicet Petrum esse Episcoporum Episcopum à Christo constitutum: quod præmiserat) illud ostendo, quod nullus Apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus Iesus Christus dicebat: Ego sum pastor bonus. Et iterum: Me, inquit, sequuntur oues meæ. [Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus, negatori suo hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem.]

Falsa sententia Hæreticorum.

Christus hisce verbis: pasce oues meas, &c. non commisit omnes oues Petro, nec vniuersam Ecclesiam: quia sic antiqui Patres testantur.

Sanctus Gregorius lib. 4. epist. 32. & alijs quoque multis locis, detestatur nomen vniuersalis Episcopi.

Io: Chrysostomus tom. 3. in 21. cap. Ioannis in hæc verba: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. [Quid tandem, inquit Chrysostomus, alijs omissis his dumtaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & princeps, propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit:] simul vt ei ostenderet iam fiduciam sibi habendam, tanquam enim negationis obliuisceretur, [fratrum ei curam committit,] neque negationis meminit, neque exprobrat: tantùm dicit: [Si amas me fratrum curam suscipias.] Et paulò infra, in verba illa Petri: Domine hic autem quid? [Cùm magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset,] martyrium prædixisset, & maiorem erga eum dilectionem testatus esset, cum vellet Petrus Ioannem socium, & Collegam, inquit, Hic autem quid? &c.

Idem homil. 4. in acta Apostol. Erat, inquit, Petrus os omnium, causam fidei agit pro omnibus, doctrina sua instituit omnes: ipse præcipuus fidei assertor est, præcipuus catechista habetur, & primus extitit verbi concionator, & primus coegit Ecclesiam, eamque non ex Hierosolymitanis, & circumcitca

circa habitantibus Iudæis, sed ex Parthis, Medis, Phrygijs, Libycis, Ægyptijs, Arabibus, aduenis Romanis, & alijs. [Et qui omnium pastor fuit à Domino institutus,] ex omnibus nationibus cogere cepit oues: docuit eos fidem, simul & Apostolicos mores, nempe renunciare omnibus, simul conuenite in oratione, & panis à Christo edocta fractione.

Sanctus Epiphanius in Ancorato. [Hic (Petrus) est, inquit, qui audiuit, Pasce oues meas, concreditum est ouile:] id est, vniuersa Ecclesia catholica, & omnes oues, iuxta illud, fiet vnum ouile, & vnus pastor, Ioan. 10.

Sanctus Ambrosius in cap. vltim. Lucæ, tractans hæc verba; Pasce oues meas, & quę præcedunt. Petre amas me? Dominus, inquit, non dubitat, qui interrogabat, non vt disceret, sed vt doceret, [quem, eleuandus in cęlum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat.] Et paulò post: Et ideo [quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.] Maior enim omnibus charitas. Illud quoque diligentiùs intuendum, cur cùm Dominus dixerit: Diligis me, ille dixerit: Tu scis Domine quia amo te. In quo videtur mihi dilectio habere animi charitatem, amor quendam etiam conceptum corporis, ac mentis ardorem: & Petrum opinor non solùm animi, sed etiam corporis sui circa Dei cultum signare flagrantiam. Denique tertiò Dominus non iam diligis me, sed, amas me interrogauit: & iam non agnos, vt primo quodam lacte pascendos, nec ouiculas, vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.

Sanctus Leo, ferm. 1. de Ascensione Domini. Petrum, inquit, omnium Episcoporum nouerunt esse primatem. Et iterum: [Petro supra cęteros, post regni claues, oculis Domini cura mandatur.]

Idem, ferm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum: [De toto mundo, inquit, vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus pręponatur,] vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, [omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.]

Sanctus Gregorius Magnus lib. 4. ep. 32. cap. 76. Cunctis euangelium scientibus liquet, [quòd voce Dominica, sancto, & omnium Apostolorũ Petro principi Apostolorũ totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? pasce oues meas.] Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cęlis. Ecce claues regni cœlestis accepit: potestas, ac ligandi, & soluendi tribuitur. [Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur.

Theophylactus in cap. 22. Lucæ, Tu, inquit, Petre conuersus bonum exemplum pœnitentiæ omnibus eris: qui cùm Apostolus fueris & negaueris, [iterum receperis primatum omnium, & pręfecturam orbis.] Et in cap. 21. Ioannis. Finito, inquit, prandio [præfecturam ouium totius mundi Petro commendabat; non autem alij, sed huic tradidit.]

Sanctus Bernardus lib. 2. de Consideratione. [Cui, inquit, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues?] Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? Oues meas inquit. [Cui non planum, non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.] Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, [cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno pastore.

Submonitio ad Lectorem.

Ex istis Patribus à Catholicis citatis apertissimè constat Christum hisce verbis; pasce agnos, pasce oues meas, vni Petro non solùm oues aliquas, sed omnes, nullis exceptis, commendasse, sicque eum præ alijs, & super alios omnes generalem constituisse, & supremum pastorem, & actu, atque re ipsa compleuisse, quod Matthæi 16. promiserat. Hisce enim verbis super Petram, iam sua oratione, & gratia petram factum, suam vniuersam ædificauit, hoc est, illi regendam tamquam principi pastorum, commisit Ecclesiam. Sicut enim Domus innititur firmo fundamento, & ab illo regitur, & firmatur, conseruaturque: ita & Ecclesia, post Christum, qui est principale, & primarium fundamentum, pendet, firmatur, & conseruatur à visibili quoque supremo pastore & rectore. Hisce etiam verbis, vt ijdem Sancti Patres manifestè insinuant, & asserunt, promissas non vnius cęli, sed cęlorum claues, hoc est, non vnius alicuius particularis Ecclesiæ, (sicuti alijs sigillatim Episcopis concreditur) sed omnium Ecclesiarum, hoc est vniuersæ per orbem Ecclesiæ, qui in multas particulares Ecclesias, veluti membra vnius corporis, & ramos vnius arboris, extenditur & dilatatur, claues tradidit, ac donauit, sicque eum post, & sub se rectorem, & gubernatorem, ac principem summum eiusdem constituit Ecclesiæ, qui non solùm agnos, & ouiculas, hoc est, minores, & simpliciores Christianos, aut eos quoscumque, qui non sunt sacerdotes; sed etiam omnes sacerdotes, & præterea Episcopos vniuersos absq; exceptione, qui etiam respectu supremi pastoris oues censentur, pascat, hoc est, regat & moderetur secundùm dictamen, & officium boni, & fidelis pastoris, qui non tantùm pascit, ducit, & reducit oues, sed etiam regit, & ad obedientiam constringit, prout vtile, & receptum fuerit: quod, verbum pascendi includit, ideoque, & Reges, & principes sęculares subditos suos, iuxta phrasim, & sensum scripturę, pascere, hoc est, regere dicuntur. Patet etiam ex textu non aliquas, sed omnes oues commisisse Petro pascendas. Non enim dicit Christus. Pasce has, vel illas, sed oues meas, hoc est, omnes

omnes quæ meæ sunt oues, omnes intelligens, qui nullas excipit, vt Patres diligenter obseruarunt.

Exegesis, & Germana explicatio eorum, quæ ab hæreticis corruptè, & perperam alleguntur.

SAnctus Gregorius in Ioanne quodam Constantinopolitano Episcopo nomen, & titulum vniuersalis Episcopi multis modis detestatus, & persecutus fuit: non quòd ignoraret, aut negaret vniuersalem aliquem in Ecclesia à Christo constitutum esse pastorem, seu Episcopum, Petrum videlicet Apostolorum, cui omnes oues absque exceptione concreditas esse disertè fatetur & asserit: sed quòd eo sensu, quo Constantinopolitanus ille vsurpare voluit, intolerabile, & execrandum putaret: videlicet, quasi ille vnus, & solus ita esset Episcopus cēsendus, vt alij Episcopi non Episcopi, sed vnius illius, & vniuersalis tantūm vicarij haberentur, quod & indignum, & falsissimum est. Etsi enim summus Pontifex, Episcoporum sit Episcopus, hoc est, supremus Episcopus: alij tamen singuli in suo gradu & diœcesi veri sunt nihilominùs, sed inferiores, & particulares Episcopi. Voluisse autem ambitiosissimum illum Ioannem Constantinopolitanum Episcopum eo nomine, & sensu dici, atque appellari vniuersalem Episcopum, quasi ipse solus esset verè Episcopus, cæteri autem per vniuersum orbem Christianum Episcopi, non verè Episcopi, sed Vicarij tantùm, & administri sui essent censendi; ex eo patet, quod sanctiss. Greg. ad dictum Ioannem Constantinopolitanum scribens lib. 4. cap. 82. epist. 38. hoc ipsum illi obijcit, atque exprobrat. Eo tempore, inquit, quo fraternitas vestra, in sacerdotalem honorem prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem, atque concordiam inuenerit, recolit. Sed, quo ausu, quoue tumore nescio, nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum peruenire. Qua in re vehementer admiror; quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio concurrisses. Qui enim indignum re esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, [ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus apperas solus vocari.] Ex his quoque patet euidenter, quo sensu hic idem sanctissimus Pontifex epist. 32. post verba illa, quæ ex parte Catholicorum supra citata sunt, subiungat: & tamen (scilicet Petrus, licet illi, vt præcedit, cura totiùs Ecclesiæ, & principatus committatur à Christo. Matth. 16. Io: 21.) vniuersalis Apostolus non vocatur: & vir sanctissimus consacerdotes meus Ioannes (Constantinopolitanum Episcopum norat) vocari vniuersalis Episcopus conatur. Negat enim S. Petrum vniuersalem Apostolum dici, eo sensu quo Constantinopolitanus affectabat vniuersalis Episcopus nuncupari; quasi nempè solus Petrus ita Apostolus fuerit, vt non item alij similiter veri Apostoli fuerint censendi: hoc inquam negat, non autem, quòd Petrus supremus fuerit, & rector Apostolorum à Christo constitutus, quod Gregorius ibidem, & alibi multis, solidisque argumentis probauit. Hoc falso, & corrupto sensu exploso, nihil impedit credere, & asserere, S. Petrum vniuersalem fuisse Apostolum, & pastorem, seu Episcopum: quia fuit, scilicet, inter Apostolos & Episcopos principalis, & supremus Apostolus, ac Rector totius Ecclesiæ à Christo ordinatus; quo sensu, & Romanus Episcopus, S. Petri ordinariùs & legitimus successor, iure meritòque vniuersalis, hoc supremus, & generalis totius Christiani orbis, seu Ecclesiæ Catholicæ Episcopus, seù Summus Pontifex appellatur, sicuti, & generalem aliquem Gubernatorem vocamus, non qui solus sed qui summus sit inter alios, gubernator. Et hoc sensu multò ante B. Gregorium, S. Cyprianus lib. de simplicitate prælatorum rectè, ac veraciter dixit, Episcopatum in Ecclesia vnum esse, cuius à singulis Episcopis in solidum pars teneatur, hoc est, vnam esse Episcoporum ordinationem, vel vnum esse totius Ecclesiæ sub Christo visibile caput, singulos tamen Episcopos suarum quemque Ecclesiarum curam habere integram, non vicariam: sicut & Beatus Hieronymus ad Enagrium, omnes ait Episcopos eiusdem esse sacerdotij & meriti, licèt dignitate, & iurisdictione sint inpares, & alij alijs maiores, & inter omnes vnus supremus & vniuersalis, qui talem in omnes tum Christianas oues, tum etiam inferiores Episcopos, Sacerdotes, & Ecclesiæ ministros curam habet & potestatem, vt singulis tamen Episcopis, & præsulibus, atque præpositis sua maneat in suos potestas legitima, cura, atque commissis officij administratio.

CAPVT VII.

An Christus S. Petro Primatum inter omnes Apostolos contulerit, & eum Apostolorum, ac totius Ecclesiæ principem, caput, ac supremum pastorem, rectoremque ordinauerit.

Vera sententia Catholicorum.

SAnctus Petrus à Christo inter & super omnes Apostolos primas, ac princeps, caput, pastor, rectorque totius Ecclesiæ fuę constitutus fuit, & ordinatus: quia sic docent, ac restantur orthodoxi Patres primitiuę Ecclesiæ, tam græci, quàm latini.

Origenes in cap. 6. ad Romanos. [Petro, inquit, cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia,] nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi chariratis exigitur.

Sanctus Cyprianus lib. 1. epist. 3. Tom. 1. Petrus, tamen, inquit, [super quem ab eodem Domino ædificata fuerat Ecclesia.

Idem lib. 1. epist. 8. Deus, inquit, vnus est, [& vna Ecclesia, & cathedra vna super Petrum voce Domini fundata.] Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest.

Idem lib. 4. epist. 2. Cum sit, inquit, à Chri-

Christo vna Ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa: item episcopatus vnus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.

Idem, de simplicitate prælatorum, seu de vnitate Ecclesiæ. Hoc (scilicet, quod multi seducant, & seducantur in fide) ideo fit fratres dilectissimi fratres, inquit, dum ad veritatis originem non reditur, [nec caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina seruatur.] Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meã, & portę inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum; & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quęcumque solueris super terram erunt soluta & in cœlis. Et eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctũ. Si cui remiseritis peccata remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originẽ ab vno incipientẽ sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique, & cęteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædití, & honoris, & potestatis: [sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.] Et paulò post: Quam vnitatem firmiter tenenere, & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, [vt Episcopatum quoque ipsum vnum, atque indiuisum probemus.] Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescet: Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur: ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latiùs expandit: [vnum tamen caput est,] & origo vna & vna mater fœcunditatis successibus. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est, & pudica.

Falsa sententia Hæreticorum.

Apostoli inter se pares fuerunt; & Iacobus, ac Paulus Petro quoque prælati: quia sic sentiunt, & testantur primitiuæ Ecclesiæ Patres orthodoxi.

1. S.Cyprianus, de simplicitate Prælatorum, siue de vnitate Ecclesiæ: [Hoc inquit, erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.] Et citatur in decretis c. In nouo 21. dist. & io c. Sacrosancta, dist. 22. & in c. loquitur 24. quæst. 1.

2. Idem in epist. ad Quirinum. Petrus à Paulo reprehensus, non vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, [vt diceret se primatum tenere,] & obtemperari à nouellis, & posteris debere.

3. Idem in sententijs Episcoporum de rebaptizandis hæreticis. [Neque quisquam, inquit, nostrum Episcoporum se Episcopum constituit.]

4. Eusebius Cæsariensis lib. 2. Eccl. hist. cap. 1. ex Clemente Alexandrino. [Petrus, inquit, Iacobus, & Ioannes post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè Prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt.]

5. S.Chrysostomus hom. 3. in acta. Vide, inquit, Iacobi modestiam. [Is acceperat Hierosolymis Episcopi munus,] & tamen hic nihil loquitur. Considerà autem, & aliorum discipulorum singularem modestiam, [quo pacto concedunt ei solium,] nec amplius ambigunt disceptantes inter se.


6. S.Leo, serm. 3. de anniuersario assumpt. [Transiuit, inquit, in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesię Principes decreti huius constitutio commeauit.

7. Idem, sermone primo de natali Apostol. asserit Petrum, & Paulum fuisse æquales.

Idem tom. 2. in epist. ad Iubaianum. Nos autem, inquit, [qui Ecclesiæ vnius caput & radicem tenemus.] Et paulò post in eadem epist. Nam Petro, inquit, primùm Dominus, [super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit,] potestatem istam dedit.

Arnobius in psal. 138. Dicis, inquit ad Nouatum hæreticum, baptizatis non debere pœnitentibus subueniri. Ecce Apostolo pœnitenti (Petrum intelligit) succurritur, [qui est Episcoporum Episcopus:] & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est neganti. Quod vt doceam, illod ostendo, quod nullus [Apostolorum nomen Pastoris accepit.] Solus enim Dominus Iesus Christus dicebat: Ego sum pastor bonus; & iterum: Me inquit, sequuntur oues meæ. [Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter rogatus, negatori suo hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem.]

Eusebius Cæsariensis lib. 2. Eccles. hist. cap. 14. Sed non, inquit, in longum permanet fraude (loquitur de Simone Mago, qui se Deum fingebat, & Romam ingressus fuerat) quæsita diuinitas. Continuò namque in ipsis Claudij temporibus clementia diuinæ prouidentiæ, [probatissimum omnium Apostolorum & maximum, fidei magnificentia, & virtutis merito primorum principem Petrum,] ad vrbem Romam, velut aduersum humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, [ducem quendam, & Magistrum mili-



militiæ suæ, scientem diuina prælia gerere, & virtutum castra ductare.

Idem in Chronico anni Domini 44. interprete Beato Hieronymo. [Petrus, inquit, Apostolus, natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus,] eùm primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.

S. Athanasius cum omnibus orthodoxis Episcopis totius Ægypti in Synodo Alexandrina congregatis epist. ad Liberium Papam S. Petri successorem in ordine 37. Huius rei gratia [vniuersalis vobis in Christo Iesu commissa est Ecclesia,] vt pro omnibus laboretis, & eunctis opem ferre non negligatis. Et statim post: ideoque tanta vrgente necessitate summoperè comprimite [vestra summa auctoritate] infestos.

Optatus Episcopus Mileuitanus libro 2. contra Parmenianum. Cathedra, inquit, vna est, & negare non audes scire te Petro primùm in vrbe Roma esse collocatam, [vbi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno, cathedræ vnitas seruaretur,] nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vna est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus, Lino Cletus.

S. Hilarius in psal. 131. Tanta enim, inquit, religio illi (Christo) fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confessorem, [Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni ianitorem, & in terreno iudicio, iudicem cœli,] Sathanæ conuicio nuncuparet.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus cath. 2. Petrum principem Apostolorum excellentissimum vocat.

S. Ambrosius, in caput vltimum Lucæ: Quem, inquit, (Petrum intelligens) eleuandus in cœlum, [amoris sui nobis velut vicarium relinquebat. Et paulò post: Et ideò, quia solus profitetur, [omnibus antefertur.]

Idem in cap. 12. secundæ epistol. ad Corinth. [Primatum, inquit, non accepit Andreas, sed Petrus.]

Idem in 1. cap. epist. ad Galatas in illa verba: Deinde post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum. Dignum, inquit, fuit videre Petrum, [quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.]

Idem tom. 3. serm. 11. in illa verba Lucæ 5. Ascendit in vnam nauim, quæ erat Simonis. Sed videamus, inquit, quæ sit ista nauicula Simonis Petri. Et paulò post: Ergo Petri, inquit, nauim eligit, Moysi deserit: hoc est, spernit Synagogam, fidelem assumit Ecclesiam. Duæ enim quasi nauiculæ à Deo destinatæ sunt, quæ in hoc mundo, tamquam in mari, salutem hominibus piscarentur, sicut ait Dominus Apostolis: Venite faciam vos piscatores hominum. Ex his igitur duabus nauiculis vna relinquitur ad terram inanis, & vacua; altera producitur in altum onusta, vel plena. Vacua enim synagoga relinquitur in litore, quia Christum cum Prophetarum amisit oraculis. Onusta autem Ecclesia in altum assumitur, quia Dominum cum Apostolorum doctrina suscipit. Et paulò post: [Hanc igitur solam Ecclesiæ nauim ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus, dicente Domino: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Quæ nauis in altum sæculi istius ita natat, vt pereunte mundo, omnes, quos suscipit, seruet illæsos. Cuius figuram iam in veteri videmus testamento. Sicut enim Noe arca, naufragante mundo, cunctos, quos susceperat, incolumes reseruauit: ita & Petri Ecclesia conflagrante sæculo, omnes, quos amplectitur, repræsentabit illæsos. Et sicut tunc transacto diluuio ad arcam Noe columba signum pacis detulit, ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri,] Christus gaudium pacis referet: quia ipse columba, vel pax est, sicut promisit dicens: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.

S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum. Inter duodecim, inquit, [vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.] Sed cur non Ioannes electus est virgo? ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur.

S. Ioannes Chrysostomus homilia 55. in Matth. [Petrum, inquit, Ecclesiæ futuræ pastorem constituit.] Et infrà: Deus solus concedere potest, vt futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus irrumpentibus, immobilis maneat, [cui pastor, & caput, homo piscator, atque ignobilis.] Et infrà: Hyeremiam, inquit, vnigenti Pater, [hunc autem, Petrum, vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.]

Idem lib. 2. de sacerdotio. Hic enim, inquit, cum Apostolorum principe verba faciens: Petre, amas me, inquit. Et paulò post: Quum præsertim ea agas, inquit, ad S. Basilium, quæ cùm Petrus ageret, [illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere?] Petre, enim, inquit, amas me, plus quàm hi omnes?

Idem in cap. 21. Ioannis. Quid tamdem, inquit, alijs omissis, his dumtaxat Petrum affatur? [Os erat Apostolorum, & princeps,] propterea & Paulus eum visurus ascendit. Et paulò post: tantùm dicit: si amas me, fratrum curam suscipiat.

Idem homil. vlt. in Ioan. Quòd si quis percunctaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit. Responderem, hunc [Petrum totius orbis magistrum,] constituisse.

Idem hom. 3. in acta: Meritò inquit, (de Petro loquens) primus omnium auctoritatem vsurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu.] Ad hunc enim dixit Christus: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

S. Basilius, sermone de iudicio Dei, de Petro loquens: Ille, inquit, beatus, [qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claues regni cœlestis commissæ.

S. Gregorius Nazianzenus oratione de moderatione in disputationibus seruanda. Volens ostendere in omnibus rebus esse debere ordinem, argumentum sumit ab Apostolis, qui

qui etsi omnes magni essent, tamen vnum præpositum habuerunt: vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, [hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat,] ac reliqui discipuli [posthaberi se] tranquillo animo ferant.

Sanctus Epiphanius, hæresi 51. [Petrum, inquit, elegit vt dux esset Discipulorum.] Et in Ancorato: Hic est, inquit, qui audiuit, pasce agnos meos, [cui concreditum est ouile.]

Diuus Augustinus enarratione prima in psalm. 108. Quædam, inquit, dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur: nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam, [propter primatum quem in discipulis habuit.]

Idem, Tract. 56. in Ioannem. [Quis enim nesciat, inquit, primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum ?]

Idem, Tract. 66. in Euangel. Ioannis. Neque nos, inquit, cùm ista dicimus, [primum Apostolorum accusare delectat:] sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus fidat.

Idem, serm. 13. de verbis Domini. In illo, inquit, vno Apostolo, idest, Petro, [in ordine Apostolorum primo, & præcipuo,] in quo figurabatur Ecclesia.

Idem, Epist. 108. Quod autem dicitur Petrum egisse pœnitentiam, cauendum est, ne ita putetur egisse, quomodo agunt in Ecclesia, qui propriè pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat, [vt primum Apostolorum,] inter tales pœnitentes numerandum putemus ?

Idem, lib. 2. cap. 1. contra Donatistas. Puto, inquit, quòd sine vlla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. [Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum ?] Sed etsi distet Cathedrarum gratia, vna est tamen martyrum gloria. Ibidem. [In Apostolo Petro, inquit, primatus Apostolorum excellenti gratia præeminet.]

Idem quæst. ex nouo Testam. quæst. 75. Saluator, inquit, cum pro se, & Petro dari (didrachma) iubet, pro omnibus exoluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ Magisterij: [ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici.] Et paulò post: Manifestum est, inquit, [in Petro omnes (Apostolos) contineri:] rogans enim pro Petro pro omnibus rogasse dignoscitur: Semper enim in præposito populus, aut corripitur, aut laudatur.

Idem Serm. 124. de tempore, loquens de pœnitentia Petri. Totius, inquit, corporis morbum, [in ipso capite curat Ecclesiæ, in ipso vertice]componit membrorum omnium sanitatem.

S. Maximus Serm. 3. de Apostolis. Quanti ergo, inquit, meriti apud Dominum suum Petrus erat, [vt ei post naiculæ paruæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula crederentur ?]

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 64. [Vt princeps, inquit, caputque cęterorum, primus exclamat; Tu es Christus filius Dei viui. Et in Thesauro, vt citat D. Thomas in opusculo contra Græcos. Sicut Christus, inquit, accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium, dux ex Israel egrediens, super omnem principatum, & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur: sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit, [& nulli alij, quàm Petro Christus, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.]

S. Leo serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum [De toto mundo, inquit, vnus eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur,] vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique Pastores, [omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.] Ibidem. Pro fide, inquit, Petri supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, [si mens principis victa non fuerit.]

Idem serm. 1. de Ascensione Domini, [Petrum, inquit, omnium Episcoporum nouerunt esse primatem.] Et iterum: [Petro supra cœteros, post regni claues, ouilis Domini cura mandatur.]

Arator in cap. 1. act. Cui tradidit, inquit (de B. Petro loquens) Agnus. Quas passus saluauit oues, totumque per orbem, [hoc auget Pastore gregem,] quo munere summus, surgit &c.

S. Gregorius lib. 4. epist. 32. ad Mauritium [Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet, quòd beatissimo, & omnium Apostolorum Principi Petro, dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est.] Et infra: Ecce, inquit, claues Regni cęlestis accepit; potestas ei ligandi, atque soluendi tribuitur, [cura ei totius Ecclesiæ, & primatus tribuitur.]

Beda homil. in vigilia S. Andreæ in illud Ioannis 1. Intuitus eum, &c. Vidit, inquit, cordis eius simplicitatem, vidit animi sublimitatem, [cuius merito cunctæ esset præferendus Ecclesiæ.]

Idem homil. in festo Petri, & Pauli: Ideò inquit, B. Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, [specialiter claues regni cęlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit,] vt omnes per Orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales, nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi.

Theophylactus in cap. 22. Lucæ in illud: Confirma fratres tuos: Planus, inquit, huius intellectus is est, [Quia te habeo, vt principem Discipulorum,] postquam, negato me, fleueris, & ad pęnitentiam veneris, confirma cęteros, hoc enim docet te, [qui post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum.] Et infra: Tu Petre conuersus, inquit, bonum exemplum pęnitentiæ eris omnibus, qui cum Apo-

Apostolus fueris, & negaueris, [iterum receperis primatum omnium, & præfecturam Orbis.]

Oecumenius in 1. act. Surgit, inquit, Petrus, non Iacobus, & velut feruentior, [& velut is, cui discipulorum præsidentia commissa erat.]

S.Bernardus Epist. 237. ad Eugenium: Locus, inquit, in quo stas, terra sancta est, [locus Petri est, locus principis Apostolorum,] vbi steterunt pedes eius: locus [illius est, quem constituit Dominus Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.]

Idem lib. 2. de consideratione ad eumdem. Instar Domini, inquit, loquens de S.Petro, gradiens supra mare, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet:] siquidem aquæ multæ, populi multi.

Euthymius in cap. vlt. Ioannis in illa verba: Simon Iona diligis me plus his? Simon, inquit, fili Iona diligis me plusquam hi? [hunc autem solùm interrogat, tamquam principem, & os discipulorum:] Et infra: in illa verba. Pasce agnos, pasce oues meas; Christus quidem, inquit, terna vice interrogans, & idem iubens, [manifestat se maximi facere præsidentiam super discipulos suos.] Et paulò post: Agni, itaque, & oues, inquit, dicuntur discipuli, propter simplicitatem, & promptitudinem ad hoc, vt immolentur. Et rursum agni quidem imperfectiores, oues autem perfectiores. [Petro itaque pascendi curam, ac gubernationem committit.] Et infrà: Deindè parabolicè prænuntiat ei mortis genus, quod per crucem esset, & ipse moriturus: ostendens quod non tamquam ignorans, aut illi non credens dicebat, quæ dicebat, cum optimè nosset feruorem dilectionis eius erga se: [sed vt & ipse, & omnes cognoscerent, quòd plurimi faceret præsidentiam super discipulos suos,] veluti superiùs significatum est. Et iterùm paulò deinceps, inquit in illa verba, sequere me: Hinc rursum ostendit, quod præ cæteris sibi familiarem eum faciat, ac ampliori dignetur honore,] vt etiam promptior fiat. Quòd si quis dicat: Quomodo ergo Iacobus Hierosolymitanam accepit sedem? Dicemus, [quod Petrus Orbis constitutus est] præceptor. Et infra: in illa verba hic autem quid? Nam, qui tunc, inquit, in cena videlicet, ausus non erat interrogare, sed dilecto discipulo ad hoc vtebatur: [hic non solùm præsidentiam erga fratres, sibi commissam accepit,] verùm etiam de dilecti statu confidenter interrogat.

Hugo Etherianus lib. 3. cap. 17. de processione Spiritus sancti. Ex ipsa, inquit, rei euidentia liquidò apparet, [quòd Petrum, eiusque successorem Christus Principem, & caput, non modò latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septemtrionis vniuersi, verùm etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Medianitarum, & totius Orientis, & meridiani climatis in perpetuum constituit.

Submonitio ad Lectorem.

Viginti isti sex tum Orientis, tum Occidentis celeberrimi Patres, qui in primitiua Ecclesia diuersis temporibus, & locis floruerunt, & præfuerunt adeò constanter, & apertè testantur, Christi auctoritate, & ordinatione S.Petrum cęteris Apostolis omnibus, & vniuersæ Ecclesiæ Prælatum, & principem, ac supremum Pastorem, & sub Christo caput, ac Vicarium, rectoremque constitutum, mirum vt sit, homines adeò cæcos, ac stupidos inueniri posse inter Christianos, qui tam sacro, & vnanimi testimonio, omni exceptione maiore, intellecto, adhuc de Primatu S.Petri, & summa in Ecclesiæ Christiana sub Christo præsidentia, ac præfectura ambigere ampliùs possint, vel ausint: maximè cum istis testimonijs tam sæpè quoque, & manifestè sacra etiam, quàm illi secuti sunt (vt viuam traditionem non commemorem) scriptura astipuletur. Vt enim pręclara illa, & sole clariora testimonia, quæ iam pertractauimus, & iuxta sensum, & consensum primitiuæ Ecclesiæ, illustrauimus, Matth. 16. Lucæ 22. Io. 21. non repertam; nonne & alia noui testam. loca nequaquam obscura, hoc ipsum probant, & demonstrant quoque? Cui enim Apostolorum aliud proprium nomen indidit ipsimet Christus, quàm Simoni huic, quem statim, vt accessit, Syriaca lingua, qua loquebatur Christus, Cephas, quod græcè petram, seu Petrum, latinè ingens, seu immobile saxum sonat, nuncupandum dixit? Ioann. 1. Euangelista etiam Matthæus, nonne Petrum Apostolorum primum disertè appellat, cùm Apostolorum nomina recenset? Duodecim, inquit cap. 10. Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus: quid apertius? sic & Marcus 3. Lucas 6. & act. 1. quando duodecim Apostolorum nomina describunt, Petrum semper, qui priùs Simon vocabatur, ante alios primo loco ponunt, & licèt cæterorum Apostolorum nomina, quando alibi ab Euangelistis referuntur, promiscuè subindè, & mutato ordine collocantur, Petro tamen semper, quando cum alijs nominatur, primum locum concedunt, & numquam, nisi primo loco, & ordine ponunt, non solùm quando omnium Apostolorum nomina simul ordine exprimunt, verùm etiam, vbi duo tantùm, aut plures, non tamen omnes nominantur. Non admisit quemquam sese sequi, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, vt habetur Marci 5. Lucæ 8. Misit Petrum, & Ioannem, Lucæ 22. Assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, Matth. 17. Interrogabant eum Petrus, Iacobus, & Ioannes, & Andreas Marci 13. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo Ioan. 21. Similiter quando dictum aliquid, vel actum fuisse ab Apostolis describunt Euangelistæ, Petrum tamquam Patremfamilias, ducem, os, aut primum cæterorum inducunt. Ita dicitur Marci 1. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum eo erant, Lucę 8. Dixit Petrus, & qui cum eo erant. Lucę 9. Petrus, & qui cum illo erant. Marci 16. Dicite discipulis, & Petro. Act. 2. Stans Petrus cum vndecim. Ibid. Dixerunt ad Petrum, & reliquos Apostolos. Actor. 5. Petrus, & Apostoli dixerunt. Huc spectat, quod nullus Apostolorum cum Christo super aquas ambulauit, nisi solus Petrus: Matth. 14.

pro

Pro nullo Apostolorum iussit Christus tributum solui, quàm pro se, & Petro. Da (inquit Christus Matth.17.) illis pro me, & te. Quando igitur Christus post vltimam cœnam dixit ad Apostolos, cùm de primatu inter sese disceptarent; Qui maior est vestrum fiat sicut iunior, & qui præcessor est, sicut ministrator, Lucæ 22. quid aliud voluit significare, quàm inter Apostolos maiorem aliquem, & præcessorem, seu Ducem futurum? imò iam designatum, & destinatum esse? Et quis ille obsecro inter Apostolos fuit, quàm sanctus Petrus? vt iam firmis satis, & euidentibus comprobatum fuit argumentis: & ipsemet sanctissimus Apostolus euidenter satis, actuque demonstrauit, quando post Christi ascensionem primus, & solus, tamquam Apostolorum Primas, & totius ouilis supremus Pastor, de alio Apostolo in locum traditoris Iudæ subrogando proposuit, Actor. 1. quando post acceptum Spiritum sanctum in die Pentecostes primus omnium promulgauit Euangelium, & reliquos Apostolos à calumnia, & suspicione ebrietatis, vindicauit, & vna concione tria milla hominum conuertit, & reliquis Christi ouibus aggregauit, Act. 2. sicut & postea, quinque quoque milla alia quoque concione itidem Christo lucratus fuit, Act. 3. & 4. in Ananiam, & Saphiram Coniuges, propter grande delictum publicè, & acriter animaduertit, Act. 5. & in primo Apostolico, ac generali Concilio tamquam os, & Caput, Princepsque cæterorum primus sententiam suam dixit, Act. 15. vt alia non pauca, quibus prælatura Petri, & prærogatiua inter omnes Apostolos satis elucet, breuitatis ergò, silentio prætercam. Superest igitur, vt ad corruptelas hæreticorum, quas SS. Patribus perperam intellectis, aut studio deprauatis affingunt, paucis quoque respondeamus.

Exegesis, & Germana Explicatio, ac conciliatio Patrum, quos hæretici perperam, & deprauatè allegant.

1. SAnctus Cyprianus paulò post sese satis explicat: subiungit enim statim post verba, quæ allegant aduersarij: sed, exordium, inquit, ab vnitate, (scilicet supremi Pastoris) proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Et ante hæc verba, quæ citant hæretici, statim præmiserat: Omnibus quidem Apostolis post resurrectionem dixisse Christum; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit. Et in Epistola ad Iubaianum, illam vnitatem ita explicat, vt dicat vni Petro, tamquam supremo Pastori, & rectori, seu fundamento Ecclesiam esse commissam Petro, inquit, primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem illam dedit. Pares igitur fuerunt Apostoli, quia omnes Apostoli, & Apostolico honore, ac potestate pariter à Christo dotati, sed non pares inter sese, quoad supremum pastoratum, sed Petrus vnus inter omnes, & super omnes supremus Pastor, & sub Christo capite, ac Princeps cæterorum, & omnium Christi fidelium, vt vnitas seruaretur, & schisma vitaretur, à Christo electus, designatus, & constitutus, atque confirmatus fuit. Videantur ad longum testimonia ex Cypriano à Catholicis citata, & quæ supra quoque hac de re ad eamdem obiectionem sunt allata.

2. S. Cyprianus non negat S. Petrum primatum habuisse inter, & super omnes Apostolos, quod alibi tam sæpè, & apertè asserit: sed sicut Petrum, cùm reprehenderetur à Sancto Paulo ob factum quoddam minus discretum, cùm potuisset, noluisse tamen, allegare primatum suum contra Paulum inferiorem, sed ex humilitate illam reprehensionem à Paulo, bono zelo factam, æquanimiter tulisse, iuxta illud quò maior est, eò te magis humilia. Hanc esse sententiam S. Cypriani, quæ præcedunt, & sequuntur coarguunt; & præterea ex D. Augustino, qui hæc contra Donatistas allegat, manifestè colligitur. Idem Cyprianus, (inquit lib. 2. cap. 1. de baptismo Augustinus) in Epistola ad Quintum, seu Quirinum, ita loquitur. Nam nec Petrus, [quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam,] cùm secum Paulus de circumcisione disceptaret, postmodum vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se Primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potiùs debere, &c. Et paulò post: Ecce, inquit, vbi commemorat Cyprianus, [quod etiam nos in scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratiæ præeminet, &c.

3. Hoc Cyprianus ex humilitate dixit, vt inquit, & testatur quoque D. Augustinus lib. 2. cap. 2. de baptismo contra Donatistas, cùm tamen ipse esset in Africa primus, & inter Episcopos supremus ibidem. Non tamen negat esse aliquem supremum totius orbis Episcopum, quod disertis verbis asseuerat, lib. 4. Epistol. 2. item lib de simplicitate, seu vnitate prælatorum asserit, & demonstrat vnum esse, supremum videlicet, Episcopum, & Episcoparum; vti ex testimonijs supra ascriptis patet. Deinde dicit: nemo nostrum, se ipsum scilicet, Episcoporum Episcopum constituit, in controuersia illa videlicet, de rebaptizandis hæreticis, vt aliorum saniori iudicio sese anteponat, & supremum sibi arroget iudicium, cùm id non particularium erat, sed supremi istius Episcopi, qui se non ipsemet, sed quem Christus constituit, & ordinauit fidelem seruum super familiam suam, supremum, ac vnicum Pastorem generalem super gregem suum, vt esse posset vnus Pastor, & vnum ouile.

4. Quæ sit sententia de primatu, & supremo pontificatu Petri, ex allegatis eius testimonijs supra manifestum est: quod verò hìc ex Clemente Alexandrino asserere videtur, quasi Petrus, & Ioannes Iacobo principatum detulerint, & Apostolorum fecerint Episcopum: factum est ex corrupta translatione, & editione Basiliensi: græcus enim codex tàm Vaticanæ Bibliothecæ, quàm Parisiensis, non Apostolorum, sed Hierosolymorum Episcopum habet, & sic quoque citat eumdem auctorem Nicephorus lib. 2. cap. 3. Illum autem

Episcopatum cùm primis nobilem, atque adeò ex particularibus, propter Christi mortem, & exordium Ecclesiæ ibidem tunc temporis nobilissimum, propter insignem Iacobi pietatem, & sanctitatem, eidem præ alijs ea industria commendarunt primores Apostoli; ea quo non impugnatur, nedum negatur, sed ostenditur etiam, & stabilitur primatus Petri, & supremus totius Ecclesiæ, ac vniuersalis Episcopatus.

5. Tam clarè, ac sæpè S. Chrysostomus primatum S. Petri, & supremam in vniuersum ouile Christi præsidentiam, ac potestatem asserit, sicut ex allegatis ipsius testimonijs liquet, vt mirum sit hæreticos audere hunc Patrem contra primatum Petri allegare. Non loquitur autem Chrysostomus de solio, ac cathedra totius Ecclesiæ, in allegatis verbis ab aduersarijs nostris, sed de solio vnius particularis Ecclesiæ, Hierosolymitanæ scilicet: quid hoc contra cathedram summam, & primatum Petri? Nonne Chrysostomus sese satis explicat, in cap. 21. Ioannis in illa verba: sequere me. Quibus verbis, inquit, iterum curam, & familiatem in eum affectum ostendit. Quòd si quis percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit? Responderem, hunc Petrum (attende) totius orbis Magistrum constituisse, quid clarius? Quin & post verba illa, quæ nobis obijciunt aduersarij, subiungit de S. Petro Chrysostomus, homil. 3. in acta. Meritò, inquit, primus omnium auctoritatem vsurpat in negotio, (vt qui omnes habeat in manu.) Ad hunc enim dixit Christus: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

6. Idem S. Leo ibidem sententiam suam satis manifestè exponit, cùm dicit: Si quid cum eo commune cæteris Christus voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum Petrum dedit, quidquid alijs non negauit. Et in Epistol. 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. Inter beatissimos, inquit, Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis, [& cùm omnium par esset electio, vni commendatum est, vt cæteris præmineret.] Impudens igitur est mendacium, S. Leonem nullum inter Apostolos agnouisse, aut S. Petri super cæteros negasse primatum, quem in eodem sermone, quàm maximè, & ea industria probat, & allegat sæpiùs, vt patet ex testimonijs eiusdem supra adscriptis.

7. Sermone primo de natali Apostolorum, sic inquit, ter sanctus Leo. Hos gratia Dei, (loquitur de SS. Petro, & Paulo) in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum: de quorum meritis, atque virtutibus nihil diuersum, nihil debemus sentire discretum, quia illos, & electio pares, & labor similis, & finis fecit esse æquales; hactenus ille. Quid hæc contra primatum, & supremum Pastoratum Petri, quem toties, & tam luculenter asserit alibi? Summi vtiq; fuerunt Apostoli, Petrus, & Paulus, & in electione Apostolatus, sicut & meritis, ac martyrio pares, sed tamen fuit, & mansit solus Petrus summus, & supremus Pastor, sicuti in Epistola 84. quam paulò ante allegauimus asserit, idque ex Christi dono, & ordinatione. De simili paritate intelligendus, quoque venit S. Maximus sermone vltimo de SS. Apostolis Petro, & Paulo. Ergo, inquit, beati Petrus, & Paulus eminent inter vniuersos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt: verùm inter ipsos quis cui proponatur, incertum est. [Puto enim illos æquales esse meritis, quia æquales sint passione.] Et quæ S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. vltimo dicit: Paulus, inquit, Apostolus Petro Apostolorum primo, in principatu Apostolico frater est. Nam, vt S. Maximus illos meritis, & passione æquales asserit: ita S. Gregorius disertè Petrum Apostolorum primum asserens, Paulum eidem in principatu Apostolico (quibus verbis vtique inter Apostolo principatum fuisse satis fatetur, & agnoscit, vt taceam, quæ supra à Catholicis ex hoc S. Pontifice allegata fuerunt de Petri primatu) non æqualem, nedum superiorem, sed fratrem, hoc est, familiarissimum, & fidelissimum, ac primarium adiutorem asseuerat, qua significatione etiamnum summus Pontifex subinde (sicuti præterea etiam ex humilitate) inferiores Episcopos, aut Cardinales, suos fratres appellare consueuit.

CAPVT VIII.

An B. Petrus Romæ fuerit, & ibidem Epistolam suam priorem conscripserit.

Vera sententia Catholicorum.

Sanctus Petrus Romæ fuit, & ibidem Epistolam suam priorem conscripsit: quia sic testantur orthodoxi Patres Ecclesiæ primitiuæ.

Falsa sententia Hæreticorum.

Petrus nunquam fuit Romæ, nedum Epistolam suam ibidem scripsit: quia sic orthodoxi primitiuæ Ecclesiæ Patres testantur.

Eusebius Cæsariensis lib. 2. cap. 15. Eccles. histor. Papias, inquit, & hoc dicit, quod [Petrus, vt prima Epistola sua, quam de Vrbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babylona, nominarit, cum dicit: Salutat vos ea, quæ in Babylone est electa Ecclesia, & Marcus filius meus.

S. Hieronymus tom. 1. de viris illustribus, in vita S. Marci. Et Papias, inquit, Hierapolitanus Episcopus, meminit huius Marci, [& Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans:] Salutat vos, quæ in Babylone cum electa, & Marcus filius meus.

S. Beda in Commentarijs in Epistol. 1. Petri, cap. 5. In illa verba: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. [Babylonem, inquit, typicè Romam dicit,] videlicet propter confusionem multiplicis idolatriæ. In cuius medio sancta Ecclesia iam rudis, & perparua fulgebat, iuxta Exemplum plebis Israeliticæ, quæ quondam parua numero, & captiuata supra flumina Babylonis sedens, absentiam sanctæ terræ deflebat, nec canticum Domini in terra aliena can-

cantare valebat. Et benè beatus Petrus dum suos auditores ad tolerantiam hortatur aduersitatum præsentium, dicit & Ecclesiam quæ secum est, in Babylone constitutam, id est, in confusione tribulationum. Et tamen coelectam eam esse affirmat, vt ostendat sanctam Dei ciuitatem in hac vita à permixtione, & pressura ciuitatis diaboli, quam Babylonia significat, immunem esse non posse. Marcum autem filium suum Euangelistam dicit, qui eius in baptismate dicitur filiùs effectus. [Vnde patet, quod priusquam Marcum Alexandriam de Roma ad Euangelizandum mitteret, Epistolam hanc scripsit.] Tempore autem Claudij principis, & Petrus, & Marcus Romam venerunt, & ipse Marcus, descripto Romæ Euangelio suo, Alexandriam missus est. Vnde colligitur, [quia Epistolam hanc Petrus, dum quæritur, vbi, vel quando scripserit, locus erat Roma, tempus Claudij Cæsaris.

Submonitio ad Lectorem.

HI Patres apertè, atque vnanimiter testantur S. Petrum Romæ Epistolam suam primam scripsisse, quibus astipulantur, & alij orthodoxi Patres, quotquot in priorem Petri Epistolam sunt commentati. Romæ autem scripsisse non potuit, si Romæ non fuit: Quod verò ciuitatem Romam, Babylonem vocat, non Ecclesiam, quæ tunc temporis Romæ electa, & collecta, sed adhuc, vt Beda inquit, paruula, & tenera erat; ideo fecit quin tunc temporis, cùm S. Petrus primùm Romæ Euangelium Christi prædicare, & Ecclesiam ædificare cœperat, Roma adhuc erat mater, & protectrix omnifariæ idolatriæ, & confusio errorum, & variarum abominationum, & vt S. Leo ait, in primo sermone de natali Apostolorum Petri, & Pauli, cùm omnibus dominaretur gentibus omnium gentium seruiebat erroribus. Ideo etiam S. Ioannes cap. 18. in Apocalyps. Romanam Vrbem, vt erat tempore Apostolorum sub impijs, & idolatris Imperat. & maximè sub Nerone, & Domitiano Babylonem vocat, & euertendam asserit quatenùs talis: iubetque Christianos exire de illa, ne participes delictorum eius, & plagarum fierent; quod vt exponit D. Augustinus in breuiculo collationis, collatione tertia, corde, non corpore fieri oportebat. Præcipit enim Ioannes vt populus Dei, hoc est, Christiani, qui tunc temporis cùm adhuc Ethnicismus Romæ regnabat, Romæ erant, non coniungantur cum Ethnicis, & idololatris morum, & vitæ similitudine, tametsi in eadem Vrbe, cum illis corporaliter esse, aut habitare possent. Constat enim propter hæc verba Ioannis Christianos Vrbem Romam non deseruisse, aut illa exiuisse corporaliter: quòd vtique fecissent, & facere debuissent, si de loco mutando, & non de infidelium consortio, & contagio vitando Euangelistam intellexissent. Vnde patet, quàm iniquè, & sacrilegè hæretici hunc locum in Ioanne de Babylone Roma ad Romanam Ecclesiam, & modernum Vrbis statum, quando iam tota est ad Christianam fidem, laus Deo, conuersa detorquent, vt illam Christianis exosam reddant, atque abominabilem: & tamen in S. Petri Epistola Babylonem non Romam; sed Vrbem quandam Babylonis nomine celebrem in Ægypto, aut apud Assyrios confingunt, ac impudenter mentiuntur contra sensum, & consensum SS. Patrum: tantùm, vt fateri non cogantur, Petrum vnquam Romæ fuisse, quod ideo, nostro potissimùm seculo, contra communem SS. Patrum, & totius Ecclesiæ fidem, ac testimonium incredibili impudentia negant, & inficiantur, ne fateri, & admittere cogantur, Romanam Ecclesiam à Petro fundatam, & Romanum Episcopum Petri esse, in Episcopatu, & Pontificatu supremo, ordinarium successorem. Sed quos Patres orthodoxos in medium afferunt, qui Petrum non Romæ, sed vel in Ægypto, vel Assiria Epistolam suam primam scripsisse affirmant? Nullos certè producunt, nec producere etiam possunt, ideoque opus non est exegesin aliquam, aut conciliationem, seu refutationem subiungere.

CAPVT IX.

An S. Marcus, S. Petri discipulus, & interpres, Euangelium suum Romæ, vt S. Petrum illud prædicantem audiuit, conscripserit, & S. Petrus idipsum Romæ approbauerit, & Ecclesiæ commendauerit,

Vera sententia Catholicorum.

SAnctus Petrus, S. Marci Euangelium Romæ conscriptum, Romæ etiam approbauit: quia sic testantur primitiuæ Ecclesiæ Patres orthodoxi.

Falsa sententia Hæreticorum.

NEc Marcus Romæ Euangelium suum scripsit, nec Petrus illud ibidem approbauit; quia sic testantur orthodoxi Patres.

Eusebius lib. 2. cap. 15. Ecclesiasticæ historiæ. Igitur, inquit, cùm Romanæ Vrbi clarum verbi Dei lumen fuisset exortum, Simonis quidem tenebræ, cum suo auctore restinctæ sunt. Sermo autem veritatis, & lucis, qui per Petrum prædicabatur, vniuersorum mentes placido illustrauit auditu, ita vt quotidiè audientibus eum, nulla vnquam satietas fieret. Vnde neque auditio eis sola suffecit, [sed Marcum Discipulum eius omnibus precibus exorant, vti ea, quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scripturæ traderet,] quò domi, forisque in huiuscemodi verbi meditationibus permanerent: Nec priùs ab obsecrando desistunt, quàm quæ orauerant, impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundùm Marcum dicitur Euangelium. Petrus verò, vt per Spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto, delectatus est, fidem eorum per hæc, deuotionemque considerans; factumque confirmauit, & in perpetuum legendam Scripturam Ecclesijs tradidit. Clemens in sexto dispositionum libro, hæc ita gesta esse describit. Cuique simile dat testimonium etiam Hierapolites Episcopus, nomine Papias.

S. Irenæus lib. 3. cap. 1 s. contra hæreses. Quapropter, inquit, & [Marcus interpres, & sectator Petri, initium Euangelicæ couscriptionis fecit sic, &c.

S. Hieronymus in Cathalogo scriptorum Ecclesiasticorum in vita S. Marci Euangelistę. (Marcus, inquit, discipulos, & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue scripsit Euangelium. Quòd cum Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit, sicut Clemens in *hipotiposeum* libro scribit. Et Papias Hierapolitanus Episcopus meminit huius Marci.

S. Epiphanius lib. 2. contra hæreses, hæresi 51, Statim porro, inquit, Matthæum insecutus est Marcus, [iussus à S. Petro Romæ Euangelium ædere :] & vbi scripsisset, mittitur à S. Petro in Ægyptiorum regionem.

Beda in vltimum caput prioris Epistolæ sancti Petri. Vnde paret, inquit, quod priusquam Marcum Alexandriam de Roma ad Euangelizandum mitteret, (S. Petrus) Epistolam hanc scripsetit. [Tempore autem Claudij Principis, & Petrus, & Marcus Romam venerunt, & ipse Marcus descripto Romæ Euangelio suo, Alexandriam missus est.

Submonitio ad Lectorem,

SI S. Marcus discipulus, & interpres, atque sectator S. Petri Euangelium suum Romæ ad instantiam Christianorum, vti ex ore S. Petri audierat, conscripsit, & S. Petrus idipsum Romæ approbauit; vti ex Eusebio, Beda, & S. Hieronymus; Eusebius verò ex Clemente Alexandrino, qui circa annum Domini ducentesimum claruit, & praeterea ex S. Episcopo Papia, qui auditor fuit, & discipulus S. Joannis Euangelistæ probat; probatissimum vtique & clarissimum est, Petrum Romæ personaliter fuisse: Et quia nec hic habent hęretici vllos, quos opponant probatos, atque orthodoxos veteris Ecclesiæ Patres, idcirco vlteriore exegesi, aut refutatione opus non est. Pergimus igitur ad vlteriores, & euidentiores demonstrationes, quòd S. Petrus non solùm Romæ fuit, sed etiam Romanos primùm ad fidem conuertit prædicatione Euangelij, & præter alia miracula, confucationem, & expugnationem Simonis Magi, præterea Romæ quoque Episcopatum gessit supremum, ibidemque Cathedram fixit Pontificalem, & eamdem, vsque ad mortem crucis administrauit.

C A P V T X.

An Sanctus Petrus primus omnium prædicauerit Romanis, & Ecclesiam ibi fundauerit, etiam antequam eò S. Paulus veniret.

Vera sententia Catholicorum.

SAnctus Petrus primus Romæ Euangelium prædicauit, & fidem ibidem, atque Ecclesiam plantauit, etiam antequam Apostolus Paulus eò veniret: quia sic orthodoxi primitiuæ Ecclesiæ Patres testantur.

S. Irenæus lib. 3. cap. 3. contra hæreses. Sed quoniam valdè longum est, inquit, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerate successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, [à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ,] eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem, vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo. vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam prætetquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. [Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam.] Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in his, quæ sunt ad Timotheum Epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, [qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet. Non solus enim, adhuc multi supererant, tunc ab Apostolis docti.

Falsa sententia Hæreticorum.

PEtrus nunquam fuit Romæ, nedum primus ibidem prædicauit: sed Barnabas Apostolus eos primus conuertit: quia sic testantur veteres Patres.

1. S. Clemens Romanus, discipulus Petri, lib. 1. recognitionum, testatur [Barnabam Apostolum tempore Tiberij Romæ prædicasse.

2. Tertullianus in Apologetico, testatur Romæ fuisse [Christianos etiam Tiberij tempore.

3. Orosius lib. 7. historiæ cap. 4. Tyberius, inquit, cum suffragio magni fauoris retulit ad senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi priùs secundùm morem delatum esset, vt de suscipiendo cultu prius decerneret, consecrationem Christi ręcusauit, edictoque constituit [exterminandos esse Vrbe Christianos.]

4. Dorotheus Episcopus Tyri, in Synopsi in vita septuaginta Discipulorum, de S. Barnaba, inquit, cum Paulo verbi Dei minister constitutus, primus Romæ Christum prædicauit,] & postea Mediolanensium Episcopus factus est.

5. Platina in vita Christi, etiam testatur [tempore Tiberij Romæ fuisse Christianos.]

Eusebius lib. 2. cap. 14. eccles. hist. Sed non in longum, inquit, permanet fraude quæsita (scilicet per Simonem Magnum) diuinitas. Continuò namque in ipsis Claudij temporibus, [clementia diuinæ prouidentiæ probatissimum omnium Apostolorum, & maximum, fidei magnificentia, & virtutis merito primorum principem Petrum, ad vrbem Romam, velut aduersum humani generis communem perniciem repugnaturum deducit,

cit, Ducem quemdam, & Magiſtrum militię ſuæ, ſcientem diuina prælia gerere, & virtutum caſtra ductare.] Iſte adueniens ex orientis partibus, vt cœleſtis quidam negotiator, mercimonia diuini luminis, ſi quis ſit comparare paratus, aduexit, [& ſalutaris prædicationis verbo primus in vrbe Roma euangelij ſui clauibus ianuam regni cœleſtis aperuit.] Et cap. 15. Igitur, inquit, [cùm Romanæ vrbi clarum verbi Dei lumen fuiſſet exortum,] Simonis (Magi) quidem tenebræ cum ſuo auctore reſtinctæ ſunt. Sermo autem veritatem & lucis, [qui per Petrum prædicabatur, vniuerſorum mentes placido illuſtrauit auditu, ita vt quotidiè audientibus eum, nulla vnquam ſatietas fieret.

Arnobius in pſal. 106. [In deſerto, inquit, huius ſæculi perambulans (ſcilicet Petrus, de quo ibi loquitur) quouſque perueniret Romam:] prædicauit baptiſmum Ieſu Chriſti, in quo vniuerſa flumina benedicuntur, vſque hodiè à Petro. Ipſe poſuit exitus aquarum in ſiti, itaut qui exierit foras ab Eccleſia Petri, ſiti pereat. Poſuit terram in ſalſuginem. Sicut ſalſugo terram à fructu reuocat: ita litera mundi à fructu ſpirituali reuocat mentes. [Sed per Petrum in ſalſugine literarum poſitam Romam, fecit eam fructum afferre.]

S.Epiphan. hereſ. 27. quę eſt Carpocratis. Etenim, inquit, [in Roma fuerunt primi, Petrus, & Paulus, Apoſtoli] ijdem, ac Epiſcopi, deindè Linus, deindè Cletus, deindè Clemens, qui contemporaneus fuit Petri, & Pauli.

S.Chryſoſtomus in Pſalm. 48. [Piſcator Petrus, quoniam Ciuitatem maximè Regiam occupauit,] etiam poſt mortem reſplendet ſole clariùs.

Idem homil. 1. in Epiſt. ad Rom. Atqui, inquit. [Petrus quoque prædicauerat Romę:] verùm, quæ ille geſſerat, Paulus pro ſuis reputat.

Paulus Oroſius lib. 7. hiſtoriæ cap. 6. Exordio, inquit, regni Claudij, [Petrus Apoſtolus Domini Noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis fidem fideli verbo docuit,] potentiſſimiſque virtutibus approbauit, [atque exindè Chriſtiani Romæ eſſe cęperunt.]

Theodoretus in cap. 1. ad Romanos. [Primus, inquit, eis (Romanis) magnus Petrus doctrinam Euangelicam præbuit.]

S. Leo ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli. Iſti enim ſunt viri, inquit (Apoſtolos Petrum, & Paulum intelligens) [per quos tibi Euangelium Chriſti Roma reſplenduit,] & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. [Iſti ſunt patres tui, verique Paſtores, qui te regnis cęleſtibus inſerendam, multò melius, multòque feliciùs condiderunt,] quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt. Et paulò poſt: Verbum igitur, inquit, caro factum ita diuinam naturam, naturæ vniuit humanę, vt illius ad infima inclinatio, noſtra fieret ad ſumma prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum diuina prouidentia præparauit: cuius ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina, & contigua eſſet vniuerſitas. Diſpoſito namque diuinitùs operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen Ciuitatis. Hæc autem Ciuitas ignorans ſuæ prouectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Vndè quantum erat tenaciùs per diabolum illigata, tantùm per Chriſtum eſt mirabiliùs abſoluta. Nam cùm duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent: [beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet.] Cuius autem nationis homines in hac, tunc Vrbe non eſſent, aut quæ vſquam gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hìc conculcandæ Philoſophiæ opiniones, hìc diſſoluendæ erant ſapientiæ vanitates, hìc confutandi dæmonum cultus, hìc omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. [Ad hanc ergo Vrbem tu beatiſſime Apoſtole Petre venire non metuis,] & conſorte glorię tuę Paulo Apoſtolo, aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus occupato, [ſiluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceanum, conſtantior quàm cùm ſupra mare gradereris, ingrederis.] Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras ſacerdotis ancillam. Numquid autem iudicio Pilati, aut ſæuitia Iudæorum minor erat, vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis, vis amoris: nec æſtimabas terrori cedendum, dum horum ſaluti conſulis, quos ſuſceperas alendos. Hunc ergò intrepidæ charitatis affectum, iam tunc profectò conceperas, quando profeſſio tui amoris in Dominum, trinæ interrogationis eſt ſolidata myſterio. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæſitum eſt, quàm vt paſcendis eius, quem diligeres, ouibus cibum, quo ipſe eras opimatus impenderes. Augebant quoque fiduciam tuam tot ſigna miraculorum, tot dona chariſmatum, atque experimenta virtutum. Iam populos, qui ex circumciſione crediderant, erudieras: iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primùm Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Euangelicę prædicationis impleueras; nec aut dubius de prouectu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, [trophæum Crucis Chriſti, Romanis arcibus inferebas, quò te diuinis præordinationibus ante ibant, & honor poteſtatis, & gloria paſſionis.] Ad quam B. Coapoſtolus tuus, vas electionis, & ſpecialis magiſter gentium Paulus occurrens, eodem tibi conſociatus eſt tempore, quo iam omnis innocentia, omnis pu-

pudor, omnisque libertas sub Neronis laborabat imperio.

Gregorius Turonensis lib. 1. hist. cap. 25. Ab illis (inquit) diebus (quo Petrus videlicet, tempore Claudij, Romam ingressus, & Euangelium prædicare exorsus erat, vt præmittitur) [Christiani apud Ciuitatem Romanam esse cœperant.]

Theodosius Imperator, C. de Summa Trinitate, & de fide Catholica. L. cunctos populos: Cunctos, inquit, populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus Religione versari, [quam B. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio vsq; adhuc insinuata declarat.]

Submonitio ad Lectorem.

EVidentissimè patet ex grauissimis istis, & clarissimis Patribus, quos citant Catholici, S. Petrum Romanis primùm prædicasse Euangelium, eosque ad fidem conuertisse, itant ibi primùm, post Petri aduentum, & doctrinam, Christiani esse cœperint. Quod verò Irenæus asserere videtur, quasi Petrus, & Paulus simul Romanam Ecclesiam fundarint, & ita primi fuerint fidei plantatores, vt & Epiphanius dicere videtur, & S. Leo quoque in exordio sermonis in natali Apostolorum; commodè est intelligendum. Fundarunt enim duo isti Apostoli Romanam Ecclesiam, sed successiuè non simul: nam Petrum omnium primum ibi prædicasse, & ordinasse Ecclesiam apertissimè testantur cæteri Patres, quos allegant Catholici: & patet quoque ex primo capite Epistolæ ad Romanos, vbi restatut Paulus ante aduentum suum, & priusquam Epistolam istam scribebat, fidem Romæ fuisse plantatam, atque ita accreuisse, & floruisse, vt in toto Orbe annunciaretur. Epiphanius etiam non dicit, quòd simul eodem tempore fuerint Petrus, & Paulus seminatores fidei Romæ, sed primi Apostoli, & Episcopi, quia successiuè Ecclesiam illam ædificarunt, & confirmarunt: prior Petrus, posterior Paulus, tùm scripto absens, tum verbo prædicationis postea coram S. verò Leo consequenter seipsum satis declarat in eodem sermone, cum palam testatur S. Petrum tempore Claudij, Paulo adhuc alijs Ecclesijs ordinandis occupato, Romam primùm fuisse ingressum, & Euangelio Christi illustrasse, & Paulum demùm sub Nerone ad Romanam Arcem occurrisse, & Petro operam suam auxiliumque in plantando promouendoque Euangelio coniunxisse, & tunc simul Ecclesiam dudum à Petro ędificari cœptam latiùs, & cum maiore incremento confirmasse.

Exegesis, & Germana explicatio Patrum, quos perperam allegant Hæretici.

1. ETsi libri isti recognitionum certę non sunt, nec indubitatæ auctoritatis, nec constet S. Clementem Pontificem S. Petri successorem illos, itaut nunc extant conscripsisse: tamen non impugnat, nedum infringit sententiam Catholicorum, tot tantisque clarissimorum Patrum testimonijs fundatam: nam, etsi dicat Barnabam Romæ fuisse, & prædicare cœpisse; testatur tamen ibidem, non diù hæsisse Barnabam, nec fructum aliquem fecisse Romæ, sed mox in Iudæam redijsse. Verùm igitur nihilominùs manet, S. Petrum Romanis, cum fructu, & miraculorum operatione, primùm prædicasse, & eosdem conuertisse per Euangelium, & non nisi post Petri prædicatum, & signis diuinis confirmatum Euangelium, Romæ esse cœpisse Christianos, & fundatam fuisse Ecclesiam. Id quod idem B. Clemens in epistola prima ad Iacobum fratrem Domini, quam certò constat Clementem habere ante auctorem, non obscurè testatur, cuius verba non pigebit ascribere: Notum, inquit, tibi facio Domine, quia Simon Petrus (qui veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est; qua de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus, cui & primò Deus Pater Filium reuelauit, cui & competenter beatitudinem contulit, qui & vocatus est, & electus, & conuiua Domini, & comes effectus, tamquam bonus, & probatissimus discipulus, qui obscuriorem mundi plagam occidentis, velut omnium potentior, illuminare præceptus est, quique & integrè potuit implere præceptum. Sed quousque sermonem protraham, refugiens indicare, quod triste est? quòd quidem necesse est, licèt tardè, proferre) Hic denique ipse Petrus, qui pro immensa charitate, quam erga omnes homines gerebat, palàm cum omni fiducia, adnetsante etiam Tyranno totius mundi, bonum prædicare non destitit: [& regem omnium sęculorum per orbem terræ, & vsque ad Romanæ Vrbis huius notitiam, vt etiam ipsa saluaretur, inuexit.]

2. Non dicit Tertullianus, tempore Tiberij fuisse Christianos Romæ: sed potiùs contrarium asserit, quando refert Tiberium ad Senatum retulisse, quæ de Christo à Pilato erant transcripta. Si Christiani fuissent, & Christi doctrina ibi nota, non opus erat, tamquam rem eousque incognitam, aut ex Pilato demùm intellectam, ad Senatum deferre, sed Christi nomen iam pridem, & Tyberio innotuisset, & Senatui, populoque Romano.

3. Orosius secutus est Tertullianum: sed hoc addidit, Senatus edicto cautum, & mandatum fuisse, Christianos Vrbe esse exterminandos, non vtique, qui tunc erant, quia, vt idem Orosius eodem lib. cap. 6. testatur, post prædicationem Petri demùm Romæ esse cœperunt Christiani: sed qui in posterum ibi futuri, aut deprehendendi essent.

4. Dorothæus (cuius tamen Synopsis plenè non approbatur, sed in multis falsissima deprehenditur, & falsò ei, qui fuit Tyri Episcopus, ascribitur) libros recognitionum secutus fuit; qui vt apocriphi censentur, ita catholicæ veritati in hoc non officiunt, siquidem recensent quoque Barnabam Romæ nullos conuertisse, & sic frustra, & nec quicquam prædicasse.

5. Platina Orosium secutus, & non satis intelligens, aut, quæ idem lib. 7. cap. 6. scribit, attendens, falsus est, & in errorem prolapsus, sicut, & alibi non rarò; itant ipsius auctoritas non magni sit ponderis, nec tanti facienda, vt tot tantisque grauissimorum scriptorum, & Patrum testimonijs anteferri debeat.

CA-

CAPVT XI.

An S. Petrus Romæ Simonem Magum, hæreticorum patrem, ac principem confutarit, & Dei verbo, ac virtute extinxerit.

Vera sententia Catholicorum.

SAnctus Petrus Romæ tamdem Simonem Magum confutauit, & vicit, atque extinxit; quia sic primitiuæ Ecclesiæ Patres constanter testantur.

S. Clemens B. Petri discipulus, & successor lib. 6. cap. 7. constitutionum Apostolicarum. Nouæ, inquit, hæreses à Simone Samarita habuerunt exordium. Et cap. 8. Cùm Petrus in Cæsarea stratonis tertiò cum Simone de prophetia, Deique monarchia disputasset, illum virtute Domini repressum in Italiam fugere compulit. Et cap. 9. narrat quomodo Romæ eumdem Simonem Ecclesiam Dei vehementer perturbantem, & euertentem multos, & tamdem in aere volantem orationibus suis Petrus, magno fragore corruentem, & fracta coxendice confusum, victumque in terram prostrauerit.

Falsa sententia Hæreticorum.

PEtrus Romæ numquam fuit, nec Simonem Magum ibi aut confutauit, aut deuicit; quia sic testantur veteres, & orthodoxi Patres.

S. Augustinus epist. 86. ad Casulanum. Est quidem inquit, & hæc opinio plurimorum; quamuis eam falsam esse perhibent plerique Romani, quod Apostolus Petrus, cum Simone Mago die dominica pugnaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem vrbis Ecclesia ieiunauerit, & consecuto tam prospero, gloriosoque successu, eumdem morem tenuerit, cùmque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ, &c.

Hegesippus qui vicinus fuit Apostolorum; clatuit enim anno Domini 160. lib. 3. de excidio Hierosolymorum cap. 2. Erant, inquit, tunc temporis Romæ Petrus, & Paulus, doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui virtute suorum operum, Neronem aduersum fecerant, captum Magi Simonis delinimentis, qui sibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentum victoriæ, subiectiones gentium, vitæ longæuitatem, salutis custodiam fecalibus artibus pollicebatur, atque illi credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum: quandoquidem etiam præsulem suæ salutis, vitæque custodem arbitrabatur. [Sed vbi Petrus eius vanitates, & flagitia detexit, & species illum verum mentiri, non solidum aliquid, aut efficere demonstrauit, ludibrio habitus, & digno consumptus est mœrore. Et quamuis in alijs terrarum partibus Petri esset expertus potentiam, tamen petueniens Romam,] ausus est iactare, quod mortuos resuscitaret. Defunctus erat id temporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris, cum vniuersorum dolore. Admonuere plerique experiendum vtrùm posset resuscitari. [Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: [sed apud gentiles nulla facti huiusmodi deferebatur fides. [Dolor exegit remedium, pertectum est ad Petrum.] Fuere qui etiam Simonem accersendum putarent; vterque affuerunt. Ait Petrus Simoni: qui se de sua iactaret potentia, priores sese partes dare: vt si posset mortuum resuscitare: Si ille non resuscitaret, se non defuturum, vt Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon qui putaret apud vrbem gentilium plurimum suas valituras artes, conditionem proposuit: vt si ipse resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui magnam potentiam (sic enim appellabatur) lacessendo, iniurias irrogasset: sin verò præualuisset Petrus in Simonem, pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus; adorsus est Simon; accessit ad lectulum defuncti; incantare atque immurmurare dira carmina vt cœpit, visus est caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quod iam viueret, quod loqueretur cum Simone. Ita & indignatio in Petrum, quod ausus esset conferre se tantæ potestati. S. Apostolus poposcit silentium, & dixit: Si viuit defunctus, loquatur; si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur: Fantasma illud esse, non veritatem, quod videatur caput monisse. Denique, inquit, separetur Simon à lectulo, & tuue ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, manet sine specie motus alicuius, qui mortuus erat. Astitit Petrus longiùs, & intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: Adolescens surge, sanet te Dominus Iesus. Et statim surrexit adolescens, & locutus est, & ambulauit, & cibum sumpsit, & dedit eum Petrus matri suæ. Qui cum rogaretur, vt ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur ab eo, qui fecit cum resurgere; cuius nos serui sumus. Secura esto mater de filio, non verearis, habet custodem suum. Et cùm populus in Simonem insurgeret, vt lapidaretur, ait Petrus: satis est ad pœnam eius, quod cognoscit artes suas nihil valere: viuat, & Christi regnum crescere videat, vel inuitus. [Torquebatur Magus Apostoli gloria.] Collegit sese, atque omnem excitans carminum suorum potentiam, congregat populum, offensumque se dicit à Galilæis, relicturum se vrbem, quam tueri soleret. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus inueheretur; cui, quando vellet, cœlum pateret. Conscēdit statuto die Montem Capitolinum, ac se de rupe deijciens volare cœpit. Mirari populus, & venerari: plerique dicentes Dei esse potentiam non hominis, qui cum corpore volitaret: nihil tale fecisse Christum. [Tunc Petrus in medio stans ait: Iesu Domine; ostende ei, vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste, qui crediturus est, decipiatur. Decidat Domine, sic tamen, vt nihil se potuisse, viuens recognoscat. Et statim in voce Petri, implicatis remigijs alarum, quas sumpserat, corruit, nec examinatus est, sed fracto, debilitatoque crure, Aritiam concessit, atque ibi mortuus est.] Quo comperto, deceptum se Nero, & destitutum dolens, tanti

tanti casum amici, sublatumque sibi virum vtilem, & necessarium reipublicæ, indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret.

Arnobius lib. 2. contra gentes. Ipsam, inquit, apud Dominam Romam, in qua cùm homines sint Numæ Regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ. [Viderant enim cursum Simonis Magi, & quadrigas eius, Petri ore difflatas, nominato Christo euanuisse. Viderant, inquam, fidentem dijs falsis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus iacuisse præfractis.]

Tertullianus de præscriptionibus. Simonianæ, inquit, Magiæ disciplina Angelis seruiens, vtique & ipsa inter idololatrias deputabatur, [& à Petro Apostolo damnabatur.] Et paulò post: Si Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est. [Felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt:] vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.

Eusebius Cæsariensis lib. 2. Eccles. hist. cap. 13. Denique, inquit, supradictus Magus, Simon, veri luminis fulgore perculsus, cæcitatem continuò malè mentis incurrit: quippe qui iam, & priùs in Iudæa per Apostolum Petrum, de his, quæ gerebat sceleribus confutatus, transmarinam aggressus est fugam, & ab Oriente ad Occidentem, vsque pertendit, nusquam sibi vitam, nisi in fugæ præsidio sperans. Is igitur vrbem Romam ingressus, vtens adminiculo assistentis sibi, & adhærentis dæmoniacæ virtutis, quam *paredron* vocant, breui tempore in tantùm malorum peruenit profectum, vt etiam simulacri à ciuibus Romanis tamquam Deus, honore potiretur. Et cap. 14. Sed non in longum permanet fraude quæsita diuinitas. [Continuo namque in ipsis Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentiæ probatissimum omnium Apostolorum, & maximum fidei magnificentia, & virtutis merito primorum principem Petrum, ad vrbem Romam, velut aduersum humani generis communem perniciem repugnaturum, deducit,] Ducem quemdam, & Magistrum militiæ suæ, scientem diuina prælia gerere, & virtutum castra ductare. Iste adueniens ex Orientis partibus, vt cœlestis quidam negotiator, mercimonia diuini luminis, si quis sit comparare paratus, aduexit, & salutaris prædicationis verbo, primus in vrbe Roma Euangelij sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit. Et cap. 15. Igitur eùm Romanæ vrbi clarum verbi Dei lumen fulsisset exortum, [Simonis quidem tenebræ cum suo auctore restinctæ sunt.]

S. Cyrillus Hierosolymitanus in catechis. 6. Petrus, & Paulus, inquit, cùm essent præsides Ecclesiæ, [Simonem Magum in aerem vehiculo dæmonum sublatum, per concordem orationem deiecerunt in terram. Neque mirum; Petrus enim erat, qui claues regni cœlorum portabat:] & Paulus, qui in tertium cœlum raptus fuerat.

S. Damasus in pontificali in vita Petri: Petrus, inquit, cum Simone Mago multas disputationes habuit, tam coram Nerone Imperatore, quàm coram populo. Et quos beatus Petrus ad fidem Christi congregabat, ille per magias; & deceptiones segregabat; [& dum diutiùs altercarentur, Simon diuino nutu interemptus est.]

S. Ambrosius in oratione in Auxentium: [Petrus victo Simone, cùm præcepta Dei populo ruminaret, doceret castimoniam: excitanit animos gentilium.] Quibus eum quærentibus, deprecatæ sunt animæ Christianæ, vt paulisper cederet. Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine quò vadis? Respondit Christus: venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus, ad suam crucem diuinum pertinere responsum.

Hieronymus de viris illustribus in Simone Petro. Simon Petrus, inquit, filius Ioannis, prouinciæ Galilææ, viro Betsaida, frater Andreæ, Apostoli, & princeps Apostolorum: post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithinia, [secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit.]

S. Epiphanius tom 2. hæresi 21. Quomodo vero tempore quodam per successionem, naturæ debitum in Romanorum vrbe persoluisse reperitur, (loquitur de Simone Mago) quando in media Romanorum vrbe miser ille collapsus mortuus est?]

Pacianus Episcopus, qui claruit in Hispania circa annum Domini 350. in epist. 2. ad Sympronianum. [Nonne Simonem Petrus, Iudice astipulante, confundit.]

Sanctus Augustinus lib. de hæresibus ad Quod-vult-Deum hæresi 1. Iouem se credi volebat, (loquitur de Simone Mago) Mineruam verò meretricem quamdam Selenem, quam sibi socium scelerum fecerat, imaginesque, & suam, & einsdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ tamquam Deorum simulacra, auctoritate publica constituerat. [In qua vrbe B. Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit.]

Idem contra Fulgentium Donatistam. Petrus Ananiam, inquit, & Saphiram eius vxorem mendaces occidit; [& Simonem Magum tàmdiu persecutus est, donec morte perimeret.

Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum: Simon Magus Romanos suis præstigijs, tanta admiratione affecit, vt etiam ænea columna honoraretur. [Sed rursùs veniens diuinus Petrus fraudis, eum pennis nudauit.] Qui cùm eum tandem in miraculorum certamen prouocasset, & diuinæ gratiæ, & præstigiarum discrimen ostendisset, [omnibus Romanis videntibus, cum ex magna altitudine peturbauit, cùm orasset:] & qui miraculum viderant, eos cœpit ad salutem.

Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ. [Namque eo tempore,] inquit, (imperante videlicet impijssimo, & impudentissimo, crudelissimoque Nerone) [apud Vrbem Religio inualuerat, Petro ibi Episcopatum gerente,]

& Pau-

& Paulo, postea quàm ab iniusto præsulis iudicio Cæsarem appellauerat, Romam deducto, ad quem tum audiendum plures conueniebant, qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebrò ediderant, permori, ad cultum Dei sese conferebant. [Etenim tum illustris illa aduersùs Simonem, Petri, ac Pauli congressio fuit. Qui cùm magicis artibus, vt se Deum probaret, duobus suffultus dæmonijs euolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante disruptus est.]

Submonitio ad Lectorem.

Tam apertè, tamque constanter præclari isti, & exceptione maiores Patres primitiuæ Ecclesiæ, qui diuersis temporibus, & in diuersis Orientis, & Occidentis partibus claruerunt, & Ecclesiæ Dei præfuere, testantur S. Petrum Romę Simonem Magum confutasse, expugnasse, & extinxisse; vt impudentissimum esse oporteat, qui hoc, post mille quingentos annos, in dubium vocare, nedum pertinaciter negare ausit. Quod autem plerique Petrum, & Paulum Simonem volare tentantem deiecisse, & expugnasse, maior verò pars, Petrum hoc suis effecisse orationibus, & iussu, asseuerant, mirum non est, neque inuicem pugnant. Vtrumque enim Apostolum orasse, vt Deus magias, & præstigias sceleratissimi istius impostoris confunderet, & cum auctore extingueret, non ambigitur: quia tamen S. Petrus principalis fuit, & præcipuus, iam à multis annis, Simonis oppugnator, & persecutor, & Petrus Episcopatum gerebat Romæ, ac totius Ecclesiæ, & principaliter cum Simone congressus fuerat, & dæmonibus, vt eum desererent, in Iesu nomine imperauerat, idcircò etiam præcipuè, & à quibusdam Patribus, solius Petri in hac expugnatione mentio fit, illique principaliter eadem adscribitur. Si autem Petrus Romæ Simonem Magum omnium hæreticorum coriphæum, & patentem oppugnauit, & extinxit, quomodo non constare, aut verum esse potest, quod Romæ numquam fuit?

Exegesis, & Germana explicatio D. Augustini, quem perperam hæretici, atque corruptè allegant.

Quæ fuerit D. Augustini germana, & indubitata sententia de confutatione, & expugnatione Simonis Magi, Romę per S. Petrum diuina virtute facta, ex testimonio eius à Catholicis supra ex libro hæresum allegato, liquidissimum euadit. Quapropter cum in epistola ad Casulanum, quam citant hæretici, opinionem esse incertam de contentione Petri cum Simone Mago, dicere videtur, fit ex prauo illius loci intellectu. Nihil enim minus S. Augustinus sensit; sed sicut cęteri grauissimi auctores constanter asserunt historiam esse veram, & rem haud dubiè gestam, idipsum, & ille testatur apertissimè, & indubitanter in lib. ad Quoduult Deum: Quia verò quidam etiam addebant disputationem illam, & victoriam, quam Petrus contra Simonem habuit, die contigisse dominica, & pridie fuisse propterea ieiunatum, & idcircò esse Sabbati ieiunium in Ecclesia latina consequenter institutum hoc S. Augustinus in illa epistola disputat, & opinionem potiùs esse falsam insinuat, vt verba allegata satis produnt: interim quòd Petrus Romæ cum Simone disputarit, & eum superarit; vt omnes supra citati Patres vnanimiter testantur, & ipsemet Augustinus quoque asserit; nequaquam impugnat, aut vllo modo falsam esse, aut dubiam opinionem asserere voluit, vt prudens, & cordatus lector ipsemet, collatis hinc indè, quæ allegantur, colligere, atque expendere poterit.

CAPVT XII.

An S. Petrus, Dei voluntate, & ordinatione, Romam venerit, ibique sedem fixerit, & tandem martyrio crucis affectus sit.

Vera sententia Catholicorum.

Sanctus Petrus Dei voluntate, & iussu Romam venit, ibique Sedem Episcopalem fixit, & mortuus fuit; quia sic Orthodoxi veteris Ecclesiæ Patres testantur.

Falsa sententia Hæreticorum.

Sanctus Petrus numquam fuit Romæ, nedum Dei iussu eò venerit; quia sic testantur veteres Patres.

Sanctus Marcellus primus Pontifex, & martyr anno Domini 304. in epistola ad Antiochenos. Petri, inquit, sedes primitùs apud vos fuit: quæ iubente Domino Romam translata est.

Eusebius lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. Continuò namque, inquit, in ipsis Claudij temporibus, [clementia diuinæ prouidentiæ probatissimum omnium Apostolorum, & maximum, fidei magnificentia, & virtutis merito primorum principem Petrum, ad Vrbem Romam, velut aduersùm humani generis communem perniciem repugnaturum, deducit.]

S. Leo serm. 1. de natali Apostolorum Petri, & Pauli. Nam cùm duodecim Apostoli, inquit, accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent: [Beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperij; vt lex veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite, per totum mundi corpus diffunderet. Et paulò post: Iam populos (Sanctum Petrum per apostrophen alloquitur) qui ex circumcisione crediderant, erudieras: iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouectu operis, aut de spacio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Christi, Romanis arcibus inferebas,

[quò te, diuinis præordinationibus, antelbant, & honor potestatis, & gloria passionis.]

S.Maximus serm. 1. de natali Apostolorum Petri, & Pauli: vbi mundus, inquit, caput habebat imperij, [ibi regni sui principes] (Petrum, & Paulum intelligit) collocauit.

Egesippus lib. 3. cap. 2. de excidio Hierosolymitano. Victus, inquit, fletibus populi Petrus cessit: promisit se Vrbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cœpit, Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum dixit; Domine quò vadis? [Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione.]

S.Ambrosius oratione in Auxentium. Nocte, inquit, muro egredi cœpit (S.Petrus) & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait, Domine quò vadis? [respondit Christus: venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus, ad suam crucem diuinum pertinere responsum.]

S. Athanasius in Apologia pro fuga sua, de Petro ait: [Cùm audisset se oportere Romæ martyrium subire, non abierit eam profectionem, sed cum gaudio Romam venit.]

S. Gregorius in 4. psalm. pœnitentialem. [Petro ait; (Christus) venio Romam iterum crucifigi:] qui enim in se ipso iampridem crucifixus fuerat, [in Petro iterum se crucifigendum dicebat.]

Submonitio ad Lectorem.

EX his Patribus constat non solùm Romæ fuisse, & mortuum esse, atque crucifixum S.Petrum; sed etiam Deo sic volente, imò ordinante, atque disponente id factum esse: quod etiam probè sciens S. Petrus, & intrepidus Romam venit, & sponte, lubensque, cùm ad instantiam plebis Christianæ exire Vrbem cœpisset, iterum ingressus est, vt iuxta Christi voluntatem ibidem, tamquam Christi Vicarius, & personam referens, propter Christum, & sic Christus in seipso tamquam Vicario crucifigeretur. Et cum non habent hæretici vllos veteris Ecclesiæ Orthodoxos Patres, qui contrarium asserant, aut vllo verbo negent, inficianturque non opus est vlteriùs ad eorum obiecta quicquam amplius respondere.

CAPVT XIII.

An Sanctus Petrus sub Nerone Romæ crucifixus fuerit eodem tempore, quo Sanctus Paulus ibidem decollatus est.

Vera sententia Catholicorum.

SAnctus Petrus Romæ sub Nerone propter Christum crucifixus, mortuus, & sepultus fuit, eodem tempore, quo ibidem Sanctus Paulus decollatus est: quia sic Orthodoxi primitiuæ Ecclesiæ Patres testantur.

Sanctus Clemens martyr, discipulus Petri, & ex ipsius ordinatione in Episcopatu Romæ successor, in epistol. ad Iacobum fratrem Domini. Hic denique Petrus, inquit, qui pro immensa charitate, quam erga omnes homines gerebat, palàm cum omni fiducia, aduersante etiam tyranno totius mundi, bonum prædicare non destitit: [& Regem omnium sæculorum per Orbem terræ, & vsq; ad ipsius Romanæ Vrbis huius notitiam, vt etiam ipsa saluaretur, inuexit: Hic inquam, pro pietate pati volens, præsentem vitam finiuit.] In ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum positus, apprehensa manu mea repente consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Audite me fratres, & conserui mei, [quoniam, vt edoctus sum ab eo, qui misit me, Domino, & magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat,] Clementem hunc Episcopum vobis ordino.

Falsa sententia Hæreticorum.

SAnctus Petrus Romæ numquam fuit, nec ibi, sed Hierosolymis crucifixus; quia sic testantur Orthodoxi Ecclesiæ primæuæ Patres.

1. S.Chrysostomus in cap.23. Matthæi, in illa verba Christi, ad primores Hierosolymitanos, Ecce ego mitto ad vos, &c. & ex illis occidetis, & crucifigetis. Intelligit, inquit, Apostolos, & qui cum Apostolis fuerunt.

2. Hieronymus in eumdem locum. Obserua, inquit, iuxta Apostolum varia esse dona discipulorum Christi, alios prophetas, qui nouerunt quando debeant proferre sermonem; alios scribas in lege doctissimos; ex quibus lapidatus est Stephanus, [Paulus occisus, crucifixus Petrus.]

3. Nicolaus Liranus in eumdem locum. Ex eis occidetis, sicut Iacobum fratrem Ioannis, & Stephanum, & multos alios: & crucifigetis, vt Petrum, & Andream fratrem eius &c.

Dionysius Corinthiorum Episcopus, qui centum annis post Apostolorum mortem floruit (vt refert Eusebius lib. 2. cap. 25.) cùm Romæ esset, & de scripturis disputaret, inter alia dixit: [Sed & vos habentes commonitionem à Petro; & Paulo,] plantationem Romanæ, & Corinthiorum Ecclesiæ coniunxistis. Ambo etenim simul aduentantes, & in nostra Corinthiorum Ecclesia docuerunt, [& per omnem Italiam, atque in hac Vrbe simul docentes, etiam martyrio pariter vno, eodemque tempore coronati sunt.]

Caius, seu Gaius, scriptor & ipse perantiquus, quippe qui Dionysio præfato annis tantùm quinquaginta posterior fuit (vt ibidem citat Eusebius, lib. videlicet 2. cap. 25.) vt historiam de morte horum Apostolorum, quæ in opinione erat omnium suo tempore confirmationem redderet. Ego, (inquit Gaius, cum Zepherino Episcopo Romano aduersùs Proculum quemdam Cataphrygam disputans, & hæc de Apostolorum locis commemorans) [habeo trophæa Apostolorum, quæ ostendam.] Si enim procedas via regali, quæ ad vaticanum ducit, aut via Ostiensi, [inuenies trophæa defixa] (intelligit corpora,

pora, & monumenta Apostolorum) [quibus ex vtraque parte statutis Romana communiter Ecclesia.]

Egesippus, & ipse vicinus Apostolorum temporibus, lib. 3. historiæ de excidio Hierosolymitano cap. 2. postquam descripsisset deiectionem, expugnationem, & mortem Simonis Magi Romæ ad preces, & iussionem S. Petri factam, subiungit: Quo comperto (scilicet quòd Simon extinctus esset) deceptum se Nero, & destitutum dolens, tanti casum amici, sublatumque sibi virum vtilem, & necessarium Reipublicæ indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat, quo sancti vocarentur Apostoli Petrus, & Paulus. Denique dato, vt comprehenderetur, præcepto, Petrus rogabatur, vt aliò sese conferret. Resistebat ille, dicens, nequaquam se facturum, vt tamquam metu mortis territus crederet, bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset: non mortem illam, sed immortalitatem futuram, tamquam indignum, vt ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos doctrina sua compulerit se hostias pro Christo offerre, [deberi sibi secundùm Domini vocem, vt & ipse in passione sua Christo gloriam, atque honorem daret:] hæc & alia Petrus obtexere: sed plebs lacrymis quærens ne se relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium destrueret: victus fletibus Petrus, cessit: promisit se Vrbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cœpit. Vbi ventum est ad portam, vidit sibi Christum occurrere, & adorans eum dixit: Domine, quò vadis? Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quòd in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis; non vtique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. [Et conuersus in Vrbem redit, captusque à persecutoribus cruci adiudicatus, proposuit, vt inuersis vestigijs cruci affigeretur, quòd indignus esset, qui simul modo crucifigeretur, vt passus est Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Christus prædixerat, vel quia persecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa; & ipse, & Paulus, alter cruce, alter gladio, necatus est.]

Origenes lib. 3. in Genesim, vt citat Eusebius lib. 3. cap. 1, historiæ Ecclesiasticæ. [Et Petrus, inquit, ad vltimum in Vrbe Roma commoratus, ibi & crucifixus est,] deorsum capite demerso, quod ipse ita fieri precatus est, ne exæquari Domino videretur.

Tertullianus de præscriptionibus. Si Italiæ, inquit, adiaces, habes Romam, vndè nobis quoque auctoritas præstò est. [Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Domini adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.]

Eusebius Cæsariensis lib. 2. hist. Ecclesiast. cap. 25. Igitur Nero, vt apertum se hostem diuinitatis, pietatisque professus est, [ipsorum priùs Apostolorum, quippe qui Duces, & signiferi erant in populo Dei, expetit neces, & Paulum quidem capite in ipsa Vrbe Roma, Petrum verò crucis patibulo condemnat. Horum testimonium quærere extrinsecùs, superfluum puto, cùm rem gestam, insignia vsque in hodiernum, & splendidissima eorum monumenta testentur.]

Idem in chronico anni septuagesimiprimi à Christo nato: Primus, inquit, Nero, super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, [in qua Petrus, & Paulus gloriosè Romæ occubuerunt.]

Lactantius Firmianus lib. 4. diuinarum institutionum cap. 21. Christus, inquit, decedens aperuit discipulis suis futura omnia, [quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt.] Et infra: [Cùm eos Nero interemisset,] Iudæorum nomen, & gentem Vespasianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerant.

Sanctus Athanasius Apologia pro fuga sua. [Petrus, inquit, & Paulus, cùm audissent se Romæ oportere martyrium subire,] non abiecerunt eam profectionem, sed cum gaudio abierunt.

Sanctus Chrysostomus homil. 32. in Epist. ad Romanos. Non ita cœlum, inquit, splendescit, quando radios suos sol ex se dimittit, [quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades] (SS. Petrum, & Paulum ibi mortuos, & sepultos intelligit) [vbique terrarum effundens.] Hinc rapietur (in generali resurrectione) Paulus, hinc Petrus. [Considerate, & videte, quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet ex terra illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri.]

Theodoretus Epistol. ad Leonem Pontificem, de Roma loquens: [Habet, inquit, communium Patrum, & veritatis Doctorum Petri, & Pauli sepulcra,] quæ fidelium animas illuminant.

Sanctus Ambrosius in oratione contra Auxentium, quæ habetur lib. 5. Epist. de Petro loquens, Nocte, inquit, muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi ait: Domine, quò vadis? [Respondit Christus; venio Romam iterum crucifigi: intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum.] Et infra: [Statimque correptus, per Crucem suam honorificauit Dominum Iesum.]

Sanctus Hieronymus de viris illustribus in Petro: Simon Petrus, inquit, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum, idest, decimum quartum [Neronis annum, à quo & affixus cruci, coronatus est, capite ad terram verso.]

Sanctus Augustinus lib. 1. cap. 2. contra Iulianum. Puto, inquit, tibi eam partem orbis sufficere debere, [in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare.] Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentem se audire voluisses, iam tunc periculosam inuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.

Item sermone 3. in festo Apostolorum Petri, & Pauli, Puto, inquit, illos (Petrum, & Paulum) æquales esse meritis, qui æquales sunt passione: & simili eos fidei deuotione vixisse. [quos simul videmus ad martyrij glo-

riam perueniffe.] Non enim fine caufa putemus factum, [quod vna die, vno in loco, Tyranni vnius tolerauere fententiam. Vna die pafsi funt, vt ad Chriftum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeffet: fub vno perfecutore, vt æqualis crudelitas, vtrumque conftringeret.] Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perfecutor decretus eft pro virtute. [Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt fancti Apoftoli? In Vrbe Roma,] quæ principatum tenebat, & caput obtinet nationum, fcilicet, vbi caput fuperftitionis erat; illic caput quiefceret fanctitatis: & vbi gentilium Principes habitabant, ibi Ecclefiarum morerentur Principes.

Idem lib.1.cap.10. de confenfu Euangeliftarum. Merita Petri,& Pauli [propter eumdem paffionis diem, celebriùs,& folemniùs Roma commendat.

Maximus ferm. 5. de Natali Apoftolorum: [Petrus inquit,& Paulus martyrium pertulerunt in Vrbe Roma,] quæ principatum, caput obtinet nationum, fcilicet vbi caput fuperftitionis erat, illic caput quiefceret fanctitatis.

Sulpitius lib. 2. facræ hiftoriæ. Diuina, inquit, apud vrbem religio inualuerat, Petro ibi Epifcopatum gerente, & Paulo poftea Romam deducto. Et infrà: Paulus, ac Petrus capitis damnati, [quorum vni ceruix gladio defecta, Petrus in crucem fublatus eft.]

Orofius lib. 7. hift.facræ. Nam primus (Nero) Romæ Chriftianos fupplicijs,& mortibus affecit, ipfumque nomen extirpare conatus eft; [beatiffimos Chrifti Apoftolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

Eutropius lib.7. in vita Neronis. Denique, inquit, omnibus flagitijs fuis etiam hoc addidit, [quòd fanctos Dei Apoftolos Petrum, Paulumque trucidauit.]

S. Leo ferm. 1. de Natali Apoftolorum. Hodierna, inquit, feftiuitas, præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, fpeciali,ac propria noftræ vrbis exultatione veneranda eft, [vt vbi præcipuorum Apoftolorum glorificatus eft exitus,]ibi in die martyrij eorum fit lætitiæ principatus.

S. Paulinus natali 3. Ipfaque cœleftium facris procerum monumentis, [Roma Petro, Pauloque potens.]

Gregorius Turonicus lib.1.cap.25. [Nero, inquit, Petrum cruce,] Paulum gladio iubet interfici.

Prudentius in hymno de S. Laurentio.

> *Difcede adulter Iuppiter, ftupro fororis oblite,*
> *Relinque Romam liberam, plebemque iam Chrifti fuge.*
> Te Pauli hinc exterminat, te fanguis exturbat Petri.
> *Tibi id. quod ipfe armaueras,factum Neronis officit.*

Arator in fine Actorum.

> *Dignaque materies*, Petri Paulique corona
> Cæfareas fuperare minas, *& in arce Tyranni*
> *Pandere iura poli, fummumque in agone tribunal*
> *Vincere, ne titulus paruus contingeret hoftis.*

Elpis vxor Boetij in hymno de Apoftolis.

> *O felix Roma*, quæ tantorum Principum,
> Es purpurata pretiofo fanguine
> *Non laude tua, fed ipforum meritis,*
> *Excellis omnem mundi pulchritudinem.*

Ifidorus in vita Petri: Septimo, inquit, & vigefimo anno poft paffionem [Domini à Nerone Cęfare in Vrbe Roma, deorfum verfo capite, vt ipfe voluit, crucifixus eft.]

Gregorius Papa lib. 6. Epiftol. 37. de Romana Ecclefia loquens; Petrus, inquit, fublimauit fedem, [in qua etiam quiefcere, & præfentem vitam finire dignatus eft.

Beda in Martyrologio 3. calend. Iulij. Romæ, inquit, natale fanctorum Apoftolorum Petri, & Pauli, qui pafsi funt fub Nerone, Baffo, & Tufco confulibus. Petrus fecundo Claudij anno, poft Epifcopatum Antiochienfis Ecclefiæ,& prædicationem difperfionis eorum, qui de circumcifione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Afia, & Bithynia [ad expugnandum Simonem Magnum Romam miffus eft, ibique viginti quinque annos Cathedram Sacerdotalem tenuit,vfque ad vltimum annum Neronis, à quo affixus cruci martyrio eft coronatus, capite ad terram verfo, & in fublime pedibus eleuatis, afferens fe indignum, qui crucifigeretur, vt Dominus fuus. Sepultus autem eft in eadem Vrbe in Vaticano,] iuxta viam triumphalem, qui totius Orbis veneratur celebratione. Ibidem prid. calend. Iulij. Eodem anno,quo paffus eft Dominus, conftat Paulum ad fidem veniffe. Paulus quoque poft paffionem Domini 25. anno, id eft, fecundo Neronis: poftquam, ab Hierufalem, vfque Illyricum repleuit Euangelium Chrifti,Romam vinctus miffus eft, & ficut ipfe in fecunda Epift. ad Timoth. fcribit, liberatus de ore Leonis, videlicet ferociffimi perfecutoris Neronis, Euangelium Chrifti in Occidentis, quoque partibus prædicauit. [Et hic ergo quarto decimo Neronis anno eodem die, quo Petrus, Romæ pro Chrifto capite truncatur,] fepultufque eft in via Oftienfi, anno poft paffionem Domini trigefimo feptimo.

S. Bernardus ferm.1. in die Apoftolorum Petri, & Pauli. Quid Petro dulcius, inquit, qui ad fe tam dulciter omnes cõuocat peccatores, ficut & actus Apoftolici, & Epiftolarum eius feries atteftatur? Quid illo potentius, cui & terra obediuit, cùm mortuos reddidit, & mare fub pedib. eius fe calcabile præbuit, [qui Simonem Magum fpiritu oris fui in aere attigit,] qui claues regni cœlorum tam fingulariter accepit, vt præcedat fententia Petri fententiam cœli? Denique quodcumque ligaueris, inquit, fuper terram, erit ligatum, & in cœlis: quodcumque folueris fuper terram, erit folutum, & in cœlis? Quid autem eo fapientius, cui non caro, & fanguis reuelauit? Et ferm. 2. Confiderate fratres, Ecclefiæ fanctæ iudicium fecundùm fidem, non fecundùm faciem iudicantis. Mortem fiquidem Apoftolorum in eorum recolit folemnitate præcipua. [Hodie nimirum Petrus cru-

crucifixus est, hodie decollatus est Paulus.] Et epist. 237. quod est ad Eugenium Rom. Pontif. Locus, inquit, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, [locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius.] Locus illius, quem constituit Dominus dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Si fortè declinaueris à via Domini, [sepultus est in eodem loco,] vt sit tibi contra in testimonium. Et serm. de priuilegijs S. Ioan. Bapt. Hinc enim, inquit, [Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana,] cui dictum est: ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, in honorem Ioan. Bapt. post Saluatoris nomen, consecrata est, & consignata. Dignum namque erat, vt sententiam sponsi sponsæ sequeretur auctoritas, & singularem amicum eius illuc proueheret, vbi principatum ipsa conscendit. Electio procul dubio hæc singularis est, in illa ipsa Vrbe Ioannem vendicare primatum Ecclesiæ, [quam duo cœli luminaria morte clarissima consecrarunt. Crucifigitur Petrus, gladiatur Paulus,] & dignitas remanet præcursori,

Submonitio ad Lectorem.

CVm igitur tam multi, tam præclari, tam antiqui, & plerique omnes tam Sancti; tùm Orientis, tum Occidentis Patres, & Scriptores Ecclesiastici, tam expressè, tam constanter, tamque vnanimiter testentur S. Petrum Romæ, & mortuum, & sepultum esse; & hoc ipsum vniuersa per Orbem Ecclesia iam mille quingentis annis, & crediderit firmiter, & non sine magna deuotione solemniter professa sit: inauditæ profectò, & insolentissimæ insaniæ est, nunc demum illa in dubium vocari à circumforaneis, & obscuris homuncionibus, imò etiam impudentissimè negari. Quin etiam, si nulla extarent talia SS. Patrum, qui primis in Ecclesia temporibus claruerunt testimonia: vel ipsa Apostolorum monumenta, & sepulcra, quæ Romæ visuntur, & ab Exordio Ecclesiæ post Neronem visa sunt, & extaruut, impudentissimi mendacij conuincere possunt Nouatores istos, & effrontes hæreticos, qui ex nulla antiquitate probata ostendere, nedum probare possunt, alibi Apostolos, aut mortuos, aut sepultos esse quàm Romæ, aut aliundè translatos esse: quod vtique tot scriptores, & histioriographi Ecclesiastici, qui aliorum sanctorum translationes tam accuratè monumentis litterarum tradiderunt, si factum fuisse, nequaquam silentio præterijssent.

Exegesis, & Germana explicatio Petrum quos perperam, & corrupto sensu allegant hæretici.

1. NOn dicit omnes Apostolos Hierosolymis, & à Iudæis occisos fuisse S. Chrysostomus, sicut nec Christus hoc dixerat futurum: sed ex Apostolis alijs: sicut factum est, atque impletum in Stephano, quem lapidauerunt, Act. 7. & in Iacobo fratre Ioanis, quem Herodes, in gratiam Iudæorum, gladio occidit Act. 12. & Iacobo minore, quem ipsimet Iudæi Hierosolymis de templo præcipitatum trucidarunt, teste Iosepho lib. 20. antiquitat. cap. 16. & in Simeone S. Iacobi istius in episcopatu successore, qui ibidem crucifixus est, & Eusebius in Chronico recenset, vt taceam Matthiam quoque, vt multi opinantur in Iudæa esse Crucifixum. De omnibus autem Apostolis Christum loqui, aut Chrysostomum interpretatum esse, nullo modo intelligi potest: sic enim omnes historiæ Ecclesiasticæ falsæ essent, & Ecclesia hactenus errasset, quæ secundùm historiæ fidem credit Andream, non in Iudæa, sed Achaia, Philippum, & Ioannem in Asia, Thomam in India, Bartholomæum in Armenia. Matthæum in Æthiopia, Simonem, & Iudam in Perside occisus esse.

2. S. Hieronymus ex euentu docere vult vario mortis genere, iuxta Christi prædictionem, Discipulos Christi postea occisos esse, docetque Stephanum lapidatum, Paulum occisum, Petrum verò crucifixum esse, absque tamen certa loci designatione. Non autem voluisse Hieronymum asserere Petrum Hierosolymis crucifixum esse, ex eo patet, quod hunc Paulus, quoque ibidem mortem oppetijsse oporteret: atqui idem Hieronymus, cum omnibus Patribus orthodoxis credidit, & asseuerauit, & Paulum, & Petrum, non alibi quàm Romæ sub Nerone occisos, & hunc crucifixum. illum verò gladio fuisse cæsum, vti ex testimonijs supra ex parte Catholicorum allegatis manifestum euadit.

3. Non potuit ignorare Liranus, vt Petrum Romæ, ita Andream fratrem Petri non à Iudæis in Iudæa, sed à gentilibus in Achaia crucifixum esse. Loquitur igitur in genere, absque nominatione, aut determinatione loci, & probat quosdam ex Apostolis tùm à Iudæis, tùm ab alijs, eodem tamen infidelitatis, & odij Spiritu, occisos lapidatos, crucifixos esse. Et si maximè dixisset Hierosolymis crucifixos esse Petrum, & Andream, falsus fuisset, & turpiter hallucinatus fuisset; maiorisque ponderis esse deberent tot grauissimorum, & antiquissimorum Patrum tàm Græcæ, quàm Latinæ Ecclesiæ conspirantia, & apertissima testimonia, quàm vnius recentis indiscreta, ex per errorem, aut incogitantiam concepta opinio, aut minus cautè probata sententia.

CAPVT XIIII.

An S. Petrus Romæ Episcopus fuerit, idque ad mortem vsque,

Vera sententia Catholicorum.

SAnctus Petrus Romæ Episcopatum gessit, idque ad mortem vsque; quia sic testantur primitiuæ Ecclesiæ Patres orthodoxi,

Falsa sententia Hæreticorum.

SAnctus Petrus Romæ numquam fuit; nedum Episcopatum ibidem gessit; quia sic testantur orthodoxi primitiuæ Ecclesiæ Patres.

S. Clemens Pontifex, & Martyr S. Petri, & Pauli discipulus, in Epistola prima ad Iacobum Fratrem Domini. Hic, inquit, denique ip-

ipse Petrus, qui pro immensa caritate, quam erga omnes gerebat, palam cum omni fiducia, aduersante etiam tyranno, totius mundi bonum prædicare non destitit, & Regem omnium sæculorum per Orbem terræ, vsque ad ipsius Romanæ Vrbis huius ootitiam, etiam vt ipsa saluaretur, inuexit. Hic (inquam) pro pietate pati volens, præsentem vitam finiuit. In ipsis autem diebus cùm vitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum positus, apprehensa manu mea, repentè consurgens in auribus totius Ecclesiæ, hæc protulit verba: Audite me fratres, & conserui mei, quoniam vt edoctus sum ab eo, qui misit me Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instar, Clementem [bunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado.]

S. Anacletus Martyr, & Pont. post B. Clementem. Hæc verò, inquit, sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit: & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, & totum Christiaoi populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam; & tibi dabo claues regni cœlorum. Et quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlo, & quæcunique solueris super terram, erunt soluta, & in cœlo. Adhibita est etiam societas in eadem Romana Vrbe beatissimi Apostoli vasis electionis, [qui vno die, vno quoque tempore gloriosa morte, cum beato Petro sub Nerone Principe agonizans coronatus est, & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt,] alijsque omnibus vrbibus [in vniuerso mundo, tam sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt.] Et licèt pro omnibus assidua apud Dominum omnium sanctorum fundatur oratio: His tamen verbis Paulus beatissimus Apostolus, Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri faciam semper in orationibus meis. [Prima ergo sedes est cœlesti beneficio, Romanæ Ecclesiæ, quam, vt memoratum est, beatissimi Petrus, & Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma, quæ priùs erat cacodæmonis artificio omnium errorum mater, & altrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum ritibus abiectis, filiorum Dei, exorto sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix,

Tertullianus lib. de præscriptionibus. Euoluant, inquit, ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquis ex Apostolis, vel Apostolicis viris fuerit. Et infrà: Sicut, inquit, [Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum profert.

S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ad Cornelium. Nauigare audent, inquit, [ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam Principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum.

Idem lib. 4. Epist. 2. ad Antonianum. Factus est, inquit, Cornelius Episcopus, cùm Fabiani locus, id est, [cùm locus Petri, & gradus cathedræ Sacerdotalis vacaret.

Eusebius in Chronico anni 44. [Petrus, inquit, natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus,] cùm primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, [Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans, viginti quinque annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat.

S. Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes: Primùm, inquit, ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia moti, [quòd sedes illa Apostolica esset.] Et infrà: Liberium Papam loquentem introducens: Nunquam, inquit, talem à Patribus traditionem accepimus, qui à beato, & magno Petro acceperunt.

S. Marcellus Pontifex, & martyr circa annum Domini 304. Epistola ad Antiochenos. Rogamus ergo vos fratres, inquit, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, & Patribus accepistis. [Ab illo enim primò instructi estis, ideò non oportet, vos proprium derelinquere Patrem, & alteros sequi: ipse enim caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et reliqua. Eius enim sedes primitùs apud vos fuit, [quæ postea, iubente Domino, Romam translata est, cui adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die.

Dorotheus in Synopsi. Linus, inquit, [post Coriphæùm Petrum Romæ Episcopus fuit.

Optatus lib. 2. contra Parmenianum. Igitur, inquit, negare non audes, scire te, [in Vrbe Petro primùm Cathedram Episcopalem esse collatam.

S. Ambrosius lib. 3. cap. 1. de Sacramentis. Vtique, inquit, ipse auctor est nobis huius assertionis [Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.]

S. Hieronymus de viris illustribus in Petro. Simon Petrus, inquit, ad expugnandum Simonem Magum [Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum, id est, 14. annum Neronis, à quo & affixus cruci, coronatus est.]

Prudentius in hymno de Laurentio. Romæ, inquit, iam regnant duo Apostolorum Principes: Alter vocator gentium, [Alter cathedram possidens, primùm, recludit creditas æternitatis ianuas.

S. Augustinus lib. 2. cap. 51. contra literas Petiliani: [Cathedra, inquit, tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit,] & in qua nunc Anastasius sedet:

Prosper libro de ingratis. [Sedes, inquit, Roma Petri,] quæ Pastoralis honoris, Facta caput mundi.

Solpitius lib. 2. sacræ historiæ. Inualuerat, inquit, apud Vrbem diuina Religio, [Petro Episcopatum gerente.]

Petrus Chrysologus Episcopus Rauennæ, in Epistola ad Eutychem, quæ habetur inter præambularia ad Concilium Chalcedonense. Hortamur, inquit, te frater honorabilis, vt his quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas.

[Quo-

[Quoniam beatus Petrus, qui in propria sede, & viuet, & præsidet,] præstat quærentibus fidei veritatem.

S. Innocentius primus, Epistol. ad Concilium Mileuitanum, cui etiam interfuit B. Augustinus. Neque enim, inquit, hæc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, nisi scientes, quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, [non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere.] velut nunc vestra retulit dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.

S. Leo serm. 1. in Natal. Apostolorum Petri, & Pauli, Hodierna, inquit, festiuitas præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali & propria nostræ Vrbis exultatione veneranda est, vt vbi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrij eorum, sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi Roma resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt sis gens sancta, populus electus, [Ciuitas Sacerdotalis, & Regia, per sacram beati Petri Sedem Caput Orbis effecta,] latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena,

Theodoretus in Epistola ad Leonem, postquam dixerat Petrum, & Paulum Romæ esse mortuos, subiungit: [Ij vestram sedem effecere magis illustrem, ea est vestrorum bonorum summa. Illorum autem Deus nunc quoque sedem claram, insignemque reddidit, cùm vestram sanctitatem in ea collocauerit, quæ radios fidei orthodoxæ emittit.

Sozomenus lib. 4. cap. 14. hist. Ecclesiast. Non sine diuina, inquit prouidentia factum est, vt mortuo Felice, solus Liberius Romanæ Ecclesiæ præesset, [ne Petri sedes vlla infamiæ macula aspergeretur.]

Isidorus in vita Petri. Hic, inquit, postquam Antiochenam Ecclesiam fundauit, sub Claudio Cæsare contra Simonem Magum [Romam pergit, ibique prædicans Euangelium, vigintiquinque annis eiusdem tenuit Pontificatum.]

S. Gelasius epist. ad episcopos Lucaniæ, & Siciliæ. Satis, inquit, indignum est, quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, [quam beati Petri sedem, & sequi videat, & docere; satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, [vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum.]

S. Gregorius lib. 2. epist. 33. Nos inquit, qui, licèt immeriti, Sedem Apostolicam vice Petri Apostolorum Principi suscepimus gubernandam,] ipso Pontificatus officio cogimur generali hosti, quibus valemus, nisi his obuiare.

Beda in Martyrologio 3. calend. Iulij, [Petrus, inquit, secundo Claudij anno,] post episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, ad expugnandum Simonem Magum, [Romam missus est, ibique] vigintiquinque annos cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum, à quo affixus cruci, martyrio est coronatus.

Submonitio ad Lectorem.

OMnes isti veteres, & clarissimi Patres in hoc conspirant, quod S. Petrus non solùm Romæ fuit, sed etiam episcopum ibidem, vsque ad mortem egit. Etsi autem non omnes episcopatus, aut Sacerdotij expressam faciunt mentionem: tamen qui testantur Romanam sedem, sedem esse, & Cathedram S. Petri, & Clementem aliosque Pontifices successores esse Petri, satis apertè idipsum confitentur, & probant. Quomodo enim Romana sedes, Cathedra est Petri, si Petrus ibi Episcopalem Cathedram administrauit nunquam, aut non vsque ad mortem administrauit? Quare si Ioannes Caluinus velit nolit diffiteri non audet, Petrum Romæ fuisse, propter veterum Patrum consensum: pari ratione credere, & fateri tenetur. Petrum Romæ, quoque non ad tempus tantùm, sed ad mortem, vsque fuisse episcopum; quia idipsum non minus apertè, & constanter antiqui, & plerumque ijdem Patres orthodoxi testentur, quàm, quod Romæ aliquando fuerit. Quòd autem Caluinus Petrum Romę fuisse non ausus fuerit, propter constantem, & conspirantem veterum consensum, negare, sed in corde suo crediderit, non obstante aliorum impudentissima negatione, & contradicendi detestabili libidine, atque audacia, patet ex hisce verbis, quæ scripsit 4. lib. Inst. cap. 6 §. 15. postquam omnibus modis rem in dubium vocare contendisset, tandem victus veritatis splendore subiungit: Tamen, inquit, propter Scriptorum consensum, non pugno, quin illic mortuus fuerit: sed episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo. Hactenus ille. Si legisset sincero affectu, & considerasset horum SS. Patrum iam allegata, præclara, & conspirantia testimonia, & præterea, quæ sequenti capite de ordinaria successione in Cathedra ipsius Romana afferentur, meritò persuasissimum sibi habere cum omnibus orthodoxis, & Catholicis Christianis debuisset, & fuisse Romæ Petrum, & episcopatum gessisse non tantùm annis aliquot, sed vsque ad martyrium suum, quod sub Nerone passus est.

Nullum autem ex veteribus, & orthodoxis Patribus, aut Scriptoribus afferre possunt aduersarij, qui neget, aut fuisse Episcopum Romæ S. Petrum, aut vsque ad mortem permansisse: quare stupenda, & inexcusabili malitia induratos, & excæcatos esse oportet, qui tot, tantorumque Patrum, & Scriptorum ecclesiasticorum tam aperta, & omni exceptione maiora testimonia suis priuatis, & corruptis affectibus, & confictis mendacijs postponere non erubescunt, sed adhuc testatissimæ veritati contradicere, & resistere audent, reclamante licèt propria conscientia, & totius ecclesiæ à mille quingentis annis, celebratissima, & miraculis etiam illustrissima confessione.

Obij-

Obijciunt quidem quorumdam Patrum dissonantiam, eò quod quidam initio, alij secundo anno Claudij, Petrum Romam venisse asseuerant: & præterea aliqui 25. alij paucioribus annis Episcopatum ibidem administrasse testantur: Addunt præterea Sanctum Paulum in epistola ad Romanos alios multos nominatim salutasse, qui Romæ agebant: S. Petri autem nullam fecisse mentionem; quem meritò præ omnibus, & singulariter salutare debuisset, si ibidem fuisset præsens, & Episcopatum gessisset.

Sed friuola ista sunt, & vix digna vlla responsione. Nulli enim ex veteribus, & probatis Patribus primitiuæ Ecclesiæ produci possunt, qui inter sese dissentiant, si ritè, & commodè intelligantur. Idem enim est secundo anno, & in exordio regni Claudij, qui annis 14. rexit Petrum Romam venisse. Sic etiam siue 14. siue 13. anno Neronis occisum esse, & martyrio coronatum dicas, pugnantiam non habebit, si annum 14. inchoatum non completum intelligas. Præterea varij variè Imperatorum, & ætatum annos computant, vt inde apparens quoque discrepantia, ac diuersitas aliqua facilè nasci potuerit, & plerosque, qui veritatis magis, quàm annorum fuere obseruatores, fallere. Quando autem de re ipsa, & veritatis substautia constat, & in illa testanda Patres ad vnum omnes consentiunt, & conspirant; quid obest si in circumstantijs quibusdam, aut temporis, aut loci parumper discrepare videantur? Discrepant, & tantùm non pugnant inter se historiographi, & scriptores, & adhuc sub iudice lis est, quoto mundi anno Christus natus; sub quo imperatore, & quoto ætatis suæ anno in crucem actus, & mortuus sit, non omnes conueniunt: Ideòne aut negandum erit, aut in dubium vocandum, vtrum Christus natus sit, aut passus? Satis est ad fidei nostræ fundamentum, & substantiam, natum esse sine omni dubio Christum Saluatorem, & opus redemptionis nostræ per mortem consummasse suam; etiamsi non constaret præcisè, quoto mundi, aut ætatis suæ anno, aut sub quo imperatore, aut natus sit, aut mortuus.

Friuolum quoque, & puerile, ac plusquam nugatorium est, quod tantam, tot, tamque illustrium, & antiquissimorum testium nubem, & consonantiam negligentes, aut reijcientes, ex meris, & confictis coniecturis veritatem testatissimam obliterare, aut reijcere moliuntur. Ideo videlicet S. Petrum Romæ non fuisse, nedum Episcopali functum munere, quia Paulus ad Romanos scribens, & multos salutari postulans, Petri ne meminerit quidem. Quasi vero Petrum Romæ semper hæsisse, & non potiùs alias quoque prouincias, aut conuertendas, aut conuersas visitare, & ibidem quoque officij sui, & supremi, generalisque pastoratus partes exequi oportuerit, Romæ nihilominus alijs ordinatis, & constitutis, qui in absentia vices supplerent suas in regenda Ecclesia, & grege curando, tantisper donec rediret? Hoc cum ignorare potuerit Paulus, cur salutaret quem sciret, aut præsumeret non præsentem? Et si maximè præsentem sciuisset, quid vetat ipsum proprijs literis familiariter ad S. Petrum scripsisse, vt in illa epistola, in qua catholicæ religionis tam magna, & seria tractantur, & totius Ecclesiæ catholicæ negotia, in salutantando Petro sollicitum esse, vel occupari non fuerit opus: Nonne, & Paulus ad Ephesios, Galatas, Thessalonicenses, Hebræos, qui erant Hierosolymis, & alias quoque particulares scripsit Ecclesias, in quibus certi erant ordinati, & præsentes Episcopi; & tamen alios subinde salutans, nullius Episcopi salutandi peculiarem facit mentionem, in epistolis publicis, Ecclesiæ, & ad Ecclesias scriptis.

Manet igitur ex tot Patrum testimonijs, & totius Ecclesiæ catholicæ confessione certissimum, & indubitata fide ab omnibus verè, & piè fidelibus certò, & constanter credendum, S. Petrum totius gregis Dominici, & orbis Christiani curam, ac præfecturam, à Christo sibi promissam, & commissam, tùm alibi, & nominatim Antiochiæ, tùm potissimùm, ac finaliter Romæ, sedem, ac cathedram Pontificalem ibidem diuino oraculo, & iussu figendo, vsque ad mortem, mortem autem crucis (vti Christus ipsi prædixerat) fideliter exercuisse, & pontificem, ac pastorem Romanum mortuum esse, in, & pro Ecclesia Christi ædificanda, amplianda, & moderanda, vt iure idcircò, meritòque sedes Episcopalis Romæ, Apostolica Cathedra, & Ecclesia, quæ illi subest, & paret Petro, & eius legitimis, atque ordinarijs successoribus, secundùm Christi expressum mandatum, Apostolica, & Romana Ecclesia haberi, & nuncupari debeat, vt ex ijs, quæ sequentibus tractabuntur; & probabuntur capitibus magis adhuc, & expressiùs illis, qui ex veritate sunt, & veritati fidem adhibere volent, euadet manifestum.

CAPVT XV.

An Romanus Episcopus ordinarius sit S. Petri, & legitimus in Pontificatu successor.

Vera sententia Catholicorum.

ROmanus Episcopus ordinarius est S. Petri, & legitimus in Episcopatu, seu pastorali regimine, successor: quia sic confitentur, & testantur primitiuæ Ecclesiæ orthodoxi Patres.

Falsa sententia Hæreticorum.

ROmanus Episcopus non est ordinarius Sancti Petri successor, sed Antichristus: quia sic orthodoxi veteris Ecclesiæ Patres testantur.

S. Clemens Pont. & Martyr. epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini. Hic denique ipse Petrus, qui pro immensa charitate, quam erga omnes homines gerebat, palam cum omni fiducia, aduersante etiam Tyranno totius mundi, bonum prædicare non destitit; & regem omnium sæculorum, per orbem terræ, & vsque ad ipsius Romanę vrbis huius notitiam, vt ipsa etiam saluaretur, inuexit. Hic inquam pro pietate pati volens, præsentem vitam finiuit. In ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu

uentu

nentu fratrum positus, apprehensa manu mea, repente consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Audite me fratres, & conserui mei; Quoniam, vt edoctus sum ab eo, qui misit me, Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat, [Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado.]

S. Ignatius discipulus S. Ioannis, Episcop. Antiochenus, & Martyr. Epistola ad Mariam Cassobolitam, quæ est quarta in ordine. Obuenit itaque, inquit, mihi dicere, quia verus est sermo, quem audiui de te causante Romæ apud B. Papam Anacletum, [cui successit beatitudine dignus Clemens Petri, & Pauli auditor.]

S. Irenæus lib. 3. cap. 3. contra hæreses. Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his (hæreticos intelligit) deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim, & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valdè enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet colligunt. [Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.] Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, [Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.] Huius Lini, Paulus in his, quæ sunt ad Timotheum Epistolis meminit: [succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens,] qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cùm adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet. Non solus enim, adhuc multi supererant tunc ab Apostolis docti. Et paulò inferiùs: [Huic autem Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus,] & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimè martyrium fecit, ac deinceps Higinus, post Pius, post quem Anicetus. Cùm autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. [Hac ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis traditio, & veritatis præconiario peruenit vsque ad nos.] Et est plenissima hæc ostensio, vnam & eamdem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit conseruata, & tradita in veritate.

Tertullianus lib. de præscriptionibus hæreticorum. Ita, inquit, ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum, & verum, quod sit priùs traditum: id autem extraneum, & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit aduersùs posteriores quascùque hæreses, quibus nulla constantia, & conscientia concedir ad defendendam sibi veritatem. Cæterùm si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: [Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem, & antecessorem.] Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert; [sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique, & cæteræ exhibent,] quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant: Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate, & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt. Et paulò post. Age iam, qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ; percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: [Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur,] vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit.

Idem lib. 3. carminum in Marcionem.

Ex quibus electum magnum, plebique probatum.
Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primùm considere iussit:

Post quem Cletus, & ipse gregem suscepit ouilis
Huius Anacletus successor forte locatus
Quem sequitur Clemens.

S. Cyprianus lib. 1. Epistolarum, epist. sexta, quæ est ad Magnum. Qui dicit apud Nouatianum (hæresiarcham) baptizari, & sanctificari aliquem posse; prius ostendat, & doceat Nouatianum in Ecclesia esse, aut Ecclesiæ præsidere: Ecclesia enim vna est, quæ vna, & intus esse, & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium (Romanum Pontificem) non fuit: [si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, & quem præter Sacerdotij honorem, martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, [qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus est.] Habere namque, aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est, Foris enim Ecclesiam non esse, nec scindi aduersùm se, aut diuidi posse, sed inseparabilis, atque indiuiduæ domus vnitatem tenere, manifestat scripturæ diuinæ fides. Et paulò post: Et idcircò Dominus insinuans nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem ponit, & dicit: Ego, & Pater vnum sumus: ad quam vnitatem redigens Ecclesiam suam, denuò dicit: Et erunt vnus grex, & vnus Pastor. Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? aut Pastor haberi quomodo potest, [qui manente vero Pastore (Romano Pontifice) & in Ecclesia Dei, ordinatione succedanea præsidente,] nemini succedens, & à seipso incipiens, alienus fit, & prophanus, dominicæ pacis, ac diuinæ vnitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est in Ecclesia Dei, in qua non nisi concordes, atque vnanimes habitant, loquente in psalmis Spiritu sancto, & dicente: Deus qui habitare facit vnanimes in domo?

Eusebius lib. 3. hist. Eccles. cap. 2. enumerat primum Romanum Episcopum, & sanctum Petrum. cap. 4. enumerat Linum: capit. 14. Anacletum, & illius successorem Clementem cap. 34. quartum à S. Petro, successorem Clementis Euaristum lib. 4. cap. 1. quintum, Alexandrum successorem Euaristi: cap. 4. Xistum: cap. 10. enumerat Telesphorum, & illius successorem Hyginum: post Hyginum capit. 11. enumerat Pium, post Pium, Anicetum; post illum Soterem cap. 19. post Soterem Eleutherium lib. 5. cap. 1. Eleuterio verò successisse ait Victorem, capit. 22. Victori Zephyrinum, cap. 28. Zephyrino Callistum, Callisto Vrbanum, cap. 16. lib. 6. Vrbano Pontianum, cap. 28. Pontiano Antherum, Anthero Fabianum, cap. 20. Fabiano Cornelium, cap. 29. Cornelio Lucium, Lucio Stephanum, cap. 3. lib. 7. Stephano Xistum, cap. 4. Xisto Dionysium cap. 23. Dionysio Felicem, Felici Marcellinum, cap. 27.

Idem in Chronicis enumerat eosdem Pontifices Romanos S. Petri in Pontificatu successores, vsque ad Syluestrum.

S. Hieronymus, qui Chronicon Eusebij transtulit, post Syluestrum trigesimum primum S. Petri successorem, Marcum deinde, Iulium, Liberium, & Damasum ad sua vsque tempora successores ordinarios enumerat, in chronico adiuncto Eusebio.

S. Prosper deinde tempora post sanctum Hieronymum continuans, post Damasum enumerat Vrsinum, seu Syricium, deinde Anastasium, post Innocentium, Zosimum, Bonifacium, Celestinum, Xixtum, & demùm Leonem, qui fuit quadragesimus à S. Petro Romanæ sedis, & totius Ecclesiæ supremus Episcopus circa annum Domini quadringentesimum quadragesimum tertium.

S. Hieronymus præterea Romanos Episcopos S. Petri ordinarios successores agnoscens, sic scribit epist. 57. ad Damasum Romanum Pontificem, quæ est epist. 25. lib. 1. iuxta nouam distinctionem, Quoniam, inquit, vetusto oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frustà discerpit; & Christi vineam exterminant vulpes (Arianos hæreticos intelligit) vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi; [ideò mihi cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam:] inde nunc animæ meæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretiosæ Margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta in lolium, auenasque degenerant. Nunc in occidente Sol iustitiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea: hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: [cum successore Piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est.] Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine determinat; nec possum sanctum Domini tot interiacentibus spatijs, à sanctimonia tua semper expetere: ideo hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Idem lib. 1. epist. 26. quæ aliàs est in ordine 58. Ita, inquit, me incessabilis inimicus

cus post tergum secutus est, vt maiora nunc in solitudine bella patiar. Hinc enim præsidijs fulta mundi Ariana rabies fremit: hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat: monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito: [si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.] Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere, si hoc vnus assereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor beatitudinem tuam per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, vt, [qui Apostolos honore sequeris,] sequaris, & merito, ita in solio, cum duodecim iudicaturus sedeas, ita te alius senem cum Petro cingat, ita municipatum cœli cum Paulo cõsequaris, vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes, noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.

Idem in cap. 52. Esaiæ, dicit Clementem post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam.

Idem Tom. 1. de viris illustribus in Clemente. Clemens, inquit, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens, ait: Cum Clemente, & cæteris coadiutoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, [quartus post Petrum Romanus Episcopus] Siquidem secundus Linus fuit, & tertius Anacletus. Tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.

S. Epiphanius lib. 1. Tom. 2. hæres. 27. quæ est Carpocratis. Peruenit equidem, inquit, ad nos fama, quomodo Marcellina quædam ab ipsis decepta multos corrupit, temporibus Aniceti Episcopi Romani, [qui Pio, & superioribus successit. Etenim in Roma fuerunt primi Petrus, & Paulus, Apostoli ijdem, ac Episcopi, deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens,] qui contemporaneus fuit Petri, & Pauli: huius mentionem facit Paulus in epist. ad Rom. Et nemo miretur, quod ante ipsum alij Episcop. assumpserint, (scilicet Linus, & Cletus) cum sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri, & Pauli, nam, & illi contemporanei fuerunt Apostolorum. Siue igitur adhuc ipsis superstitibus à Petro accepit impositionem manuum Episcopus, & eo recusato remoratus est; dicit (enim in vna epist. sua: secedo, ab eo erigatur populus Dei: hoc enim in quibusdam commentarijs reperimus) siue post Apostolorum successionem à Cleto Episcopo hic constituitur, non ita claré scimus. Verumtamen etiam hic potuit superstitibus adhuc Apostolis, Petro videlicet, ac Paulo, alios Episcopos constituere, propterea quòd Apostoli sæpè ad alias terras ablegabantur, propter Christi prædicationem: non potuit autem Roma, sine Episcopo esse. Paulus enim in Hispaniam profectus est; Petrus verò sæpè Pontum, & Bithyniam visitauit. Possibile est autem, postquam discessit, ac recusauit Clemens (si modò sic factum est: tationem enim sic ineo, non decerno) postea post obitum Lini, & Cleti, quorum vterque ad duodecim annos Episcopatum tenuit, post sancti Petri, & Pauli obitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum. [Attamen Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus, & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Euaristus, Hyginus, Pius, Anicetus, qui supra in cathalogo indicatus est. Et ne quis miretur, quòd singula ita exactè recensemus: per hæc enim semper claritas ostenditur.]

Optatus Episcopus Mileuitanus in Africa lib. 2. contra Parmenianum Donatistam hæreticum. Probamus, inquit, eam esse Ecclesiam catholicam, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa. Eius iam commemoranda sunt ornamenta: & videndum vbi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis, [inter quas cathedra est prima:] vbi nisi sederit Episcopus, coniungi altera dos non poterit, qui est anulus; videndum est, qui, & vbi prior cathedra sederit. Si ignoras, disce: si nosti, erubesce: Ignorantia tibi adscribi non potest. Restat igitur, vt noueris: scientem errare peccatum est. Nam ignorantibus nonnumquam solet ignosci. [Igitur negare non potes, scire te in vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus:] vnde, & Cephas appellatus est: [in qua vna cathedra,] vnitas seruaretur ab omnibus, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iam schismaticus, & peccator esset, [qui contra singularem cathedram,] alteram collocaret. [Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus. Cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, &c.] Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum, in vna communionis societate concordat.] Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vultis vobis sanctam Ecclesiam vendicare.

Sanctus Augustinus epist. 165. ad literas cuiusdam Donatistæ. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter [ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Higinus, Higino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Autherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Xistus, Xisto Dionysius, Dionysio Felix, Felici Eutychianus, Euthychiano Gaius, Gaio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Melchiades, Melchiadi Sylnester, Syluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Sirinus, Sirino Anastasius.] In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur. Sed ex transuerso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris, in vrbe Roma Montensium, vel Cu-

Cuzupitarum vocabnlum propaganit. [In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro, vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eamdem cathedram ſedet,] etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſutrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis: quibus Dominus prouidens, ait de Prępoſitis malis: Quæ dicunt facite, quæ autem faciune, facere nolite, dicunt enim, & non faciunt, vt certa ſit ſpes fidelibus, quæ non in homine, ſed in Domino collocata, numquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur, ſicut iſti diſſipati ſunt, qui legunt in codicibus ſanctis Eccleſias, quibus Apoſtoli ſcripſerunt, & nullum iu eis habent Epiſcopum.

Idem lib. 2. cap. 51. contra literas Petiliani hæretici. Verumtamen, inquit, ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè crimiuaris: [Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet?] vel Eccleſiæ Hieroſolimitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet, [quibus nos in Catholica vnitate connectimur,] & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere: numquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt: cathedræ in qua ſedebaut, vllam fecit iniuriam? Nonne illam Cathedram Moyſi commendauit, & illos, ſeruato Cathedræ honore, redarguit?

Idem contra Iulianum Pelagianum libro 1. cap. 2. Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, [in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Innocentium] ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.]

Idem Tom. 7. in pſalm. contra partem Donati. Venite, inquit, fratres ſi vultis, vt inſeramini in vite. Dolor eſt cùm vos videmus præciſos ita iacere. [Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede: & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerint videte. Ipſa eſt petra, quam non vincuot inferorum portæ.]

Idem contra Epiſtolam Manichæi, capit. 4. Vt ergo omittam, inquit, ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica nou creditis; multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſſime teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: [Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſceudas oues ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum:] Tenet poſtremò Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.

Idem ex quæſt. in nouum, & vetus Teſtamentum quæſt. 110. Eorum, inquit, qui extra Eccleſiam, vel contra Eccleſiam ſedes ſibi inſtituerunt, Cathedram peſtilentiæ dicimus, Qui enim inconceſſa præſumit, reus eſt: quantò magis ſi & corrumpat traditionem eius, cuius ſedem vſurpat. [Nam, & ordinem ab Apoſtolo Petro cæptum, & vſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſeruatum perturbant,] ordinem ſibi ſine origine vendicantes, hoc eſt, corpus ſine capite profitentes. Vnde congruit etiam eorum ſedem Cathedram peſtilentiæ appellare.

Concilium Sardicenſe circa annum Domini 343. in quo fuerunt trecenti Epiſcopi, qui plerumque etiam omnes fuerant in primo Concilio Nicæno, Can. 3. [Sancti Petri memoriam honoremus] (cathedram intelligie, & ſucceſſorem S. Petri) [vt ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo,] & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudici.

Concilium Epheſinum generale circa annum Domini 434. in quo fuerunt ducenti Epiſcopi cap. 16. [vocat Celeſtinum Romanum Ponteficem ordinarium Succeſſorem, & Vicarium beati Petri Apoſtolorum Principis.]

Concilium Chalcedonenſe generale circa annum Domini 454. in quo fuerunt Epiſcopi ſexcenti, & triginta, act. 2. poſt lectionem epiſtolæ S. Leonis Romani Pontificis, acclamauit vnanimi Epiſcoporum voce: Hæc Patrum fides. Hæc Apoſtolorum fides. Anathema qui ira non credit. [Petrus per Leonem locutus eſt.] Apoſtoli ita docuerunt. Actione verò 3, [dicitur Leo Apoſtolica poteſtate S. Petri, cuius ſucceſſor erat, præditus,] Dioſcorum hæreticum Epiſcopali, & ſacerdotali dignitate exutum depoſuiſſe. Idem Concilium in epiſtola ad S. Leonem Pontificem Romanum, [dicit Leonem vocis Petri interprerem, hoc eſt, Petrum per Leonem tamquam ſucceſſorem ſuum locutum fuiſſe.] Vnde liquidò apparet totum Concilium S. Leonem ordinarium Petri ſucceſſorem in cathedra Pontificali agnouiſſe.

Concilium Conſtantinopolitanum ſecundum, quod eſt quintum generale, Epiſcoporum 165. circa annum Domini 553. Actione 1. damnans per Menam Patriarcham Concilij præſidem Anthimum, & alios hæreticos, inter alia ſic inquit: [Contempſerunt Romanam Eccleſiam, in qua ſucceſſio eſt Apoſtolorum,] quæ ſententiam contra ipſos protulit.

Concilium Generale ſextum, quod eſt Conſtantinopolitanum tertium; Epiſcoporum 290. circa annum Domini 682. actione 8. ſubſcribit Epiſtolæ Agathonis Romani Pontificis; & inter alios ſic vnus ſubſcribit: Suggeſtiones directas à Patre noſtro Agathone, ſanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romæ, tamquam à Spiritu ſancto dictatas, [per os ſancti, & beatiſſimi principis Apoſtolorum Petri,] & digito ter beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas ſuſcipio, & amplector.

Submonitio ad Lectorem.

QVi ex his tam præclaris, tam multis, tàm consentientibus, & inter se conspirantibus, tot SS. Patrum, & Generalium etiam Conciliorum testimonijs, non colligit, in primitiua Ecclesia, & primis septingentis potissimùm annis palàm, & constanter creditum, confessum, atque professum fuisse, Romanos Episcopos cathedram Apostolicam tenere, & ordinarios, atque legitimos, indubitatosque S.Petri esse in Pontificatu successores, aut cæcus, aut emotæ planè, corruptæque, & cauteriatæ mentis sit oportet. Quid enim apertiùs, atque expressiùs illa de re Patres testari, aut confiteri potuissent? Quemadmodum autem ex illis testimonijs testatissimum, & indubitatum euadit, vniuersum Orientem, & Occidentem semper ab exordio, & quaquauersum Romanum Episcopum pro S. Petri legitimo, & ordinario successore habuisse, credidisse, & coluisse: ita eadem luculenter admodum, & plusquam apodicticè demonstrant, & S. Petrum Romæ fuisse, & Episcopum quoque ibidem permansisse, vsque ad mortem, quam ibi pro Christi nomine sub Nerone gloriosissimam in Cruce subiuit. Nisi enim, & Romæ, & Episcopus Romanus fuisset sanctus Petrus: quomodo Romani Episcopi in cathedra hoc est, supremo Pontificatu sancti Petri sedere, eiusque ordinarij successores dici, aut haberi potuissent? Vel sola hæc Patrum testimonia sufficerent, ad fidem faciendam primatus Petri, Episcopatusque Romæ gesti, & successionis Romanorum Pontificum; iuxta sensum, & consensum Orientalis, & Occidentalis, hoc est, vniuersæ, atque catholicæ per Orbem Ecclesiæ; vt diffiteri, aut negare non possunt cordati, & æqui judices, & ipsimet etiam aduersarij, si non palam; ne coram mundo confundantur; saltem in conscientia sua (nisi illa prorsus sit odio, aut arrogantia alijsue corruptis affectibus emortua, atque extincta) fateri coguntur, maximè, cùm nullos probatos Patres habeant, aut producere possint, qui istiusmodi successionem, in primitiua Ecclesia, aut negarint, aut oppugnarint vnquam.

CAPVT XVI.

An Romanus Episcopus sub Christo, & loco Christi, inter visibiles, & ministeriales Ecclesiæ Episcopos, Pastores, & Sacerdotes, supremus sit totius Ecclesiæ Catholicæ Pontifex, Pastor, Rector, & principale Caput.

Vera sententia Catholicorum.

ROmanus Episcopus, quia ordinarius est, & legitimus sancti Petri in cathedra successor; inter omnes visibiles, ministeriales, & mortales Episcopos, Pastores, & Sacerdotes, sub Christo, & vice Christi, summus est totius Ecclesiæ Catholicæ Pontifex, Pastor, caput, ac Rector: siquidem ita confitentur, & testantur primi, & proximi post S.Petrum successores, sanctissimi, & omni exceptione maiores (quorū maior pars martyrium pro Christo, & vocatione sua obierunt) Pontifices Romani, qui primis sexcentis annis Ecclesiæ Christi præfuerunt.

S.Clemens Pontifex discipulus, & successor S.Petri in cathedra Romana, Epistola ad Iacobum fratrem Domini, refert S.Petrum populum præsentem sic alloquentem in sua præsentia. Verumtamen scitote cuncti, quòd supra omnes vos laboret Episcopus, quia vnusquisque vestrum suum laborem fert, ille verò, & suum, & singularem. Propter quod Clemens, tamquam, [qui omnibus præesse noueris, singulos, prout potueris, iuua, & singulos releua, qui & singulorum onus, & solicitudinem portas.] Vndè & ego nunc hanc tibi iniungens dispensationem (scilicet Summi Pontificatus; hoc est, totius Ecclesiæ pastoralem curam committens) & scio, quia accipio gratiam, magis quàm præsto. Et paulò post: Et cùm hoc dixisset, in medio coram omnibus, manus mihi imposuit, [& in cathedra sua, ingenti verecundia fatigatum, sedere me compulit.]

Sanctus Anacletus Pontifex, & martyr, successor S.Clementis, qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 104. sub Traiano Epistola 3. Anacletus seruus Iesu Christi, [in Apostolica Sede à Domino constitutus,] & à S. Petro Apostolorum principe presbyter ordinatus &c. Et paulò post: Hæc verò sacrosancta Romana Ecclesia, non ab Apostolis, [sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis, super vniuersas Ecclesias, & totum Christiani populi gregem assecuta est,] sicut ipse B.Petro Apostolo dixit; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

S.Euaristus Pontifex, & Martyr, qui successit S. Anacleto anno Domini 110. sub Traiano Imperatore, Epist. 1. ad vniuersos Africæ Episcopos. Consulentibus, inquit, vobis fratres charissimi, quid super his, quæ in vestris continebantur scriptis visum esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à beatis Apostolis nobis traditum, aut custoditum remaneret, optantes, vt retulistis, nostris instituti documentis. Siquidem delectio vestra normam secuta prudentium [ad Sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput,] quid deberet de rebus dubijs custodire potiùs, quàm vsurpatione præsumere.

S. Alexander Pontifex, & martyr, anno Domini 119. sub Adriano Imperatore, successor sancti Euaristi. Alexander, inquit, Episcopis omnibus Orthodoxis per diuersas prouincias Christo Domino famulantibus. Et paulò post. Relatum insuper est ad huius sanctæ, & Apostolicæ Sedis apicem, [cui summarum dispensationes causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput,] ipsoque dicente principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Sanctus Pius Pontifex, & martyr, successor sancti Iginij sub Imperatore Antonino vero, anno Domini 147. Epist. 1. Omnibus Ecclesijs in eadem, qua sumus fide, & doctrina manentibus, Pius Apostolicæ Sedis

Ar-

Archiepiscopus. Et paulò post: [Hanc sanctam Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum caput esse præcepit Christus] ipso dicente principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Sanctus Anitius, siue Anicetus Pontifex, & martyr, successor S.Pij, anno 164. sub Antonio commodo. Anitius vniuersis Ecclesijs per Galliæ prouincias constitutis, in Domino salutem. Et post pauca: De ordinarionibus Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam iam decreta reperimus. Et paulò post: Si verò incorrigibilis (Episcopus metropolitanus) eisque (alijs Episcopis comprouincialibus) inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam Sedem, [cui omnia Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt,] eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem, graue ad hanc sedem eius causam deferre fuerit, tunc ad eius primatem causa deferatur, & penes ipsum, [huius sanctæ Sedis auctoritate,] iudicetur.

S.Victor Pontifex, & Martyr anno Domini 189. sub Helio Pertinace Imperatore. Victor, inquit Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus Theophilo Episcopo, & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus, in Domino salutem. Et paulò post: Similiter ea vos iudicare, [ad Apostolicam delatum est Sedem,] quæ præter nostram vobis definire non licet auctoritatem, Episcoporum causas, vndè ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps. Placuit, vt accusatus, vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem. Et paulò deinceps: Quoniam, quamquam comprouincialibus Episcopis accusari causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definire, inconsulto Romano Pontifice permissum est: [eò m B. Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino: Quæcumque ligaueris super terram erunt ligata, & in cœlo:] & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlo. Et alibi in institutis legitur Apostolicis. Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, vel Primatem diœcesseos, [aut penes vniuersalis Ecclesiæ iudicetur sedem.]

Falsa sententia Hæreticorum.

ROmanus Episcopus non est supremus Ecclesiæ Pontifex, nec generalis, seù vniuersalis Pastor, quia sic ipsimet Pontifices testantur Romani.

Sanctus Gregorius Papa lib. 4. epist. 76. ad Mauritium Augustum, contra Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui sibi nomen vniuersalis Episcopi arrogabat. Absit, inquit, à cordibus Christianorum [nomen istud blasphemiæ] (vniuersalis scilicet Episcopi) in quo omnium Sacerdotum nomen adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro B.Petri Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti consensit, nedum priuatum aliquid daretur vni, honore debito Sacerdotes priuaretur vniuersi. Quid est ergo quod nos huius vocabuli gloriam, & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit? Et paulò superiùs: Quis est iste, qui contra statura Euangelica, contra Canonum decreta nouum sibi nomen vsurpare præsumit?

Idem lib. 4. Epist. 78. ad Constantiam Augustam. Triste valdè est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater, & Coepiscopus meus (Constantinopolitanum intelligit) [solus conetur appellari Episcopus.] Sed in hac illius superbia, quid aliud, nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designatur? quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, & ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo.

Et Epist. 80. eiusdem libri, ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum Antiochenum contra eumdem Ioannem Constantinopolitanum agens. Sicut veneranda sanctitas vestra nouit, mihi per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deseruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. [Sed nullus vnquam prædecessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit: quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cœteris derogatur.] Sed absit hoc, absit à Christiana mente, id sibi velle quemquam arripere, vndè fratrum suorū honorem imminuere ex quantulacumque parte videatur. Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quàm ignominiosum sit, hunc quempiam violenter vsurpare voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis Epistolis neminem vmquam vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.

Idem eodem lib. Epist. 83. ad Anianum Diaconum Constantinopolitanum, contra eumdem Ioannem Episcopum. [In isto, inquit, scelesto vocabulo] (vniuersalis Episcopi) [consentire, nihil est aliud, quàm fidem perdere.] Vndè sicut tibi iam transactis Epistolis scripsi, numquam cum eo Episcopo Ioanne procedere præsumas.

Idem lib. 6. Epist. 188. ad Anastasium Episcopum Antiochenum. Et quidem, inquit, in suscipienda fratris, & consacerdotis nostri Cyriaci synodica Epistola dignum non fuit, vt pro causa prophani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem: sed tamen de eodem superstitioso, & superbo vocabulo, eum admonere studui, [dicens, quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit.] Vos tamen eamdem causam nullam esse, dicere non

non debetis: quia si hanc æquanimiter portamus, [vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus.] Scitis enim quanti non solùm hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et vt de honoris vestri iniuria taceam, [si vnus Episcopus vocatur vniuersalis; vniuersa Ecclesia corruit, si vnus vniuersus cadit.] Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis.

Idem lib. 6. Epist. 194. ad Mauritium Augustum, à quo admonitus fuerat, ne propter vnum illud vocabulum dissensionem in Ecclesia, aut scandalum excitaret, sed potiùs toleraret sic vocari Constantinopolitanum Episcopum. Eumdem, inquit, fratrem, & consacerdotem meum Cyriacum intelligit Episcopum Constantinopolitanum studiosè admonere curaui, vt si habere pacem omnium, concordiamque desiderat, [ab stulti vocabuli se appellatione compescat.] De qua re mihi in suis iussionibus Dominorum pietas præcipit dicens, vt pro appellatione friuoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo, vt imperialis pietas penset, quia alia sunt friuola valdè innoxia, atque alia vehementer nociua. Numquid non cùm se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ. Si verò pondus iniquitatis, [vniuersa pernicies.] Ego autem fidenter dico, [quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo se cæteris præponit.] Nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines: ita quisquis iste est, [qui solus Sacerdos appellari appetit, super cœteros Sacerdotes se extollit.]

Sanctus Zepherinus Pontifex, & Martyr, anno Domini 208. sub Imperatore Seuero. Romanæ Vrbis Archiepiscopus Zepherinus, omnibus per Siciliam constitutis Episcopis salutem. Diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, quæ nos per dignationis suæ misericordiam ob hoc ad fastigium Sacerdotale prouexit, vt mandatis ipsius inhęrentes, & in quadam Sacerdotum eius speculatione constituti, prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Et paulò post: Finis verò eius causæ Episcopi accusati [ad Sedem Apostolicam deferatur, vt ibidem terminetur.] Nec antea finiatur, sicut ab Apostolis, vel successoribus eorum olim statutum est, quàm eius auctoritate fulciatur: [ad eam quoque ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, appellandum est, & concurrendum, quasi ad Matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressoribus releuentur, quia non potest, nec debet Mater obliuisci filium suum.]

Sanctus Callixtus Pontifex, & Martyr successor sancti Zepherini, anno Domini 217. tempore Seueri Imperatoris. Calixtus Archiepiscopus Ecclesię Catholicę Vrbis Romę, Benedicto fratri, & Coepiscopo salutem in Domino. Fraternitatis amore constringimur, & Apostolico moderamine conuenimur, vt consultis fratribus, prout Dominus dederit respondeamus, eoque Apostolicæ Sedis auctoritate instruamus. Et paulò infra: Non decet enim à capite membra dissidere, sed iuxta sacrę Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequuntur. [Nulli verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia Mater sit omnium Ecclesiarum;] à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare. Et sicut Filius venit facere voluntatem Patris, sic & vos voluntatem vestræ impleatis Matris, quæ est Ecclesia, [cuius caput, vt prædictum est, Roma existit Ecclesia.] Quicquid ergo sine discretione iustitiæ, contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi, ratio nulla permittit. Et paulò post: Memor enim sum, [me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes semper destruit errores.]

Sanctus Lucius Pontifex, & Martyr, anno Domini 258. sub Gallo Volusiano Imperatore. Dilectissimis fratribus omnibus Episcopis in partibus Occidentalibus tam Gallis, quàm & Hispanis consistentibus, Lucius Episcopus in Domino salutem. Literas dilectionis vestræ, quas ad beati Petri Apostoli Sedem, pro vestri causa negotij misistis, libenter suscepimus. Et paulò post: Hæc sancta, & Apostolica [Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia,] quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicę traditionis numquam errasse probatur.

S. Marcellus Pontifex, & Martyr, anno Domini 304. sub Constantio, & Galerio Imperatoribus. Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Antiochenam prouinciam constitutis, Marcellus. [Sollicitudinem omnium Ecclesiarum, iuxta Apostolum circumferentes,] diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale euexit, vt mandatis ipsius inhærentes, in quadam Sacerdotum eius specula constituti, prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Vnde directis per Bonifacium Diaconum nostrum literis admonemus, vt quæ malè pullulant, abscindantur, & malè facta corrigantur, atque bona sectentur, & Patrum nostrorum exempla, & statuta imitentur. Rogamus ergo vos fratres, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, & Patribus accepistis. Ab illo enim primùm instructi estis, ideò non oportet vos proprium derelinquere Patrem, & alteros sequi: [ipse enim caput est totius Ecclesiæ, [cui ait Dominus; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et reliqua. Eius enim sedes primitùs apud vos fuit: [quæ postea, iubente Domino, Romam translata est: cui adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die.] Nec ab eius dispositione nos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia, diuina disponente gratia, iussa sunt referenda, vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsere principia: Si vestra verò Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit sedi, [nulla est, quæ eius non subiecta sit ditioni, ad quam omnes, quasi ad caput, iuxta Apostolorum, eorumque successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit suffugere, eam-

que

que appellare debent:] vt inde suscipiant tuitionem, & liberationem, vnde acceperunt informationem, atque consecrationem. Quod omnibus minimè conuenit denegare Episcopis, sed absque vlla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel expoliatione liberè ire concedatur. Simulque idem, inspirante Domino, constituerunt, [vt nulla Synodus fieret præter eiusdem sedis auctoritatem,] nec vllus Episcopus, nisi in legitima Synodo suo tempore, [Apostolica auctoritate conuocata,] super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel iudicetur: quia, vt paulò superius prælibatum est, [Episcoporum iudicia, & summarum causarum negotia, siue cuncta dubia Apostolicæ Sedis auctoritate sunt agenda, & finienda, & omnia comprouincialia negotia huius sanctæ vniuersalis, & Apostolicæ Ecclesiæ sunt tetractanda iudicio, si huius Ecclesiæ Pontifex præceperit.] Nec cui liceat sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ (cui in omnibus causis debetur reuerentia) custodire, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias, vel aliarum prouinciarum Episcoporum iudicium experiri, vel pati; sed omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis congregatis, iudicium, [auctoritate huius sedis, terminetur:] quod tamen (vt præfatum est) per eius vicarios si libuerit, erit tractandum, & quicquid iniustè actum est, reformandum. [Pastoralis ergo cura officij nos admonet, & destitutis succurrere, & cuncta neglecta, vel malefacta reformare.]

S. Eusebius Pontifex, & Martyr, circa annum Domini 308. Dilectissimis fratribus Episcopis per Campaniam, & Tusciam constitutis Eusebius. [Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam B. Petri Apostolorum principis sacerdotio ditauit,] nobisque viam monstrandam circa nos propter vniuersalem curam, quæ nobis propter priuilegium eiusdem Ecclesiæ, charitas indulsit. Et paulò post: Prima enim salus est, rectæ fidei regulas custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Nec potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica, extra maculam semper est catholica seruata religio.

S. Melchiades Pontifex, & Martyr circa annum Domini 311. sub Maximo Imperatore. Dilectissimis fratribus, Marino, Benedicto Leontio, & cæteris Hispaniarum, ac illis in partibus constitutis Episcopis, Melchiades. Et paulò post: Episcopos nolite iudicare, nolite condemnare absque sedis huius auctoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia, & vos condemnabimini. [Hoc enim priuilegium huic sanctæ sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruare; quod illæsum manet vsque in hodiernum diem.] Episcopus ergo, quos sibi Dominus oculos elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, & soluendi dedit potestatem, suo iudicio reseruauit: hocque priuilegium B. Clauigero Petro sua vice solummodò commisit. [Quod eius iustæ prærogatiuum succreseit sedi, futuris hæreditandum, atque tenendum temporibus:] quoniam, & inter Beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis. Et licèt cunctorum par electio foret, Beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret, eorumque, quæ ad querelam venirent causas, & interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posterorum cuncta sibi vendicarent, sed semper maiores causæ, sicut sunt Episcoporum, & potiorum curæ negotiorum, ad vnam B. principis Apostolorum Petri sedem confluerent, vt inde suscipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium institutionum, ne quandoque à suo discreparent capite.

S. Marcus Pontifex, & proximus S. Siluestri successor, anno Domini 336. Dominis venerabilibus fratribus Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum Episcopis, Marcus Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus. Lectis fraternitatis vestræ literis vigorem constantiæ vestræ, quem olim noueramus agnouimus. Et paulò post: cùm se authenticam copiam septuaginta capitulorum S. Nicænę Synodi, quæ S. Athanasius, & cæteri totius Ægypti Episcopi per supplices literas petierant mittere scripsisset, inter alia sic subiungit: [Hæc Sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum, Christi Ecclesia,] quæ omnipotentis Dei gratia à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprauanda succubuit.

S. Iulius Pontifex, qui sedit, & præfuit Ecclesiæ anno 336. in Epistola ad Orientales Episcopos pro causa S. Athanasij, (quæ etiam extat in Apologia secunda S. Athanasij) increpans eos, de excessibus contra Romanam Ecclesiam, in peruersa, atque iniusta damnatione, & persecutione S. Athanasij, præterita & inconsulta auctoritate Sedis Apostolicæ inter alia sic loquitur. [An ignoratis hanc esse consuetudinem, vt primùm nobis scribatur, vt hinc quod iustum est, definiri possit?] Quapropter si isthic eiusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referre oportuit. Et infrà: Quæ accepimus, inquit, à B. Petro Apostolo, ea vobis significo: non scripturus alioqui, quæ nota apud nos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent.

S. Damasus Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno 363. in epistola ad omnes orientales Episcopos, quam recitat Theodoretus verbatim lib. 5. hist. cap. 10. [Quoniam, inquit, Apostolicæ sedi reuerentiam debitam charitas vestra distribuit,] vobis quàm plurimùm, charissimi filij præstitistis.

Idem in epist. 4. ad Episcopos Numidiæ in Africa. Cuncta, inquit, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, [ad nos tamquam ad caput, vt semper fuit consuetudo, deferre non desinatis.]

S. Syricius Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno 383. in epistola ad Himericum, seu Cimerium Episcopum Tarraconensem in citeriore Hispania. Pro officij, inquit, nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Chri-

Christianæ Religionis zelus incumbit. [Portamus onera omnium, qui grauantur. Quinimò hæc portat in nobis B. Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, administrationis suæ, protegit, & tuetur, heredes.] Et infrà cap. 15. Explicauimus, vt arbitror, frater charissime, vniuersa, quæ digesta sunt in querelam, & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum [ad Romanam Ecclesiam, vtpote ad caput tui corporis,] retulisti, sufficientia, quantum opinor, responsa reddidimus, nunc fraternitatis tuæ animum ad seruandos canones, & tenenda decretalia constituta magis, ac magis incitamus, vt hæc, quæ ad tua consulta rescripsimus, [in omnium Coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, & non solùm quod in tua diœcesi sunt constituti, sed etiam ad vniuersos Carthag. atque Bethicos, Lusitanos, atque Gallicos, vel eos, qui vicinis tibi collimant hinc inde prouincijs, hæc, quæ à nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub literarum tuarum prosecutione mittantur.] Et quamquam statuta Sedis Apostolicæ, vel canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum, vtiliùs tamen, & pro antiquitate Sacerdotij tui, dilectioni tuæ esse admodum poterit gloriosum, si eà quæ ad te speciali nomine, generaliter scripta sunt, per vnanimitatis tuæ sollicitudinem in vniuersorum fratrum nostrorum notitiam perferantur, quatenus & quæ à uobis non incosultè, sed prouidè sub nimia cautela, & deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, & omnibus in posterum excusationibus aditus, qui iam nulli apud nos patere poterit, obstruatur.

Idem in epistola ad vniuersos Orthodoxos. Siricius Papa orthodoxis per diuersas prouincias. Cogitantibus nobis metum diuini iudicij, fratres charissimi, & post hanc vitam vnumquemque prout gesserit, recepturum, quid in querelam veniat, tacere non licuit, sed nos loqui necessitas imperauit, dicente Propheta: Exalta vt tuba, vocem tuam. [Et cui omnium Ecclesiarum cura est,] si dissimulem, audiam, Domino dicente, Reijcitis mandatum Dei, vt traditiones vestras statuatis. Quid enim aliud est reijcere mandatum Dei, quàm priuato iudicio, & humano consilio, nouis rebus constituendis liberiùs delectari? Perlatum itaque est ad conscientiam Apostolicæ Sedis, contra Ecclesiasticum canonem præsumi, & quæ ita sunt à maioribus ordinata, vt ne vel leui susurro debeant violari, proprias quasdam obseruationes nouas inducere, & prætermisso fundamento, supra arenam velle construere, dicente Domino: Non transibis terminos, quos statuerunt Patres tui. Quod & Sanctus quoque Apostolus noui, & veteris Testamenti prædicator monet, in quo locutus est Christus: State, inquit, & tenete traditiones vestras, quas didicistis, siue per verbum, siue per epistolam.

S. Innocentius Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno 402. in epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ. [Aduerti, inquit, Sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum, missa currebat, fieri iniuriam.

Idem in epistola ad Concilium Mileuitanum, quæ est inter epistolas S. Augustini, nonagesima tertia. [Diligenter, inquit, & congruè Apostolico consulitis honori:] honori inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinsecùs sunt, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxijs rebus, quę sit tenenda sententia: [antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe, mecum nostis esse seruatam:] verùm hæc missa facio. Neque enim hæc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, [nisi scientes quod per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere,] velut nunc retulit dilectio vestra, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.

Idem ad Concilium Carthaginense. Innocentius Aurelio, & omnibus sanctis Episcopis, & cęteris, qui in Concilio Carthaginensi affuerunt Ecclesię dilectissimis fratribus in Domino salutem. Inquirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & catholico tractari Concilio, antiquę traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticę memores disciplinę, nostrę religionis vigorem mentis, non minùs nunc in consulendo, quàm antea cùm pronunciaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbatis esse iudicium. [scientes quid Apostolicę Sedi] (cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emersit.] Quem sequentes, tàm mala tam damnare cauemus, quàm probare laudanda, vel id verò, [quod Patrum instituta sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia, vt quicquid quamuis de disiunctis, remotisque prouincijs cogeretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad eius sedis notitiam perueniret, vt tota huius auctoritate iuxta quę fuerit pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cętere Ecclesię, velut de natali suo fonte aquę cunctę procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorrupti manarent,] quid pręcipere, quos abluere, quos veluti in cœno immundabili sordidatos mundi digna corporibus vnda vitaret. Gratulor igitur, charissimi fratres, quod per fratrem, & Coepiscopum nostrum Iulium literas ad nos destinastis, & cum pro illis curam geritis, quibus presidetis Ecclesijs, sollicitudinem vestram [pro omnium vtilitate monstratis, per cunctas totius orbis Ecclesias omnibus vnà quod prosit, decernendum esse deposcitis.]

De hisce duabus epist. ad Concilium Africanum, & Mileuitanum, cui ipsemet interfuit, & subscripsit, S. August. epist. 106. ad ad Paulinum, sic loquitur, & iudicat: [Ad omnia ille (Innocentium intelligit Pontificem) nobis rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.

S. Zozimus Pontifex, qui Ecclesiæ præfuit

fuit anno 417. in Epistola ad Hesiehium Salonitanum Episcopum. [Exigit, inquit, dilectio tua præceptum Apostolicæ Sedis, in quo Patrum decreta consentiunt,] & significas nonnullos ex Monachorum cætu, quorum solicitudo quamuis frequentia maior est, sed laicos ad Sacerdorium festinare. Hoc autem specialiter, & sub prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat literis ad Gallias, Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiariùs est ista præsumptio, quamuis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena. Et paulò post: vnde miramur ad dilectionem tuam statuta Sedis Apostolicæ non suisse perlata. Laudamus igitur constantiam tuam, frater charissime, nec aliud de Pontificij censura veteris auctoritatis genus exspectandum fuit, quàm vt talibus ambitionibus, pro præceptis Patrum in procinctu fidei constituti occurreres. Igitur si quid auctoritati tuæ (quod non opinamur) æstimas defuisse, supplemus. Vos obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ, & arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, [tecum Apostolicę Sedis auctoritas:] Et deinceps: Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogaremus, ad te potissimùm scripta direximus, [quæ in omnium fratrum, & Coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantùm eorum, qui in ea prouincia sunt, sed etiam, qui in vicinis dilectionis tuæ prouincijs adiunguntur. Sciet, quisquis hoc, post posita Patrum, & Apostolicæ Sedis auctoritate neglexerit, à nobis districtiùs vindicandum,] vt loci sui minimè dubitet sibi constare rationem, si putat post tot prohibitiones impunè posse tentari.

S. Leo Pontifex eius nominis primus, qui Ecclesiæ Dei præfuit anno Domini 440. In epist. 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem in Macedonia, quæ est pars Græciæ. Quinta, inquit, fraternitati tuæ [à beatissimi Petri Apostoli sede commissa,] & qualia etiam nostro tibi fauore sint credita, si vera ratione perspiceres, & iusto examine ponderares, multùm possemus de iniunctæ tibi solicitudinis deuotione gaudere. Quoniam sicut prædecessores mei prædecessoribus tuis: ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices moderaminis mei delegaui, [vt curam. quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus,] imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apostolicæ sede prouincijs præsentiam, quodammodo nostræ visitationis impenderes; quia de continenti, opportunoq; prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus, vel tuo studio componeres, vel nostro iudicio reseruares. Nam cùm maiora negotia, & difficiliores causarum exitus liberum tibi esset, sub nostræ sententiæ expectatione suspenderr, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id, quod mensuram tuam excedere, deuiandi. Et infrà. Sed etiam si quid graue, intolerandumque gessisset, nostra erat exspectanda censura, vt nihil priùs ipse decerneres, quàm quid nobis placeret, agnosceres. [Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem vocatus sis solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.] Et propè finem cap. 1. Hæc connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum. Quibus cum sit dignitas communis, non est tamen ordo generalis: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. De qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam, in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, [per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo Capite dissideret.

Idem in epist. 46. ad Anatholium Episcopum, & Patriarcham Constantinopolitanum. Licèt, inquit, spetrm dilectionem tuam ad omne opus bonum esse deuoram, vt tamen efficacior tua fieri possit industria, necessarium, & congruum fuit fratres meos Lucentium Episcopum, & Basilium Presbyterum, vt promisimus, destinare, quibus tua dilectio societur, [vt nihil in his, quæ ad vniuersalis Ecclesiæ statum pertinent, aut dubiè agatur, aut segniter, cùm præsidentibus vobis, quibus executionem nostræ dispositionis iniunximus,] ea possint agi cuncta moderatione, vt nec beneuolentiæ partes, nec iustitiæ negligantur.

Idem epist. 62. ad Patriarcham Antiochenum in Syria, quæ est pars Asiæ. Leo Catholicæ Ecclesiæ Episcopus Maximo, charissimo fratri, Episcopo Antiocheno. Quantum, inquit, dilectioni tuæ placeat communis fidei sacratissima vnitas, & pacis Ecclesiasticæ tranquilla concordia, literarum tuarum textus ostendit. Et paulò post: Et ideo frater charissime, oportet dilectionem tuā toto corde præspicere, cuius Ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluerit præsidere, [& eius meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus, per totum mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena, & Romana Vrbe fundauit, vt illum in suæ glorificationis domicilio præeminentem, ea intelligas reposcere instituta, quæ tradidit,] sicut ab ipsa, quam confessus est, veritate suscepit. Neque vllo modo sinas in orientalibus Ecclesijs, maximèq; in his, quas Antiochenæ sedi sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputauere, ab improbis hæreticis tesultari, & vel Nestorij vel Eutychis à quoque dogma defendi. Et infrà: Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ Impium Nestorium, eum dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus ad obtinendum Palestinæ Prouinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens,] scriptis suis, mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicauit, & sollicita prece multum poposcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur assensio.

Idem epist. 81. ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, qui simul erat Patriarcha totius Ægypti, & Lybiæ. Quod, inquit, à Patribus nostris propensiore cura nouimus esse

esse seruatum, [à vobis quoque volumus custodiri.]

Idem epist. 87. ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos. Cùm ergo,inquit,inter vos tantùm voluerint, aut studia popularium, aut ambitus superborum, vt non solùm laicos, sed etiam secundarum vxorum viros, aut viduarum maritos ad officium cognoscamus Pastorale prouectos, nonne apertissimæ exigunt causæ, vt Ecclesiæ in quibus ista commissa sunt, iudicio seueriore purgentur, & non solùm in tales præsules,sed etiam in ordinatores eorum vltrò competens proferatur. Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, inde censura iustitiæ. Et quia vniuersæ viæ Domini misericordia,& veritas,cogimur [secundùm sedis Apostolicæ pietatem,] ita nostram temperare sententiam, vt trutinato pondere delictorum, quæ constat non vnius esse mensuræ, quædam definiamus, vtcumque toleranda, quædam verò amputanda. Et paulò post: [Quod enim nunc vtcumq; patimur veniale, multum postmodum esse non poterit,si quisquam id quod omninò interdicimus, vsurpare præsumpserit: quia remissio peccati,non parit licentiam delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impunè committi.

Idem epistola 88. ad vniuersos Germaniæ, atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos. Leo Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis Episcopus, vniuersis Germaniæ, atque Galliæ Ecclesiarum Episcopis salutem. Cùm in Dei nomine in Romana Ecclesia Synodum Episcoporum, siue cæterorum consacer lotum, Christique fidelium coadunatam habuissemus, & de ordinationibus illicitis, super quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo peruenerat, atque de alijs necessarijs Ecclesiasticis negotijs tractantes, sacrosque canones relegantes, solerter egissemus, à multis lacrymabili vultu relatum est nobis, quod quidam Germaniarum, & Galliarum Vrbium Episcopi frequenter Chorepiscopos (qui iuxta Canones Neocæsarienses, siue secundùm aliorum decreta Patrum isdem sunt, qui & presbyteri) vel presbyteros destinarent, qui absente Pontifice altaria erigerent, basilicasque consecrarent. Et statim post: Ergo ne vltra talis à vobis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit.

Idem serm. 1. de Natali Apostolorum,his verbis Romanam Vrbem alloquitur. [Per sacram, inquit, Petri sedem caput Orbis effecta, latiùs præsides religione diuina, quàm dominatione terrena.] Quamuis enim multis aucta victorijs, ius Imperij tui terra,marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.

S. Gelasius Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 493. in epistola ad Episcopos Dardaniæ in Asia: [Cuncta, inquit, per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes beati Petri Apostoli ius habet resoluendi. Vtpotè, quæ de omni Ecclesiæ fas habeat iudicandi,) neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.

Anastasius vndecimus Pontifex,qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 496. in epistola ad Anastasium Imperatorem. Per ministerium, inquit, humilitatis meæ, (sicut semper est sedes beati Petri, in vniuersali Ecclesia, assignatum sibi à Domino teneat principatum.

Felix 4. Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 526. in epistola ad varios Episcopos. Sanctitatis, inquit, vestræ scripta, quæ ad sedem Apostolicam misistis tamquam ad caput,] vt inde acciperetis responsa, vnde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit Exordium, gratanter suscepi.

Ioannes vndecimus Pontifex, qui Ecclesiæ præfuit anno Domini 530. in Epistola ad Iustinianum seniorem Augustum, quæ habetur in ipso Codice Iustiniani, in 1. Titulo. Inter claras, inquit, sapientiæ, & mansuetudinis vestræ laudes,Christianissimi Principum, puriore luce, tamquam aliquod sydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio edocti, [Ecclesiasticis disciplinis Romanæ sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum. Domino loquente præceptum est; Pasce oues meas, quam esse omnium verò Ecclesiarum Caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant.]

Pelagius II. Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 555. qui in epistol.prima ad Episcopos Orientis Romana Sedes,inquit, [instituente Domino, caput est omnium Ecclesiarum.] Et paulò superiùs in exordio. Dilectissimis fratribus Vniuersis Episcopis, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani Episcopi ad Synodum Constantinopolim conuenerunt, Pelagius. Et post pauca; Vnde fratres relicta penitùs audacia, quæ contra Apostolicam Sedem, contra ipsam Domini Saluatoris vocem, qua dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; sumpta est disputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda conquiescant, nec liceat defendi, quòd non liceat agere. Relatum est ergo ad Apostolicam Sedem Ioannem Constantinopolitanum Episcopum Vniuersalem se subscribere,vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem: [cùm generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ Sedi beati Petri, singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter, quicquid in prædicto vestro conuenticulo, quia Synodus taliter præsumpta esse non potuit, statuistis, [ex auctoritate Sancti Petri Apostolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua Beato Petro potestatem ligandi,atq;absoluendi ipse saluator dedit, quæ etiam potestas in Successoribus eius indubitanter transiuit; præcipio omnia,quæ ibi statuistis,& vana,& cassata esse, ita vt deinceps nunquam appareat,nec ventilentur.Ait enim ipse Saluator beato Petro,sicut ipse per se veritas loquitur dicens:Quæcumq;ligaueris super terram,erunt ligata,& in celo,& quecumque solueris super terram, erunt soluta, & in cælo. Multis denuò Apostolicis, & canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis

fieis Concilia celebrari :] quapropter, vt iam dictum est rectè, non Concilium, sed vestrum conuenticulum, vel conciliabulum cassatur, & quicquid in eo actum est, irrieum habetur & vacuum. Vos quoque deinceps videte, vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ sedis communione carere non vultis. Modò verò ideo suspenditur vltio, vt locum possit habere correctio.

S. Gregorius 1. Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno 590. lib. 1. epist. 71. ad Petrum Diaconum. [Quantò, inquit, Apostolicæ sedi ab Ecclesijs reuerentia cæteris exhibetur,] tantò eam in earum decet esse tuitione sollicitam.

Idem lib. 1. epist. 72. ad Gennadium Patricium, & Exarchum Africæ. Ex Concilio verò Numidiæ, [si qui desiderauerint ad Apostolicam sedem venire, permitte :] & si quilibet eorum vitæ contradicere voluerit, obuiate.

Idem lib. 2. epist. 30. ad Ioannem Subdiaconum. [Quantò Apostolica sedes Deo auctore cunctis prælata constat Ecclesijs :] tantò inter multiplices curas, & illa nos valdè sollicitat, ad consecrandum Antistitem, nostrum expectatur arbitrium. Et lib. 2. epistol. 37. ad Natalem Episcopum. Postquam, inquit, ad beatitudinem vestram, & decessoris mei, & mea, in causa Honorati Archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta vtriusque sententia, præfatus Honoratus proprio gradu priuatus est. [Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.]

Item lib. 4. epist. 56. ad Episcopos Prouinciæ Helladis. Pallium Ioanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite, cui vos magnoperè conuenit obedire.

Item lib. 7. epist. 63. ad Ioannem Episcopum Siracusanum. Nam, inquit, de Constantinopolitana Ecclesia, [quis eam dubitet Apostolicæ sedi esse subiectam ?] quod, & Dominus pijssimus Imperator, & frater noster Eusebius, eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitetur.

Et epist. 64. ad eumdem: Nam, inquit, quod se dicit sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, [nescio quis ei Episcopus subiectus non sit.]

Et lib. 11. epist. 42. ad Ioannem Episcopum Panormitanum. Illud, inquit, admonemus, [vt Apostolicæ sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. . Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset iniuria.]

Idem in Explicatione quarti psalmi pœnitentialis in illum versum, tota die exprobrabant mihi. Nostris verò, inquit, maximè temporibus malitiæ suæ virus (hæresis, scilicet) exercuit : & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aduersùs Ecclesiam Dei non solùm innumerabilem populi multitudinem, verùmetiam Regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio finit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potiùs quàm regat imperium, & quoscumque habere potest peruersitatis suę socios, eos a consortio Christi facit alienos, Qui turpissimi lucri cupiditate illectus Sponsam Christi captiuam cupit abducere, & passionis Dominicæ Sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippè, quam sui sanguinis precio redemptam Saluator noster voluit esse liberam, hanc iste, potestatis regiæ iura transscendens, facere conatur ancillam. Quantò melius foret sibi, Dominam suam esse agnoscere, eique, religiosorum Principum exemplo, deuotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, à quo suę dominium accepit potestatis? Ipse est enim, qui ait: Per me Reges regnant. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino, vt patet, ingratus beneficio, & contra Deum fastuosus, terminos quos posuerunt Patres nostri, contempto diuino timore, transgreditur, & contra catholicam veritatem, suæ furore tyrannidis efferatur. In tantum autem suę temeritatem extendit vesaniæ, [vt caput omnium Ecclesiarum, Romanam Ecclesiam, sibi vendicet, & in Domina gentium, terrenæ ius potestatem vsurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apostolo specialiter commisit.]

Submonitio ad Lectorem.

TAm præclara sunt hæc, & tam multa atque illustria, quin & omni exceptione maiora testimonia de primatu sedis, & successorum B. Petri Apostoli, vt pij, & cordati de illis iustè ambigere, nec possint, nec debeant. Neque enim falsum testimonium toties, & tam apertè, ac publicè coram toto mundo, & vniuersa posteritate tulisse tot tantosque Pontifices, quisquam, vel suspicari queat; cum fuerint omnes, vt nec aduersarij diffiteantur, viri doctissimi, & pientissimi; & priores duodecim, præterea etiam sanctissimi Martyres. Et quomodo coram omnibus Episcopis totius Orientis, & Occidentis (vt taceam Imperatores diuersos) ad quos, vel sigillatim, vel coniunctim scripserunt, potestatem suam monarchicam, vel superioritatem Apostolicam allegare, & tam sæpè, & seriò prætendere, & vigore illius illis cum summa auctoritate, vel mandare, & præscribere, vel responsa, & consulta dare, quin & minari etiā censuras, & pœnas Ecclesiasticas delinquentibus, ac reipsa quoque, quando ira ferebat, & exigebat iusta euidensque, necessitas, infligere ausi fuissent; si non constitisset vtbi, & orbi, rem sic, & non aliter sese habere: quod etiam sponte, vtroque tam Episcopi, quàm Imperatores quoque, & alij Principes Christiani euidenter confessi sunt, & ad Romanum Pontificem, tanquam S. Petri ordinarium successorem, & proinde supremum totius, atque vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, ac Rectorem in afflictionibus, & persecutionibus, in dubijs, ac maioribus causis, ac casibus, & magis arduis negotijs Ecclesiasticis scribendum, recurrendumque sibi putarunt: & vel responsa, vel consulta, vel auxilium, patrociniumque à Romana sede, & eius Episcopo enixè, submisseque implorarunt, & impetrarunt sæpiùs: id quod tum ex epistolis SS. Pontificum ad ipsos rescriptis, tum ex illis, quas ad ipsos Romanos Pontifices ex Asia, Africa,

& Eu-

& Europa diuersi scripserunt, & illustres Episcopi, Primates etiam, & Patriarchæ, nec non Imperatores quamplurimi, meridiana luce clarius, atque adeo testatissimum euadit. Conantur quidem degeneres Ecclesiæ Catholicæ hostes duodecim priorum Pontificum, & martyrum epistolas in dubium vocare; sed mendacij coarguuntur ab Isidoro, à Ruffino, & Concilio Vasensi, qui illas vt authenticas citant, & solidis præterea argumentis nostro seculo confutati sunt à D. Francisco Turriano, quinque libris, quos pro Canonibus Apostolorum, & epistolis decretalibus Apostolicorum Pontificum, eruditissimè contra Magdeburgenses Centuriatores conscripsit anno 1573. Coloniæ in officina Quenteliana editos. Posteriorum verò post S. Syluestrum Pontificum epistolas cùm negare non ausint, malunt tamen impudenter contradicere, & blasphemis conuicijs Sanctissimos Pontifices, more nimirum suo, impiè proscindere, quàm errorem agnoscere suum, & clarissimæ, testatissimæque veritati locum, & fidem tribuere: haud secus quàm Pharisæi excæcati odio, & malitia, contra confessionem, & conscientiam suam, Christo præfractè, & impudentissimè contradicere, quàm humiliter credere maluerunt. Ne tamen solo Pontificum Romanorum, in propria vt videtur causa, niti videamur testimonio, adducemus porrò græcorum, & latinorum, atque adeò totius Ecclesiæ quoque euidentissima, & conspirirantia testimonia.

Exegesis, & Germana explicatio Patrum, quos perperam, & corruptè allegant hæretici.

VNiuersalis Episcopus dupliciter aliquis vocari poterit: primò, quod solus, & vnicus sit Episcopus, sic vt nulli præter ipsum, Episcopi nomine vocari similiter possint, & alij omnes, non Episcopi, sed vniuersalis istius, & vnici Episcopi veluti ministri, & vicarij censeri possint, & debeant. Hoc sensu solus Christus Episcopus animarum nostrarum, & Pastor Ecclesiæ vocari potest, & debet: & ille Antichristus meritò, aut illius prodromus censendus venit, qui tali tatione, & intentione vniuersalem se Episcopum nominare, aut vt sic nominetur, affectare, vel exigere ausit: idque duplici ex causa: tùm quia quod Christo, & soli Christo competit propriè, sibi vsurpare præsumit; tùm quia hoc non nisi ex superbia mera, & diabolica arrogantia facit: quæ duo in Antichristo singulariter inuenientur, & eius Spiritum exprimunt. Quia igitur hoc fine sese vniuersalem Episcopum appellabat, & appellari volebat Patriarcha, & Episcopus Constantinopolitanus meritò sese illi tam fortiter, & constanter opposuit S. Gregorius, & ante ipsum Pelagius prædecessor, & illum titulum, & vt blasphemum, sacrilegum, & Antichristianum Spiritum redolentem in Constantinopolitanis Episcopis nulla ratione admittere, aut tolerare voluerunt, sed omnibus modis detestati sunt, & persecuti, vti ex officio quoque, & auctoritate Apostolica facere tenebantur. Hanc fuisse mentem istorum Pontificum ex epistolis eorum, & maximè S. Gregorij, atque adeo ex ipsis testimonijs, quos hæretici contra Catholicos allegare audent, quiuis cordatus, & intelligens cognoscere poterit. Altero modo vniuersalis aliquis dicitur Episcopus, non qui vnus, & solus, sed qui præcipuus, summus sit Episcopus inter alios inferiores. Sicuti generalis aliquis minister, aut Prouincialis vocatur, non qui solus, sed qui principalis, & supremus sit Minister, aut Prouincialis, inter alios Ministros, & Prouinciales, quos sub se habet. Hoc sensu sub Christo, vniuersalis est, & vocari potest Romanus Pontifex totius Ecclesiæ Episcopus, quia inter cæteros Episcopos, quibus administratur, & regitur Ecclesia, præcipuum obtinet, & supremum locum: & cùm alij particulares pascere habeant Ecclesias, ipse vniuersam Ecclesiam, cum omnibus, & vniuersis Episcopis, & ouibus Christi, tamquam caput, & generalis, ac supremus Pastor, ex officio moderatur. Et hoc non inficiatur sanctus Gregorius, sed agnoscit, & probat, totique orbi Christiano notissimum asseuerat, & reipsa etiam ostendit, se generalem, ac supremum esse Pastorem totius, atque vniuersalis Ecclesiæ: neque tamen, ob depravatum, & sceleratum sensum, quo sibi Constantinopolitanus Episcopus, vniuersalis Episcopi titulum vsurpabat, voluit admittere, vt Romanus Pontifex eo titulo appellaretur, nedum Constantinopolitanus, qui dumtaxat vnius diœcesis Episcopus, & prouinciæ Primas, seu Patriarcha erat particularis, qui nihilominus vel hoc secundario sensu absque sacrilega, & falsissima, atque adeo antichristiana arrogantia titulum vniuersalis Episcopi sibi vendicare non potuit: quia etsi Primas erat, & Patriarcha in sua prouincia; totius tamen, & vniuersalis Ecclesiæ summus non fuit, nec generalis Episcopus; siquidem illud nomen, illeque titulus in nullum conferri, nec competere potest mortalem, nisi solum Romanum Pontificem; quem vniuersa etiam Ecclesia, cùm alibi, tùm in generali isto, & celeberrimo Concilio Chalcedonensi ea propter, nec temerè, nec falsò, nec immeritò, hoc secundario sensu, vniuersalem Episcopum vocauit aut saltem æquipollenti titulo sponte, vltroque decorauit. Quin, & ipsemet Christus Vicarium suum, & supremum totius Ecclesiæ suæ in terris visibilem constituendum, & vsque ad finem mundi ordinaria successione continuandum Rectorem, vnum Pastorem vocare non dubitauit erit, inquit, vnus Pastor, & vnum ouile Ioan. 10. non quia solus, sed quia præcipuus futurus esset, & super omnes alios collegas, & inferiores Pastores, summus: ac generalis Pastor; cuius respectu omnes, alij etiam Episcopi, & Pastores, oues censendi venirent: licet alioquin, respectu suorum subditorum, & gregum, veri essent quoque Episcopi, & Pastores.

CA-

CAPVT XVII.

An Romanus Pontifex, sit vniuersalis, seu Catholicæ Ecclesiæ, supremus in terris Pastor, secundùm sententiam SS. Patrum totius Orientis.

Vera sententia Catholicorum.

ROmanus Episcopus, quia S. Petri summi, & generalis Pastoris, ordinarius successor, totius quoque Ecclesię Catholicę sub Christo caput est visibile, Pastor & Rector; quia sic crediderunt, & confessi sunt SS. Patres Asiani, & Gręci, seu totius Orientis.

Falsa sententia Hæreticorum.

ROmanus Episcopus non est supremus totius Ecclesię Pastor, nec Pontifex, sed Antichristus: quia sic Patres Asiani, & Gręci testantur.

S. Ignatius Episcopus Antiochenus in Syria, & Martyr. In epistola quam scripsit ad Romanos. Ignatius, inquit in titulo, [Ecclesię sanctificatę, quę prę sidet in regione Romanorum.]

S. Irenęus discipulus S. Polycarpi in Asia, & postea Episcopus Lugdunensis in Gallia, ac Martyr lib. 3. contra hęreses cap. 3. [Maximę, inquit, & antiquissimę, & omnibus cognitę, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romę fundatę, & constitutę Ecclesię,] eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus eos, qui quoque modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cęcitatem, & malam scientiam, prętérquam oportet, colligunt. [Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles,] in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quę ab Apostolis est traditio.

S. Epiphanius Salamine Cypri Episcopus hęresi 68. quę est Meletianorum. Vrsatius, & Valens (qui erant Episcopi) pœnitentiam agentes, inquit, vnà cum libellis [profecti sunt ad B. Iulium Romanum Episcopum,] pro ratione reddenda de suo errore, ac delicto.

S. Athanasius Alexandrinus Episcopus in Ægypto lib. 2. Apologetici, idem testatur de illis Episcopis Ariana hęresi priùs infectis, sed postea resipiscentibus. Itidem, inquit, & isti, (Vrsatium, & Valentem intelligit) à veritate superati postularunt (veniam scilicet erroris, & delicti) [& postulationem suam literis mandatam tradiderunt Iulio Episcopo Romano. [

Idem in libro de sententia Dionysij Patriarchę Alexandrini. Quidam, inquit, ex Ecclesia rectè quidem sentientes, sed ignari eius causæ, cur ita ab eo scriptum esset, [Romam ascenderunt, ibique eum (Patriarcham Alexandrinum) apud Dionysium Romanum Præsulem, tanquam supremum videlicet Ecclesiæ caput, & iudicem, accusauerunt.]

S. Basilius Magnus Episcopus Cęsareæ in Cappadocia Prouincia Asiæ minoris in epistola 52. ad Athanasium: [Visum est, inquit, consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & indicij sui decretum interponat.] Vt quia difficile est, aliquos inde de Concilij sententia mitti, [ipse auctoritatem rei tribuat delectis viris,] qui laborem quidem itineris ferre possint, lenitate verò, ac facilitate morum, tum commoda, & prudenti oratione eos, qui à recta via deflexerunt, monere, quique acta Ariminensis Concilij secum ferant, ad ea rescindenda, quæ illic violentè acta sunt.

S. Gregorius Nazianzenus Episcopus in Cappadocia Asiæ minoris in carmine de vita sua, [dicit Romanam Ecclesiam semper conseruasse veram de Deo sententiam, vt decet, vrbem, quæ toti Orbi præsidet.]

S. Chrysostomus Archiepiscopus, & Patriarcha Constantinopolitanus, ac totius Græciæ epist. 1. ad Innocentium Papam: [Obsecro, inquit, vt scribas, quod hæc tam iniqua facta (iniustè deposuerat Chrysostomum Episcopatu Theophilus Episcopus Alexandrinus in Concilio multorum Episcoporum) non habeant robur:] Illi autem, qui iniquè egerunt pœnę Ecclesiasticarum legum subiaceant.

Idem in epist. 2. ad eumdem Innocentium Romanum Pontificem. Perpetuas vobis, inquit, gratias agimus, [quod paternam erga nos beneuolentiam declarastis.] Et in eadem epistola, petit, ne Romanus Pontifex inimicos suos, si curari velint, grauiùs puniat, aut excommunicet, licèt benè essent meriti. [Vestram, inquit, oro vigilantiam, vt licèt omnia tumultibus impleuerint, si tamen curari morbo voluerint, ne affligantur, neque è cætu eijciantur.]

S. Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus, & Primas totius Ægypti in libro Thesauri, vt citatur à S. Thoma in opusculo contra Græcos, & Gennadio Scholario Græco auctore in libro de Primatu Romani Pontificis. [Petro, inquit, omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi, tamquam ipsi Domino Iesu obediunt. Item: Debemus nos, vt qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicę Sedi adhærere.]

Theodoretus Cyri in Asia Episcopus, qui octingentis Ecclesijs circa annum Domini 440. præerat, in epistola ad Leonem Papam. [Ego, inquit, Apostolicæ vestrę Sedis exspecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi opem ferat, iustum vestrum, & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam, vestigia Apostolica sequentem.]

Idem in epist. ad Renatum Presb. Rom. Spoliarunt, inquit, me Sacerdotio, eiecerúntque ex ciuitatibus, neque ætatem in religione exactam, neque canitiem reueriti. Quamobrem te precor, [vt SS. Archiepiscopo Leoni persuadeas, vt Apostolica vtatur auctoritate, iubeatque ad vestrum Concilium adire. Tenet enim sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.]

Sozo-

Sozomenus lib.3. cap.7. [Cùm propter Sedis, inquit, propriæ dignitatem, loquitur de Iulin Romano Pontifice, qui restituit Episcopatum Athanasio Alexandrino, & Paulo Constantinopolitano, cura omnium ad ipsum spectaret,] singulis Ecclesiam suam restituit.

Acatius Episcopus ad Simplicium Papam, qui præfuit Ecclesiæ circa annum 468. & scripserat ad Acatium, vt motus Alexandrinæ Ecclesiæ componeret. [Sollicitudinem, inquit, omnium Ecclesiarum, secundùm Apostolum circumferentes,] indesinenter hortamini, quamuis sponte vigilantes, & præcurrentes, sed vos diuino zelo solicitos demonstratis, statum Alexandrinæ Ecclesiæ certiùs requirentes.

Liberatus in Breuiario cap.22. Siluerio, Romano Pontifice, circa annum 535. veniente Pataram, venerabilis Episcopus ciuitatis ipsius venit ad Imperatorem, & iudicium Dei contestatus est, de tantæ sedis Episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse vnum. [sicut ille, Romanus Pontifex Silucrius, Papa est super Ecclesiam mundi totius,] à sua sede expulsus.

S. Athanasius, & reliqui Episcopi in Synodo Alexandrina ad Felicem Papam, qui præfuit Ecclesiæ circa annum Domini 360. de infestationibus Arrianorum. Domino beatissimo, & honorabili sancto Patri Felici, Sanctę Sedis Apostolicę Vrbis Romę Papę, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum Episcopi in sancta Alexandrina Synodo, gratia Dei, congregati. Vestro, inquiunt, sancto suggerimus Apostolatui, vt nostri, more solito, solicitudinem gerere dignemini, iuxta vestram prudentissimam sapientiam, quæ omnibus luce clariùs manifesta est: quia Apostolicis vestra beatitudo visceribus commota per tribulationem nostram, nos omnes hortata est ad tuitionem Catholicæ, & Apostnlicæ Ecclesiæ, in vnum conuenire. Et statim post: Ideo Pater beatissime, [qua semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus; præfatam Apostolicam, & summam expetimus, iuxta canonum decreta, sedem,] vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationes ceperunt: [ad eam quoque quasi ad Matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur, quoniam non potest Mater obliuisci infantem suum: sic & vos nolite obliuisci nos vobis commissos,] quoniam non leuibus nos inimici nostri implicauerunt, & quotidie facere moliuntur afflictionibus, & apprehendere, aut ferro nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus: quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus: [canonibus quippe iubentibus, absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere Pontifice:] ideoque ad propositum recurrentes, & ad brauium properantes, vestræ Apostnlicæ Sedis imploramus auxilium: quia vt credimus non despexit Deus preces, non lachrymis sibi oblatas seruorum suorum: [sed ob id vos prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum eis curam habere præcepit, vt nobis succurratis, nosque tuentes, cui omne Episcoporum iudicium est commissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis: nam scimus in Nicæna magna Synodo trecentorum, octodecim Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari:] licèt hæc, & alia quàm plurima necessaria, ab hæreticis, qui nos quotidie infestant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere possint, sint Synodica capitula incensa, nobisque sublata. Et paulò post. [Scimus enim, vt semper vestra Sedis præsules, primò Apostoli, deinde successores eorum fecerunt, vos vniuersalis Ecclesiæ, & maximè Episcoporum, qui oculi, propter contemplationem, & speculationem vocantur Domini, curam gerere, ac de reuelatione, ac lege nostra assiduò cogitare debere.

Idem Athanasius cum Episcopis totius Ægypti ad Marcum eius nominis primum, Pontificem Romanum, pro exemplaribus Nicæni Concilij, quia Ariani eorum exemplaria incenderant. Domino, inquit, sancto, & Apostolici culminis venerando, Marco sanctę Romanæ, & Apostolicæ Sedis, [atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ,] Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi. Ad vos peruenisse non dubitamus, quanta & qualia ab hæreticis, & maximè ab Arianis quotidie patimur; quoniam in tantùm ab ijs persequimur, vt etiam viuere iam nos tædeat. Nam instanti tempore subitò, & insperatè in nos irruentes, nosque iuxta præceptum Domini, qui ait: si vos persecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam, fugiendo, propter cladem populi eos declinantes, nos comprehendere non valuerunt, sed omnia depopulati sunt. In tantum enim nostra vastauerunt, vt nec libros, nec vestimenta Ecclesiastica, aliaque ornamenta, nec reliqua vtensilia nobis dimitterent. Libros verò nostros, vsque ad minimum incendentes, nec iota vnum relinquentes, propter veritatis fidem, etiam [Nicænam Synodum, qua modò clerus, & populus imbuebatur, & maximè iam imbuti erant,] in contumeliam nostram, & omnium Christianorum incenderunt. Quapropter precamur, [Pater beatissime,] quia non dubitamus apud vos plenaria esse Nicæni Concilij exemplaria, vt nobis illa, [quæ sanctæ recordationis prædecessoris vestri Siluestri fuerunt,] sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando prędictæ Synodo, cum beatæ memorię Alexandro, digno Deo Pontifice nostro, id est, Alexandrinę Magnæ Ciuitatis Episcopo, in Diaconatus interfuimus officio, sub nostræ præsentię testimonio per beatos viros Victorem, & Vincentium Presbyteros, Apostolicę Sedis Apocrisarios, missa sunt prędicto Papę Siluestro, cum astipulatione subnexa, capitula septuaginta. Sanè pręsentibus nobis octoginta capitula in memorata tractata sunt Synodo, scilicet quadraginta à Gręcis, gręca edita lingua, & quadraginta à Latinis, similiter latina ędita lingua. Sed visum est trecentis decem, & octo Patribus, sancto Spiritu repletis, in prędicto Concilio congregatis, & maximè iam dicto Alexandro, & Apostolicę Sedis Apocrisarijs, vt decem capitula adunarentur alijs, atque congruis locis insererentur,

& ad formam feptuaginta Difcipulorum, vel totius otbis terrę linguarum, feptuaginta tanti, & tam excellentis Conciij fierent Capitula,] quę omnem Chriftianorum informarent orbem, & omnes fub Sacerdotali, & Chriftiano nomine degentes vna fides, & vna facerdotalis, atque clericalis regeret norma, nec quifquam à fuo diffideret capite.] Nunc ergo, quia, vt prædictum eft, ab inimicis fanctæ Dei Ecclefiæ, & maximè ab Arianis, à quibus quotidiè expugnamur, conterimur, & opprimimur, præfata feptuaginta Nicœni Concilij capitula, quæ de præfata Synodo iam fato iubente Domino meo Alexandro, decreto omnium Epifcoporum attuli, quæ etiam coram omnibus recitaui, atque tranfcripfi, funt igne combufta: optamus, [vt à veftræ fedis auctoritate, quæ eft mater, & caput omnium Ecclefiarum,] ea ad correctionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præfentes legatos mereamur: [quatenus veftra fulti auctoritate,] veftrifque precibus roborati, illæfi à memoratis æmulis fanctæ Dei Ecclefiæ, & noftris, euadere, nobifque commiffos eruere valeamus. [Verè nouimus, Apoftolatus veftri] cor gratia fancti Spiritus in tantum effe accenfum, [vt omnibus oppreffis fuccurratis :] quantò magis nobis; qui licèt exigui ordinis, [tamen veftri fumus, vobifque obedientes cum omnibus nobis commiffis, & fumus, & femper effe volumus ?] Et in fine. Orantem pro nobis, [fanctum Apoftolatum veftrum,] longæuis Dominus feruet temporibus.

Submonitio ad Lectorem.

EX his præclaris teftimonijs euidentiffimè patet, hoc ipfum, quod Sacerrimi Pontifices Romani, vt fuperiore capite probatum eft, de fua poteftate in vniuerfam Ecclefiam Chrifti, non ex fuperbia, aut præfumptione (à qua fuere alieniffimi, vtpotè fingulari fanctitate præditi, & illuftres) fed, ficut, & S. Apoftolus Paulus fubindè, eodem, aut fimili nomine, poteftatem fuam commemorare, prætendere, & contra Pfeudo Apoftolos, hæreticos, & fchifmaticos, aliofque rebelles, vendicare coactus fuit, neceffirate, aut iuftiffimis rationibus ducti, in fuis, aut refponfalibus, aut decretalibus Epiftolis allegarunt; Patres, & Epifcopos Græciæ, Ægypti, Afiæ, atque adeò totius Orientis, quotquot Chriftiani, & Catholici fuerunt, ingenuè credidiffe,& publicis fcriptis, atque adeò reipfa comprobaffe, & vniuerfo mundo fuiffe conteftatos; quando Romanam Ecclefiam omnium Ecclefiarum Matrem, ac caput, & Romanum Pontificem vniuerfalis, hoc eft, totius per vniuerfum Orbem Chriftianum, Ecclefiæ Chrifti fupremum Pontificem, Paftorem, & Rectorem profeffi funt,& eumdem, vt talem, in dubijs confulere, & aduerfis contra hoftes fidei, & religionis catholicæ, hæreticos nimirum, & fchifmaticos,aliofque rebelles,pro auxilio fuppliciter,humiliterque, implorare non deftiterunt: nec hoc ipfimet tantùm crediderunt, & confeffi funt, tum fingillatim, tùm coniunctim in Synodis, ac concilijs prouincialibus, Orientalis Ecclefiæ Patriarchæ, Primates, Archiepifcopi, Epifcopi, & Præfules; fed & fuos, fibique creditos idipfum diligenter docuerunt: vt præter alia, ex Epiftola illa S.Athanafij,& totius Ægypti Epifcoporum ad S. Marcum Pontificem Romanum, fatis conftat: ideòque Orientalem Ecclefiam credidiffe, & agnouiffe, & confeffam effe Romanam Ecclefiam veram effe, & indubitatam Ecclefiam Chrifti, idque ideò, quia Romanus Epifcopus verus eft, & ordinarius in vifibili hierarchia, fancti Petri (primi fub Chrifto totius Ecclefiæ vifibilis, ac fummi Paftoris) fucceffor, & totius Ouilis, hoc eft, Ecclefiæ Chrifti principalis, & quamdiù Ecclefia in terris peregrinabitur, perpetuus, atque adeò, fecundum Chrifti expreffam promiffionem, vnus, hoc eft, fummus Paftor. Nec poffunt hæretici vnum ex primæuis Orientalibus Patribus,aut Epifcopis producere, qui hoc ipfum, vel inficias iuerit, aut impugnauerit: nifi fuerit infamis hæreticus, aut fchifmaticus, aut alia ratione rebellis, & fuperbiæ fpiritu inflatus, atque corruptus.

CAPVT XVIII.

An Romanus Pontifex, fit vniuerfæ, feu catholicæ Ecclefiæ fupremus Paftor, & Rector, fecundùm fententiam Sanctorum Patrum latinorum, feù totius Occidentis.

Vera fententia Catholicorum.

ROmanus Epifcopus, quia S.Petri, generalis, feù fummi Ecclefiæ Paftoris, ordinarius fucceffor, totius quoque, & vniuerfæ catholicæ Ecclefiæ fub Chrifto, in vifibili hierarchia caput eft vifibile, Paftor, & Rector fupremus: quia fic crediderunt, & confeffi funt Epifcopi, ac Patres Latini, ac totius Occidentis.

Sanctus Cyprianus Martyr, & Primas totius Africæ lib. 1. Epift. 3. ad Cornelinm Papam. Neque enim aliundè hærefes obortę funt, aut nata funt fchifmata, quàm indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, [nec vnus in Ecclefia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chrifti cogitatur.]Et paulò infra: Poft ifta adhuc infuper, pfeudoepifcopo, fibi ab hæreticis conftituto, Nouatiani, nauigare audent, [& ad Petri cathedram, atque Ecclefiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eft,] à fchifmaticis, & profanis literas ferre.

Idem lib. 1. Epift. 8. ad plebem vniuerfam. Deus,inquit,vnus eft, & Chriftus vnus, [& vna Ecclefia, & cathedra vna fuper Petrum, Domini voce fundata.] Aliud altare conftitui, aut facerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum facerdotium non poteft, quifquis alibi collegerit fpargit.

Idem cum Collegis fuis Epifcopis Africanis lib. 4. Epift. 1. ad Lucinm Papam Romanum, fucceforem proximum S. Cornelij Papæ, & Martyris. Et nuper quidem,inquit, Frater chariffime, gratulati fumus, cùm te honore geminato in Ecclefiæ fuæ adminiftratione.Confefforem pariter, [& Sacerdotem conftituit diuina dignatio:] fed & nunc non minus

minus tibi, & comitibus tuis, atque vniuersę fraternitati gratulamur, quòd cum eadem gloria, & laudibus vestris, reduces vos denuò ad suos fecerit benigna Domini, & larga protectio, [vt pascendo gregi Pastor, & gubernandæ Naui Gubernator, & plebi regendę Rector redderetur,] vt appareret relegationem vestram sic diuinitùs esse dispositam, [non vt Episcopus relegatus, & pulsus Ecclesiæ deesset,] sed ad Ecclesiam maior rediret. Et paulò infra: Intelligimus Frater charissime, & tota cordis nostri luce perspicimus, Diuinæ maiestatis salutaria, & sancta consilia, vndè illic repentina nuper persecutio exorta sit, indè contra Ecclesiam Christi, & Episcopum Cornelium beatum martyrem, vosque omnes, sæcularis potestas subitò proruperit, vt ad confundendos hæreticos, & retundendos ostenderet Dominus, [quæ esset Ecclesia, quis Episcopus eius vnus, diuina ordinatione delectus,] qui cum Episcopo Presbyteri, sacerdotali honore coniuncti, quis adunatus, & verus Christi populus, Dominici gregis charitate connexus, qui essent, quos inimicus lacesseret: qui contra, quibus diabolus, vt suis parceret. Neque enim persequitur, & impugnat Christi aduersarius, nisi castra, & milites Christi: hæreticos prostratos semel, & suos factos contemnit, & prætérit. Eos quærit deijcere, quos videt stare. Et paulò post: Cuius (Christi) quia citò appropinquabit aduentus, imago iam quædam præcessit in vobis: vt quomodo Ioannes præcursor eius, & præuius, veniens prædicauit Christum venisse, [sic nunc Episcopo Confessore Domini, & Sacerdote redeunte, appareat, & Dominum iam redire.]

Falsa sententia Hæreticorum.

Romanus Pontifex non est caput, nec pastor, aut Rector Ecclesiæ Christi, sed Antichristus censendus: quia sic Episcopi, ac Patres Africani, aliique latini censuerunt.

Sanctus Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ: Episcopatus, inquit, vnus est, [cuius à singulis in solidum pars tenetur.]

Idem tom. ad Quintum, seu Quitinum, in Concilio Carthaginensi præsidens, sic inter alia orditur: [Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit.]

Sanctus Hieronymus in Epistola ad Nepotianum. [Singuli, inquit, Ecclesiarum Episcopi,] singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, [& omnis ordo ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.]

Idem in epistola ad Euagrium. Si auctoritas, inquit, quæritur, [orbis maior Vrbe. Quid mihi profers vnius Vrbis consuetudinem?] Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiæ vendicas? Vbicumque fuerit Episcopus, siuè Romæ, siuè Eusebij, siuè Constantinopoli, siuè Rhegij, siuè Alexandriæ, siuè Tanis, [eiusdem meriti est, & eiusdem sacerdotij: potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas sublimiorem, vel infirmiorem Episcopum non facit.]

Episcopi Africæ in Concilio Carthaginensi tortis can. 26. [Primæ Sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi,] sed tantùm primæ sedis Episcopus.

Idem lib. 4. epist. 2. ad Antonianum. [Factus est, inquit, Cornelius Pontifex Romanus Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio,] de clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, [cùm Fabiani locus, idest locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiæ ordinationem, quia ecclesiæ non tenet vnitatem, quisquis ille fuerit, multum licèt de se iactans, prophanus est, alienus est, foris est.] Et cùm post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus, sed nullus est. Tum deindè post Episcopatum non exambitum, nec extortum, [sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum,] quanta in ipso suscepto episcopatu suo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos simplici corde, & perspicere penitus, & laudare debemus: [sedisse intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra,] eo tempore, quo Tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda, atque nefanda comminaretur: cùm multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduersùs se ęmulum principem, [quàm constitui Romæ sacerdotem.] Et paulò infra. Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi ecclesia non est. Iactet se, & philosophiam, vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatem, nec ecclesiasticam vnitatem tenuit, etiam quod priùs fuerat, amisit: nisi Episcopus tibi videtur, qui Episcopo in ecclesia à sexdecim Coepiscopis facto, adulter, atque extraneus Episcopus fieri à desertoribus per ambitum nititur, [& cum sit à Christo vna ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa: item episcopatus vnus, episcoporum multorum concordi numerositate diffusus; ille (Nouatianum hæresiarcham intelligit) post Dei traditionem, post connexam, & vbicumque coniunctam Catholicæ ecclesiæ vnitatem, humanam conetur ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates nouos Apostolos suos mittat, vt quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat. Et statim deinceps: Qui ergo, nec vnitatem Spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab ecclesiæ vinculo, atque à sacerdotum collegio separat, [Episcopi, nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus, nec vnitatem voluit tenere, nec pacem.]

Idem lib. 4. epist. 8. ad Cornelium Papam. [Nos enim, inquit, singulis nauigantibus, ne cum scandalo vllo nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, vt Ecclesiæ catholicæ Matricem, & radicem agnoscerent, & tenerent.] Sed quoniam latiùs fusa est nostra prouincia, habet enim Numidiam, & Mauritaniam cohærentes, ne in Vrbe schisma factum, absentium animos incerta opinione confunderet, [placuit, vt per

per Episcopos,] retenta à nobis veritate, [ad comprobandam ordinationem tuam facta auctoritate maiore, tum demùm,] scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, [per omnes omninò in prouincia ista positos, literæ fierent, sicut fiunt, vt te vniuersi Collegæ nostri, & communicationem tuam, idest, Catholicæ ecclesiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, ac tenerent.] Quod diuinitùs euenisse, & consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus. [Sic enim nunc episcopatus tui, & veritas pariter, & dignitas apertissima luce, & manifestissima, & firmissima est confirmatione fundata,] vt ex rescriptis Collegarum nostrorum, qui ad nos literas indè fecerunt, & ex relatione, & testimonijs Coepiscoporum Pompei, & Stephani, & Caldonij, ac Fortunati ordinationis tuæ, & origo necessaria, & ratio iusta, & gloriosa quoque innocentia ab omnibus nosceretur. Quod vt simul cum cæteris collegis nostris stabiliter, ac firmiter administremus, [atque vt Catholicæ ecclesiæ concorditer vnanimitatem teneamus, perficiat diuina protectio, vt Dominus, qui sacerdotes sibi in ecclesia sua eligere, & constituere dignatur,] electos quoque, & constitutos sua voluntate, atque opitulatione tueatur.

Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, docet vnicam esse cathedram, hoc est, supremam ecclesiasticam potestatem, & functionem in ecclesia Christi, & hanc singularem, & vnicam cathedram primùm S. Petro, & in ipso ordinarijs deindè successoribus Romanis Episcopis esse à Domino traditam, probatque hoc per ordinariam, & continuam successionem Romanorum Pontificum in cathedra Petri; hancque cathedram, vnam esse ex principalibus dotibus, quas Christus ecclesiæ Sponsæ contulit: & tandem concludit: [Igitur de dotibus supradictis, cathedra est prima, quam probauimus per Petrum nostram esse.]

Sanctus Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis in cap. 3. prioris epistolæ ad Timotheum. Cùm totus Mundus, inquit, Dei sit, [tamen Domus eius, ecclesia dicitur, cuius hodiè Rector est Damasus.]

Idem lib. 10. epist. 81. Domino dilectissimo Siricio Papæ, Ambrosius Episcopus, Bassianus Episcopus, & cæteri. Recognouimus literis sanctitatis tuæ [boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi Ianuam serues: & piæ sollicitudine Christi Ouile custodias, dignumque quem Oues Domini audiant, & sequantur, & ideò, quia nosti Oues Christi, lupos facilè deprehendes, & occurres quasi prouidus pastor,] ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique vlulatu Dominicum Ouile dispergant. Laudamus hoc Domine frater, nobis dilectissime, & toto concelebramus affectu.

Idem tom. 3. Oratione funebri de obitu fratris Satyri, paulò post medium. Aduocauit, inquit, intelligens Fratrem suum, ad se episcopum, nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, [vtrùm nam cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana ecclesia conueniret.]

Sanctus Hieronymus in Syria epist. ad Ageuchiam de Monogamia: Ante annos, inquit, plurimos, cum in chartis ecclesiasticis iuuarem Damasum Romanæ Vrbis Episcopum, [& Orientis, atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem.]

Idem in epist. ad Damasum Pontificem Romanum, quæ est, vt nunc distinctæ sunt, lib. 1. epist. 25. de nomine hypostasis. Quoniam, inquit, vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam per frusta discerpit, & Christi vineam disterminant vulpes (loquitur de hæreticis Arrianis) vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Ideò mihi cathedram Petri, & fidem Apostolico ore commendatam, censui consulendam, indè nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi.] Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur, & aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, [apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas.] Ibi cespite terra fœcundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta in lolium, auenasque degenerant. Nunc in Occidente sol iustitiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui occiderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea: hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur [tui me terreat magnitudo,] inuitat tamen humanitas. [A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium, Ouis flagito.] Facessat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: [cum successore Piscatoris loquor,] & Discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, [Beatitudini tuæ, idest, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.] Et quia meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam, iuncto Barbariæ fine, disterminat, nec possum sanctum Domini, tot interiacentibus spacijs, [à sanctimonia tua semper] expetere: ideò hic Collegas tuos, Ægyptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus, parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. [Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.] Et paulò post: Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per Homousion Trinitatem, [vt mihi epistolis tuis, siuè tacendarum, siuè dicendarum hypostaseon, detur auctoritas.]

Idem epist. 26. eiusdem libri, ad eundem Damasum eamdem ob causam. Importuna, inquit, in euangelio mulier tandem meruit audiri, & clauso cum seruis ostio, media licèt nocte, ab amico panes amicus accipit. Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest; publicani precibus vincitur. Niniue ciuitas, quæ peccato perijt, fletibus stetit.

Quor-

Quorsum ista, tam longè repetita principio? [Videlicet, vt paruum Magnus aspicias: vt diues Pastor, morbidam non contemnas ouem.] Et paulò post: Ità me incessabilis inimicus post tergum secutus est, vt maiora in solitudine bella nunc pariar. Hinc enim præsidijs fulta mundi Arriana rabies fremit: hinc tres in partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat: monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. [Ego interim clamito; Si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.] Miletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt: possem credere, si hoc vnus assereret: tunc, aut duo mentiuntur, aut omnes. [Idcircò obtestor beatitudinem tuam,] per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, [vt, qui Apostolos honore sequeris,] sequatis, & merito, ita in solio, cùm duodecim iudicaturus, sedeas, ita te alius senem cum Petro cingat, ita municipatum cœli cum Paulo consequatis, [vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes,] noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.

S. Augustinus epist. 157. ad Optatum Episcopum. Quamuis, inquit, tuæ sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim literas, tamen quia illæ, quas ad Mauritaniam Cęsariensem misisti, me apud Cæsaream præsente venerunt, [quo nos iniuncta nobis à Venerabili Papa Zozimo, Apostolicæ Sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas traxerat:] factum est, vt ea quæ scripsisti etiam ipse perlegerem.

Idem epist. 162. ad Episcopos Donatistas. Erat, inquit, etiam (Carthago scilicet, cuius Episcopus Cæcilianus falsò erat à Donatistis calumniatus, atque accusatus) transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis: vnde non mediocris vtique auctoritatis habet Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret, [& Romanæ Ecclesiæ] in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum. Et paulò superiùs: Quod posteaquam factum est, præsente Cæciliano, & illis, qui aduersùs eum nauigauerant, [iudicante Melchiade, tunc Romanæ Vrbis Episcopo,] cum Collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuisse, ac per hoc illo in Episcopatu firmato, Donatum, qui aduersùs eum tunc aderat, improbatum.

Idem Tom. 7. contra duas epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium Papam lib. 1. cap. 1. Noueram, inquit, te quidem fama celeberrima prædicante: & frequentissimis, atque veracissimis nuncijs, quanta esses Dei gratia plenus acceperam, [beatissime, atque venerande Papa Bonifaci,] Sed postquam te etiam præsentia corporali frater meus vidit Alipius, acceptusque à te benignissimè, atque sincerissimè, mutua miscuit, dictante dilectione, colloquia, tecumque conuiuens, & paruulo licèt tempore, magno tamen tibi iunctus affectu, se simul, & me refudit animo tuo, neq; mihi reportauit in suo; tantò maior in me tuæ Sanctitatis est facta notitia, quantò certior amicitia. Neque enim dedignaris, qui non alta sapis, [quamuis altius præsideas,] esse amicus humilium, & amorem rependere impensum. Et paulò post, de hæreticis Pelagianis loquens: Cùm verò non desinant fremere ad Dominici gregis anuas, atq; ad diripiendas tanto pretio redemptas oues, aditus vndicumque rimari, communisque sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, [quamuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio,] specula Pastoralis: facio quod possum, pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus, adiuuantibus eius donare dignatur, vt pestilentibus, & insidiantibus eorum scriptis, medentia, & munientia scripta prætendam, quibus rabies, qua furunt, aut etiam ipsa sanetur, aut à lædendis alijs repellatur.

S. Prosper libro de ingratis. [Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honore facta Caput mundo, quicquid non possidet armis, Religione tenet.

Idem lib. 2. de vocatione gentium cap. 6. [Roma, inquit, per Sacerdotij Principatum,] amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.

S. Victor Vticensis de persecutione Vandalorum lib. 2. Dixi enim, inquit, S. Eugenius Archiepiscopus Carthaginensis, si nostram fidem, quæ vna, & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos, scribam & ego fratribus meis, vt veniant Coepiscopi mei, qui vobis nobiscum fidem nostram valeant demonstrare, [& præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum.

Vincentius Lyrinensis in suo commentario: Lectæ, inquit, sunt ibi quædam ad quosdam Epistolæ sancti Felicis Martyris, & sancti Iulij, Vrbis Romæ Episcoporum. Et, [vt non solùm caput Orbis,] verùm etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibitus est à meridie beatissimus Cyprianus, à septentrione sanctus Ambrosius.

Cassiodorus lib. 11. epist. 2. ad Ioannem Papam. [Vos, inquit, Speculatores Christiano populo præsidetis, vos Patris nomine vniuersa diligitis. Et infrà: Quapropter nos decet custodire aliqua, [sed vos omnia.] Et paulò post: [Sedes illa toto orbi mirabilis,] proprios tegat affectione cultores; quæ licèt generalis mundo sit præstita, [vobis etiam cognoscitur, & localiter attributa.

S. Beda lib. 2. historiæ gentis Anglorum cap. 1. Cum primùm, inquit, [in orbe gereret Pontificatum] (S. Gregorius;) & conuersis iamdudum ad fidem veritatis, [esset prælatus Ecclesijs,] nostram gentem, eatenus idolis mancipatam, Christi fecit Ecclesiam.

B. Anselmus Cantuariensis Episcopus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. dedicat librum] Vrbano Papæ, his verbis: [Domino, & Patri vniuersæ Ecclesię in terrę peregrinantis, summo Pontifici Vrbano,] Anselmus, vita peccator, habitu Monachus, siue iubente, siue permittente Deo Cantuariæ Metropolis vocatus Episcopus, debitam subiectionem, cum humili seruitio, & deuotis orationibus. [Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam

ſuam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs referrur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, vt eius auctoritate corrigatur; nec vlli alij tutiùs, ſi quid contra errores reſponderur, oſtendirur, vt eius prudentia examinetur.

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 3. cap. 15. [Apoſtolica Sedes, inquit, cunctis in Orbe terrarum præfertur Eccleſijs.]

S. Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium Papam. Age, inquit, indagemus adhuc diligentiùs, quis ſis, quam geras, videlicet pro tempore, perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? [Sacerdos Magnus, ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Christus.] Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt, Sunt quidem, & alij cœli Ianitores, gregumque Paſtores: ſed tu tantò glorioſius, quantò, & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſsignatos greges, ſinguli ſingulos; tibi vniuerſi crediti, vni vnus. [Nec modò ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor,] Et paulò infrà. Ergo iuxta Canones tuos alij in partem ſollicitudinis, [tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es.] Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus; [tua extenditur, & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne, ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cælum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Sathanę potes? Stat igitur inconcuſſum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm ouibus commendatis.

Stephanus Archiepiſcopus Carthaginenſis, cum Epiſcopis Africæ, nomine trium Conciliorum prouincialium Africæ in Epiſtola ad Damaſum Pontificem Romanum, qui electus eſt, & ſedit anno 363. Beatiſſimo (ſic habet titulo) Domino, [& Apoſtolico culmine ſublimato, ſancto Patri Patrum Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici,] Stephanus Archiepiſcopus Concilij Mauritaniæ, & vniuerſi Epiſcopi, de tribus Concilijs Africanæ Prouinciæ. Notum, inquit, facimus veſtræ Beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis poſiti, quoſdam fratres noſtros, venerabiles videlicet Epiſcopos, vobis inconſultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur, cùm veſtræ Sedi Epiſcoporum iudicia, & ſummorum ſidem Eccleſiaſticorum negotiorum, in honore beatiſſimi Petri Patrum decreta omnium, cunctam reſeruauere ſententiam inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura, & ſollicitudine obſeruare debemus. Maximè verò debeat ab ipſo Præſidum examinari [vertice Apoſtolico,] cuius vetuſta ſollicitudo eſt, tam mala damnare, quàm reuelare laudanda. Antiquis enim regulis cenſitum eſt, vt quicquid horum, quamuis in remotis, vel longinquo poſitis agerent Prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, [niſi ad notitiam Almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, vt eius auctoritate, iuxta quod fuiſſet pronunciatum, firmaretur;] & reliqua multotiens talia, & his ſimilia, quæ ſuper his conſtituta ſunt: quibus ſi illicitè factum eſt, [vt ſemper veſtræ ſedi conſuetudo fuit,] feſtinanter occurrite, & his vtiliter, [vt Pater pro filijs certantes, ſtate.] Et paulò poſt: Deus ergo creator omnium conſeruet [longæuum Apoſtolatum veſtrum, ad ſtabilitatem Eccleſiarum ſanctarum, & orthodoxæ fidei, voſq; Paſtorem bonum, qui ſpiritualibus pro ouibus veſtram ponitis animam, atque baculo paſtorali lupos rapaces expellitis, omnibuſq; oppreſsis auxilium fertis:] quod & iſtis, [atque omnibus vos ſemper facere optamus, ſanctiſsime Papa.]

Synodus prouincialis Carthaginenſis ad Innocentium Papam. Domino beatiſsimo, & honoratiſsimo fratri [Innocentio, vniuerſalis Eccleſiæ Papæ.] Aurelius, Numidius, &c. (cum Epiſcopis alijs, vltra ſeptuaginta] qui in Concilio Eccleſiæ Carthaginenſi affuimus. Cum ex more, inquiunt, ad Eccleſiam Carthaginenſem ſolemniter veniremus, atque ex diuerſis cauſis congregata ex nobis Synodus haberetur, compresbyter noſter Oroſius, nobis literas ſanctorum fratrum, & conſacerdotum dedit Auerorbis, & Esaari, quarum formam his conſtituimus eſſe ſubdendam. His ergo lectis Pelagium, & Cæleſtium, auctores nefarij prorſus, & anathematizandi ob omnibus nobis erroris aduertimus. Vnde factum eſt, vt recenſendum peteremus, quid ante quinquennium ſuper Cæleſtij nomine hìc apud Eccleſiam Carthaginenſium fuerit exagitatum. Quo recitato, [ſicut ex ſubditis aduertere poterit Sanctitas veſtra; quamuis iudicatio manifeſta conſtaret; quia in illo tempore Epiſcopali iudicio exciſum hoc tantùm Vulnus ab Eccleſia videretur; [nihilominus tamen id communi deliberatione cenſuimus,] vt eiuſmodi perſuaſionis auctores (quamuis, & ad presbyterium idem Cæleſtius poſtea perueniſſe dicatur) niſi hi apertiſsimè anathematizauerint, ipſos quoque anathematizari oportet, vt ſi ipſorum non potuerit, ſaltem eorum, qui decepti ſunt ab eis, vel decipi poſſunt, cognita ſententia, quæ in eos lata eſt, ſanitas procuretur. [Hoc itaque geſtum, Domine frater, ſanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalutè multorum,] & quorundam etiam peruerſitate corrigenda. Et paulò poſt, in concluſione: Quæcumque autem alia eis obijciuntur, [non dubito Venerationem tuam,] cùm [geſta Epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente eadem cauſa confecta dicuntur, [id iudicaturam, vnde omnes in Dei miſericordia gaudeamus.] Ora pro nobis Domine, beatiſsime Papa.

Concilium Mileuitanum in Africa, prouinciale, ad Innocentium Papam, Domino beatiſsimo, meritòque Venerabili, & in Christo venerando Papæ Innocentio. Siluanus ſenex, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alippius, cum alijs 45. Epiſcopis, inter quos, & S. Auguſtinus octauo loco numeratur, ex Concilio Mileuitano, in Domino ſalutem. [Quanto (inquit) Dominus gratia ſua præcipuo munere in Sede Apoſtolica, talemque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, [quæ pro

Ec-

Ecclesia subt suggerenda eacuerimus,] quàm ea tu posśis, vel fastuosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi, [pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digueris.] Noua quippe hæresis, & nimirum periculosa tentat assurgete, inimicorum gratiæ Christi. Et paulò post: [Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo,] non habemus opus mulra dicere, & tantam impieratem exaggerare, [eùm procul dubio te ista permoueant, vt ab eis eorrigendis,] ne latiùs inrerimant, dum sub nomine Christi, à gratia Christi penitus alienant, [omninò disśimulare non posśis.] Et paulò infrà: Sed arbitramur, adiuuante misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, qui te regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, [auctorirari sanctitaris tuæ de claro scripturarum lumine de promptæ faciliùs eos, qui tam peruersa, & tam perniciosa sentiunt, esse cessuros, vt de correctione eorum potiùs gratulemur, quàm contristemur interitu, [Domine beatisśime. Hęc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidię scripta direximus,] imitanres Carthaginensem Ecclesiam, & Carthaginensis Prouincię Coepiscopos nostros, [quos ad sedem Apostolieam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. Memor nostri in Domini gratia augearis, [Domine beatisśime, meritò venerabilis, & in Christo honorande sanctisśime Papa.]

Rauennius, & omnes totius Gallię Episcopi (quorum simul fuerunt, & nominanrur quadraginta quatuor, inter quos, & Hilarius ponitur) ad S. Leonem Pontificem maximum Romanæ Ecclesiæ, Domino, inquit, verè sancto, meritò in Christo beatisśimo, & Apostolico honore venerando Papæ Leoni, Ranennius, &c. cùm alijs 43. episcopis. Perlata ad nos epistola Beatitudinis vestrę, quam ad Orientem pro Catholicę fidei assertione misistis, opraſſemus statim [Apostolatui vestro,] pro tam immenso munere gratiarum actionem referre, nisi nobis difficultatem, quæ in vnum celeriter non potuimus conuenire, vel spatia, quibus à vobis disparati sumus, longa terrarum, vel aurarum, quę in regionibus nostris, pręter consuetudinem fuit, intemperies, attulisset. Det ergo Apostolatus vester, nostrę veniam tarditati, quę non de otio, aut disśimulatione, sed certa necesśitate descendit, quęque à nobis, etsi celeritatis gratiam abstulit, exulrandi tamen materiam auferre non potuit. Exultauimus igitur, Christo propitio, lectis beatitudinis vestrę literis, [& omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos, exultare mox fecimus.] dolentes pariter pro his vobiscum, qui Catholicę fidei lumine derelicto, in errorum tenebras ineiderunt. [Quæ Apostolatus vestri scripta, vt symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis ascripsit, & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendauit.] Multi itaque in ea gaudentes pariter, & exultantes, recognouerunt fidei suæ sensum; & ita se semper ex paterna traditione tenuisse, vt vester Apostolatus exposuit, iure lætantur. Nonnulli solicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, damque sibi occasionem gaudent, qua liberè, ac fiducialiter, [suffragante etiam Apostolicæ sedis auctoritate,] eloquantur, & asserat vnusquisque quod credit. Quis autem [Apostolatui vestro], pro hoc tanto munere, [quo non solùm Gallias, sed totum mundum, velut quibusdam pretiosisśimis gemmis, ornauit, dignas æstimet gratias posse persolui.] Doctrinæ, post Deum, vestræ debet fidelis, vt constanter teneat, quod eredebat: debet etiam infidelis, vt à perfidia sua, agnita veritate, discedat, [& Apostolicæ institutionis luce perfusus.] erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur, & credat, [quòd per os vestrum Dominus noster Iesus Christus, de sacramento incarnationis suæ docet,] quàm id teneat, quod diabolus humanæ salutis, & veritatis inimicus instillat. Optassemus etiam [ad Filium vestrum,] gloriosisśimum, & fidelisśimum Principem (Imperatorem intelligunt Valentinianum) super eadem causa literas dare, quibus congratulantes fidei ipsius, humilitatis, quoque nostræ solicitudinem, [quæ vos in Christo sequimur,] proderemus: nisi ad nos de Orientalibus partibus Nuncio perlato, fieri hoc minimè necessarium putassemus. [Meritis autem Apostolatus vestri, pius Dominus præstitit, vt hæresim, iam diu occultè nutritam, vestris temporibus proderet. Ad laudem enim solicitudinis vestræ pertinet, quod malorum error latere non potuit:] ad gloriosæ fidei ædificationem redundat, quod praua persuasio participes, aut non inuenit, aut inuentos amisit. [Respiciat igitur, conseruando Apostolatum vestrum, misericors Dominus, Ecclesiam suam, toto orbe diffusam.] Vobis enim ita inuigilantibus, & hi, qui curam animæ suæ gerunt, solicitiores in fide redduntur: & hi qui paulò desides sunt, tanto ad solicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos habentes, non desiuemus Deo, ac Domino nostro gratias agere, & pariter supplicare, [gratulantes, quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apostolicæ Sedi, vnde Religionis nostræ, propitio Christo, fons & origo manauit, Apostolatum dederit: petentes etiam, vt datum, eonecssumque munus Pontificij vestri longisśima, & ædificationem Ecclesiarum suarum, ætate custodiat.] Nos autem, etsi impares meritis, pari tamen fide, si quid (quod absit) contra Ecclesiam Catholicam prophana infestatione tentetur, parati sumus, eonfortante Domino, cum Beatitudine vestra, pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc, auctori salutis nostræ, & largitori æternitatis impendere. Et alia manu: Ora pro me, Domine meritò beatisśime, & Apostolico honore venerande Papa.

Submonitio ad Lectorem.

Conspirant cum Patribus Græcis, & totius Asiæ, Patres quoque Latini, totius videlicet Africæ, Galliæ, & Occidentis, adeò apertè, & vniformiter, vt monitione opus non sit, sed obseruatione tantùm, & attentione sincera, ad illa fidei suæ, & publicæ confesśionis testimonia, (vt alia plurima omittam ex Italia, alijsque prouincijs, de quibus nihil controuertitur, aut dubitari potest, vt literæ

vltrò

vltrò citroque destinatæ coarguunt) quæ fideliter, & prolixiùs,(quò lector ex antecedentibus, & consequentibus citiùs sensum assequatur, & argumentum, atque causam scriptorum) ex illustrissimorum Patrum literis, & monumentis, nec non prouincialibus Concilijs deprompsimus, ac transcripsimus. Superest igitur, vt paucis examinemus, & explicemus, quæ ab aduersarijs contra totius Orientis, & Occidentis fidem, & testimonia perperam, atque corruptè allegantur.

Exegesis, & Germana explicatio Patrum quos adulterant, & corruptè citant hæretici.

Romanam Ecclesiam ipsissimam esse S. Petri Cathedram, & Romanum Pontificem in eadem S. Petri esse vnicum, & ordinarium successorem, ideoque totius, ac Vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, rectorem, & Episcopum, atque Nauclerum supremum, ex testimonijs S. Cypriani, quæ allegant Catholici notius est, quàm vt moneri, nedum probari debeat. Vnum autem totius Ecclesiæ Episcopatum, cuius à singulis Episcopis in solidum pars teneatur, eatenus idem sanctissimus Martyr asserit, tùm quia extra Ecclesiam Catholicam legitimus Episcopatus nullus sit, aut esse possit: tùm quia inter Episcopos Catholicæ Ecclesiæ visibilis Pastor, visibilis à Christo ordinatus, & ordinaria successione, quamdiu Ecclesia hìc militabit, continuandus, principalis, & summus Episcopus; cui alij inferiores Episcopi, & collegæ sint, & inferiores tamen, atque diuina ordinatione (vt vnitas seruetur) meritò, semperque subiecti. Sed operæ videtur pretium, ipsum Cyprianum audire se ipsum latiùs, & ex professo explicandum, & genium, ac causam hæresium graphicè depingentem, atque vnitatis naturam, & rationem pluribus comprobantem. Cauenda sunt, inquit, lib. de simplicitate Prælatorum, paulò post exordium, non solùm, quæ sunt apertè manifesta, sed & astutæ fraudis subtilitate fallentia. Quid verò astutius, quidue subtilius, quàm vt Christi aduentu detectus, & prostratus inimicus (postquam lux gentibus venit; & sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, vt surdi auditum spiritualis gratiæ admitterent, aperirent ad Deum oculus suos cæci, infirmi æterna sanitate reualescerent, claudi ad Ecclesiam currerent, muti claris vocibus, & precibus orarent) videns idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas, ac templa deserta, excogitauerit nouam fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos? Hæreses inuenit, & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, [scinderet vnitatem.] Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines, &, dum sibi appropinquasse iam lumini, atque euasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit: vt cum Euangelio Christi, & cum obseruatione eius, & lege non stantes, Christianos se vocent; & ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment, blandiente aduersario, atque fallente, qui secundùm Apostoli vocem, transfigurat se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos, vel ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc ideò fit fratres dilectissimi, [dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina seruetur.] Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est. [Probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum nòn vincent eam. Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris in terra, erunt ligata, & in cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cælis. Et eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas.] Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum: Si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur: [tamen, vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab Vno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quod erat Petrus; pari consortio præditi, & honoris, & potestatis: sed exordium ab vnitate (id est Pastoris supremi) proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Quam vnam Ecclesiam,] etiam in Cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit: Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. [Hanc Ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ remittitur, & resistit, in Ecclesia se esse confidit?] quando, & beatus Apostolus Paulus hoc doceat, & sacramentum Vnitatis ostendat, dicens: Vnum corpus, & vnus spiritus, vna spes vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. [Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum, quoque ipsum vnum, & indiuisum probemus.] Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. [Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna est,] quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij, sed lumen vnum; & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte vno, riui plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, [vnitas tamen seruatur in origine.] Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescet: Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, [vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur:] ramos suos in vniuersam terram, copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos, latiùs expandit; [vnum tamen caput est,

est, & origo vna, & vna Mater fœcunditatis successibus copiosa.] Illius fætu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu illius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est, & pudica. Vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno, quos regenerauit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit euadere, qui extra Arcam Noe fuit: & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit. Monet Dominus, & dicit: Qui non est mecum, aduersùs me est: & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi, & concordiam rumpit, aduersùs Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Dicit Dominus: Ego & Pater vnum sumus. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: & tres vnum sunt: & quisquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, sacramentis cœlestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, & voluntatem collidentium diuortio separari? [Hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet: non tenet Patris, & Filij fidem: vitam non tenet, & salutem.] Hoc vnitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter coherentis ostenditur, quando in Euangelio tunica Domini Iesu Christi non diuidetur omninò, nec scinditur: sed sortientibus de veste Christi, quis Christum potiùs indueret, integra vestis accipitur, incorrupta, atque indiuidua tunica possidetur. Loquitur, ac dicit scriptura diuina: De tunica autem, quæ de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit. Vnitatem ille portabat de superiore parte venientem, id est, de cœlo, & à Patre venientem, quæ ab accipiente, & possidente scindi omninò non poterat, sed totam simul, & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit, & diuidit Ecclesiam Christi. Et parùm infrà: At verò, qui Christi populus non potest scindi, tunica eius per totum textilis, & cohærens, diuisa à possidentibus non est. Indiuidua; copulata, connexa ostendit populi nostri, (qui Christum induimus) concordiam cohærentem. Sacramento vestis declarauit Ecclesiæ vnitatem. [Quis ergo sic est sceleratus, & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, vt credat scindi posse, aut audeat scindere vnitatem] Dei? vestem Domini? [Ecclesiam Christi?] Monet ipse in Euangelio suo, & docet dicens: [Et erit vnus grex, & vnus Pastor. Et esse posse vno in loco aliquis existimat, aut multos Pastores, aut plures greges?]

Quando S. Cyprianus dicit, neminem se facere Episcopum Episcoporum; loquitur tantùm de Episcopis Africanis, qui isti Concilio Carthaginensi, quod erat prouinciale interfuerunt: voluitque significare, ita in illo Concilio statuere Patres istos, vt alijs noluerunt præiudicare, rectiùs, aut meliora sentientibus, in controuersia illa, quæ tunc agitabatur. Non sequitur propterea, quòd Cyprianus negauerit aliquem esse Episcoporum Episcopum hoc est, supremum, & caput Episcoporum: sed hoc negauit, inter Africanos istos Episcopos tunc congregatos talem esse, nec hoc sibi quemquam, licet ipsemet inter illos Primas esset, sumere, vel arrogare voluisse. Immò ex verbis Cypriani hoc ipsum non obscurè colligat quisquam, Episcoporum aliquem fuisse supremum Episcopum; nisi enim talis esset, aut esse posset, absurdè negasset de suis Coepiscopis, quod de nullo veraciter dici queat Episcopo. Sed manifestè satis explicauit S. Cyprianus, in testimonijs illis, quæ ex parte Catholicorum allegata sunt, quòd non solùm sit, aut esse possit, vnus aliquis, hoc est, supremus Episcopus, sed etiam necessarium sit, talem esse, vt vnitas seruari queat, & pax, atque concordia Ecclesiæ sarta tecta manere.

S. Hieronymi sententiam de primatu S. Petri, & successorum eius Romanorum Pontificum, suprà audiuimus expressam satis: & hoc loco sese explicat manifestè, quando addit: Et omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. Vnde consequitur, non solùm in singulis Ecclesijs Episcopos, sed etiam in singulis prouincijs vnum Metropolitanum in singulis maioribus regionibus Primatem, & in tota, atque Vniuersa Ecclesia vnum esse præcipuum, atque summum, seu primarium Pontificem qui omnibus præsit, & cui omnes, vt suo post Christum Capiti, subsint, atque obedire teneantur, vt schismatis tollatur occasio, & Ecclesiastica vnitas seruetur. Vnum, inquit, lib. 1. aduersùs Iouin. ex Apostolis (alioquin quoad Apostolatum paribus) elegit (S. Petrum videlicet) vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio.

S. Hieronym. in epist. illa ad Euagrium, ex professo inuehitur in abusum quorumdam Diaconorum, qui Romæ se Presbyteris, aut æquabant, aut præferebant etiam quodammodo, idque ex supercilio, & arrogantiæ vitio pessimo, ea potissimùm ratione, & occasione, quòd Diaconi erant pauci, & Thesauros Ecclesiæ curæ suæ habebant concreditos: quem abusum acriter perstringit, & Presbyterorum nomen, ac dignitatem, quod cum Episcopis maximè in exordio Ecclesiæ; habuerunt commune, diligenter defendit, ac vindicat; ostendens multò superiores, & digniores esse Presbyteros Diaconis, ideoque Diaconos contra antiquam, & totius orbis christiani laudabilem, iustamque consuetudinem, In absentia maximè Episcopi, ausu temerario inter Presbyteros sedere præsumpsisse, cùm hæc antiqua, & communis haberet consuetudo, vt Presbyteris cum Episcopo sedentibus, Diaconi non sedere, sed stare debeant. Idcircò dicit, Orbis maior Vrbe, si auctoritas quæritur quoad abusum illum temerarium attinet; qui attamen non approbante, sed ignorante, & absente Pontifice priuatim paulatim irrepserat. Quod verò ibidem addit: Episcopos quarumuis Ciuitatum ciusdem esse meriti, & sacerdotij intelligendum est, non de iurisdictionis, sed de ordinis, & sacerdotij potestate, qua sibi inuicem sunt pares, atque æquales: cùm alioquin Iurisdictione longè superent, atque excellant.

Ma-

Maiorem enim habet iurisdictionem Metropolitanus, quàm simplex aliquis Episcopus maiorem Metropolitano Primas, seu Patriarcha: maximam, & supremam, qui caput est omnium, successor S. Petri, Romanus Pontifex; quod S. Hieronymus alibi, nec semel, nec obscurè confitetur, vt suprà fuit ex ipsius monumentis demonstratum.

Concilium istud prouinciale Carthaginense, non loquitur de prima sede Ecclesiæ Vniuersalis, videlicet, de sede Apostolica Romana, sed de prima sede in Africa: & illius sedis Episcopum non vult Principem Sacerdotum, aut summum Sacerdotem vocari, sed tantùm primæ sedis Episcopum, seu Primatem: idque meritò cauet, & prohibet Concilium hoc, quia Princeps sacerdotum, aut summus Sacerdos, nemo vocari consueuit, aut debet absolutè, inter Episcopos Ecclesiæ, præter Romanum Pontificem, quem sic vocatum esse, & vocari meritò, græci pariter, & latini Patres propria confessione testantur, vt suprà probatum est, & infrà ex generalibus Concilijs probabitur latiùs. Loqui autem Concilium hoc Carthaginense tertium de primis sedibus Africæ, liquidum satis, atque apertum euadit ex Canone duodecimo secundo Concilij Carthaginensis, vbi sic decernunt Episcopi ibi præsentes: Placet omnibus, vt inconsulto Primate cuiuslibet Prouinciç, nemo præsumat, licèt cum multis episcopis, in quocumque loco, sine eius præcepto episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi in quocumque loco siut, cum Primatis præcepto ordinare debeant episcopum. Quid porrò de Romani Pontificis Primatu senserint, & quo loco, & honore ipsum habuerint Patres atque episcopi Africani, ex suprà allegatis epistolis, quas Stephanus Archiepiscopus Carthaginensis nomine trium Conciliorum Africæ, ad Damasum Papam, & alia quædam Synodus Africana ad Innocentium; & Concilium Mileuitanum, cui ipsemet S. Augustinus quoque interfuit, & subscripsit, ad eumdem sanctissimum Pontificem scripserunt, meridiana luce clariùs euadit. Et hactenus quidem, quid tam Latini, quàm Græci, Orientis, & Occidentis Patres, tam sigillatim, quàm coniunctim, in Concilijs prouincialibus de Primatu Romani Pontificis ingenuè, & apertè confessi, & tam verbis quàm factis contestati sint ex ipsorum scriptis atque monumentis adduximus: superest nunc vt totius quoque, & vniuersæ ecclesiæ catholicæ fidem, & testificationem publicam, quam in Concilijs generalibus edidit, de eiusdem potestate, & principatu, in medium afferamus.

CAPVT XIX.

An Romanus Pontifex sit Catholicæ Ecclesiæ supremus Pastor, & Rector, secundùm fidem, & sententiam totius Orientis, & Occidentis simul, hoc est, vniuersæ per orbem diffusæ Ecclesiæ, in Concilijs generalibus testatam, & promulgatam.

Vera sententia Catholicorum.

ROmanus episcopus, quia S. Petri supremi ecclesiæ Pastoris, ordinarius, & legitimus successor, totius quoque vniuersalis ecclesiæ, sub Christo, visibile est caput, Pastor, & Rector supremus: quia sic vniuersa per orbem Christianum credidit, & confessa est primæua Christi ecclesia.

Concilium Nicænum primum Can. 24. secundùm nouam editionem Alphonsi Pisani. Veneramur, inquit, secundùm scripturas, & Canonum definitionem, sanctissimum Romanæ, antiquæque ecclesiæ episcopum, [primum esse, & maximum episcoporum.] Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit, & vt à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, ecclesijs, cæterisque ad Christum rebus pertinentibus præfectus, Principum Christianorum, prouinciarum, & omnium gentium Dominus, & Rector erat: [ita ille, cuius principatu Roma est, Petro simulis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, & principatum obtinet.] Huic sanctioni si quis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit, totius Synodi decreto anathemati subijciatur.

Idem Concilium in præfatione. Sciendum est sanè ab omnibus catholicis, [quoniam sancta ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est, sed euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit,] Vbi dixit beato Petro Apostolo: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlo, & quæcumque solueris super terram erunt soluta, & in cœlo. Adhibita est etiam societas in eadem Romana vrbe, beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui vna die, vnoque tempore gloriosa morte cum Petro sub Principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo pariter ecclesiam sanctam Romanam Christo Domino consecrarunt, alijsque omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Et licèt pro omnibus assidua apud Dominum omnium Sanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatissimus Apostolus, Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in euangelio Filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis. [Prima ergo sedes cœlesti beneficio, Romanæ ecclesiæ, quam beatissimi Pe-

Petrus, atque Paulus suo martyrio dedicarunt.]

Falsa sententia Haereticorum.

ROmanus Pontifex, nec S. Petri successor, nec Ecclesiae Christi ordinarius est, aut supremus Pastor, sed ipsissimus Antichristus: quia sic Ecclesia Christi primitiua credidit, & professa fuit.

Concilium Nicaenum primum, Canon. 6. Mos antiquus perdurat in Aegypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, [quoniam quidem, & Episcopo Romano parilis mos est.] Similiter autem, & apud Antiochiam, caeterasque Prouincias, honor suus vnicuique seruetur Ecclesiae.

Concilium Mileuitanum Can. 22. Item placuit, vt Presbyteri Diaconi, vel caeteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quòd si, & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum suarum. [Ad transmarina autem, qui putauerit appellandum, à nullo inter Africam in communionem suscipiatur.]

Concilium Carthaginense sextum, appellationes ad Romanum Pontificem admittere recusauit.

Idem Canon. 23. in noua editione. Placuit, vt accusatus, vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus, [licenter appellet, & adeat Apostolicae sedis Pontificem,] qui aut per se, aut per Vicarios suos, eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus: [quoniam quamquam à prouincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri, inconsulto Romano Pontifice, permissum est:] cum beato Petro Apostolo, & non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino: Quaecumque ligaueris super terram, &c.

Concilium Romanum secundum, sub Siluestro I. Pontifice can. vlt. [Nemo enim iudicabit primam Sedem,] quoniam omnes Sedes à prima Sede iustitiam desiderant temperari. [Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicabitur.] Et subscripserunt 284. Episcopi, & 45. Presbyteri, & 5. Diacones, & duo sequentes, & Augustus Constantinus, Magnus, & Mater eius Helena.

Concilium Sardicense generale, quod quasi idem pro Nicaeno propter eosdem ferè Patres reputatur; in quo fuerunt circiter 300. Episcopi Occidentales, exceptis Orientalibus, celebratum sub Iulio Papa, circa annum Domini 343. Ca. 3. Osius Episcopus dixit: Illud quoque necessariò adijciendum est, vt Episcopi de sua prouincia ad aliam prouinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant, nisi fortè à fratribus suis inuitati, ne videamur ianuam claudere charitatis. Quod si in aliqua prouincia aliquis episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit; vnus de duobus ex alia prouincia aduocet episcopum cognitorem. Quòd si aliquis episcopus iudicatus fuerit in alia causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum Concilium renouetur, [si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus,] vt scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano episcopo: & si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices. [Si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreuerit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet?] Synodus respondit, Placet. Et Can. 4. Gaudentius episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulisti, vt cùm aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum sibi negotium in vrbe Roma, alter episcopus in eius cathedra, post appellationem qui videtur esse depositus, omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio episcopi Romani determinata. Et Can. 7. Osius episcopus dixit: Placuit autem, vt si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, [si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad episcopum Romanae Ecclesiae, & voluerit se audiri, si iustum putauerit, vt renouetur iudicium, vel discussionis examen, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant.] Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit episcopum Romanum, vt è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate episcopi, quid velit, & quid aestimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

Concilium Constantinopolitanum primum, quod est generale secundum. Can. 5. Constantinopolitanae Ciuitatis episcopum habere oportet primatus honorem, [post Romanum episcopum,] propter quod sit noua Roma.

Idem Concilium in epist. ad Damasum Romanum Pontificem superiorem agnouit, & caput, se autem membrorum loco; illique reuerentiam, & obedientiam non recusat deferre debitam. Vt refert Theodoret. lib. 5. histor. cap. 9. Dominis Reuerendissimis, (inquit Concilium in epistola ad Damasum Romanum episcopum ad alios episcopos Romae congregatos in Concilio Romano, ad quod Damasus Orientales episcopos, Constantinopoli collectos euocauerat per epistolam ab Imperatore ad ipsos, instantia Pontificis, destinatam) & pijssimis fratribus, ac Collegis Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Anemio, Basilio, & caeteris sanctis episcopis in magna vrbe Roma coactis, Synodus sancta episcoporum orthodoxorum, qui conuenere in magna vrbe Constantinopoli,

poli, in Domino salutem. Et paulò post: Postquam autem vos Romanam cogentes Dei voluntate Synodum, pro fraterna charitate, [tamquam vestra membra, nos quoque literis summa pietate Imperatoris accersiuistis,] ne cùm afflictionum supplicia (ab hæreticis potissimùm Arianis) nos soli perpessi simus, hoc in consensu Imperatorio de pietate, sine nobis regnaretis, sed haberetis nos Regnantes iuxta Apostolicam vocem, socios, [sanè perquàm optauimus vniuersi, si fieri posset, Ecclesijs derelictis obsequi, siue desiderio, seu vsui præsenti.] Quis enim nobis det alas velut columbæ, vt ad vos deuolemus, & vobiscum acquiescamus? Verùm cùm hæc re penitùs nudarentur Ecclesiæ paulò ante renouari cœptæ, neque omninò illa à quibusdam præstari vllo modo possent: [concurreramus enim Constantinopolim ad vestræ Reuerentiæ literas,] post Concilium Aquileiense, missas Theodosio, pietate summa Imperatori, ad solam peregrinationem hanc Constantinopolitanam parati.

Ibidem refert Theodoretus de S. Damaso, quid Patribus Orientalibus in Concilio Constantinopolitano congregatis ad epistolam illorum responderit. Sed & laudatissimus Damasus (inquit Theodoretus lib.5.c.9.) postquam hanc sectam exortam cognouit; non solùm Apollinarem, sed etiam Timotheum discipulum eius exautoratos abdicauit. Eaque de re certiores fecit per literas Orientis rectores episcoposque quas vtiliter narrationi inserturus esse mihi visus sum. [Quod, inquit Damasus, debitam reuerentiam Apostolicæ Sedi vestra habet charitas, vobis, filij charissimi, præstatis ipsi plurimum. Etsi enim in sancta maximè Ecclesia, vbi Apostolus sedens docuit, nobis Claui, quem tenendum accepimus, officium incumbat,] tamen inferiores tanto nos honore esse confitemur; sed ideo quomodocumque possumus damus operam, vt ad gloriam beatitudinis ipsius peruenire valeamus. Scitote igitur prophanum illum Timotheum discipulum Apollinaris hæretici, vnà cum impio dogmate, [iam dudum à nobis exauthoratum,] neque nos credere reliquias doctrinæ illius de cætero vspiam valituras esse. Et paulò infrà: Sed quid à me quæri Timothæi exauthoratione opus est? cum hic [iudicio soli Apostolici,] præsente, & Petro Episcopo Alexandrinæ vrbis, [vnà cum magistro Apollinari exauthoratus fuerit, subiturus debita in die iudicij supplicia, ac tormenta.

Concilium tertium generale, quod est Ephesinum primum, Celestinum tunc temporis Episcopum Romanum, pro totius Ecclesiæ Pontifice, & Pastore, ac Iudice supremo agnouit, & ex eius decreto Nestorium Constantinopolitanum Archiepiscopum, propter hæresim suam, exauthoritauit, & anathemate percussit. Eius verò Celestini, tamquam supremi Pontificis, & Iudicis nomine, sanctus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, ex eius commissione, Concilio præsedit.

Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Archidiaconus in Breuiario causæ Nestorianorum, & Eutychianorum. Cyrillus verò, inquit, per Po[...]ium Diaconum suum retulit de eo [...] hæresi post admonitionem pertinaci) Papæ Cœlestino, & quid Constantinopoli ageretur, ei per epistolam suam allegauit. Et paulò post idem Liberatus [Celestinus verò Papa misit incrępationis epistolam cum exhortatione, & vituperatione, quia errare non debuerit ab eius ordinatione, & eius principium. Aliquantis diebus vitæ nostræ &c. tribuens ei (Nestorio) decem dierum spatium, hoc est, à prima dic acceptionis epistolæ, vsque ad vltimam diem, vt si minimè Nestorius emendaret expositiones suas, & reuocaret ad Ecclesiam, qui propter Christum, qui est caput eius, ab eo fuerant expulsi, cognosceret se ab eius Collegio, & omnium episcoporum consortio esse separatum, insinuans ei, [dedisse vicem suam in Concilio per epistolam suam, cuius initium est; Tristitiæ nostræ, sanctitatis vestræ literæ &c. qua Cyrillum admonuit, vt si per illos decem dies doctrinam suam Nestorius minimè emendaret, disponeret eum à communi] communione episcoporum, vel Coepiscoporum remouendum, & prouidendum illi Ecclesiæ. Eadem de re pariter scripsit Ioanni Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Iuuenali Hierosolymitano, & Flauiano Philippensi Archiepiscopis. Scripsit & ad Clerum Constantinopolitanum, admonens eos contra doctrinam Nestorij fortiter stare, eiusque persecutiones patienter ferre, quæ fructus afferunt coronarum, [scientes, ab eo excommunicatos, vel deiectos, in Apostolicæ sedis permanere communione.]

D. Cyrillus Alexandrinus episcopus, & Synodus, quæ conuenit apud Ephesum, Nestorio, Deo amabili, & religioso fratri. Cùm Saluator noster apertè pronunciet: Et qui diligit Patrem, aut Matrem super me, non est me dignus: & qui diligit filium, aut filiam super me, non est me dignus: quid nos faciemus, qui deposcimur à tua religione, vt te super Christum Saluatorem omnium diligamus? Quid enim nobis in die iudicij subuenire poterit? aut quam satisfactionem reperire poterimus, ita diuturnum silentium, prolatis à te contra eum blasphemijs, continentes? Et si quidem te tantummodò læderes, docens ista, vel sentiens, sollicitudo nobis minor existeret. Cùm verò totam scandalizaueris ecclesiam, & fermentum insolitæ prauitatis, & nouæ hæresis miscueris in populis, nec tantùm ibidem positis, sed vbique existentibus (nam tuarum expositionum libri per cunctum vulgati sunt orbem) quæ super nostro silentio ratio vltra, vel excusationis sermo sufficiat? Aut quomodo non necesse est meminisse Christi Domini, sic dicentis: Non putetis quòd venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersùs Patrem suum, & filiam aduersùs Matrem suam? Nam cùm læditur fides, parentum reuerentia velut inutilis, & periculosa despicitur, & amor erga filios, fratresque vitatur. Ad postremum etiam super ipsam vitam, mors potiùs à pijs viris eligitur, vt meliorem resurrectionem, sicut scriptum est, consequantur. [Ecce itaque te simul cùm sancta Synodo, quæ apud amplam vrbem Romam congregata est, præsidente Sanctissimo, & Reuerendissimo Fratre, & Consacerdote nostro

Cele-

Cęlestino Episcopo, his synodicis scriptis te iam tertiò conuenimus, consilium dantes, vt à tam prauis abstineas, distortisque dogmatibus, quæ & sentire dignosceris, & docere:] recipias verò fidem rectam, Ecclesijs per beatissimos Apostolos, & Euangelistas ab initio traditam, qui & oculis inspexerunt, & ministri verbi fuisse monstrantur. [Quod si hoc religio tua facere distulerit, iuxta dilationem literis præfinitam Sanctissimi, & Reuerendissimi Consacerdotis nostri Romanæ Præsulis Ecclesiæ Cęlestini, scias te nullam sortem habere nobiscum, nec locum, aut colloquium cum Dei Sacerdotibus, & Episcopis obtinere.] Non enim fas est contemnere nos Ecclesias ita turbatas, & scandalizatos populos, fidemque rectissimam violatam, vel dissipatam: quin etiam gregem, quem custodire debueras, si iuxta nos, amator recti dogmatis extitisses, sanctorum Patrum vestigia consectans. Omnes itaque, quos propter fidem, tua religio à communione remouit, aut ab ordine suo deposuit, laicos, & clericos, in nostram communionem recipimus. Non enim iustum est, eos tuis opprimi decretis, qui nouerunt rectè sentire, qui etiam benè facientes, tibi prudentissimè restiterunt. Hoc idem namque in epistola, quam misimus ad Præsulem amplæ Romæ sanctum, & Coepiscopum nostrum Cęlestinum, significare curasti. Non autem sufficit tuæ religioni, solummodò fidei Symbolum confiteri, quod expositum est per idem tempus Sancti Spiritus largitate, à venerando Concilio apud Nicæam congregato: hoc enim nec intellexisti, nec rectè interpretatus es: quinimò peruersè, licèt sono vocis ea verba protuleris. [Sed consequens est, etiam iureiurando fateri te, quòd anathematizes fidem tuam pollutam, & prophana dogmata: sentias, & doceas, quæ nos vniuersi siue per Orientem, seu per Occidentem Episcopi, & Magistri, Præsulesque populorum credimus, & docemus.] Epistolis autem ab Alexandria tuæ religioni directis, Ecclesia consensum præbuit, tam ea, quæ apud vrbem Romam conuenit, sancta Synodus; quàm etiam nos omnes, velut rectè, irreprehensibiliterque conscriptis. Subdidimus autem his literis nostris, quæ sentire oporteat, & docere, & à quibus abstinere conueniat. [Hæc est enim fides Catholicæ, & Apostolicę Ecclesiæ, cui cuncti consentiunt orthodoxi per Orientem, Occidentemque Pontifices.]

Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 34. hist. Eccles. cum priùs, quale tempus Cęlestinus Romanus Pontifex Nestorio præfixerit conuersionis, sub pœna excommunicationis, si non pareret intra decem dies, commemorasset cap. 33. ita condemnationem Nestorij per Cyrillum, cui vices suas delegauerat Celestinus, eò quod adesse personaliter commodè non posset in Concilio Ephesino, & omnes Patres, ducentos videlicet Episcopos latam, & pronunciatam describit. Celestinus autem inquit, Romæ Episcopus propter nauigationis pericula, ipse Synodo adesse detrectauit: ad Cyrillum tamen, vt locum ibi suum obtineret, scripsit. [Ex quo tempore fama est, mitram illum, & Papæ appellationem, atque vt orbis vniuersi iudex appellaretur, accepisse.] Quæ deinde omnia per successionem ad eos etiam peruenerint, quibus forte Alexandrinæ Ecclesiæ thronus legitimè obuenisset sacros Episcopos. Et paulò post: Cyrillus (qui Cęlestini locum tenuit Romani Episcopi) & qui cum eo erant, postridie Concilio coacto, vt mos est, tribus Episcopis missis, Nestorium, vt in conuentum veniret, citarunt. Ille id contempsit, & haudquaquam comparuit, Synodum in Antiocheni Episcopi aduentum diffundens. Vt autem ille iterum, atque tertiò vocatus, responsum nullum, quo se defenderet, dedit, & conuicijs, atque contumelijs eos, qui ad se missi erant, remisit: Synodus sancta, trecentorum illorum, & 18. diuinorum Patrum Symbolum in medium, & Cyrilli atque Nestorij, quas vltrò, citroque de dogmate dederant literas, [sacram item illam Cęlestini ad ipsum Nestorium scriptam epistolam, protulit.] Atque vbi Theodotus Ancyranus, & Melitensis Acacius blasphema eius verba, quibus apertè Ephesi multis præsentibus vsus fuerat, indicauero, & multæ eximiorum, & sanctorum virorum voces auditæ, insuperque alia Nestorij impiè dicta congesta sunt, impium illum exauthorauit, sententia hisce verbis concepta. Cum prẹter alia Reuerendissimus Nestorius, neque vocationi nostræ audiens esse voluerit, neque à nobis missos sanctissimos, & pijssimos Episcopos admiserit, necessariò eò descendimus, vt de impietate eius inquireremus. Et quoniam cum ex epistolis, & scriptis eius, quæ lecta etiam sunt; atque item ex verbis, quibus in Metropolitana hac vrbe vsus est: tum ex testium dictis, impiè eum, & sentire, & docere deprehendimus: [necessitate nobis à canonibus, & Sanctissimi Patris, Collegęque nostri Romanæ Ecclesiæ Episcopi epistola, imposita, diu multùmque lachrymantes, ad tristem hanc peruenimus sententiam.] Qui igitur ab eo blasphemijs impetitus est, Dominus noster Iesus Christus, per præsentem sanctam Synodum decreuit, Nestorium à dignitate Episcopali, & Sacerdotali conuentu omni esse alienum.

Idem Concilium Ephesinum in epistola ad Cœlestinum Papam scribit se causam Ioannis Patriarchæ Antiocheni, quæ magis dubia erat, quàm causa Nestorij, [non fuisse ausum iudicare, sed reseruasse iudicio ipsius Cœlestini.]

Concilium Generale quartum, Chalcedonense videlicet, actione prima habet, quomodo Paschasinus Reuerendissimus Episcopus, & Vicarius Sedis Apostolicæ in medio Concilij cum collegis suis consistens sic fuerit præfatus, & Concilium allocutus, [Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ Vrbis Romę, quæ est caput omnium ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus,] quibus præcipere dignatus est, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus, non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur, quod nos seruare necesse est. Actione 2. post lectam in Concilio S. Leonis tunc Romani Pontificis epistolam ad Flauianum, omnes episcopi clamauerunt. Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema, qui ita non credit. [Petrus per Leonem locutus est.] Actione 3. leguntur tres epistolæ diuersorum Græcorum ad Leonem Papam, &

Concilium Chalcedonense, quæ omnes ita incipiunt: [Sanctissimo, & beatissimo vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.] In eadem actione destinatur epistola ad S. Leonem, in qua petunt Apostolica auctoritate confirmari, quæ in Concilio eousque acta erant. Et inter alia etiam depositionem, & condemnationem Dioscori hæretici, de quo inter alia sic aiunt. Et post hæc omnia insuper, & contra ipsum, [cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam] (Leonem intelligit, quem Dioscorus excommunicare præsumpserat) [idest, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem.]

Concilium Constantinopolitanum 5. Act. 4. ex sententia, & decreto baptismi Papæ Romanæ Ecclesiæ Agapiti deposuit, & exauthorauit, atque adeò anathematizauit episcopum Trapezuntinum Anthimum hæreticum, cùm iuxta sententiam, & decretum ei priùs tempus, ac spacium pœnitentiæ dedisset, & ille comparere, & pœnitentiam agere, atque obedientiam præstare nollet. Et quidem cùm pœnitentiæ locum, tempusque ex præscripto sanctissimi Papæ Agapiti dare vellent Anthimo hæretico, sic Menas Patriarcha, & Archiepiscopus Constantinopolitanus cum tota Synodo dixit. [Non mirandum si suos, & nunc magna Apostolica Sedes sequitur, sacras sanctiones sanctissimarum ecclesiarum inuiolatas conseruando, & quæ rectæ fidei sunt defendendo,] ac his, qui peccauerunt, clementem veniam tribuendo. Vndè & nos implentes ea, quæ à sanctissimo Papa in epist. Synodali data fuere, & tempus pœnitentiæ ipsi (Anthimo) dantes deputemus, & decernamus Vosporium sanctissimum Episcopum Neocœsariæ Metropolitanæ, & Acatium sanctissimum Episcopum Metropolitanæ Possiminthinæ, & Ioannem, & Theotistum presbyteros, & defensores magnæ Ecclesiæ, quæ hic est, & Zachariam sanctissimum Episcopum Mitylinensem Metropolitam, & Acatium, & Christodorum Diacones venerabiles, & Notarios huius sanctissimæ Ecclesiæ, ad notificandum ei, quæ à nobis gesta fuerunt, & inuitare ipsum infra tres dies si volet venire ad sanctam Synodum, ad faciendum super annunciatis congruam satisfactionem. Hactenus Menas patriarcha, & vniuersum Concilium Constantinopolitanum. Postquam verò eumdem Anthimum de hæresibus, & sceleribus varijs accusatum, & conuictum, contumacemque vniuersa Synodus iuxta sententiam, & decretum Romani Pontificis condemnasset, Menas Patriarcha, & præses Concilij tandem sic inter alia, cum dixisset sententiam Concilij Christianissimo, & catholicæ fidei obseruantissimo Imperatori esse significandam, concludens subiungit, Patres Concilij alloquens: [Nec enim, sicut scit vestra charitas, Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.] Cui sententiæ vniuersum Concilium subscripsit.]

Concilium Nicœnum secundum, quod est septimum generale, actione 2. recipit, & probat epistolam Adriani Papæ (cuius Vicarij in Synodo erant) ad Tharasium Archiepiscopum, & Patriarcham Constantinopolitanum, in qua epistola inter alia, hæc habentur: Cuius, beatissimi videlicet Apostoli Petri, [Sedes, inquit, per totum terrarum Orbem primatum obtinens lucet, omniumque ecclesiarum Dei caput existit; vndè & ipse B. Petrus Apostolus Dei iussu ecclesiam pascens, nihil omninò prætermisit, sed vbique principatum obtinuit, & obtinet.]

Concilium Lateranense generale maximum sub Innocentio Tertio, in quo Græci, & Latini, quin & Patriarchæ Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, & præterea 70. Metropolitani 400. Episcopi, Abbates 12. & Priores conuentuales 800. Græci, & Romani Imperij Legati, Regum verò Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores interfuerunt cap. 5. [Romana, inquit, Ecclesia, disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpotè Mater vniuersorum Christi fidelium, & Magistra.]

Concilium Lugdunense generale sub Gregorio Decimo, in quo etiam Græci, & Latini interfuerunt. Cœterùm, inquit, vt habetur sexto decretalium lib. 1. tit. 6. cap. 3. §. Cœterùm: agens de electione Romani Pontificis quomodo purè instituenda, quia cùm arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus: vel ad certum aliquid obligationis cuiusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi: Cardinales eosdem obsecrantes per viscera misericordiæ Dei nostri, per aspersionem sui sanguinis obtestamur, vt pensantes attentiùs quid eis imminet, [cùm agitur de creatione Vicarij Iesu Christi, successoris Petri, Rectoris vniuersalis ecclesiæ, gregis Dominici directoris,] omni priuatæ affectionis inordinatione deposita, & cuslibet pactionis, conuentionis, obligationis necessitate, necnon condicti, & intendiment i obligationis contemplatione cessantibus, non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos, non quæ sua sunt quærant, non commodis priuatis intendant, sed nullo arctante ipsorum in eligendo iudicium, nisi Deo puris, & liberis mentibus nuda electionis conscientia, vtilitatem publicam liberè prosequantur: omni conatu, & sollicitudine, prout possibilitas patitur, id acturi tantummodò, [vt eorum ministerio acceleretur vtilis, & pernecessaria totius mundi prouisio, idoneo celeriter eidem (Vniuersali) Ecclesiæ sponso dato.] Qui autem secus egerint, diuinæ subiaceant vltioni.

Concilium Florentinum generale, in quo etiam Græci, & latini, & inter eos, Patriarcha quoque Constantinopolitanus, interfuerunt, vnanimiter sic explicuit, & confirmauit fidem suam de Romani Pontificis potestate, Item, inquit sessione vltima, [definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo, plenam potestatem traditam esse, quem-

quemadmodum etiam gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.]

Submonitio ad Lectorem.

Ex his legitimis, & approbatis Concilijs Oecumenicis, inter quæ sunt prima, & præcipua illa quatuor generalia, Nicœnum videlicet primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, & Chalcedonense, quibus iam Hæretici nostrates, velint nolint, deferre, & subscribere coguntur, imò illa cum sanctis Euangelijs tamquam sacrosancta acceptant, seu acceptare sese prætendunt, totius Orientis, & Occidentis, hoc est, Vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ primis sexcentis, imò mille 400. annis extitit, & illustris, celebrataque fuit, sententia, fides, & publica doctrina, atque confessio, meridiana luce clariùs effulget de Romani Episcopi summa, & vniuersali sub Christo in omnes Oues, & Christi fideles potestate: videlicet ipsum esse Apostolicæ, idest, Apostoli Petri Sedis Episcopum, ideòque S. Petri ordinarium in Romano Episcopatu successorem ordinatium, & legitimum: & proindè S. Petro sine dubio Romæ Episcopi fuisse, & mansisse, vsque ad mortem, martyrio Christi celebratam, & consummatam: & quatenus S. Petri in Episcopatu successor, & hæres totius quoque vniuersalis, & catholicæ Ecclesiæ ordinarium, ac supremum Pastorem, summum Pontificem, Iudicem, & Rectorem, atque adeò Christi, in visibili, & externo regimine visibilem, ac principalem Vicarium. Quæ omnia summatim, & plenissimè, ac conciunè valdè, complexum est Concilium Florentinum in publica fidei suæ declaratione, & confessione, quam postremo loco posuimus. Posset hoc ipsum ex alijs quoque sequentibus concilijs generalibus, vsque ad annum sesquimillesimum, non minus euidenter continuòque probari: sed Christiano, & sincero lectori tot Conciliorum generalium, & præcipuè quatuor primorum auctoritatem, & fidem abundè sufficere non ambigimus, & posteriora hæretici moderni, more suo, licèt iniustè, in dubium vocare, aut tamquam suspecta contra conscientiam suam, recusare non erubescunt. Quod verò inter alia auctoritatis, & potestatis Romani Episcopi elogia, ac titulos, Concilium Lugdunense Romanum Pontificem etiam Sponsum Ecclesiæ nominat, mirum nemini, nedum absurdum, aut blasphemum, videri debet: cùm eodem sensu Sponsus vocetur, quo & Vicarius Christi, & Caput Ecclesiæ nuncupatur: videlicet, non carnali, aut mundano humanoue more, quasi aut Christus Ecclesiæ suæ reuera absens sit; cui indiuisibili, sed non spectabili nexu coniunctus est semper, aut ecclesia duo capita, duosue sponsos eodem sensu habeat: nequaquam: sed hoc tituli illi, & elogia, sibi volunt, quod, ad visibile, atque externum regimen ecclesiæ, quod attinet, sicut omnes, etiam particulares episcopi, & inferiores pastores, suo modo, & sensu Christi veraciter sunt, & dicuntur in spiritualibus Vicarij, in docendo videlicet, sacramenta dispensando, atque ecclesiam externè moderando, & propagando, defendendoque; ita inter illos Romanus Pontifex, supremus est Christi, ac generalis Vicarius, supremus imò, & vniuersalis (vt in Chalcedonensi Concilio apertè vocatur, alio tamen sensu, quàm S. Gregorius, & ante eum Pelagius in Constantinopolitano Episcopo detestati sunt) Episcopus, & generali cura, atque officio vniuersæ per Orbem Ecclesiæ præfectus. Sicut etiam eodem sensu, & quatenus externè, & ministerialiter filios spirituales, hoc est, Christianos, in ecclesia quotidiè generant, & ecclesiam multiplici prole fœcundant, & ditant, augentque inferiores, & particulares episcopi, atque Pastores; ministerio nempè verbi, & per sacramenta, potissimùm baptismatis sacri: Ita Romanus Pontifex, tùm per se, tùm per suos Collegas, atque inferiores sacerdotes eadem intentione, & suo modo supremus meritò Sponsus Ecclesiæ censeri sub Christo, & vocari potest. Talis suo loco, & ordine Sponsus, atque adeò Pater erat, qui incunctanter, veraciterque dixit: Filioli, quos iterum parturio, Gal. 4. & si mille Pædagogos habearis, sed non multos Patres: per Euangelium enim ego vos genui 1. Cor. 4. Quare istiusmodi tituli à SS. Patribus sigillatim, & ab vniuersa ecclesia in generalibus Concilijs coniunctim, Romano Pontifici, nec semel, nec immeritò tributi fuere; nec in calumniam verti, aut trahi possunt, si rectè intelligantur, nisi ab illis, qui meri sunt, & peruersi sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, totiusque ecclesiæ calumniatores.

Exegesis, & Germana explicatio eorum, quæ ex Concilijs, perperam, ac corruptè allegant hæretici.

Canon hic sextus SS. Concilij Nicœni, de cuius lectione tamen quidam variant, non impugnat, sed astruit auctoritatem, & principatum Romani Episcopi. Si enim Alexandrinus Episcopus, seu Patriarcha, ideò generalem, summamque, vt Archiepiscopus in Ægypto, Libia, & Pentapoli habere debet potestatem, quia Episcopo Romano parilis mos est, seu talis consuetudo: patet cœteros Patriarcharus, ex quibus Alexandrinus non postremus fuit, secundùm regulam, normamque Romani Episcopi, suos habuisse, & rexisse subditos. Quod vtique non decreuisset sacrum hoc Concilium, si Romanus Episcopus supremus non fuisset, & maximus Pontifex, cuius normam, imperiumque, seu ordinationem cœteri non solùm Episcopi, sed etiam Archiepiscopi, atque Patriarchæ sequi tenerentur. Sensus igitur Canonis, vt citatur, iste germanus esse videtur, Alexandrinum Archiepiscopum, seù Patriarcham Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim illisque subiectas prouincias gubernare, quia Romanus Episcopus, ordinarius in supremo Pastoratu S. Petri successor, & summus Ecclesiæ moderator, ita, ante omnem etiam Conciliorum diffinitionem consueuit illi Episcopo permittere, seu committere, aut per illum dictas Prouincias administrare. Hunc autem sensum esse, mentemque Concilij, patet, tùm quod Nicolaus primus Pontifex summus, in epistola ad Michaelem Imperatorem sic

sic interpretatur; tùm quod ex hoc sexto Canone Paschasinus Episcopus in Concilio Chalcedonensi actione 16. primatum Romani Episcopi, ita cum alijs probauit,& adstruxit, vt Iudices tandem hanc sententiam pallam ferre, atque ita decernere non dubitauerint: Ex his, quæ gesta sunt, inquiunt, vel ab vnoquoque deposita perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum, secundùm Canones,antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.

Non prohibet omnem appellationem ad Romanam sedem, Concilium istud, sed tantùm, Presbyteris, & Clericis inferioribus hoc interdicit, idque non ideo quasi illicitum hoc fuerit; sed quia non erat consultum ob graues sumptus, aliaq; inconuenientia cauenda, vt quilibet etiam inferiores Sacerdotes à suis Episcopis, & Archiepiscopis vlteriùs ad Romanam Sedem appellarent. Quod autem solis Presbyteris, & non Episcopis hoc prohibuerit,& ex verbis Concilij patet,& ex ipsomet S. Augustino, qui Concilio Mileuitano personaliter interfuit, & tamen in epistola 162. scribit, Africanis Episcopis licere vltra mare, id est, Romam appellare. Episcopis autem liberum esse, atque concessum Romanam sedem appellare. Concilium generale Sardicense diu ante concesserat, vt patet ex Canone quarto, & septimo supra allegatis, & ad verbum adscriptis, cui vtique Concilium, istud prouinciale præiudicare non debuit, nec potuit, nec etiam voluit: Quin nec Presbyteris inhibere potuisset efficaciter, nisi ita placuisset Romano Pontifici, tunc temporis sedenti, Innocentio videlicet primo, cuius vt confirmationem humiliter expetierunt, ita & impetrarunt etiam; vt claret ex epistola dicti Pontificis, quam adeptum Concilium scripsit, quæ est inter epistolas Sancti Augustini nonagesima tertia. Si autem auctoritati Romanæ sedis quicquam derogare voluisset, aut præiudicare Concilium istud Africanum; vtique non approbasset sacerrimus Pontifex. Etsi autem prohibitum fuerit ex grauibus, vrgentibusque causis Clericis inferiorum ordinum ab Episcopis suæ prouinciæ appellare, ea tamen ratione prohibitum non fuit, nec prohiberi potuit Romano Pontifici, si vellet, aut necessarium, consultumue iudicauerit, istiusmodi appellationes admittere; id quod postea factum esse, atque etiam dum fieri euidentia docet,atque praxis Ecclesiæ notissima.

Etsi Patres sexti Concilij Carthaginensis, eò quod in viginti istis canonibus Nicæni Concilij,qui vulgò feruntur,& integri esse falsò æstimabantur (fraude enim Arrianorum multi canones,maximè, qui ipsis aduersabantur castrati, atque suppressi fuerant) nullum extaret decretum de Appellationibus ad Romanam sedem instituendis, aut acceptandis, appellationes istiusmodi admittere grauati sunt; tùm quòd nulla lege Ecclesiastica (vt falsa persuasi erant) astringerentur;tùm quod ex talibus appellationes multi abusus, multæque incommoditates, ac difficultates orirentur, & causæ atque negotia in loco, vbi contigissent, meliùs cognosci, & determinari possent; testes verò Romam, tùm propter ætatis, aut valetudinis imbecillitatem, tùm alia pericula, sumptusque difficulter transmitti possent: tamen Romanam Ecclesiam Matricem aliarum, & Romanum Episcopum totius Catholicæ Ecclesiæ supremum esse caput, Rectoremque non negarunt, sed humiliter ingenuèque, atque etiam expressè sunt confessi: id quod patet, tùm ex legatis Romanæ sedis in Concilio suo admissis, tùm ex epistolis, quas ad Romanum Pontificem destinarunt, tùm denique quod ex Patribus,qui isti Concilio interfuerunt, ex quibus S. Augustinus non postremus Romanos Pontifices Bonifacium, & eius successorem Cœlestinum, debita cum reuerentia, & subiectione agnouerit, & confessus sit, vt patet ex initio libri primi aduersùs duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, & epist. 261. ad Cœlestinum Papam, ad quem refert causam Episcopi cuiusdam Africani, & inter alia sic loquitur: Collabora nobiscum pietate Venerabilis Domine beatissime, & debita charitate suscipiēde sancte Papa, & iube tibi, quæ directa sunt,omnia recitari. Et paulò post: Existat exemplo, ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliorum iudicata firmante, &c. Quin, & idem Cœlestinus Papa in epistola ad Gallos, miris laudibus celebrat Augustinum, atque eum dicit in communione Romanæ Ecclesiæ mansisse semper, & à se, ac prædecessoribus suis doctorem optimum semper fuisse habitum. Vnde palam constat Africanos Episcopos non defecisse à Romanæ sedis confessione,vel communione: &, si aliquantisper ex falsis persuasionibus appellationes admittere detrectarint. postea tamen meliùs informatos de Nicænis Canonibus non integrè relatis, sed ab Arrianis depranatis, mutilatisque, appellationes iterum admisisse. Id quod ex illo colligi, quoque, & constare potest, quod non diu post Concilium hoc Carthaginense sextum, S. Leo Pontifex (qui secundus post Cœlestinum sedit in Cathedra S. Petri) epistola 87. scribit ad Episcopos Mauritaniæ, quæ est Prouincia Africæ, atque ait, se Lupicino Episcopo communionem reddidisse, quoniam ad se ex Africa appellasset: item se misisse Potentium Episcopum Legatum, qui vice sua res Africanas cognosceret. His accedit,quod post annos circiter quadraginta à celebrato isto Concilio, Eugenius Carthaginensis Archiepiscopus, cum à Rege Hunerico Ariano ad collationem de fide compelleretur,respondit, se scripturum ad Collegas suos transmarinos. Nec enim sine consensu aliorum Episcoporum, & præcipuè Romanæ Ecclesiæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum,de fide aliquid statui posse, vt refert Victor Vticensis lib. 2. de persecutione Vuandalica paulò ante finem his verbis: Dixi enim, (dicebat Eugenius ad Obadum Præpositum regni Hunerici, qui nomine, atque ex mandato illius Catholicos insectabatur) si nostram fidem, quæ vna, & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad Amicos suos, scribam, & ego fratribus meis, vt veniant Coepiscopi mei,qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum. Ex quibus verbis satis constat, quanti fecerint, & quo loco habuerint Episcopi Africani Romanam Ecclesiam, & eius præsidem Romanum Pontificem.Quin

& non

& non diu post, cùm Trasimundus, Hunerici in regno, & tyrannide, atque persecutione contra catholicos, & perfidia successor, omnes penè Africanos Episcopos, videlicet ducentos,& viginti in Sardiniam relegasset exulatum, Symmachus, Papa Romanus omnes illos Episcopos, vt sua membra, suis sumptibus pauit, ac fouit liberalissimè, vt Paulus Diaconus testatur lib. 16. rerum Romanarum. Quod certè non fecisset Pontifex iste, si Africani Episcopi à communione sua, atque obedientia desciuissent. Eodem tempore sanctus Fulgentius inter Africanos Episcopos facilè Princeps, non in Ægyptum ad Monachorum solitudinem proficisci vellet, & ex Episcopo Syracusano intellexisset, Monachos istos à Sede S. Petri desciuisse, cum qua ille communicaret, mutauit sententiam, & Romam profectus est, ad inuisenda loca Sanctorum: qui Fulgentius cum Episcopo,atque Ecclesia Carthaginensi coniunctus erat, vt refert discipulus eius cap. 29. Vitæ ipsius: quod indicio fuit, Episcopum etiam,atque Ecclesiam Carthaginensem cum Pontifice, atque Ecclesia Romana Religionis communione fuisse optimè sociatos. Vt nihil dicam de tempore sancti Gregorij Magni, qui lib. 1. epist. 72. & 75. & lib. 7. epist. 32. satis declarat coniunctionem, quam cum Episcopo Carthaginensi, & iurisdictionem in omnes prouincias Africanas,& ius appellationis etiamnum suo tempore viguisse.

CAPVT XX.

An Romanus Pontifex diuino iure, vel an humana tantùm ordinatione sit supremum in terris, & visibile caput, ac Pastor totius Ecclesiæ catholicæ.

Vera sententia Catholicorum.

Romanus Pontifex, quia Christi in terra Vicarius, & ordinarius S. Petri successor, non humano, sed diuino iure caput est visibile, & supremus Ecclesiæ Pastor, ac Rector; quia sic testantur SS. Pontifices qui primis quingentis annis floruerunt,Patres etiam græci, & latini, Concilia quoque tùm prouincialia, tùm generalia, nec non Imperatores quoque Christiani tam Orientis, quàm Occidentis.

S. Anacletus Pontifex, & Martyr sancti Clementis in Pontificatu successor, epist. 3. Anacletus, inquit, seruus Iesu Christi, [in Apostolica sede à Domino constitutus,] & à sancto Petro Apostolorum Principe Presbyter ordinatus, omnibus Episcopis, & reliquis Sacerdotibus salutem. Et paulò post: [Hæc verò, inquit, sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis, super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est.] Et paulò post: [Prima ergo sedes, est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ,] quam, vt memoratum est, beatissimi Petrus, & Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma, quæ prius erat cacodæmonis artificio omnium errorum mater, & altrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum ritibus abiectis, filiorum Dei, exorto sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix. Et paulò post: Hæc verò Apostolica sedes cardo, & caput facta est à Domino, & non ab alio constituta:] & sicut cardine ostium regitur: [sic huius sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.]

S. Alexander 1. Pontifex,& Martyr epistol. prima. Relatum insuper est ad huius sanctæ, & Apostolicæ sedis apicem, [cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput,] ipsoque dicente Principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

S. Pius 1. Pontifex in epistola ad omnes fideles, vt die Dominico Pascha celebretur. Vnde, inquit, & vos Apostolica auctoritate instruimus omnes eadem seruare debere,quia & nos eadem seruamus, nec debetis à capite quoquo modo dissidere.] Et paulò post: Hanc sanctam sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit (Christus) ipso dicente Principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

S. Zepheriuus Papa in epistola ad Episcopos Ægyptios. Tantam, inquit, [à Domino huius sanctæ sedis, & Apostolicæ Ecclesiæ fundatore,] & beato Petro Principe Apostolorum accepimus fiduciam, &c.

S. Calixtus Papa in epistola ad Benedictum Episcopum. Non enim decet, inquit, à capite membra dissidere, sed iuxta sacræ scripturæ testimonium, omnia membra caput sequuntur. [Nulli verò dubium est,quòd Apostolica Ecclesia, Mater sit omnium Ecclesiarum,] à cuius regulis nullatenus conuenit deuiare. Et sicut filius venit facere voluntatem Patris, sic & vos voluntatem vestræ impleatis Matris, quæ est Ecclesia, [cuius caput, vt prædictum est, Romana existit Ecclesia.]

Falsa sententia Hæreticorum.

Romanus Pontifex, non diuina, sed humana dumtaxat ordinatione caput est, seu habetur totius Ecclesiæ: quia sic tùm ipsimet Pontifices Romani, tùm alij Patres, ac Concilia etiam, sicut, & Imperatores Romani, testantur.

S. Anacletus Pont. epist. 2. Cæteri Apostoli cum eo, Petro, pari consortio honorem, & potestatem acceperunt [ipsumque Principem suum esse voluerunt.]

Iulius 1. epist. 1. Sanctam (inquit, de Apostolis loquens) Romanam Ecclesiam [primatum omnium Ecclesiarum habere voluerunt.]

Concilium Romanum quartū sub Symmacho. Apostolicæ sedi, inquit, primùm meritum beati Petri, [deinde Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesijs tradidit potestatem.]

Concilium Chalcedonense, actione 16. seu can. 28. vt alij citant. Etenim, inquit, Sedis senioris Romæ [propter imperium ciuitatis

uitatis illius, Patres consequenter priuilegia reddiderunt.]

Constantinus Magnus, vt habetur distinct. 96. Vtile, inquit, iudicamus vnà cum omnibus Satrapis nostris, & vniuerso senatu, optimatibus, & cuncto populo, imperio Romanæ Ecclesiæ subiacenti, vt sicut beatus Petrus in terris Vicarius filij Dei videtur esse constitutus: [ita, & Pontifices ipsius Principis Apostolorum in terris principatus potestatem amplius, quàm terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis, nostroque Imperio obtineant.] Et paulò post: [Decernentes, inquit, sancimus, vt principatum teneat,] tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Ecclesias Dei: & Pontifex, qui per tempora ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior, & Princeps cunctis Sacerdotibus, & totius mundi existat.

Valentinianus Imperator in epistol. ad Theodosium, Debemus, inquit, dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis episcopus, [cui principatum Sacerdotij super omnes, antiquitas contulit,] locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicandi.

Iustinianus senior, constitutione Nouella centesima, seu, vt alij numerant 131. [Decernimus, inquit, secundum sacrarum Synodorum decreta, sanctissimum senioris Romæ Episcopum, primum esse omnium Sacerdotum.]

Phocas Imperator [sanxit Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum.] Vt testantur Beda in lib. de sex ætatibus. Ado in chronico, Paulus Diaconus lib. 18. de rebus Romanis.

Ludouicus Imperator, vt habetur distinct. 63. Ego Lodouicus, inquit Imperator Romanus Augustus, [statuo, & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro Principi Apostolorum, & per te, Vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici, & successoribus eius in perpetuum,] sicut à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis, &c.

S. Marcellus Papa in epistola ad Episcopos Antiochenos. Solicitudinem, inquit, omnium ecclesiarum, iuxta Apostolum circumferentes, diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, [qui nos per dignationis suæ misericordiam ob hoc ad fastigium Sacerdotale prouexit,] vt mandatis ipsius inhærentes [in quadam Sacerdotum eius specula constituti,] prohibeamus illicita, & sequenda doceamus.

S. Eusebius Papa in epist. ad episcopos Thusciæ, & Campaniæ: Benedictus, inquit, Dominus Deus noster, [qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis Sacerdotio ditauit,] nobisque viam monstrandam circa nos, propter vniuersalem curam, quæ nobis propter priuilegium eiusdem ecclesiæ charitas indulsit.

Iulius Papa in epist. contra Orientales pro S. Athanasio, Docuerat, inquit, vos aduersùs sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam limatè, & non ironicè loqui: [quoniam, & ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter allocutus ait: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum.] Habet enim potestatem singulari priuilegio sibi concessam aperire, & claudere Ianuas regni cœlestis quibus voluerit. Nam si ei detrahere, [quæ Domini ore sacrata, atque desuper exaltata est, non renuistis,] nec mirum si fratribus iniurias irrogate minimè cessastis. Et paulò post: Canonibus præcipientibus, nihil extra Romanum decerni Pontificem, [cui hæc, & maiora ecclesiæ negotia tam ab ipso Domino,] quàm ab omnibus vniuersorum Conciliorum fratribus speciali, vt iamdictum est, priuilegio contradita sunt. Et deinceps: His taliter consideratis, atque discretis, tamquam omnium curam gerentes, propter Sedis propriæ dignitatem suscepimus eos (S. Athanasium, & alios Catholicos episcopos intelligit) in communionem, singulisque cum suis, auctoritate huius sanctæ Sedis, rebus, proprias reddidimus ecclesias: quoniam huic sanctæ Sedi, propter prauorum hominum insidias, [ipso Domino instituente, & sanctis Apostolis eorumque successoribus per singula Concilia roborantibus,] hoc semper licuit, licebitque Domino auxiliante, in perpetuum.

Damasus Papa in epistola ad Concilium Mauritaniæ, & vniuersis episcopis Africanæ prouinciæ. Pro qua re, inquit, oportet, iuxta vestram prudentem commonitionem, magis autem, [secundùm Domini diuinam præceptionem, nos qui supra domum eius, hoc est, vniuersalem ecclesiam catholicam, episcopale suscepimus ministerium,] sollicitè vigilare, &c.

Et statim post: Scitis fratres charissimi, [firmamentum à Deo fixum, & immobile,] atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, id est, [omnium Episcoporum Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum.

S. Leo epistol. 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. Sicut præcessores mei præcessoribus tuis: ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam [quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus,] imitator nostræ mansuetudinis effectus, adiuuares.

Gelasius Papa epistol. ad Anastasium Augustum. Si cunctis, inquit, generaliter Sacerdotibus rectè diuina tractantibus, fidelium conuocat corda submitti, quantò potius Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, [quem cunctis Sacerdotibus, & diuinitas summa voluit præuenire, & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit?] Vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet, & penitus humano consilio eleuare se quemquam posse illius priuilegio, vel confessioni, [quem Christi vox prætulit vniuersis; quem Ecclesia veneranda semper confessa est,] & habet deuota primatum. Imperi non possunt humanis præsumptionibus, [quæ diuino sunt iudicio constituta.

Idem

Idem epistol. ad Episcopos Dardaniæ Confidimus, inquit, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis assequi sedem præ cæteris oportere [quàm primam,] quæ, & vnamquamque Synodum sub auctoritate confirmat, & continuata moderatione [pro suo scilicet principatu, quem beatus Apostolus Petrus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequenter, & tenuit semper, & tetinet.]

Idem cum septuaginta Episcopis. Post prophetica, inquit, Euangelicas, atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est; illud etiam intimandum putamus, quod quamuis vniuersæ per Orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sit; [Sancta tamen Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit, Tu es Petrus, inquiens, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlo. Cui data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diuerso, sicut hæretici garriunt, sed vno tempore, vno, eodemque die, gloriosa morte cum Petro in Vrbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est, & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrauerunt, talesque omnibus Vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia, atque veneranda triumpho prætulerunt.

Anastasius secundus, in epistola ad Anastasium Imperatorem: Per ministerium, inquit, humilitatis meæ, sicut semper est sedes B. Petri in vniuersali ecclesia, [assignatum sibi à Domino teneat Principatum.]

Pelagius secundus, epist. 1. ad Episcopos Orientis. Romana, inquit, sedes, [instituente Domino, caput est omnium ecclesiarum.

Testimonia Patrum.

SAnctus Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium Papam. Post ista adhuc insuper, pseudoepiscopo sibi ab Hæreticis constituto, nauigare audent, [& ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem (Ecclesiam Romanam intelligit) vnde vnitas Sacerdotalis exorta est,] à schismaticis, & prophanis literas ferre. Et epist. 8. ad plebem vniuersam. Deus, inquit, vnus est, & Christus vnus, [& vna ecclesia, & cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata.

Idem lib. 4. epistol. 1. ad Lucium Papam Romanum. Et nuper quidem, inquit, frater charissime gratulati sumus cum te honore geminato. [In ecclesiæ suæ administratione] confessorem pariter, & Sacerdotem [constituit diuina dignatio:] sed & nunc non minùs tibi, & comitibus tuis, atque vniuersæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria, & laudibus vestris [reduces vos denuò ad suos fecerit benigna Domini, & larga protectio, vt pascendo gregi Pastor, & gubernandæ Naui Gubernator, & plebi regendę episcopus redderetur.] Et paulò post: Vt ad confundendos hæreticos, & retundendos ostenderet Dominus, [quæ esset ecclesia, quis episcopus eius vnus diuina ordinatione delectus.]

Idem lib. 4. epist. 2. [Factus est, inquit, Cornelius (Pontifex Romanus) episcopus de Dei, & Christi eius iudicio,] de clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, [cùm Fabiani (antecessoris proximi) locus, id est, locus Petri, & gradus cathedrę Sacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate, &c.

S. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio: Quanam, inquit, de causa ille sanguinem effudit suum? certè vt pecudes eas acquireret, [quarum curam tùm Petro, tùm Petri successoribus committebat.]

S. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. [Domino, inquit, & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, summo Pontifici Vrbano.] Et statim post: [Quoniam diuina prouidètia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & ecclesiam suam regendam committeret.

S. Cyrillus lib. Thesauri. Vt citatur à S.Thoma in opusculis aduersùs errores Græcorum, & in Concilio Florentino sess. 5. 7. & 8. Sicut Christus, inquit, accepit à Patre, Dux sceptrum Ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens, super omnem principatum, & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur, plenissimam potestatem: [sic, & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit.

Testimonia Conciliorum.

SAnctus Athanasius, & Synodus Alexandrina prouincialis in epistol. ad Felicem Papam Romanum, de persecutione, quam patiebantur ab Arianis; Ideoque, inquit, ad propositum recurrentes, & ad brauium properantes, vestræ Apostolicæ Sedis implorarunus auxilium: quia vt credimus [non despexit Deus preces cum lachrymis sibi oblatis seruorum suorum, sed ob id vos, prædecessoresque vestros, Apostolicos, videlicet Pręsules in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum eis curam habere præcepit,] vt nobis succurraris, nosque tuentes, [cui omne Episcoporum iudicium est commissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis.

S. Augustinus, & Episcopi Africani in Concilio Mileuitano ad Innocentium Pontificem Romanum. [Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica, talemque nostris temporibus præstitit,] vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt, suggerenda tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi, [pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris.

Rauennius, & alij episcopi Galliæ, inter quos, & S. Hilarius, in epist. ad S. Leonem Magnum, Pontificem Romanum. Respiciat, inquiunt, consectando Apostolatum vestrum misericors Dominus Ecclesiam suam toto orbe diffusam. Vobis enim ita invigilantibus, & hi, qui curam animæ suæ gerunt, solicitiores in fide redduntur, & hi, qui paulò desides sunt, tanto ad solicitudinem accenduntur exemplo, quod nos ante oculos semper habentes, non desinemus [Deo, ac Domino gratias agere, & pariter supplicare gratulantes, quòd tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apostolicæ sedi (vnde religionis nostræ propitio Christo, fons, & origo manauit) Antistitem dederit, petentes etiam, vt datum, concessumque munus pontificij vestri, longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat.] Nos autem, & si impares meritis, pari tamen fide, si quid, quod absit, contra Ecclesiam catholicam prophana infestatione tentetur, parati sumus, confortante Domino, cum beatitudine vestra, pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc, auctori salutis nostræ, & largitori æternitatis impendere.

Concilium Nicænum primum generale, in præfatione. Sciendum est sanè, inquit Præfator, ab omnibus catholicis, quoniam [Sancta Ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit.]

Et, Can. 24. vt anno 1572. per P. Alphonsum Pisanum sunt digesti. Veneramur [secundùm scripturas,] & canonum definitionem, [sanctissimum Romanæ, antiquæque Ecclesiæ Episcopum primum esse, & maximum Episcoporum.]

Concilium Chalcedonense act. 3. in epistola ad Leonem Pontificem. Et post hæc omnia (inquiunt Patres illius Concilij) insuper, [& contra ipsum (Romanum Pontificem intelligunt) cui Vineæ custodia à Saluatore commissa est,] extendit insaniam.

Concilium Florentinum generale sessione vltima. Item definimus (inquiunt PP, Concilij) sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & doctorem existere, [& ipsi, in beato Petro, pascendi, regendi, & gubernandi Vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo, plenam potestatem traditam esse.] quemadmodum etiam gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.

Testimonia Imperatorum Christianorum, tàm Orientis, quàm Occidentis de primatu Romani Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ, atque Apostolicæ.

Constantinus Magnus in edicto donationis in Romanam Ecclesiam. Prima itaque die, inquit, post perceptum sacri baptismatis mysterium, & post curationem corporis mei à lepræ squallore, agnoui non alium esse Deum, nisi Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quem beatus Siluester Papa prædicat, Trinitatem in Vnitate, & Vnitatem in Trinitate. Nam omnes Dij gentium, quos hactenus colui dæmonia, opera hominum manufacta comprobantur. [Etenim quantam potestatem idem Saluator noster suo Apostolo, beato Petro contulerit in cœlo, & in terra, lucidissimè nobis idem Venerabilis Pater edixit, dum fidelem cum sua interrogatione inueniens, ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Aduertite potentes, & auribus cordis intendite, quid bonus Magister, & Dominus suo Discipulo adiunxit, inquiens: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis. Mirum est hoc valdè, & gloriosum, in terra ligare, & soluere, & in cœlo ligatum, & solutum esse. Et dum hæc, prædicante Siluestro; agnoscerem, & beneficijs ipsius B. Petri integerrimæ sanitati me comperi restitutum, [vtile iudicauimus vnà cum omnibus nostris Satrapis, & vniuerso Senatu, optimatibusque meis, etiam & cuncto populo Romanæ gloriæ imperio subiacenti, vt sicut in terris sanctus Petrus Vicarius Filij Dei videtur esse constitutus, etiam, & Pontifices, qui successores sunt ipsius Principis Apostolorum, principatus potestatem ampliùs quàm terrena Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis, nostroque imperio, obtineant,] eligentes nobis, ipsum Principem Apostolorum, & eius Successores, firmos apud Deum esse Patronos. Et sicut nostram terreuam imperialem potentiam, sic eius sacrosanctam Romanam Ecclesiam decreuimus venerantèr honorari, & ampliùs quàm nostrum imperium, & terrenum thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriosè exaltari: tribuentes ei potestatem, & gloriæ dignitatem, atque vigorem, & honorificentiam imperialem, atque decernentes sancimus, vt principatum teneat, tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolimitanam, & Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in vniuerso Orbe terrarum Dei Ecclesias. Et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior, & Princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & eius iudicio, quæcumque ad cultum Dei, vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est, vt ibi lex sancta caput teneat principatus, vbi sanctarum legum institutor, Saluator noster beatum Petrum Apostolatus obtinere præcepit cathedram, vbi & crucis paribulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique Magistri, & Domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, vbi eorum Doctor beatus Paulus Apostolus pro Christo, extenso collo, martyrio coronatus est. Illic, vsque in finem quærant Doctorem, vbi sanctum Doctoris quiescit corpus: & ibi proni, ac humiliati cœlestis Regis, Dei Saluatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, vbi superbi terreni, Regis seruiebatur imperio.

Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA, in edicto ad populum

Con-

Constantinopolitanum in 1. l, C. de summa Trinitate, & fide Catholica, & vt nemo de ea publicè contendere audeat.

Cunctos, inquiunt, populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, [quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat,] quamque Pontificem Damasum sequi claret.

Valentinianus, & Martianus AA, Leoni Reuerendissimo Archiepiscopo gloriosæ Ciuitatis Romæ. Adhoc, inquiunt, maximum imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus excellentissimi, cunctæque militiæ: vnde pro reuerenda;, & Catholica Religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostram confidimus gubernari, [tuam sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem :.] sacris literis in principio iustum credimus alloquendam, inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij, æternam diuinitatem tua Sanctitas deprecetur.

Iustinianus senior, in epist. ad Ioannem sanctissimum Episcopum almæ Vrbis Romæ. Reddentes, inquie, honorem [Apostolicæ Sedi, & Vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto fuit, & est) & vt decet, Patrem honorantes Vestram beatitudinem,] omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre Vestræ Sanctitatis. Quoniam [semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire,] qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla interdicente contrarietate. [Ideoq; omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire Sedi vestræ Sanctitatis properauimus.] In præsenti ergo, quæ commota sunt, (quamuis manifesta, & indubitata sint, [& secundùm Apostolicæ Vestræ Sedis doctrinam, ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita, & prædicata] necessarium duximus, vt ad notitiam Vestræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati, [quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.] Per omnia enim (vt dictum est) properamus honorem, & auctoritatem crescere Vestræ Sedis.

Idem in epist. ad Eulalium Episcopum, & Ecclesiam Carthaginensem. Prima, inquit, salus, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare: [& quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio.

Idem in principio auth. vt Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione. Vt legum, inquit, originem anterior Roma sortita est: [ita & summi Pontificatus apicem, apud eam esse, nemo est qui dubitet.] Vnde, & nos necessarium duximus [patriam legum, fontem Sacerdotij, speciali nostri numinis lege illustrare, vt ex hac in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsque ad Oceanum positæ sunt, saluberrimæ legis vigor extendatur, & sit totius Occidentis, nec non, & Orientis, &c. lex propria ad honorem Dei consecrata.

Idem in Constitut. Nouel. 119. §. 2. apud Iulium Patricium. [Papa, inquit, Romanus prior omnibus Episcopis, & Patriarchis sedeat.]

Submonitio ad Lectorem.

QVi allegata testimonia SS. Pontificum, Patrum, & Conciliorum, vnà cum alijs, superioribus capitibus memoratis peritiùs considerare, & perpendere volet animo minimè emoto, & præoccupato, dubitare haudquaquam potest, primatum Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ, (quæ Sedis Apostolicæ elogio præ alijs omnibus prædicatur) non esse nuperum, neque humanitùs, sed diuinitùs, & Christi auctoritate institutum, atque confirmatum, & hoc primis sexcentis annis adeò vulgatum, adeoque certum, & indubitatum fuisse, vt pro execratis, atque execrandis, damnatisque hæreticis, & schismaticis habiti sint, qui diuersum sentire, aut asserere fuissent ausi, vt paulò post suo loco probabitur vlteriùs. Quam ob causam Imperatores Augusti, & christianitatis nomine prædicatissimi, vt Christiani, hoc ipsum ingenuè fassi, vt Imperatores verò, non primùm iustituerunt, sed institutum diuinitus, & SS. Conciliorum canonibus, & totius Ecclesiæ publica, continuaque confessione confirmatum, tutati sunt legibus, atque decretis suis ad roborandum, & stabiliendum eumdem præcipuè latis, atque permulgatis: qui etiam hoc ipsum expressè testantur, & confirmant, quando quatuor prima Concilia generalia, in quibus Romanæ sedis auctoritas diuinitus collata agnoscitur, instar diuinæ scripturæ obseruari præcipiunt, & contrarium sentientes, & hæreticos, grauissimis pœnis multandos, & coercendos, decernunt.

Exegesis, & Germana explicatio eorum, quæ ab hæreticis perperam, ac deprauatè allegantur.

IDeò Apostoli S. Petrum principem suum esse voluerunt, quia sic voluit, & constituit Christus: quod idem S. Pontifex in epist. 3. satis euidenter testatur, vt videre est in allegatis supra ex parte catholicorum.

Idem cum B. Anacleto sent. 5. Iulius, vt patet ex epistola contra Orientales pro Athanasio, à Catholicis allegata.

Si verba Concilij ponantur, liquidissimum euadet, Concilium asserere non humana auctoritate, sed diuina S. Petro, & per S. Petrum Romano Pontifici ordinario successori, & propter illum Romanę etiam Ecclesiæ primatum esse collatum. Sic enim sonant, & habent verba Concilij: Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui indicabatur impetitus, Symmachum Romanum Pontificem, grauiter à quibusdam, sed falsò accusatum intelligunt, debuisse Synodum conuocare, scientes, quòd eius Romanæ Sedi primùm Petri Apostoli meritum, deindè, [secuta ius-

iussione Domini,] Conciliorum Venerandorum auctoritas, singularem in ecclesijs tradidit potestatem. In quibus tria veniunt consideranda, primò meritum S. Petri, quia propter confessionem de Christo, diuinitus reuelatam,&donatam,meruit hoc,quod Christus illi primatum promisit. Secundò, iussio Christi, quæ verba aduersarij omittunt, qua post resurrectionem, illum iussit, vt pastorem supremum omnes agnos, & oues pascere, sicque reipsa quòd ante erat pollicitus, super ipsum Ecclesiam ædificauit, hoc est, ipsi totam ecclesiam, tamquam summo Pastori, & Rectori, gubernandam commisit, & claues regni cælorum, hoc est, supremam, ac generalem potestatem, donauit. Tertiò sequitur Conciliorum auctoritas,quæ sancto Petro eiusque successori ordinario, primatum, non primùm concessit, sed diuina Christi iussione commissum, atque donatum esse declarauit, & ab omnibus catholicis sic credi, & obseruari mandauit.

Proposuerunt quidam ex Patribus illam sententiam in Conc. sed non fuit recepta, nec approbata ab omnibus, nec confirmata, sed refutata à legatis, & Sedis Apost. Episcopo S.Leone, sicut & alia pleraque, vt patet ex act.16. illius Concilij, & epist. Leonis 52. ad Martianum Augustum,& alia epist. ad ipsum Concilium Chalcedonense, quæ est in vlt. edit. 61. Falsum etiam est, à Niceæno Concilio primatum accepisse Apostolicam Sedem, cum ab initio eumdem habuisse constet manifestissimè, vt patet ex S.Anacleto,alijsq; sequentibus supra allegatis, & S.quoque Gelasio, in Concil. 70. Episcoporum, vt nihil dicam de Concilio Florentino. Quin hoc ipsum Concilium Chalcedonense B. Petro, & proinde etiam ordinarijs successoribus, à Saluatore Vineam custodiendam fuisse commissam testatur expressè. Et citatur etiam act.16. Canon 6. Conc. Nicæno, quòd Ecclesia Romana semper habuerit principatum. Si semper habuit, ergo in Concilio Nicæno non fuit ei primùm attributus. Nec ideò etiam Romana Ecclesia primatum obtinuit, quia Roma Constantinopoli senior, seù antiquior, & ante illam, Imperij Sedes fuit; sed quia S.Petrus, nutu, atque dispositione Dei ibi Sedem suam fixit, & vsque ad mortem eamdem continuauit, & martyrio suo veluti obsignauit, perpetuamque in successoribus esse voluit; vt patet ex illis, quæ suo loco allegauimus. Habuit tamen primatum à Patribus Romana Ecclesia, non quia Patres primò eum donarunt, sed quia diuinitus, seu Euang. voce Domini, & Saluatoris nostri, vt loquitur S. Gelasius; seù ab ipso Domino Saluatore nostro, vt ait B. Anacletus; donatum, declararunt, asseruerunt, & credendum, confitendumque, atque honorandum decreuerunt Patres in Synodis, & Concilium Nicænum dicitur definiuisse. Filium Dei consubstantialem esse Patri: non quòd hoc primùm definierit, aut à Concilio Filius consubstantialitatem consecutus sit, qui ab æterno, & naturaliter Patri fuit consubstantialis: sed quia declarauit ex Scripturis, & credendum definiuit contra Arrianos, & eos, qui hoc negabant.

Sanctus Constantinus nihil dedit Romano Pontifici, quoad ius, & potestatem spiritualem; sed auxit tantùm temporalibus priuilegijs, & honoribus, dotauitque Romanam Sedem, tùm ex gratitudine, tùm ob reuerentiam Palatio Lateranensi,& alijs multis beneficijs cumulauit. Etenim expressè fatetur S.Petrum propter confessionem diuinitatis Christi, Vicarium Christi, & à Christo supremum Ecclesiæ Pastorem, seu Rectorem constitutum fuisse; & ideò Successores Petri in Sede Romana,quam viuens ibi collocauit, & moriens obsignauit, meritò etiam principes, & capita ecclesiæ haberi, & eo nomine præ alijs honorari debere,& coli ab omnibus: Et hoc suo exemplo, & edicto confirmauit, sicque ius declarauit dumtaxat antiquum, non autem nouum constituit, quod ad ditionem attinet, & potestatem spiritualem: Vt euidenter colliget, qui confessionem, & donationem eiusdem sancti Imperatoris à principio ad finem, & præcipuè ea, quæ supra ex parte catholicorum allegata sunt, perlegere, & ponderare volet diligentiùs. Si autem Constantinus primus non contulit primatum Romano Episcopo, sed à Christo collatum confirmauit, & honoribus etiam, & bonis temporalibus ornauit, atque auxit: quantò minùs conferre potuit Constantinus Quartus, qui plusquam trecentis annis post Constantinum Magnum imperauit? Et tamen hæretici asserere hoc non erubescunt, & probare nequicquam moliuntur ex Platina, qui non scribit, Constantinum istum Quartum dedisse Romano Pontifici primatum, sed permotum sanctitate Benedicti Secundi, ius suum confirmandi electum pontificem, quod à Romanis pontificibus à tempore Iustiniani ideò Imperatori concessum, seù permissum fuit ad tempus, qua sic expediebat ecclesiæ,vt Imperatoris accedente approbatione, & auctoritate, eò liberiùs posset ius suum, & potestatem exercere pontifex tempore persecutionum, & nemo tam facilè illi auderet sese opponere, vel debitam reuerentiam, atque obedientiam denegare.

Valentinianus apertè agnoscit dignitatem S.Petri in Romano Pontifice, tamquam successore, propagatam,illamque in illo conseruandam constituit: satis declarat, se credidisse à S.Petro, qui illam à Christo accepit, inceptam, & derinatam esse dignitatem illam, & potestatem summam Romani Pontificis: Contulisse autem antiquitatem illi principatum Sacerdotij super omnes Sacerdotes, hoc sensu dicit, quia à Christo collatum agnouit, asseruit, & confitendum, honorandùmque declarauit, & præcepit.

Iustinianus non decreuit senioris Romę Episcopum, tunc demùm primum esse inter, & super omnes Sacerdotes, cùm ante eum multis,& plusquam ducentis annis alij Imperatores primatum agnouerint; & Valentinianus, qui diù ipsum præcessit, antiquissimum fuisse, seù antiquitatem contulisse primatum asseueret: sed voluit decreto suo subditos suos, omnesque catholicos ad primatum Romani Episcopi diuinitus collatum, & per Concilia declaratum,confirmatumque,agnoscendum, & venerandum inducere, atque obstringere, vt patet ex illis, quæ paulò ante ex Iustiniano allegauimus ex parte catholicorum,

corum, vbi in epistola ad Eulalium, affert verba Christi, quibus beato Petro primatum promisit, & rerum effectu hoc in beato Petro, & Sede Apostolica Romana confirmatum fuisse, & conspici affueuerat: & in principio authent. de præscriptione centum annorum Ecclesiæ Romanæ concessa, expressissimè fatetur, Summi Pontificatus apicem apud eam esse, à nemine fuisse, tunc temporis dubitatum. In epistola quoque ad Ioannem Papam manifestè fatetur, ipsum caput esse omnium sanctarum Ecclesiarum, seque in hoc totum esse, vt omnes suos subditos ad obedientiam ipsius reducat, asserens se properare, vt per omnia honor, & auctoritas Romanæ Sedis posset crescere. Cui respondens pontifex, idipsum quidem, quod Romana Ecclesia caput sit omnium ecclesiarum, acceptauit, & confirmando asseruit; sed addit; [sicut Patrum regulæ, & statuta declarant.] Vt ostenderet primatum illum non à Patribus, aut Concilijs donatum, vel institutum, sed declaratum tantùm fuisse, & agnitum, atque celebratum. Id quod, & Nicolaus Primus Romanus pontifex, in epist. ad Michaelem Imperatorem paulò expressiùs explicat; Ista, inquit, priuilegia (primatus scilicet, & aliæ prærogatiuæ) huic sanctæ Ecclesiæ à Christo sunt donata, à Synodis non donata, sed celebrata, & honorata.

Phocas, qui anno sexcentesimo à Christo nato imperauit, non potuit sanxisse primatum Ecclesiæ Romanæ; qui non solùm, vt diuinitus donatus, à SS. Pontificibus, Patribus, & Concilijs, sed etiam Christianis, & catholicis Imperatoribus tot centenis annis ante ipsum agnitus, & assertus fuit. Sanxit quidem Ecclesiam Romanam caput esse omnium ecclesiarum, sed non instituendo primùm, sed declarando, & asserendo sanxit, & ideò sanxit, quia isto seculo, Constantinopoli Episcopi æquare sese, & tantùm non præponere voluerunt Romano pontifici, & primatum ad suam sedem Constantinopolitanam pertrahere, & frangendam igitur, & retundendam eorum superbiam, & Romanæ Sedis prerogatiuam, ac principalitatem diuinitus collatam, ab horum ambitione vindicandam, & stabiliendam, conseruandamque, publico edicto mandauit, vt omnes Ecclesiæ Romanam, vt caput, & supremam ecclesiam agnoscerent, & nemo se illi opponere, nedum æquare, nemo debitam reuerentiam, & obedientiam subtrahere, aut denegare auderet: vt citati authores, Beda videlicet, Ado, & Paulus Diaconus ibidem quoque testantur.

Ludouicus Imperator, satis apertè testatur, qualem fidem, & reuerentiam ergà Romanam Ecclesiam, vt caput omnium Ecclesiarum gesserit, cuius priuilegia, & donationes à prædecessoribus concessa, liberaliter confirmat. Romanum autem pontificem Vicarium S. Petri vocat, non quòd negauerit in Sede, & auctoritate S. Petri successorem, vt in 600. locis ab alijs asseritur; sed quòd suo modo adhuc S. Petrus viuit, & regit in Ecclesia, non quòd personaliter adsit, sed meritis precibusque ecclesiam adhuc moderetur, & per Romanos Pontifices, vti hæredes suos eidem præsit: quo sensu S. Leo, serm. 2. de anniuersario assumptionis suæ dicit, quòd S. Petrus adhuc viuat, & gubernacula ecclesię suæ non dereliquerit. Et B. Petrus Chrysologus in epistola ad Eutycherem: Hortamur, inquit, te frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.

CAPVT XXI.

An Romanus Pontifex, quatenus sancti Petri ordinarius est successor, & ex cathedra, atque officio docet, ac decernit, in fide errare possit.

Vera sententia Catholicorum.

ROmanus Pontifex, quatenus ordinarius sancti Petri in officio, ac cathedra pastorali suprema ordinarius successor, ex officio, & cathedra vniuersam ecclesiam docens, ac decernens aliquid, in fide non errauit, nec errabit vnquam, idque propter Christi promissionem, & assistentiam perpetuam, quia sic testantur SS. Pontifices, ac Martyres, Patres etiam, ac Concilia, tùm particularia, tùm generalia primitiuæ ecclesiæ, necnon Imperatores catholici.

Lucius I. Pontifex, & Martyr anno 253. in epistola ad Episcopos Galliæ, & Hispanię. [Hæc sancta, inquit, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum, Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit: sed vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus manet, secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum Principi, in suis fatus est Euangelijs: Petre, inquiens: ecce Sathan expetiuit vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Consideret igitur vestra excellens prudentia, quàm bonum sit persistere in dispensatione vobis credita, & in fide recta; atque hæreticis, & æmulis Christi repugnare, & nunquam à veritatis tramite declinare: quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitanit, & proprio nos suo redemit sanguine; [qui fidem B. Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.] Quorum & pusillitas mea, licet impar, & minima, pro suscepto tamen, diuina dignatione, ministerio, pedissequa cupit existere.

Falsa sententia Hæreticorum.

ROmani Pontifices in fide errare possunt, & errarunt sæpissimè, quia sic Patres testantur.

Papa à fide errare potest, vt habetur in decre-

decretalibus dist.40. cap. Si Papa, & in ep.3. Anacleti.

Liberius Papa in hæresim lapsus est Arianam. Vt Hieronymus in chronicis testatur.

Honorius Papa in sexta Synodo generali act. 13. pro hæretico accusatur, & damnatur.

Nicolaus I. vt refert Gratianus de consecratione dist. 4. in cap. à quodam Iudæo, ait baptismum in nomine Christi collatum valere. At Pelagius Papa, vt citatur ibidem cap. multi, & cap. reuera, damnat illam sententiam, asserens debere conferri in nomine SS. Trinitatis. Ergo alter in fide errauit.

Stephanus Papa, damnat Formosum Papam, & omnes actus eius, atque decreta. Ergo alteruter malè in fide decreuit.

Cælestinus Papa tenuit, vt habetur c. 4. de diuortijs, quòd quando vnus coniugum fit hæreticus, aut infidelis, alter potest de nouo cum altero contrahere.

Nicolaus IV. cap. Dixit qui seminat de verborum significatione; dicit Christum nec in vniuersali, nec in particulari habuisse pecunias, sicuti nec Franciscani habent. Quam sententiam vt falsam damnat Ioan. 22. in extrauagante. Cum inter nonnullos, de rerum significatione. Ergo alter errauit.

Ioan. 22. sustinuit, animas iustorum non videre Deum vsque ad diem iudicij: quod est erroneum: & tamen illum errorem obtrudere voluit Academiæ Parisiensi, vt non daret gradus aliter sentientibus.

Quin & ipsemet S.Petrus Princeps Apostolorum, & primus Pontifex, fidem negauit, & gentes iudaizare coegit.

Felix I. Papa, & Martyr anno 270. in epist. ad Benignum. Eadem ferè ad verbum scribit.

Eusebius Papa, & Martyr anno 308. in epist. ad Episcopos Tusciæ, & Campaniæ. Benedictus, inquit, Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam, B. Petri Apostolorum Principis Sacerdotio ditauit. Et paulò post: Prima enim salus est rectæ fidei regulas custodire, & à constitutis Patrum non deuiare. Nec potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: [quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio.]

S. Damasus anno 363. in epistola ad Stephanum Archiepiscopum Concilij Mauritaniæ, & vniuersos Episcopos Africanæ prouinciæ. Satagentes, inquit, ne aliquis de his, qui vobis crediti sunt à sæuis bestijs dilaceretur, aut capiatur: pro qua te oportet, iuxta vestram prudentem communitionem, magis autem secundùm Domini diuinam præceptionem nos, qui supra domum eius, hoc est, vniuersalem Ecclesiam catholicam, Episcopale suscepimus ministerium, sollicitè vigilare, vt ne quid de sacris eius muneribus, id est, Apostolicis viris, Apostolorum successoribus, atque ministris quisquam, nobis inconsultis, contingat damnari. [Scitis fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum: Tu es enim (sicut diuinum pronunciat verbum veraciter) Petrus, & super firmamentum tuum, Ecclesiæ Columnæ, qui Episcopi intelligantur, confirmatæ sunt:] & tibi claues regni cœlorum commisi, atque ligare, & soluere potestatem, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, promulgaui. Tu prophanatorum hominum, & membrorum meorum, maximéque discipulorum meorum existis, [vt Princeps, & doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei;] cuius vice, hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, [& omnes huius sanctę Sedis Præsules eius vicem gesserunt, gerunt, & gerent.]

S. Leo I. anno 440. ser. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum. Specialis, inquit, cura Petri à Domino suscipitur, [& pro fide Petri supplicatur: tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.] In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuina gratia ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur.

S. Gelasius Pontifex anno 494. in epist. ad Anastasium Augustum. Vbi pietas tua, inquit, euidenter aduertit, numquam quolibet, & penitus humano consilio eleuare se quemquam posse illius priuilegio, vel confessioni, [quem Christi vox prætulit vniuersis: quem Ecclesia veneranda semper confessa est, & habet deuota primatum. Impeti non possunt humanis præsumptionibus, quæ diuino sunt iudicio constituta: Vinci autem quorumlibet potestate non possunt.] Atque vtinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum quod ab ipso sacræ Religionis auctore præfixum est, non potest vlla virtute conuelli. Et paulò post: Nemo pietatem tuam fallat: Verum est, quod singulariter per Prophetam Scriptura testatur: Vna est columba mea, vna est perfecta mea, [vna est Christiana fides, quam veneratur vniuersa Ecclesia Catholica: Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus, atque consortibus sincera, pura, immaculata communione diuisa est.] Alioqui non erit diuinitus mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec vlla causa iam superest, si hoc in quolibet contagio voluerit admittere, ne cunctis hęresibus ianuam, aditumque pandamus. Qui enim in vno offenderit, omnium reus est: & qui minima spernie, paulatim decidie: hoc est, quod Sedes Apostolica magnò prætaxauit, [vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio: nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si, quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proueniret, vnde cuiquam resistere auderemus errori: vel vnde correptionem errantibus posceremus?]

Idem in epistola ad vniuersos Episcopos Dardaniæ. Quapropter, inquit, respuentes stultitiam inanium querelarum, percurrere vos oportet, ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter; [quoniam Patres nostri, catholici videlicet docti Pontifices in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione

nione catholica, atque Apostolica, secundùm scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, facta semel congregatione, sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmum constare, nec in eadem hac causa, denuò quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt.] Et paulò post: Quibus conuenienter, vt dictum est, ex paterna traditione perpensis, confidimus, [quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret,] vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, [nullam magis assequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnumquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequenter, & tenuit semper, & retinet.]

Idem in Concilio septuaginta Episcoporum. Pariter, inquit, supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrauerunt (S. Petrus, & Paulus scilicet sua morte, & martyrio) talesque omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia, & venerando triumpho prætulerunt. [Est ergo prima Petri Apostoli sedes, Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi.]

S Gregorius Magnus, anno 590. lib. 4. epistola trigesima secunda, ad Mauritium Imperatorem. Quis nesciat, inquit, sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam?] cui dictum est: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et rursùm: Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

Agatho Pontifex, anno 679. in epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta est in sexta Synodo generali, actione 4. & approbata actione 8. Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, [quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis prauitatibus vnquam deprauata succubuit,] quia dictum est Petro; Simon, Simon, Ecce Sathanas &c. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres admonuit: [quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est agnitum.] Et paulò post, ostendens vnde tam liberè illa assereret, atque prædicaret, ait: Nam & inter cætera is, per quem nobis præcipuè ista priuilegia sunt collata: Tu aliquando conuersus, audiuit à Domino, confirma fratres tuos.

Nicolaus primus anno 858. in epistola ad Michaelem Imperatorem. [Priuilegia, inquit, istius Sedis perpetua sunt, diuinitus radicata, atque plantata: impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, euelli non possunt. Quæ ante Imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt,] Et paulò post: Nam & inter cætera is, per quem nobis præcipuè ista sunt priuilegia collata: [Tu aliquando conuersus, audiuit à Domino, confirma fratres tuos.]

Leo IX. anno Domini 1049. in epistola ad Petrum Antiochenum: Nimirùm, inquit, solus est, pro quo, ne deficeret fides eius, Dominus, & Saluator asseruit se rogasse dicens: Rogaui pro te &c. [quæ venerabilis, & efficax oratio, obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno eius.]

Innocentius tertius anno 1198. in epist. ad Episcopum Arelatensem, & habetur in capite, Maiores, extra, de Baptismo, & eius effectu. Maiores, inquit, Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, [qui nouit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius.]

Testimonia Sanctorum Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum.

ORigenes Alexandrinus in Ægypto, anno Domini 230. in cap. 16. Matthæi. [Manifestum est, inquit, & si non exprimatur, quod nec aduersùs Ecclesiam, portæ præualere poterunt inferorum.] Nam si præualerent aduersùs petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam præualerent.

S. Cyprianus Archiepiscopus Carthaginensis in Africa anno 240. lib. 1. epistola 3. Nauigare, audent, inquit ad Petri cathedram, & Ecclesiam principalem, &c. nec cogitare [eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non potest accessum.]

Idem lib. 4. epistol. 2. laudans constantiam, & auctoritatem S. Cornelij Papæ, etiam Ethnico Imperatori terribilem: [Quanta, inquit, ipso suscepto episcopatu suo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei?] sedisse intrepidum Romæ in Sacerdotali cathedra eo tempore, cùm Tyrannus (Decium intelligit) infestus Sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; cùm multò patentiùs [& tolerabiliùs audiret, leuari aduersùm se æmulum Principem, quàm constitui Romæ Dei Sacerdotem.]

S. Gregorius Nazianzenus Episcopus, in Græcia anno 380. in carmine de vita sua, [Vetus, inquit, Roma ab antiquis habet rectam fidem, & semper eam retinet: sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere.]

S. Hieronymus discipulus eius, in Syria anno 380. lib. 3. Apologiæ contra Ruffinum. [Scito, inquit, Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, eiusmodi præstigias non recipere; etiamsi Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.]

S. Augustinus Episcopus Hypponensis in Africa anno 400. in psalmo contra partem Donati. Numerate, inquit, Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri: in ordine illo Patrum, quis, cui successerit videte: [ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.]

S. Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus in Ægypto anno 430. vt citatur apud S. Thomam in cap. 16. Matthæi. [Secundùm hanc promissionem, inquit, Ecclesia Apostolica Petri, ab omni seductione, & hæretica cit-

circumuentione manet immaculata.]

S. Theodoretus Episcopus Cyri, in Syria anno 440. in epistola ad Renatum Presbyterum Romanum: Tenet, inquit, sancta ista sedes gubernacula regendarum cunctis orbis ecclesiarum: cum propter alia, [tùm quia semper hæretici fœtoris expers permansit.]

S. Petrus Chrysologus Rauennas Episcopus in Italia, anno 430. in epistola ad Eutychetem, quæ habetur in primo tomo Conciliorum ante Concilium Chalcedonense: Hortamur te, inquit, frater honorabilis, vt his, quę à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: [quia beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat, (per successores suos) quærentibus fidei veritatem.]

Theophylactus Archiepiscopus Bulgariensis in Græcia, anno 880. in caput 22. Lucæ, docet dari à Christo hoc priuilegium, fidei videlicet indefectibilitatem, quia ipse futurus erat Princeps, & caput aliorum, ac proinde etiam dari omnibus alijs, qui illi in principatu isto erant successuri. [Quia te habeo, inquit, principem Discipulorum, confirma cæteros: Hoc enim decet te, qui post me ecclesiæ petra es, & fundamentum.]

S. Bernardus Abbas Clareuallensis in Gallia anno 1140. in epist. 190. ad Innocentium Papam, eius nominis secundum. Oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala Regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. [Dignum namque arbitror ibi resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando; Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?]

Testimonia Conciliorum.

SYnodus Alexandrina, in qua S. Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Thebaidorum, & Libiorum episcopi congregati fuerunt, in epist. ad Felicem Papam eius nominis secundum. [Tu, inquit, prophanarum hæresum, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor: vt princeps, & doctor, caputque omnium, orthodoxæ doctrinæ, immaculatæ fidei existis.]

Ascanius, & vniuersi episcopi Tarraconensis prouinciæ in epist. ad Hilarium Papam. Domino beatissimo, & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilario, Ascanius & vniuersi episcopi Tarraconensis prouinciæ. Etiamsi nulla declaret necessitas ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum nobis re vera fuerat illud priuilegium Sedis vestræ, quo susceptis regni clauibus, post resurrectionem Saluatoris, per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit. Cuius Vicarij principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in nobis primitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, [inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione percipitur.]

Concilium Chalcedonense Act. 3. petit à Leone Pontifice tamquam summo, & infallibili Iudice, ac Pastore probationem, & confirmationem statutorum suorum. Huc pertinent, & Concilia, quæ sequenti capite allegabuntur, à quibus Romani Pontifices tamquam supremi, & diuinitus ordinati, ac minimè fallaces Iudices interpellantur.

Testimonia Imperatorum.

GRatianus, Valentiuianus, & Theodosius AAA. in 1. leg. C. de summa Trinitate, testantur in Romana Ecclesia fidem Petri inuiolatam permansisse, & à Pontifice Damaso eamdem sequutam, ac tutatam fuisse.

Iustinianus in epist. ad Eulalium episcopum, & ecclesiam Carthaginensem, expressè testatur, quod in sede Apostolica extra maculam semper est catholica seruata Religio.

Submonitio ad Lectorem.

IN causis etiam secularibus, maximè arduis & maioris momenti iudicem aliquem esse supremum, qui finaliter omnes controuersias dirimat, atque determinet, ratio ipsa, & experientia quotidiana, atque euidentissima quoque necessitas efflagitat: alioquin enim contentionum, & controuersiarum numquam aut modus, aut finis esset futurus: Si autem in temporalibus negotijs hoc requiritur: quantò magis in negotio, & causa Religionis, & salutis æternæ? Ea propter sapientissimus, & clementissimus Deus, in veteri quoque testamento 7. Deut. 17. Synagogæ de Iudice supremo inter tot iudices inferiores prouidit, ad quem recurrerent Iudæi in omnibus controuersijs, & causis contentiosis, dubijsque quibuscumque, cuius etiam determinationi, & iudicio stare, & confidere possent, atque fidem, ac obedientiam præstare, sub pœna etiam capitis tenebantur. Si in veteri testamento, in vnius linguæ, & terræ populo talis Iudex necessarius, & diuinitus erat prouisus: quantò magis necessarius, & prouidendus fuit tempore noui testamenti in ecclesia, quæ non ex vna tantùm gente, & natione, sed tot diuersis populis, & nationibus per vniuersum orbem diffusis constat, & quotidie accrescit atque ampliatur? Illum porro Iudicem supremum, & quidem firmum minimèque fallentem, non alium esse, quàm S. Petrum, & eius successorem ordinarium in cathedra Romana, episcopum videlicet Romanum; omnes semper orthodoxi Patres, omnes catholici Scriptores, palam semper: & vnanimi consensu constanter sunt, non solùm voce, & verbis, sed etiam re ipsa confessi, vt partim ex allegatis, partim allegandis porro eorumdem testimonijs cuilibet probæ, & illuminatæ menti constare potest. Hæretici autem, & quidem moderni magis, quàm qui vmquam extiterunt, vt Romanum Pontificem pro tali iudice agnoscere nolunt, ita & recusare aliquo prætextu possint, errare posse etiam in rebus fidei, & errasse sæpiùs Romanos Pontifices procaciter non minùs, quàm impudenter asseuerant: quorum mendacia etsi ex tot, tantorumque Patrum, & totius Ecclesię Catholicæ allegatis testimonijs vltrò euanescant, & in fumos resoluantur suos: tamen nihilominus sigillatim, sed paucis

cis ad eorum cauillationes, seu calumnias respondere visum est: lectorem, qui vberiorem refutationem desiderat ad Scriptores Catholicos, maximè Bellarminum, qui libro 4. cap. 8. & sequen. vsque ad 15. fusè ad omnia hæreticorum obiecta, sufficienterque respondit, remittentes.

Exegesis, & Germana Explicatio eorum, quæ perperam corruptèque ab hæreticis afferuntur.

PApam, vt priuatam personam in fide errare posse, non planè inficias eunt Catholici: sed vt Papam, hoc est, Petri successorem, & Pastorem ecclesiæ Vniuersalis, errorem in fide docere, aut mandare posse Ecclesiæ, constanter negant, & probare numquam possunt hęretici. Si enim hoc factum est, aut fieri poterit, quomodo constabunt testimonia illa superiore capite allegata, quomodo ecclesiæ firmitas consistet? qua ratione confirmabit alios, aut controuersias motas hæresesque dissipabit? Si igitur, quod tamen certum non est, Papam, vt priuatam, ac singularem personam in fidei aliquo articulo errare contingeret: numquam tamen permisit, aut permittet Deus. quod ex cathedra, & officio docens, ac præcipiens, ecclesiæ errorem aliquem, aut hæresim acceptandam mandabit. De priuato itaque errore loquitur caput illud, si tamen illū in labi possit Pontifex, non de errore, aut hæresi, quæ palam, & ex officio, & omnibus præcipiat, vel obtrudat. Porrò S. Anacletus in epist. 3. non loquitur de errore Summi Pontificis, aut Romanæ Ecclesiæ, cuius primatum, & firmitatem, auctoritatemque summam, & fidem intemeratam eadem epistola ex proposito commendat, & probat: sed agit de erroribus inferiorum episcoporum, & Pastorum. Ait enim: Pro meritis ergo plebis sępè Pastores deprauantur ecclesię, vt procliuiùs corruant, qui sequuntur. Et paulò post: Doctor autem, vel Pastor ecclesię, si à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus, magis est tolerandus, quàm distinguendus.

Liberius non consensit in hęresim Arrij, sed tantùm in condemnationem, seu exauthorationem Athanasij ab Arrianis de alijs criminibus accusatum, malè informatus, subscribens, vt ipsemet S. Athanasius testatur. Quia verò depositioni S. Athanasij falsò accusati subscripsit, Arianorum hęresi subscripsisse visus est alijs, qui rem non satis perspectam, exploratamque habuerunt. Et isthinc fama percrebuit, per quam etiam S. Hieronymus in Syria adeptus fuit, Liberium exilij tędio victum Arianam fidem fuisse amplexatum. Vide Athanasium, qui omnium optimè rei veritatem sciuit, in epistol. ad solitariam vitam agentes, & Theodoretum histor. eccles. lib. 2. capit. 17. Et, si maximè tędio victus Liberius subscripsisset Arrianis, non tamen à fide, sed fidei confessione excidisset (sicut, & S. Petrus, qui timore humano Christum ore tantùm negauit, non corde; & S. Marcellinus Martyr, qui priùs simili terrore correptus, thus idolis, coactus, adoleuit) nec hęresim etiam Arrianam ex decreto docuisse probari posset, qui tantùm quo ad suam personam in hęresim consensisset. Sed Athanasio optimè conscio, non famę temerè per Arianos, aliosque malignos sparsę, credendum est.

Damnatus quidem fuit Honorius Papa tamquam Hęreticus in Concilio sexto generali, sed ex mala informatione, aut intellectu epistolę, quam ad Sergium scripserat Honorius. Vnam enim Christum habuisse voluntatem asserere visus est: sed hoc de vna voluntate quatenus homo erat Christus meritò, veraciterque dici potuit: qui tamen duas voluntates habuisse credendus est cum Catholica Ecclesia, quatenus duas habuit naturas in vna persona coniunctas. Aut igitur non errauit Honorius sanè intellectus, licèt non satis cautè isto tempore scripsisse censeri posset: aut falsatam fuisse epistolam ab hęreticis apparet: quod illis solemne est, & fuit semper, maximè in epistolis Patrum, & summorum Pontificum; vt sibi contigisse quoque, adhuc viuenti, & superstiti, S. Leo conqueritur in epistola, quam scripsit ad Martianum Augustum, quę est 69. Patres autem Concilij istius in re facti allucinari, & falli potuisse mirum non est, nec rarum, & errorem postea deprehensum, & Honorij mentem non satis intellectam fuisse Amanuensis ipsius, qui epistolam scripserat testatum fecit, vt refert Maximus in disputatione cum Pyrrho.

Nicolaus consultus, an à quodam Pagano, vel Iudęo baptizati, essent rebaptizandi; vt Doctor simpliciter respondit, si in nomine SS. Trinitatis, aut etiam Christi baptizauerit, iterandum non esse baptismum, quia etiam ipsimet Apostoli in nomine Iesu baptizasse leguntur: Non autem, vt Pontifex decernit, in nomine Iesu deinceps baptizandum: quia etsi in exordio ecclesiæ SS. Apostoli in nomine Iesu baptizarint, & non in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti explicitè, vt quidam non ignobiles Patres existimant: idque ex singulari ratione, ac dispensatione diuina, vt nomen Iesu redderetur clarius, atque illustrius: licèt implicitè Sanctissima Trinitas in nomine Iesu Christi comprehendatur: tamen post Apostolorum tempora, ecclesia voluit expressis verbis formam illam seruari, quam Christus ascensurus ad cœlum præscripsit: & peccarent mortaliter, qui aliter baptizare præsumpserint: Idcirco meritò reprehendit Pelagius illos, qui aliter quàm in præscripta, & consueta ecclesiæ forma baptismum conferunt: mandatque in nomine SS. Trin. expressis verbis baptizandum, nec tamen damnat Nicolai sententiam, qui non decernit qua forma vtendum esset, quia de hoc quæstio mota non fuerat: sed an à Iudæo, vel pagano in forma ecclesiæ baptizati, essent rebaptizandi: ad quam respondit, baptismum iterandum non esse propter personam baptizantis, si modò, vel expressè in nomine SS. Trinitatis, vel etiam in nomine Christi, vt Apostoli baptizasse leguntur, & multi Patres, inter quos & S. Ambrosius, ita intelligere videntur, baptizasse constiterit.

Stephanus decreta Formosi damnauit, qui illum non fuisse legitimum Pontificem, persuasus fuit; non autem quòd illum quicquam contra fidem, aut mores impiè decre-

uisse

uisse putaret: eadem tamen postea Ioannes nonus rursus confirmauit, quia compertum, probatumque fuit, Formosum non pseudopapam, sed legitimè electum fuisse: itaque error personæ, & facti, non fidei fuit.

Celestinus Papa, ex officio, & cathedra nihil decreuit, aut definiuit; sed, vt refert Innocentius tertius, capite Quanto, de diuortijs, ita sensisse videbatur. Si igitur certum non fuit, ita illum sensisse: multò minus dici potest, ita illum ex officio decreuisse, & ecclesiæ credendum mandasse.

Non damnat sententiam Nicolai, Ioannes Pontifex, sed quomodo intelligenda esset, exponit: nempe Christum pecunias proprias non habuisse, aut attrectasse, qui nec habuit vbi caput reclinaret: sed ab alijs quidem sustentationis ergò ex pietate datas, per Apostolos suos, & accepisse, & vsurpasse: licet etiam aliquando, nec Apostolis pecunias habere permiserit quando eos sine pera, & baculo prædicatum ablegauit. Partim igitur, & aliquando Christus perfectione; aliquando verò communi modo vixit, & cibo, potuque & alijs vitæ necessarijs vsus fuit.

Ioannes 22. nec hæreticus censeri potuit, quia illa sententia ab ecclesia necdum definita fuerat: nec illam iudicando decreuit, sed decernere volens, morte præuentus fuit, vt refert Benedictus successor eius proximus. Nec Parisiensibus huius sententiæ definitionem præscripsit, sed illam iuramenti legem, postulantibus concessit.

S. Petrus fidem, quod Christum nosset, ore quidem, sed non corde negauit. Si enim in corde Christum negasset, defecisset fides eius, & sic Christi oratio frustranea, & promissio falsa fuisset: quia dixerat: ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Et si maximè, quod tamen nequaquam contigit, fidem etiam in corde negasset, tamen contra fidem nihil vt Pontifex definiuit: immò tunc necdum Pontifex creatus, sed tantùm designatus erat; post resurrectionem demum Pastor, & Pontifex totius Ecclesiæ, & Ouilis Christi creatus, & confirmatus fuit, cùm Christus illi omnes agnos, & oues pascendas commisit Ioan. 21. Nec etiam postea Pontifex existens gentes decreto aliquo, vel definitione iudaizare coegit: sed tantùm exemplo suo non impio per se, sed non satis discreto offendiculo fuit, quia videlicet, Christianis ex iudaismo conuersis accedentibus cum gentibus, omnibus cibis vesci detrectauit, ne fideles ex Iudæis scandalizaret: & sic incautus gentibus conuersis, quasi ad Iudaicum ciborum delectum teneretur, scandalum, scrupulumque ingessit: quod S. Paulus animaduertens, ad tollendum scandalum, palam eum, sed amicè reprehendit.

CAPVT XXII.

An omnes Controuersiæ Ecclesiasticæ, & potissimùm maiores, & difficiliores ad Romanum Pontificem, tamquam sancti Petri Ordinarium successorem, & totius Ecclesiæ visibile caput, ac supremum sub Christo Pastorem, ac Iudicem, certò, & infallibiliter atque finaliter determinanda, referri possint, ac debeant.

Vera sententia Catholicorum.

QVia Romanus Episcopus est ordinarius S. Petri in cathedra Apostolicæ, & supremo Pastoratu successor, & ob promissionem S. Petro, & eius legitimis successoribus factam à Christo, in fide errare, hoc est Ecclesiam errorem ex officio docere non potest: sed alios semper in fide confirmare tenetur: idcircò ad illum, tamquam ad Visibile totius Ecclesiæ caput, & supremum, minimèque fallacem Iudicem, omnes Ecclesiæ, potissimùm maiores, & difficiliores controuersiæ, & dubia in fide, certò, & finaliter ab illo determinanda, referri debent, & relata sunt à Catholicis, pro necessitate, semper: & sine ipso, nec Concilia generalia legitimè celebrari, nec celebrata ratificari, aut confirmari possunt: quia sic testantur primitiuæ Ecclesiæ S. Pontifices, Patres, Concilia, & Imperatores catholici.

S. Anacletus Pontifex, & Martyr, qui rexit Ecclesiam anno Domini 84. epistola decretali tertia, vbi docuisset quo modo Episcopi non humilitate, & mansuetudine suos regere, & corrigere debetent, subiungit: si quæ verò aliæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, [ad huius Sanctæ Sedis apicem eas, quasi ad caput referte, vt Apostolico terminentur iudicio:] quia sic Dominum velle, ab eoque ita constitutum esse antedictis testimonijs declaratur. Hæc verò Apostolica Sedes cardo, & caput factum est à Domino, & non ab alio constituta: [& sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente reguntur.

S. Euaristus Pontifex, & Martyr, anno 97. epist. 1. ad vniuersos Episcopos Africæ. Consulentibus, inquit, vobis, fratres charissimi, quid super his, quæ in vestris continebantur scriptis visum esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à beatis Apostolis nobis traditum, aut custoditum remaneret; optantes, vt retulistis, nostris institui documentis. [Siquidem dilectio vestra, normam secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad Caput, quid deberet de rebus dubijs custodire potiùs, quam vsurpatione præsumere.]

Falsa sententia Hæreticorum.

ROmanus Pontifex, non est ordinarius S. Petri successor in Cathedra, nec supremus Ecclesiæ Pastor, aut Index, sed ipsissimus Antichristus; & idcirco ad ipsum non pos-

possunt, nec debent referri dubia, aut controuersiæ in fide: quia sic testantur primitiuæ Ecclesiæ Patres, & Concilia.

Damasus Episcopus ad Theophylum, & Anysium. Cùm, inquit, huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso, atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, aduertimus, [quod nobis iudicandi forma competere non potest.

Cyprianus epistola ad Quirioum, seu Quintum. Neque enim, (inquit, in Concilio residens) [quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit: aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tamquam iudicari ab alio non possit, cum nec ipse potest alium iudicare. Sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus, & solus habet potestatem,& præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.]

Concilium Mileuitanum, can. 22. Quod si ab eis (Episcopis vicinis) prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates prouinciarum suarum. [Ad transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.

Concilium Africanum sextum appellationes ad Romanum Pontificem planè recusauit, & noluit admittere.

S. Alexander Pontifex, & Martyr. anno 106. in epist. ad omnes orthodoxos. Relatum insuper est ad huius sanctæ,& Apostolicæ Sedis apicem, [cui summarum dispositionis causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt,quasi ad caput,] ipso dicente Principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram Ecclesiam meam ædificabo: quod quidam æmuli Christi, eiusque sanctæ Ecclesiæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolus, Christianorum causas ad Ecclesias deferri, & ibidem terminari præcipiat.

S. Anicetus aliàs Anitius Pontifex, & Martyr Anno 154. epistola decretali ad vniuersos Episcopos Galliæ. Si verò (aliquis ex Metropolitanis) incorrigibilis, inquit, eisque inobediens apparuerit, [ad hanc Apostolicam Sedem, cui omnia Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt, eius contumacia referatur,] vt vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant.

S. Eleutherius Pontifex, & Martyr, anno 171. in epistola ad omnes Ecclesias per vniuersam Galliam. De accusationibus ergo Clericorum, inquit, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiua Episcoporum tantùm iudicia huc deferantur, & huius sanctæ Sedis auctoritate finiantur, [sicut ab Apostolis, eorumque successoribus multorum consensu Episcoporum iam definitum est. Nec in eorum Ecclesijs alij aut præponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum iustè terminentur negotia: quoniam quamuis liceat, apud Prouinciales, & Metropolitanos, atque Primates ventilare accusationes, vel criminationes, [non tamen licet definire secus quàm prædictum est.] Reliquorum verò Clericorum, apud Prouinciales, & Metropolitanos,ac Primates, & ventilare, & iustè definire licet.

S. Victor Pontifex, & Martyr anno 186. epistola ad Theophylum Episcopum, & omnes fratres in Alexandria. Audiuimus, inquit,apud vos vestrosque diuersa iudicia fieri, & incerta iudicare, incerta charissimi nullatenus indicemus, quo ad vsque veniat Dominus, quia latentia perducet in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: quia quamuis vera sint, non tamen credenda, nisi quæ manifestis iudicijs comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur, [Similiter ea vos indicare, ad Apostolicam delatum est Sedem, quæ præter nostram vobis non lucet definite auctoritatem, Episcoporum causas. Vnde ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps: Placuit, vt accusatus, vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicę Sedis Pontificem: qui aut per se, aut per Vicarios suos eius retractari negotium procuret, & dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus: [quoniam quamquam Comprouincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definire, inconsulto Romano Pontifice permissum est: cùm beato Apost. non ab alio, quam ab ipso dictum sit Domino: Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlo:] & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cælo. [Et alibi in institutis legatur Apostolicis. Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, vel Primatem diœceseos, aut pœnès Vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur Sedem.] Nihil aliud est,fratres, talis præsumptio, nisi Apostolorum, suorumque successorum terminos transgredi, eorumque decreta violari. Culpantur enim, vt scriptum est, fratres, quia aliter circa Episcopos iudicare præsumunt,quàm Apostolicæ Sedis Papæ placuerit. Et quis est,qui iudicat eum, [quem Dominus sibi, & huic sanctæ Sedi reseruari voluit iudicandum ?]

S. Zephyrinus Pontifex, & Martyr. anno 198. in epistola ad omnes Episcopos Siciliæ. [Patriarchæ, inquit, vel Primates accusatum discutientes Episcopum,non ante sententiam, proferant definitiuam, quàm Apostolica fulti auctoritate, ac reum seipsum confiteatur, aut per innocentes, & regulariter examinatos conuincatur testes. Et paulò post: Duodecim enim iudices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus eius causa iustè iudicetur, nec priùs audiatur, aut excommunicetur, vel iudicetur, quàm ipsi per se eligantur, & regulariter vocatus ad suorum primò conuentum Episcoporum, per eos eius causa iustè audiatur, & rationabiliter discernatur. [Finis verò eius causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, vt ibidem terminetur. Nec antea finiatur, (sicut ab Apostolis, & eorum successoribus olim statutum est) quàm eius auctoritate fulciatur: ad eam quoque ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, appellan-

dum est, & concurrendum quasi ad Matrem,] vt eius vberibus nortiantur, auctoritate defendantur,& à suis oppressionibus relenentur: quia non potest, nec debet Mater obliuisci filium suum, [Iudicia enim Episcoporum, maioresque Ecclesiæ causæ à sede Apostolica, & non ab alia, sicut Aposcoli, & Sancti successores eorum statuerunt,non alijs Episcopis sunt terminandæ:] quia licèt in alios transferantur Episcopos, beato tamen Apostolo dictum est: Quæcumque ligaueris supee terram, erunt ligata, & in cælis: & quæcumque solnetis super terram, erunt soluta,& in cælis: [& reliqua priuilegia, quæ soli huic sanctæ sedi concessa sunt, & in constitutis Apostolorum, eorumque successorum, alijsque quàm plurimis cum eis continentibus, habentur inserta.

S. Sixtus eius nominis secundus, Pontifex, & Martyr. Anno 158. in epist. ad Graeum Episcopum. De cætero, inquit, moneo tuam dilectionem, vt cunctos, quos errare cognoueris, ad Catholicam fidem, & ad vnitatem rectè credentium conuertere studeas, & tu numquam ab Apostolico tramite recedas. [Si autem te non audieriot, & errantes, quod absit, permanserine, nobis eos manifestare, quàm citissimè poteris, non tardes, vt Apostolicæ auctoritate, aut citò ad Ecclesiam conuertantur, aut ab Ecclesia separentur.] Audiuimus etiam, quod quidam erronei, & eis consentientes, te & reliquos infestent Episcopos, & Episcopos aliquos comprouinciales ad vestram insamationem, atq; damnationem secum trahant: Quapropter In hac sancta sede dudum à multis Episcopis constitutum erat, & modò, ad vestrum, et cęterorum fratrum auxilium; est denuò coboratum, [vt omnes Episcopi, qui in quibusdam granioribus pulsantur, vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad Matrem confugiant, & ab ea, sicut semper fuit, piè fulciantur,defendantur,& liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canoonm auctoritas reseruauit: quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem sedis Papæ fieri placuerit. Vnde placuit, vt accusatus, vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicæ sedis Pontificem. Qui, aut per se, aut per Vicarios suos eius tractari negotium procuret: & dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur,aut ordinerur Episcopus: [Quoniam quamquam à Prouincialibus Episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat:non tamen definiri, inconsulto Romano Pontifice permissum est:] cum beato Petro Apostolo, non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino: Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cælo. Et quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cælo. Et si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Primatem diœceseos, aut penès vniuersalis Ecclesiæ Papam iudicetur.

S. Marcellinus Pontifex, & Martyr. anno 298. in epistola ad omnes Episcopos Orientales. [Quæcumque ergo, inquit, contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferatur,] & ab Ecclesiasticis viris terminentur. [Maior autem non potest à minore iudicari, nec Episcopi Pontifici, à quo consecrari probantur, præiudicium inferre vllum possunt.

S. Marcellus Pontifex, & Martyr. Anno 304. epist. ad vniuersos Episcopos per Antiochenam prouinciam. Rogamus ergo vos fratres, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, & Patribus accepistis. Ab illo enim primò instructi estis, ideo non oportet vos proprium relinquere Patrem, & alteros sequi. Ipse enim caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et reliqua: Eius enim sedes primitus, apud vos fuit, quæ postea, iubente Domino, Romam translata est: cui, adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die. [Nec ab eius dispositione non deuiare oportet, ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia, diuina disponente gratia, iussa sunt referenda,] vt ab ea regulariter [disponantur, à qua sumpsere principia.] Si vestra verò Antiochena, quæ olim prima erat, Romanę cessit sedi, nulla est, quæ eius non sit subiecta ditioni: [ad quam omnes quasi ad caput, iuxta Apostolorum eorumque successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, suffugere, eamque appellare debent, vt inde accipiant tuitionem, & liberationem, vnde acceperunt informationem, atq; consecrationem. [Quod omnibus minimè conuenit denegare Episcopis, sed; absque vlla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel expoliatione liberè ire concedatur. [Simulque ijdem inspirante Domino constituerunt, vt nulla Synodus fieret, præter eiusdem sedis auctoritatem;] nec vllus Episcopus, nisi in legitima Synodo, suo tempore, Apostolicæ auctoritate conuocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel iudicetur: quia, vt paulò superiùs prælibatum est, [Episcoporum iudicia, & summarum causarum negotia, siue cuncta dubia, Apostolicæ Sedis auctoritate sunt agenda, & finienda; & omnia comprouincialia negotia, huius sanctæ vniuersalis, & Apostolicæ Ecclesiæ sunt retractanda iudicio, si huius Ecclesiæ Pontifex prçceperit.] Nos cui liceat sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ, cui omnibus causis debetur reuerentia, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia, Dei Ecclesias, nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias, vel aliarum Ecclesiarum iudicium experiri.

S. Melchiades Pontifex, & Martyr anno 310. epist. ad Episcopos Hispaniç Episcopos inquit, inclyti nolite iudicare, nolite condemnare, [absque sedis huius auctoritate.] Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim priuilegium huic sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruare: quod illæsum manet vsque in hodiernum diem. Episcopus ergo, quos sibi Dominus oculos elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, & soluendi dedit potestatem, suo iudicio reseruauit; hoc priuilegium beato clauige-

uigero Petro sua vice folummodò commisit. Quod eius iustæ prærogatiuum fuccrefcit fedi futuris hæreditandum, atque tenendum temporibus:] quoniam & inter beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis. Et licèt cunctorum par electio foret beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret, eorumque, quæ ad querelam venirent, causas & interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posterorum cuncta sibi vendicarent: [sed semper maiores causæ, sicut sunt Episcoporum, & potiorum curæ negotiorum ad vnam beati Principis Apostolorum Petri sedem confluerent, vt inde suscipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium institutionum, ne quandoque à suo discreparent capite. Si verò se videtit quisquam vestrum prægrauari, hanc sedem appellet: huc recurrat, vt semper instituta fuit consuetudo:] quia & voluntariè eis compatiemur, & libenter, prout Dominus dederit, adminiculum feremus.

S. Iulius Pontifex anno 336. in epistola increpatoria ad Orientales Episcopos pro S. Athanasio. [Ipsi, inquit, primæ sedis Ecclesiæ, conuorandarum generalium Synodorum iura, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio Euangelicis, & Apostolicis, atque canonicis concessa sunt institutis: quia semper maiores causæ ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt: nec vllo modo potest maior à minore iudicari: ipsa namque omnibus maior, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodò canonum, & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce, singularem obtinuit principatum.] Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & reliqua. Et quodcumque ligaueris super terram & solueris, erunt ligata & soluta in cœlo, & in terra. [Porrò dudum à sanctis Apostolis, successoribus eorum in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta, & vniuersalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari: quoniam sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut B. Petrus Apostolus primus fuit omnium, tam & hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente, prima, & caput sit cæterarum: & ad eam quasi ad apicem, omnes maiores Ecclesię causa, & iudicia Episcoporum recurrant, eiusque iusta terminum sumat sententia,] nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni Pontificem, quatenus non ita proterué, & pro libito cuiuspiam suo proprio arbitrio, quibusque Metropolitanis, sicut agere solebant, liceat, inconsulto Romano Pontifice, aut maiores Ecclesiæ causas deturbare, aut Episcopos damnare, sed communi sanctæ Romanæ Sedis Episcopi concilio, & concordi actione quæque sunt Christi zelo agenda, disponant vnanimiter, rectèque sentiant, & ea quæ senserint, non sibimet discrepando, sed Deo placita perficiant.

Et paulò post: Nullus debet præsumere, quæ sibi non videntur esse concessa: quam culpam nullo modo potuistetis incidere, si vnde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius obseruantiæ sumeretis, [& beati Apostoli Petri sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ magistra rationis:] Vndè sicut multùm nos ea, quæ piè, rectèque sunt acta lætificant, ita nimium ea, quæ sunt perperam gesta, contristant: quoniam necesse est post multarum talium experimenta causarum, hæc in posterum solicitiùs prospici, & diligentiùs præcaueri, quatenus ea, [quæ sunt ab Apostolis, eorumque successoribus statuta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur. Nam sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit: & hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum: quibus & si dignitas communis non est, tamen ordo generalis est: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum, vt cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quædam orta est distinctio, & magna ordinatione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursum in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem eius susciperent maiorem, [per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluerent, & nihil vsquam à suo capite dissideret.] Qui ergo scit se quibusdam præpositum; non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat. Nolite itaque errare fratres dilectissimi: doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci, & instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum habentes, his fruimini, his circumdamini; his delectamini, his armamini, vt freti contra inimicorum iacula persistere valeatis: [satis enim indignum est, quamquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc regulam refutare, quam B. Petri Sedem, & sequi videat, & docere. Multum enim conuenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.]

S. Damasus Pontifex anno 363. in epistola ad Stephanum Archiepiscopum Concilij Mauritaniæ, & vniuersos Episcopos prouinciæ Africanæ, qui opem & protectionem ipsius contra quosdam implorauerant, qui Episcopos nonnullos, inconsulta Sede Apostolica, deturbauerant. Oportet, inquit, iuxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundùm Domini diuinam præceptionem, nos qui supra domum eius, hoc est, vniuersalem Ecclesiam Catholicam, Episcopale suscepimus ministerium, sollicitè vigilare, ne quid de sacris eius muneribus id est, Apostolicis viris, Apostolorumque successoribus, atque ministris quisquam nobis inconsultis queat damnari. [Scitis fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum, & immobile,

le, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum:] Tu es enim, sicut diuinum pronunciat verbum veraciter, Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, qui Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt: & tibi claues regni cœlorum commisi; atque ligare, & soluere potestatem, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris promulgaui. Tu prophanatorum hominum, & membrorum meorum, maximèque discipulorum meorum existis, vt princeps, & doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei [cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur: vt omnes huius sanctæ sedis Præsules eius vicem gesserunt, gerunt, & gerent:] ideo omnia, quæ innotuistis, non licere mandarem, nisi vos tam pleniter instructos esse scirem, quod cuncta, super quibus consulitis, illicita esse non dubitetis. [Discutere namque, & summorum Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitanos vnà cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotijs, licet: sed definire eorum, atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque huius sanctæ Sedis auctoritate, minimè licet: quam omnes appellare si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam, vt nostis, Synodum sine eius auctoritate fieri non est Catholicum: nec Episcopus in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate.]

Ee paulò post: Monentes quoque instruere debetis memoratos vicinos vestros, vt à talibus se subtrahant, & quæ illicitè contra prędictos fratres (Episcopos intelligit) egerunt citò corrigant, & quos, nobis inconsultis, læserunt, nobis inconsultis plena satisfactione sanent, & citò reconcilient, si noluerint Apostolicæ sedis suscipere censuram. [Nam si quid fortasse in eis, aut contra eos emerserat; nostrum fuerat expectandum examen: vt nostra (vt semper huic fuit Sedi concessum priuilegium) aut condemnarentur auctoritate, aut fulcirentur auxilio.] Neque enim suo pro libitu nostra debuerant cura peruadere, absque Apostolicæ Sedis dispositione mandante. [A talibus deinceps omnes se abstineant Sacerdotes, qui noluerint Apostolicæ petræ (super quam Christus, vt prædictum est, vniuersalem coustruxit Ecclesiam: cui Episcoporum summa iudicia, atque maiorum causæ, sicut paulò superiùs memoratum est, reseruatæ sunt, atque solidatæ) censura, à Sacerdotali honore secludi.

Et paulò deinceps. Monet ergo Apostolus, non ampliùs nos inuicem temerè iudicare: temerè enim iudicat, si quis Episcopum absque Sedis Apostolicæ auctoritate condemnat: cùm ei, vt paulò superiùs prælibatum est, hoc specialiter priuilegium reseruatum sit: sed hoc iudicate magis, inquit, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. [Patenter enim his, & alijs innumerabilibus decretorum testimonijs, omnibus manifestum est, non debere Episcopum damnari; licèt eius perscrutetur opinio; donec iudicium de ore nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est, Principis Apostolorum cognoscatur: vtpotè quoniam solus, & præ omnibus creditus est, atque percipere meruit à Rege regum Christo Deo, claues regni cœlorum] ad aperiendum fidelibus, & beneuolis hominibus in eumdem Dominum nostrum; & claudendum infidelibus, & maleuolis, atque suis sacerdotibus, & sanctæ Ecclesiæ, suo precioso sanguine redemptæ, impugnatoribus, siue nocentibus. Quod vtique, & nos facere postulauit: non quod noui aliquid nunc imperatur; sed illud, quod per desidiam aliquorum aut scienter, aut negligenter transgreditur, deinceps obseruetur ab omnibus: vt illa semper, quæ Apostolica, & Patrum traditione constituta sunt, sub metu, irrefragabili auctoritate teneantur.

S. Innocentius eius nominis primus Pontifex anno 402. epist. ad Concilium Carthaginense. Inquirendo, inquit, de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ Religionis vigorem mentis non minùs nunc in consulendo, quàm antea cùm pronunciaretis, vera ratione firmatis; qui ad nostrum referendum approbatis esse iudicium: [scientes, quod Apostolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emersit.] Quem sequentes, cùm mala tam damnare cauemus, quàm probare laudanda: vel id verò, quod Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda. [Quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia, vt quicquid, quamuis de disiunctis, remotisque prouincijs cogeretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad eius notitiam Sedis perueniret, vt tota huius auctoritate, iusta quæ fuerit pronunciatio, firmaretur: indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptè manarent, quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cœno immundabili sordidatos, mundis digna corporibus vnda vitaret.]

Gratulor igitur, charissimi fratres, quod per fratrem, & Coepiscopum nostrum Iulium literas ad nos destinastis, & cum pro illis curam geritis, quibus præsideris Ecclesijs, sollicitudinem vestram pro omnium vtilitate monstratis, & per cunctas totius orbis Ecclesias, omnibus vna quod prosit, decernendum esse deposcitis.

Idem in epist. responsiua ad Concilium Milenitanum, cui & S. Augustinus interfuit. [Inter cæteras, inquit, Ecclesiæ Romanæ curas, & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diuersorum consulta, fideli, ac modica disceptatione tractamus,] frater, & Coepiscopus noster Iulius dilectionis vestræ literas, quas ex Mileuitano, nostra auctoritate, Concilio, cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, Carthaginensis etiam Synodi, querela parili, scripta subiungens.

Et paulò post. Diligenter ergo, & congruè Apostolicæ consulitis honoris arcana.

Ho-

Honoris inquam illins, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia. [Antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecom nostis esse seruatam: verùm hęc missa facio. Neque enim hæc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis: nisi scientes, quod per omnes Prooincias ab Apostolico fonte potentibus,responsa semper emanent: præsertim, quoties fidei ratio mutilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referri debere: velut nunc retulit vestra dilectio, quod per rotum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.]

Fiant enim necesse est cautiores, non inuenrores mulierum, ad duplicis relarionem Synodi, sententiæ nostræ statutis, viderint ab Ecclesiastica communione seiunctos.

S.Leo Magnus Pontifex, anno 440. epistola ad Mattianum Augustum, quæ est, 19. in primo tomo Conciliorum. Etsi, inquit, in virtute Spititus sancti, inter quaslibet dissensiones, per Sedis Apostolicæ famulatum, Euangelij erat defendenda libertas manifestior tamen apparuir gratia Dei, quę præstitit mundo, vt in victoria veritatis, auctores rantùm violatæ fidei deperirent, & sua integritas ecclesiæ redderetur.

Idem ad eomdem Martianum epist.31. Ineffabiliter, inquit, Deo gratias ago, qui temporibus, quibus obortura hæreticorum scandala præsciebat, vos Imperij fastigio collocauit, in quibus, ad totius mundi salutem, & regia potentia, & sacerdotalis vigeret industria. Nam cùm vestro præcipuè opere sit effectum, vt per Synodale Conciliom damnatis impij dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret: ad eiusdem deuotionis pertinet palmam, si malum quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscumque reliquijs debeatur. Quod facilius clementia vestra arbieratur implendum, [si per vniuersas ecclesias, definiriones sanctæ Synodi Chalcedonensis, Apostolicæ Sedi placuisse doceantur;] de quo quidem rario non fuit ambigendi,cùm ei fidei omnium subscribendi consensus accesserit, [quæ ad me secundùm Apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emissa est.] Et parum post: Quia verò omnibus modis obediendum est pietati vestræ, religiosissimæque voluntati, [constitutionibus synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci sententiam meam.] Quæ si, vt in notitiam omnium sacerdotum,ecclesiarumque perueniant vestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur, affuturam credo, & spero gratiam Dei, quæ eam sanctam tanti principis curam plenissimi desiderij sui fructum faciat obrinere, vt omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, Apostolicæ vbique doctrinæ, & pax regnet, & veritas.

Idem epist.67.ad vniuersos episcopos in Viennensi prouincia. Nobiscum, iraque, inquit, vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reuerentia, [à vestræ etiam prouinciæ sacerdotibus innumeris etiam relationibus esse consultam, & pro diuersarum (quemadmodùm vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractara, aut firmara fuisse iudicia.]

Sanctus Gelasius Pontifex anno 494. epistola ad Faustum. [Nobis, inquit, opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur: Contra nos hoc ipsi venire se prodont, quod primæ Sedi, sana,rectaque suadenti parere fugiunt: ipsi sunr Canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri: ab ipsa verò nusquam appellari sanxeront,ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare:] ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperune iudicio iudicare sententiam: quæ per illam constituetur, non oportere dissolui, cuius potiùs decreta sequenda mandarunt. Et paulò post: Quæro tamen, inquit, iudicium ab his, quòd prætendunt, vtinam possit agitari? an apud ipsos, vt ijdem sint inimici, & restes, & iudices? Sed tali iudicio, nec humana debene committi negoria, nedum diuinæ legis integritas. [Si quantum ad Religionem pertinet; non nisi Apostolicæ Sedi iuxta Canones debetur summa iudicij rotius:] Si quantum ad sęculi potestatem; illa à Pontificibus, & præcipoè B. Petri Vicario debet cognoscere, quæ diuina sunt, non potest ipse eadem iudicare: nec sibi hoc quisquam potentissimus sęculi, si tamen Christianus est, vendicare præsumat, nisi religionem forsitan persequentes.

Idem epistola ad Episcopos Dardaniæ, probans Acatium à Sede Apostolica competenter suisse damnatum. Quapropter,inquit, stultitiam respuens inanium querelarum, percurrere vos oportet, ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter, [quoniam Patres nostri, catholici videlicet docti Pontifices, in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica,atque Apostolica secundùm Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps, & firmom constare:] nec in eadem hac causa denuò, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt.

Et paulò post: Quibus conuenienter, vt dictum est, ex paterna traditione perpensis, [confidimus, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis ecclesiæ probauit assensus, nullam magis assequi sedem, præ cæteris oportere, qoàm primam: quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, qoem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominùs subsequente, & tenuit semper, & retinet.]

Vigilius Pontifex anno 537. epistola ad Euterum cap.7. [Nulli, vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum,& forma sit ecclesiarum, à qua omnes ecclesiæ principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat.] Quoniam licèt omniom Apostolorum par esset electio: beato tamen Petro concessum est,

est, vt cœteris præeminetet, vndè & Cephas vocatur, quia caput est, & primus omnium Apostolorum: & quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. [Quamobrem sancta Romana Ecclesia, eius merito, Domini voce consecrata, & sanctorum Patrum auctoritate roborata primatum tenet omnium ecclesiarum: ad quam tam summa Episcoporum negotia, & iudicia, atque querelę, quàm, & maiores ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, semper referenda sunt.] Nam & qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum. Ipsa namque ecclesia, quæ prima est, ita reliquis ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in parte sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudine potestatis: [vndè omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiorum negotia causarum eidem Sanctæ Sedi reseruata esse liquet: præsertim cum in his omnibus eius semper sie expectandum consultum:] cuius tramiti si quis obuiare tentauerit sacerdotum, causas se, non sine honoris sui periculo, apud eamdem sanctam Sedem nouerit redditurum.

Sanctus Pelagius eius nominis secundus, pontifex, anno 580. epistola ad Episcopos Constantinopoli ab Episcopo Constantinopolitano illicitè ad Concilium vocatos. Manifestè, inquit, sicut optauimus, per gratiam Dei, lumine euangelicæ veritatis ab vniuersali ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino: sed non modico contristamur mœrore, quia ea, quæ olim calcata fuerant, & funditus damnata, nec vnquam fieri debuerant, rediuiuis radicibus germinant, atque pullulant. Et quoniam multa, quæ pœnitudinem possunt generare proueniunt, necesse est accusare, quæ contra ordinem, & omnem auctoritatem facta esse noscuntur. [Vndè fratres, relicta penitus audacia, quæ contra Apostolicam Sedem, contra ipsam Domini Saluatoris vocem, qua dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: sumpta est, disputandi contra Domini præcepta, vana certantium corda quiescant,] nec liceat defendi, quod non licet agere. Relatum est ergo ad Apostolicam Sedem Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se subscribere, vosque ex hac præsumptione ad Synodum conuocare generalem: [cùm generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicę Sedi beati Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.] Quapropter, quicquid in prædicto vestro conuenticulo, quia Synodus, taliter præsumpta, esse non potuit, statuistis, [ex auctoritate sancti Petri Apostolorum principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi, atque soluendi, ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transiuit, præcipio, omnia quæ ibi statuistis, & vana, & cassata esse, itaut deinceps nunquam appareant, nec ventilentur.] Ait enim ipse Saluator B. Petro, sicut ipsa per se veritas loquitur, dicens: Quæcumque ligaueris super terram, erunt soluta, & in cœlo. [Multis denuò Apostolicis, & canonicis, atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari:] Quapropter, vt iam dictum est, rectè, non Concilium, sed vestrum conuenticulum, vel conciliabulum cassatur, & quicquid in eo actum est irritum habetur, & vacuum. Vos quoque deinceps videte, vt nullius hortatu talia præsumaris, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis. Modò verò ideo suspenditur vltio, vt locum possit habere correctio. Prædecessores verò Ioannis, & ipse Ioannes non semel, sed sæpissimè epistolas, atque libellos propria manu subscriptos Sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Domino protestati sunt, nihil vnquam proterui contra Apostolicam Sedem agere, nec de illius, aut de aliorum priuilegijs quicquam vsurpare; quia hactenus in archiuo Sanctę Romanæ Ecclesię, sub sigillatis chirographis eorum, roborati habentur integri. In ipsis enim epistolis, vel libellis, anathematis vinculo se, & successores eorum constrinxerunt, si vnquam aliquid contra eos præsumpsissent, aut contra Apostolicam, vel vllius alterius Episcopi sedem quicquam aduersi quoquo modo essent moliti.

Sanctus Gregorius Magnus, Pontifex, anno quingentesimo nonagesimo, libro quatto epistolarum, epistola quinquagesima secunda, ad vniuersos Episcopos Galliarum. Ad hoc, inquit, diuinæ dispensationis prouisio, gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos: vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordiæ fieret ex diuersitate contexio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia verò quæque creatura in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, sunt Archangeli, liquet quod non æquales sunt, sed in potestate, & ordine, sicut nostis, differt vnus ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, istam constat esse distinctionem: quis hominum abnuat huic se dispositioni libenter submittere, cui nouit etiam Angelos obedire? Hinc etenim pax, & charitas mutua se vice complectuntur, & manet firma concordia in alterna, & Deo placita dilectionē sinceritas. [Quia igitur vnumquodque tunc salubriter completur officium, cùm fuerit vnus, ad quē possit recurri præpositus:] idcircò opportunum esse perspeximus, in ecclesijs, quæ sub Regno præcellentissimi Filij nostri Childeberti Regis sunt, [secundùm antiquam consuetudinem, fratri nostro Vigilio Arelatensis Ciuitatis Episcopo vices nostras tribuere: quatenus, & catholicæ fidei integritas, idest, sanctarum Quatuor Synodorum, Deo protegente, sollicita deuotione seruetur:] & si inter fratres, consacerdotesque nostros aliqua euenerit fortè contentio, auctoritatis suæ vigore, [vicibus nempè Sedis Apostolicæ functus,] discreta moderatione compescat. [Cui etiam iniunximus, vt si quarumdam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia

opus

opus sit:] congregatis sibi in numero competenti fratribus, & Coepiscopis nostris, salubriter hoc, seruata æquitate discutiat, & canonica integritate definiat. [Si quam verò contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat: examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem: quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.]

Testimonia Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum, seù Orientis, & Occidentis.

SAnctus Irenæus Episcopus, & Martyr anno 160. lib.3.cap.3. contra hæreses. [Maximæ, inquit, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & constitutæ ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem, per successiones episcoporum peruenientem, vsque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per excitatem, & malam scientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vbique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio.]

S. Cyprianus Episcopus, & Martyr, anno 240. lib. 1. epist. 3. ad Cornelium Papam. Neque enim, inquit, aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, [nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus Anno Domini 340. in epistola ad Felicem Papam. Ob id, inquit, vos prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit (Deus) omniumq; Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis.

S. Basilius Episcopus in Græcia, anno 380. in Epistola 52. ad Athanasium. [Visum est, inquit, consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat.

S. Ioannes Chrysostomus Patriarcha, & Archiepiscopus Constantinopolitanus, Anno 380. in epist. 1. ad Innocentium Papam. [Obsecro, inquit, vt scribas, quod hoc tam iniquè facta non habeant robur:] illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant. Et epistola 2. ad eundem. [Perpetuas, inquit, vobis gratias agimus, quod paternam erga nos beneuolentiam declarastis.]

S. Hieronymus in Syria Anno 380. in epistola ad Ageruchiam de Monogamia: Ante annos, inquit, plurimos, cum in chartis Ecclesiasticis [iuuarem Damasum, Romanæ Vrbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem.

Idem in epistola ad Damasum Papam, de nomine hypostasis: Quamquam, inquit, tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas: [à Pastore præsidium ouis peto.] Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.

Idem Tom. 4. in explanatione Symboli ad Damasum: [Si quid, inquit, parum cautè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & sedem tenes.

S. Epiphanius Episcopus in Cypro anno 390. hæresi 68. Vrsatius, inquit, & Valens (Episcopi) pœnitentiam agentes, [vnà cum libellis profecti sunt ad Beatum Iulium Romanum Episcopum, pro ratione reddenda de suo errore, ac delicto.]

Sozomenus Historiographus Græcus, Anno quadringentesimo trigesimo, libro tertio capite septimo. [Cùm propter Sedis propriæ dignitatem, inquit, loquens de Iulio primo Romano Pontifice, qui reddidit Episcopatum Athanasio Alexandrino, & Paulo Constantinopolitano) cura omnium ad ipsum spectaret, singulis Ecclesiam suam restituit.]

Theodoretus Episcopus Cyri in Asia, qui præfuit octingentis Ecclesijs, anno 440. in epistola ad Leonem Papam. [Ego, inquit, Apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi opem ferat, iustum vestrum, & rectum appellanti iudicium,] & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem.

Idem lib. 2. cap. 22. historiæ Ecclesiasticæ. [Damasus, inquit, in Ecclesia Romanæ primatu Liberij successor,] & nonaginta Episcopi ex Italia, & Galatia, quæ nunc est Gallia in Concilio Romæ collecti, Episcopis in Illyrico ita inter alia scribit. Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati in vnum, præiudicij vim habere non debet, præsertim cùm formula illa composita sit, [Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat non consentiente.]

S. Augustinus Hipponensis Episcopus in Africa, anno 400. epistola 92. ad Innocentium. [Quia, inquit, te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastugsè, vel negligenter accipere: [magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris.]

Idem contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. cap. 1. [Non dedignaris, inquit, quamuis altiùs præsideas, esse animus humilium,] Et paulò post: Hæc ergo, quæ duabus epistolis ista disputatione respondeo, [ad tuam potissimùm dirigere sanctitatem, non tam discenda, quàm examinanda, & vt si forsan aliquod displicuerit, emendanda constitui.

Possidonius siue Possidius Calamensis Episcopus anno 430. in vita S. Augustini cap. 17. In-

17. Innocentius, inquit, & Zozimus Apostolicæ sedis Antistites, suis diuersis temporibus Pelagianistas notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, [datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus catholicis censuerunt. Et hoc tale de illa Ecclesiæ Dei Catholicæ iudicium,] etiam pijssimus Imperator Honorius audiens, ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos habere deberi constituit.

Vincentius Lirinensis anno 430. contra hæreses cap. 41. Testes, inquit, iudicesque in Ephesino Concilio producti sunt, ex Alexandriuis quidem Episcopis, Petrus, Athanasius, Theophilus, Cyrillus: ex reliqua Græcia, Gregorius de Nazianzo, Basilius, & Gregorius Nyssenus. Atque vt latinus etiam orbis ita semper sensisse probaretur, lectæ sunt ibi epistolæ Felicis Martyris, & S. Iulij Vrbis Romæ Episcoporum. [Et vt non solùm caput Orbis,] (Episcopos Romanos, seu Cathedram S. Petri intelligit) verùm etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibiti sunt à meridie Cyprianus, à Septentrione Ambrosius.

S. Prosper Episcopus Aquitanicus Regiensis anno 450. contra Collatorem. [Ad beatissimum, inquit, Apostolicæ Sedis tum Presbyterum Xystum, nunc verò Pontificem ab Augustino emissæ paginæ recurrantur,] Et post: Confidimus Domini protectione præstandum, [vt quod operatus est in Innocentio, Sozimo, Bonifacio, Cælestino; operetur, & in Xisto; vt sicut illi lupos abigere manifestos, ita hic depellat occultos.

Idem lib. 2. cap. 16. de vocatione gentium. Roma, inquit, per Apostolici Sacerdotij principatum amplior facta est arce Religionis, quàm solio potestatis.

Idem in præfatione ad responsiones suas contra Vincentianas oblectiones. Fidem, inquit, contra Pelagianos [ex Apostolicæ Sedis auctoritate defendimus.]

Victor Episcopus Vticensis in Africa, Anno 540. Dixi (inquit S. Episcopus Eugenius ad Regem Arrianum Hunnericum) enim, si nostram fidem, quæ vna, & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad Amicos suos, scribam, & ego fratribus meis, vt veniant Coepiscopi mei, [qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeaut demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum.

S. Isidorus Anno 600. in præfatione in Ioan. Conciliorum, & Decretorum. [Synodorum verò congregandarum auctoritas, inquit, Apostolicæ Sedi priuata commissa est potestate: nec vllam Synodum generalem ratam esse legimus, quæ eius non fuerit auctoritate congregata, vel fulta.] Hæc auctoritas testatur Canonica: hæc historia Ecclesiastica roborat, hæc sancti Patres confirmant.

S. Beda Presbyter in Anglia anno 720. tom. I. lib. I. vitæ S. Patricij. S. inquit, Patricius à Domino missus, vt Euangelium eius in Hibernia prædicaret ita precabatur: [Perduc me obsecro Domine, ad Sedem S. Romanæ Ecclesiæ, vt accepta inde auctoritate prædicandi cum fiducia verbum tuum, fiant Christiani per me populi Hibernorum.] Nec multò post vir Domini Patricius [venit ad caput, vt postularat, omnium Ecclesiarum Romam. Ibique benedictione Apostolica petita, & accepta,] ab Amatore Archipræsule Episcopali gradu sublimatus, in Hibernia magno cum fructu Euangelium Christi prædicauit.

S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia anno 1080. lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. ad Vrbanum Pontificem. Quoniam, inquit, diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: [ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur.]

S. Bernardus anno 1140. epist. 190. ad Innocentium Pontificem Romanum: [Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula, quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri, aliquando dictum est, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Id quidem modò necessarium. Tempus est, vt vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis, & fidem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.

Testimonia multorum Patrum simul: conciliorum etiam, tam prouincialium, quàm generalium.

Qvinque Episcopi Africani, videlicet Aurelius, Alipius, Augustinus, Euodius, & Possidius ad Innocentium Pontificem, qui rexit Ecclesiam anno 4013. compellantes, atque implorantes eum contra hæresim Pelagij, Anathematizet ergo, inquiunt inter alia, Pelagius scripta sua, vbi contra eam (gratiam Dei) & si non per contumaciam, tamen ignorantiam disputat, possibilitatem defendendo naturæ, ad vincenda peccata, & implenda mandata: aut si ea sua esse urgat, aut scriptis suis ab inimicis suis dirie immissa, quę sua esse negat; [anathematizet ea, & damnet paterna exhortatione, & auctoritate sanctitatis tuę.] Si ergo vult, onerosum sibi, & perniciosum discat Ecclesię scandalum auferre, quod scandalum auditores, & inperuersum dilectores eius, vsquequaque spargere non quiescunt. Si enim cognouerint eumdem librum, quoniam illius, vel putant esse, vel norunt, Episcoporum auctoritate, [& maximè Sanctitatis tuę, quam apud eum esse maioris ponderis minimè dubitamus, ab eodem esse ipso anathematizatum, atque damnatum, non eos vlteriùs æstimamus ausuros, loquendo contra gratiam Dei,

que

quæ reuelata est per passionem, & resurrectionem Christi; nec pectora fidelia, & simpliciter Christiana turbare: sed potiùs adiuuante misericordia Dei, [certantibus nobiscum pietate, & charitate flagrantibus etiam orationibus tuis,] non solùm, vt in æternum beati, verùm etiam iusti, & sancti sint, non in sua veritate, sed in eadem gratia consisturos: [vnde, & ad ipsum scriptam ab vno homine epistolam,] ad quem per quendam Orientalem Diaconum ciuem, aut hipponensem, tamquam purgationes fidei, quędam scripta transmisse, [tuæ beatitudini potiùs credidimus dirigendam, meliùs iudicantes; & petentes, vt eam ei mittere ipse digneris: sic enim eam legere potiùs, non dedignabitur: magis in illa eum, qui misit, quàm quæ scripsit attendens.]

Et paulò post circa finem: Decveniam tua suauitas, si prolixiorem epistolam fortassis, quàm velles, tuæ misimus sanctitati. [Non enim riuulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus: verùm etiam nuster, licèt exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans, emanat capite fluentorum: hoc apertè probare volumus, tuis rescriptis de communi participatione vnius gratiæ consolari.]

Tarroconensis prouinciæ Episcopi ad Hilarium Pontificem Romanum, qui præfuit Ecclesiæ anno 461. Domino, inquiunt, beatissimo, & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilario Ascanius, & vniuersi Episcopi Tarroconensis Prouinciæ. Etiamsi nulla dictaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinę, expetendum te vera nobis fuerat illud priuilegium Sedis vestræ, quæ susceptis regni clauibus post resurrectionē Saluatoris, per totum Orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: [Cuius vicarij principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur.] Cùm hæc ita se habeant, est tamen inter nos falsus frater, cuius præsumptionem sicut diutiùs tacere non licuit, ita & loqui, futuri iudicij necessitas imperault. Siluanus quidam Episcopus Calagurræ in vltima parte vestræ prouinciæ constitutus, diuinationes sibi indebitas vsurpando, humilitatem nostram adhoc vsque perduxit, [vt contra eius vanissimam superstitionem, sedis vestrę vnicum remedium flagitemus.] Hic namque ea arte septem, aut octo amplius annos, postponens Patrum regulas, [& vestra instituta despiciens,] nullis petentibus populis, episcopum ordinauit.

Et paulò post: Proinde quia his pręsumptionibus, quæ vnitatem diuidunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurri: [quæsumus sedem vestram, vt quid super hac parte obseruari velitis, Apostolicis affatibus instruamur:] quatenus fraternitate collecta, prolatis in medio venerandis Synodi constitutis, contra rebellionis spiritum, [vestra auctoritate subnixi, quid oporteat, & de ordinatione, & de ordinato fieri, intelligere, Deo adiuuante, possimus. Erit profectò vester triumphus, Apostolatui vestri temporibus, si quod sancti Petri cathedra obtinet, catholica audiat Ecclesia: si nouella Zizaniorum semina fuerint extirpata.] Orantem pro nobis sanctum Apostolatum vestrum iugi æuo diuina conseruet æternitas. Vt hæc emendentur rogamus, &c.

Synodus Antiochena prouincialis celebrara tempore Dionysij Papæ, & Martyris, qui præfuit Ecclesiæ Anno Domini 260. condemnauit Paulum Samosatenum hæreticum. Quibus ita gestis, inquit, Eusebius lib. 7. capit. 26. Ecclesiasticæ historiæ, [communi consilio vniuersi pariter sacerdotio scribunt epistolam ad personam Dionysij Episcopi vrbis Romæ,] & Maximi Alexandriæ Episcopi, quæ per omnes mitteretur Ecclesias, per quam cunctis, & tuam diligentiam comprobarent, & Pauli hæresim confutatam esse, atque deiectam in vniuersorum notitiam peruulgarent.

Sanctus Athanasius, & vniuersi Episcopi Ægyptiorum, in epist. ad S. Marcum Papam, qui rexit Ecclesiam primus post S. Syluestrum Anno 336. Domino sancto, inquiunt, & Apostolici culminis venerando Marco, sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi. Ad vos peruenisse non dubitamus quanta, & qualia ab hæreticis, & maximè Arrianis quotidiè patimur: quoniam in tantum ab eis persequimur, vt etiam viuere nos tædeat. Et post: [Optamus, vt à vestræ sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est Mater, & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correptionem, & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur.] Verè nouimus Apostolatus vestri cor gratia sancti Spiritus in tantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis: quantò magis nobis, qui licèt exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobis obedientes cum omnibus nobis commissis, & sumus, & esse semper volumus. [Ideo decet, & oportet vos nobis hęc, quæ rogamus, & alia, quæ necessaria, iuxta sapientiam, quam vobis præstat altissimus, esse cognoueritis, absque tarditate præstare, vt tantæ miseriæ squallores à fidelium mentibus detergantur, & quasi vulnus corpori infixum, aditu tantæ miseriæ obscrato, salutari curetur antidoto, vt diuino iuuamine, vestraque auctoritate, atque auxilio roborari, aduersantium tergiuersationes euadere valeamus.]

Idem cum vniuersis Ægyptiorum Episcopis ad Liberium Papam, qui præfuit ecclesiæ anno 351. Domino, inquiunt, beatissimo, & honorabili, sancto patri Liberio Papæ Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi, in vnum Synodicè apud Alexandriam congregati. Vestræ beatissimæ paternitatis iura penès Deum sunc manifesta, dum prædicationibus scilicet Apostolicis, & doctrinis veræ fidei cultura vniuersa repleta sit terra: per diuinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur orthodoxa Christi Ecclesia, Apostolica institutione fundata, & à fidelibus patribus firmissimè roborata, ad quam omnes beatissimi Apostoli pari honoris, & potestatis consortio præditi, populorum agmina

mina conuertentes, piè fanctèque de tenebris ad lumen, de lapfu ad veram fidem, de morte ad vitam homines diuinę prædeftinationis gratia, præceptis, & monitis perduxerunt: quorum fanctorum Apoftolorum veftra fraternitas honoranda fequens merita, & perfectiùs implens exempla, Ecclefiam Dei morum probitate, & actuum fanitate condecorat, & fide facra Chriftianis moribus vigens, quæ Deo placida præcipit, ftudijs pontificalibus indefinenter operatur, & perficit: quia non legis auditores iufti funt apud Deum, ficut narrat Apoftolus, fed factores legis iuftificabuntur. Nos enim hæc meditari cupientes, [& ea,quæ à fancta fede veftra, Apoftolorum, eorumque fucceflorum prædicatione] fufcepimus, atque in Nicæna Synodo roborata cognouimus, prædicare, & Arianorum blafphemias atque aliorum hæreticorum repellere cupientes, quotidiè ab his perfequimur, & damnationi tradimur, atque morti deftinamur. [Qua de re precamur, vt veftris exhortationibus tam per vos,quàm, & per apocryfarios veftros adiuuemur,] ne dum illi crefcunt,& nos minuimur, [Vera fides deftituatur, & eorum hærefis vltra fidem noftram crefcat.] Et circa finem. [Huius rei gratia vniuerfalis vobis in Chrifto Iefu commiffa eft Ecclefia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.]

Idem Athanafius cum omnibus Ægyptiorum Epifcopis in Synodo Alexandrina ad S. Felicem Papam, qui præfuit Ecclefiæ anno 370. Domino, inquiunt, beatiffimo, & honorabili, fancto Patri Felici, fanctæ Sedis Apoftolicæ vrbis Romæ Papę, Athanafius,& vniuerfi Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libiorum Epifcopi in fancta Alexandrina Synodo gratia Dei congregati. [Veftro fancto fuggerimus Apoftolatui, vt noftri, more folito, folicitudinem gerere dignemini, iuxta veftram prudentiffimam fapientiam,quæ omnibus luce clariùs manifeftata eft,] quia Apoftolicis veftra beatitudo vifceribus commota per tribulationem noftram, nos omnes hortata eft, ad tuitionem Catholicæ, & Apoftolicæ Ecclefiæ in vnum conuenire.

Et ftatim poft: [Ideo Pater beatiffime, quia femper antecefſores noftri, & nos à veftra fancta Apoftolica Sede auxilium haufimus, & noftri vos curam habere agnouimus, prefatam Apoftolicam, & fummam expetimus, iuxta canonum decreta, fedem, vt inde auxilium capiamus, vnde deceffores noftri ordinationes, & dogmata, atque fubleuationes ceperunt: ad eam quoque quafi ad Matrem currimus,vt eius vberibus nutriamur quoniam non poteft Mater obliuifci infantem fuum, fic & vos nolite obliuifci nos vobis commiffos:] quoniam nos leuibus non inimici noftri implicauerunt, & quotidiè facere moliuntur, afflictionibus, & apprehendere, aut ferro nos conftringi minantur, [nifi illorum confentiamus erroribus: quod nequaquam vobis inconfultis agere præfumimus: canonibus quippe iubentibus abfque Romano de maioribus caufis nihil debere decernere Pontifice, ideoque ad propofitum recurrentes, & ad brauium properantes veftræ Apoftolicæ Sedis imploramus auxilium quia, vt credimus, non defpexit Deus preces cum lachrymis fibi oblata feruorum fuorum fed ob id vos prædecefforefque veftros Apoftolicos videlicet Prefules in fummitatis arce conftituit, omniumque Ecclefiarum eis curam habere pręcepit, vt nobis fuccurratis, nofque tuentes, cui omne Epifcoporum iudicium eft commiffum, liberare ab hoftibus noftris non negligatis. Nam fcimus in Nicæna magna Synodo trecentorum octodecim Epifcoporum ab omnibus concorditer effe roboratum, non debere abfque Romani Pontificis fententia Concilia celebrari, nec Epifcopos damnari:] licèt hæc, & alia quamplura neceffaria ab hereticis, qui nos quotidiè infeftant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere poffint, fint fynodica capitula incenfa, nobifque fublata. Qua de re, hac inuenta occafione, indifferenter, omni canonica, & Apoftolica poftpofita auctoritate, nos vi à proprijs, vobis inconfultis, illicitè expellunt fedibus, ouefque nobis à Chrifto Domino, Apoftolica gratia commiffas, inuadunt gradibus priuant, & quod peffimum eft,& omnibus Chriftianis legibus inimicum, perficere decertant. [Vos ergo, vt femper veftræ Sedi fanctę confuetudo fuit, periclitantibus fubuenite, oppreffos roborate, tribulantibus manum porrigite, taliaque prohibere, leges imponite, vt Apoftolica doctrina, quæ in Deo eft, citò ad victoriam iudicium perducere valeat noftrum, nofque Apoftolorum Principe fuffragante Petro, ab imminentibus periculis liberare.] Nouimus namque in iam præfata Synodo Nicæna generaliter effe decretum, vt nullus paffim vagèque, aut pręfumptiuè lacerare, aut accufare, & qui non funt rectæ fidei, aut bonæ vitæ, vel clarę conuerfationis, aut infamare præfumat: fed priùs fi erga Epifcopos, vel auctores Ecclefiæ quifquam caufam habuerit, eos cum charitate manfuetè conueniat, vt ab eis vulnus, vnde agitur, rectè fanetur, aut ipfe, fi fecus egerit, accufator excommunicetur. Quod fi ab eis nihil valuerit rectè percipere, tunc primò fummos adeat Primates, & ipfi tempore congruo canonicè eos conuocare debebunt, qui fi aut fuis rebus fpoliari, aut à proprijs fedibus eiecti, aut exulantes, vel oppreffi, aut iniquè tractari fuerint, primò eruantur, & canonicè reftituantur, atque omnia fibi fublata, integerrimè eis legibus reddantur: quoniam priufquam hęc fiant, vt in prædicto conftitutum eft Concilio, nec canonicè conuocari, nec diftringi à quoque poffunt: quoniam, nec feculi leges hæc fieri permittunt: quantò magis Ecclefiafticæ? Similiter, & à fupradictis Patribus eft definitum confonanter,vt fi quifquam Epifcoporum, aut Metropolitanum, aut comprouinciales, vel Iudices fufpectos habuerit, [veftram fanctam Romanam interpellet fedem, cui ab ipfo Domino, poteftas ligandi, ac foluendi, fpeciali eft priuilegio fuper alios eft conceffa.] Ipfa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit: quoniam ipfam formam vniuerforum titulorum lucidiffimam Dominus Iefus Chriftus veftram Apoftolicam conftituit Sedem: ipfa eft enim facer vertex, in quo omnes vertuntur, fuftentantur, releuantur: & ficut in Chrifto Chriftiani, & in petra, ideft Chrifto, Petrus,

Petrus, renouantur Ecclesiæ. Tu es, sicut diuinum veraciter testatur eloquium, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, idest, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ: tibique claues regni cælorum commisit, atque ligare, & soluere potestariuè, quæ in terra, & quæ in cęlis sunt, promulgauit. Tu prophanarum hæresium, & impetitorum, atque omnium infestantium depositoe, vt Princeps, & doctor, caputque omnium, orthodoxæ doctrinæ, immaculatæ fidei existis. [Igitur ne despicias Pater tuorum Patrum pietatem, bonamque intentionem: & sicut illi Patres, & prędecessores nostros à multis liberauerunt oppressionibus, & angustijs, ita nos liberare digneris. Nam fuit semper vestrę sanctę, & Apostolicę Sedi licētia iniustè damnatos, vel excommunicatos, potestatiuè sua auctoritate restituere, & sua eis omnia reddere: & illos, qui illos condemnauerunt, Apostolico punire priuilegio, sicue etiam nostris, & anteriorioribus cognouimus actum temporibus.] Porrò, & ipsi Primates, qui Episcoporum, & summorum ecclesiasticarum negotiorum causas suscipere debent, in præfixa Synodo Nicœna sunt dinumerati, ne in posterum contentio ex hoc oriretur. O sanctissime Pater Patrum, abscinde blasphemias, & instantiam vaniloquorum, & insidiantium infestationes, nos & fratres nostros opprimentium, atque perdere volentium; [qui ad vos quasi ad caput confugimus, vt vestro suffulti auxilio liberemur, & vobis, nobisque commissas Christi oues à luporum ore, Domino adminiculante, antequam dilaniantur, eripiamus.] Nec enim fas est supplicum, Apostolicæ Sedis, scripto, aut sine scripto preces oblatas despicere; sed vt condetet, & priuilegium vestræ Sedis est, & nos, & illi canonicaliter conuocemur, [& ante vos dę nostris obiectionibus canonicè] cum omni probitate concertemus, sicut prædecessores nostri penes vestros fecerunt antecessores, & sicut canonica, in prædictæ sancta Synodo docent instituta, & veluti paleati verbi per ventilabrum canonicæ examinationis plenam purgationem, in communi consistentes auditorio, de maturis, & nutrientibus catholicæ Ecclesiæ dogmatibus, quæ confirmant cor hominis, participationem paternarum consequamur institutionum. Antiquis enim regulis censitum est, vt quicquid, quamuis in remotis, aut longinquis positis prouincijs super Episcoporum querelis, aut accusationibus ageretur, non priùs tractandum, vel recipiendum esset, quàm ad notitiam Almæ Sedis vestræ fuisset pronuntiatio prolata, quæ infirmaret; aut firmaret, indeque sumerent normam, vndè ecclesiæ sumpsere prædicationis exordium, ne passim ab insidiatoribus columnæ euerterentur ecclesiæ. Certum est enim eidem sanctæ Sedi vestræ in honorem beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem decreuisse reuerentiam Dei pro rebus inquirendis, atque determinandis, quas solicitè decet, iustèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius solicitudo semper fuit, & est, eam mala damnare, quàm probare laudanda. Quocirca humilimum vestro Apostolico culmini persoluentes obsequium, vt ipse Dominus præcepit, & sanctorum decreta Patrum statuerunt, cum lachrymis suggerimus, quod sine gemitu cordis reticere non valemus.] Nam in tantum à persecutoribus sancta Dei Ecclesiæ, nostrisque inimicis persequimur, vt magis nos tædeat viuere, quàm mori. Vndè præ omnibus faremur, in tantum cor esse nostrum vulneratum, vt propheticum illum planctum exoptemus, dicentes: Quis dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lachrymarum, vt sedentes ploremus die, ac nocte? Ecce enim Ecclesia Dei non leuiter perturbatur, columnæque eius nimis infestantur, atque à prauis amoueri hominibus nituntur: Christianorum verò voces, ac gemitus Episcoporum longè, latèque resonant: nouitates insurgunt, calumniæ crescunt, persecutio grassatur, perditio fit populorum: [Vestrum est enim nobis manum porrigere, quia vobis commissi sumus: vestrum nos defendere, atque liberare; nostrumque est à vobis auxilium expetere, vestris parere iussionibus.] Præ nimio ergo dolore, & gemitu omnia, quæ nobis instant, & nos infestant, necessariò recordari, vobisque significare nequimus. Ideò almum vestrum exoramus Apostolatum, vt superius, legem quæ in memorata Nicęna Synodo est promulgata (licèt prædictorum insidiatorum, & aliorum malorum hominum, vt faciliùs Episcopos, Deique ministros valeant illaqueare, deprauatione sit suffocata) reparetis, & quæ necessaria fore cognoscitis, vestræ sanctæ Sedis auctoritate nos cunctosque fratres informeris, vt malorum insidias hominum, vestra fulti auctoritate, illæsi, Domino opitulante, euadere valeamus: quia non est ouium insidias præuidere luporum, sed Pastorum. Scimus enim, vt semper vestræ Sedis Præsules, primò Apostoli, deinde successores eorum fecerunt, vos vniuersalis Ecclesiæ, & maximè Episcoporum, qui oculi propter contemplationem, & speculationem vocantur, Domini curam gerere, ac de reuelatione, & lege nostra assiduè cogitare debere.

Et paulò post. Vestrum est quippe, Pater sanctissime, canonica districtione solicitè ecclesiasticæ regulæ aduersantibus, & fratrum insidiatoribus obuiare, nec permittere noniter dici, quod Patrum venerabilium auctoritas omninò non censuit. [Nos enim humiles corde, quæ recta sunt, adiuuante Domino, sapientes vno vinculo charitatis vobiscum sumus constricti, veram fidem, ac religionem catholicam in omnibus fortiter defensantes.] Studiosiùs itaque à catholicis, improbis probè resistere nitendum est, ne torpentes desidia oppressi, culpæ taciturnitatis teneamur obnoxij, & quasi fauorem impendentes iudicemur, dum aduersa catholicę fidei propulsare negligimus: vndè dictum est: Negligere quippe, dum possis conturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fouere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Liquet Doctor sanctissime, venenosa serpentum sine simplicitate astutia, dum manifesta est dolosa inimicorum fallacia. [Succurrire quæsumus oppressis, liberate nos de manu persequentium,] vt cum beato Iob cantetis: Benedictio

pcei-

perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum: iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo: oculis fui cæcus, & pes claudus; pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam, conterebam malas iniqui, & de dentibus earum auferebam prædam, & reliqua. Nos enim, quos tua maxima expectat cura, idest, omnes Episcopi, præcipuè tuum mereri debemus iudicium, & non ab alijs deuorari. Meritò ergo nos Domini causa respicit sacerdotes, si silentio faueamus errori: siquidem corripiantur huiusmodi, nec sit liberum eis pro voluntate facere iudicium: desinat nouitas incessere vetustatem, desinat ecclesiarum quietem, inquietudo turbare: Nam vt omnes Metropolitani, vel reliqui Episcopi sua odia, aut vindictas in reliquos Episcopos exercere non valeant, ideò nominatim in Nicœna Synodo expressi sunt primates, qui reliquos Episcopos audire, & iudicare debeant, ne vlla fraus in iudicio possit irruere. [Vos ergo, qui in summa specula, gratia Dei, estis positi, attendere eos, & opprimere oportet, qui in fratres seditiones, & scandala excitant: ideòque exoramus, vt minimè despiciatis humilitatis nostræ, & omnium orientalium Orthodoxorum Sacerdotum, & populorum afflictiones, & deprecationes eum lachrymis oblatas: sed sicut luminaria vniuerso mundo verbum vitæ retinentes, introductas extinguite tenebras nefandissimorum insidiatorum, temporibus etiam nostris procaciter germinatas, quatenus funditus extincta huiusmodi caligine, lucifer nobis respleudeat per vos, sanctissime Pater, & dogmatum definitio omnes lætificans, quam gloriosæ Ecclesiæ sancti Patres per propria dogmata pijssimè in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicasse noscuntur.] Incolumem te, & beneplacitum Deo, sanctissime Pater Patrum, orantem pro nobis, Dominus custodiat in æuum. Amen.

Tria Concilia Africana in Epistola ad Damasum Pontificem, qui præfuit Ecclesiæ anno 363. Beatissimo, inquiunt, Domino, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici, Stephanus Archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs Africanæ prouinciæ. Notum vestræ facimus beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur: [cùm vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore beatissimi Petri, Patrum decreta omnium, cunctam reseruauere sententiam inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura, & solicitudine obseruare debemus. Maximè verò debent ab ipso præsulum examinari Vertice Apostolico: cuius vetusta solicitudo est tam mala damnare, quàm reuelare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, vt quicquid horum, quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ Sedis vestræ fuisset deductum, vt eius auctoritate, iuxta quod fuisset pronunciatum, firmaretur:] & reliqua multoties talia, & his similia, quæ his constituta sunt: quibus si illicitè factum est, vt semper vestræ Sedi consuetudo fuit, festinanter occurrit, & his viriliter, vt Pater pro filijs certantes.

Concilium Carthaginense cui interfuerunt 67. Episcopi ad Sanctum Innocentium Papam, qui præfuit Ecclesiæ anno 402. Domino, inquiunt, beatissimo, & honorarissimo fratri Innocentio Papæ, Aurelius, Numidius &c. qui in Concilio Ecclesiæ Carthaginensis ad fuimus. Cùm ex more ad Carthaginem Ecclesiam solemniter venirremus, atque ex diuersis causis congregata ex nobis Synodus haberetur: compresbyter noster Orosius nobis literas sanctorum Fratrum, [& consacerdotum nostrorum dedit Auerotis, & Lazari, quorum formam his constituimus esse subdendam. His ergo lectis, Pelagium, & Cœlestium auctores, nefarij prorsus, & anathemarizandi ab omnibus nobis erroris aduertimus. Vndè factum est, vt recensendum petereınus, quid ante quinquennium super Cœlesti nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit exagitatum. Quo recitato, sicut ex subditis aduertere poterit sanctitas tua, quamuis iudicatio manifesta constaret, quia in illo tempore Episcopali iudicio excisum hoc tantùm vulnus ab Ecclesia videretur: [nihilominus tamen id communi deliberatione censuimus, vt huiusmodi persuasionis auctores (quamuis, & ad Presbyterium idem Cœlestius postea peruenisse dicatur) nisi hi apertissimè anathematizauerint, ipsos quoque anathematizari oporteat:] vt si ipsorum non potuerit, saltem eorum, qui decepti sunt ab eis, vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est, sanitas proueneat. [Hoc itaque gestum Domine frater, sanctæ charitati tuæ, intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam etiam peruersitate corrigenda.]

Concilium Mileuitanum, cui interfuerunt 57. Episcopi, & inter eos quoque S. Augustinus, in epistola ad eumdem Innocentium Papam. Domino beatissimo inquiunt, meritòque venerabili, & in Christo venerando Papæ Innocentio Siluanus senex &c. ex Concilio Mileuitano in Domino salutem. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere, in Sede Apostolica, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quam ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, [magnis periculis infirmorum membrorum Christi, pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris.]

Et paulò post: [Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo, non habemus opus multa dicere, & tantam impietatem exaggerare: cùm proculdubio te ista permoueant, vt ab eis corrigendis, ne latius serpant, multosque contaminent, vel potiùs interminant, dum sub nomine Christi à gratia Christi alienant, omninò dissimulare nō possis.] Huius autem perniciosissimi erroris Auctores esse perhibentur Pelagius, & Cœlestius: quos quidem in Eccle-

Eccleſia ſanari maluimus, quàm deſperata ſalute ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas vlla compellat. Quorum vnus, id eſt, Celeſtius etiam ad presbyterium in Aſia perueniſſe dicitur, de quo ante paucos annos quid geſtum fuerit, Sanctitas tua de Carthaginenſi Eccleſia meliùs inſtruitur: Pelagius verò, ſicut à quibuſdam fratribus noſtris miſſæ loquuntur epiſtolæ, Hieroſolymis conſtitutas, nonnullos fallere aſſeritur: verumtamen multò plures, quàm eius ſenſus diligentiùs indagare potuerunt, aduersùs eum pro Chriſti gratia, & Catholicæ fidei veritate confligunt; ſed præcipuè ſanctus filius tuus, & compresbyter noſter Hieronymus. [Sed arbitramur, adiuuante miſericordia Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti: quæ te regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur: auctoritati ſanctitatis tuæ de claro ſcripturarum lumine depromptæ, faciliùs eos, qui tam peruerſa, & tam perniciosa ſentiunt, eſſe ceſſuros:] vt de correctione potiùs eorum gratulemur, quàm contriſtemur interitu, Domine beatiſſime. Quamlibet autem ipſi eligant: [certè, vel alijs plurimis,] quos poſſunt, ſi ab eis diſſimuletur, ſuis laqueis implicare; [cernit venerabilitas tua, inſtanter, & celeriter prouidendum.] Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, [imitantes Carthaginenſem Eccleſiam, & Carthaginenſis Prouinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam beatus Illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.] Memor noſtri, in Domini gratia augearis, Domine beatiſſime, meritò venerabilis, & in Chriſto honorande, ſanctiſſime Papa.

Concilium, ſeu Synodus totius Galliæ in epiſtola ad S. Leonem eius nominis primum Pontificem, quæ eſt tom. 1. Conciliorum inter epiſtolas S. Leonis 48. Exultamus, inquiunt, Chriſtiano populo lectis beatitudinis veſtræ literis, & omnium inſtructione patefacta, omnes intra Gallias conſtitutos exultare mox fecimus; dolentes pariter pro his nobiſcum, qui catholicę fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt. Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta, ita vt ſymbolum fidei, quiſquis redemptionis ſacramenta non negligit, tabulis cordis aſcripſit, & tenaci, quoad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendauit. [Multi itaque in ea pariter gaudentes, exultantes recognouerunt fidei ſuæ ſenſum, & ita ſe ſemper ex paterna traditione tenuiſſe, veſter Apoſtolatus expoſuit, iure lætantur. Nonnulli ſolicitiores facti, beatitudinis veſtræ ad monitione percepta, modis omnibus ſe gratulantur inſtructos, dataque ſibi occaſione gaudent, qua liberè, ac fiducialiter ſuffragante etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate, eloquantur, & aſſerit vnuſquiſque quod credit. Quis autem Apoſtolatui veſtro pro hoc tantùm munere, quod non ſolùm Gallias, ſed totum mundum, velut quibuſdam pretioſiſſimis gemmis ornauit, dignas æſtimet gratias poſſe perſolui? Doctrinæ, poſt Deum, veſtræ debet fidelis, vt conſtanter teneat quod credebat; debet etiam infidelis, vt à perfidia ſua, agnita veritate, diſcedat, & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur, & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Ieſus Chriſtus de Sacramento incarnationis ſuæ docet, quàm id teneat, quod diabolus, humanæ ſalutis, & veritatis inimicus ſtillat.]

Optaremus etiam ad filium veſtrum, glorioſiſſimum, ac fideliſſimum Principem, ſuper eamdem cauſam literas dare, quibus congratulantes fidei ipſius, humilitatis quoque noſtræ ſolicitudinem, qua vos in Chriſto ſequimur, proderemus; niſi ad nos de Orientalibus nuncio perlato, fieri hoc minimè neceſſarium putaremus. Meritis autem Apoſtolatus veſtri pius Dominus præſtitit, vt hæreſim iam diu occultè nutritam veſtris temporibus proderet. Ad laudem ſolicitudinis veſtræ pertinet, quod malorum error latere non potuit: ad glorioſæ fidei ædificationem redundat, quod praua perſuaſio participes, aut non inuenit, aut inuentos amiſit.

Concilium Nicænum generale, vt, (præter alios multos, tum Pontifices, tum Patres, quorum plerique ſupra quoque allegati ſunt) teſtantur S. Athanaſ. & Epiſcopi Ægyptij in Concilio Alexandrino congregati, epiſt. ad Felicem Papam eius nominis II. [Nam ſcimus, inquiunt, in Nicæna magna ſynodo 318. Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari:] licèt hæc, & alia quàm plura neceſſaria, ab hæreticis, (qui nos quotidiè infeſtant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere poſſint) ſint ſynodica capitula incenſa, nobiſque ſublata. Vide acta, & canon. Oecumen. concilij ab Alphonſo Piſano anno 1572. edita, can. 19. 20. 21.

Concilium Sardicenſe generale, celebratum circa annum Domini 343. can. 4. Cùm aliquis, inquit, Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur; & proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma; alter Epiſcopus in eius Cathedra poſt appellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus, omninò non ordinetur, [niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata.] Et can. 7. Si Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, [ſi appellauerit, qui deiectus eſt, ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri; ſi iuſtum putauerit vt renouetur iudicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant.] Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Romanum Epiſcopum, vt è latere ſuo presbyterum mittat: erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet. [Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.]

Concilium Chalcedonenſe generale, celebratum circa annum 454. vnum ex quatuor celeberrimis Actione 3. petit à Leone Pontifice Romano confirmationem eorum, quę in Concilio ſtatuta, & decreta erant, Et inter

alia

alia sic aiunt Patres Concilij sexcenti triginta. [Hæc sunt, quæ tecum, qui spiritu præsens eras, & placere tamquam fratribus deliberasti, & qui penè per tuorum Vicariorum sapientiam videbaris nobis, effecimus.] Indicauimus verò, quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definiuimus firmitatem, scientes quia & vestra sanctitas addiscens, & probatura; & confirmatura est eadem. [Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium.]

Testimonia Imperatorum Christianorum.

CONstantinus Magnus, primus Christianorum Imperator, qui quidem fidem confessus, & tutatus est publicè, in edicto donationis suæ. Et Pontifex, inquit, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat, [& eius iudicio, quæcumque ad cultum Dei,vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est, vt ibi lex sancta caput teneat principatus vbi sanctarum legum institutor, Saluator noster beatum Petrum Apostolatus obtinere præcepit cathedram:] vbi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique Magistri, & Domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, vbi eorum Doctor B. Paulus Apostolus pro Christo, extenso collo, martyrio coronatus est: [illic vsque in finem quærant doctorem, vbi sanctam Doctoris quiescit corpus.]

Theodosius iunior Imper. circa annum Domini 402. Apostolicæ Sedis auctoritatem, & iudicium implorauit contra hæresim Eutichianam, vt testatur S. Leo Pontifex, in epistola ad Concilium Ephesinum, quæ est decima, in 1. tomo Concil. Religiosa, inquit, excellentissimi Principis fides, sciens ad suam gloriam maximè pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullius erroris germen exurgeret: [hanc reuerentiam diuinis intulit statutis, vt ad sanctæ dispositionis effectum, auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet, tamquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quid in eius confessione laudatum sit.]

Valentinianus Imperator Occidentis circa annum Domini 425. in epistola ad Theodosium, quæ extat inter præambulas ad Concilium Chalcedonense: [Debemus, inquit, dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro in nostris temporibus conseruare, quatenùs beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus,] cui principatum Sacerdotij super omnes, antiquitas contulit, [locum habeat, & facultatem de fide, & sacerdotalibus iudicandi.]

Martianus Imperator in Oriente circa annum Domini 450. à S. Leone Papa petijt Concilium Chalcedonense celebrari, & illud, cùm celebratum esset, confirmari. Vt idem S. Leo testatur epist. ad Concilium Chalcedonensem, quæ est in 1. tomo Concil. 27. Amplectendum est, inquit, clementissimi Imperatoris plenum religione consilium, [quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire; beatissimi Petri Apostoli Sedis iure, atque honore seruato: adeo vt nos quoque suis ad hoc literis inuitaret, vt venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus;] quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla poterit consuetudo permittere. Tamen in his fratribus Paschasiano, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, [me synodo, vestra fraternitas existimet præsidere; nec seiunctam à vobis præsentiam meam confidat, qui nunc in Vicarijs meis adsum.]

Idem in epist. ad Martinum Augustum, quæ est in 1. tom. Conc. 31. [Quia verò omnibus modis, inquit, obediendum est pietati vestræ, religiosissimęque voluntati, constitutionibus Synodalibus, quę mihi de confirmatione fidei catholicę, & hęreticorum damnarioni placuerunt, libens adieci sententiam meam.] Quę si, vt in notitiam omnium sacerdotum, Ecclesiarumque perueniat, vestrę clementię pręceptio ordinare dignabitur, affuturam credo, & spero gratiam Dei, quę tam sanctam tanti Principis curam plenissimi desiderij sui fructum faciat obtinere, vt omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, [Apostolicę vbique doctrinę, & pax regnet, & veritas.]

Iustinianus Augustus senior, Imperator Romanus, circa annum Domini 532. ad Ioannem eius nominis secundum, Pontificem Romanum. [Reddentes, inquit, honorem Apostolicę Sedi, & vestrę Sanctitati; quod semper nobis in voto, & fuit, & est, & vt decet Patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quę ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestrę sanctitatis.] Et paulò post: In præsenti ergo, [quę commota sunt (quamuis manifesta, & indubitata sint, & secundùm Apostolicę vestrę sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita, & prędicata) necessarium duximus, vt ad notitiam vestrę sanctitatis peruenianr. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestrę innotescat sanctitati, quę caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.]

Submonitio ad Lectorem.

EX his Sanctorum Pontificum, Patrum Gręcorum, & Latinorum, & Conciliorum tam prouincialium, quàm Oecumenicorum, seu Generalium, nec non Imperatorum Christianorum partim testimonijs, partim exemplis, patet euidenter, primis quingentis annis ad Romanam, seu Sancti Petri cathedram, eiusque legitimum successorem Romanum Pontificem, in omnibus causis maioribus,& controuersijs tam personalibus, quam Religionis appellatum, & relatum fuisse, tam ex Oriente, quàm Occidente, tam ab Episcopis, quàm Imperat. & ab eo causas, & controuersias totius Ecclesię tamquam supremo Iudice cognitas, iudicatas, & determinatas, & omnibus Christianis hoc exploratum, & in-

& indubitatum fuisse, Cathedram S. Petri summum totius Ecclesiæ tribunal, & eius Rectorem caput, iudicemque supremum, ac minimè fallacem esse habendum: id quod testimonia, & exempla pressiùs, & penficulatiùs collata, atque examinata, tam clarè, atque manifestè docent, & contestantur, vt nemo nisi insanus, vel propria malitia, aut inscitia excæcatus ignorare, vel negare possit, vel ausit. Huc referri possent, & alia cognata, quod videlicet Romanus Pontifex semper, tamquam supremus Iudex, Episcopis potiùs Orbis Christiani mandauit, & leges præscripsit ex auctoritate, & quiquis emergentes hæreticos re prestiterit, atque præfractos excommunicauerit, & similia, quæ non possunt, nec debent, nisi à summo Iudice, & Rectore Ecclesiæ vniuersæ fieri, sed de illis, ne prolixiores simus plus satis; malumus Bellarminum lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 18. 19. 20. 21. Augustinianam confessionem lib. 1. cap. 9. de S. Petro, & Romano Pontifice distinct. 7. Sauderum de Visibili Monarchia, aliosq; Catholicos Scriptores, Lectorem cordatum consulere.

CAPVT XXIII.

An omnes Christiani cuiuscumque conditionis, & dignitatis, teneantur Cathedræ S. Petri, seu Romano Pontifici, tamquam Christi in terris visibili Vicario, & S. Petri successori, & Iudici totius Ecclesiæ supremo, in omnibus debitam fidem, reuerentiam, & obedientiam ex animo, propter Christum, præstare.

Vera sententia Catholicorum.

OMnes Christi fideles, cuiuscumque conditionis, aut dignitatis fuerint; si veri Christiani, & Christi oues esse, atque saluari volunt, tenentur cathedram S. Petri, seu Ecclesiam Romanam, eiusque supremum Pontificem, vt Christi in terris Vicarium, & S. Petri ordinarium successorem, ideoque totius Ecclesiæ Catholicæ Pastorem summum audire, illique in omnibus fidem, reuerenciam, & obedientiam debitam, pro virili, ex animo præstare: quia sic testantur non solùm SS. Romani Pontifices, sed & Patres tàm Orientis, quàm Occidentis, & Concilia cùm prouincialia tùm generalia, nec non Imperatores Catholici, qui primis quingentis, & vltra annis in Ecclesia floruerunt.

Falsa sententia Hæreticorum.

NVlli Christiani tenentur audire Romanum Pontificem, nec illi vel reuerentiam, vel obedientiam præstare: sed potiùs eumdem, vt ipsissimum Antichristum æstimare, abominari, & fugere sic testantur Patres Græci, & Latini, & Imperatores Christiani, qui primis sexcentis annis claruerunt.

S. Clemens Pontifex Martyr à S. Petro in Romanum Episcopum, & successorem ordinatus, anno 80. in epist. ad Iacobi fratrem Domini. Sed, & vos charissimi fratres (inquit S. Petrus ad clerum, & populum: cùm Clementem iam iam ordinãdum sui officij commonuisset) & conserui mei, huic qui præsidet vobis ad veritatem docendam, [in omnibus obedite. Scientes quòd si quis hunc contristauerit, Christum, qui ei docendi credidit Cathedram, non recipit: & qui Christum non susceperit, nec Deum Patrem suscepisse iudicabitur: & ideò nec ipse suscipietur in regno cælorum.] Propter quod satis agite, ad omnem collectam congregationem semper conuenite, vt non velut negligentes, & desides, à iudice Christo condemnemini. Conuenientes verò semper ad Clementem, [date omnes operam pro ipso sentire, & summo studio fauorem vestrum erga ipsum dependere:] scientes, quia propter singulos vos, ipsi magis soli infestat inimicus, & in ipso maiora suscitat bella,] Oportet ergo vos summo studio niti, vt omni erga illum vinculo amoris innexi, plenissimo erga eum iohæreatis affectu; Sed, & vos, quoque ipsi vnanimes in omni concordia perdurate, quò facilius etiam illi obedire omnes, pariter consensu, & voanimitate possitis: propter, quod & vos salutem consequi, & ille possit obtemperantibus sibi vobis, promptiùs impositi oneris pondus euehere.] Quædam ex vobis etiam ipsis intelligere debetis, si qua sunt, quæ ipse propter insidias hominum malorum non potest euidentiùs, & manifestiùs proloqui: verbi gratia: si inimicus est alicui malorum pro actibus suis, vos nolite exspectare, vt ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse: [sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius, absque commonitione obsecundare, & auertere vos ab eo, cui ipsum sentitis aduersum.] Sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur: vt vnusquisq; qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, [festinet citiùs reconciliari ei, qui omnibus præest, & per hoc redeat ad salutem, & sanitatem, cùm obedire cœperit monitis præsidentis. Si verò amicus fuerit his, quibus ille amicus non est, & locutus fuerit cum his, quibus ipse non loquitur, vnus est, & ipse ex illis, qui exterminare voluit Ecclesiam Dei: & cùm corpore vobiscum esse videatur, mente, & animo contra vos est: & multò est nequior hostis hic, quàm illi, qui foris sunt, & euidenter inimici sunt: hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt gerit, & Ecclesiam dispergit, & vastat.] Et cùm hoc dixisset, in medio coram omnibus manus mihi imposuit, & in cathedra sua ingenti verecundia fatigatum, sedere me compulit.

S. Callixtus Papa, & Martyr anno 218. Non decet à capite membra dissidere, sed iuxta sacræ scripturæ testimonium, omnia membra caput sequuntur. [Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia Mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare.] Et sicut filius venie facere voluntatem Patris, [sic & vos voluntatem vestræ impleatis Matris, quæ est Ecclesia, cuius caput, vt prædictum est, Romana existit Ecclesia.]

S. Marcellus Pontifex, & Martyr Anno 304. Nec cui liceat sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ, [cui in omnibus causis deberur reuerentia,] relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia, Dei Ecclesias nutu diuino gu-

gubernant ad alias conuolate prouincias.

S. Eusebius Pontifex anno. 308. epist. ad Episcopos Thusciæ, & Campaniæ. Prima, inquit, salus est, rectæ fidei regulas custodire, [& à constitutis Patrum nullatenus deuiare.

S. Iulius Pontifex anno 336. Epistola ad Orientales. Inter beatissimos, inquit, Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum, vt cæteris præemineret. De qua forma, Episcoporum quædam orta est distinctio, & magna ordinatione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursum quidam in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem eius susciperent ampliorem, [per quos ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret.] Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum, [sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.

Siricius Pontifex anno 383. in epist. ad vniuersos orthodoxos. Perlatum est, inquit, ad scientiam Apostolicæ Sedis, contra Ecclesiasticum canonem præsumi, & quæ ita sunt à maioribus ordinata, [vt ne, vel leui susurro debeant violari,] &c.

S. Innocentius Pontifex anno 402. epistola ad Decentium Episcopum Egubinum. Si instituta Ecclesiastica, vt sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent seruare domini Sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur: sed dum vnusquisque, non quod traditum est, sed quod visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diuersa in diuersis locis, vel Ecclesijs, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis: quia dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi, aut Ecclesias non conuenire: aut ab Apostolis, vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. [Quis enim nesciat, aut non aduertat, id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nuncusque custoditur, ab omnibus debere seruari,] nec superduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? Præsertim cùm sic manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes: aut legant si in his prouincijs alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inuenitur: [oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit,] à qua eos principium accepisse non dubium est: ne dum peregrinis assertionibus studeut, caput institutionum videantur omittere.

Testimonia Patrum tàm Orientis, quàm Occidentis.

SAnctus Irenæus Martyr, & Episcopus in Gallia. Anno 160. lib. 2. aduersùs hæreses cap. 3. Maximæ, inquit, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem, vsque ad nos, iudicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam, prætetquam oportet, colligunt. [Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam,] hoc est, eos qui sunt, vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio.

S. Cyprianus Episcopus, & Martyr in Africa, Anno 240. epist. tertia ad Cornelium Papam Romanum. Neque enim, inquit, aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, [quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur,] nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, vicæ Christi cogitatur. [Cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa: nemo aduersùs Sacerdotum Collegium quicquam moueret.

S. Ambrosius Episcopus in Italia, anno 380. Orirnte in Satyrum fratrem: Percunctatus, inquit, Episcopum est, [si cum Episcopis Catholicis, hoc est, si cum Romana Ecclesia conueniret.

Idem lib. 3. de Sacramentis cap. 1. Non ignoramus, inquit, [quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur, & formam. Et infra. In omnibus sequi cupio Ecclesiam Romanam.]

S. Hieronymus in Syria anno 380. epist. ad Damasum Pontificem, de nomine hypostasis: Quamquam, inquit, tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas: à Pastore præsidium peto. Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, [beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior.] Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et infra: Non noui Vitalem: Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Ibidem: Discerne si placet, obsecro, [non timebo tres hypostases dicere si iubetis.] Et infra: Obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per *Omoysion* Trinitatem, [vt mihi epistolis tuis, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur auctoritas.]

S. Augustinus Episcopus in Africa, Anno 400. epistola 126. de Ceciliano, qui floruit circa annum trecentesimum. Potest, inquit, non curare multitudinem conspirantium inimicorum, [cùm se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, & cæteris terris vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum.]

Idem epist. 157. ad Optatum. Quamuis, inquit, tuæ sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim, tamen quia illæ quas

ad

ad Mauritaniam Cæsarienſem miſiſti, me apud Cæſaream præſente venerunt, [quo nos iniunctà à Venerabili Papa Zozimo, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat,] factum eſt vt ea, quæ ſcripſiſti, etiam ipſe perlegerem.

S. Cyrillus Epiſ. Alexan. in Ægypto Anno 430. lib. Theſauri, vt citat ſanctus Thomas in opuſculis aduerſus errores Græcorum, & Concil. Florentinum ſeſſ. 5. 7. 8. Sicut Chriſtus, inquit, accepit à Patre, Dux, ſceptrum Eccleſiæ gentium, ex Iſrael egrediens, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur, pleniſſimam poteſtatem: ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij, Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ſoli Petro dedit. [Apoſtoli in Euangelijs, & epiſtolis affirmarunt in omni doctrina, Petrum eſſe loco Domini, & eius Eccleſiam, nempè Romanos Pontifices, eius ſucceſſores, ei dantes locum in omni populo, & Synagoga, in omni electione, & congregatione. Cui omnes, iure diuino, caput inclinant, & primates mundi tamquam ipſi Domino Ieſu obediunt. Vt membra ergo maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontificum: à quo noſtrum eſt quærere, quid tenere debeamus. Ad nos pertinet inde quid credendum, quid opinandum, quid tenendum ſit, quærere: quoniam ſolius Pontificis eſt arguere, accipere, increpare, ratum facere, diſponere, ſoluere, & ligare, loco illius, qui ipſum ædificauit.]

S. Petrus Chryſologus Rauennas Epiſcopus in Italia, Anno 430. in epiſtola ad Eutychetem, quæ habetur in 1. Tom. Conciliorum ante Concilium Chalcedonenſe: [Hortamur, inquit, frater honorabilis, vt his quæ à beatiſſimo Papa Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas:] quia beatus Petrus, qui in propria ſede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus, fidei veritatem.

S. Bernardus in Gallia, anno 1140. epiſtol. 130. ad Piſanos; cùm Romanus Pontifex ibi ad tempus ageret, Roma fugatus ab hoſtibus. [Honora, inquit ad ciuitatem Piſanam, tuum, & vniuerſitatis Patrem:] honora mundi Principes, qui in te ſunt, & Iudices terræ.

Idem epiſt. 131. ad Mediolanenſes. [Plenitudo poteſtatis ſuper vniuerſas orbis eccleſias, ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ Sedi donata eſt: Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.] Poteſt, ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt. Poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio dictauerit: ita de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit.

Idem epiſt. 138. ad Conradum Regem Romanorum: Omnis, inquit, anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. [Quam ſententiam moneo vos cuſtodire in reuerentia ſummæ, & Apoſtolicæ Sedi, & beati Petri Vicarij ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio.]

Idem in epiſt. 124. [Romanæ Eccleſiæ auctoritati, atque examini totum hoc (de conceptione loquitur B. Virginis) ſicut, & cæteræ, quæ huiuſmodi ſunt vniuerſa reſeruo: ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emendare.]

Teſtimonia Conciliorum, tam prouincialium, quàm generalium.

Synodus Alexandrina, ſeu epiſcopi totius Ægypti in epiſtola ad ſanctum Marcum Papam, qui præfuit Eccleſiæ Anno circiter 336. pro exemplaribus Canonum Nicæni Concilij, quia Arriani eorum exemplaria incenderant. Domino, Sancto, & Apoſtolici culminis venerando Marco, ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum Epiſcopi. Ad vos perueniſſe non dubitamus, quanta, & qualia ab Hæreticis, & maximè ab Arrianis quotidie patimur, quoniam in tantum ab eis perſequimur, vt etiam viuere nos tædeat. Et paulò poſt: Verè nouimus Apoſtolatus veſtri cor gratia Spiritus ſancti in tantum accenſum, vt omnibus oppreſſis ſuccurratis: quantò magis nobis, [qui licèt exigui ordinis, tamen veſtri ſumus, vobiſque obedientiæ omnibus nobis commiſſis, & ſumus, & eſſe ſemper volumus.]

Synodus Alexandrina in epiſt. ad Liberium Pontificem, qui præfuit Anno 351. Domino beatiſſimo, & honorabili ſancto Patri, Liberio Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum Epiſcopi in vnum Synodicè apud Alexandriam congregati. Veſtræ beatiſſimæ paternitatis iura penès Deum ſunt manifeſta, dum prædicationibus ſcilicet Apoſtolicis, & doctrinis veræ fidei, cultura vniuerſa repleta ſit terra; per diuinorum tamen eruditionem eloquiorum, veſtra inſtruente admonitione exhortatoria, ſuperædificatur orthodoxa Chriſti Eccleſia, Apoſtolica inſtitutione fundata, & à fidelibus Patribus firmiſſimè roborata, ad quam omnes beatiſſimi Apoſtoli, pari honoris, & poteſtatis conſortio præditi, populorum agmina conuertentes, piè, ſanctéque de tenebris ad lumen, de lapſu ad veram fidem, de morte ad vitam homines, diuinæ prædeſtinationis gratia, præceptis, ac monitis perduxerunt. Quorum ſanctorum Apoſtolorum veſtra fraternitas honoranda ſequens merita, & perfectiùs implens exempla, Eccleſiam Dei morum probitate, & actuum ſanctitate condecorat: & fide ſacra, Chriſtianis moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit, ſtudijs pontificalibus, indeſinenter operatur, & perficit, ſeruans legis diuinæ mandata: quia non legis auditores iuſti ſunt apud Deum, ſicut narrat Apoſtolus, ſed factores legis iuſtificabuntur, [Nos enim hæc meditari cupientes, & ea, quæ à ſancta ſede veſtra, Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum prædicatione ſuſcepimus, atque in Nicæna Synodo roborata cognouimus, prædicare, & Arianorum blaſphemias, atque aliorum hæreticorum repellere cupientes, quotidie ab his perſequimur, & damnationi tradimur, atque morti deſtinamur.]

Synodus Alexandrina ad Felicem Pontificem, qui præfuit anno circiter 360. Domino beatiſſimo, & honorabili, ſancto Patri Felici, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ vrbis Romæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum,

Thebaidorum, & Libvorum Episcopi in sancta Alexandrina Synodo, gratia Dei congregari. Vestro saucto, inquiunt, suggerimus Apostolarui, vt nostri, more solito solicirudinem gerere dignemini, &c. Et paulò post: Satagentes, nec aliqua de eis, quæ nobis creditæ sunt, rationabilibus ouibus à bestijs capiatur: Ideo Pater beatissime, quia sempee antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta Sede auxilium bausimus, & nostri vos curam habere agnouimus; præfatam Apostolicam, & summam expetimus, (iuxra Canonum Decreta) Sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationes ceperunt; ad eam quoque, quasi ad Matrem tecurrimus, vt eius vberibus uutriamur: quoniam non potest Marer obliuisci infantem suum, sic & vos nolire obliuisci nos vobis commissos: quoniam non leuibus nos inimici nostri implicauerunt, & quotidiè sacere moliuntur afflictionibus, & apprehendere, aut ferro nos constringere minantur, nisi eorum cousentlanius erroribus: [quod nequaquam, vobis inconsulris, præsumimus.] Et insra. [Quocirca humillimum vestro Apostolico culmini persoluentes obsequium, vt ipse Dominus præcepit, & sanctorum decreta Patrum statuerunt,] cum lachrymis suggerimus, quod sine gemitu cordis reticere non valemus. Et deinceps: Vestrum est enim nobis manum porrigere: [quia vobis commissi sumus:] vestrum est nos defendere atque liberate, [nostrumque est à vobis auxilium expetete, vestris patere iussionibus.]

Tria Concilia Africæ in epist. ad Damasum Poutificem, qui rexit Anno 363. Beatissimo, inquiunt, Domino, & Apostolico culmine sublimaro saucto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium præsulum Pontifici, Srephanus Archiepiscopus Concilij Maurìranię, & vniuersi Episcopi de rribus Concilijs Africanę Prouinciæ. Notum facimus vestræ beatirudini, quòd quidam fratres in confinio nobis positi quosdam fratres nostros, veuerabiles videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur: cùm vestrę Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore beatissimi Petri, patrum decreta omnium, cunctam reseruare sententiam inquitendi teuerentia de Dei rebus, [quas omni iure, & solicitudine obseruare debemus.] Et paulò post. Sin minùs illicita sunt hæc, [pateat nobis talis omnibus licentia beatissime Pater.]

Cousilium, seu conuentus Episcoporum Gallię. Rauennius videlicet, cum alijs 43. inter quos, & Hilarius, ad sanctum Leonem Pontificem, qui pręsuit Romanę vniuersali Ecclesiæ Anno 440. Respiciar itaque, inquiunt, conseruando Apostolatum vestrum, misericors Dominus Ecclesiam suam toto orbe diffusam. Vobis enim ita inuigilanribus, & hi, qui curam animę suæ gerunt solicitiores in fide teducitur, & hi qui paulò desides sunt tanto ad solicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos semper habentes non desinemus Deo, & Domino nostro gratias agere, & pariter supplicare gratulantes, quod tantę sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apostolicæ Sedi, vnde religionis nostrę, propitio Christo, fons & origo manauit, Antistitem dederit: petentes etiam, vt datum, concessumque munus pontificij vestri longissima, ad ædificationem Ecclesiarum suarum, ætate custodiat. [Nos autem etsi impares meritis, pari tamen fide, si quid, quod absit, contra Ecclesiam catholicam prophana infestatione tentetur, parati sumus, consortante Domino, cum beatitudine vestra, pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc, auctori salutis nostræ, & largitori ęternitatis, impendere.]

Ioannes Patriarcha, & Archiepiscopus Constantinopoliranus (cui vtique Episcopi prouinciales astipulati sunt) in libello fidei suæ ad Hormisdam Pontificem Romanum, qui præfuit Ecclesiæ Anno 514. Reddiris, inquir, mihi lireris vestræ Sanctitatis, in Christo Frater charissime, per Gratum clarissimum Comitem, & nunc per Germanum, & Ioannem Reuerendissimos Episcopos, & Felicem, & Dioscorum sanctissimos Diaconos, & Blandum Presbyterum, lætatus sum de speciali charlratis vestræ Sanctitate, quòd vnirarem sanctissimarum Dei Ecclesiarum secundùm vererum Patrum requirit traditionem; & dilaceratores rationabilis gregis, Christi amore pulsare festinas. Certus igitur scito per omnia Sanctissime, quia secundùm quod vobis scripsi, [tecum cum veritate sentieus, omnes à te repudiatos hæreticos renuo: & ego, pacem diligens, sanctissimas Dei Ecclesias, id est superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ, vnam esse accipio: illam Sedem Apostoli Petri, & istius augustæ ciuiraris vnam esse definio.] Omnibus actis à sanctissimis quatuor Synodis, id est Nicæna, Constanrinopoli, & Ephesi, & Chalcedone, de confirmatione fidei instiruta esse, Ecclesię assentior; & nihil tiriubare de benè iudicatis patior: [Sed, & conantes aut nisos vsque ad vnum apicem placitorum perturbare, lapsos esse] à sancta Dei generali, & Apostolica [Ecclesia scio: & suis verbis rectè dictis euidenter vtens, per pręsentia scripta hęc dico; quia prima salus est, rectę fidei regulam custodire, & à Patrum tradirione nullatenus deuiare: quia non potest Domini nostri Iesu Christi prętermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam. Hęc, quę dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica inuiolabilis semper catholica custoditur Religio; hęc igitur fides. Nec cadere cupientes, sed Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hęreses,] & pręcipuè Nestorium hęreticum, qui quondam Constantinopolitanę vrbis fuit Episcopus, damnatum in Concilio Ephesino à B. Cęlestino Papa vrbis Romę, & à Venerabili viro Cyrillo Episcopo Alexandrinę ciuitatis: & vnà cum illo anathematizamus, & Eutychen, & Dioscorum Alexandrinę ciuitatis Episcopum damnatum in sancta Synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur, & amplectimur, quæ sequens sanctam Synodum Nicœnam, Apostolicam fidem prædicauit: his coniungentes Timotheum Parricidam Hellurum cognominatum anathematizamus, & huius

disci-

discipulum, & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes: anathematizamus similiter Acarium quendam Constantinopolitanę Vrbis Episcopum, complicem eorum, & sequacem factum, necnon & perseuerantem eorum communioni, & participationi. Quorum enim quis communionem amplectitur, eorum similem adiudicationem in condemnatione consequitur. Simili modo, & Petrum Antiochenum condemnantes anathematizamus cum sequacibus suis, & omnibus suprascripis; [vndè probamus, & amplectimur epistolas omnes beati Leonis Papæ Vrbis Romæ, quas conscripsit de recta fide. Quapropter, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt: propterea spero in vna communicatione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me futurum, in qua est integra devotio Christianæ Religionis, & perfecta soliditas; promittens me in sequenti tempore sequestrales à communione Ecclesiæ Catholicæ, idest, in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomen inter sacra non recitandum esse mysteria.] Quòd si in aliqua professione mea deuiare tentauero; his quos condemnaui, & per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic verò professioni subscripsi manu mea.

Armeni in Concilio Florentino. His omnibus, inquit, Concilium in fine, post instructionem Armenorum explicatis, prædicti Armenorum Oratores nomine suo, & sui Patriarchæ, & omnium Armenorum, hæc saluberrima synodalia decreta, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, [necnon quidquid tenet, & docet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione, & obedientia suscipiunt, & amplectuntur.]

Ioseph Patriarcha, & Archiepiscopus Constantinopolitanus in Concilio Florentino præsens, Florentiæ, ante mortem tale edidit, & reliquit fidei suæ, & cum Romana Ecclesia communionis scriptum testimonium. Ioseph, inquit, miseratione diuina Constantinopolis, & nouæ Romæ Archiepiscopus, ac Oecumenicus Patriarcha: Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcircò pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam sententiam his literis palam facio. [Nam quæ Domini nostri Iesu Christi Catholica, & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat, ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimùm acquiesco.] Beatissimum autem Patrum Patrem, ac summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini Nostri Iesu Christi Vicarium esse concedere, atque animarum purgatorium esse nòn inficior.

Concilium Nicęnum vniuersale primum anno circiter 325. can. 6. in communibus. Vult Patriarchas cęteros Romanam spectare Ecclesiam, atque ex ipsius ordinatione, ac permissione secundùm antiquissimam consuetudinem Ecclesias suas, subditosque moderari. Et can. 19. 20. 21. 23. 24. iuxta nouam editionem luculenter satis astruit, Romanæ ab omnibus, & præ omnibus summam deberi reuerentiam, atque obedientiæ significationem, prout ex supra citatis sæpiùs testimonijs satis manifestum euadit.

Concilium Constantinopolitanum primum, generale secundum anno 381. in epistola ad Damasum, quæ est apud Theodoretum lib. 5. hist. can. 9. dicit se conuenisse Constantinopoli ex mandato literarum Pontificis Romani, per Imperatorem ad se missarum, fateturque Pontificum Romanum caput, se autem membra, atque ideireò subiectos illi, ac subditos esse. [

Concilium Ephesinum primum, vniuersale tertium anno 430. vt testatur Euagrius lib. hist. 1. cap. 4. [dicit se deponere Nestorium ex mandato literarum Cœlestini Papæ.] Et in epist. ad eumdem Pontificem scribit, se causam Io. Antiocheni, quia magis dubia erat, non fuisse ausum iudicare, [sed ipsius Cęlestini iudicio, tamquam supremi Iudicis, & Rectoris Ecclesiæ reseruasse.]

Concilium Chalcedonense vniuersale quartum anno circiter 451. act. 1. 2. 3. S. Leonem vniuersalis Ecclesiæ Pontificem vocat, sicque illi, & reuerentiam, & obedientiam ab vniuersa Ecclesia deberi satis insinuat: quin & act. 3. decreta, & acta sua ab illo confirmati humiliter, submissèque efflagitat. Actione verò 16. omnem primatum, & honorem præcipuum secundùm canones Romano Episcopo deberi, ingenuè, apertèque fatetur, & decernit.

Concilium Constantinopolitanum secundùm vniuersale quintum circa ann. 553. in causa Apthimi act. 4. [Nos, inquit Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.]

Testimonia Imperatorum.

AVrelianus Aug. Imp. Rom. licèt ethnicus, Romanæ tamen Sedis, & Ecclesiæ iudicio parendum censuit. Sic enim de eo testatur Eus. lib. 7. Eccl. hist. cap. 26. Domino igitur, inquit, in Episcopatum subrogato Paulus, & sacerdotio abscissus, & communione, cum de domo Ecclesiæ nollet exire, [interpellatus Imperator Aurelianus religiosè satis de hoc, sanctèque decernit, ijs præcipies Ecclesiæ domum tradi, quibus Italiæ Sacerdotes, & Romanus Episcopus scriberent.]

Constantinus Magnus in edicto. Pontifex, inquit, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior, & principes cunctis sacerdotibus totiùs mundi existat, & eius iudicio, quæcumque ad cultum Dei, vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est, vt ibi lex sancta caput teneat principatus, vbi sanctarum legum institutor Saluator noster B. Petrum Apostolatus obtinere præcepit cathedram: vbi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique Magistri, & Domini imitator apparuit: [& ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant,] vbi eorum Doctor B. Paulus Apostolus pro Christo, extenso collo, Martyrio coronatus est. Illic vsque in finem quærant Doctorem, vbi sanctum Docto-

ris quiescit corpus: [& ibi proni, ac humiliari cælestis Regis Dei Saluatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, vbi superbi terreni Regis seruiebant imperio.]

Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Imperatores Augusti, qui post tertium sæculum regnarunt, in l. 1. cap. De summa Trinitate, & fide Catholica. [Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus Religione versari,] quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, [quamque Pontificem Damasum sequi claret.]

Valentinianus Tertius, & Martianus AA. Imperatores, qui post annum quadringentesimum, circa tempora S. Leonis I. regnarunt, in epistola ad sanctum Leonem Pontificem Romanum, Ad hoc, inquiunt, maximum imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus excellentissimi, cunctæque militiæ: vnde pro reuerenda, & catholica Religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus guberuari, [tuam sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris literis in principio iustum credimus alloquendam, inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate, & statu nostri imperij, æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur.]

Iustinus Primus, Imperator augustus, qui post annum quingentesimum regnauit, in epistola ad Hormisdam Pontificem Romanum. Sacratissimo, inquit, ac beatissimo Archiepiscopo Almę Vrbis Romę, & Patriarchæ Hormisdæ, Iustinus Imperator. Scias nobis, Pater Religiosissime, quod diu summis studijs quærebatur, patefactum, & antequam aduenerint, qui à nobis destinati sunt, [quod Ioannes vir beatissimus, antistes nouæ Romę noster vna cum clero, vobis consentiunt,] nullis variantes ambiguitatibus, nullis diuisi discordijs. Scias libellum ab illo subscriptum, quoniam offerendum iudicaueras, sanctissimorum Patrum Concilio congruentem, quo omnes concurrunt alacri opete susciplenda vota, tam nostræ, quàm Constantinopolitanæ Sedis, quos veritatis coruscus fulgor illuminat, omnes accelerant libentissimè, quos oblectat via lucida, vt sequantur scita Patrum, sanctissimas leges, probatissimasque. Et paulò post: [Et quoniam omnes nostræ Religionis admonendi sunt, vt exemplum imitentur Ciuitatis Regiæ, destinanda vbique principalia præcepta ediximus. Tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem catholicæ fidei, pro remuneranda celeriter pace nostræ Reipublicæ pro conciliando subiectis meis superno præsidio.]

Iustinianus eius nominis I. Imperator Augustus regnare cepit circiter an. 527. epist. ad S. Ioannem eius nominis I. Pontif. Rom. [Reddentes, inquit, honorem Apost. Sedi, & vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto, & fuit, & est) & vt decet, Patrem honorantes vestram beatitudinem] omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis. [Quoniam semper fuit nobis magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire Sedi vestræ Sanctitate properauimus.] Et paulò post. [Per omnia enim, vt dictum est, properauimus honorem, & auctoritatem crescere vestræ sedis,] quia caput est (vt ante hæc verba promiserat) omnium sanctarum Ecclesiarum.

Submonitio ad Lectorem.

EX allegatis clarissimis testimonijs, omnibus cordatis, & pijs manifestissimum euadit, non solùm sanctissimos Romanos Pontifices, data occasione asseruisse, sed & qui primis quingentis, & vltra in Apostolica Ecclesia floruerunt, Patres Orthodoxos tam Orientis, quàm Occidentis editis scriptis, sed & totius Orbis Christiani pręcipuos Episcopos tam in prouincialibus, quàm vniuersalibus, & Oecumenicis Concilijs, imò & Imperatores, palàm, sponteque confessos, & non solùm verbis, sed etiam re ipsa professos esse Romano Pontifici tamquam supremo in terris, & visibili totius Ecclesiæ sub Christo capiti, imò ipsissimo, & indubitato Christi Vicario summam deberi, & maximam tùm reuerentiam, tùm obedientiam: quod ex illis Patrum, atque Imperatorum quoque testimonijs directè consequitur, quę superioribus capitibus de primatu Romanæ Sedis adducta fuere. Superioribus enim à subditis reuerentiam, & obedientiam deberi, & ex scriptura sacra, hoc est Propheticis, & Apostolicis scriptis, & vtriusque testamenti præscripto indubitatum cùm sit: negari vtique, nec in dubium vocari potest, supremis summam quoque, & maximam, cùm reuerentiam, tùm obedientiam deberi ab omnibus, qui christiano nomine, & inter veras Christi, piasque oues censeri volunt. Si in veteri testamento Summo Pontifici summa ab omnibus Iudęis, & maxima debebatur, & deferebatur, idque meritò, & ex grauissimo Dei mandato, & reuerentia, & obedientia; quantò magis in nouo Testamento summo Pontifici, & totiùs Orbis Christiani, & vniuersalis Christi Ecclesiæ, sub Christo, & vice Christi, Principi, Pastori, & Rectori, Patri Patrum, ab omnibus fidelibus, & veri nominis christianis propter Christum idipsum deferri semper, ac præstari debet? Nemo est tam humilis, aut abiectæ conditionis quin à suis subditis, & inferioribus agnosci, reuerentiaque, & obedientia, secundùm status sui, & officij qualitatem, coli velit: & cur igitur respectiuè non sit alijs, quod nobis ab alijs fieri postulamus?

CA-

CAPVT XXIV.

An grauiter peccent, & pœnas tùm huius, tùm futuræ vitæ mereantur grauissimas, qui Romanum Pontificem, & Ecclesiam audire contemnunt.

Vera sententia Catholicorum.

MOrtaliter peccant, & grauissimas huius, & futuræ vitæ pœnas merentur omnes quotquot Ecclesiæ, & Pontifici Romano, vt Christi in terris Vicario, & S. Petri ordinario successori, ideoque totius Ecclesiæ supremo, & visibili Pastori, debitam fidem, & obedientiam præstare nolunt. Nam sic testantur, & decernunt, non solùm sanctissimi Romani Pontifices, qui primis sexcentis annis cathedram Apostolicam texerunt, sed etiam Sancti Patres, Concilia, & Imperatores catholici.

Falsa sententia Hæreticorum.

ROmanus Pontifex cum sua Ecclesia Romana absque vllo peccato, & pœnæ periculo, aut merito, ab omnibus iure contemnitur, & abominationi habetur: quia sic testantur Patres orthodoxi, Concilia, & Imperatores Catholici.

S. Pius eius nominis primus Pontifex, & Martyr anno 143. in epistola ad omnes Ecclesias de Paschate Dominica die celebrando. Si quis verò, inquit, à suo proposito retrorsum exorbitauerit, [& iussum Apostolicæ Sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur.]

S. Calixtus Papa, & Martyr, anno 218. in epist. ad omnes Galliarum Episcopos. Talibus igitur gloriantes indicijs, rogamus ne in illis partibus contra statuta Apostolica quicquam fieri sinaris, sed nostra fulti auctoritate, nociua compescite, illicita prohibete. Conspirationum verò crimina vestris in partibus vigere audiuimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare. Cuius criminis astutia non solùm inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter Ethnicos, & ab exteris legibus prohibita. Et idcircò huius criminis reos, non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges damnant, & non solùm conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores verò nostri, cum plurima turba Episcoporum, [quicumque eorum in Sacerdotali honore sunt positi, ant exiftunt clerici, honore, quo vtuntur cadere præceperunt: cæteros verò communione priuari, & ab Ecclesia extorres fieri iusserunt, omnesque simul vtriusque ordinis viros infames esse censuerunt, & non solùm facientes, sed etiam consentientes. Iustum est enim, vt qui diuina contemnunt mandata, & inobedientes Patrum existunt iussionibus, seuerioribus corrigantur vindictis, quatenùs cæteri timorem habeant.]

S. Stephanus Pont. & Martyr anno 255. in epistola ad Hilarium. Quod verò consuluisti sedem Apostolicam, qui sunt infames, aut qui ad gradus Ecclesiasticos non sunt admittendi, & nosse re credimus, & pro auctoritate Sedis Apostolicæ te informare non negamus. [Infames autem esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, idest omnes, qui Christianæ legis normam abijciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt: similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos: sepulchrorū quoque violatores, & Apostolorum, atque successorum eorum reliquorum Patrum statuta libenter violantes, & omnes, qui aduersùs Patres armantur.]

S. Marcellinus Papa, & Martyr anno 296. in epistola ad vniuersos Episcopos Orientales. Omne enim, inquit, quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia. Non licet ergo Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata diuina præsumere, nec quicquam quod Euangelicis, Propheticisque, & Apostolicis regulis obuiat, agere. Iniustum enim iudicium, & definitio iniusta, Regis metu, vel iussu ab Iudicibus ordinata non valeat: [nec quicquam quod contra Euangelicæ, vel Propheticæ, aut Apostolicæ doctrinæ constitutionem, successorumue eorum, siue sanctorum Patrum actum fuerit, stabit. Et quòd ab Infidelibus, aut hæreticis factum fuerit, cassabitur.]

S. Eusebius Papa, & Martyr anno 308. in epistola ad Episcopos Galliæ. [Infames enim sunt, inquit, proculdubio impugnatores Episcoporum, omnesque qui aduersùs Patres armantur, & conculcatores Ecclesiarum, Sacerdotumque eius.]

S. Liberius Pontifex anno 351. in epist. ad S. Athanasium, & alios Ægyptiorum Episcopos. [Qui hæc præsumpserint, inquit, præuaricari, primùm quidem subiaceant iudicio terribili omnipotentis Dei: deinde autem qualemcumque regalem indignationem reuereantur, per quam quidem, si Episcopi, aut clerici sunt, à sui Sacerdotij, siue à sui cleri ordine modis omnibus excedant: si autem Monachi segregentur, & alieni sint de suis locis. Si autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur de eis. Sin autem sunt priuati, siquidem Nobiles existunt, suarum substantiarum subscriptionem patiantur: sin autem ignobiles existunt, non solùm in corpore verberentur, sed etiam exilio perpetuo castigentur, vt omnes timore Dei compressi, & comminata eis digna supplicia reuerentes, immobilem, & sine turba pacem sanctarum Dei Ecclesiarum custodiant.]

S. Leo Pontifex anno 440. in epistola ad Episcopos per Campaniam, & Picænum, vel Tusciam, & per vniuersas prouincias; quæ est in 1. tom. Conciliorum 58. alias, secundum posteriorem editionem prima. Hoc itaque, inquit, admonitio nostra denunciat, [quod si quis fratrum contra hæc constituta venerint, vel venire teurauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum consortem, qui socius noluit esse disciplinæ.] Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia statuta, tam beatæ recordarionis Innocentij, quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinationibus, & cano-

canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, [vt si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps nouerit deuegari.]

Idem epistola 76. in 1. tom. Concil. ad Episcopos per Viennensem prouinciam. Cui (S.Petro, eiusque successori) quisquis principatum (& sic etiam obedientiam) æstimat denegandam, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, [sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.]

Hilarius Papa anno 461. in Concilio Romano præsidens. [Nulli, inquit, fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare.]

Anastasius iunior, Pontifex anno 496. in epist. ad Anastasium Augustum. [Præceptis, inquit, Apostolicis, non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia, & Apostolica auctoritate iussa sunt, salubriter impleantur, si eiusdem sanctæ Ecclesiæ, quæ caput est vestrum, communionem habere desideratis.]

Ioannes II. Pontifex anno 532. in epist. ad Iustinianum Augustum. [Æquum, inquit, quippe est, vt qui nostris minimè obedientiam accommodant statutis, ab Ecclesijs habeantur extorres.]

S. Gregorius magnus Pontifex an. 590. in priuilegio, quod dedit Monasterio S. Medardi, & habetur ad finem epistolarum. [Si quis, inquit, Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcumque secularium personarum, huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, honore suo priuetur.]

Testimonia Sanctorum Patrum.

Sanctus Cyprianus primus totius Africæ, & Martyr anno 240. lib. 1. epistola 3. ad S. Cornelium Rom. Pont. cùm demonstrasset non Christi, sed Antichristi spiritu dati, qui Romanum Pontif. contemnunt, & conuicijs incessunt, subiungit. Nam cùm scriptum sit: Neque maledici Regnum Dei consequentur. Et iterùm in Euangelio suo Dominus dicat: Qui dixerit fratri suo fatue: qui dixerit racha, reus erit gehennæ ignis: [quomodo possunt censuram Dei vltoris euadere, qui talia ingerunt non solùm fratribus, sed & sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt quisquis sacerdoti eius, & ad tempus hic iudici non obtemperaret, statim necaretur?] In Deut. Dominus Deus loquitur dicens: Et homo quicumque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicumque fuerit, in diebus illis morietur homo ille: & omnis populus cum audierit, timebit: & non aget impiè etiam nunc. Item ad Samuelem cum à Iudæis sperneretur, Deus dicit 1. Reg. 8. non te spreuerunt, sed me spreuerunt. Et Dominus quoque in Euangelio Luc. 10. Qui audit, inquit, vos me audit, & eum qui me misit: & qui reijcit vos, me reijcit, reijcit eum, qui me misit. Et cùm leprosum mundasset: Vade, inquit, Matth. 8. & demonstra te Sacerdoti. Et cum postea tempore passionis alapam accepisset à seruo sacerdotis: cumque ei dixisset, sic respondes Pontifici? aduersùs Pontificem Dominus contumeliosè nihil dixit, nec quicquam de sacerdotis honore detraxit, sed innocentiam suam magis asserens, & ostendens: Si malè, inquit, locutus sum, exprobra de malo: si autem benè quid me cedis? Item in act. Apost. postmodum B. Paulus, cum ei dictum esset act. 23. sic insimulans in sacerdotem Dei maledicendo? quamuis Domino iam crucifixo, sacrilegi, & impij, & cruenti illi esse cœpissent, nec iam quicquam de sacerdotali honore, & auctoritate retinerent: tamen ipsum quamuis inane nomen, & vmbram quamdam sacerdotis cogitans, expauit: Nesciebam fratres, inquit, quia Pontifex est. Scriptum est enim Principi plebis tuæ non maledices. [Cùm hæc tanta, ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis auctoritas, & potestas diuina dignatione firmatur; quales putas eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, ac nata sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi, cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa; nemo aduersùs sacerdotum Collegium quicquam mouetet, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum Iudicem se tam non Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio, vnitatis Christi Ecclesiam scinderet nemo sibi placens, ac tumens seorsim foris nouam hæresim condetet: nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotem.

Idem lib. 1. epist. 11. [Nec putent sibi, inquit vitæ, aut salutis constare rationem, si Episcopis, & Sacerdotibus obtemperare noluerint:] cùm in Deuteronomio Dominus Deus dicat: Et homo quicumque fecerit in superbia, vt non obaudiat sacerdotem, aut Iudicem, quicumque fuerit, in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit, & non aget impiè etiam nunc. Interfici Deus iussit; Sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes, & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc, & circumcisio carnalis manebat: [nunc autem, quia & circumcisio spiritualis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spiritali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia eijciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cùm Domus Dei vna sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit: Indisciplinatos autem perire, dum non audiunt, nec obtemperant consilijs salubribus testatur diuina scriptura, quæ dicit:] Non diligit indisciplinatus castigantem se: Qui autem oderunt correptiones consumentur turpiter.

Idem lib. epist. 9. ad Rogatianum Episc. Grauiter, inquit, & dolenter commoti sumus ego, & collegæ mei, qui præsentes aderant, frater charissime, lectis literis tuis, quibus de Diacono tuo conquestus es, quod immemor Sacerdotalis loci tui, ac ministri sui oblitus

litus, contumelijs, & iniurijs suis te exacerbauerit: & tu quidem honorificè circa nos, & pro tua solita humilitate fecisti, vt malles de eo conqueri: cum pro Episcopatus vigore, & cathedræ auctoritate haberes potestatem, quæ posset de illo statim vindicari, certus quod Collegæ tui omnes ratum haberemus, quodcumq; circa Diaconum tuum contumeliosum, sacerdotali potestate fecisses, habens circa huiusmodi homines præcepta diuina: cùm Dominus Deus in Deuteronomio dicat: Et homo quicumque fuerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus, cùm audierit timebit, & non agent impiè etiam nunc: [Et vt sciamus hanc Dei vocem, cum vera, & summa maiestate eius processisse, ad honorandos, ac vindicandos Sacerdotes suos, non aduersùs Aaron Sacerdotem tres de ministris, Chore, Dathan, & Abyron ausi sunt superbisse,& erigere ceruicem suam extollere, & Sacerdoti præposito se adæquare, hiatu terræ absorpti,ac deuorati, pœnas statim sacrilegæ audaciæ persoluerunt. Nec soli illi, sed & cæteri ducenti quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerunt, prorumpente à Domino igne consumpti sunt, vt probarentur Sacerdotes Dei ab eo, qui Sacerdotes facit vindicari.] In libro quoque Regum, cùm Samuel Sacerdos à Iudæorum populo ob senectutem (sicut tu nunc) contemneretur, exclamauit iratus Dominus, & dixit: Non te spreuerunt, sed me spreuerunt. Et vt hoc vlcisceretur, excitauit eis Saul Regem, qui eos iniurijs grauibus affligeret, & per omnes contumelias, & pœnas, superbum populum calcaret,& premeret,[vt contemptus Sacerdos de superbo populo vltimo diuina vindicaretur. Sed,& Salomon in Spiritu sancto constitutus, testatur, & docet, quæ sit Sacerdotalis auctoritas, & potestas, dicens Syrach 7. Ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes eius sanctifica: Et iterum: Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes eius.

Idem lib. 4. 9. ad Papianum hæreticum. Nec hoc iacto, inquit, sed dolens profero, cùm te iudicem Dei constituas, & Christi, [qui dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos,qui Apostolis Vicario ordinatione succedunt. Qui audit vos, me audit,& qui me audit, audit eum, qui misit me: Et qui reijcit vos, me reijcit, & eum, qui me misit.] Vnde enim schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest: [superba quorumdam præsumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur ? Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam Præpositos, & sacerdotes vocare? Et paulò post: Apes habent Regem, & Iudicem, & ei fidem seruant. Latrones obsequio pleno humilitatis obtemperant. Quantò simpliciores, at meliores vobis brutæ pecudes, & muta animalia, & cruenti licet, ac furentes inter gladios, atque inter arma prædones ? Præpositus illic agnoscitur, & timetur, quem non sententia diuina constituit, sed in quem factio perdita, & nocens caterua consentit.

S. Hieronymus an. 380. in epist. ad Damas. Pont. Rom. de nomine hypostasis. Ego nullum primum,inquit,nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, idest cathedræ Petri communione consocior. [Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederet, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit, regnante diluuio.] Non noui (inquit paulò post) Vitalem, Meletium respuo,ignoro Paulinum. [Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.]

Ioan. Constantinop. Patriarcha cum Clero suo sibi consentiente, in libello ad Horsmisdam Pont. Rom. (vt cap.sup.ad longum posuimus) damnat, & damnandos censet omnes hæreticos, & qui Rom. Ecclesiæ, eiusque Pontifici supremo debitam fidem, & obedientiam præstare contemnunt.

S. Bern. in epist. ad Mediolanen. Plenitudo, inquit, potestatis super vniuersas Orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apost. Sedi donata est: quæ igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

Testimonia Conciliorum.

Concilium Nicænum primum ann. 325. can. 24. in noua editione Peltani, omnes anathemate percellit, qui Rom. Pontificis, atque Ecclesiæ supremam potestatem negare, aut illi repugnare, atque obsistere ausus fuerit. Veneramur, inquiunt 318. Patres, secundùm scripturas, & Canonum definitionem, sanctiss. Romanæ, antiquæque Ecclesiæ Episcopum, primum esse, & maximum omnium Episcoporum. Vt aut cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges iudicit, & vt à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesijs, cæterisque ad Christum rebus pertinentibus præfectus, Principum Christianorum, prouinciarum, & omni gentium dicens, & Rector erat: ita ille, cuius principatus Romæ est, Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, & principatum obtinet. [Huic sanctum, si quis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit, totius synodi decreto anathemati subijciatur.

Concilium Chalcedonense, quæ fuit generale quarum, Episcoporum 630. ann. 451. Act. 3. damnat, Episcopatum etiam spoliatum, Dioscorum, eò quod præter alios excessus Romanum Pontificem S. Leonem, contemnere, & excommunicare ausus fuerat.

Concilium Constantinopolit. quod ante quintam Synodum circa annum 553. in causa Anthimi congregatum fuit, Act. 4. per Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, ita loquitur: [Nos, inquit, Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condenatos ab ipsa, & nos condemnamus.]

Concilium generale octauum, siue Constantinopolitanum quartum, anno 869. can. 21. Definimus neminem prorsus mundi potentium, quemquam eorum, qui Patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare; [sed omni reuerenu-

uerentia, & honore dignos iudicare: præcipuè quidem Sanctissimum Papam seniores Romæ:] deinceps autem Constantinopoleos Patriarcham, deinde verò Alexandriæ, atque Antiochiæ, atque Hierosolymorum. [Sed nec alium quemquam conscriptione contra sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione, quasi diffamatorum, quorumdam criminum: quod & nuper Photius fecit, & multò ante Dioscorus. Quisquis autem tale facinus contra sedem Petri Principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem, & eamdem quàm illi condemnationem recipiat.

Testimonia Imperatorum Catholicorum.

GRatianus, Valentinianus, & Theodosius Imperatores AAA, in edicto ad populum Constantinopolitanum in 1. l. cap. de summa Trinitate, & fide Catholica, vt nemo de ea publicè condere audeat.

Cunctos, inquiunt, populos quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus Religione versari, quam D, Petrum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis. Hoc est, vt secundùm Apostolicam disciplinam, Euangelicamque doctrinam, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam deitatem sub pari maiestate, & sub pia Trinitate credamus. [Hanc legem sequentes, Christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti reliquos verò dementes, vesanosque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primum vindicta, post etiam motus animi nostri, quoniam ex cælesti arbitrio sumpserimus, vltione plectendos.

Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, AAA, in l. 2. cap. de summa Trinitate, & fide Cath. Nicænæ. inquiunt, fidei dudum à Maioribus traditæ, & in diuinæ Religionis testimonio, atque assertione firmatæ obseruantia semper mansura teneat: [Qui verò hisdum non inseruiunt (quæ illud restituit) desinant affectatis dolis alienam veræ Religionis nomen assumere: & suis apertis criminibus notentur, atque ab omni submoti Ecclesiarum limine penitus arceantur: cùm omnes hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vitemus: At si quid eruptio factiosa tentauerit, ab ipsis etiam vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus,] vt cunctis orthodoxis Episcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Ecclesiæ toto orbe reddantur.

Valentinianus, & Martianus, Imp. AA. in lege quicumque, C. de hæreticis, & Manichæis. Quicumque, inquiunt, in hac sacra Vrbe, vel Alexandriua, vel omni Ægyptiaca diœcesi, diuersisque alijs prouincijs Eutichetis profanam peruersitatem sequuntur, & ita non credunt, vt trecenti decem, & octo sancti Patres tradiderunt, catholicam fidem in Nicæna ciuitate fundantes: centum quoque & quinquaginta alij Venerabiles Episcopi, qui in alma Vrbe Constantinopolitana postea conuenerunt, & sicut Athanasius, & Theophilus, & Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi Alexandriæ Ciuitatis credebant, quos etiam Ephesina Synodus, cui B. memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Nestorij error expulsus est in vniuersis secuta est: Quos, & nuper venerabilis Chalcedonensis Synodus est secuta, prioribus Concilijs Sacerdotum ex omni prorsus parte consentiens, nihilque adimens sacrosancto Symbolo, nec adijciens, sed Eutychetis dogma funestum condemnans, [sciant se esse hæreticos.

Valentinianus, & Martianus Imp. AA. vniuersis populis, vt habetur post Concil. Chalcedonense. Tandem aliquando, quod summis votis, atque studijs optabamus euenit: remota est de orthodoxa Christianorum lege contentio: tandem remedia culpabilia erroris inuenta sunt, & discors populorum sententia in vnum consensum, concordiamq; conuenit: ab vniuersis etiam prouincijs Religiosissimi Sacerdotes Chalcedonem conuenerunt iuxta nostra præcepta, & quod obseruari in Religione debeat, perspicua diffinitione docuerunt. Discessit igitur iam prophana contentio. [Nam verè impius, atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ tractandum aliquid reliquit. Extremæ quippè dementiæ est, in medio, & perspicuo die commentitium lumen quærere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlteriùs discutit mendacium quærit. Nemo, itaque vel Clericus, militans, & alterius cuiuslibet conditionis de fide Christiana publicè terminata, coadunatis, & audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus, & perfidiæ occasionem requirens. Nam iniuriam facit Religiosissimæ Synodo, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit.] Cùm ea, quæ nunc de Christiana fide statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones, & instituta SS. Patrum 318. (in Nicæa) & 150. & in hac Regia Vrbe) definita esse noscantur. [Nam in contemptores huius legis pœna non deerit: quia non solùm contra fidem benè compositam veniunt, sed etiam Iudæis, & Paganis huiuscemodi certamine prophanant veneranda mysteria. Igitur si Clericus erit, qui publicè tractare de Religione ausus fuerit, à consortio Clericorum remouebitur: Si verò militia præditus sit, cingulo expoliabitur. Cæteri etiam huius criminis rei, de hac hæc sanctissima Vrbe pellentur, pro vigore iudiciario, etiam competentibus supplicibus subiugandi. Constat enim hæreticæ infamiæ exordia, fomitemque nutriri, dum publicè quædam disputant, atque contendunt. Vniuersa ergo, quæ à Sancta Synodo Chalcedone constituta sunt, custodire debebunt, nihil postea dubitari. Hoc itaque commoniti nostræ sinceritatis edicto, absistite prophanis vocibus, vlteriùs desinite de diuinis disputare, quod nefas est: quia non solùm diuino iudicio peccatum hoc (pro vt credimus) punietur, verùm etiam Legum, & Iudicium auctoritate coercebitur.

Martianus Imp. A. Pallidio Prætori, vt habetur tom. 1. Conciliorum post Concilium Chalcedonense. Postquam repetiuisset legem proximè positam: & alias, quoque pœnas statuisset contra hæreticos, & eorum receptores

intet

iuter alia subiungit, quæ etiam habentur, sicut & superiora io l. Nemo, C. de summa Trinitate, & ibid, l. Quicumque. [Nulli, inquit, contra venerabilem Chalcedon. Synodum liceat aliquid, vel dictare, vel scribere, vel legere, atque emittere: nemo huiusmodi libros habere audeat. Quòd si in his criminibus fuerint inuenti, perpetua deportatione damnentur: hi verò, qui discendi studio audierint de infausta hæresi disputantes, decem librarum auri (quæ fisco nostro applicabuntur) subeant dispendium. Omnes verò chartæ, ac libri, qui funestum Eutychetis dogma fuerint complexi, concremeutur.]

Iustinianus senior Imp. A. in Authen. de Ecclesiast. tit.& priuil. §. Sancimus. [Sancimus igitur vicem legum obtinere Ecclesiasticas regulas, quæ à Sanctis quatuor Concilijs expositæ sunt, aut firmatæ:] hoc est, in Nicæna treceotorum decem, & octo,& in Constantinopolitana Sanctorum centum quinquaginta Patrum, & Ephesina prima, & in Chalcedonia, in qua Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, sicut sanctas scripturas accipimus,& regulas, sicut leges obseruamus. [Ideoque sancimus secundùm eorum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotum.

Idem in epistola ad Eulalium Episcopum, & Eccles. Charthaginensem. Prima, inquit salus, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare: & quia non potest Domini nostri Iesu Christi præteriri sententia, dicentis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio. [De qua spe, & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam superbiendo, suas erigunt ceruices:] sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia, spero,vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis, & perfecta soliditas; [promittens sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ,idest non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.] Quòd si in aliquo à professione mea deuiare tentauero, his,quos damnaui, complicem, mea sententia esse profiteor. Hanc aut professionem meam, manu mea scripsi, & Bonifacio sancto, & venerabili Papæ vobis Romæ direxi: [damnans, & antecessores, & successores meos, & omnes, qui sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ priuilegia cassare nituntur.

Idem in Auth. vt cum, de appel.cognos. &c. §. si quis. [Si parentes, inquit, orthodoxi fecerint filium, vel liberos suos non esse Catholicæ fidei, nec in sacrosancta Ecclesia communicare, in qua omnes beatiss. Patriarchæ, vna conspiratione, & concordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas quatuor Synodos. Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam,& Chalcedonen.amplecti seu recitare noscuntur, licentiam habeant, pro hac maximè causa ingratos eos, & exhæredes in suo scribere testamento.] Generalem autem prouideoriam liberis Catholicis deferentes, iubemus, saluis legibus, quæ iam de alijs hæreticis sunt probatæ, vt si quando Parentes inuenti fuerint, cuiuscumque hæresis furori dediti, amplectentes insaniam, & ideo ab Ecclesiæ Catholicæ communione separati; non liceat eis alios hæredes sibi instituere, nisi liberos orthodoxos, & Ecclesiæ Catholicæ communicantes.

Submonitio ad Lectorem.

Quantum, & quàm enorme sit peccatum, inobedientia Dei, & superiorum, sanctissimus ille Samuel satis restatur, qui illud idolatriæ, & ariolandi peccato comparat, 1. Reg. 15. testatur Christus, qui Ecclesiam, hoc est, Ecclesię Rectores, & præcipuè Rectorem illius, atque Pastorem supremum audire nolunt, non pro Christianis, sed pro Ethnicis, & Publicanis habendos esse, atq; decernit Matt. 18. testatur Deus in vet. Testamento, non solùm, quando illos, qui summum Pontificem noliut audire, illique mortem gerere, morte plectendos seuerissimè mandat Deut. 17. sed etiam, & quidem potissimùm, quando Chore, Dathan, & Abyron, Moysi, & Aaron obedire nolentes, horrendo, & inaudito mortis genere, nimirum terra dehiscente, viuos absorberi, & ad Inferna deuolui, & aliquot milia hominum præterea igne absumi fecit, qui illos vel verbis excusare, aut defendere moliebantur. Num. 16. Imò vnicam,& charissimam Sororem Moysis lepra, quoque percussit, quod contra ipsum diuinitùs Rectorem populi constitutum, vel murmurare tantùm ausa fuisset, num. 12. Testatus etiam in nouo Testamento fuit sępiùs,quando hostes, & persecutores Ecclesiæ Catholicæ, ideoque, & Romani Pontificis, aliorumque Rectorum, tam horrenda, atque acerba morte sustulit, vt alios vermibus viuos corrodi, atque absumi, alios fulmine ictos, alios alia ratione, & horrendum in modum subitaneæ morte interire fecit, vt latiùs recenset, & probat Bellarmin. tom.1.controuers.lib.4.cap.17. de notis Ecclesiæ. Cum igitur ex superioribus probatum satis, atque non solùm ex testimonijs fide dignissimis sanctissimorum primitiuæ Ecclesiæ Pontificum,sed etiam SS.Patrum, Conciliorum tàm prouincialium,quàm generalium, nec non Catholicorum,& laudatissimorum Imperatorum demonstratum sit, Romanam Ecclesiam (quam vero ore, pariq; consensu, Apostolicam Sedem, seu SS. Petri Cathedram, ipsissimamque proinde Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam esse, quam in Symbolo profitemur, reuerenter agnoscant,& appellant) veram esse, & germanam Christi Ecclesiam, & Romanum Episcopum illius supremum in terris inter secundarios, & visibiles Episcopos, ac Rectores, Pastorem esse atque Pontificem; non est mirum, nec iniustum, quod Romanæ Ecclesiæ, eiusque summo sub Christo Pastori inobedientes,& rebelles, tam horrendis censuris, ac pœnis digni, atque obnoxij censeantur, & decernantur.

CAPVT XXV.

Quinam potissimùm Romanam Ecclesiam, eiusque supremum Pontificem odio habeant, & tùm verbis, tùm factis hostiliter incessere, atque prosequi soleant.

Vera sententia Catholicorum.

HÆretici, et Schismarici, alijque peruersi homines, instigante diabolo, semper Cathedram S. Petri, hoc est Romanam Ecclesiam, eiusque summum Pontificem singulariter præ alijs odio habuerunt, et calumnijs, ac conuicijs, alijsque horrendis iniurijs hostiliter insectati sunt: quia sic testantur non solùm Romani Pontifices, ipsimet experti, sed et SS. Patres, ac Concilia primitiuæ Ecclesiæ.

Falsa seatentia Hæreticorum.

OMnes pij, et sinceri fideles, Romanum Pontificem, einsque Ecclesiam semper, meritòque, tamquam Antichristum odio babuerunt, abhominati, et detestati fuere, et etiamuum detestautur, ac fugiunt; quia sic testantur primeuæ, et putioris Ecclesiæ Patres, atque Concilia.

S. Clemens Pontifex discipulus, & successor S. Petri in lib. recognirionum prioribus, passim testatur, quauto odio primus hęreticus, & hæreticorum Parens Simon Magus primum Pontificem Ecclesiæ, S. Petrum insectatus fuerit.

S. Anacletus Pontifex, & Martyr anno 84. in epistol. de Patriarchis, & primatibus. [Manifestum est, inquit, diabolum (qui sicut leo rugiens circuit, quærens quem possit deuotare) cordibus plebium suadere, vt doctores, atque Pastores suos detractionibus irrogent, vel accusent, vt plebibus languescentibus, vel mala agentibus, non tenentibus Pastoribus signa eorum, lasciuiant atque in ima ruant.]

S. Felix Pontifex, & Martyr eius nominis ptimus, anno 270. in epistola ad Paternum Episcopum. [Hæresis quippe est, inquir, nimis impia, & Euangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa Christianæ Religionis conatur fundamenta conuellere.] Quoscumque enim tapit ad se, non solùm in hoc vitium, sed in multa alia vitia ruere facit, [& ipso suadente antiquo hoste, non solùm persecutores Ecclesiæ, sed etiam Sacerdotum eius fiunt.]

S. Gelasius Pontifex maximus An. 494. In epistola ad Faustum. Non mirum, (inquit, de hæreticis, & schismaticis loquens) [si isti sedem beati Petri Apostoli blasphemare præsumunt, qui talia porteura, vel cordegerunt, vel ore diffundunt, & nos insuper superbos esse pronunciant; cùm eis prima sedes, quicquid est pietatis non desistat efferre, illi tam protetuo spiritu subiugare posse confidant. Sed captos menre facere ista, non mirum est. Sic phrenetici solent medicantes, quoque velut hostes putate, vel cædere. Quero tamen indicium ab his quod prætendunt, vbinam possit agitari; an apud ipsos, vt ijdem sint Inimici, & testes, & Iudices? sed tali iudicio, nec humana debent committi negotia, nedum diuinæ legis integritas. Si quantum ad Religionem pertinet, non nisi Apostolicæ Sedi iuxta Canones debetur summa iudicij totius; Si quantum ad seculi potestatem, ille à Pontificibus, & præcipuè beati Petri Vicario debet cognoscere, quæ diuina sunt; non potest ipse eadem dijudicare: nec sibi hoc quisquam potentissimus seculi, qui tamen Christianus est, vindicare præsumet: nisi Religionem forsitan persequentes: quod tamen dicerent, si non chartis suis omnibus vincerentur. Ineptias vtique suas sibi seruent, nisi resipiscant, potiùs cogitantes, Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni beati Petri Apostoli, inferni portas numquam præualituras asseruit. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resoluatur, quàm & vox Christi, & Maiorum traditio, & Canonum fulcit auctoritas, vt totam Ecclesiam semper ipsa dijudicet. [Sed cogitent magis, si quis in eis Religionis est sensus, ne prauitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum, hominesque Sedis Apostolicæ perpetua constitutione damnentur.]

Idem in epistola ad Anastasium Augustum. [Sed adhuc, inquit (loquens de eisdem hæreticis, & Schismaticis) Apostolicam Sedem sibi medicinalia suggerentem, superbam vocare, arroganremque contendunt.] Habet hoc qualitas sæpè languentium, vt accusent Medicos, congruis obsetuationibus ad salubria reuocantes, magis quàm, vt ipsi suis noxios appetitus depromere, vel reprobare consentiaur. Si nos superbi sumus, qui animarum remedia conuenientia ministramus, quid vocandi sunt, qui resultant? Si nos superbi sumus, qui obediendum paternis dicimus institutis: qui refragentur, quo appellandi sunt nomine? si nos elati sumus, qui diuinum cultum puro, atque illibato cupimus tenore seruare: qui contra diuinitatem quoque sentiunt, dicant qualiter nuncupentur: [sic, & nos cæteri, qui in errore sunt, æstimant, quod rerum non consentiamus insaniæ: vbi tamen spiritus superbiæ veraciter consistat, & pugnet, veritas ipsa dicat.]

Sanctus Leo Magnus, Poncifex epistola ad Episcopos per Viennensem prouinciam, quæ est in editione Louanien. 89. in tom. 1. Coucil. 67. Nobiscum itaque iuquit, vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reuerentia à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diuersarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractara, aut confirmata esse iudicia: adeo, vt reseruata vnitate spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quam solicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, diguitatem diuinitùs datam, nec Ecclesijs, nec Ecclesiatum Sacerdotibus arrogabat. [Sed hunc tramitem sempet inter Maiores nostros, & benè tentum, & salubriter constitutum Hilarius, Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus

tur

turbaturus, exceffit, iterum fuæ vos cupiens fubdere poteftati, vt fe beato Apoftolo Petro non patiatur effe fubiectum,] ordinationes fibi omnium per Gallias Ecclefiarum vendicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus, in fuum ius transferre dignitatem: [ipfius quoque beatiffimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo: cui cum præ cæteris foluendi, & ligandi tradita fit poteftas, pafcendarum tamen ouium cura fpecialis mandata eft. Cui quifquis principatum æftimat denegandum, illius quidem nullo modo poteft minuere dignitatem, fed inflatus fpiritu fuperbiæ, femetipfum in inferna demergit.]

Teftimonia SS. Patrum.

SAnctus Cyprianus Primas Africæ, & Mart. an. 240. lib. 1. Epift. 3. ad S. Cornelium Papam. Cæterùm dico, inquit, dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulfus, Quando Epifcopus in locum defuncti fubftituetur, quando populi vniuerfi fuffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in perfecutione protegitur &c. [cum talis, frater, à quibufdam defperatis, & perditis; & extra Ecclefiam conftitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet: non fcilicet Chriftus, qui facerdotes, aut conftituit, aut protegit: fed ille, qui Chrifti aduerfarius, & Ecclefiæ eius inimicus, ob hoc Ecclefiæ præpofitum fua infeftatione perfequitur, vt gubernatore fublato atrociùs, atque violentiùs circa Ecclefiæ naufragia graffetur.]

Idem lib. 3. Epift. 9. Hæc funt, inquit, initia hæreticorum, & ortus, atque conatus fchifmaticorum malè cogitantium, vt fibi placeant, vt Præpofitum fuperbo tumore contemnant. Sic de Ecclefia receditur, fic altare prophanum foris collocatur, fic contra pacem Chrifti, & ordinationem, atque vnitatem Dei rebellatur.

Idem lib. 4. Epift. 2. ad Antonianum. Factus eft, inquit, Cornelius Epifc. de Dei, & Chrifti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teftimonio, de plebis, quæ tunc affuit fuffragio, & de facerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante fe factus effet, cùm Fabiani locus, ideft, cùm locus Petri, & gradus cathedræ facerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noftrum confenfione firmato, quifquis iam Epifcopus fieri voluerit, foris fiat neceffe eft, nec habeat Ecclefiæ ordinationem, quia Ecclefiæ non tenet vnitatem [quifquis ille fuerit, multum licet de fe iactans, & fibi plurimum vendicans, prophanus eft, alienus eft, foris eft.] Et cùm poft primum, fecundus effe non poffit, quifquis poft vnum, qui folus effe debeat, factus eft non iam fecundus ille, fed nullus eft. Tum deindè poft Epifcopatum non exambitum, nec extortum, fed de Dei, qui facerdotes facit, voluntate fufceptum, quanta in ipfo fufcepto Epifcopatu fuo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos fimplici corde, & perfpicere penitus, & laudare debemus, fediffe intrepidum Romæ in facerdotali cathedra eo tempore, quo Tyrannus, infeftus facerdotibus Dei, fanda, atque infanda communicaretur, [cum multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduerfùm fe æmulum principem, quàm conftitui Romæ Dei Sacerdotem.]

Et paulò poft: [Quod autem quædam de illo Romano Pontifice S. Cornelio in honefta, & maligna iactantur, nolo mireris, cum fcias hoc effe opus femper diaboli, vt fernos Dei mendacio laceret, & opinionibus falfis gloriofum nomen infamet, vt qui confcientiæ fuæ luce clarefcunt, alienis rumoribus fordideutur.] Et paulò inferiùs: Sed & quod paffim communicare facrificatis Cornelinus tibi nunciatus eft, [hoc etiam de Apoftatarum fictis rumoribus nafcitur. Neq; enim poffunt laudare nos, qui recedunt à nobis: aut expectare debemus, vt placeamus illis, qui nobis difplicentes, contra Ecclefiam rebelles, follicitandis de Ecclefia fratribus violenter infiftunt.] Quare & de Cornelio, & de nobis quæcumque iactantur, nec audies facilè, nec credes frater.

Sanctus Hieronymus anno 380. in dialogo contra Luciferianos hæreticos, teftatur, illos Ecclefiam Catholicam Romanam lupanar appellaffe.

Sanctus Chryfoftomus Primas, & Archiepifcopus Conftantinopolitanus, Homil. in Pfalm. 13. [Vt diabolus, ita, inquit, etiam quilibet facit hæreticus vehementiffimus in tempore perfecutionis loquens cum Pontifice; nec cum vocat Pontificem; nec cum vocat Pontificem, nec Archiepifcopum, nec Religiofiffimum, nec fanctum. Sed quid? Reuerentia tua, Sapientia tua, Prudentia tua, Iuftitia tua, & nomina illi addunt communia, eius negans auctoritatem. Diabolus hoc tunc fecit in Deo.]

Sanctus Auguftinus Epifcopus Hipponenfis anno 400. tom. 7. lib. 2. cap. 51. contra literas Petiliani hæretici. [Cathedra, inquit, tibi quid fecit Ecclefiæ Romanæ, in qua Petrus fedit, & in qua hodiè Anaftafius fedet:] vel Ecclefiæ Hierofolymitanæ, in qua Iacobus fedit, & in qua hodiè Ioannes fedet, quibus nos in catholica vnitate connectimur, [& à quibus vos nefario furore feparaftis? Quare appellas cathedram peftilentiæ, cathedram Apoftolicam?] Si propter homines, quos pietas legem loqui, & non facere; numquid Dominus Iefus Chriftus propter Pharifæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt: cathedræ in quam fedebant vllam iniuriam fecit? Nonne illam cathedram Moyfi commendauit, & illos, feruato cathedræ honore, redarguit? Ait enim cathedram Moyfi fedent, quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. [Hæc fi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blafphemaretis cathedram Apoftolicam, cui non communicatis.]

Teftimonia Conciliorum.

COncilium Chalcedonenfe Generale; Epifcoporum 630. contra Eutychen, & Diofcorum anno 451. actione 3. teftatur Diofcorum hærefiarcham, SS. Leonem Pontificem Romanum excommunicaffe, quòd fuæ hærefi refifteret. [Sed quoniam, inquiunt, fecundis exceffibus priorem iniquitatem valdè tranfcen-

fcendit, præfnmpfit enim, & excommnnicationem dictare aduersùs fanctiffimum Archiepifcopum magnæ Romæ Leonem:] infuper etiam, & mulri libelli mulris eius pleni iniquitatibus contra eum in fancto, & magno Concilio oblati funt, & femel 2. & 3. regulariter vocatus minimè voluit obedire, & hos qui à diuerfis Concilijs regularitee damnari funr, contra diuinas leges fufcepit: ideò ipfe contra fe elicuit fententiam, fæpiùs Ecclefiafticos conculcans canones. [Vndè fanctiffimus Archiepifcopus magnæ Romæ Leo per nos, & per præfentem fanctam Synodum, vnà cum ter beariffimo, & omni laude digno beato Petro Apoftolo, qui eft petra, & ctepido catholicæ Ecclefiæ, & ille, qni eft rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Epifcopatus dignitate, quàm etiam, & ab omni facerdotali alienauit minifterio.]

Idem Concilium in Epiftol. ad fanctum Leonem Pontificem Romanum. Et poft hæc omnia, inquit, loquens de eodem Diofcoro hærefiarcha: [infuper, & contra ipfum, cui vineæ cuftodia à Saluatore commiffa eft, extendit infaniam, ideft, contra tuam quoque Apoftolicam fanctitarem.]

Concilium Conftantinopolitanum qnartum, quod eft generale octauum. Epifcoporum 383. anno 869. Canone 21. Definimus neminem prorsùs Mundi potentium, quemquam eorum, qui Parriarchalibus fedibus præfunt inhonorare, aut mouere à proprio throno, tentare; [fed omni reuerentia, & honore dignòs iudicare, præcipuè quidem fanctiffimum Papam fenioris Romæ,] deinceps autem Conftantinopoleos Patriarcham, deindè verò Alexandriæ, atque Antiochiæ, atque Hierofolymorum. [Sed nec alium quemquam confcriptiones contra fanctiffimum Papam fenioris Romæ,] ac verba complicare, vel componete liceat, fed occafione quafi diffamatorum quorumdam criminum: [quod & nuper Photius fecit, & multò ante Diofcorus. Quifquis autem tale facinus contra Sedem Petri principis Apoftolorum aufus fuerit intentare, æqualem, & eamdem quam illi condemnationem recipiat.] Porrò fi Synodus vniuerfalis fuerit congregata, & facta fuerir etiam de fancta Romanorum Ecclefia quæuis ambiguitas, & controuerfia oportet venerabilitet, & cum conueniente reuerentia de propofita quæftione fcifcitari, & folutionem accipere, aut proficere, & profectum facere; non tamen audacter fententiam dicere contra fummos fenioris Romæ Pontifices.

Submonitio ad Lectorem, & Conclufio.

EX his teftatiffimum, ac meridiana luce clarius euadit, quales moderni hæretici, & Nouatores noftri fæculi habeant maiores, quales fequantur Duces, quos tam ftrenuè, & audacter in criminanda Romana Ecclefia eiufque Summo Pontifice æmulantur; & ne degeneres fint, nouis, & maioribus criminationibus, ac calumnijs, atque blafphemijs, quibus Romanum Pontificem onerant, & lacerant etiam multis parafangis, fuperant: & cum ipfimet fint Antichrifti prodromi, & emiffarij, quem fanctiffima, & tota antiqnitas tanti fecit, & fieri volnit, & vt Chrifti in terris Vicarinm; & vniuerfalem Ecclefiæ Paftorem, ac Pontificem maximum ordinarium fancti Petri in Summo Pontificatu fucceflorem coluit confeffa, & venerata funt, Antichriftum ipfum appellarc, & vt talem abominari, deuonete, blafphemare, & condemnare non extimefcunt palàm, vt faciant, & prodant omnibus, fe cum fanctiffima antiquitate nihil commune, & Spiritum illum, quem Maiores, & Apoftoli, Apoftolorumque fucceffores, ac cultores, & omnes verè, & fincerè catholici habuerunt, nequaquam habere, fed illo, atque eodem fpiritu duci, & agitari, quo antiquos, & meritò ab vniuerfa Ecclefia damnatos hęreticos, fchifmaticos, & rebelles, atque feditiofos plerofque agitatos fuiffe, Patres allegati, quafi vno ore teftantur. Moliuntur quidem Nouatores, & tum hętetici, tùm fchifmatici, noftri fęculi, alios quofdam in medium adferre, qui Romano Pontifici fefę iam olim oppofuerunt, & illi contradixerunt: fed actum agunt, & fruftra laborant: numquam enim potuerunt, aut poterunt probare, veros, & finceros piofque Catholicos, Romanam Ecclefiam, aut eius legitimum Pontificem ita calumniatos, aut criminatos fuiffe, vt ipfi, inter fe aliàs diffectiffimi, & hoftiliter difcordes, conftanter, & impudenter faciunt, & inceffanter, diabolo inftigante, facere pergunt. Abufus quidem fubindè quofdam: & corruptelas morum reprehenderunt plerique catholici, & pij Patres, aut Scriptores, illofque fublatos & emendaros cupiuerunt: id quod & nunc à multis, imò omnibus pijs defideratur maximè, & in multis Oecumenicis Concilijs, & maximè quod poftremò habitum fuit, SS. Concilio Tridentino, morum quorumdam corruptorum, & abufuum (qui partim negligentia, aut ignorantia fuperiorum, partim etiam malitia hominum, quod rarum, aut mirum non eft, proh (dolor irrepferunt) tentata & pręfcripta fuit reformatio faluberrima iuxta, ac feriofiffima: nemo tamen ex veris, & finceris catholicis, idcircò aut fidem, aut authoritatem Ecclefię Romanę negandam, aut Pontificem eius fummum, pro ipfiffimo Antichrifto cenfendum, eoque nomine damnandum, & deteftandum, & aliam Ecclefiam fidemnè comminifcendam, aut fectandam putauit: fed ad vnum omnes; quotquot pij, morigeri, & generofi catholici fuere, Ecclefiam Romanam, vt cathedram Petri, & Ecclefiam Apoftolicam, & Epifcopum Romanum, & fupremum verę Chrifti, & Germanę Ecclefię Paftorem, Rectorem, & Pontificem in terris agnoueruut, confeffi, & venerati funt femper per vniuerfum terrarum Orbem, vti ex illis, quę hactenus viginti quinque capitibus allegata, & comprobata funt, apertiffimis, facerrimifque teftimonijs SS. Pontificum, Patrum, Conciliorum, & Imperatorum, cuiuis cordato, & pio Lectori euidenter fatis, & apodicticè demonftratum effe etiam, atque etiam confido.


Supereft igitur, vt quotquot veri, & finceri Chriftiani effe, & inter electas Chrifti oues cenferi, ac per Chrifti iuftificari, atque faluari cupiunt, & præter infamiæ, atque

excom-

excommunicationis, aliarumque grauissimarum pœnarum, æternæ etiam, certissimæque damnationis discrimen, atque periculum euitare desiderant: vt & Christum vnicum suum, & totius Mundi mediatorem, reconciliatorem, & Saluatorem, ac Principem, æternumque Pastorem corde credant, & ore, atque opere, iuxta fidei catholicę dictamen pręscriptumque confiteantur, & visibilem quoque eius pro tempore in terris Vicarium, & inter ministeriales Pastores, Summum Pontificem, atque Pastorem sanctissimum Petrum Apostolum (qui Romanam sub Christo primus fundauit, & rexit Ecclesiam) eiusque ordinarium, & legitimum successorem, Romanum pro tempore Episcopum, visibilis Ecclesię, visibile, & ministeriale caput, necnon supremum, & minimè fallacem in omnibus Ecclesię, & Religionis controuersijs Iudicem, iuxta sacræ Scripturę, & Sanctorum Patrum constantia, & conspirantia testimonia, agnoscere quoque confiteri itidem, & audire non erubescant; illique propterea, vt Christi in terris supremo Vicario, & sancti Petri successori, debitam in omnibus, & præ omnibus reuerentiam, atque obedientiam in Christo promptè fideliterque præstare non graueuter, neque detrectent.



FRAN-



FRANCISCI A S. AVGVSTINO MACEDO

Minoritæ Conimbricensis, Lusitani, Magistri Philosophiæ, Theologiæ Professoris, & in Vrbano de Propaganda fide Collegio Controuersiarum Lectoris: Sanctæ Inquisitionis in Vrbe Qualificatoris.

DE CLAVIBVS PETRI.

Franciscus à S. Augustino Macedo Patria fuit Lusitanus ex Ordine Minorum Conuentualium, ibi varijs sese artibus deuouit, præcipuè verò Philosophiæ, ac Theologiæ, in qua post diuturnum studium declaratus est Lector Iubilatus. Ordinariam deinde habitationem habuit Venetijs, cuius Reipublicæ factus est ciuis. Memoria nulli secundus, & superior Petro Comestori, qui omnia velut deuorauerat, & tamquam proprium nomen recordabatur, quippe retinebat quidquid legerat, innumeros libros diuersis ætatibus euoluerat, eosque præsentissimè seruabat, & quod fidem omnem excedit, nisi tot testes haberet, quot admiratores, & Auditores numquam ipsum memoria defecit, ideoque vocata infallibilis. Mentem verò quadam immensitatis prærogatiua (vt ita dicam) dotatam habuit, Scientiarum vastissimam Enclycopediam complectentem, & quod de vllo alio vix audias, non solùm in nulla liberali arte fuit hospes, sed in omni excellentissimus. Romæ in pluribus Basilicis, & in quampluribus alijs ciuitatibus sustinuit, theses de omnibus prorsus scientijs, & quamplures problematicè, ad quas accurrebant prima Sapientumcapita, proponebant difficilimas, quisque in sua materia quæstiones, & post exactissimam solutionem auditam non credebant potuisse fieri, quod audierant iam factum. Romæ, Venetijs, & ferè in omni celebri ciuitate hanc inter omnes alias mirabiles theses, arduam sustinuit, super quamcumque scientiam, materiam, & quæstionem dicere extemporaneè, & omni carminum methodo, qua quis vellet, & ea felicitate interrogantibus respondit, vt longiùs studium gloriam, & fęlicitatem ijs carminibus detrahere potuisset, non addere. Ipsum consulebant nostri Æui Sapientissimi, ipsiusque consilia velut oracula reputabant: Inter quos Eminentiss. Cardinalis De Noris Historiam Pelagianam, & quintæ Synodi, vbi præcipuè omnium calculis, palmam reportauit, ipsum habuit Auctorem, & promotorem, alioquin opus illud, vt fatetur condere moliebatur sub modio, non erigere super Candelabrum. Erat inter alios docta Amicitia, & deinde docta concertatio successit. Peragrauit Macedo diuersissimas Prouincias, & Vrbes vbique exceptus primis Cathedra-

drarum honoribus, & vbique maiori, quo poterant gradu allicientibus. In Luſitania præter Domeſticos gradus Religionis Regi Luſitano Ioanni IV. Chronologus Latinus, & acceptiſſimus fuit. In Gallia Reginæ Annæ Concionator eximius, eiuſdemque prudentiſſimus Conſiliatius. Romæ S. Officij Qualificator. In Propaganda fide Controuerſiarum Lector, in Romana Sapientia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magiſter, plura onera ſimul tulit, adhuc tantis humeris non paria. In Patauina Academia Ethicæ fuit Profeſſor, in omni parte clariſſimus. Hanc autem maximè adhibuit in ſe ipſo, cùm fortunæ grauiſſimis iactatus caſibus conſtantiam maximam retinuit, & ſenſit ſupplicium criminis non ſui, & ipſe non fleuit; quem omnes fleuere, lugente toto terrarum orbe hominem omnes partes ad vnguem explentem fuimet ipſius ità funebrem tragædiam excitaſſe, vt Pierius Valerianus, ſi iſto extitiſſet tempore in ſuo de Infelicitate literatorum libro inter præcipuos collocaſſet infelices. Vixit autem annos 88. & mortuus eſt die 1. Maij Anno 1681. Extat in ingreſſu Conuentus S. Mariæ Aræ Cœli lapis Marmoreus cum eius effigie, & elogio illi erecto à P. Michaele Angelo Farolfo à Candia Prædicatore S. Palatij Apoſtolici &c. vbi aſſignatis iiſdem annis, & eius mortis, & eius vitæ dicitur ipſe profectus ad ſuperos Paduæ; quamuis de loco, diuerſa ſentiamus. Scripſit autem Franciſcus in omni penè ſcientiarum genere. Scripſit verſu quamplurima, & ſoluta oratione, in Philoſophia, in Theologia tum ſpeculatiua, tum dogmatica, in materia SS. Patrum; in quibus erat verſatiſſimus, præcipuè D. Auguſtino cui per plurimos annos totum ſe deuouerat, & cuius in materia de gratia in ſuis concluſionibus citat Auctoritates innumeras, vno denique verbo ſcripſit in omnibus, & ſeptuaginta volumina vaſtum illud ingenium peperit; quamplurima etiam Manuſcripta reliquit, quæ apud prædictum P. Michaelem Farolfum eius diſcipulum non degenerem ſeruantur. Ne igitur tam longum librorum cathalogum attexamus, ſufficiat ea innuere, quæ ad noſtrum pertinent inſtitutum. Scripſit ergo de clauibus Petri, de Papæ auctoritate, & dignitate, Teſſeram Romanæ Auctoritatis Pontificiæ aduerſùs Thomam Anglum, Schema de Infallibili Auctoritate Summi Pontificis in Miſterijs fidei.

DISSERTATIO PRIMA.

De Clauibus Petri.

CAPVT PRIMVM.

Quid Clauium nomine intelligatur.



Laues quid propriè, lariuéque ſignificent omninò conſtat; de tranſlato agimus, & qui à proprio cum virtute deducitur ſenſu, quem qui allegoricum dicat ſapiet, cùm tranſlatio ad allegoriam gradus ſit. Claues igitur per tranſlationem ius, & poteſtatem, & poſſeſſionem ſignificant; vt claues dantur, is Dominus, & poſſeſſor inſtituatur. Huc ſpectat ſolemnis illa, quæ fieri ſolet Principibus, & Magiſtratibus Vrbes, quibus præſunt, ineuntibus clauium traditio, perinde enim eſt claues tradere, ac ius concedere, conceſſumque monſtrare, quod animaduertit Bellarminus lib. 3. de pœniten. cap. 2. Stapletonus Cont. 2. lib. 6. & Cornel. in Matth. 6. verſ. 6. & Maldonatus ibid. Interdum ſolus vſus, & cuſtodia rerum clauibus ſignificatur, vti cùm veteres Romani claues vxoribus ſuis dabant, vt quæ domi eſſent adminiſtrarent, & cuſtodirent, itaque apud quem ſunt claues, is vel ſuo iure poſſidet, vel alieno, quod claues, aut proprium dominium, aut vſum alieni ſecum afferunt. Hoc item ſenſu in ſacris literis claues accipi, multis, ac illuſtribus locis probatur. In primis illo Iſaiæ 22. num. 22. ad Eliachim figuram, & typum Chriſti. [Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius, ideſt Principatum,] quemadmodum vertit Paraphraſtes Chaldaicus [Dominium domus Dauid;] de quo cap. 9. num. 6. idem Propheta perſpicuè dixerat: [Factus eſt Principatus ſuper humerum eius: deinde altero Apoc. 3. Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit;] hoc certè, niſi cui vni ſumma poteſtas ſit, nemo vindicare ſibi poteſt, vt non modò, quem velit admittat, quem nolit excludat, ſed nemini, vel aperiendi, vel claudendi contra quàm ipſe velit, alteri locum relinquat. Eſt tertius, qui rem contineat in eadem Apoc. cap. 21. [Habeo claues mortis, & inferni, vbi Chriſtus ait, Andrea Cretenſi auctore, abſolutam in anima, & corporis mortem poteſtatem habeo;] quæ iuſta, & idonea interpretatio eſt. Adijcio quartum Lucæ 11. n. 52. [Væ vobis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ,] vbi Chriſtus Phariſæis

risæis obiectat superbiam, qua sibi legis scientiam ita arrogabant, vt cùm Sacras Scripturas suo sensui seruire cogerent, nemini interpretandi copiam facerent: Vnde Ambrosius ser. 8. vertit. [Absconditis clauem scientiæ obruendo claues, auferendo vsum, claudendo cœlum:] quod alio Matth. loco 23. n. 13. continetur; in quo Christus: [Væ vobis, inquit, Scribæ, & Pharisæi, quia clauditis regnum cœlorum.] Animaduertere quippe oportet vsum istius datæ potestatis, verbis aperiendi, & claudendi significari; nam in loco Isaiæ citato subijcitur; [aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat;] quod totidem verbis ab Euangelista in proxima Apocalypsis sententia reperitur, & in textu Matthæi eodem sensu vsurpatur, [Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcumque solueris;] quibus verbis, non aut restringitur potestas, aut minuitur, sed solemniter explicatur, & in vsum, actumque reducitur.

Ex his locis apparet quisnam huius apud Matthæum loci [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] sensus sit, significant enim claues ius, & potestatem exercendam circa Regnum Cœlorum, quemadmodum tradit Chrysostomus hom. 55. & hoc Matth. loco Hilarius, & Augustinus serm. 28. de sanctis, quem illius esse non dubitem, & sanctus Leo serm. 2. in anniuersario die solemni Assumptionis suæ, Diuus Gregorius Magnus, lib. 4. epist. 32. cuius sententiam, quod rem contineat, afferre volo; [liquet quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est.] Ecce potestatem, accipe instrumentum, & pignus, & symbolum; [Ipsi quippe dicitur. Tibi dabo claues Regni Cælorum.] Cum igitur hoc sit germanum vbique clauium significatum, siue sacræ, siue prophanæ literæ spectentur, idque omnes ad eum locum Catholici interpretes obseruent, post. D. Thomam, Strabum, & Lyram, vti videre est in Maldonato, & Barradio, Guilliaudo, & Cornelio nullus vmquam de hac re, Catholicus auctor dubitauit, Cuiusmodi tamen sit hæc potestas de eo quæritur, nosque propriè quæstionem instituimus.

CAPVT II.

De potestate Clauium variæ Catholicorum auctorum sententiæ.

OPinationem hæreticorum commemorauimus, & seorsim, quod hæresis est indubitata, posuimus; nec enim qui Catholico Senatu sunt moti, eos dicere sententiam patimur inter eos, qui Catholici sumus. Antequam respondeamus supponimus potuisse Christum, si vellet, communicare Petro vtramque potestatem, tùm Regiam, tum Pontificiam, cùm ipse; & Rex natura, & sacerdos esset, atque adeo ius quoddam excellentiæ in vniuersum orbem, & omnes creaturas haberet; de quo latè nos, & accuratè in libro, quem adornamus contra calumnias Anglicanas, & qui prope diem lucem videbit, disputamus, nunc calamum ab ea quæstione abstinemus, & quid Christus, & quatenus Petro cum clauibus concesserit inquirimus.

Prima igitur sententia Catholicorum est: nomine clauium intelligi vniuersalem quamdam, & plenariam potestatem in Ecclesiam Dei; & hanc ipsam potestatem ex Politica, Ecclesiasticaque compositam, easque ambas Petro, & successoribus esse collatam, ita vt traditione clauium Petrus tum Politicus Princeps, tum Pontifex Summus institutus sit, atque adeo Dominus Orbis terrarum; Ita multi Canonistæ cum Hostiensi in capit. Quod supra his, de voro, & voti redemptione, & Panormitan. in cap. nouit. de iudicijs; & nonnulli Theologi cum Aluaro Pelagio libro 1. de planctu Ecclesiæ cap. 13. & Augustinus Triumphus in sum. de potestate Ecclesiæ quæst. 1. art. 1. & Sylvester in sum. Vniuersit, Papa §. 2. ac imprimis Azor. institut. par. 2. lib. 4. cap. 19. & lib. 10. capit. 2. & Franciscus Bozzius Eugubinus toto libro integro de temporali Ecclesiastica Monarchia; quibus accedit Angelus Petricca Sonninus in sua Turre Dauidica lib. 2. ad 1. Qui limite vtuntur nullo, adeo vt exponant claues esse Regiam potestatem, seu Principatum, conferantque cum claui Dauid facta super humerum Christi ab Isaia Propheta prędicta, vt fit, ille habet clauem Domus Dauid, ita Petrus dominium vniuersalis Ecclesiæ à Christo acceperit, & successoribus per manus cum clauibus tradiderit, quam sententiam acutè, & eleganter in vtramque partem, & qua supremam: & qua perpetuam in Ecclesia potestatem significant commentarijs in locum Matthæi suis Maldonatus confirmat, quo sensu latissimè funditur clauium significatio.

Secunda sententia: Claues aliquantum restringit ad potestatem Ecclesiasticam; cæterum quanta illa est totam clauibus comprehendi docet, eamque plenitudinem (sic appellat) potestatis datam in Clauibus Petro à Christo affirmat. Eius auctores sunt Poggius lib. de potestate Papæ, & Concilij in responsione ad argumenta contraria, & in argumenta pro potestate Papæ; & Stapletonus lib. 6. Controu. Fidei cap. 1. & Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 13. & Suarez de pænit. dist. 16. sen. 4. Bzouius lib. de Romano Pontifice capit. 6. & Bouerius in Consultat. Orthodoxa par. 2. consultat. 5. & Layman in Theologia morali tract. de legib. §. 1. de Summo Pontifice, qui ad omnes prorsus formas, & rationes iuris, & potestatis Ecclesiasticæ, nulla excepta, clauium notionem, extendunt, atque adeo vniuersalem potestatem ijs contentam, ac per eas transmissam ad Petrum, & successores esse affirmant; quarum Summam facit Bellarminus, cùm eam Summam in omnem Ecclesiam potestatem appellat, quo illam modo Suarez vniuersalem dicit. De hac sententia meminit Ioann. XXII. cap. quia quorumdam de Verborum significationibus num: 14. & ibi Glossa; & Nauarrus. Hoc opinor sentit Petricca, quamquam limitem illum Ecclesiasticum non adhibuit.

Tertia non minus est fusa, sed magis distincta sententia, cùm tradit clauibus Scientiam, & potestatem significari, vt clauis vna

1.c

sit doctrinæ, altera potentiæ, sicuti interpretatur Glossa moralis claues Dauid. Isai, 22. Scientiæ, ait, & potentiæ; Quæ duo capita omnem Ecclesiasticam potestatem continent docendi, & regendi; hæc tribuitur quibusdam Theologis dicto capit. quorumdam, & improbatur ibi à Ioanne Papa, & Glossa, & à Nauarro de pęnit. dist. 1. capit. voluissent 5. ex ijs. Tradidit tamen eam perspicuè Chrysostomus hom. 55. in Matth. affirmans [Claues Petro promissas significare magnam potestatem, & dominium ineffabile,] & adhuc manifestiùs homil. 33. [Claues Regni Cælorum ei concessit, totamque ei potestatem commisit.] Iisdem penè verbis reddit sanctus Maximus homil. 5. de SS. Petro, & Paulo. Cum eo sentit Caietanus tom. 1. tractatu 3. de Romano Pontifice capit. 5. vbi ait plus significare Claues Matth. 16. quæ committuntur soli Petro, quàm Ioann. 20. datam potestatem remittendi, & retinendi, quia Papa supra ceteros Episcopos habet illuminare, &c. quæ sententia placet Suario de pænit. distinct. 16. sen. 4. num. 8. & Maldonato comment. in Matth. etsi minimè Bellarmino probetur lib. 1. cap. 12. 5. verum.

Quarta communis est, per claues potestatem ordinis, & Iurisdictionis intelligi; ita idem Panuinus cap. 4. & 5. & Henriquez libro 6. de Sacramen. sen de pænit. 3. capit. 1. num. 4. & capit. 4. in commen. & Cornelius commentarijs in locum Matth. 16. Sed quoniam potestas ordinis partim circa corpus Christi verum, partim circa mysticum versatur; vti obseruant Theologi in 4. distinct. 18. cum Dino Thom. ibique quæst. 1. art. 1. quęstion. 2. & Canonistæ in cap. voluissent, 5. & ijs de pæniten. dist. 1. cum Nauarro ibidem, bipartita est horum auctorum sententia; quidam enim nulla prorsus distinctione vsi ad vtramque potestatem trahunt; vti sunt Authores citati, alij remota potestate ordinis circa Corpus Christi verum, quam huius loci esse inficiantur, Claues ad illam tantùm potestatem restringunt, quæ in corpore mystico continetur. Sed neque hi prorsus conueniunt; itaque in duas diuersi abiere sententias.

Quintam efficiunt, qui interpretantur Claues de tota potestate in corpus Christi mysticum, quæ in Sacramento ordinis confertur, siue ea sit iudiciaria, siue non; dummodo ad curam, & salutem fidelium ordinetur: qua ratione extendunt illam ad Sacramentorum omnium ordinariam administrationem; ita censent multi Theologi cum Patribus apud Suarez tom. 5. de pænit. disputat. 16. sess. 6. & significat Henriquez lib. 3. de pænit. cap. 2. num. 1. & 5. & Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. & fauet D. Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 11. & lib. 50. homil. hom. 23. & Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 56. & Chrysostomus homil. 86. in Ioann. & lib. 3. de Sacerdot. & Cyprianus epist. 73. idem de epist. 76. aliàs lib. 1. epist. epistola 6. Pacianus epist. 3. ad Sympronian. tom. 1. Biblioth. & Isidorus libro 2. de Diuinis officijs cap. de baptismo.

Sexta, & vltima, & celeberrima est: per Claues propriè, & solùm significari potestatem iudiciariam, quæ in pænitentiæ Sacramento, eiusque partibus exercetur; hęc est strictissima; & exactissima, quæ cæterarum amplitudinem coercet, & ad Tribunal Confessionis sistit. Hanc perspicuè tradit Ioannes XXII. Extrauagante, quia quorumdam cap. 5. tit. 14. & ibi glossa, quæ citat glossam ad instar. & Magister Sententiarum in 4. distinct. 8. & ibi Scholastici cum D. Thoma quæst. 1. artic. 3. & Scoto quæst. 4. Sequitur Nauarrus de pænit. distin. 1. cap. voluissent 5. ex ijs, & dist. 6. capit. placuit num. 47. & Bellarminus lib. de pænit. cap. 2. & amplificat Henriquez lib. 3. de pænit. Sacram. capitulo 2. 3. & 4. & Suarez de pæniten. dist. 16. sen. 1. 2. Hinc illa clauium definitio conciunnata à Ioanne 22. & recepta à Nauarro vbi supra; [Clauis est facultas ligandi, & soluendi, qua Iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet à Regno.] in hac sententia perinde est Clauis, ac potestas iudiciaria remittendi, & retinendi peccata, & illa verba, [Tibi dabo Claues Regni Cælorum,] cum illis alijs reciprocantur, [& quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in Cælis,] vt nihil inter vtramque sententiam intersit, sed ista secunda sit interpretatio primæ. Huic sententiæ videtur fauere Concil. Triden. session. 14. cap. 1. & 2. & 5. & Can. 3. ac præcipuè 15. vbi sic loquitur de Clauibus, vt nihil eas à potestate soluendi, ligandique distinguat, quod apparet collatis inter se, 1. 2. & 5. capitibus; quam enim cap. 1. & 2. potestatem remittendi, & retinendi peccata dixerat, cap. 5. eam virtute Clauium in iudicio Confessionis exerceri pronuntiat; & canon. 3. ita definit. [Si quis dixerit verba illa Domini Saluatoris, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pænitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem huius Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Euangelium anathema sit.] Ex quibus locis paret perinde esse soluendi, & ligandi munus in confessionis iudicio, atque clauium potestatem. Et verò cap. 6. sic vetat, ne quis illam significationem clauium pro potestate soluendi, & ligandi Episcoporum, & Sacerdotum propriam ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscuè extendat, vt videatur eam soli huic Sacramentali iurisdictioni addixisse.

CAPVT III.

Fertur iudicium de prædictis sententijs.

Videbitur fortasse cuipiam Ioan. 22. authorem huius sextę, & vltimę sententiæ, reliquas, & imprimis tertiam de claue scientię damnasse, & inducta illa definitione clauium, alio sensu claues accipi posse omninò vetuisse. Pręterea Concilium Tridentinum nusquam claues à potestate soluendi, & ligandi separasse; imò eas illis tantummodo addixisse, vt apparet cap. 6. & Can. 3. atque adeò alias significationes improbasse. Verum omnes illę sententię sunt catholicę, & erroris exper-

expertes; nec earum est vlla, vel à Ioaone, vel à Concilio damnara; quemadmodum examinando singulas apparebit. Illud primum animaduertendum: nullam ex superioribus sententijs iudiciariam huiusmodi potestatem exclusisse, sed omnes, eam ramquam partem illius vuiuersalis potestatis admisisse.

Secundum obseruandum, authorum illarum senteotiarum quosdam in definiendis clauibus solius Petri, eiusque Pontificum successorum, atque adeò capitis, & supremę in eo potestaris rationem habuisse: alios verò ad fideles, & membra Ecclesię respexisse, quibus clauium vsus communicari potuit; proindeque rationem quandam communem clauium spectasse, & definijsse; quare qui Petro propriè claues attribuerunt, potestatem Clauium extenderunt: qui commuoiter Ecclesię, contraxeruut. Igitur posteriores tres sententię, quod de corpore Ecclesię cogitabant, de porestate communi Episcopis, & Presbyteris claues intellexerunt; tres autem priores pro suprema, & vniuersali potestate claues vsurparunt.

Itaque incipiendo ab vltima, & sexta sententia. Hęc sumit claues, quoad sensum arctissimè, quoad personas larissimè, vt: significanr porestatem iudiciariam, quę in Sacramento pœnitentię exercetur, conuenitque omnibus Sacerdotibus, quorum est peccata soluere, & ligare, quę potestas promissa est à Christo Petro iu hoc cap. 16. & Apostolis paulò post cap. 18. illis verbis; [quęcumque alligaueritis super terram, erunt ligara, & in cœlo, & quęcumque solueritis super terram erunt soluta, & in cœlo.] Et dara Ioan. 20. uum. 22. [Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta snot.] Iraut hęc omnia loca eamdem sententiam contineant, & ad omnes prorsus Ecclesię Sacerdotes pertineant; quę doctrina habetur cap. quia quorumdam, vbi dicitur in collatione ordinis Sacerdotalis claues conferri, per quas Sacerdotes conscieotiarum Iudices instituantur, & de pœnitentia dist. 1. cap. multiplex, & dist. 6. cap. 1. & cap. quem pœuit. 21. dist. in nouo, & cap. pastoralis, & cap. noua de pœniteotia, & remissione, & sumitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. & sess. 23. cap. 1. in & Florentino in z. Quartum, & sub Eugenio, & Constantiensi in Bulla Martini V. contra errores Ioannes Hussij, & Basileeusi in oratione Hentici aduersùs articulum tertium Bohemorum, & late glos. cap. quorumdam, & Nauarrus de pœnit. dist. 6. cap. placuit à num. 45. & Bellarm. lib. 3. de confess. cap. 2. Post Patres Hieronymum epist. 1. & 50. Chrysostomum l. 3. de Sacerd. cap. 4. Ambrosium lib. 1. de pœnit. cap. 7. Augustinum lib. 20. de Ciu. Dei cap. 9. & Greg. hom. 26. in Euaogelia.

Quinta addit de seusu, detrahit de personis. Addit enim eam partem potestatis ordinis, quæ versatur circa corpus Christi mysticum, & continet confessionem, & administrationem aliorum Sacramenrorum, quæ iudicialis uon est; detrahit eoim de personis, quia cum sint Sacramenta, quæ nou possunt, nisi ab Episcopis confici, & administrari, vti pater ex doctrina Sacramenrorum. Non omnium Sacerdotum est ea porestas; atque adeò extendente se clauium vsu, numerus personarum restringitur, etsi aliunde rursum quodammodo extendatur, nam baptismus potest à quolibet fidelium in casu necessitatis administrari; atque adeò latissimè funditur, hæc potestas nullo excepto genere personarum · quamuis hæc non nisi [propriè clauium potestas, sed abusiuè, cum in necessitate potiùs permittatur ille vsus, quàm conferatur potestas. Quare minùs placer, hæc sententia, & quod impropriè loquitur, & fauet hæreticis conantibusclauium porestatem vulgare, & vsum earum accipere, & promiscum reddere.

Quarta rursum auger sensum, personas item auger; nam cum eam partem potestatis Ordinis, quæ versatur circa corpus Christi verum admittat, eaque sit par in omnibus Sacerdotibus, neminem eorum excludit. Equidem duas istas porestates Ordinis, & Iurisdictionis Clauium nomine vocari, & numerus innuit, & sensus suader, qui vterque iustus est, ac vti sunt claues distinctæ, ira sunt diuersæ potestates; quemadmodum deducitur ex Tridentino sess. 23. cap. 1. & can. 1.

Hæc suur tres posteriores Sententiæ, quæ cum & potestarem Clauium, non solius Petri, & successorum propriam, sed communem in cœteris Ecclesiæ membris efficiunt, de quibus ego sic iudico; Re quidem veras esse, sed à loco Matthæi, quem expouimus, alienas. Itaque bonas existimo, aptas non puro, nam certè Christus hoc loco proprium quiddam Petro promisit, quod cum alijs commune esse noluit; quare alios esse locos Euangelij, in quos ille quadrent sententiæ, at de quo hic Matth. 16. agimus in eum certè accomodari non posse iudicamus, vti opportunè monstrabimus.

Restant priores tres sententiæ, quarum prima latiùs, quàm par est funditur, si nomine clauium Regiam quoque, & temporalem velit potestatem complecti; nam hæc aliena prorsus est ab instituto Christi, vndè oppugnanda est omnino illa Vox Regia, quæ etsi claui Dauid conueniat, in clauem Petri minimè quadrat.

Tertia eodem vitio laborat, si scientia de omni doctrinarum genere intelligatur, perinde, ac Petrus sapientissimus fuerir, & successores futuri sint, cum id oeque requiratur, neque verum sit Petrum, & successores hoc scieutiarum genere excelluisse, vri obseruat cap. Quorumdam citarum, nam S. Maximus serm. vlt. de Sanctis Petro, & Paulo ait: [Clauem potentiæ Petro, clauem autem Sapieotiæ Paulo] donaram fuisse. Quòd si velit nomine scientiæ facultatem discernendi verum à falso, & authoritatem definiendi res fidei accipere, id sanè admitti debet, cùm hæc pars scientiæ in moderatore Ecclesiæ deesse non possit, de quo nobis suo loco dicendum.

Verùm quidem est Henriquez clauem scieutiæ solam authoritatem iudicialem coguoscendi de causis auimæ: idest peccatis, & illorum circumstantijs ioterpretari, l. 3. de pœnit. Sacram. cap. 1. qui sensus minus mihi certè probarur, cùm videam August. lib. 2. contra Parmen. doctrinam per claues significatam latiùs, & fusiùs sumere, quod etiam

ait

ait lib. 50. hom. homilia 23. idque placere Suario tit. 4. de Penit. dist. 16. sect. 1. asser. 2. num. 4. vbi allegat Hieronymum, & Origenem: sed animaduerto eumdem Henriquez lib. 3. cap. 3. in comment. probare contrariam sententiam asserentem clauium potestatem datam Petro multò plus continere, quàm illam, quæ data est Apostolis in Cœnaculo, Ioan. 20. remittendi, & retinendi peccata. Vndè colligo Henriquez non negasse claues latiùs patere, quàm sit confessionis tribunal, sed voluisse dicere huiusmodi iudicium confessionis partem illius esse Clauium potestatis; quod item video summo, & Theologo, & interpreti Maldonato in Comment. ad Matth. loeum num. 19. placuisse.

Secunda sententia omninò probanda, quæ per claues totam rationem potestatis Ecclesiasticæ, quæ ad gubernandam Ecclesiam necessaria est propriè intelligit, eique nos subscribimus; hæc enim iusta, & germana interpretatio est, & loco, & causæ hærere agnoscitur, quemadmodum proximè monstrare incipiemus.

Hac ennmeratione sententiarum peracta, patet eum solum sensum damnari, qui hæreticus est, claues nihil aliud significare, quam potestatem annuntiandi Euangelium, & docendi remissionem peccatorum à Deo esse, qui hæreticus sensus est, quem damnat Concil. Tridentinum sess. 14. can. 3. vbi ait eum, qui detorserit sententiam Christi contra institutum Sacramenti Pœnitentiæ anathema esse; vndè cum solum huiusmodi sensum condemnet, reliquos catholicos esse demonstrat. Itaque non vetat Concilium aliter interpretari claues, sed tantùm vetat, ne quis hæretico illo sensu interpretetur, quod significat Suarez de pœnit. disp. 16. sess. 1.

Quod autem attinet censuram Ioan. 22. latam aduersùs dicentes scientiam clauibus contineri: Resp. Pontificem non damnasse interpretationem clauium pro potentia, & scientia cùm multi Sancti, & interpretes eam tradiderint, ac imprimis S. Maximum quem supra citauimus sermone vlt. de sancto Petro, & Paulo, sed solùm damnasse errorem illa interpretatione abutentium: qui dicebant non posse Pontifices mutare decreta, & sententias ab alijs prædecessoribus latas, & quod ab vno semel decretum esset, ac definitum, id ratum semper, & constans fore, quod ad vsum clauium pertineret: ad idque subtiliter distinguebant inter clauem scientiæ, & potentiæ, & affirmabant in ijs, quæ ad clauem potentiæ spectabant, liberum esse Pontifici facta reuocare, negabant verò licere in ijs, quæ ad clauem scientiæ pertinebant, proindeque quod semel à Pontifice traditum esset, impossiterum reuocari non posse confirmabant, Quòd etsi de definitionibus in materia fidei verum sit, in alijs certè decretis verum esse non potest. Ac ne quis in eum errorem incideret, clauem scientiæ minùs probauit, & ad auctoritatem discernendi, & dijudicandi inter causam, & causam illam restrinxit.

Quod autem alij de vi, & potestate clauium sensus tuti, ac idonei sint, liquet ex eo quod Ioannes ipse illos in textu nomine aliorum proferens non improbat, sed prauum eorum vsum reprehendit, vti in textu apparet. Imò producto sensu vniuersalis illius potestatis per claues significatæ, & Petro concessæ indicat, illum idoneum esse, dum ait, [Videntur euidenter omnia concessisse sine, quibus Pastoris vniuersalis conuenienter cura nequit, seù officium expediri.] Quem tamen vetat sinistrè accipi, & ad errorem detorqueri.

CAPVT IV.

Nostra sententia proponitur, & aperitur.


ETsi nobis secunda sententia probetur, oportet tamen eam exponere, & perspicuè docere. Primum: non potest vis, hæc & potestas clauium deprehendi, nisi priùs constet, cui personæ sit facta huiusmodi clauium traditio. Nam certè aliter tradi solent claues Regibus, & Dominis, aliter custodibus, & clientibus: ac ex personarum, quibus traduntur conditione, & statu apparet, quid per claues communicetur. Dominis quippe ius, & potestas, cæteris custodia, vsusque committitur. Quare nisi, antequam de clauium vi, & potestate agamus, constet cui, vel quibus personis illæ sint à Christo tributæ, in eatum significatione inuestiganda oleum planè, operamque perdemus. Duobus autem modis personæ venire in quæstionem possunt. Altero propriè, altero figuratè. Rem latinè explico. Quilibet homo, & persona est, & personam gerit, aliud est, & aliud interdum repræsentat. Expono ciuiliter: Est in homine vera, & ficta persona: Vera naturam continet: ficta munus, & dignitatem. Vndè vna, & eadem persona per naturam constituta, potest multas sustinere personas, hoc est, multa obire omnia, & gerere Magistratus. Hinc est quod bene latinè dicitur; Hæc persona agit hanc personam. Quod tractum est ex scena, in qua exhibentur, aguntur que personæ. Pro personarum autem varietate varia, & diuersa ornamenta existunt reciproca vicissitudine, vt quid cuique conueniat, ex dignitate, & quæ cuique conueniat dignitas, ex persona spectetur.

Igitur in hac traditione Clauium duo genera hominum, personarum plura considerari possunt: duo illa sunt; vnum Petrus solus, alterum Petrus cum Apostolis; hæc duo à natura humana sumuntur, eamque sectantur. Ad personas transcamus. Erant in Petro, quædam singularia, vti Primatus Ecclesiæ. Erant quædam cum alijs communia, vti Apostolatus, & Presbyteratus. Rursus in Apostolis erant alia propria ob munus Apostolatus. Alia eum cæteris fidelibus communia. Hæc pertinent ad personas. Necesse igitur est distinguere, quid in Petro Christus attenderit, cum claues dedit, nam si in eo rationem capitis, & Principis Ecclesiæ respexit, cùm ei claues tradidit, summam & plenam potestatem concessit, atque adeò illam claues significant. Sin voluit in Petro Apostoli personam attendere, quas ei claues dedit in eatum partem Apostoli venerunt, nec nisi communem omnibus potestatem claues designant. Rursum si Apostolis, quæ Apostolatus

tus propria erant concessit, ea extra Apostolatus officium extendi nequeunt. Siu aliquid vltra Apostolatus dignitatem contulit, id ad quem gradum est deductum, ad illum nos omnino perducet.

Illud insuper sumimus: Petrum, vti caput, & princeps erat claues accepisse, non vti singularis, & mortalis homo, quo cum claues essent periturae, sed vti princeps repraesentabat Ecclesiae personam, itaut pro se, & successoribus illam acceperit clauium potestatem. Quod in primis obseruat Augustinus, saepe affirmans Petrum Ecclesiae, tum gessisse personam. Quod etsi bifariam possit intelligi, vtroque ille sane sensu dixit, vti apparet ex Comment. in Ioan. tract. 50. & in psalm. 108. & lib. de Agone Christiano cap. 30. & serm. de Apostolis. Idem probatur 24. quest. 1. cap. legatur, & dist. 19. cap. ita Dominus, quod suo infra loco accurate monstrabimus. Et confirmatur à Gelasio ad Faustum, & Leone ad Episcopos Viennensis Prouinciae, & serm. 3. in die anniuersario assumptionis suae, & Innocentio IV. in cap. 1. de homic. in 6. & Beda Homil. de festo Apostolorum. Ac illud item vindicamus; si Apostolis datae sunt claues, ab illis ad eorum quoque successores claues transmissas esse. Ædificabat enim Christus, & ornabat Ecclesiam suam, non euertebat, & deformabat, atque adeò constantem, aeternamque reddebat.

Author igitur sum: Claues datas esse à Christo vni Petro, vti capitis, & principis Ecclesiae personam gerenti, vt ei amplissima potestas in clauibus concessa sit, quae ad omnes rationes, & formas iuris dominij, & potestatis Ecclesiasticae omnino extenditur. Consultò Ecclesiasticae dixi; non quod putem Petrum, & successores non posse ius, & dominium saeculare habere, cum & possint, & habeant, sed quod ijs per claues directè à Christo collatum spirituale, & Ecclesiasticum dominium fuit, ad regendam, & administrandam Ecclesiam accommodatũ. Vtrùm autem Christus seculare illud genus dominij Petro negauerit, vti haeretici contendunt, & vtrùm potestas illa spiritualis ad temporalia se obliquè, & vt aiunt indirectè extendat; aliae quaestiones sunt suis locis agitandae. Itaque secundam inter connumeratas sententiam sequimur, eamque hic exponimus, & aperimus, quae accuratiùs, & expendenda est, & confirmanda.



DD



DISSERTATIO II.

De Persona, cui Claues tradita sunt à Christo.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm verba Christi Tibi dabo Claues Regni Cælorum soli Petro, an reliquis item Apostolis conueniant?



Negant Hæretici Petrum Caput, & Principem Apostolorum fuisse, et pernegant Claues vni, ac singulari datas, vt nihil ille inter cæteros excellat, vbi caput exetit, deprimunt, ne omnino caput sit; quin, et quod Roma Terrarum Orbis caput est, negant Romæ vnquam fuisse. Sed bene est, quod dum ista effutiunt cerebrum amittunt. Aiunt illud, [Tibi,] nihilo magis ad Petrum, quàm ad Iacobum Ioannemque, et cæteros attinere. Petrum hic omnium personam sustinere, suam deponere: Vertumnum, Protheaue imitati, imò, et vltra Geriones, et Herylos ire, cum hi tricorpores, et triformes fuerint, Petrus corporum, animarumque congeries, cumque illum caput Christum constituerit, Hæretici, si superis placet, multa illi capita attribuunt, Lernæa bellua truculentius Monstrum fingunt, et quod in Briarei brachijs poetica fecit licentia, in Petri capitibus hæretica præstat audacia. Ferrem id moderatiùs, si illi sentirent congruentiùs. Nam quidquid præclarum, et illustre de Petro Euangelium prædicat, id ei omne adimunt, et in alios transferunt. Si quod autem, aut inhonestum, aut ignominiosum (nam homo erat) idem Euangelium de Petro commemorat, id continuò illi attribuunt, et commune cum cæteris esse nolunt. In quo certè non modò ab Euangelio, verùm etiam à se ipsis dissentiunt. Cum dicitur Petro, [Tu es Petrus, Tibi dabo Claues, Pasce Oues meas,] Petro, non dicitur, sed omnibus, perinde, ac ad omnes illa pertineant. Cum dicitur. [Vade Satana ter me negabis.] Petro haud dubiè dicitur, et nemini alij dicitur. Sic sapiunt Hæretici, quòd desipiunt. Nos cum audimus, [Tu es Petrus,] de Petro cogitamus, illi de saxo cogitant. Cum accipimus. [Tibi dabo Claues.] Petrum intelligimus, illi tupem intelligunt, et cum latinissimi sint, ne sint, Romani, Latini esse nolunt, imò, et homines esse desinunt, quòd voces non percipiunt. Rursum vbi audimus, [Vade Satana: ter me negabis: non dubitamus, quin Petro sit dictum, à quo nihil humanum, quòd homo is esset, alienum putamus. Candido ingenio sumus, verba non adulteramus. Id tantùm agimus, vt quod in Petro sanctum, et præclarum est, Deo, Gratiæque tribuamus, quod est vitiosum, et turpe, Petro assignemus.

Est tamen Hæreticis suus fucus ad textum eludendum. Aiunt illius sententiæ: [Tibi dabo Claues eum sensum esse, qui alia proxima continetur, [et quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, et in Cælis,] etc. hunc verò communem esse, cum illo alterius sententiæ Matt. 18. quæ ad omnes Apostolos pertinet. [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, et in Cælo, etc.] Quod si hi tres sensus inter se nexi sunt, et cohærent, perinde est dicere Petro [Tibi dabo Claues, ac omnibus vobis dabo Claues:] cum per [Claues] eadem potestas significetur. Hæc ratiocinatio haud est absurda, dummodo nil erroris colligat, negando quidquam Petro singulare fuisse concessum, Quod quia Hæretici negant, perperam interpretantur, quia non negant Catholici, aptè intelligunt; etsi quidam sic ratiocinentur, vt potestatem Clauium de potestate tantùm iudiciaria Sacramenti Pœnitentiæ, vti proximè diximus, accipi velint. Itaq; inter Catholicos, et hæreticos, illud interest, quòd Catholici in hac potestate communi iudiciaria Petrum excellere, ac præstare cæteris dicunt, Hæretici inficiantur.

Nostra sententia est Christum in hac sententia, [Tibi dabo Claues Regni Cælorum,] ad solum Petrum, vti erat futurus Princeps, et caput Ecclesiæ sermonem direxisse, nec traditionem Clauium alijs præter eum promissam fuisse; atque adeo partem illam textus, [Et quodcumque solueris super terram,] ad eumdem Petrum pertinentem, aliud distinctum significatum habere: nec esse iustam paraphrasim superioris de promissione clauium sententiæ, et multò minus textium illum locum cap. 18. relatum, [Quæcumque alligaueritis super terram,] promissionem Clauium continere, eiusue interpretationem esse, imò, et ab altera simili potestate ligandi, et soluendi facta Petro longè distare, quod multo sit minus, quàm Petro Apostolis concessum. Erit itaque ista sententia explicatio illius primæ vocis, [Tibi,] et intra terminos significationis versabitur.

As-

Assero igitur soli Petro Christi sententiam conuenire. Primò, quia hic est sensus naturalis, et proprius: qui enim dicit, [Tibi,] designat personam singularem, cum qua loquitur: nec aliam admittit numerus singularis, in quo est vox, [Tibi .] Secundò, quia hoc, [Tibi, versatur circa propriam personam Petri, cui munus clauium promittitur. Tertiò, quando Christus secundùm phrasim, et stylum Euangelij vtitur particula illa, [Tibi semper] coercet, et stringit significatum à pluribus ad vnum, vt non posset ad alios extendi; Quemadmodum obseruant interpretes ad locum illum Matthæi [Puella Tibi dico surge .] Et ad alterum locum Lucæ [Adolescens Tibi dico surge :] Igitur eumdem stylum Christus seruauit erga Petrum cum dixit [Tibi dico] num. 18. et iterum [Tu es Petrus,] et nunc, [Tibi dabo Claues.] Ineptum quippè esset terminum restrictiuum ad vnum, ad alios velle extendere. Si dicamus cùm Christus Lucæ 7. dixit Magdalenæ [Remittuntur tibi peccata tua,] omnibus mulieribus peccata remisisse, et cùm Latroni in Cruce dixit, [Amen dico Tibi, hodie mecum eris in Paradiso, cunctis latronibus Paradisum aperuisse.

Quartò, quia quando Christus multis promittit, & donat, solet vti termino plurali significante multos: vti cum dicit [Sedebitis, & vos, Ecce dedi vobis potestatem, dabo vobis os, & sapientiam, Pacem meam do vobis. Fiet vobis, Paraclytum dabit vobis. Mittam vobis à Patre.] Ergo cum dicit, [Tibi,] non vult promittere, vel donare multis, nisi vni tantùm.

Quintò, quia nulla certa ratione posset Christus manifestiùs, & expressiùs dicere velle, se vni Petro donare clauem, quam ista omnino plena, & naturali. Si dicant illud Hæretici alio modo clariùs, & manifestiùs. Sanè non poterunt. Nam si vni velint significare se dare aliquid, non alijs verbis vtentur, quàm ijs, [Tibi volo dare,] Si igitur Christus voluit Petro promittere, quibus alijs verbis promitteret, quàm quæ hic expressit, [Tibi dabo claues?]

Addo nouum pondus rationis huic sententiæ; [Tibi dabo.] maiorem adhuc habet vim vox ista, [Tibi,] ad exprimendam singularem Petri personam, quàm habeat in priori sententia, [Tu es Petrus, & super hanc petram.] Nam ibi nomen Petrus vltra proprium, & naturalem Petri sensum extenditur ad translatum petræ, vnde quod proximè sequitur potest etiam petræ conuenire, atque adeo translatæ significationi accommodari, etsi semper adhæreat personæ singulari Petri; at verò posito, [Tibi,] nil interest inter [dabo Claues,] quod possit ad translatum sensum pertinere. Quare non defuerunt, qui mysticam significationem Petræ secuti, dixerunt Petram esse Christum, vti Glossa interlinearis, & Lyra cum Augustino; vel fidem, & confessionem ipsam Petri, vti Hilarius Nyssenus, Chrysostomus, Cyrillus, Ambrosiaster, apud Maldonatum, vel longiùs posito sensu quemcumque fidelem; & iustum, vti Origenes in eum locum. Quas interpretationes non patitur vox hæc: [Tibi,] cum sit intra naturalem significationem, & proprio sumatur sensu. Quod si quis dicat istud, [Tibi,] referri ad illud [Tu es Petrus.] Et quo sensu dictum fuit, [super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] eo accipiendum, [Tibi dabo Claues,] hoc est sensu mystico: respondeo idcirco Christum de nouo posuisse terminum, [Tibi,] vt omnino personæ singulari illum addiceret; prætereà hunc sensum [Dabo Claues,] minus aptè quadrare in Petrum vti petram figurat, cùm petra spectet ad fundamentum; Clauis ad imperium: petra ad sustinendum, Clauis ad regendum. Petrus vti petra, passiuo sensu accipiatur, super quem ædificetur Ecclesia, vti Minister Clauium, actiuo sumatur, qui præficiatur Regno Cœlorum; æque adeo vti petra patiatur, vti Clauiger agat. Ex quo apparet multòmagis conuenire Petro, vti singulari habere Claues, quàm munus Petræ gerere. Quare si communis Patrum, & interpretum, quæ iam publicam fecit fidem sententia, [Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] intellexit de persona singulari Petri, non de communi cætu Apostolorum, certè nemo non fateatur his verbis, [Tibi dabo Claues] proprium vnius munus esse, & singulari prorsus addici, quod nos alijs argumentis probare aggredimur.

CAPVT II.

Soli Petro vti Principi, & Capiti Apostolorum datas Claues, idoneis argumentis probatur.

Huiusmodi sunt, quæ ad vocis significationem pertinent argumenta. Proponam, quæ è re ducuntur. Primum esto, Claues quibus, vel ius, vel potestas, vel custodia continetur non solent pluribus impertiri, sed vni committi, & tradi, cùm illa munia, fiduciam dantis, & fidem accipientis præferant: & qui tradit rem subiectam clauibus, seruare integram, & custodire intactam velit. Igitur cùm Petro Christus claues promittebat, vni agitabat committere, non alijs communicare. Atque id obseruandum diligenter est, Christum numquam Apostolis, cùm varias potestatis formas dedisset, Clauium nomine dedisse, sed soli Petro hac ratione concessisse; quòd voluit constare, quid inter eum, ac cæteros interesset. Quare cum ijs multa, & sæpè donauerit, Clauium semper nomine, vsque abstinuit. Nempe communia omnibus concessit, singularia Petro reseruauit. Itaque tam procul est à verò Christum, cum promisit Claues, voluisse donum illud commune facere, & Petrum cum cæteris confundere, quàm propè est à Fide, hac traditione clauium prærogatiuam Petro concedere, illumque à reliquis secernere voluisse.

Secundum sit. Christus hìc dominium, & potestatem tradidit Petro, vti verbum, [Dabo,] significat; non congruebat autem, vt Christus illud dominium pluribus traderet: id quippe esset non ædificare, sed euertere, non instituere, sed destruere. Ecquis enim cùm Dominum, aut Principem creat, multos creare vult, aut Principes, aut Dominos? Igitur dominium Christus discerptum, & dilaceratum per multos minime diuidebat.

Sed

Sed integrum, & stipatum, collectumque vni tradebat. Quòd autem verbum, [Dabo,] translationem, & traditionem dominij significet; patet ex lege. Traditio, ff. de re donata, & l. duo, ff. de precario, & l. tertia, ff. de acquirenda possessione: vti docent Authores ibi.

Tertium sumitur ex re, in qua versantur Claues. Ea Regni Cœlorum nomine significatur. Ac primùm, Regnum, qui tradit vni, tradit, quòd Regnum ab vno Rege, non à pluribus administrarur, nam quæ administratur à pluribus, Respublica, non Regnum dicitur. Quare claues istæ Regnum hoc loco aperiunt pluribus ingredientibus, claudunt regentibus. Monarchia quippe in Regnum quadrat, non autem Democratia, aut Aristocraria, quæ Principatus plurium ferunt. Iam verò vox [Cælorum,] omnino sibi vindicat sensum singularem, & vetat communem fieri. Siue enim (de quo aliàs commodiùs agemus) Ecclesiam, siue Cælum significet, non potest erga Ecclesiam, & Cælum, aut in vtroque par omnium esse potestas. Cùm Ecclesia vna sit, & sponsa, & Columba, quæ vni tantùm desponderi, & destinari solet; & Corpus Christi mysticum cum sit purum, & integrum, vno constet capite, & plura excludat. Verum autem sit adhuc multò potiùs, & integriùs natum ex vnica Virgine, nec consortium alterius Parentis admiserit. Cælum verò vnam, & perfectam societatem perfectissimam contineat supra, & extra fidem, & charitate, & Beatitate formatam. Igitur erga quamcumq; Petri iurisdictio exerceatur, ea non patitur distrahi, & secari, ne vtraque pariter secta in partes distrahatur.

Quartum huiusmodi est. Christus cum se Ioan. 10. [Pastorem] ter, & bis, [ostium] vocaret, de ostiario meminit, quem sanè Petrum esse iure confirmo, cui ad aperiendum, & claudendum ouile claues datæ. Non temerè dico, cùm Hilarius Petrum [Ianitorem cælestis Regni] vocet, & Doctores cum Ecclesia eodem nomine Petrum, [& Clauigeri, & Clauicularij] soleant vocare. Quam prærogatiuam inter cæteros tulisse author est Bernardus [lib. 2. de Consideratione cap. 8.] Vnde deduco claues vni Petro attributas; nam Christus, qui vnus erat Ostij loco, non debuit multos ostio præficere, cuius si multi Ianitores essent, illud vulgare, & profanum fieret. Igitur vnum tantùm instituit ostiarium, vnicum eum fore designans, quemadmodum, & vnum ostium erat futurum. Itaque dixit: [Huic Ostiarius aperit,) qua ratione dicendi vnum eum esse significauit.

Quintum sic habet. Ex collatione duorum Euangelij Textuum apertè colligitur, Christum per claues, Petro tamquam Capiti vniuersalem potestatem dedisse. Hoc loco Matth. 16. promittit se daturum claues, [Tibi dabo Claues.] Promissa præstat Ioan. cap. vltimo dicens Petro: [Pasce Oues meas.] Atqui hoc soli Petro dixit. Ergo, & soli Petro dixit, [Tibi dabo Claues.] Quo argumento nihil esse potest, vel aptius, vel solidius. Et quòd in eo totius rei summa est, volo illud ex omni parte munire. Promissionem hic fieri (præterquam quod verbum, [Dabo,] de futuro monstrat) tradunt communiter Interpretes: impletam autem promissionem fuisse cap. illo Ioannis eorumdem sententia est. Ita D. Gregorius lib. 4. epistolarum epistola 32. Cyprianus lib. de Vnit. Ecclesiæ, Bernardus lib. 2. de consider. & habetur 22. dist. cap. 2. & 21. cap. in nono, & ibi Glossa, & Nauarrus de Pænit. dist. 5. cap. Ex ijs nu. 5. & Poggius argumento 30. & Suarez dist. 16. de Pænit. sect. 2. & Grauina tom. 4. Controu. 7. & alij apud Maldonatum. Matth. 16. Quibus addimus Bedam in cap. 22. Lucæ. Longiora omitto, breuem Bernardi sententiam affero; [Tu es, cui claues tradiræ, cui oues creditæ sunt,] Perinde, ac præfectura clauium idem esset, ac Pastura Ouium. Cui prorsus consentit Bonifacius VIII. extrauag. [vnam Sanctam de mai. & obed.] qui ex ore Bernardi videtur accepisse. His argumentis constat vni Petro propriè Claues à Christo traditas fuisse. Cuiusmodi autem hæc potestas fuerit, & quomodo in Petro fuerit, & ad successores translata, & in alios deriuata, quæstiones sunt suis locis agitandæ.

CAPVT III.

Obiecta contra doctrinam positam adducuntur, & soluuntur.

TRifariam oppugnari solet ab Aduersarijs doctrina proposita, quæ Petro Claues penitus addicit. Primò sic, Claues datæ sunt Petro ad remunerandum, quòd Christi Diuinitati testimonium reddidit, cum dixit, [Tu es Christus filius Dei viui,] atqui illud omnium ore, ac sensu, non solitario, ac proprio suo reddidit, igitur, & quod præmium confessionis accepit, id est claues, commune omnibus esse debuit. Maior est indubitata. Minor apparet ex textu, nam responsio interrogationi congruit. Christus verò omnes interrogauit, [Vos autem quem me esse dicitis.] Cum igitur Petrus respondit, pro omnibus respondit, atque adeo, quod accepit præmium, illud omnibus correspondit. Ac ita textum explicant Interpretes, & Glossæ, qui & omnes interrogatos, & Petrum omnium nomine confessum dicunt, vti Chrysostomus homil. 55. in Matth. Hieronymus hîc, & Augustinus serm. 13. de verbis Domini secundùm Matthæum, qui Petrum idcirco [Os Apostolorum, appellarunt:] quibus consentit Lyra, & Glossa ordinaria, & Interlinearis, & probant nonnulli recentiores, in quibus est Guilliaudus hoc loco.

Secundò ita. Petrus cùm confessus, & remuneratus est, personam Ecclesiæ gerebat: nec priuatum agebat hominem, sed communem Fidelium cætum repræsentabat. Igitur quidquid dixit, & accepit, non est priuari hominis, sed Ecclesiæ. Assumptum est Ambrosij in principio sui Pastoralis. Augustini multis in locis Tract. 50. & 118. & 124. in Ioannem, & serm. 13. de verbis Domini in Matth. & lib. de Agone Christiano cap. 30. & in psalmum 118. & Leonis serm. de Apostolis, quos sequitur Ioannes Andreas de summa Trinitate, cap. 1. & Archidiaconus 24. quæst. 1. & alij. Ergo ad Ecclesiæ membra eadem, quæ in Petro est potestas transijt, atque adeo non est vnius tantùm propria, sed communis.

Tertium huiusmodi. Illa vis, & potestas clauium non est alia, quàm quæ à Christo exposita

posita est illis verbis sequentibus. [Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in Cælis.] ita vt hæc sententia sit paraphrasis alterius, [Tibi dabo Claues Regni Cælorum,] vt idem vtriusque sit sensus, & si primus figuratus, secundus proprius, & simplex, quod Patrum, & interpretum commune placitum est, nosque proximè animaduertimus. Cum autem potestas hæc ligandi, atque soluendi cap. 18. Matth. & Ioann. 21. omnibus sit Apostolis à Christo collata cum dixit, [Quæcumque alligaueritis, &c. & Quorum remiseritis peccata, &c.] quemadmodum iidem obseruant Authores, sequitur item Claues ad omnes pertinere.

Hæc sunt, quæ contra opponi solent, & possunt argumenta; eaque sic soluuntur. Primò damus Petrum pro omnibus respondisse, & os quodammodò omnium fuisse: negamus tamen eo quidquam Petro, aut de merito, aut de præmio detractum. Imò & assumimus eum vti Principem, & prærogatiuam aliorum omnium in se causam recepisse, quod ipsum argumento est, maiore illum, quàm si pro se solus responderet, præmio dignum fuisse. Vnde aliud est pro se solùm, aliud solum pro omnibus respondisse. Itaque dixisse pro omnibus non tollit, quòd solus dixerit: quo sanè multum Petrus meruit, nulla etiam facta dicendi mora, ne cui cunctari videretur testimonium Christo Diuinitatis dedit. Vnde cum dixerit solus, constat præmium, cum pro omnibus dixerit, augetur meritum. Nisi fortè, qui vnus causam agit communem, publica in se suscepta persona, is minùs meretur, quòd de Republica benè meretur. Qua ratione necesse est affirment, Horatios, aut Decios, aut Curtium, aut Mutium cùm se pro patria deuouerunt, multum de merito erga patriam remisisse.

Stemus Euangelio. Ecce audito Petro Christus ad eum sermonem conuertit, iis verbis vsus, quæ illum à cæteris secernerent. Iam illum nomine appellat suo, Simon. Iam Patrem designat, Bar-Iona. Iam beatum prædicat, Beatus es, non vti alibi, Beati estis. Seuocat, seiungitque à Congregatione mortali, Caro, & sanguis non reuelauit tibi, ne quis à sanguinibus ductam confessionem crederet. Vni reuelationem Patris addicit, Pater reuelauit tibi. In eo verò summa vis est, quod vti Petrus Christo dixerat, Tu es Christus Filius Dei viui, vt eum à cæteris Prophetis, quorum vnum homines Christum esse dicebant, secerneret, & vnigenitum Dei esse affirmaret, ita Christus Petro dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram, ne illum cum cæteris misceret, imò à cæteris maximè distingueret, & par pari redderet. Nihil enim hic posuit Christus, quod non ad secretionem Petri à cæteris spectaret. Cum vocauit Simonem, quod alius erat adiecit Bar-Iona. Deinde Petrum vocauit, quod nomen ipse Petro indiderat, cum in eum intuitus dixit, Tu vocaberis Cephas, vt quod promiserat, redderet. Toties tu, & tibi, singulariter dixit, quòd eum à cæteris segregabat. Ac nescio quid vltra desideretur, vbi ne voto quidem plus optare quisquam possit. Quod si quòd omnium Apostolorum ille sensus erat, omnium illa fuit confessio, cur non dixit Euangelista: similiter, & omnes Discipuli dixerunt, vti est in Matthæo cap. 26. & Marco cap. 14. Sin autem, quod Petro à Christo tributum commune item cæteris erat, necesse est eùm Christus paulò post dixit Petro, [Vade Satana,] vt omnes discipuli Satanæ appellentur. Sanè Petrus suam hìc sententiam expressit, nam aliter hìc se gessit, quàm alibi Matth. 19. cum dixit: [Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.] Vnde hìc non tam quid cæteri sentirent, quàm quod sentire deberent, significauit, & docuit.

Verùm dato: Confessionem hanc Petri omnium commune fuisse, quòd Christus omnes interrogauit, vos autem quem me esse dicitis? negari certè non potest præmium fuisse proprium Petri, quòd auctor confessionis fuerit, Tu es Christus. Si enim quòd omnes Christus rogauit ad omnes pertinet confessio, quare cùm soli Petro dicatur, Tu es Petrus, & tibi dabo claues, non vnius Petri præmium erit? cùm eius vnius confessio audita fuerit? quod si adhuc nolint acquiescere, reponam quod conuincat. Nempe locum Ioan. 21. vbi implera est promissio. Hìc enim Christus solùm Petrum interrogat: Petre amas me? & penitùs à cæteris discipulis discernitur, Diligis me plus his? nihil hìc commune cum reliquis, omnia sunt singularia, nomen, Simon Ioannis, iterùm Petre, amor, amas me: præmium, Pasce oues. Vt si fides fuerit communis, certè amor fuerit singularis: imò & non potuit esse communis: nam Christus præstantiam, & excessum amoris quæsiuit, quo solus Petrus cæteris præstaret, Diligis me plus his? perinde ac non communem amandi rationem, sed singularem quemdam modum exigeret, quem remuneraret. Quod omnino singulari Dei prouidentia factum fuit: ne quis vti prętextu communis interrogationis fidem omnium esse dixerat, & prçmium commune, ita & ansam errandi in amore captaret. Itaque voluit, inducta interrogatione priuata, confessionem singularem exprimere. Quo primum penitùs soluitur argumentum.

Ad secundum respondetur. Augustinus duplici modo hunc locum exponit, nam is è re sacra ducit, plures vni loco sensus adhibere, quòd sciret Spiritum Diuinum esse sensibus fœcundum. Itaque, & de persona Petri accipit, vti caput est, & Princeps Apostolorum, & de Petro Ecclesiæ personam gerente intelligit. Qui certè sensus non opponuntur, cùm hic secundus inuoluat primum. Eo enim accepto dicimus Petro item Ecclesiæ personam gerenti, siue Ecclesiæ in Petro datas esse claues: quod est prorsus verum, cum in Ecclesia Christi claues sint. Non sequi autem ex eo, quod sint claues in Ecclesia, Petrum iis carere, nec Petro adimi, cum dantur Ecclesiæ. Petrus quippe in Ecclesia erat, etsi non esset tota Ecclesia. Igitur cùm Ecclesiæ datæ sunt, Petro ademptæ non sunt. Imò quòd Petro dentur, & ille repræsentet Ecclesiam, argumento est illum caput esse Ecclesiæ, à quo tota potestas in Ecclesiam emanaret. Nec enim Petrus Ecclesiæ personam sustineret, nisi Princeps, & Moderator illius esset. Nam certè non quinis priuatus totius Reipublicæ gerit personam, sed Rex, aut Princeps Reipublicæ.

blicæ. Præterea Christus non dedit claues Ecclesiæ, vt in eo corpore essent confusè sine ordine, sine discrimine, qua ratione inepta, & inutilis administratio esset, sed vt iuxta corporis, & membrorum proportionem illarum vis, & potestas dispensaretur in totum corpus, quo sanè modo apta, & vtilis administratio fieret. Vnde cùm Petrus esset caput, cæteri membra, illi claues, vti capiti tradendæ, alijs pro conditione, vsuque membrorum communicandæ.

Quod si nolint hæretici nomine Ecclesiæ, nisi corpus tantùm intelligi, vt confusè dentur, facilè refutabo exemplis. Etenim cum dicimus: Romæ Consulatus fuit, non negamus Consules fuisse homines priuatos. Rursùm cum dicimus Imperium penès Germanos est, non inficiamur in vno Imperatore esse: igitur cum fatemur claues esse in Ecclesia, non idcircò in Papa esse negare possumus. Quod si velint, vt in Ecclesia sit potestas eligendi personam, cui claues dentur, quemadmodum in Romana Republica, & in corpore electorum Germaniæ est facultas eligendi Consules, & Imperatores, non abnuimus ab Ecclesia eligi Pontificem, cui claues dentur, cum eo discrimine, quòd potestas, & electio Regum, & Imperatorum datur, & fit à Republica, quòd sit humana, at verò potestas clauium non datur ab Ecclesia, sed à Christo, quòd sit Diuina.

Est autem hæc responsio ad mentem Augustini, qui vbicumque Petrum Ecclesiæ figuram dicit, vocat eum primum, & Principem Apostolorum, vt doceat ideò Ecclesiæ personam gerere, quia caput erat, & idcirco clauium potestatem habiturum, quia Princeps futurus erat. Illud sufficiat dixisse tract. 124. in Ioann. [Cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam.] Altius item aliud cogitauit Augustinus, ex quo nos id olim in tessera Pontificia Londini edita obseruauimus, à Christo Domino claues in Petro Ecclesiæ datas, ne quis putaret vni homini morituro eas committi, sed Ecclesiæ æternum victuræ, in qua futuri semper essent Petri successores, quibus claues per manus traderentur, & à quibus illæ perpetuò administrarentur.

Tertiùm dupliciter diluitur. Primò negando, nihil aliud contineri clauibus, nisi potestatem ligandi, atque soluendi, perinde ac ligare, & soluere idem sit, quod claudere, & aperire; nam si perinde esset, perissologia esset, & otiosa locutio omninò à Christo aliena. Deinde ipse modus loquendi indicat diuersam esse sententiam. Hic enim sunt tres sententiæ. Prima, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Secunda, & tibi dabo claues regni cœlorum. Tertia, & quodcumque ligaueris super terram. Singulæ suis coniunctionibus nexæ, & vinctæ puncto: præterea aliud est aperire, & claudere, aliud ligare, & soluere. Nam aperire, & claudere clauium est, & in portis cœli exercetur. At ligare, & soluere non est clauium, sed funium, qui non circa cœli portas, sed circa homines versantur. Ecquis enim dicat ligari portas, & solui? certè non magis, quàm homines claudi, & aperiri. Quemadmodum igitur homines non clauduntur, nec aperiuntur, ita nec portæ ligantur, nec soluuntur.

Quod si negamus hoc loco idem esse munus clauium, & funium, certè multò magis negamus idem esse, quando Apostolis data est potestas ligandi, & soluendi; nam si in Petro duæ sunt formæ potestatis, quomodo non erunt in Petro, & Apostolis distinctæ?

Sed quoniam video Augustinum, & discipulos, inter quos est Fulgentius de Fide ad Petrum, & Beda in cap. 21. Ioan. cum glossa, & Lyra, alijsque pluribus has duas sententias eiusdem sensus esse affirmare, ac perinde valere, claues, & funes, aliter soluendum est argumentum. Nempè alio modo claues Petro, alio Apostolis datas. Petro, & successoribus cum ampliori facultate, quàm Apostolis, & Episcopis futuris; quemadmodum Maldonatus in Matth. c. 16. & Suarez disp. 16. de Pœnitentia cum Caietano, quem supra adduximus tom. 1. tract. 3. de Rom. Pontif. c. 5. interpretantur. Proinde etsi vtrobique tradita sit à Christo potestas ligandi, & soluendi, non tamen eadem ratione, ac æquali potestate cum Petro, vti capite, suprema; cæteris vti membris, etsi ampla, tamen subordinata concessa sit. Huius rei argumentum est, quòd Christus hanc potestatem nomine clauium Petro dedit, Apostolis non dedit. Quo, inquit Maldonatus, [Significatum est Petrum instar Domini, claues apud se habuisse.] Id nemo meliùs vidit Origene, etsi nimio acumine sententiam corruperit. Obseruat quippe alijs Apostolis dictum, erunt soluta, & in cœlo, numero singulari, Petro autem dictum, erit solutum, & in cœlis, numero plurali, quasi Petrus in omnibus prorsus cœlis amplissimam, Apostoli in vno tantùm cœlo angustam potestatem habuerint. Quod certè acutè, sed ineptè dictum; supremam tamen Petri potestatem confirmat.



DISSERTATIO III.

De constitutione, amplitudine, & distinctione potestatis Clauium.

CAPVT PRIMVM.

An potestas Clauium sit spiritualis, & Ecclesiastica, an temporalis, & politica?



Vm Claues significent ius, & dominium: istud autem duplex sit, spirituale, & temporale, & claues communi sensu duæ sint, quæstio esse potest, verùm claues Petri, vtrumque ius, & dominium comprehendant; qua in re sunt tres sententiæ.

Prima est, claues vtrumque dominium comprehendere, atque adeò Christum datis clauibus Petro, & successoribus, summam in spiritualibus, & politicis potestatem dedisse. Ita Panormitanus cap. nouit. de Iudiciis. Hostiensis cap. quod super his de Voto. Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ cap.13. Augustinus Triumphus in summa de potestate Ecclesiæ quæst.1. art. 1. & Syluester in summa V. Papa cum alijs, quos Dissert.1. cap. 2. citauimus. Fundantur in eo, quòd Christus Vicarium instituit Petrum, Christo autem data est Clauis Dauid, idest principatus omnis generis. Isai. 22. cui nimirum data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Matt.vlt. [Qui est Rex Regum, & Dominus dominantium.] Apocalyp.19. Igitur, & Vicarius Christi vtramque habet, exerceetque potestatem.

Secunda sententia est hæreticorum, qui non solùm negant Pontificem esse Dominum temporalem, imò & capacem huius dominij esse negant: itaque pugnare cum clauibus dominium quoduis politicum affirmant. Ita Caluinus lib.4. instit. cap.11. Petrus Martyr. in cap.3. ad Rom. Brentius in prologomeno contra Petrum. Magdeburgenses centuria 1. lib.2. & Centuria 8. Ratio est, quia Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, non regnare: ac ipse dixit, [Regnum meum non est de hoc Mundo,] Io.18. Deindè natus est subditus Augusto, eique vectigalis. Lucæ 2. Pauper vixit, & obijt. Igitur docuit nullum fore dominium temporale ijs, quos Vicarios relinquebat.

Tertia sententia docet. Claues quidem directè nullum temporale dominium importare, sed indirectè tamen admittere, nullatenus verò illud excludere. Ita Turrecremata lib.2. summæ cap.113. Caietanus in Apologia cap.13. Victoria quæst. 2. de potestate Ecclesiæ, Soto in 4.dist.25.quæst.2. Sanderus lib. 2. cap.4. Bellarm. de Rom.Pont. lib.5. cap.1. & seqq. Bzouius de Rom. Pontif. à cap. 41. per multa capita. Quam quia rectè expositam veram iudicamus, per conclusiones hic exponemus, & confirmabimus.

Prima conclusio, potestas clauium spiritualis est, & Ecclesiastica, nec temporalem, & politicam ex ratione sua comprehendit. Probatur primò ex ipsomet textu Euangelij, quòd ait, [Tibi dabo claues regni cœlorum,] non Regni terrarum. Secundò, quia claues datæ sunt ob titulum merè spiritualem, idest confessionem fidei, ergo præmium spirituale significare debene. Tertiò, quia Christus constituit Petrum Pastorem Ouium suarum, [Pasce Oues meas,] postquam dixerat: [Regnum meum non est de hoc Mundo,] ergò spirituale tantùm dominium concessit. Quartò, quia Christus dicitur Pastor, & Episcopus animarum, igitur earum tantùm dominium tradidit. Quintò, Christus venit in mundum, non tamquam Rex politicus ad gubernandum, sed vti Saluator ad saluandum; ergò Petrum instituit similem sibi. Sextò quia Christus Reges in suo statu reliquit, & nihil ijs detraxit dicens, [Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari,] Matth.22. vbi notandum est verbum, Reddite, quod significat debita, non donata. Septimò, quia turbato Herode ob Christi Natiuitatem, inquit Ecclesia, [Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.] Octauò, quia Christus soluere tributum solitus erat, vt apparet Matth.17. vbi Petrus id innuit, & notat in eum locum Maldonatus. Nonò, quia Paulus dixit ad Rom.13. [Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, idemque appellauit Cæsarem, Cæsarem appello; Tandem quia in actibus Apostolorum, nulla temporalis iurisdictio à Petro, & Apostolis exercetur, sed ea omnis ad animarum salutem confertur. Alia quæstio est, vtrùm Christus vti homo Rex fuerit temporalis, de qua Maldonatus, Matth. 27. num.11. vbi id negat, citatque pro se August.Tr.in Ioan.115. & bonos, vt ait Theologos. Certè vt ille Rex fuerit, personam Regis

Regis in hoc mundo non egit, nec Vicarios suos agere ex ratione sua voluit. Omnes autem locos de Regno Christi, de spirituali Ecclesiæ Regno intelligit Augustinus.

Secunda conclusio. Claues non excludunt temporalem potestatem, vt per eas non liceat Pontificibus habere dominium temporale, quodcumque sit, modò iustum sit. Probatur primò, quia ista dominia non pugnant inter se, nec posito vno excluditur alterum. Patet tum ratione, tum scripturis, tum vsu ipso. Ratione, quia sicuti homo constat animo, & corpore, ita & princeps potest spiritualia, & ciuilia administrare: quòd si natura vtrumque admisit in corpus physicum, non est cur non admittat in morale. Deindè Deus, & per se gubernat omnia, & per Angelos custodit animos hominum, & agit cœlestia corpora, & terrestria item conseruat. Scripturis confirmatur, quia Melchisedech Sacerdos, & Rex fuit: Moyses, Heli, & Samuel Sacerdotes, & principes; Machabæos vtroque munere functos constat. Imò, authore Hieronymo in quæstionibus Hebraicis ad illud Geneseos 49. Ruben primogenitus meus docet, heroicis illis temporibus primogenituram Sacerdotio conlunctam fuisse. Vsu, quia Summi Pontifices ante annos 1300. vtrumque principatum in Ecclesia catholica gerere cęperunt. Quòd si hæretici contra ius, fasque id esse contendant, cur Regibus, & Principibus suis permittunt vtramque Ecclesiasticam, & Ciuilem potestatem? Itaque absoluunt Reges spiritualia vsurpantes, damnant Papas temporalia administrantes. Certè pudeat eos, dum ferire nos volunt, suo à nobis gladio iugulari. Nec Iacobi Angliæ Regis Apologiam pro clypeo obtendant, cùm illa eos ictibus magis exponat.

Suadetur secundò, quia non pugnat cum paupertate Euangelica habere dominium pecuniarum, & bonorum, igitur nec cum potestate clauium haberé potestatem, & patrimonium temporale. Antecedens admittunt auidè hæretici, qui affirmant Petrum etiam postquam dixit, Matth. 19. [Ecce nos reliquimus omnia,] domum propriam habuisse, ac eò vertunt illud Matth. 8. cum venisset in domum Petri, imò & duas aiunt habuisse domos, vnam Bethsaidæ, alteram Capharnai, vt qui duas tunicas habere non poterant duas domos possiderent; quin & abundasse pecunijs Apostolos tradunt eo argumento, quòd Philippus dixerit. [Ducentorum denariorum panes non sufficiunt,] perindè ac tot essent in Apostolorum crumena nummi, cùm ex eo potiùs probare debuissent pauciffimos esse ijs, qui ducentos denarios exageratè dicerent, quod Maldonatus ibi acutè obseruat. Ità retorto argumento hæretici refelluntur.

Sed rectè soluamus. Christus Dominus tolerauit, vt in Apostolatu suo essent loculi, & in ijs nummi ad sumptus faciendos, quod apparet ex cap. 13. Ioannis; vbi de Iuda, inquit, [loculos habens ea, quæ mittebantur portabat,] nimirum ad emendum necessaria, & egenos subleuandos, quod statim adscribit Euangelista. Ita Patres intelligunt, vti videre est in glossa ordinaria eo loco, & extrauagante Ioan. 22. cap. quorumdam de verborum significatione, vbi docet cum Augustino quem laudat, & citat, Christum eas gestasse pecunias non omnino abdicata proprietate ad infirmorum solatium, quibus graue est ea protsùs priuari, & ad nudum vsum reduci, quemadmodum tradit glossa multis alijs capitibus iuris citatis.

Præterea constat Christum permisisse, vt Mulieres piæ, ac opulentæ se comitarentur, seque, & suos de facultatibus suis sustentarent, quod narrat Lucas cap. 8. & obseruant Interpretes. In actis verò Apostolorum habetur, deferri ad eos solere nummos redactos ex venditione bonorum, quibus primi fideles priuabant, & in communes vsus conferebant: imò & illud pretium ab Apostolis exigi mos erat quemadmodum liquet ex Ananiæ, & Sapphiræ historia metuenda actorum 5. Compertum item est in eodem libro ab Apostolis imperatas, & collectas symbolas à fidelibus copiosis ad alendos inopes, idque Paulum sæpè curasse. Ex quo illud etiam colligimus, Apostolos Mulieres secum religiosas circumducere solitos, quarum copijs sustentarentur; quod etsi Paulus noluit admittere, non id tamen in alijs damnauit: quemadmodum ne mercede quidem Euangelij prædicandi vti voluit, quam alij accipiebant, quòd nimirum gentium, qui bus id nouum, & graue forte accideret, Apostolus erat; itaque alijs, qui hebræorum more agebant, vsum illum condonauit, sibi verò eripuit. Quo de loco, & argumento egregiè August. lib. de opere Monachorum.

Tertium constat exemplis, nam Sanctissimi Episcopi bona, & prædia Ecclesijs à pijs, ac religiosis Viris legata acceperunt, & patrimonium Ecclesiasticum auxerunt, vti constat ex actis Augustini, aliorumque complurium; imò & pro ijs sustiuendis strenuè pugnarunt, & quasi pro Ecclesiastica immunitate sanguinem profuderunt; vti fuit Thomas Cantuariensis. Cui addi potest Stanislaus Cracouiensis pagi Ecclesiæ suæ venditi iustus assertor. Nec soli Pontifices Romani principatum temporalem, & olim obtinuerunt, & hodiè tenent, sed à multis iam annis Archiepiscopi in Germania, qui Electores sunt, Domini, ac principes sæculares existunt. Iam verò in Ecclesia, ex quo pacem habere cępit, & christianos nacta est Imperatores, hoc est annos ab hinc 1300. Syluestro Papa, & Constantino Imperatore, quos pios, & religiosos nemo neget, vtraque potestas coaluit: Roma, Romanaque ditione à Constantino Byzantinm concedente Syluestro concessa. Cuius donationis (de qua nihil inpræsentiarum volo statuere suo tempore dicturus) plurima, & idonea argumenta profert Bzouius de Romano Pontifice cap. 41. ex Authorum etiam Hebræorum, & Græcorum scriptis deprompta, & partem exempli Constantinianæ donationis producit. Non est autem dicendum, aut impiam fuisse donationem, aut iniustam retentionem: cum Constantinus sacris iam Mysterijs initiatus pietatis studio fecerit, & multi post eum Imperatores illud idem dominium Papis confirmauerint, & alia de nouo adiecerint, quibus amplificata est ditio, & aucta potestas Ecclesiastica: qui certè ij sunt, vt magnam pietatis, & iustitiæ existimatio-

nem

nem collegerint. Cuiusmodi sunt Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Lotharius, Otho Magnus, Carolus IV. Sigismundus, Maximilianus, vt omittam Reges Italiæ, qui eadem, vel conseruauerunt, vel dimissa, ablataue reddiderunt.

Accepisse autem hæc, & retinuisse iniustè Pontifices Sanctissimos, Syluestros, Damasos, Innocentios, Leones, Gregorios, Paulos, Pios, & qui eos postea ad nostra vsque sunt tempora consecuti, nisi summa iniuria affirmare nemo possit, vti, & Beneficiarios, ac obnoxios Principes, qui administratione, vsuque accepto solidum Ecclesiæ Patrimonium vsurpare voluerunt, iniustè fecisse, negare nemini licet: nam dum hi spoliare iure Ecclesiam voluerunt, certè nisi contra ius agerent, non excommunicarentur; cum anteà singuli vsurpatores iure priuato sæpiùs, tum deinceps etiam omnes communi, & non minus eo, quod Censuræ fulmen ex Arce Vaticana quotannis intorquetur, quæ Bulla Cœnæ dicitur, ritè ferirentur. Velle autem huius potestatis tam vetustæ radicem auellere, & vsum eius tot annis inueteratum, tot argumentis corroboratum tollere, & iniustitiæ insimulare, est contra totam Ecclesiam, Orbemque pugnare. Quare dicendum est, posse quidem has duas potestates inter se coire, immò & iam diu coijsse, nec per claues excludi quò minùs coalescant. Cum præsertim nec Pontifices secularem sibi potestatem vindicarint, sed donatam acceperint, & iure quodam aliunde parato retinuerint, quod etsi intra claues non sit, non est tamen contra claues. Verùm autem clauium ista potestas ad aliorum Regum dominia se, & quomodo indirectè distendat, aliàs dabitur latiùs, & expeditiùs definire; id modò facere, nec est otij nostri, nec facultatis.

CAPVT II.

Proponitur ista potestas Ecclesiastica Clauium, & in suas, quibus constat, partes resoluitur.

Compertum est ex Analytica doctrina constitutionem rerum non alia meliùs ratione posse, quàm ex vltima resolutione in partes cognosci. Ea nos vtemur ad percipiendam constitutionem huiusce, quam affirmamus Petri, & successorum Pontificum potestatis. Sumamus integrum illud Corpus, & ante oculos proponamus. Igitur potestas clauium est potestas regendi, & administrandi Ecclesiam, ordinando eam ad salutem æternam. Hoc penitus intelligitur illis verbis Ioann. 21. [Pasce Oues meas,] vti communis est omnium Patrum, Interpretum, & Scholasticorum sententia. Id autem ne actum agam, & alienis me plumis vestiam, præstat nonnullos Auctores, qui hac de re ex instituto agunt, citare. Caietanum, Turrecrematam, Poggium, Azorium, Bellarminum, Suarium, Bzouium, Grauinam, Becanum, Perronium, & Euangeliorum Commentatores, Iansenium, Salmeronem, Bartadas, Maldonatum, Cornelium, & alios apud eosdem, quorum plures, in proximis Dissertationibus produximus. Ex quo deducitur amplissimam esse huius fabricam potestatis. Eius quinque formas comperio. Potestatem Ordinis, quæ in conficiendis Sacramentis versatur. Potestatem iurisdictionis interioris ad soluendas, ligandasque conscientias. Potestatem iurisdictionis exterioris, ad Ecclesiæ statum, instituta, scita, leges condendas. Potestatem auctoritatis definitiuæ circa quæstiones, & controuersias Fidei, & morum Ecclesiæ. Potestatem auctoritatis, tum fauorabilis, sicubi rectè factum, tum punitiuæ sicubi secus à Fidelibus. Singulæ autem suas partes habent, quas operæ pretium erit distinctè proponere.

Et quidem prima pars complectitur potestatem conficiendi Corpus Christi verum, & cætera omnia Sacramenta. Secunda continet auctoritatem concedendi, & negandi absolutionem in Sacramento Pænitentiæ pro dispositione personarum, & conditione peccatorum, ad quam item spectat relaxatio, & retentio Censurarum in foro animæ, & pars satisfactoria, quæ in Pænitentia iniungenda versatur, cum Indulgentiarum concessione. Tertia comprehendit statuta, decreta, præcepta, leges, cæremonias, quæ necessaria sunt ad statum Ecclesiasticum, & conformandum, & conseruandum, & ornandum. Quarta colligit ius definiendi Controuersias Ecclesiasticas, tum in dubijs ad fidem, tum ad mores Ecclesiæ pertinentibus, quò spectat Canonizatio Sanctorum, & confirmatio Religionum. Quinta amplectitur facultatem conferendi Ecclesiastica beneficia, eximendi ab oneribus Ecclesiasticis, præceptisque publicis, tollendi impedimenta, quæ vetant, aut Sacramenta conficere, aut ministrare, aut Sacras functiones obire, & ius puniendi palam per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & remittendi ad seculares, quæ ab Ecclesiastica manu inferri non possunt: quæ sanè iura necessaria sunt ad pascendum gregem, & Oues curandas, & regendas. Quod exemplo potestatis temporalis declaratur, quæ tamen natura, & conditione rerum ab ista spirituali distinguitur potestate, cum tamen iurisdictione similis sit. Nam sicut Rex non potest administrare Rempublicam, nisi omni ad regendos, docendos, & continendos in officio suos potestate accepta, ita nec Pastor, & Princeps Spiritualis potest Gregem suum pascere, & conseruare, nisi omnem habeat necessariam potestatem ad eum dirigendum, & corrigendum: quamquam multò sit amplior Ecclesiasticum ius temporali potestate; vnde Innocentius III. cap. Solitæ, de maioritate, & obedientia, has duas potestates confert duobus luminaribus Cæli maiori, & minori, scilicet Ecclesiasticam Soli, temporalem Lunæ, non solùm propter nobilitatem, sed etiam propter amplitudinem. Et sanè debuit latiùs patere, quæ ad animos, & æternam salutem pertinet, quæ est spiritualis, quàm quæ ad corpora, & caduca bona spectat, quæ est temporalis. Quod autem illa omnia, quę numerauimus intra claues sint, ijsque significentur, tum Theologi, tum Canonici affirmant Auctores.

Possunt quidem hæ omnes formæ potestatis ad duas tantùm, scientiæ ad docendum, & po-

& potentiæ ad regendum reduci: quemadmodum nos Dissertatione prima diximus. Non quòd Pontifici summa scientia opus sit, sed summa cura, & prudentia, qua debet iudicare quid optimum sit, & dijudicare, quid tenendum sit in Controuersijs, quæ oriuntur; quod interdum fit adhibito Consilio Doctorum, atque prudentium, Cardinalium, Episcoporum, vel aliorum, & interdum Conciliorum tum Prouincialium, tum Generalium: quæ potestas conuocandi Concilium est in Pontifice; & partim in secunda, & partim in tertia, partim in quarta parte, membroque continetur. De qua scientia Ioannes XXII. in Extrauagante illa, quia quorumdam capit. 5. tit. 24. accuratè agit. Qui per scientiam, nec scholasticam, quam dicimus, nec exactam penitus positiuam vult intelligi, sed moralem, & prudentem rerum existimationem, qua sapienter se in administranda Ecclesia gerere possit. Et quidem aliud est habere maiorem scientiam, aliud maiorem iurisdictionem; nam non dubito quin Paulus scientior fuerit Petro; nec tamen ambigo, quin inferior illo potestate fuerit. Qua ratione dixit S. Maximus serm. vlt. de Sanctis Petro, & Paulo [Clauem potentiæ Petro, clauem sapientiæ Paulo datam esse.] Idque Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice capit. 27. & Cornelius in Procem. ad epistol. Pauli, cap. 3. & fatentur, & probant. Hæc est clauium potestas in suas partes resoluta, per quas apparet ijsdem constitui; quæ ampla sanè est, & plena; itaque illam Bellarminus lib. 1. de Pontifice cap. 13. summam. Maldonatus commentar. in Matthæi Supremam iure optimo appellant. Post quos idoneus eiusdem instituti auctor Layman vniuersalem spiritualis potestatis plenitudinem appellauit lib. 1. tract. 4. cap. 1.

CAPVT III.

An, & quomodo hæc potestas in Petro, & Apostolis fuerit distincta.

NOn tam hæc est amplè, ac explicatè ab Auctoribus nostris agitata, quàm vellem quæstio: cùm ea tamen magni sit momenti, vt hęc, in qua omnes conueniunt Hæretici de æqualitate Apostolorum, & Petri opinatio confutetur; id nos ergo diligenter curabimus. Primum illud apud omnes constat Apostolos in multis pares omnino Petro fuisse. In quibus fuerint demonstro.

Primum propositum. Apostoli in ijs, quæ Apostolici muneris, & officij erant, pares erant. Probatur ex eo quod Apostoli primò, & immediatè sint electi à Christo antequam Petrus Caput esset constitutum. Deinde ea prærogatiua missi sunt à Christo in mundum, sicut Christus missus fuit à Patre: [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:] Ioann. 20. hinc illa Marci 16. Matthæi 28. [Euntes in mundum vniuersum prædicate: Euntes docete omnes gentes.] Ioan. 15. [Ego posui vos, vt eatis.] Ioann. 15. [Ego vos elegi de mundo;] cum autem Apostoli missi, seu Legati, & Vicarij Christi fuerint, quemadmodum Chrysostomus, & Theophylactus cum Paulo 2. Corinth. 5. dicente Legatione fruimur obseruant, non erant in eo munere inæquales. Id verò fatentur nostri Panuinius parte 2. responsione 2. Bellarminus lib. 4. capit 23. Becanus tomo 5. lib. 2. Ratio est autem quia illa dignitas, & potestas non ab hominibus, neque per hominem, sed à Deo, inquit Paulus, & à Iesu Christo erat. Igitur non debuit vlli homini subdi. Idque apparet exemplo Matthiæ, quem Deus elegit ex omnibus reliquis vnum Apostolum. Et quidem hac in re manifesta est doctrina Pauli, qui in Apostolatus officio nihil voluit reliquis concedere. Adeo, vt semel dixerit 2. Corint. 11. habere se sollicitudinem omnium Ecclesiarum, & iterum 1. Corinth. 15. Abundantiùs omnibus laborasse. Pares igitur fuisse constat. Sed in quibus fuerint exactiùs quæramus, iuxta partium distributionem.

Sit secundum propositum. Potestas ordinis, quæ in conficiendis Sacramentis versatur, par in omnibus Apostolis fuit. Certum id omninò: Quòd hæc in charactere Ordinis fundatur: in quo non solùm omnes Apostoli, sed Episcopi quoque cum Papa æquales sunt. Hæc est communis omnium sententia, cui nemo contradicit: & nos suprà ostendimus.

Tertium propositum. In potestate iurisdictionis Sacramentalis non fuit inæqualitas in Apostolis: Probatur, quia tota est in foro animæ, & immediatè oritur à potestate Ordinis, & omnibus item Sacerdotibus conuenit, etsi quoad vsum stringi possit, & soleat. Secundùm doctrinam D. Thomæ 2. 2. qu. 39. art. 3. & 4. contra Gentes cap. 72. & in 4. dist. 17. qu. 3. art. 3. Quam latè exponit Couarruuias lib. 1. variarum, cap. 13. & Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice capit. 22. & Suarez de Pænit. disput. 16. sect. 3. Itaque omnes Apostoli hac in re habebant claues æquales, quòd omnes Fideles poterant auctoritate sua soluere, & ligare. Limitandum tamen est pronuntiatum, quoad modum, quia in Petro illa iurisdictio erat ordinaria, & in Apostolis delegata, vti obseruat Suarez citatus, & Azor Institut. parte 2. lib. 4. capit. 14.

Quartum propositum circa tertiam potestatem. Poterant Apostoli statuta, & leges condere, cæremonias, & ritus tradere, præcepta ponere, quibus tota Ecclesia teneretur. Probatur ratione, & scripturis. Ratione, quia Apostoli erant Legati, & Vicarij Christi in Ecclesia, ab eo immediatè accepta potestate, & à sancto Spiritu agebantur. Scripturis, quia epistolæ Pauli plenæ sunt his præceptis, statutis, legibus, cæremonijs, quibus tota olim tenebatur Ecclesia, hodieque tenetur; immò si quid ab Apostolis scriptum, & verbo traditum est, id omnino seruatur. Sic docet Azor pat. 2. lib. 4. cap. 11. & Barbosa de Institut. Episcopi tit. 1. capit. 1. & insinuat Bellarminus lib. 4. cap. 23.

Quintum, super quarta potestate. Erat in singulis Apostolis potestas definitiua in Controuersijs Fidei, & morum, vt quidquid à singulis iudicatum, & decretum, id in tota Ecclesia ratum foret. Probatur ex symbolo Apostolorum, quod ex partibus à singulis dictatis constat, quę est Ecclesię traditio, de

de qua Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei non scripto capit. 4. & Becanus in Apologia pro Iudice Controuersiarum contr. 9. & Azor. vbi supra. Deinde patet ex Doctrina epistolarum Canonicarum, in quibus si quid definitum est ad doctrinam, & mores Ecclesiæ pertinens, id Catholicam, & publicam Fidem facit.

Sextum circa vltimam potestatem. Poterant Apostoli vti iure instituendi, & conferendi gradus, & dignitates Ecclesiasticas, dispensandi, relaxandi; leuandi onera, & vincula spiritualia, ligandi censuris, infligendi pœnas, dirigendo, & puniendo pro necessitate, & meritis Fidelium. Et quidem quoad partes, quæ spectant ad directionem animarum, patet, quia Apostolis licuit fundare vbilibet, & regere Ecclesias, & quæ ad illarum curam, & conseruationem pertinent, administrare. Quibus exemplis Acta Apostolorum, Apocalypsis, & epistolæ Pauli abundant: quæ verò spectant ad punitionem constant ex iisdem, & Paulus multa suppeditat argumenta. Itaque, vt compendium faciamus. Quidquid extra rationem capitis Petrus in Ecclesia poterat, id omne Apostolis licuit. Cuius rei Auctores sunt Sotus in 4. disput. 20. Conarruuias Regula peccatum par. 2. Bellarminus lib. 4. cap. 22. Azor libro 4. cap. 11. Barbosa titulo 1. capit. 1. & habetur cap. in nouo, & cap. loquitur, ab eo adductis.

Hinc propria existit quæstio. Cùm par esset in Apostolis Petro potestas, in quo Petrus excelleret? Cui propriè respondetur, Petrum tribus modis excelluisse. Primò dignitate, & gradu, nam erat Princeps, & caput, cui cæteri erant subordinati; esti enim quoad latitudinem potestatis æqualiter possent, non tamen quoad altitudinem dignitatis æquè eminebant. Vnde Apostolus alter alteri non præerat, præerat autem Petrus singulis, ac omnibus præsidebat. Secundò, eminentia potestatis, nam potestas Apostolorum erat delegata, non ordinaria, vti Petri, atque adeo in hoc firma, & æterna, in illis caduca, & temporaria. Tertiò, amplitudine, quia Apostolorum non erat omninò plena, nec perfecta, quemadmodum doctè, & accuratè probat Thomas Stapleton. controuer. 2. libro 6. cap. 7. Erant enim, quæ Apostolis non conueuirent singulis, quemadmodum Petro, quæ ille ibi generatim ponit. Ego quiddam singulare propono, uam, opinor, non posse quemuis ex Apostolis conuocare Concilium generale, hoc enim, aut Petro, aut omni Apostolorum cœtui cum Petro licebat. Sed hac in re minùs accuratè locutos Auctores comperio; præsertim Barbosam; qui ait potestatem subordinatam Apostolis à Christo Domino concessam [in nihil secundum se esse eiusdem potestati Petri inæqualem. Sed absque dubio sine vlla limitatione in totum Orbem æqualem, & ad omnes actus, quos Petrus agere poterat tum ordinis, tum iurisdictionis:] quòd certò verum esse non potest; nec cum potestate capitis, & ordinaria Petri cohærere. Idque rectè animaduertit Bellarminus lib. 1. cap. 23.

Vtrùm autem Apostoli potuerint canonizare Sanctos, & confirmare Religiones dubium est. Et quidem confirmare Religiones non dubito quin potuerint: cùm integras constituere, ac regere Ecclesias licuerit. De Canonizatione sanctorum maior est ambigendi ratio, cùm auctore Hostiensi cap. Audiuimus de Reliquiis, & Canonizatione Sanctorum, & Glossa cap. 1. eodem tit. in 6. & Philippo Decio in Rubrica de Constitut. lect. 2. hæc sit vna de causis maioribus, quæ inter Christianos proponi queat, atque adeo propria Pontificis, & Ecclesiæ. Itaque sentio id soli Petro Apostolorum Concilio licuisse. Ratio est, quia Canonizatio Sanctorum est actio pertinens directè ad caput, & corpus Ecclesiæ, qua cultus Religiosus omnibus proponitur, & præcipitur. Vnde non potest fieri ab alio, quàm ab eo, qui totius Ecclesiæ gerat personam. Ratio sumitur ex D. Thoma Quodlibeto 9. qu. 7. artic. 16. vbi ait, honorem, quem sanctis exhibemus, quamdam professionem Fidei esse, qua Sanctorum gloriam credimus, proponere autem rem credendam toti Ecclesiæ proprium capitis esse videtur. Hinc est, vt cap. 1. de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum Alexander III. dicat, non licere aliquem pro Sancto, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. Et quamquam videatur oppositum tradi in capit. pronunciandum de Consecratione dist. 3. nihil ibi est, quod turbet, cùm auctore Hostiensi, & Glossa ibi sermo sit, non de Apotheosi instituenda, sed de die festa post Apotheosin Sancto assignanda, quod quidem Episcopo, & priuatæ Ecclesiæ licitum est. Quod autem ante noningentos circiter annos Pontifices sanctos consecrare cœperint, id non obstat, quominus Pontificium id munus fuerit, cùm ecclesia vniuersalis, Pontifice ferente, & probante, id effecerit, atque adeo numquam priuata Ecclesia, vel Episcopus satis fuerit ad Apotheosin instituendam, nisi totius Ecclesiæ vniuersalis cum suo capite consensus accessisset. Et vt id certiùs, & solemniùs fieret ab Anno 796. indictione 4. Leone III. Papa, à Romanis Pontificibus illa solemnis consecratio sciscì, & iuberi cœpit: vti habetur in vita S. Suithberti Episcopi Werdensis apud Surium die 7. Martij tomo 2. Illud ad calcem animaduerto, potuisse Apostolos indirectè Sanctum canonizare, nam quem quiuis illorum Sanctum esse, & Deo frui affirmasset, ille certè Sanctus erat habendus: quemadmodum, de quibus dicit Paulus ad Philipp. 4. [Quorum nomina sunt in libro Vitæ,] & illis post mortem religiosi honores haberi possunt, ac debent, non erit illa tamen propria Canonizatio, quia non est publica, & solemnis, directaque ad Ecclesiam propositi, quæ addita à Pontifice, in Ecclesia solemnem, & iustam canonizationem efficiet.

DIS-



DISSERTATIO IV.

De Transmissione Clauium ad Pontificem Romanum, & Comparatione Pontificia, & Episcopalis potestatis.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm potestas Clauium, quæ in Petro fuit, ad Pontifices Romanos transierit, & quomodo in ijs insit?



Negant proteruè Hæretici Luthero, & Caluino Ducibus, ijs argumentis. Primò, quòd nulla in Scripturis Sacris eius successionis mentio fiat. Secundò, quòd non est opus illo capite, vbi Christus assistit, vt caput inuisibile. Tertiò, quòd sufficiunt ad id Pastores, & Episcopi, quos Spiritus Sanctus iuxta Paulum Actor. 5. [Posuit regere Ecclesiam Dei.] Iam verò admisso vno, quòd hic Romanus futurus sit Pontifex, ex eo negant, quia nec Petrus Romæ fuit, nec vt fuerit, sequitur ibi sedem posuisse, ac vt posuerit, constat non primam eam constituisse, cùm Antiochenam primùm fundarit, eamque aut solam, aut primam instituerit.

Nos breuiter respondemus: Primum, ineptum esse. Nam quis credat Christum, cùm suam condebat Ecclesiam nihil de perpetuitate illius cogitasse? Quo dato, & illud largiendum, quem instituebat caput, & Principem, illum solitarium non fore, nec cum persona periturum. Cùm qui semel Regnum, aut Rempublicam instituerunt, eo ipso de posteritate cogitarint, siue ratione successionis, siue electionis inposterùm habendæ. Imò ipsi scholarum (quod aliàs obseruauimus) Authores, Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus, ijs apertis, locum successoribus fecerunt, easque non caducas, sed mansuras esse voluerunt. Quin, & Lutherum, & Caluinum, si superis placet, cura incessit sectas enormes suas æternandi, atque adeo discipulos sibi pararunt, qui errores suos sustinerent, & propagarent. Si ergo Spiritus Sanctus, vt ij falsò putant, aut Diabolus, vti nos credimus, eos impulit ad stabilitatem sectarum suarum procurandam, cur Spiritus Christi debuit committere, vt cùm in Petro fundaret Ecclesiam, nihil de illius constantia, & perpetuitate cogitaret?

Iam verò quòd negant in Scripturis nihil esse, quo hæc stabilitas Ecclesiæ, & series successorum Petri probetur, omninò impudenter agunt. Ac primùm: Qua fronte Doctores, & Ministros Euangelij se esse dicunt, cùm id ex Euangelio probare non possint, nec enim, aut Lutherus, aut Caluinus in Euangelio nominantur, aut continentur, nisi fortè cum de Antichristo, & falsis Prophetis, aut furibus, & latronibus fit mentio. Sed abigamus has pestes, & aptè ad argumenta respondeamus. In veteri Synagoga, quæ Ecclesiam figurabat, Pontificum post Aaronem successio fuit. An non id ex Scriptura? Prætereà Rege Saule instituto, continuò Regni constitutio imposterùm facta est, & petito Gens illa intellexit, & Deus, dato Rege, significauit perpetuum Regnum fore, nec cum singulis personis extinctum iri: & hoc in Scripturis habetur. Quare igitur, & quomodo [Petra] Ecclesiæ æternùm duratura, [Petrus,] fracta conciderer, & arenæ instar effluerer? Ego verò credo, ideo in Petro fundatam fuisse Ecclesiam, vt hæc non in mobili arena, vti caduca, sed in solida petra fundata, vti æterna, consisteret.

Præterea si Ouile Christus habet, & hoc quidem perpetuò futurum, opus est Pastore, qui curam eius semper gerat: quòd si Petro traditum est, qui ei succedunt veri, & iusti Pastores erunt. Quod autem obijciunt: Christum Caput esse, nil officit quo minus alij item Capita sint, dummodo sint eius Vicarij. Nam etiam Deus olim populi Israel Dominator erat, nec ideo tamen non Iudices admisit, per quos ita gubernabat Hebræos, vt verum esset dicere per se gubernasse, vti constat ex illo 1. Regum 8. ad Samuelem, [non te abiecerunt, sed me.] Igitur qui, cum gubernaret, alios Gubernatores admisit, cur non, cum regat, & & pascat, alios Rectores, & Pastores admittet? aut quomodo iniuria sit Christo, si Deo facta non fuit? iam quòd à multis volunt regi Ecclesiam, non ab vno, id & à Monarchia alienum, & propè crudelitatem est, volunt quippe Ecclesiam, quam oderunt, distrahere in partes, & discerpere. Certè Deus in Synagoga vnum semper Caput, siue Pontificem in sacris, siue Iudicem, Regemue in Secularibus, siue Ducem, & Pontificem in vtrisque tempore Machabæorum esse voluit. Illi sub vno Imperatore Augusto nasci, & sub altero Tiberio viuere, & mori, & salutem nostram operari placuit.

Tandem, quod aiunt Petrum erexisse Romæ Ecclesiam, tam alienum est à veritate, vt oppositum tam sit certum, quàm notum est esse Romam. Nec alijs testimonijs opus est, quàm ipsis lignis, & faxis, rutisque cæsis, quæ hæreticis obstrepunt, in eosque insiliunt. Antiochenæ autem Ecclesiæ Romanam præferri decuit, vt vbi Arx, & apex Orbis erat, ibi Christi Vicarius sedem haberet, clauibusque suis non Iani templum, sed Capitolium aperiret, Iouemque Capitolinum de Altari deijceret, & Crucem, vti hodie cernimus, in Mundi vertice defigeret, plaudente Prospero eleganti versu libro de ingratis.

Sedes Romæ Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta Caput Mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Imò accuratè obseruandum, Antiochenam ipsam Ecclesiam cùm aliæ Patriarchales extinctæ sint, hodieque perseuerare: quòd in Romana Fide, vtpote à Petro fundata, firmiter perseueret, Patriarcha Antiocheno cum Maronitis suis Romanum Pontificem colente, & venerante. Pudeat Hæreticos impudentiæ suæ, quam Augustini testimonijs contra Donatistas aliàs in nostra Tessera redarguimus, qui solet euoluta Pontificum Romanorum serie Catholicæ Ecclesiæ veritatem probare. Vnum ex ijs, vt eorum oculos configam, proferre volo ex libro contra Epistolam fundamenti cap. 1. [Tenet me, inquit, in Ecclesiæ gremio ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas Oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit ad præsentem, vsque Episcopum Sacerdotum successio.] Quòd si triginta octo Pontificum series per annos quadringentos Augustinum tenuit, verecundia certè est numerum ducentorum, & eo amplius Pontificum Lutherum, & Caluinum, & sequaces per mille ducentos annos in Catholica Ecclesia non tenere.

Iuuat nunc aliam partem expedire; quæ, & quanta potestas in Romani Pontificis Clauibus insit? Vno verbo tota, quæ data est Petro extra præcisam rationem Apostolatus, tum Ordinis, tum iurisdictionis potestas, & eodem modo collata idest ordinaria, non delegata in Pontifice Romano inest: vt quidquid Petrus in nomine Christi in Ecclesia Dei poterat, possit, & Pontifex Romanus. Quid autem ea potestas collegerit, satis accuratè Differtatione proxima diximus. Id autem Nouatores inficiari nequeunt, qui volunt Maiorum suorum authoritatem per seriem successorum ductam ad se pertinere, cum tamen ij pleni rimarum sint, & lutulenta illius quem laudant fontis aqua, cum accipitur, hàc illàc perfluat. Nostri omnes, quæ in Petro erat potestas, eiusdem, integræ, & illibatæ diuino iure hæredes esse successores Petri, constanter affirmant. Testes sunto vltra Patres, qui hoc ex ijs authores probant, Poggius de potestate Papæ, Caietanus, Turrecremata, Panuinius, Bellarminus, & Azor, Coccius, Suarius, Granina, Bouerius, & Barbosa toties citati, & præcipuè Bzouius de Romano Pontifice, & Becanus tom. 5. Opusculorum lib. 2.

Illud autem est obseruandum, Petrum ratione propria, ac priuata virtutis, & meriti, multò Pontificibus, qui ei succedunt præstare potuisse: cæterùm in potestate ordinaria communi Pastoris, nihil ei concedere Pontifices. Imò singulari Dei prouidentia factum esse, vt cùm Petrus pares Apostolos habuerit, Pontifex Romanus Episcopos pares non habeat. Vt sit hodie Monarchia Ecclesiæ in vno, vti erat cùm Christus viueret, perfecta, & ab vno profecta, Quod ideo à Deo prouisum esse existimo, vt constaret Papam successorem esse Petri, sed Vicarium propriè, non Petri, sed Christi, & ab hoc immediatè Claues accipere, cap. de translatione Prælatorum. cap. inter. & cap. quando de re iudicata, cap. ad Apostolicæ, 5. nos igitur, lib. 6. quod obseruat Poggius ad 19. argumentum. Nam si Episcopi, vti Apostoli, Pontifici pares deinceps essent, quomodo Petro fuerunt, ac eadem ratione potestas illa constaret, posset quis suspicari Papam Petri Vicarium esse, cùi omnino erat similis potestate: at cum videamus mortuis Apostolis, Episcopos, qui in eorum locum successerunt, Papæ omnino subiectos fuisse, & esse: vnde illa potestas venerit, & à quo sit fonte ducta comperimus. Vt quemadmodum Christus Dominus omnium caput, & Pastor erat, cui nemo par esse poterat, ita summus Pontifex Romanus gratia, & beneficio Christi omnibus superior existeret, & neminem parem haberet, vt qui videret Pontificem dignitate, ac potestate similem Christo, hunc fuisse vtriusque authorem potestatis, & fontem intelligeret. Vnde quàm propriè Vicarij Christi, & sint, & dicantur apparet: nam cùm Vicarius ille sit, qui Vicariam eius, cuius vices gerit potestatem habet, vt nihil inter, vtrumque intersit, præter personam, & radicem potestatis, certè Pontifices cùm munus suum agunt, eam rationem potestatis, & authoritatis, quæ in Christo sunt, exprimunt; atque adeo cùm Petro succedunt, ita potestatem accipiunt, vt Vicarij Christi, non Petri esse videantur. Quare Papa legitimus in terris Christi Vicarius vniuersalis, verè, aptè, & grauiter ab Henriquez l. 10. cap. 25. num. 1. & lib. 3. de Pænit. cap. 5. appellatur. Ratio autem idonea ea est, quòd cùm Petrus Vicarius Christi sit, & Vicarij propriè non sit Vicarius, qui Petro succedit, non eius, sed Christi Vicarius esse debet. Petrum autem Vicarium Christi vocat Ambrosius eum in cap. vlt. Lucæ expendens illa verba Ioan. vlt. [Pasce Oues meas. Quem ait eleuandus in Cælum amoris sui Vicarium relinquebat.] Quo eum titulo adhuc in rem nostram aptiùs afficit Bernardus lib. 2. de Consider. Instar domini, inquit, gradiens super aquas vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ, populi multi. Hinc apparet, à quo Henriquez loquendi modum illum acceperit. Scio alijs aliud videri, sed hoc mihi ratum, sanctumque esto.

CA-

CAPVT II.

Vtrùm Episcopi sint Apostolorum successores, & quid inter vtrosque intersit?

QVo ad primam partem constat, Episcopos Apostolis successisse, nec Hæreticus de eo quispiam, dummodo admiserit Episcopos, dubitabit. Author huius sententiæ luculentus est Augustinus in psalm. 44. ad illud [Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Patres, inquit, missi sunt Apostoli, Apostolis filij nati sunt, constituti sunt Episcopi.] Ita docuerant antea Clemens lib. epistolarum epist. 1. Anacletus epist. 2. & 3. Cyprianus epist. 69. Traduntque Concilium Florentinum in Armenorum instructione, & Tridentinum Sess. 23. cap. 4. & habetur cap. in nouo, citato. Itaque communis Patrum consensus est, Episcopos Apostolis à Christo, Presbyteros septuaginta Discipulis suffectos fuisse. Vnde differentia inter vtrosque sumitur. Id tradunt Beda lib. 3. in Lucam cap. 15. & Isidorus serm. habito in Synodo, & D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. ad 1. quod acceperunt à Damaso in epist. de ChorEpiscopis, & Vrbano epist. de communi vita, & oblatione Fidelium.

Hinc est quòd Episcopi summi Sacerdotes dicuntur cap. vltimo 3. quæst. 1. cap. videntes 12. quæst. 1. cap. legum 4. quæst. 2. & Papæ olim appellabantur vti constat ex epistolis Hieronymi ad Augustinum, & Chromatium Aquileiensem Episcopum, vbi eos Papas appellat. Quare Episcopi omnino sacerdotes antecellunt gradu, authoritate, & potestate, etsi ordo, Authore D. Thoma, Bonauentura, & Scoto in 4. dist. 24. non sit omnino distinctus, sed tantùm extensus, & ampliatus, vt in Sacram. Ordinis exponemus, vti definit Concilium Tridentinum sess. 23. Can. 6. & 7. cuius oppositum esse hæreticum patet ex August. lib. de hæresibus cap. 53. & Epiphanio hæresi 27. qui Ærij negantis Episcopos Presbyteris superiores esse sententiam, hæresis accusant. Itaque Episcopatum à Christo Domino esse institutum, & esse Ordinem Sacerdotij sacrum cum solemniori consecratione, & perfectiori charactere, altiori gradu, & ampliori authoritate, & potestate, quàm simplex sacerdotium compertum est, & inter alios probat Henriquez l. 10. de Ordin. Sacram, cap. 2. & 21. & Vasquez tom. 3. in 3. dist. 40. cap. 1. & Layman tr. 9. cap. 3.

Magna hic quæstio excitatur: vtrùm Apostoli immediatè à Christo, & instituti sint Episcopi, & consecrati? quam minùs distinctè, ac vellem ab Authoribus tractatam inuenio.

Igitur quę sunt certa statuenda. Primùm, institutionem Episcoporum esse à Christo. Secundùm, Apostolos Episcopos fuisse. Hæc duo probantur cap. in nouo, & cap. videntes 21. quæst. 1. ita Couarruuias regula possessor, Bellarm. de sacram. confirm. lib. 2. cap. 12. & Castrius V. Episcopatus, ex Damaso, & Vrbano Papa, & Isidoro, & Vasquez dist. 240. cap. 2. Suarez lib. 4. de pęnit. par. 2. disp. 25. Henriquez in summa lib. 6. cap. & lib. 10. cap. 21. Camillus Borellus in summa à num. 1. Barbosa tract. 1. cap. 1. Illa dubia: quandò sint instituti, & quomodo? & an fuerint consecrati, & à quo fuerint, & quid inter institutionem, & consecrationem differat?

Quod attinet ad primum statuo, Apostolatum, & Episcopatum non simul incæpisse: nam Apostoli multò ante Cęnam Domini, vbi sunt sacerdotes ordinati, instituti sunt: Authore Turriano in Clement. lib. 6. Constit. Apost. cap. 12. ex consensu, ait Vasquez dist. 239. cap. 4. Patrum, & Vega l. 13. in Trident. cap. 14. & Castro V. Sacerdotium hæres. 1. & Soto in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 2. concl. 3. Quare Apostolatus dupliciter sumi debet, vti inchoatus, & vti perfectus; paulatim quippe, & per gradus creuit Apostolorum dignitas donec ad culmen peruenit, cùm primò Apostoli Sacerdotes non fuerint, atque adeò, nec Episcopi. Igitur in Cęna Domini sunt Apostoli Sacerdotes initiati, accepta cum charactere potestate Ordinis ad Corpus Christi in Eucharistia conficiendum, quæ communis, & constans sententia est. Tunc autem factos esse Episcopos non puto, cum ne tum quidem iurisdictionem, & potestatem super Corpus Mysticum acceperint, sed postea Ioan. 20. cùm Christus insufflauit, & dixit, [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis,] ita Castrus V. Sacerdotium, & Bellarm. de Ord. cap. 9. & Henriquez l. 10. de Ord. cap. 6. ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 14. & sess. 23. cap. 1. can. 4. & Layman lib. 5. tract. 9. cap. 4.

An verò tunc creati sint Episcopi ambigi potest. Ego quidem existimo fuisse per illa verba, [sicut misit me Pater, et ego mitto vos,] cùm iam præcessisset Ordo Sacerdotij in Cęna, et hic accessisset insufflatio, et communicatio Spiritus sancti, atque adeò nihil deesset ad institutionem Episcopi, etsi enim potestas ligandi, atque soluendi propria tantùm Sacerdotij videatur, tamen quia pars præcipua erat, expressa fuit, non quòd reliqua concessa non fuerit, cùm iam Christus dixisset: [sicut misit me Pater, et ego mitto vos.] Ratio verò exprimendi fuit, quia nihil diuinius, quàm remittere peccata, et conscientias in sacramentali iudicio habere obnoxias: cùm præsertim diuinissimam illam potestatem conficiendi Eucharistiam in Cęna accepissent.

Constat ergo Apostolos non fuisse institutos Episcopos in Cęna, sed in Cęnaculo post Resurrectionem. Vna tamen est, et valida obiectio. Nam Iudas videtur fuisse Episcopus, fuit autem omnino ante Resurrectionem, igitur et Episcopi ante Resurrectionem Apostoli fuerunt, imò et ante Cęnam cùm facti sunt Apostoli. Quòd autem Iudas Episcopus fuerit patet ex electione Matthiæ, de quo actorum 1. intelligitur illud psalmi. [Episcopatum eius accipiat alter,] cuius enim dignitas Episcopatus erat, is planè erat Episcopus; et quidem Matthias tunc electus fuit Apostolus, et Iudæ suffectus. Igitur Iudas ex eo quod præcisè Apostolus erat, et Episcopus erat. Primùm animaduerto, hoc argumentum ijs etiam soluendum esse, qui aiunt Episcopos fuisse institutos post Ascensionem in die Pentecostes, cuiusmodi sunt Turrianus in lib. 3. Clement. de const. Apost.

cap.7. et Petrus Bollo in Oecon. Canon.Claſ. 3. cap.2. §.1. multis.Patribus citatis. Secundùm obſeruo eam eſſe Armacani l.11.de quęſtionibus Armenor. cap. 15. ſentientis Apoſtolos, multò ante Cœnam fuiſſe ſacerdotes inſtitutos, opinionem. Deindè reſpondeo Iudam Epiſcopum non fuiſſe, cùm electus Apoſtolus fuit, ſed eam dignitatem accepiſſe, cui Epiſcopatus debebatur, ſuo tempore accipiendus. Itaque cum dicitur Matthias Epiſcopatum eius accepiſſe, dicitur accepiſſe Apoſtolatum, cui annexa erat illa dignitas futura, ſi ille in eo gradu perſeueraſſet. Quare inchoatiuè Iudas, et in radice Epiſcopus erat, quòd Apoſtolus erat: nec enim poterat Epiſcopus eſſe, qui Sacerdos non eſſet. An autem Iudas ſacerdos fuerit inſtitutus? nemo, quod ſciam, haƈtenus nominatim de illo inquiſiuit. Ego rem iudico ambiguam eſſe. Tum quòd non conſtet, an interfuerit Euchariſtiæ conſecrationi, eamque acceperit, tum quòd etſi interfuerit non videatur probabile eum in illo ſtatu proditionis ſacerdotium acceptum. Et quidem mihi ego perſuadere non poſſum Iudam, tùm à Chriſto Sacerdotem inſtitutum cùm proditionem agitabat, etſi illum participatione ſui corporis non priuaſſet. Quare Iudam, neque ſacerdotem, neque Epiſcopum fuiſſe autumo, Matthiam verò vtrumque fuiſſe, quòd eo tempore fuit creatus Apoſtolus, cùm ea erat dignitas perfecta, & ille ad vtramque accipiendam idoneus, atque ideò Epiſcopatum accepiſſe, quem Iudas conſecuturus erat, ſi in Apoſtolatu perſeueraſſet. Quòd ſi velimus admittere fuiſſe Iudam conſecratum ſacerdotem in Cœna; locus eſt argumento reſpondendi in ſententia Henriquez: in Cœna Chriſtum contuliſſe quamdam Epiſcopalem poteſtatem Apoſtolis alios conſecrandi in ſacerdotes, quod eſt initium Epiſcopalis poteſtatis, quam poſtea perfecit in Cœnaculo vti diximus. Aliquantò aliter ſolum Vaſquez diſt.239.c.4. ſed non multùm diuerſus abit, & de te conuenit.

Inſtitutis iam Epiſcopis Apoſtolis cap. 20. Ioan. Petrus à Chriſto Summus eſt Pontifex conſtitutus cap.20. per illa verba: [Paſce Oues meas,] vt vnus cæteris omnibus præeſſet. Decebat enim, vt cum omnes eſſent Paſtores, & Epiſcopi conſtituti, vnus inter eos emineret, qui capitis loco eſſet, atque hic eſſet Petrus, cui claues promiſſæ fuerant, & quemadmodum ex Epiſcopis Pontifex eligitur, ita Petrus de Epiſcoporum numero Pontifex crearetur, qui Epiſcopis quoque præſideret. Hæc quamquam à nemine Authore acceperim, non dubito, quin vera ſint, & ab omnibus æquis rerum æſtimatoribus probentur. Ita ferinè poſtea comperi ratiocinatum Henriquez l. 10. de Ordine cap. 3. Ego autem nitor authoritate Auguſtini lib. contr.epiſt.fundamenti cap.1.quam proximo cap. adduxi.

An verò conſecratio conſecuta fuerit inſtitutionem? alia quæſtio eſt, in qua communiter Authores docent ſolum Petrum à Chriſto fuiſſe conſecratum, à Petro autem Iacobum, & Ioannem Fratres, ab his autem, & Petro cæteros conſecratos fuiſſe; atque hinc legem, & morem extitiſſe, vt Epiſcopus non minus, quàm à tribus Epiſcopis conſecretur: vti habetur cap.porrò 66.diſtin.& cap. Archiepiſcopus de tempore ordin. cap.1. 64. diſtin.& tradunt Anacletus epiſt.2.& Clemens Alexandrinus, apud Euſebium, & Hieronymus de viris illuſtribus, & plerique veterum Pontificum, & ſcriptorum, quos magno numero citant, & ſequuntur Bellarm. lib.1.cap. 23. & Auguſtinus Triumphus de poteſtate Eccleſiaſtica quæſt. 88. Antonius Auguſtinus in Epitome Iuris Pontificij lib.4. tit.17. Barboſa tit. 1. cap. 5. Verùm alij tradunt omnes Apoſtolos à Chriſto fuiſſe conſecratos, nec vllam in eo Petri à reliquis differentiam admittunt, huiuſmodi ſunt Caietanus tom.1. Opuſ. tract.1. cap.2. Sotus in 4. diſt.20. q. 1. art.2. Cotduba lib.4. tract. de poteſtate Papę quæſt.14. Bannes 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Azor par.2. lib.4. cap.11. & lib.3. cap. 30. Neutra harum ſententiarum exactè procedit. Itaque author ſum: diſtinguendum eſſe inter inſtitutionem, & conſecrationem, vt poſſit vtraque conciliari ſententia. Nec enim audeo Anacleti, Clementis, & Hieronymi authoritati contradicere disertè affirmantibus primam. Quare media incedendum eſt via, dicendumque inſtitutionem Apoſtolorum, quoad ordinem, & iuriſdictionem Epiſcopalem factam eſſe à Chriſto, & Apoſtolos omnes ab illo Epiſcopos inſtitutos. At verò conſecrationem, quoad Cæremonias, & ritus à Petro incœpiſſe, eumque à Chriſto ſolemniter conſecratum, deindè cęteros Apoſtolos ab ipſo Petro, eo, quo diximus modo conſecratos, iuxta Bellarm. l.1. de Rom Pontif. cap. 23. ex Anaclet epiſt. 1. cap. in nouo 21. diſt. cap. porrò 66. d. contr. gloſſam ibidem, & Henriquez l.10. de Ord. cap.3.& 24. Indèque inualuiſſe morem initiandi Epiſcopum à tribus Epiſcopis. Vndè colligitur cum Palud. tract. de poteſt. Papæ, & D. Antonino 3.par. tit.14. c.16.§.9. & Armilla verſ. Conſecratio num.2. non pertinere ad eſſentiam conſecrationis trium Epiſcoporum numerum, quod id non pertineat ad naturam inſtitutionis, ſed ad ſolemnitatem conſecrationis. Id quod colligitur ex Clement. lib.8. conſtit. cap. 27. quare vnus Epiſcopus ſatis erit ad conſecrationem validam faciendam, etiam nunc eùm Epiſcopus ſimul inſtituitur, & conſecratur, vti tenent nonnulli recentiores, apud Vaſquez diſt.43. cap.6. num.60. ac inter eos Azor. par. 2. lib. 3. cap. 30. Qui ait id ex inſtitutione Apoſtolorum manaſſe, imò etſi tres Epiſcopi conſecrent, vnus tanſùm facit conſecrationem, cęteri adiutores ſunt iuxta Syluestrum V. Conſecratio num.1. & Hoſtienſem, & Goffredum ab eodem Azor. ibidem citatos, & Bellarminum, & Henriquez, ſupra. Quibus addo Ægyd. Coninch. diſt.20. dub.9.& Layman tract.11. cap.6. Et quamquam Vaſquez diſt.43. cap. 6. de inſtitutione diuina eſſe numerum illum ternarium ſentiat, & doctiſſimè probet, non negat tamen ſi vnus tantùm conſecret, valere conſecrationem.

Nunc locus eſt capitali quæſtioni. Quid nimirum interſit inter Apoſtolos, & Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores? Id autem intereſt, quod Apoſtoli immediatè ſunt à Chriſto electi; & ab illo immediatè poteſtatem acceperunt, quam nec tollere, nec minuere, nec

nec mutare poterat Petrus, quemadmodum multi, & idonei Authores docent, Duce D. Thoma in cap. 12. epist. 1. ad Corinth. & Bonauentura, Alberto, Durando, & alijs Scholasticis in 4. dist. 8. 20. & 24. Caietanus tract. de authoritate Papæ, & Concilij cap. 3. Sotus in 4. dist. 2. Vargas libello de hac quæstione, Bellarm. de Pontifice lib. 4. cap. 22. 23. 24. & Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 5. Azor. par. 2. l. 4. cap. 11. & lib. 3. cap. 30. & Barbosa cum multis 1. par. tit. 1. cap. 1. Episcopi autem, nec sunt immediatè electi à Christo, nec donati potestate, ideòque eorum iurisdictio alterius est conditionis, quàm Apostolorum, atque adeò stringi, & coerceri potest à Summo Pontifice, qui est successor Petri, quemadmodum distinctiùs sequenti capite trademus.

CAPVT III.

Potestas Papæ, & Episcoporum inter se comparatur, & quid vtrique conueniat, differatque, exponitur.

Perspicuè, accuratè, & succinctè, vtrumque agemus, Primum statuimus Papam Petri, & Episcopos Apostolorum successores esse, quod proximè ostendimus ex Patribus, & Scholasticis, & ex Anacleto, probat Vasquez dist. 39. cap. 3. num. 29. Deinde quæritur, cur Papæ omnem prorsus, quæ in Petro fuit succedendo iurisdictionem accipiant, Episcopi autem succedendo Apostolis, non omnem, quæ in Apostolis fuit potestatem sumant? Ratio dubitandi est, quia si Papæ, quòd Petro succedunt pares Petro, cui succedunt existunt, Episcopi item, quòd succedunt Apostolis, pares illis esse debent. Cùm ratio successionis id videatur postulare, vt successor in totum succedat. Quòd si id verum non est, cur non, vel Papa in partem succedit, vt Episcopi, aut Episcopi in totum non succedunt, vti Papæ? Ratio itaque huius diuersitatis inuestiganda est, & proferenda.

Est autem huiusmodi. Quia Papa succedit Petro, vti principi, & pastori ordinario, cum quo non expirat iurisdictio: at verò Episcopi succedunt Apostolis, pastoribus, & principibus delegatis, cum quibus exspirat iurisdictio. Vndè Papa succedit in eamdem prorsus, ac integram iurisdictionem, vt sit ordinarius pastor. At verò Episcopi non succedunt in eamdem iurisdictionem Apostolorum, nec eam, vel integram, vel independentem habent. Ita docet Couarruuias regula peccatum pat. 2. §. 9. & Sotus disput. 20. quæst. 1. art. 2. & Bellarm. cap. 25. & Suarez de pœnit. par. 2. disp. 25. sect. 1. & Barbosa tit. 1. cap. 1. Quod autem iurisdictio Apostolorum fuerit delegata, personalis, ac ex priuilegio patet, quia erat iurisdictio annexa muneri Apostolico, quod erat personale, vndè extincta persona exspirabat, nec enim alij Apostoli præter illos duodecim fuerunt. At verò iurisdictio Petri fuit ordinaria, & constans, & ad regimen Monarchiæ Ecclesiasticæ instituta, proindèque vltra vitam, statumque personæ duratura. Apparent autem quædam huius diuersitatis signa in Euangelio; nam Christus sæpè, ac perspicuè Petro huiusmodi potestatem dedit, iam illum petram appellans, iam claues tradens, iam fratres suos confirmare iubens, iam pastorem constituens: quæ omnia continent quiddam sublimius, & excellentius: at verò Apostolos generaliter semper Christus, & minùs expressè instituit Episcopos, & pastores, quo significauit eam, quæ inter ipsos, & Petrum erat differentiam, circa futuram post se in Ecclesia potestatem.

Est tamen contra huiusmodi doctrinam validum argumentum. Apostoli habebant potestatem eligendi, & creandi Episcopos, illosque propria authoritate à Christo accepta creabant, vti fatentur Suarez, & Bellarminus, Azor. & Barbosa proximè adducti, & constat ex actibus Apostolorum, Apocalypsi, & historijs Ecclesiasticis. Igitur habebant Apostoli iurisdictionem ordinariam, eamque Episcopis à se electis communicarunt. Respondetur; verum quidem esse Apostolos Episcopos creasse, & Ecclesias ijs gubernandas tradidisse, sed non cum eadem, quæ ijsdem Apostolis inerat iurisdictione, hæc enim cum esset ex priuilegio, & personalis non poterat ad alios transire. Ordinabant quidem illi Episcopos, & iurisdictionem idoneam, & aptam dignitati dabant, sed quæ ipsam dignitatem ex natura sua sequebatur, non autem eam, quam ipsi acceperant à Christo. Quod apparet ex eo, quod ista tum electio, tum iurisdictio deinceps in Ecclesia variè se habuit, & ad Ecclesiæ arbitrium accommodata est; Cùm Episcopos interdum Clero, interdum populo, interdum principibus licuerit pro temporum varietate instituere, & creare, vti latè, & accuratè demonstrat Barbosa tit. 1. c. 3. & Bobadilla in Polit. l. 2. cap. 18. & Alzedus de elect. cap. 3. Siuè id ex permissu Pontificum fuerit, siuè non, nihil enim hoc interest ad statum præsentis quæstionis. Ac ita respondent Authores paulò ante hos citati, & inprimis Suarez dist. 25. sect. 1.

Confirmatur responsio ex eo, quòd cùm Apostoli habuissent iurisdictionem à Christo immediatam, vbiuis in toto Orbe vellent, ac vbique fundare, & regere Ecclesias poterant, nemo tamen Episcoporum ijs succedentium habuit eam prærogatiuam, sed singuli priuatis Ecclesijs præfuerunt, nec extra eas, quidquam sibi arrogarunt, vndè alij alijs plus, minusuè ex Apostolorum instituto latè, vti Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi imperitabant. Quare omnes, quidem certis, & statis se terminis continebant.

Soluta obiectione ad quæstionem propriam accedamus, quam per conclusiones transigimus. Prima esto, Episcopi potestatem Ordinis Episcopalis immediatè à Christo accipiunt, & in eo quidem pares Apostolis sunt, & Summo Pontifici. Patet ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 39. & Azot. lib. 3. cap. 30. & Bellarm. lib. 4. cap. 15. & Henriquez lib. 10. cap. 25. & Suarez dist. 25. sect. 1. & Alzedo de Episcopatus origine cap. 1. & Barbosa citato. Quia potestas Ordinis est ad conficienda Sacramenta, hæc autem est omnino diuini iuris; ergo dari nequit, nisi immediatè à Christo.

Secunda conclusio, Consecratio Episcopi,

scopi, etsi fiat interuentu Episcoporum, tamen immediatè procedit à Christo. Liquet, quia consecratio est iuris diuini, & per eam confertur ordo, & est via ad habendam potestatem, & iurisdictionem annexam iuxta D.Thomam 2.2.quæst.134. art.6. & quæst.39. art.3. Ordini Episcopali,ergo non potest non esse à Christo, etsi instrumenta humana sint; id enim non tollit, quominus consecratio à Deo sit. Ex quo sequitur similes esse in consecratione, & Ordine Papæ Episcopos,quemadmodum etiam in potestate ordinis circa corpus Christi verum: Presbyteri Episcopis, & Papæ æquales sunt. Cùm consecratio, & ordinatio sint Sacramenta, atque adeò de iure diuino. Quemadmodum obseruat Suarez dist.25. sect.1. & tradit D.Thomas opusc. 19. cap.4.& ex eo Victoria in relect.de potest Eccles. relect.2. & Soto de iust. l. 10. quæst.1. art.3. & tenent omnes Canonistæ,quos adducit Alzedus cap.8. Itaque tota controuersia vertitur ad potestatem iurisdictionis, de qua sit.

Tertia conclusio, Potestas iurisdictionis, quæ datur Papæ, immediatè à Christo sumitur, quæ autem Episcopis conceditur à Papa immediatè accipitur. Ita Authores proximè citati, duce D. Thoma 2. 2. q. 39. art.3. & in 4. dist.19.quæst. 1. art.3.& dist.20. quæst.1. art.4.quæst.3.vbi Soto quæst.1.art.2. in fin. Caietanus 1. opusc. Tr.1. cap.2. Turrecremata in Sum. de Eccles. l. 2. cap. 54 Iacobatius l. 10. de Concil. art. 7. Medina C. de Confess. quæst. 39. & Couarruuias Regula peccatum, Suarez disput.25. sect. 1. Valentia tom.4. disput.7. quæst.10. puncto 2. Barbosa tit.1. cap.1. & Henriquez lib.10.cap.25.

Quoad primam partem probatur primò, quia Summus Pontifex succedit Petro tamquam pastori, & prælato totius Ecclesiæ ordinario: igitur à quo Petrus accepit, ab eo Pontifex habet iurisdictionem, sed Petrus accepit à Christo; ergo & ab eodem Pontifex accipit. Secundò, Pontifex est caput Ecclesiæ, quæ instar Monarchiæ gubernatur, igitur debet habere iurisdictionem ordinariam in se, tamquam in capite, & fonte. Tertiò, Pontifici, neque homines dant, neque adimunt potestatem, quod signum est potestatis à Deo acceptæ, igitur hæc immediatè à Deo confertur. Hanc doctrinam tradit Innocentius I. epist. ad Concilium Carthaginense 91. inter epistolas Augustini, & ad Concilium Mileuitanum Augustini 93. & Leo serm. 3. de Assumptione sua, quem citat, & sequitur Bellarminus cap.24.& 25. Addo Innocen.III. in cap. nouit. de iudic. Potestas, inquit, nostra non est ex homine, sed ex Deo.

Secunda pars conclusionis suadetur, Episcopi non sunt Pontifici pares, sed inferiores. Ergo debent ab eo iurisdictionem accipere. Secundò, quia si à Christo acciperent, ideò esset, quia succedunt Apostolis, sed hæc ratio non vrget, ergo non acciperent immediatè à Christo. Minor probatur, nam Episcopi non succedunt Apostolis in munere Apostolatus, sed in officio pastorum: at officium pastorum est subditum Pontifici Maximo, qui est Summus, & Ordinarius Pastor representans Petrum, cui dictum est [Pasce Oues meas;] quod ille quidem officium non accepit præcisè vti Apostolus, sed vti caput, & princeps Ecclesiæ: qua ratione ad successores transijt, ad quos tamen Apostolatus non transiuit. Tertiò, quia Episcopi,& confirmantur à Pontifice, & certis sedibus destinantur, & mutantur, & promouentur, & eorumdem potestas ab eodem interdum restringitur, & coercetur, interdum augetur, & amplificatur. Hoc verò patet ex vsu antiquissimo Ecclesiæ,& Doctrina Bernardi epist. 131. & D.Thomæ 2. 2. quæst.1. art.10. & distinctè tradit Suarez disp. 25. sect. 1. & Azor. lib.3. cap.30. & Barbosa tit. 1. cap. 1. & ferè alij superiùs adducti.

Sed contra obijcitur, quemadmodum Episcopi à Pontifice eliguntur, & confirmantur, ita & pontifex eligitur ab hominibus, & creatur, igitur si is cùm ab hominibus eligatur, & creetur, accipit iurisdictionem immediatè à Christo, etiam Episcopi, quamuis à pontifice eligantur,& confirmentur à Christo non ab illo iurisdictionem habebunt.

Respondetur illud inter Pontificem, & Episcopos interesse, quod in Pontifice Romano electio, & creatio non est ratio conferendi iurisdictionem, sed est conditio, sine qua non daretur à Christo, cum autem ponitur, immediatè à Christo confertur. Nec enim homines, qui eligunt habent illam papalem, ad quam papam eligunt potestatem. [Nemo quippe potest plus iuris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur. Regul.79. in 1.] At verò in Episcopis ipsa electio, & confirmatio est ipsamet ratio conferendi iurisdictionem. Sed adhuc quæritur huiusce discriminis ratio. Respondeo eam esse, quòd pontifex accipit iurisdictionem in totam Ecclesiam superioris ordinis, & spiritualem, quæ non potest dari ab hominibus, cum non sit facultatis humanæ, sed potentiæ diuinæ. At iurisdictio Episcoporum cum sit priuatæ Ecclesiæ, & supponat in Pontifice diuinam à Christo acceptam potestatem, potest ab eo conferri, cui iam communicata est, quamquam homini, diuina illa dignitas, & potestas. Quare cum dare nemo queat, quod non habet, homines pontifici electo non dant supremam illam, qua carent potestatem. At verò pontifex cum habeat à Deo, & diuinam agat personam, potest illam Episcopis conferre.

Hinc apparet in causa vtriusque huius potestatis Episcopalis, & Pontificalis distinctio, quòd altera sit immediatè à Deo, altera à Deo interuentu pontificis; vndè sequuntur effectus omnino diuersi: nam potestas papalis nulla ratione adimi, minui, mutariue à quoquam potest; estque omnino certa, constans, generalis, At verò Episcopalis potest à pontifice augeri, minui, tolli, ac interdum ipse Episcopus gradu moueri. Hinc est, vt ab Episcopis ad pontificem prouocari possit à Papa non possit, quod is in supremo est dignitatis fastigio constitutus,hi in gradu collocati, atque adeò ille supra homines, proximus Deo, hi infra hominem proximum Deo: Qua de re optimè Paludanus tract. de potest. art. 5. & Heruæus opusculo de potest. Papæ, & Authores in cap. nono dist.21. & in cap. translato de constitutionibus, & Bellarminus, Azor, Suarez, & Barbosa citati: & optimè

optimè Henriquez l. 1. de pęnit. cap. 5. & Molina tract.5. diſt.4.& Bannes 3. 2. quæſt. 1. art. 20. dub.5. & Layman l.1. tract. 4. cap. 7.

Illud minimè prætereundum: Epiſcopos, etſi iuriſdictionem à Pontifice accipiant, eſſe tamen ordinarios Paſtores, & habere ordinariam in ſuis Eccleſijs iuriſdictionem, quam ſubditis alijs delegare poſſunt, vti animaduertit Suarez, & Azor, quod cùm certum ſit, eius tamen ratio minùs apparet. Aliquam hi duo auctores afferunt; ego iuſtam profero, poteſtas Epiſcopalis in radice diuina eſt, cum nitatur ordine diuino Sacramento à Deo inſtituto, ſitque ſpiritualis, & ſacra, non humani iuris, ſed diuini. Quare etſi immediatè à Pontifice conferatur, non confertur ab eo tamquam à perſona humana, ſed tamquam à Chriſti Vicario, & Dei perſonam gerente, igitur cum datur, nomine diuino datur, non humano; atque adeo non eſt delegata, ſed ordinaria, quòd etſi ab homine datur, ea tamen non eſt humana, ſed ſacra, & ordinis altioris, cuius Pontifex non eſt Dominus, ſed adminiſtrator. Quam ratiocinationem aliorum auctorum nomine amplificat, & commendat Henriquez l. 3. de pœnit. cap. 5. Ego antequam & alios, & illum viderem, apud me formaui, eamque illorum auctoritate denuò confirmaui.

Et quoniam his iam dictatis, cùm alijs ſtudijs operam darem incidi in literas Sanctiſſimi Patris Ignatij de Loyola, ab eodem ad Æthiopiæ Regem, Claudium, quem Abaſſinorum Imperatorem, & Præteiannem vulgò dicimus, captata occaſione miſſi ad eum cum duodecim ſocijs; Primi Societatis Patriarchæ Ioannis Nonni Barreti Luſitani ſcriptas, quarum argumentum eſt dignitas, & auctoritas, & poteſtas ſuprema Romani Pontificis, cùm illas attentè legiſſem, comperi diuinæ plenas eſſe doctrinæ, ac miratus ſum tam paucis lineis omnia, quæ à me hic fusè, alijſque ſunt dicta, ita comprehenſa, ac expoſita, vt nihil, quod ad cauſam faceret prætermiſſum: imò cuncta, quæ diu poterant occupata ſiut: atque adeo ingentem in ijs, ac pretioſum theſaurum contineri, quem Lectoribus monſtrari volo, vt eo fruantur, & lecto eo compendium cum magno ſacræ eruditionis quæſtu faciant. Habetur autem hæc epiſtola lib. 15. Hiſtoriæ Societatis Ieſu ſcriptæ à Patre Nicolao Orlandini ornatiſſimo Scriptore. Cuius ad illam verba præmitto. [Et ſanè, inquit Orlandinus, earum hìc ego literarum exemplum, quoniam non vulgarem prudentiam continet, atque doctrinam non grauatè ſubijciam.]

Domine mi in Domino Noſtro
IESV CHRISTO.

Gratia tuæ celſitudini, & ſalus, & affluentia donorum ſpiritualium à Domino Noſtro Ieſu Chriſto.


SErenissimus Portugalliæ Rex pro ea ſolicitudine, ac zelo, quem illi Creator noſter, ac Dominus dedit gloriæ ſancti ſui nominis, & ſalutis animarum, quæ vnigeniti eius filij pretioſo ſanguine, & vita redemptæ ſunt, non ſemel oſtendit mihi per literas pergratum ſibi fore, ſi è Religioſis noſtræ minimæ Societatis, quam vocant Ieſu, duodecim viros deſignarem, è quibus ille Patriarcham vnum, duos Coadiutores pariter, & ſucceſſores eligeret, ijſdemque à Summo Chriſti Domini noſtri Vicario ſuppliciter peteret auctoritatem, & ius, quo iure ad ſuas quiſque partes rite obeundas, ipſi cum ſacerdotibus alijs in tuæ celſitudinis regna tranſmitti poſſent. Ego, pro eximijs inter ceteros Chriſtianos Principes, eiuſdem Sereniſſimi Regis Portugalliæ meritis erga Societatem noſtram vniuerſam, noſtraque viciſſim omnium in illum obſeruantia, & pietate, feci quod iuſſerat: conſultòque ſecutus numerum, qui Chriſti Domini noſtri, Apoſtolorumque eius collegium referret, præter ipſum Patriarcham, ſacerdotes duodecim ſupplementi, ac velut ſeminarij cauſa è corpore noſtro cunctos excerpſi: qui ad ſubleuandas, iuuandaſque animas tuæ celſitudinis imperio, ac ditioni ſubiectas ſeſe, vitamque ſuam in omnem laborem, atque diſcrimen offerrent. Atque hoc libentiùs parui, quod præcipua quadam alacritate ſentio me, ſocioſque meos omnes ferri ad obſequium, & cultum celſitudinis tuæ, haud immeritò: quippe quæ inter tot circumfuſas vndique nationes infidelium, & hoſtium nominis Chriſtiani, veſtigijs maiorum ſuorum inſiſtens ad conſeruandam, ac promouendam Chriſti Domini, ac Dei noſtri religionem, & gloriam diligenter incumbit. Quam ipſam ob cauſam optandum fuerat vti adhæc tam recta tuæ celſitudinis ſtudia, conatuſque, ſubſidium accederet ſpiritualium Patrum, quibus & legitima poteſtas ab hoc ſanctæ Sedis Apoſtolicæ faſtigio deriuata, & fidei Chriſtianæ pura, & ſyncera doctrina ſuppeteret, quæ nimirum duæ ſunt claues illæ regni cœlorum, quas Chriſtus Dominus noſter S. Petro, & omnibus, qui deinceps in eius erant ſolio ſeſſuri promiſit priùs, dein ipſa re tradidit. Promiſit tantummodò cum ad eum dixit (vt legimus apud Diuum Matthæum Euangeliſtam.) Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claues regni cœlorum; & quicquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis. Tradidit, ac promiſſa patrauit, cum poſt reſurrectionem, antequam in cœlum aſcenderet, ſuſcitatus ex eo ter (quemadmodum affirmat D. Ioannes Euangeliſta) Simon Bar-Iona diligis me plus his? ſubiunxit in ſingula reſponſa, Paſce oues meas: committens illi non partem aliquam ouium ſuarum, ſed totum prorſus gregem vniuerſa cum plenitudine poteſtatis, ad alendos vitali Chriſtianæ religionis pabulo cunctos vbique fideles, eoſdemque ad cœleſtia ſempiternæ beatitudinis paſcua perducendi. Ac cęteris quidem Apoſtolis auctoritatem Chriſtus Dominus noſter impertijt delegatam, ac veluti extra ordinem: at S. Petro eiuſque ſucceſſoribus ordinariam dedit, ac plenam; vti ab hoc ſummo Paſtore, tamquam à fonte reliqui animarum Paſtores peterent, eidemque acceptum ferrent, quicquid omninò iuris ad ſuum quiſque munus, ac regimen obtinerent: quod olim adumbraſſe per Iſaiam videtur Dominus, cum de Eliachim

chim loquens Pontifice maximo, & dabo, inquit clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat: quo videlicet typo figuratus est Petrus, eiusque successores, quibus datam integram potestatem declarant claues, consuetum vtrique symbolum, & insigne pleni, atque absoluti dominij. Quæ cum ita sint, celsitudo tua gratias debet ingentes Domino Deo nostro, quòd ipsa regnante, potissimùm dignatus fuerit istis nationibus mittere veros animarum Pastores, qui à summo pendeant Pastore, ac Vicario, quem reliquit in terris Iesus Christus Dominus noster: & quantamcumque habent potestatem, quæ sane perampla est, hanc ab eodem illo Vicario totam acceperint. Nec sine causa Patri, Auoque tuæ celsitudinis displicebat sumi ab vrbe Alexandria Patriarcham: quippe sicuti diuulsum à corpore membrum, neque motum, neque sensum, neque omninò vitam à corpore accipit suo: ita Ægyptius Patriarcha siue ille Alexandriæ, seu Memphi degat, cùm schismaticus sit, ac disiunctus ab hac sacrosancta Sede Apostolica, & ab Ecclesiæ totius capite Pontifice summo, videlicet vitam gratiæ, & pastoralem auctoritatem, nec sibi recipit ipse, nec alteri cuipiam valet legitimam impertire. Ecclesia namque catholica, vna tantùm est in orbe terrarum, neque fieri potest, vt alia Romano Pontifici, alia pareat Alexandrino. Vti sponsus eius Christus vnus est, sic sponsa illius vnica, de qua Salomon ait in Canticis ex persona Christi Domini nostri: vna est columba mea. Et Oseas Propheta, congregabuntur filij Israel, & filij Iuda pariter, & ponent sibi caput vnum; & in eamdem sententiam multò deinde post S. Ioannes. Fiet, inquit, vnum ouile, & vnus Pastor. Vna erat quemadmodum in Genesi legimus Arca Noe, extra quam nulla omnium salus. Vnum tabernaculum quod fabricatus est Moyses. Vnum Hierosolymæ templum à Salomone conditum; quo in templo sacrificare, & adorare oportebat. Vna, cuius staretur iudicio Synagoga. Hæc nimirum omnia Ecclesiam denotabant, quæ vna est item: extra quam nihil boni. Etenim qui cum eius corpore coniunctus non fuerit, nempè nullum à Christo capite recipiet influxum gratiæ viuificantis anima se præparans ad felicitatem æternam. Huiusce vnitatis declarandæ causa, contra quosdam hæreticos in symbolo canitur, credo vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: damnatusque à sacris Concilijs error est, priuatas Ecclesias, ceu Alexandrinam, Constantinopolitanam, aut similes dari, quæ communi omnium capiti subiectæ non sint Pontifici Romano, ex quo perpetua serie à sancto vsque Petro (qui Christi Domini iussu, vti à D. Marcello Martyre traditum est, Romanam elegit sedem, eamque suo cruore sanciuit) perducti Romani Pontifices Vicarij Christi citra controuersiam à tot, ac tanta sanctitate Doctoribus latinis, græcis, omniumque nationum habiti, à S. Anachoretis, Episcopis, & alijs confessoribus adorati; tot signis, atque miraculis, tot denique martyrum, qui in hac fide, & vnione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vitam profudere, testimonio comprobati sunt. Meritò igitur consentienti Episcoporum omnium voce, qui ad Chalcedonensem conuenerant Synodum, Papæ Leoni pariter acclamatum, sanctissimus, Apostolicus, vniuersalis. Et in Constantiensi damnata est hæresis negantium super omnes, & singulas omnium terrarum Ecclesias Primatum Romani Pontificis eminere. Ad quas tam disertas, firmasque Patrum sanctiones, atque decreta, Concilij quoque Florentini, quod sub Eugenio IV. præter alias nationes à Græcis, etiam Armenis, & Iacobitis tanto studio celebratum est, in hæc verba accessit auctoritas. Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Pontificem Romanum in vniuersum orbem tenere primatum, ac successorem esse Petri, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere. Et ipsi in B. Petro, pascendi, regendi, gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino Iesu Christo potestatem plenam esse traditam. Iure igitur Serenissimus Rex Dauid tuæ celsitudinis genitor, misso ad obsequium Romano Pontifici deferendum legato, sanctam hanc Sedem omnium matrem, ac principem agnouit. Cùmque alia multa, & præclara ipsius pariter, & tuæ celsitudinis acta numerentur; tum duo hæc eiusmodi sunt, vt eorum præstantiam nulla vnquam obscuratura videatur obliuio: ac proinde ab omnibus, qui sub isto viuunt imperio immortales auctori bonorum omnium Deo debentur gratiæ pro tam singulari in eos beneficio, vestra duorum opera, industria, virtute collato: cùm alter omnium primus se in illius potestate, qui Christi vices gerit in terris perpetuò fore professus sit: alter item primus datum ab eodem Christo Vicario Patriarcham verum, ac legitimum sacrosanctæ Sedis huiusce filium in sua regna perduxerit. Etenim si in magni cuiusdam beneficij loco habendum est, insitos esse corpori mystico Ecclesiæ catholicæ, quod à Spiritu sancto viuificatur, ac regitur, quam teste Euangelista idem spiritus docet omnem veritatem: si eximium est munus, lucem sanè doctrinæ intuêri, & Ecclesiæ fundamentis insistere, quam Apostolus Paulus ad Timotheum scribens Domum Dei, columnam, & firmamentum veritatis appellat, cui se promisit in æternum affore Christus Dominus, inquiens: Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, vt legimus apud Matthæum Euangelistam; est sanè cur sine fine gratulentur istæ nationes Deo Domino, & Conditori nostro, cuius prouidentia per tuam, parentisque tui celsitudinem, tanto illos bono dignata est: præsertim cùm iure sperandum sit, ex hac ipsa conciliatione, consensuque fore, Christo Domino moderante, vt cum spiritualibus temporalia quoque incrementa non sine amplificatione Imperij tui, & hostium abiectione proueniant. Sacerdotes, qui mittuntur istuc omnes quidem, sed præcipuè Patriarcha, Coadiutoresque, & successores eius duo, spectata admodum virtute sunt, & nostra in Societate probati per omnia; ac propter illustrem charitatem, & exquisitam, rectamque doctrinam ad hoc tanti momenti opus adsciti. Neque verò illis animus in id ipsum, aut alacritas deest, haud leui conce-

pta

pta fiducia, labores ſuos ad Chriſti Domini gloriam, tuæ celſitudinis rem, animarum auxilium pari cum operæ pretio collocandi. Humanæ quippe ſalutis amor illos, & Chriſti Domini aliqua ſaltem ex parte imitandi extimulat ſtudium; qui cruciatus, ac necem ſubijt volens, ac libens, vti mortales ab æterna calamitate redimeret: atque per Euangeliſtam: Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Hoc exemplo incitati Patriarchę, & cęteri parati veniunt, non verbo dumtaxat, conſilioque, & ſpiritualibus adiumentis; ſed ipſa morte, ſi res ferat, periclitantibus animis opitulari. Tua celſitudo quò interiorem illos ad conſuetudinem, ac familiaritatem admiſerit; eò maiorem, vt ſpero, capiet in Domino voluptatem. Iam verò quod pertinet ad fidem, ac pondus eorum, quæ ab ipſis vel publicè, vel priuatim exponentur, non ignorat celſitudo tua, omnium, quatenùs ritè legati ſunt, ſed Patriarchæ præcipuè dictis, Apoſtolicæ fidei pondus, & auctoritatem ineſſe: ac perinde illis, & Eccleſiæ credi oportere; cuius ab ipſis interpretanda ſunt verba, & ſententiæ. Et quoniam Chriſti fideles cunctos Eccleſiæ firmiter aſſentiri, eiuſque decretis obtemperare; &, ſi quid exiſtat ambiguum, aut obſcurum eamdem conſulere neceſſe eſt, non dubito, quin tua excellens pietas, probitaſque publico edicto curatura ſit in ſuis regnis, vt omnes omnium ordinum homines, tùm Patriarchæ ipſius, tùm eorum, quos ille ſibi ſubſtituet, dicta, præcepta, reſponſa citra vllam dubitationem ſequantur. Conſtat ex Deuteronomio de controuerſijs omnibus, ac nodis ad ſynagogam Eccleſiæ prænunciam referri ſolitum. Hinc illa quoque Chriſti Domini verba, ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: id ipſum in prouerbijs docet ſapientia Salomonis cum ait: ne dimittas præcepta matris tuæ (ea eſt Eccleſia) & alibi, ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui, ij ſunt eiuſdem Antiſtites. Denique tantum Eccleſiæ ſuæ tribui, ac deferri vult Chriſtus Dominus, vt per ſanctum Euangeliſtam Lucam, apertè denunciet: Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit, & per S. Matthæum, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Ex quo apparet, ne aures quidem prębendas ijs, qui alienum quippiam à ſenſu, & interpretatione Catholicę Eccleſię attulerint, ſancto quoque Paulo in epiſt. ad Galatas id ipſum pręmonente, cum ait: ſed licèt nos, aut Angelus de cœlo euangeſizet vobis, pręterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit. Ad ſummam hoc idem ſancti Doctores, Conciliorum Canones, fidelium omnium conſenſus, & conſuetudo planè demonſtrant. Ac viciſſim Patriarchæ, ac ſocijs pariter omnibus certum eſt, fixumque, tuam celſitudinem aſſiduo cultu, ſubmiſſione, atque etiam quoad fas, piumque fecat, indulgentia proſequi. Nos verò quotquot in hiſce terris, è minima noſtra ſocietate retinemur, tua celſitudo ad omne obſequium in Domino paratiſſimos habeat. Noſtris quidem certè precibus, & ſacrificijs, vt iam inſtituimus, Deo ſupplicare pergemus, vt regiam celſitudinem tuam, regnumque iſtud ampliſſimum in ſancto Chriſti famulatu conſeruet: deque illi ita tranſire per bona temporalia, vt non amittat ęterna. Idem ipſe Deus, ac Dominus noſter omnibus nobis ad ſanctiſſimam ipſius voluntatem, & clarè cernendam, & ritè exequendam perpetuum lumen, ac vires pro ſua infinita bonitate ſuppeditet. Romæ 7. Kalendas Martias 1555.

Hac epiſtola non ſine numine Ignatio dictata, & ſcripto abundè cùm Catholici confirmautur; tum Hæretici refelluntur, & à nobis tradita doctrina pondus, & robur auctoritatis accipit: nullum enim in noſtris diſſertationibus verſatur argumentum, quod in eo deſideretur; vt ea nobis è cœlo lapſa eſſe videatur.





DE PAVLI CVM PETRO.

Quoad Episcopatum Romanum, & Clauium Ordinariam, & Pontificiam Potestatem noua æqualitate recens inducta.

Diatriba.

ANTILOQVIVM.



Frica Monstrorum semper: Gallia opinionum ferax. Has eùm genius gentis felix, & facilis, tum doctrina exquisita, & multiplex pariunt, & ferunt. Inter alias Innocentio Pontifice, dum ego Lutetiæ Parisiorum versarer, prodijt hæc de Duplici Romanæ Ecclesiæ capite Petro, & Paulo, imò Paulo, & Petro noua, & insolens opinatio. Author illius Anonymus. Siuè quod non est ausus se prodere: siue ne suo nomine doctrinæ officeret. Mens, quantum ego tum conijcere potui (nec enim inquisitione abstinui) non tam quid sentiret ipse proferre, cùm aliud planè sentiret, quàm illa obiecta Romanis sententia, ijs negotium facessere, ac eorum studia in Galliam certis de causis intenta, aliò auertere: vt quasi intentato sibi vulnere se colligerent, secum habitarent, sibique consulerent. Nisi fortè fuit Romanorum ingenia experiri, an multum, & quatenus eo doctrinæ genere valerent; quo Galli sanè excellunt. Hæ meæ tum coniecturæ fuerunt; nec inanes, nec temerariæ. Illas anni consequentes probarunt. Accedit quippè Anonymus respondendi in Romanis studia, nec ipse se mouit acceptis responsis, perinde ac ad se nihil attineret confutatio, cùm iam voti sui compos tentando ingenia, & auertendo mentes factus fuisset, suique Laboris, quem sibi propofuerat, fructum percepisset.

Verum quoniam illa, quamquam noua videretur, opinio, præiudicata iam olim fuerat quorumdam heterodoxorum sententia, & ansam dederat Nouatoribus hanc viam arripiendi ad Romani Pontificis dignitatem, & potestatem impugnandam, vti ego postea in Angliæ dum Londini expertus, operæ me pretium facturum putaui, si quoniam dabatur occasio scribendi de Clauibus Petri, huiusmodi quæstionem susciperem, quæ cum ijs ita nexa est, vt eam ad se vendicent, & pondere ipso trahant. Equidem fateor, me cum de Clauibus agerem, illarum fuisse ad hanc, quoque controuersiam agitandam tinnitu excitatum. Nec potuisse non respondere monenti. Et quamquam scio viros doctissimos hic Romæ iustos hac de re commentarios edidisse, quibus ego vix addere quicquam possum, non inutilem tamen meam fore operam existimo, quod ita sim scripturus, vt hæreticis obuiam eam, & quæ inde accipere in vsum suum volunt, quasi ex manibus extorqueam: & nonnulla sim de meo, vti soleo penu allaturus: & vt neutrum horum esset, alio styli genere denso, breui pugnari vsurum me profiteor, quod ad culpam, si qua mihi imponi posset, vtcumque purgandam satis opinor fuerit.

Statum primum quæstionis proponam. Diuidam in partes suas. Singolas distinctè tractabo. Examinabo multa. Secernam quædam. Reponam alia. Multa quæ nostri aduersarij liberaliùs dant, negem. Alia contra, quæ parciùs concedunt, largiùs donem. Nonnulla, quæ minùs excussa, & explicata inuenio, vti illa de Chorepiscopis, ventilabo, & explanabo. Vt certè meam operam perdam, breuitate consequar, vt haud magnam lectores iacturam temporis faciant.

CAPVT PRIMVM.

Solum Petrum esse Caput, & Principem Catholicæ Ecclesiæ.

STatus Quæstionis est, vtrùm Petrus solus fuerit Romanus Episcopus, & Caput, ac Princeps Ecclesiæ Vniuersæ, & Pastor totius gregis Christi, ac ita in Romana Cathedra sederit, vt eam solus occuparit? An contra Paulus simul cum Petro fuerit Romanus Episcopus, & eamdem Cathedram obtinuerit, & parem Capitis, & Principis Ecclesiæ, & Pastoris authoritatem, & dignitatem habuerit, ita vt ex ambobus vnum caput iustum, ac integrum coaluerit? Hoc secundum affirmat, & probare contendit Anonymus Gallus, & quidem quæstio fermè tota de facto est, & potius testimonijs Scripturæ Patrum,

trum, & Conciliorum, quàm rationibus terminanda. Si Euangelia expendantur nullum testimonium Paulo fauet. Si acta Apostolorum, & Epistolæ, loci quidam sunt, qui videntur fauere Paulo. Hos Anonymus diligenter collegit. His nunc ego abstineo, quia ad obiectiones reseruo. Pro Petro autem scripturæ loca non affero, quia id aliàs accuratè egi in Tessera Pontificia Londini excusa aduersus Thomam Anglum.

Quod attinet traditionem, constans ea est Romanam Cathedram solius Petri sedem esse; nemo est quin ita, & semper audierit, & senserit, vt vix doctus, qui ante hoc commentum Anonymi ea de re quidquam contrarium acceperit. Id verò ex festis Cathedræ Petri tùm Antiochenæ, tùm Romanæ, quæ instituta sunt ab Ecclesia, patet. Hæc verò soli Petro addicta sunt. Huius autem festi meminit Concilium Turonicum secundum celebratum anno Domini 570. sub Papa Ioanne III. quod habetur tom. 2. Concil. p. 2. collectionis Binij pag. 230. num. 23. imò & ipsamet Cathedra clamat vnam se esse, & vnius tantùm sedem fuisse, nimirum Petri. Roget Gallicanos suos Ciues Anonymus, qui Romam venerunt, quot Romanæ Cathedræ sint? Vnam sedem, & vnum successorem Petrum, ab omnibus fuisse accipiet. Verùm ne dicat nos ex trunco, & vulgò argumentari, afferamus viua, & erudita testimonia, initium sumentes à Pontificibus Romanis, qui in eadem Cathedra sederunt, qui sine dubio norunt vbi sederint, & cui successerint. Pontifices Romanos appello.

Clemens igitur epist. 1. ad Iacobum Fratrem Domini, (siue inscriptio vera sit, siue non, epistola vera est) testatur se à Petro Romanam Cathedram cum documentis illustribus accepisse, sic enim ibi apud eumdem Petrus coram cœtu fidelium [Clementem hunc, inquit, Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado.] Et paulo post id muneris Clementi detrectanti, [libenter, ait, suscipe Episcopatus officium, maximè quòd Ecclesiasticas dispositiouss à me probabiliter didicisti.] Eumdem Petrum Apostolum in eadem epistola Clemens [fundamentum Ecclesiæ, primitias electorum Domini, & primum Apostolorum] vocat, & in principio Epistolæ secundæ, sic ait; [sicut à Beato Petro Apostolo accepimus omnium Apostolorum Patre, qui claues Regni cœlestis accepit.] Nulla prorsus de Paulo mentio hic est, cuius adiutor Clemens fuerat.

Anacleti epistola prima illud egregium testimonium præbet. [Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones ad sedem semper deferrentur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad Beatum Principem Apostolorum Petrum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Alia item sunt illustriora epistola secunda, & tertia. Vnum offero ex secunda. [In nouo testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. hic ergo ligandi, atque soluendi potestatem primus accepit à Domino. Cæteri verò Apostoli, cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque Principem eorum esse voluerunt.] Ac nequis ob hoc quidquam de Iure Diuino primatus ambigeret, sic epistola tertia. [Inter Beatos, inquit, Apostolos, quædam fuit discretio, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est cōcessum, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest Caput, & principium teneret Apostolatus.

Quare Alexander primus, in prima Decretali ad omnes Orthodoxos, [Beatus Petrus, inquit, Princeps Apostolorum in ordinatione sancti prædecessoris nostri Clementis instruens Clerum, & populum, ait &c.] Cùmque postea Paulum nominet, Gentium Doctorem vocat; principem non appellat.

Pius I. epist. 1. Decret. Christus, qui & hanc sanctam Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Caput esse præcepit, ipso dicente Principi Apostolorum, Tu es Petrus &c. Eumdem Anicetus epist. ad Episc. Galliæ Principem Apostolorum vocat Paulum cùm citet, non vocat.

Zepherinus epist. 1. [Beato, inquit, Petro dictum est. Quæcumque ligaueris &c. & reliqua priuilegia, quæ soli huic sanctæ Sedi concessa sunt.]

Pontianus epist. 1. sic concludit [Christus Iesus, & B. Apostolus Petrus Apostolorum Princeps.]

Antherus vn. Decretal. [Petrus sanctus Magister noster, & Princeps Apostolorum de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam.] Silet de Paulo.

Fabianus epist. 1. [B. Apostolorum Princeps Petrus in ordinatione Clementis &c.]

Cornelius epist. 1. de translatione Corporum Petri, & Pauli, Solum [Petrum Principem Apostolorum] appellat.

Lucius epist. vn. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, [Literas, inquit, dilectionis vestræ, quas ad B. Petri Apostoli sedem misistis,] & prope finem. [Dominus fidem B. Petri non defecturam promisit, & confirmare eum Fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices prædecessores fecisse semper, cunctis est cognitum.] Pauli nulla mentio.

Felix Papa eadem prorsus verba vsurpat. epist. 3. ad Benignum Episcopum.

Euthychianus epist. 1. ad Ioann. & cæteros Episcopos Bæticæ Prouinciæ. [Vnum ait hoc immobile fundamentum, vna hæc felix Fidei Petra, Petri ore confessa: Tu es Christus.

Marcellus epist. 1, ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ. [Ipse caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus &c. Eius enim sedes primatus apud vos fuit, quæ postea, iubente Domino, Romam translata est, cui, adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die.] De Paulo silentium.

Eusebius Papa epist. 3. ad Episcopos Tusciæ, & Campaniæ. [Benedictus Deus, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam B. Petri Apostolorum Principis sacerdotio ditauit.]

Melchiades epist. 11. ad omnes Hispaniæ Episcopos. [Hoc priuilegium (Appellationis) huic sanctæ sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruare. Episcopos ergo, quos sibi Dominus tamquam oculos elegit, & columnas esse voluit suo iudicio reseruauit, hocque priuilegium beato Claiugero sua vice solummodo commisit. Quod eius instè prærogatiuum succrescit sedi, quoniam, & inter beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis. Et licèt cunctorum par electio foret, beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret: quod Dei ordinatione ordinarum credimus, vt semper maiores causæ ad vnam beati Principis Apostolorum Petri sedem confluerent.] Hic locus Achilles est.

Hi ante Sylnestrum Pontifices etiam apud Hæreticos sunt venerabiles: vtpote qui pené omnes sanguinem pro Christo suderunt. Alios adijcio, quòd cum Catholico agimus, ac ijs etiam ob antiquitatem Hæretici fidem habent.

Marcus Papa, Epist. ad Athanas. & episcopos Ægypti, quæ citatur à Concilio Florentino sess. 20. [Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & beato Petro opem ferente in futurum manebit.] Et paulò post. [Illibata finetenus manet secundùm Domini diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum Principi; Petre inquit, Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:] & mox [Fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit:] & pergit adducere eamdem sententiam Lucij Papæ, & Felicis Papæ.

Iulius Papa epist. Increpatoria ad Orientales Episcopos. [Semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam referri præceptæ sunt. Ipsa namque omnibus maior est, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodo Canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: Tu es, inquit, Petrus &c.] Et infra. [Sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia.] Hæc postea ab eodem dicitur beati Petri Apostoli sedes, & affert illa verba Melchiadis. [Inter beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret.] Idem epistola 2. confirmat num. 30. & 36. &c. Et epist. 4. ad finem.

Liberius epist. 13. ad Athanas. & Ægyptios Episcop. [Olim, & ab initio tantam accepimus à beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro Ecclesia vniuersali.]

Felix 2. epist. 1. ad Patres Synodi Alexandr. [Incipiamus ergo adiuuante Deo, & sancto Petro Apostolo, per quem Apostolatus, & Episcopatus in Christo cæpit exordium:] & postea num. 19. [Manifestum est nullum damnari debere Episcopum, qui hanc sanctam Sedem interpellauerit, donec iudicium de eo nostræ auctoritatis, hoc est Principis Apostolorum agnoscat: quia solummodo Christus Iesus huic sanctæ Sedi, idest Apostolicæ, hoc facere commisit, vtpote quoniam solus, atque præ omnibus præfatus Princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit à Rege Regum Iesu Christo claues Regni Cælorum, &c.] Hic est alter Achilles.

Damasus epist. 4. [Manifestum est non debere Episcopum damnari, donec iudicium de eo nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est Principis Apostolorum Petri, cognoscatur, vtpotè quoniam Solus, & præ omnibus creditus est, atque percipere meruit ab Rege Regum Christo claues Regni Cælorum.] Tertium Achillem dixeris. Alia similia suppeditat epist. eiusdem Damasi 5.

Siricius epist. ad Hieronym. 1. [Portamus, inquit, onera omnium, qui grauantur, immò hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes.]

Innocentius Victricio sic epist. 2. [Incipiamus ergo, adiuuante Deo, & sancto Dei Apostolo Petro, per quem, & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium.] Paucas post lineas adducit Pauli sententiam, nulla de illo pari commemoratione. Plura in hoc Pontifice omitto. Excerpo tantùm illud ex epist. 18. de Sede Antiochena. [Prima Primi Apostoli Sedes esse monstratur, vbi & nomen accepit Religio Christiana, quæque vrbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gaudet.] Tam erat affixus primatus Petro.

Zozimus idem confirmat epistol. 10. ad Concil. Carthaginen. [Currit suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomine.] Mox: [Habet enim ipse cùm omnium Ecclesiarum, tum huius maximè, vbi sederat curam.] Concludit: [Cùm ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit.]

Bonifacius breuiter, sed solidè epist. ad Honorium Augustum. [Teste, apud quem, & de cuius Sede agitur, Sancto Petro.]

Cælestinus epist. ad S. Synod. Ephesin. in eiusdem actis par. 3. pag. 414. Collect. Binij. [Longiùs quidem sumus positi: sed per sollicitudinem totum propiùs intuemur. Omnes habet beati Petri cura præsentes.] Vbi Paulus, qui maximè erat vocandus, cui fuit sollicitudo omnium Ecclesiarum? Nullus tamen occurrit, nec in altera ad Theodosium eadem pagin. Nec in tertia ad Clerum Constantinopolitanum, nisi de Petro cum hac capitis prærogatiua meminit, cùm multas Pauli ad doctrinam sententias attulisset. Sixtus in epist. ad Cyrillum inserta Concilio in eadem 3. par. [Ad beatum Petrum fraternitas vniuersa conuenit. Habuerunt Coepiscopi nostri illum congratulationis testem, quem habemus honoris exordium.]

Leonis Magni testimonijs (tot sunt) obruor. Seligo illud epist. ad Leonem posita in Concil. Chalcedonen. par. 3. num. 25. pagin. 377. [Cùm ergo vniuersalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationem facta sit petra, & primus Apostolorum beatissimus Petrus, voce Domini dicentis, audiuerit. Tu es Petrus, & super hanc petram, quis est nisi Antichristus, aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem.]

In V. Synodo ita Vigilius Rustico, & Sebastiano Collat. 7. fol. 108. [Oportet, ait, nos

nos iam post tantas admonitiones in vobis Rustice, & Sebastiane per auctoritatem beati Petri, cuius nos Dominus sibi voluit vice seruire, &c.] ac sæpè auctoritatem Petri vsurpat in eadem epistola.

Multa, & præclara huiusce veritatis documenta suis in epistolis probat Agatho in sexta Synodo insertis. Decerpo illa verba ex epist. ad Augustos Act. 4. [A Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus, qui & spirituales oues Ecclesiæ, ab ipso Redemptore omnium terrena, commendatione pascendas suscepit: cuius auctoritatem, vtpotè Apostolorum omnium principis semper omnis Ecclesia, &c.]

In 7. Synodo habetur epist. Adriani I. ad Constantinum, & Iren. in qua sic Act. 2. [Ipse Princeps Apostolorum beatus Petrus, qui Apostolicæ sedis primitus præsedit, sui Apostolatus principatum, ac pastoralis curæ successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit: quibus, & auctoritatis potestatem quemadmodum à Saluatore nostro concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit diuino iussu successoribus Pontificibus.]

Octaua Synodus duorum Pontificum testimonia exhibet. Nicolai I. & Adriani II. Illud est Nicolai epist. ad Michaelem Imperatorem. Act. 4. [Principatum diuinæ potestatis, quem omnium conditor electis suis Apostolis largitus est super solidam fidem Apostolorum Principis Petri, videlicet soliditatem confessionis eius egregiam, immò primam sedem deliberauit. Nam voce Domini ipsi dictum fuerat, Tu es Petrus, &c.]

Illud Adriani Act. 7. in Allocutione I. ad Concilium, quæ lecta fuit per Ioannem Archidiaconum contra Photium. [Posuit in Cœlum os suum; dum contra diuinam ordinationem cælitus in beati Petri Principis Apostolorum primatus dispositione guttur aperuit, & aduersùs eiusdem Cælestis Clauigeri Apostolicam Sedem, & præcipuam, & summam dignitatem, & potestatem linguam suam more serpentis exacuit.]

De Pontificibus quidem satis, omnes eodem ore loquuntur. Itaque Heterodoxi non negent. Exhibeamus Conciliorum testimonia. His illa sunt plena. Pauca ex multis afferamus.

Synodus Alexandrina epistol. ad Felicem 2. Præclarum hoc de Petri dignitate præconium edidit. [Sicut in Christo Christiani, & in petra, idest Petro renouantur Ecclesiæ. Tu es enim sicut Diuinum veraciter testatur eloquium, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ Columnæ, idest Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent tibi sunt confirmatæ. Tibique claues Regni Cælorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terris, atque in cœlis sunt, promulgauit.] Et addit multa in hanc rem illustria. Illud libo. [Certum est enim eidem Sanctæ Sedi vestræ in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem decreuisse reuerentiam.] Sunt, qui hanc Synodum suspectam putant; vtcumque sit, antiqua est, & auctoritate non caret. Sed affero recepta, & fide digna.

In Concilio Romano 4. sub Damaso sic habetur. [Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia.] Quò redit tota moles ratiocinationis, quæ item Paulum inuoluebat. De quo nos suo loco dicemus. Satis nunc fuerit prærogatiuam Petri esse probare; idque adducto loco superiori perspicuè apparebit.

Concilium Carthaginense sub Innocentio I. aduersùs Pelagium coactum in epistol. Synod. ad eumdem. [Beatissimo Petro primo Apostolorum.]

Concilium Africanum sub Zosimo anno 418. celebratum auctore Prospero aduersùs Collator. sic. [Constituimus in Pelagium atque Celestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Petri Sede prolatam manere sententiam.] Certè si ea Pauli esset, non omitterent de eo mentionem facere, quem vindicem gratiæ, de qua agebatur, nossent: cum præsertim auctor, opinor epistolæ Augustinus fuerit insignis, & gratiæ Amator, & Pauli.

In Concilio Ephesino par. 3. in homil. Pauli Emiseni Episcopi coram Cyrillo habita affertur Confessio illa celebris Petri his verbis. [Mox Petrus Apostolorum vertex, & os discipulorum respondit. Tu es Christus.] Deque hac Confessione [super hanc Fidem, inquit, super hanc spem, super hanc petram à Domino Deo posita sunt Ecclesiæ fundamenta.]

In Concilio Chalcedonensi par. 3. ipsamet Synodus in Allocutione ad Marcianum defendens epistolas Leonis papæ, & doctrinam earum, comparat eius Fidem Fidei Petri: & ad finem ante citationes: [Concilij, aiunt, huius à vobis congregati prædicationem Petri sedis auctoritate roborantes.] In eadem par. Concilij Iuuenalis Episcopi Rescriptum Synodicum sic incipit. [Cùm summus, & primus Apostolorum Petrus dixisset, Tu es Christus: Dominus intulit: Beatus es. Super hanc confessionem roborata est Ecclesia Dei, &c.]

In eodem loco Armeni Episcopi in epistol. ad Leonem Imperatorem ita: [Celestinus Petri sedis, sententięque successor.]

Ille insigni est locus ad finem Act. 2. vbi lecta epistola papæ Leonis clamarunt Patres: [Omnes ita credimus. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est.]

Concilium Bracharense primum celebratum anno 563. Ioanne papa III. loquens de Leone Magno [Beatissimus papa vrbis Romæ Leo, qui quadragesimus Petri Apostoli successor extitit.] Et paulò inferiùs: [Abominata iam olim à sede beatissimi Petri Apostoli, & damnata Priscillianæ hæresis figmenta.]

Synodus Turonica 2. habita anno 570. quem locum supra indicaui num. 23. [Sunt, inquit, qui in festiuitate Cathedræ Domini Petri Apostoli cibos mortuis offerunt.] Pauli ea Cathedra, nec dicitur, nec Festiuitas pro eius Cathedra.

In Concilio Romano sanctus Gregorius anno 601. sic. [Ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis, cuius vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus.]

Latranense sub Martino I. Concilium

illu-

illustre testimonium perhibet, nomine Sergij Cypriensis Archiepiscopi in literis ad Theodorum Papam, quem. [Vniuersalem Papam Dominum appellat: Firmamentum à Deo, inquit, fixum, & Immobile, atque tituli formam lucidissimam Fidei vestram Apostolicam Sedem ò sacer vertex Christus Deus noster. Tu es enim, sicut diuinum veraciter pronuntiat verbum, Petrus: super fundamentum tuum Ecclesiæ columnę confirmatę sunt, & Claues Regni Cœlorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & in Cœlis sunt promulgauit. Tu profanarum hæresum depositor existis, vt princeps, & doctor orthodoxæ, & immaculatæ Fidei.] Mirum, nullam de Paulo mentionem fieri, cum de doctrina sermo erat. Accedit pondus huic testimonio illis verbis Martini in eodem Concilio post epistolam Victoris Carthaginensis synodicam. Ait enim Papa: [donec iudicium de eo nostræ Apostolicę auctoritatis, hoc est principis Apostolorum Petri cognoscat, vt porè quoniam solus, atque prę omnibus creditus est, atque accipere meruit à Rege Regum Iesu Christo claues Regni Cœlorum.] En claues soli Petro addictę.

Octauæ Synodi Patres sic Actot. 7. [nemo Fidelium in iniuriam B. Petri Principatus impunè prorupit, in cuius videlicet contumeliam, vt S. Bonifacius Papa scribit, quisquis insurgit, habitator non poterit esse regionum. Tibi, inquit, dabo claues Regni Cælorum. Nemo vnquam Apostolico culmini, de cuius, inquit, iudicio non licet retractari manus obuias audacter intulit.] Ita sentiunt, & loquuntur Concilia. Infinitum esset omnia percensere.

Duo tamen testimonia omittere non possum. Vnum ex collatione Anglicana de Paschate celebrando habita, Vitaliano Papa ann. 664. Extat tomo 2. Concil. p. 2. sumpta ex Beda lib. 3. Histor. Ecclesiast. Anglor. ad Nouarorum in eo Regno tormentum. [Num præferri potuit (Columba quidam Schismaticus) Beatissimo Apostolorum Principi? Cui Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] De hoc ait, fuisse, & prædicasse Romæ, & Paschatis celebrandi Latinum morem tradidisse. Hæc, Rege præsente, Wilfridus. Quo orante dixit Rex [verè ne Colmane, hæc illi Petro dicta sunt à Domino? Qui ait, verè Rex.] Hic autem postra. [Huius, inquit, in omnibus cupio obedire statutis, ne fortè, me adueniente ad fores Regni Cœlorum, non sit qui referat auerso illo, qui Claues tenere probatur.] Discant ab hoc Rege Angli Petrum, & colere, & timere.

Alterum esto ex Nicæno Concilio in Canonibus Arabicis. Octauus ergo Canon ita: [Constitutum est, vt Episcopus Ægypti, idest Patriarcha Alexandrinus prouideat &c. quia similiter Episcopus Romæ, idest successor Petri Apostoli potestatem habet &c.] Magnam vim in hoc testimonio esse video, quòd Arabes, inter quos versatus est Paulus, nihil Paulo de illa Cathedra impartiuntur.

Patrum magna est hac de re consensio. paucos, ac ex primarijs adduco. Cyprianus epist. ad Iubaianum. [Ecclesia, quæ vna est, super vnum fundatur, qui Claues accepit.] Et epistola ad Quint. [Petrus, inquit, [cum Paulus secum disceptabat, non vindicauit aliquid insolenter, vt diceret se primatum tenere.] Quem locum Augustinus referens lib. 1. de Bapt. cap. 5. & Cypriani sententiam exponit, & suam profert. [Ecce vbi commemorat Cyprianus Petri primatum Apostolorum, in quo tam excellenti gratia præeminet.] Concinit Cypriano, & sibi Augustinus epist. 19. [Ipse Petrus, quod à Paulo fiebat, sancta, ac benigna pietate accepit, atque ita rarius, & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi, quo confidenter etiam auderent minores maioribus pro defendenda veritate resistere.]

D. Hieronym. contra Iouin. lib. 5. [Inter duodecim vnus Petrus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.]

D. Ambros. lib. 10. in Lucam cap. 24. [Petrum Christus omnibus Apostolis antetulit.]

S. Basilius in Proœm. de iudicijs Dei. [B. Petro, qui & cæteris Apostolis antelatus fuit: cui Claues Regni Cęlorum commissæ.]

Hos tamen locos dabunt alij Affero minùs obuios: ex tomis Conciliorum. Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis legatus in Ephesino Concil. p. 3. Act. sic [Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, quòd sanctus, & Beatissimus Petrus Apostolorum Princeps, & Caput, Fideique columna, & Ecclesiæ fundamentum à Domino nostro Iesu Christo Claues Regni Cælestis accepit, soluendi, ac ligandi potestas ipsi data est, qui ad hoc vsque tempus, & semper in suis successoribus viuit, & exercet.

Tarraconenses Episcopi in epistola ad Hilarum Papam tom. 2. Concil. part. 2. post Concil. Chalced. [Priuilegium Sedis vestræ; quo, susceptis Regni Clauibus, per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: Cuius Vicarij principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus, & amandus.]

Possessoris Episcopi ad Hormisdam inter Hormisdæ epistolas ea sunt verba. [Quis maiorem circa subiectos solicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis Fidei stabilitas expetenda, quàm ab eius sedis præside, cuius primus à Christo rector audiuit. Tu es Petrus, & super hanc petram.]

Amator Episcopus Augustudunensis Sylueria Papæ exultanti sic scribit. [Audiuimus vos à Sede Petri iniustè pulsum, exilio destinatum. Quid putas de nobis fieri Pater summe, cum de summo Pastore, & Vicario S. Petri talia fiunt?]

Illustris illa est. S. Bonifacij professio Fidei cum iuramento obedientiæ præstandæ, Sedi Apostolicæ, inter epist. Gregorij II. to. 3. Concil. Hic, accepta prædicandi, & docendi ab eo Pontifice potestate; [per inconcussam authoritatem Beati Petri Apostolorum principis.] Sic respondet. [Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus Tibi B. Petre Apostolorum princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ, & successoribus eius &c.] Ecce quòd poterat munus docendi à Doctore Gentium Paulo accipere, eique referre, non ab eo, sed à Petro accipit, eique acceptum refert, quòd intra Sedem Apostolicam, quæ solius est Petri, res gerebatur.

No-

Nouit hoc Colonia Agrippina clariſſima Germaniæ Vrbs, quæ acceptam à Materno Petri diſcipulo Fidem ſigillo ſuo teſtatur. In quo eſt [Imago Petri ſedentis, altera manu duas Claues, altera librum tenentis,] vt poteſtatem principis, & doctrinam magiſtri, ſignificet.

Mitto alia ſexcenta. Finio adductis nonnullis Auguſtorum, quæ ſplendorem cauſæ addant, teſtimonijs.

Primus ſit Conſtantinus in Edicto ſuæ donationis, quod omnino recipio cum Leone IX. Papa: quem oppono dubitantibus, & ſuo loco monſtrabo. Hic ergo. [Quantam poteſtatem Saluator noſter ſuo Apoſtolo B. Petro contulerit in Cælo, ac terra lucidiſsimè nobis edixit, dum ait. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram.] Et poſtea [Sicut in terris S. Petrus Vicarius Filij Dei eſſe videtur conſtitutus, etiam & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorum &c.] Præterea [Saluator noſter B. Petrum Apoſtolatus obtinere præcepit Cathedram.] Hæc disertè de ſolo Petro: cùm Paulo infra adſcribat martyrium pro Chriſto. De Cathedra nihil communicat: cùm eam in eodem edicto Petro ſæpè attribuat. Quæ verba ex edicto, quod Leo Papa IX. ſuæ ad Michaelem epiſtolæ primæ inſeruit, ſunt translata. Quæ ſanè epiſtola huiuſce Primatus ſolius Petri iuſtum eſt cùm teſtimonium, tum elogium.

Valentinianus in ſacris ad Theodoſium literis miſſis initio Chalcedonenſis Concilij præfixis: [Debemus cum omni deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apoſtolo intemeratam & in noſtris temporibus conſeruare, quatenùs beatiſſimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotij, ſuper omnes antiquitas contulit &c.

Iuſtinianus Imperator in vtraque Fidei Confeſſione eamdem prærogatiuam teſtatur inter epiſtolas Agapeti Papæ: Eadem eſt, vtrobique formula. [Prima ſalus eſt rectę Fidei regulam cuſtodire, & à Patrum traditione nullatenùs deuiare, quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, & hæc, quæ dicta ſunt probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio.

Galla Placidia Theodoſij maioris filia, Arcadij, & Honorij ſoror, Valentiniani Imperatoris mater ſic ad Theodoſium Arcadij fratris filium. [Ad Concilium, inquit, Apoſtolicæ Sedis iudicium tranſmittatur, quam & nos tamquam præcedentem veneramur, in qua primus ille, qui cæleſtes claues dignus fuit accipere, principatum Epiſcopus ordinauit.] Similia habet in alijs literis ad Pulcheriam Auguſtam Arcadij fratris filiam. Nonnihil in epiſtola huiuſce Pulcheriæ ad Theodoſium fratrem reperitur.

Conſtantinus Pogonatus in Sacro Reſcripto ad Leonem Papam II. laudans epiſtolam Agathonis Papæ miſſam ad ſextam Synodum, ſic ait. [Ac veluti ipſum Principem Apoſtolici chori, primæque Cathedræ Antiſtitem Petrum continui ſumus mentium noſtrarum oculis totius diſpenſationem myſterij diuinitùs eloquentem, verbaque hęc per eas literas Chriſto facientem. Tu es Chriſtus filius Dei viui, nam ipſum tùm Chriſtum nobis ſacræ eius literæ, diſſerendo exprimebant, quas omnes libentibus animis, ſincerèque accepimus, & veluti Petrum ipſum vlnis animi ſuſcepimus.] Et paulò poſt Macario refragante literis, & Fides Agathonis ita: [veluti in ipſum Coryphæum, ac Principem Petrum inſaniens.]

Conſtantinus, & Irene mater in ſua Diuali ad Adrianum Papam. [Et tamquam verus primus Sacerdos, & is, qui in loco, & Sede Sancti, & ſuperlaudabilis Apoſtoli Petri præſidet.] Loquitur de Papa Romano. Habetur initio 7. Synodi.

Et in ſacra ad eamdem Synodum Actioni primæ inſerta: [Petrus, inquit, primus Princeps Collegij Apoſtolici.] Recentiora obuia ſunt Lectori.

Itaque ſolus Petrus Princeps Apoſtolorum. Solus Pontifex Romanus. Solus Caput Eccleſiæ. Solus Paſtor vniuerſalis. Solus in Romana Cathedra ſedit.

CAPVT II.

Cur non decuerit Paulum in Cathedra Romana ſedere rationes nonnullæ probabiles aſſeruntur.

QVamquam in re ſacti verſemur, nihilominus cùm hoc factum ſit, ac rectè factum, rationes cur rectè ſit factum, aliquæ eſſe debent. Has ergo inquirimus.

Prima ſit. Ratio Capitis in eo differt à corpore, quòd vna eſt, cùm hoc ex multis membris conſtet. Si autem caput multiplex eſſet, tranſiret in corpus, & alio capite indigeret.

Secunda eſt. Forma regiminis Eccleſiæ debet eſſe perfectiſſima, ſaltem non minus perfecta, quàm adminiſtrationis ſecularis. Ac ſi Eccleſiaſtica inſtituta à Chriſto haberet duo capita; quamuis vna eorum moralis eſſet poteſtas, non eſſet Monarchica, quæ eſt forma perfectiſſima, atque adeo minùs eſſet perfecta, quàm ea, quam in Regnis videmus expreſſam.

Tertia. Si illa poteſtas Pontificia eſſet par in Petro, & in Paulo, vel eſſet vna, & eadem in duobus, vel diſtincta, & diuiſa. Illud primum fieri non poteſt, quia in creatis, nequit dari proprietas vna ſingularis in duobus, & indiuiſa, quia hoc eſt proprium Dei. Secundum igitur erit, Sed ex eo ſequitur Petrum dimidium tantùm eſſe caput, & non habere plenariam poteſtatem, nec omnia in Eccleſia poſſe ad regimen illius. Quod eſt contra Euangelij, & Patrum doctrinam.

Quarta. Si illa poteſtas eſſet diuerſa, & par in vtroque, ex natura ſua poſſet opponi vna alteri, cum eſſet par, & diuerſa; ergo obnoxia diuiſioni, & diſſenſioni. Quod fas non eſt, cùm illa poteſtas ſit Spiritualis, & diuina. Spiritus autem Dei non ſit diſſenſionis, ſed pacis. Nec valet dicere, quòd Deus prouideret, ne opponerentur, nam hìc non agimus de actu, & effectu, ſed de natura, & conditione illius poteſtatis, quæ obnoxia ex ſe diſcordiæ eſſet. Imò, id auget vim argumenti, quia ne-

necesse esset peculiari prouidentia, & quasi miraculum, nec effectus discordiæ sequeretur.

Quinta. Ex æqualitate, & similitudine prædicationis, & doctrinæ extitit in primitiua Ecclesia magna dissensio,& tumultus inter discipulos Petri, & Pauli, & Apollo: quanta igitur esset in Ecclesia discordia, ex æqualitate Petri, & Pauli in dignitate, & iurisdictione? Igitur, vt hæc esset, vnius tantùm, non duorum debuit esse dignitas, & potestas.

Sexta. Perfectior est Ecclesia, quàm Synagoga. At in Synagoga, vel numquam, vel nonnisi cùm expirabat duo pontifices summi fuerunt: igitur non decuit, vt Ecclesia tantò Synagoga dignior duos haberet summos pontifices: præsertim quando nascebatur,nisi velimus expirantem Synagogam nascenti Ecclesiæ æquare. Maius assumptum patet: Minus probatur à Maldonato Matth. 26. & Luc. 3. vbi negat ante Christi passionem duos Summos Sacerdotes in Synagoga fuisse. Annam verò, & Caipham illo extremo Synagogę tempore Summum Pontificatum gessisse affirmat. Septima. Admissa illa potestate Pauli,non sequitur quod intendit Anonymus, ad gloriam paparum spectare, vt illi Paulo item succedant, atque adeo virtutem illam duplicis capitis in se continere. Quia potestas illa Pauli non esset ordinaria, sed delegata: & hæc non transit ad alios: ergo Pauli non peruenit ad pontifices. Maior assumpta patet, quia illa Pauli potestas fundata erat in Apostolatu Pauli, & ei erat annexa, & Apostolatus erat delegatus, ergo & illa potestas Pauli,atque adeo non emanauit ad alios;nam Apostolatus Pauli cum eo expirauit, & à fortiori annexa, & appendices illius. Explicatur vis huius rationis hoc modo. Non erat fortius illud vinculum Pauli cum Romana Ecclesia, quàm aliorum Apostolorum cum alijs, sed mortuis Apostolis Episcopi successores pendent à pontifice Romano,& ab eo eliguntur, & iurisdictionem accipiunt, non ab Apostolis, quorum tamen successores sunt, quia solus papa est ordinarius pastor. Igitur dato, & non concesso,quòd Paulus fuerit Episcopus Romanus, non sequitur intentum, quod eius dignitas, & potestas ad pontifices Romanos descendat, & transeat, sed ea sola, quæ erat in Petro, cum esset ordinaria.

Atque hinc fortissimum aduersùs Anonymum, & sequaces sumitur argumentum: quod maximè obseruandum est. Hac ratione. Animaduerti oportet in tot testimonijs, quot nos superiùs adduximus, & adducunt alij, & adduci possunt nullam de Paulo mentionem fieri; nec pontifices voluisse potestatem Pauli sibi vendicare,sola Petri contentos. Quod sanè mirum est. Nam si Pauli etiam successores essent, & illius consortes, & illam optare, & vindicare debuissent: quod tamen videmus eos minimè facere. Hinc ergo deduco: Illam dignitatem, & potestatem Pauli non fuisse capitis, nec summam, atque adeo à summo pontificatu alienam, & minimè congruentem pontificibus. Ea propter noluerunt eam sibi vendicare; quòd idonea, & apta suo muneri supremo non erat. Itaque tantum abest, vt illa quæcumque tandem esset Pauli potestas, Petri similis, patuè foret, vt potiùs esset dissimilis: & inferior, & longè à papali, & suprema diuersa. Itaque Summi Pontifices,quibus notum erat Petro succedere, qui erat princeps, & Caput, eius tantùm dignitatem, et potestatem vindicare voluerunt: aliam Pauli omiserunt, quòd supremo muneri minimè congruebat. Quod, et alij docti, et eruditi viri; quos citauimus, acutè viderunt. Et quidem Pauli potestas, et dignitas intra Apostolatum, et doctrinam contineba-tur. Ad illum summi pontificatus apicem non ascendebat. Vnus erat è grege ouium quamquam [vir gregis :] comparatus cum Petro: cum alijs Pastor item ouium erat, sed non Pastor Pastorum, et ouium, vti Petrus. Quomodo ergo potuit, quem non habuit titulum, nec officium successoribus Petri relinquere? Quare maleuolè agit Anonymus, cùm nostris vult persuadere se candidè, et liberaliter cum papis Romanis agere, faciendo eos Pauli successores, cùm hoc sit ijs detrahere, non addere: minuere dignitatem, non augere. De quo illud vsurpem. [Timeo Danaos et dona ferentes.] Nec enim donando pontifici, quod est Pauli, beneficium confert, sed iniuriam infert. Quod nos latiùs in argumentorum solutione explanabimus; vbi notabimus, quoties papę authoritate Petri,et Pauli vtuntur, quod scimus interdum facere, potiùs eos cum Paulo authoritatem Petri supremam communicare, quàm ab eo suam mutuari: vti cùm Paulus dicitur Princeps Apostolorum, non tàm ratione sui, quàm Petri, cum quo simul nominatur, dici, et nuncupari.

Octaua huius asserti, ratio sit. Patres cùm maximè volunt suam, et nostram aduersùs Schismaticos,et Hæreticos doctrinam statuere, et confirmare, vti solent argumento Sedis Apostolicæ Romanæ, numerando successores in ea Petri, ab initio Ecclesiæ ad sua, vsque tempora. Inducunt in ea serie Petrum dumtaxat, vti Caput, et principem: et ab eo eam inchoantes filum pontificum deducunt. Quòd argumentum est Romanam Sedem esse vnius Petri, et papas eius esse vnius successores. Quòd si Romana Sedes Pauli etiam ex æquo foret, iniuriam ei, ac Fidei Patres illi facerent, si eum prætermitterent, et negligerent.

Igitur Patrum Africanorum hęc propria prouincia fuit. Tertullianus lib. 3. contra Marcion. in Poeticis. Sic

Ex quibus electum magnum, plebique probatum.
Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse locatum.
Maxima Roma Linum primum considere iussit.
Post quem Cletus, & ipse gregem suscepit ouilis.
Huius Anacleti successor sorte locatus:
Quem sequitur Clemens. Is Apostolicis bene notus.
Euaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ouile.
Post expleta sui, qui lustri tempora tradit
Thelesphoro. Excellens hic erat, martyrque fidelis.
Post illum socius legis, certusque magister.

Et hic intericctis nonnullis versibus de Cer-

do-

done, qui eo Pontifice vixit, & suum venenum euomnir, addit.

Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ
Composita à Petro, cuius successor, & ipse.
Iamque loco nono Cathedram suscepit Hyginus,
Post hunc deinde Pius, Hermas, cui germine frater
Angelicus Pastor, quia tradita verba locutus
Vtque Pio suscepit Anicetus in ordine sortem.
Sub quo Martion huc veniens &c.

Optatus Milenitanus lib. 2. contra Parmenianum Donatistam Episcopum: [Negare non potest scire te in Vrbe Roma Petro primùm Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederet omnium Apostolorum caput Petrus, in qua vna cathedrę vnitas seruaretur.] Et adiungit. [Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus &c.]

Hic locus rem continet, quòd vnitatem cathedræ ex vno sedente deducit, idest Petro.

Sæpiùs, & efficaciùs hoc argumentum versat Augustinus. Indico locos, lib.2. contra literas Petiliani, & lib.1.contra epist. Parmeniau. & lib.8. contra Faustum,& in Psalm. contra partem Donati, & lib. de vtilitate credendi, & lib. contra epistol. fundamenti, & epistola 163.

Ex his produco tres. Vnum ex lib.contra epistolam fundamenti cap. 4. [Ab ipsa, inquit, sede Petri, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Alterum ex psalmo contra partem Donati.

Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede.
Ipsa est Petra, quam non vincunt superba Inferorum portæ.

Tertium, & illustrissimum epist. 165. ad Generosum. Qui longior est, ac eo melior, quod est Augustini. Ergo persuadens ei veram fidem esse in Ecclesia vna catholica, & vniuersali: non in parte Donati sic. [Si enim, inquit, ordo Episcoporum, sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs, & vere salubriter numeramus ab ipso Petro, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi, Anacletus Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Thelesphorus, Thelesphoro Higinus, Higino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Sother, Sotheri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zephirinus, Zephirino Calistus, Calisto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici Eutychianus, Eutychiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius.] Quo Pontifice hanc epistolam Augustinus scribebat. An hoc ille argumento vteretur, si Paulus simul cum Petro in cathedra Romana sedisset? Series singulatium erat, ab vno fuit inchoanda. Cur enim tam religiosè seruaretur vnitas in successoribus, si in primo ea non fuisset? Malè quippe fili deductio cum capite cohæreret, Quare optimè Cyprianus, & ipse Africanus epist. 40. [Primatus Petro datur, vt vna Ecclesia, & cathedra vna esse monstretur.] Et epist. 55. [Ad Petri cathedram, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est.] Ecce Petrum vnitatis emanantis ad reliquos fontem constituit. Hoc autem argumento successionis ad probandam, tum vnitatem, tum firmitatem, tum authoritatem Ecclesiæ Romanæ vtuntur Agatho Papa: In epistolis ad 6. Synodum, & Leo IX. in illa epistola ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham. Et Concil. Ephesinum tom. 2. Concil. par. 1. cap. 16.

Nona ratio. Petrus, cùm fuit princeps Apostolorum, & caput Ecclesiæ à Christo institutus personam Ecclesiæ gessit, illamque representauit, & illam prærogatiuam ob confessionem fidei tulit. Ex quibus deducitur ratio vnitatis in capite Petri. Nam Ecclesia vna est, & fides item vna: atque adeò Petrus his quasi vestitus rationibus non nisi vnus esse potest, ac debet. Assumptum probatur, nimirum esse Ecclesiæ figuram, quam gerebat, & multis Pontificibus Pio I. epist. 1. & Lucio I. epist. 11. ad Episcopos Galliæ, & Eutychianus epist. 1. ad Ioannem, & cœteros Episcopos Bæticæ prouinciæ. Ac D. Augustinus multis in locis: enarrat in psalm. 108, & tract. 124. in Ioannem, & libro de Agone Christiano cap. 30. & serm. 13. de verb. Domini, & serm. 33. de verb. Apostoli. Do locum in Ioann. tract. 124. [Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa; cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat, figurata generalitate, personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus, idemque Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, vniuersalem repræsentabat Ecclesiam.] Do alterum ex libro de Agone Christiano. [Non sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus.] Si ergo Petrus figurabat Ecclesiam, vti princeps, & caput, & pastor erat, vnum esse caput, non duplex debuit. Hinc illud Papæ Siricij ad Himerium. [Portamus onera omnium Ecclesiarum, imò in nobis portat Apostolus Petrus.]

Hoc argumentum sæpè, & aptè versat, & premit Cyprianus. Inprimis lib. de vnitate Ecclesiæ, Primatus, inquit, Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur, & supra ibidem, [vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit.] Tota moles huius, & veritatis, & ratiocinationis bene fundata corrueret, si Paulus cum Petro Romanam Sedem, & cathedram occuparet. Eadem ratio est probandi, à fidei confessione edita ab vno Petro: quæ illa item erat petra, super

quam Ecclesiam Christus suam ædificabat: quo sensu locum illum multi Patres intelligunt, perinde, ac dicat Christus: [Tu es Petrus,& super hanc petram, idest super hanc fidem tuam, confitentis tui,] quæ vna, & vnius est, [ædificabo Ecclesiam meam.] Enumerare authores huiusce sententiæ operæ pretium erit. Hieronym. in cap. Matth. 16. Hilar. lib. 6. de Trinit. Gregor. Nyssen. lib. contra Iudæos, Chrysostom. homil. 55. in locum Matth. & orat. 2. aduers. Iudæos, & homil.2. in psalm.50.& Cyrill. Alexand. dialogo 4. de Trinit. Ambrosiast. in cap. 4. ad Galat. August. serm. 13. de verb. Domini secund. Matth. & in Ioan. Tr.27. & 50. & 124. & serm.24. de Sanct. & lib.3. de Bapt.cap.17. & lib.1. contra epist. Parmen. cap.5. & epist. 152. & lib. contra epist. fundamenti cap.4.& lib. de pastoribus cap.13. & Nicolaum I. in epistola ad Michaelem Imperatorem. Cuius hæc sunt verba. [Principatum diuinæ potestatis, quem omnium conditor electis suis Apostolis largirus est, super solidam fidem Apostolorum principis Petri, videlicet soliditatem, constituens, eius egregiam, immo primam sedem deliberauit.] Qui sensus facit maximè ad causam (quamuis minùs sit proprius loci, qui omnino de Petro, vti erat persona confitens intelligendus) quòd vna erat fides, vna confessio, ab vno Petro edita. Est autem vnitas propria fidei: ergo & electionem personæ fidem profitentis, & repræsentantis vnam, & vnius esse oportuit.

Vltimum argumentum esto huiusmodi. Paulus in sacris literis, nullum vestigium eius principatus, primatusue reliquit: ergo illum certè non habuit. Persequamur quæso Pauli à sua conuersione in actis Apostolorum impressa vestigia. Nulla reperiemus. Eritque hæc veluti experientia: atque illa facta hoc caput absoluemus. Et vt veritas manifestiùs appareat, cum Petro conferamus.

Primus sit locus Actor. 9. vbi electio Pauli ponitur à Deo facta his verbis. [Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel.] Nihil hic inuenitur, quod ferat ad principatum, sed ad ministerium. At in electione Petri alia ratio est, siue in ea prima Ioan.1. [Tu vocaberis Cephas, idest Petrus,] quo prædicebat fore illam petram, super quam Matth.16. ædificaturus erat Ecclesiam suam, siue in hac secunda cum dixit: [Tu es Petrus, & super hanc petram:] siue in tertia Ioan.21. [Pasce oues meas,] quæ omnes principatum continent. Quòd si placeat aliam illam electionem Pauli à Spiritu sancto factam Actor. 13. illi primæ adiungere, nihil item dignitatis, & primatus in ea apparebit, sic enim ait Spiritus sanctus. [Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.] Duo eliguntur, & opera hominum segregantur,& ab ijs dimissi [dimiserunt illos] mittuntur à Spiritu sancto,vti ministri ad euangelizandum. Itaque ne solus quidem Paulus euangelizare incæpit, sed simul cum Barnaba. Petrus multò aliter. Nam primus, & solus cap. 2. Euangelium annuntiat Iudæis, & tria eorum millia conuertit. Idem agit cap. Comite Ioanne. Solus enim, & miraculum patrat, & patrato prædicat. Iam verò gentilium conuersionem ita suscipit, vt ea commissa illi à Deo cum quadam dignitate, & potestate fuisse videatur. Legamus cap.10. Ioppe aperitur ei cœlum tamquam illius claugero: demittitur linteum quatuor initijs explicatis expansum, patens, & liberum: iubetur ille occidere, & manducare, occide, & manduca, potestate facta occidendi, & manducandi, idest auertendi ab Idolis, & ad Deum conuertendi. Quam in eodemmet capite exercuit, & mysterium illud primus aperuit, & Spiritus sanctus cadens super eos, qui verbum Dei ex gentibus audierant, confirmauit. Ecquis non videat, vel in eo quod maximè Paulus excelluit, conuersione gentium, multò illi Petrum dignitate, & authoritate præstitisse? Non nego plus laborasse in ijs conuertendis Paulum: sed affirmo minus ei, & iuris, & potestatis ad gubernandum, quàm Petro fuisse. Equidem obseruo Paulum in solo ministerio euangelizandi exercendo priores partes laboris habuisse: dignitatis, & authoritatis alijs reliquisse, nec enim Paulus factus erat ad regimen, sed ad laborem. Id autem non temerè, nec ineptè videor mihi colligere ex illo euentu, quem refert Lucas in actis c.14. Lystris quippe cùm Paulus, & Barnabas prædicarent, & Paulus sanasset claudum, & clamores ob id in populo fecisset: amboque pro Dijs habiti essent: minor fuit de Paulo cùm maior esse deberet, quàm de Barnaba dignitatis, & authoritatis existimatio. [Vocarunt enim Barnabam, Iouem, & Paulum Mercurium.] Itaque supremi numinis, idest Iouis, partes, quem Patrem Deum, atque hominum Regem dicebant, Barnabæ attribuerunt: inferioris, idest Mercurij, quem caduceatorem, & ministrum Iouis esse credebant, cuique ipse mandata dabat, Paulo assignarunt. At barbari, inquis, erant homines: igitur, aio, eò manifestius erat id, quod indicarunt; atque adeò Paulum inferiorem Barnaba potestate, & authoritate gubernandi, quòd totus ad prædicandum se fingeret,esse prorsus constabat. Quid si cum Petro simul prædicaret? An primas illi non concederet, quas Barnabæ concessisset? Certè in naui Ecclesiæ Paulus strenuè remigauit, Petrus clauum tenuit. Ille plus omnibus laborauit; hic omnibus præfuit.

Sit secundus locus act. 15. in Concilio super obseruatione legalium, ob quam consultationis ergò, Paulus ascendit cum Barnaba Hierosolymam ad Apostolos, & presbyteros. Quibus Paulus tamquam auditor proponit quæstionem, & responsum expectat; in eo antem Concilio surgens Petrus dicit sententiam, illius princeps Senatus, & quæstionem decidit. Ei Iacobus assentitur, & omnes subscribunt.Decretum traditur Paulo, & Barnabæ, cum mandatis ad Christianos, & seruatur. In eodem capite Paulus iubetur custodire præcepta Apostolorum, & seniorum: quod ad ministerium pertinet. Quare optimè Hieronymus ad Augustinum epist.11. siue 89. [Petrum huius decreti principem fuisse affirmat. Et quidem iure: nam in eo Concilio cœteri discipuli concedunt, ait Chrysostomus, solium Petro. Ad Petrum, ergo

ergo inquit Theodor in epistola ad Leonem accurrit Paulus, vt quæstionem de circumcisione solutam ab eo afferret. Et quamquam ad omnes Apostolos consultor accederet, tamen quia Petrus caput erat, & princeps, ad eum dicit Theodoretus accessisse. [Ibi enim ait Metaphrastes in vita Iacobi Petrus primus Apostolorum adfuit, vt præesset fidei.] Et fanè inquit Tertullianus lib. de pudicitia cap. 21. [Petrus primus omnium spiritu instinctus de nationum vocatione præfatus.] Nec solùm coram Petro filuit, & paruit Apostolis Paulus, sed etiam eo absente, ante Iacobum instar subditi stetit, eiusque secutus est consilium, vti constat ex narratione cap. 21. Actor. vbi Paulus introiuit ad Iacobum, & Seniores, quibus iubentibus purificati, & radi, & cæremonias legales obseruare, obediuit. [Tum Paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis intrauit in templum.] Ita Sacer historicus. De qua re sic Chrysostomus. [Detulit dignitati Episcopali, quam Iacobus Domini frater ibi gerebat, & eximiæ sanctitati, & authoritati, qua pollebat.] Quòd si Paulus Iacobo par non fuit Hierosolymis, ac Episcopo particulari cessit, qua ratione Petro Romæ, vbi erat Episcopus, & caput, & pastor vniuersalis æquaretur?

Tertius esto epist. ad Galat. 1. vbi Paulus: [veni, ait, Hierosolymam videre Petrum.] Verbum Græcum significat suspicere more venerantis. Quasi visurus hominem clarissimum christianum Heroa, quem admiraretur, & coleret: quod notant Chrysostomus, & Hieronymus, & Theodoretus. Ex quibus Hieronymus hoc locó: [Iuit non discendi studio] (nam in hoc Euangelizandi par erat) [sed honoris priori Apostolo deferendi.] Chrysostomus homil. 87. in Ioan. [Os erat Apostolorum, & princeps propterea. Paulus eum præter alios visurus ascendit.] Eadem Oecumenij, Theophylactique sententia. Tertullianum citat etiam Augustinus de Bellis lib. de absoluta Petri Monarchia. Assumpto 2. lib. de præscriptionibus ad finem. Sed alia est mens Tertulliani, eo loco, qui non est ad finem, sed paulò post initium, non enim accipit de Paulo honorante Petrum instar subiecti, quod Augustinus de Bellis vult authoritate truncata, [ex officio, inquit, ex iure, quasi diceret, quia sic tenebatur, tamquam subditus: Sed ex officio, inquit, Tertullianus, & iure scilicet eiusdem fidei, & prædicationis.] Nec opus erat hic Tertulliano, cùm tot alij Patres consentiant. Quibus adijcio Ambrosiastrum grauem authorem in eumdem locum. Cuius certè tanta vis est, vt ea probet Bellarminus Petrum maiorem esse Iacobo, quando ipso Hierosolymis præsente, & Episcopum agente, non eius, sed Petri visendi causa peregrinationem illam Paulus suscepit. Ita Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 18.

Quartus, & vltimus sit ille Galat. 2. vbi sic Paulus: [Ascendi, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse.] Hi erant quos infra nominat Iacobus, Petrus, & Ioannes. Qui locus monstrat Paulum minus authoritatis, quàm studij habuisse; & in ministerio, quidem excelluisse, dignitate minus valuisse. Cur enim contulit Euangelium? Cur de eo rationem reddidit? Nisi quia opus habuit ad persuadendum alijs se rectè euangelizare, approbatione Apostolorum, quæ si deesset illi minimè crederetur. Quod ipsemet hic ingenuè fatetur, cum ait: Ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.] Quo Patres modo interpretantur. Tertullian. lib. 4. contra Marc. Hieron. epist. 11. ad August. & August. lib. 28. contra Faust. cap. 4. & Anselmus, & alij ad hunc locum. Ex quibus Tertullianus. [Propterea, inquit: ascendit Hierosolymam ad cognoscendos Apostolos, & consultandos, ne fortè in vacuum cucurrisset, ne non secundùm illos credidisset, & non secundùm illos euangelizaret.] Et adiungit ad argumentum, quod tractabat de Lucæ Euangelio. [Igitur si ipse illuminator Lucæ authoritatem antecessorum, & fidei, & prædicationi suæ optauit, quantò magis &c.] & postea. [Quod erit germanum illud Apostolorum instrumentum, quod Paulum illuminauit, & ab eo Lucam?] Perindè, ac diceret, si non illud acceptum à Christo, & approbatum ab Apostolis nullum aliud esse potest. Nam vt idemmet ait Tertullianus lib. de præscript. [Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum claues regni cœlorum consecutum, & soluendi, & alligandi in cœlis, & in terris potestatem?] Quare debuit cum illo, & cæteris Apostolis Paulus conferre Euangelium, vt suæ doctrinæ iustam fidem faceret. Rectè quippe August. lib. 28. contra Faust. cap. 4.] Ipse Paulus post Ascensionem Domini de cœlo vocatus, si non inueniret in carne Apostolos, quibus communicando Euangelium eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non credet.] Magna est in hoc loco vis ad persuadendum Paulum non modò non fuisse æqualem Petro potestate, & authoritate iurisdictionis adhuc in Euangelizando, sed nec etiam alijs Apostolis: cùm nemo eorum ad Palum se contulerit, eique sui Euangelij rationem reddiderit.

Quàm diuersa fuerit Petri authoritas, patet ex testimonijs supra citatis, ac ex eo, quòd cùm primus omnium ad gentes aditum aperuisset, illudque maximè insolens esset, nihil cum cæteris communicauit, sed à Spiritu sancto impulsus illud munus suscepit. Dixit Spiritus ei. act. 10. Surge, & vade, nihil dubitans,] & veritatis illius, & assertor, & testis fuit. In veritate comperi. Quin & ipsummet Spiritum sanctum, à quo excitus fuerat, è cœlo exciuit, & quodammodo in terras deduxit. [Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant.] Ceu Spiritus sanctus verba loquentis Petri sequeretur, quibus ille Christum confessus fuerat. Tu es Christus. Fidelibus Iudæis admirantibus euentum rei, eoque miraculo attonitis. [Et obstupuerunt ex Circumcisione fideles.] Et quamquam alij eum ob inuidiam accusarent capit. 11. indignantes, quòd Gentiles ad gratiam vocati essent, audito Petro. [Tacuerunt omnes, & glorificauerunt Deum. [Crediderunt que, & assensi sunt Petro dicenti. [Ergo, & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.] Itaque ex auctoritate Petri scientiam fece-

funt euidentia consequentiæ Logicæ: Ergo; formali illatione.

Apparet ex his: non parem auctoritate, non æqualem potestate Paulum Petro fuisse: in eodem eos stadio cucurrisse: sed Petrum omnino priorem abijsse, Paulum secutum, ita vt Petro proximus fuerit.

Longo, sed proximus interuallo.

CAPVT III.

Obiecta pro æquali Pauli cum Petro potestate afferuntur; & soluuntur.

EX Sacris Literis duo tantùm video nostris obijci. Primum ex cap. 2. ad Galat. vbi Paulus narrat, se restitisse in faciem Petro,] eumque reprehendisse. Hoc autem superioris est erga inferiorem. Hoc argumento vtuntur Caluinus lib. 4. institut. capit. 9. §. 7. & Rex Angliæ, cùm primùm ab Ecclesia defecit vti solitus. Cui facilè respondetur. Illam reprehensionem natam ex zelo, & studio veritatis, non ex titulo dignitatis. Qua ratione multi priuati, principes suos reprehendunt, quemadmodum Sarai Abraham Genes. 16. Iacob Labanum Genes. 29. Iethro Moysen Exod. 18. Ionathas Saulem 1. Reg. 19. Ioab Dauidem 2. Reg. 19. & in Euangelio Frater maior natu Prodigi Lucæ 15. Si autem verum est, Reprehensores esse Superiores reprehensis, ita argumentor.

Superior erat Luthero Zuinglius, & Caluino Beza, à quibus duo illi Hæresiarchæ, & magistri fuerunt reprehensi. Quàm hoc sit ineptum argumentum, ex hoc ipso quo nituntur aduersarij loco discimus: ac illum in eosdem retorquemus. Omnes fermè patres, & Interpretes contrarium ex hoc loco sensum eruerunt, ac omnino fassi sunt petrum, vti superiorem, non vti inferiorem fuisse à Paulo reprehensum. Ac exemplum modestiæ Petri, in documentum cæteris humilitatis verterunt: vt quemadmodum Petrus Paulo præstantior castigari se ab eo patienter permisit, ita & dignitate maiores, reprehendi se interdum à minoribus patiantur. Ita Cyprianus epist. ad Quintum, & Augustin. lib. 1. de Baptismo cap. 1. & epist. 19. & Gregor. Magnus Homil. 18. in Ezechiel. & Beda in 2. Petri cap. 3. & Anselm. in cap. 2. ad Galat. & Petr. Damian. lib. 6. epistol. epist. 18. & tom. 3. opuscul. opusc. 16. & sanctus Thomas in hunc locum Pauli lect. 3. & 2.2. quæst. 33. art. 4. ad 2. & D. Antoninus in Chron. par. 1. tit. 6. cap. 4. & Abulensis in cap. 18. Matth. qu. 86. & Gabriel Biel. in Can. Missæ lect. 74. Quos sequuntur minores Interpretes, Affero vnum locum Gregorij, homil. 18. in Ezechiel. [Ecce à Paulo Minori suo Petrus redarguitur, & reprehendi non dedignatur, non reuocat ad memoriam, quòd Regni clauus acceperat. Quis nostrum à minore fratre increpatus patienter audiret?] Quare optimè hinc deduxit Cardinalis Polus lib. 2. ad Regem Angliæ. [Non ergo obscurat Petri auctoritatem Pauli reprehensio.] vti neque Iuliani Apostatæ, apud Cyrillum Constitur. Iuliani in fine lib. 9. qui Petrum vexabat, & Marcion apud Tertullian. lib. de præscript. cap. 23. à quo idem Petrus fugillatus quasi non rectè in Euangelica prædicatione ambulasset. Sed fortassè hoc auidè arripient aduersarij, vt confirment, hos item duos Iulianum, & Marcionem Petro superiores hoc nomine fuisse. Verùm refuto illos obiecto Porphyrio famoso impietatis magistro, qui hæc in Pauli epistola legens in Paulum acrirer inuehitur; quòd Petrum Apostolorum principem ausus sit reprehendere. Si patres, & Auctores nostros Hetorodoxi sequi nolunt, habent sui furfuris hominem Porphyrium, quem imitentur. Eo Iuliano minus malum, quod Petri supra Paulum præstantiam agnouit. Itaque argumento negandum, sequi ex reprehensione Petrum Paulo esse minorem. Immò affirmandum eo in loco supposuisse patres Petrum Paulo esse maiorem, & cum ijs Porphyrium sensisse.

Secundum esto illud epist. ad Galat. capit. 2. vbi Paulus ait: [Creditum mihi Euangelium præputij, sicut, & Petro Circumcisionis) qui enim operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est, & mihi inter gentes) Ex quo apparet æqualiter diuisum illud munus inter ambos fuisse, & vtrumque pari dignitate, & potestate præditum illud gessisse; nec enim quas faciebant oues ijs non præerant. In quam sententiam Diuus Hieronymus in hanc epist. lib. 7. [vt duo, inquit, populi tam dissiti moribus, legibus, studijs, ac loco veluti duo parietes in vnum lapidem angularem Christum conglutinarentur, vnusquisque per suum ducem, & Architectum, quem diligebat. Nam Paulus erat Iudæis, Petrus gentilibus innisus.] Huic testimonio responderur ex tradita superiori capite doctrina. Ita diuisas inter hos duos Apostolos hasce prædicandi prouincias, vt neutra alterutri denegaretur. Quare de præcipuis partibus locus intelligendus, vt melius, ac expeditiùs inter se agerent. Quod si non idcirco de iure, ac ministerio prædicandi quicquam detractum est Petro, multò de dignitate, ac potestate minùs diminutum. Itaque potuit Paulus Euangelizare gentibus, easque credentes oues Christi efficere, & pastori Petro assignare, qui ijs tamquam pastor ordinarius præesset. Illud autem constat primas Euangelizandi Gentibus partes fuisse Petri, quemadmodum fusetiùs ostendimus, cùm graue illius mysterium liutei exponeremus. Nunc addimus Tertullianum, qui lib. de pudicitia cap. 21. dixit Petrum in Concilio Apostolorum actor. 15. [Spiritu instinctum de nationum vocatione præfatum.] vbi nihil de ea re Paulus, qui præsens erat, commemorauit. Et quidem compertum est ex Ecclesiasticis Annalibus, quo anno Paulus segregatus est cum Barnaba ad Euangelizandum Gentibus, qui fuit annus Domini 44. Claudij annus 2, eo Petrum post multas in Asia fundatas Ecclesias in Italiam venisse, vti narrat Euseb. in Chron. Hieronym. de scriptor. Eccles. in Petro: vbi sic. [Petrus secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam venit.]

Quod autem multas iam in Oriente Ecclesias erexisset, ac fundasset, affirmat ibi Hieronymus; & disertè Leo Magnus serm. 1. in

in natali Apoſtolorum [Iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primùm Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras.] Quòd item Petrus primus auctor fuerit coniunctionis duorum, & Iudæorum, & gentium in Fide Catholica populorum ante Pauli ædificationem, expreſſit his verbis grauiſſimis Leo IX. in epiſtol. ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum tomo Concil. 3. par. vlt. inter epiſtolas Leonis. [Nonne luce clariùs conſtat Petrum primitus ad Eccleſiæ Chriſti ædificationem Iudæos, ac Gentiles attraxiſſe, & quaſi duos parietes ex diuerſis venientes per angularem lapidem Chriſtum indiſſolubili Charitatis glutine coniunxiſſe? Qui poſtea videns meſſem multam, & operarios paucos, Paulum, & Barnabam ab Antiochia omnibus nationibus prædicatores deſtinauit.] Aduerto hic à pleriſque citari hanc epiſtolam cum inſcriptione ad Michaelem Imperatorem, qui ſanè error eſt, ac obrepſit Dianæ in Apologet. de primatu Petri pag. 73. & Auguſtino de Bellis, Oppoſit. 21. ſolut. 2. viris alioquin eruditis; at ne obrepat alijs, non importunè, opinor moneo.

Cœterùm, & Paulo licuit prædicare Iudæis. & Petro Gentilibus. De Petro patet: nec de Paulo minus; cum conſtet eum priùs Hebræis Euangelizaſſe, nec ad gentiles tranſiſſe, niſi priùs proteſtando ſe ideo ab ijs ad hos conuerti, quòd Euangelio ſpreto indignos ſe iudicabant æternæ vitæ. Act. 13. nec poſtea ceſſauit. Nam initio capitis ſequentis14. In ſynagoga Iconij Iudæis prædicauit, & cap. 17. Theſſalonicæ Euangelizauit. [In Synagoga Iudæorum.] & c. 18. [in Synagoga per omne ſabbathum ſuadebat Iudæis, & Græcis,] & cap. 19. ex ore Pauli [audiebant verbum Domini Iudæi, atque Gentiles,] & ſæpè aliàs. Et quod caput eſt Romæ cap. 28. [poſt tertium diem conuocauit primos Iudæorum. Quorum plurimi venerunt ad eum, quibus exponebat teſtificans Regnum Dei, ſuadenſque eis de Ieſu ex lege Moyſi, & prophetis à mane vſque vſque ad veſperam.] Vnde apparet eam partitionem inter duos, non excluſiſſe poteſtatem: nec aliò ſpectaſſe, niſi vt commodiùs, & faciliùs Euangelij prædicatio curreret. Summa eſt, Paulo demandatam præcipuè conuertendæ Gentilitatis prouinciam: ſed non idcircò ſummotum ſuo loco Petrum, qui vti paſtor erat ouium, quaſcumque, vel Paulus, vel Barnabas, vel alij Apoſtoli, & vndecumque adducerent, ille in Gregem accipiebat, ſibique tamquam Chriſti Vicario ſubijciebat.

Extra Scripturam plura adduci poſſunt argumenta. Primùm Paulus Romæ fuit, & docuit; ſed Epiſcopus erat cùm Romæ erat, & docebat: ergo Romanus Epiſcopus fuit, & vti talis docuit, ac præfuit. Cum autem fuerit, & docuerit ſimul cum Petro, ſequitur ſimul cum eo præfuiſſe. Hoc argumentum torquet noſtros, & in diuerſas reſponſiones diſtrahit. Vt perſpicuè, ac conſtanter reſpondeam; Obſeruo ſolutionem pendere ex tribus quæſtionibus.

Prima eſt, vtrùm Paulus fuerit Epiſcopus? Secunda, an alicuius Eccleſiæ fuerit? Tertia, an hæc Eccleſia Romana fuerit? Quod primum attinet. Paulus fuit Epiſcopus. Patet ex cap. Actor. 14. initio in quo habetur: [Paulum, & Barnabam conſtituiſſe per ſingulas Eccleſias presbyteros.] Quod ſanè proprium eſt Epiſcoporum. Ac ne quis neget Ordinaſſe, quod verbum ſit Conſtituiſſe, non Ordinaſſe, in Græco textu eſt Chirotonizantes Ordinantes autem presbyteros, quod verbum ſolemne ordinationum eſt: quæ per impoſitionem manuum, ideſt Chirotoniam fieri ſolitæ. Et quamquam nonnulli ex Auctoribus noſtris de tempore, quo Paulus ſit ordinatus dubitent, nemo tamen ambigit de re. Ordinatum autem eum cum Barnaba fuiſſe, cùm fuit à diſcipulis iuſſu Spiritus ſancti cum eodem ſegregatus Actor. 13. etſi neget Arias Montanus hic, & Suarez tom. 3. in 3. par. diſtinct. 34. ſect. 1. & Aloyſius de Leon. in capit. 1. epiſt. ad Galat. & ante Caietan. hic, & cap. Act. 6. communis tamen ſententia tenet illam manuum impoſitionem, quæ in eo capite 13. refertur Chirotoniam ſolemnem, & ordinationem fuiſſe: auctore Chryſoſtomo ad hunc locum, & Oecumenico, & Leone in epiſt. ad Dioſcorum 81. in eius oper. & Magiſter. hiſtoriæ Scholaſt. & Hugone. Id ex multis alijs probant Henriq. lib. 10. de ordinis Sacramen. cap. 10. & Salm. tom 12. tractat. 36. & Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 23. & Iuſtinian. prologom. in Paulum diſt. 1. cap. 3. & Lorin. & Cornel. in acta, & Gaſpar. Sanch. ibi, & Chriſtophor. Marcellus de auctorit. Pontif. contra Luther. libro 2. cap. 14. ac diſertè fatetur Lyran. in locum Act. cap. 14. etſi tamen diſſentiant inter ſe de auctoribus ordinationis: quidam enim volunt Apoſtolos, alij malunt diſcipulos Apoſtolorum fuiſſe. Hoc Leo, Magiſter, & Hugo cum Henriquez ſentiunt. Illud Oecumenio, Bellarmino, Lorino, & alijs placuit: quibus ſubſcribo. Nam ſi eo loco, ac tempore ordinati ſunt Paulus, & Barnabas, non potuerunt niſi à diſcipulis Apoſtolorum, iam Epiſcopis ordinari: non enim ibi Apoſtolos fuiſſe ex textu apparet. Vtcumque ſit, Paulus Epiſcopus eſſe probatur. Dici tamen poteſt ab Apoſtolis ordinatus, quia eum ordinati ab Apoſtolis ordinarunt.

Quoad ſecundum: An alicuius Eccleſiæ certæ, ac determinatæ Epiſcopus fuerit? obſeruo raram de eo apud Auctores mentionem fieri. Cùm haud contemnenda tamen res ſit. Solùm inuenio ex antiquioribus Petrum Damianum, qui neget vlli certæ Eccleſiæ addictum fuiſſe. Nam epiſt. 16. prope finem. [Paulus, inquit, nullam Cathedram ſpecialiter tenuit.] Ex recentioribus Cardinalem Cuſanum lib. 2. Concord. c. 13. qui affirmat [Petrum, & Paulum nullius loci fuiſſe Epiſcopos,] & P. Melchiorem Inkhoferum in epiſt. ad Leonem Allatium inſerta operi de Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis conſenſione lib. 1. cap. 7. num. 46. qui auctor eſt. [Nulli particulari prouinciæ adſtrictum omnium ſolicitudinem geſſiſſe.] Alij contra videntur ſenſiſſe, vti Epiphanius, qui hæreſi 27. [Primos aſſerit Romæ Apoſtolos, & Epiſcopos fuiſſe Petrum, & Paulum,] & qui eius auctoritate ducti volunt Paulum parem Petro effi-

cere;

cere; verùm hæc secunda sententia ad tertiam quæstionem pertinet. Sisto in secunda: quoniam censeo Paulum nullius certæ, ac determinatæ Ecclesiæ Episcopum fuisse. Quod mihi paulò accuratiùs confirmandum. Prima coniectura est, quòd Paulus electus est à Deo, vti [Vas ad portandum nomen Christi coram gentibus &c.] atque adeo nusquam loci constitit, & omnes penè Asiæ, Europæque Prouincias Euangelizando peragrauit. Semper in via semper in procinctu. Instar peregrinantis: vnde illius vitæ; ac gestorum Scriptores titulum, de peregrinationibus Pauli instituunt. Cum hoc autem irrequieto motu non poterat certa, & stata mansio rectè consistere. Secunda est. Apostolos orbem inter se ad Euangelij doctrinam seminandam partitos esse, ac veluti Prouincias sortitos singulis singulas, quo ordinatiùs, ac expeditiùs Euangelizarent. Paulum exortem, liberumque mansisse nullis finibus clausum, nullis terminis circumscriptum, atque adeo nulli affixum, quæ illius cursum retardaret. Tertia, nomen ipsum Apostoli, quo per Antonomasiam dicitur Apostolus, idest missus: quòd in eo dignitas Episcopatus Apostolatum sequebatur, & illam, quodammodo absorbebat. Itaque alij etsi Apostoli essent, tamen sponsas Ecclesias habebant, quæ missiones stringebant, & terminabant. At Paulo nulla erat sponsa, quæ domi contineret, atque adeo foris huc illuc velut Apostolus missus versabatur. Quarta: illa ipsa Pauli epist. 2. ad Corinth. cap. 11. de semetipso confessio. [Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum:] quæ manifestè prodit curam vniuersalem, qua ille totius orbis Ecclesias complectebatur, non huic, illiue addictus, sed in omnes, ac singulas intentus, & erectus, ceu ad vnum tota vniuersitas pertineret. Quinta, & vltima. Cùm certum sit Paulum fuisse Episcopum, vix vllam de illius Episcopatu in Sacris literis mentionem fieri, adeo vt vnus ille, quem produximus, locus, satis obscurus sit ad id vti vidimus, confirmandum; tam multis, & doctis auctoribus id negantibus. Et quidem haud temerè. Nam cùm Episcopus certam, & determinatam Ecclesiam sponsam habere debeat, cui mancipetur; ne quis putaret Paulum ea lege vinctum esse, illius est Episcopatus suppressus. Itaque vti Paulus, quòd Apostolus erat ab hisce vinculis liber erat, & vbique munus suum Apostolicum obire poterat, ita & Episcopus nullius loci angustijs tenebatur: eique vbiuis gentium Episcopatum exercere licebat. Vnde colligitur vtrumque ei munus delegatum contigisse, non ordinarium commissum fuisse. Ac in Paulo vti diximus, Episcopatum in Apostolatum quodammodo transisse.

Quod tertium attinet sunt, qui affirment Paulum Episcopum Romæ fuisse; quod duplici modo potest accipi: altero vt Romæ iure illo suo delegato Episcopatus munus obierit, vti & in alijs oppidis obire solebat, qua ratione non magis Romæ, quàm Athenis, aut Corintho addictus erat: altero vt Romæ propriam sedem haberet, & ordinarius ibi Pastor simul cum Petro esset, ac vnum cum eo caput, & Pastorem gregis efficeret. Et quidem primo illo modo negari nequit Paulum Romæ Episcopum egisse; nec ob id tamen sequitur Episcopum Romanum fuisse: aliud est enim agere Romæ personam Episcopi, quæ cum officio transeat, nec ante illud sumatur, & post illud deponatur: aliud esse Romæ Episcopum, hoc est desponsare sibi illam Ecclesiam, & cum ea vnum corpus efficere, vt ab ea separari, nec debeat, nec possit. Hoc secundo modo nemo Patrum, antiquorumue Auctorum, quòd sciam, dixit Paulum Episcopum Romæ vrbis fuisse: cùm non nemo dixerit Paulum in Vrbe Roma Episcopum fuisse. Ex modernis Marcus Antonius de Dominis impius Apostata, & Anonymus Gallus incautus Catholicus hoc affirmarunt: nonnulli ex nostris horum argumentis pressi minùs hoc ijs prudenter concesserunt. Decepti exemplo Lini, & Cleti, & Clementis: quibus similem Paulum esse voluerunt. Ego prorsus negarim Paulum hoc secundo modo Episcopum Romæ fuisse. De Lino, & alijs postea dicam. Id vt constet, argumenta aduersariorum pendamus. Primùm ab auctoritate Epiphanij, qui hæresi 27. [Primi, ait, Romæ Apostoli, & Episcopi fuerunt Petrus, & Paulus.] Secundùm Eusebij Histor. lib. 3. cap. 2. [Tunc temporis, inquit Clemens, gubernabat Ecclesiam tertius ab ijs, qui fuerunt Episcopi vrbis Romæ.] Hi duo vrgent. Accedit Leo Magnus serm. 1. de Petro, & Paulo: [Petrus, ait, & Paulus Romanæ Ecclesiæ verè Pastores.] Deinde citatur Adrianus I. epist. 89. qui fatetur [Pauli sedem se adeptum esse.] Et Gregorius VII. in Concilio Romano 7. vbi dicit: [se in Pauli Cathedra vniuerso orbi præsidere.] Præterea S. Ambrosius Carm. de S. Petro, & Paulo: [Roma, inquit, Gentium caput, sedes est Apostolorum Petri, & Pauli,] Qui loci idonei item sunt ad probandum Paulum Romanum cum Petro simul Episcopum fuisse. Mitto alia obscuriora, quibus vis minor ad persuadendum inest. Missis aliorum responsionibus obseruo. In nullo ex his testimonijs poni disertè illum secundum modum Episcopum Romanum: qua sola ratione conuincerent. Ante responsionem illud sumo nullum fermè ex his locis fideliter, ac vti par fuerat, ab aduersarijs citari, quod miror tantos auctores fugisse. Ad examen vocemus singulos. Primus Epiphanij sic habet. [In Roma fuerunt primi Petrus, & Paulus Apostoli ijdem, ac Episcopi,] qui adhuc fortior est eo, quem video citari à nostris, cùm ei respondent. Sed multò est alius fortior. Paulopost in eadem hæresi 27. ita scribit. [Episcoporum, inquit, in Roma successio hanc consequentiam habuit. Petrus, & Paulus, Linus, Cletus, Clemens &c. vsque ad Anicetum] vbi sic ponit Petrum, & Paulum; vt ex duobus vnum videatur Episcopum componere; cùm alios deinceps singulos numeret: ceu primus ille locus amborum fuerit. Respondeo igitur primò; verum esse, quod scribit Epiphanius in primo sensu, nimirum Petrum fuisse proprium, & ordinarium Episcopum: Paulum extraordinarium, & delegatum: quod nihil detrahit Petro: vti etiam nihil detrahebat Iacobo cùm alij Hierosolymis Apostoli erant. Imò si alius cum Petro Romæ fuisset, eadem quæ de Paulo ratio esset. Secundò; admisso, quòd Epiphanius

nius ita senserit, non ideirco nobis dubitandum esse de veritate vnius capitis, tot scripturarum, & Canonum, & Conciliorum, & Patrum auctoritate firmata. Cui vnus Pater non est præferendus.

Secundus Eusebij locus minùs vrget, vtrouis modo intelligatur. Si enim tertius ab ijs referatur ad Linum, & Cletum respectu Petri, cuius est tertius, nihil colligit de Paulo. Sin, Ly ab ijs significat Petrum, & Paulum eodem modo accipiendus, quo Epiphanius,

Tertius Leonis sic habet in Apostrophe ad Romam. [Isti sunt, inquit, Patres tui, verique pastores.] Ex quo non sequitur societas, & æqualitas in Cathedra. Statim enim post paucas lineas subdit. [Ciuitas sacerdotalis, & Regia per sacram Beati Petri sedem caput Orbis effecta.] Ex quo patet titulos illos Patris, & pastoris extra rem sedis, & Cathedræ esse. Omnibus quippe Apostolis conuenit nomen patris. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: nec minùs pastoris Episcopis omnibus. Pastoribus, & Doctoribus, siue ordinarijs, siue delegatis, qualem nos haud inficiamur Paulum fuisse. Hac ratione Paulus pater Corinthiorum erat: nam in Christo Iesu per Euangelium ipse eos genuit. Si autem hæc munia intra sedem erant, quomodo Paulum omisit, cum de sede commemorauit, sed soli eam Petro addixit? Nempe alia munera Petro cum Paulo, & Apostolis erant communia, prærogatiua sedis singularis,

Quartò ex Adriano primo respondeo; fictum eum locum esse; nec enim ille, aut vllus similis inuenitur. Ac inprimis vbi citatur epist. 98. apud Patrem Augustinum de Bellis opposit. 3. error est manifestus, cum epistolæ Adriani pauciores multò sint: atque adeò hęc non sit. In qua verò citatur à Leone Allatio lib. 1. cap. 13. quæ est prima ad Imperatores Constantinum, & Irenem matrem, eiusmodi quæ afferuntur verba, non extant. Imò in ea sæpè soli Petro sedes Romana, & primatus tribuitur. Vnde miror potuisse illa obiecta doctis viris fucum fieri. Inuenitur autem hæc epist. in 7. Synodo Act. 2. estque prima in ordine epistolarum Adriani in tomis epistolarum Pontificiarum. At, ne viuam, nisi ea epistola contrarijs testimonijs abundat, & maximè primatum, & sedem solius Petri confirmat. Fidem mihi habeat lector, nihil in ea pro contraria sententia roboris inueniet.

Obiter hìc animaduerto Leonem Allatium virum eruditissimum citare loco proximè adducto hanc epistolam Adriani pro Anonymi Galli sententia, quòd in ea Adrianus. [Claues à Domino acceptas, tum Petro, tum Paulo tribuat.] Legi diligentissimè illam epistolam, nihil huiusmodi continet. Nescio qui hoc in mentem venerit hominibus tantæ eruditionis? Alijs nimirum citantibus crediderunt. Ingenui sunt, & candidi, nec ego me illorum de ingenio esse negabo, sed experientia cautum me fecit, & minimè credulum. Fontes inquiro. Id tibi lector confirmo; tam procul esse Adrianum in epistola ab illo testimonio de clauibus Paulo communicandis, vt vix vlla sit alia, quæ plura soli Petro testimonia suppeditet. Ei vni sæpe claues, & primatum, ei sedem Romanam assignat. Pauli bis meminit citra vllam prærogatiuæ mentionem. Lectio tua fidem liberabit.

Pergo ire ad quintum, quod aiunt esse Gregorij VII. in Concilio Romano 7. testimonium hisce, inquiunt, verbis conceptum apud P. Augustinum de Bellis opposit. 3. dicit (Gregorius VII.) se in Pauli cathedra vniuerso Orbi præsidere.] Ita me Deus amet, nisi hæc est insignis aduersarij Romanæ Petri sedis impostura. Nulla sunt huiusmodi verba in eo Concilio, in quo Regnum Henrico abrogatur, & Rodulpho confertur. Ad oculos prouoco. Ij meæ fidei testes sunto.

Carmina sancti Ambrosij alia præter hymnos, & disticha quædam inter alia Christianorum, qui Carmine scripserunt opera, in tomo Bibliothecæ vltimò excusæ nulla reperi. In his, ne verbum quidem, quod rem contineat, inuenitur. Vnde illa sint verba deprompta dicant, qui afferunt. Certè quæ producunt tam longè absunt à versu, quàm prope à fictione.

Venio ad alium locum Petri Damiani, qui sextus est. Hic allegatur opusc. 31. apud Patrem Augustinum de Bellis ibidem, hoc opusculum non reperi, non sum credulus illi. Imò lib. 2. epistolarum epist. 16. ait Petrum ob primatum ad dexteram Pauli interdum locari. Paulum interdum ad dexteram Petri poni, quia de tribu Beniamin est, qui filius dexteræ, & disertè affirmat, Paulum propriam Cathedram non habuisse. Attribuit ei tamen propter conuersionem totius orbis Cathedram quodammodo vniuersalem, eo, opinor, sensu, quo diximus supra cum Apostolatu delegatam. Præterea citatur D. Augustinus in Synodo 8. Act. 1. apud Anastas. cuius tamen verba inquit Augustinus, de Bellis, Anonymus non refert. Suspectum tamen mihi fuit hoc testimonium cùm locum Augustini afferri non vidi, qui in tanta luce operum micare debuit; & tam alieno loco citari. Legi ergo diligentissimè acta huius Concilij, ac non modò non inueni in prima actione illam Augustini sententiam, sed ne nomen quidem eius reperi. Imò in omnibus decem (tot sunt quippe) illius Concilij actionibus, tantum de Augustino silentium est, vt nusquam illius nomen occurrat. Hac fide citant aduersatij auctores, hac facilitate nostri illis credunt, quod minimè debuissent.

Vt verum tamen fatear, inuenio in epistolis Adriani Secundi, quod minùs aduersarij fortè videntur, nimirum Sedem Petri communem cum Paulo. Nam epist. 1. ad Basilium Augustum pag. 611. Act. 1. posita, sic ait [Adrianus precamur, vt eos ob amorem pręcipuorum Apostolorum Petri, & Pauli, à quorum Sede mittuntur benignè suscipiat. Et in alia epistola ad eumdem act. 6. pagina 654. [Principum, inquit, Apostolorum à quorum Sede remittitur,] & tertiò in allocutione ad Concilium. [Pro veneratione Apostolorum, pro priuilegijs defendendæ sedis ipsorum.] Huic ergo testimonio à me inuento, & apud neminem inuento respondeo. Sedem communicari Paulo ratione Petri, vti nomen principis Apostolorum commune habet Paulus cum Petro: vt cùm ambo simul nominantur, nomen principis Apostolorum,

quod

quod solius est proprium Petri, ad Paulum quoque pertineat. Id autem honoris gratia fieri debuit, vt quoniam Paulus Romæ fuit, & ibi prædicauit, & docuit, & martyrium subijt, ac sanguine suo Romanam Ecclesiam & rigauit, & auxit, etsi eius ordinarius pastor, & proprius non esset, eodem cum Petro titulo, & honore afficeretur. Quod autem Paulus ratione societatis cum Petro princeps Apostolorum dictus sit, & hoc loco Romanę Sedis particeps fiat ex eo apparet, quia numquam legimus in antiquis (quantum ego legendo assequi potui) Decretis, Concilijs, & Patribus Paulum per se solùm principem Apostolorum appellari: quod argumento est, cùm princeps Apostolorum cum Petro numero multitudinis dicitur; ex consortio Petri ita appellari. Idque confirmatur, quod Petrus solitarius princeps Apostolorum dicitur, quod ipse sit iure princeps, atque adeo nullius indigeat societate. Equidem existimo Paulum præ alijs Apostolis principem dici, nec velle, nec posse; quod nullo proprio iure præ illis, id sibi nomen vindicare debeat. Petrum veró illum principis titulum iure capitis, & pastoris supremi à Christo dato pro omnibus, & habere, & vendicare. Vnde cùm solus nominatur princeps Apostolorum perspicuè, & palam dicitur. Idque passim in Canonibus, & Concilijs, & Patribus occurret. Veram autem hanc meam coniecturam esse faciunt alia in his ijsdem epistolis, & alijs huiusmodi intra hoc Concilium adducta testimonia; quæ sedem, quam communem interdum faciunt Petro, & Paulo, propriam Petri dicunt: eique soli assignant, & numquam Paulo. Patet ex verbis eiusdem Adriani allocutione in Conc. Act. 7. vbi dicit [Cœlestis clauigeri Apostolicam Sedem.] Quam postea dixit [Sedem ipsorum principum Apostolorum,] & Act. 10. cap. 21. Synodus ita loquitur. [Contra Sedem Apostolorum principis,] dum qui cum Dioscoro, & Photio moueat, cum excommunicat. Et Nicolaus in Decretali posita act. 7. cap. 3. quod aliàs dictum fuerat à quorum Sede profecti referendo ad vtrumque Apostolum, ad vnum Petrum refert Petri Apostoli à cuius Sede profecti. Ac idem reperit cap. 6. Sedem B. Petri. Atque hæc est solemnis in omnibus tum Decretalibus, tum Concilijs forma loquendi, cum illa alia, quæ communem vtrique Sedem facit, rarissimè vsurpetur. Ac nusquam, quod meminerim: Sedes solius Pauli seorsim positi appellatur.

Longius fuit, & argumentum, & responsum, quod principalis difficultas manet sublata: vt cætera facilè currant. Igitur secundum constatur ex varijs titulis, & prærogatiuis, quibus Paulus afficitur à Pontificibus, & Concilijs, & Patribus, quæ illum sic appellando parem facere Petro videntur. Ea autem ornamenta videri possunt apud auctores nostros, qui Apologias pro Petri primatu, & Cathedra scripserunt, & Becanum tomo 5. opusc. lib. 2. obiect. 7. Pauca tamen excerpam & colligam. Dicuntur hi duo Apostoli [Principes, Duces, Coriphæi, Præsides, Fundamenta, Lumina Ecclesiæ Catholicæ. Vocantur. Pastores Gregis Dominici, Columnæ Romanæ Ecclesiæ, Culmina Apostolorum, Soles duo, Romæ Patres, & Patroni. Duo lapides ad Romam fundandam electi, principalis Apostolorum summitas.] Eorum opem implorant pontifices, eorum auctoritate vtuntur, cum fulminant, & cum munerant. Bullas suas eorum sigillo muniunt, imaginibus ornant, eorum nomina ijs inscribunt; quod argumento est, ambos æquali dignitate, ac potestate præditos esse. Propriè autem in quo maior est vis Paulus à Gregorio Magno lib. 1. Dial. cap. 12. [Frater Petri in principatu Apostolico,] dicitur. Idem à Petro Chrysologo serm. 6. in psal. 99. Petri Collega, & à Chrysostomo in cap. 2. ad Galatas, Consors Petri gloriæ appellatur; quo item titulo donatur à Leone papa ser. 1. de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo. His aliæ sunt nomenclaturæ similes, quæ videri possunt apud interpretes Pauli, pręcipuè Iustinianum, & Cornelium in Prologom.

Hotum, & intelligentia, & solutio est. Plura ex Apostolatu petita: quæ fermè communia sunt cum alijs Apostolis: nonnulla verò, quæ videntur propria Pauli, ei propter doctrinam, qua inter omnes excelluit conuenire iuxta D. Maximum serm. 3. & Fortunatum lib. 3. & 11. Carmin. & Laurent. Iustin. serm. de Sanct. Innocentibus, & Hugonem Cardinal. in cap. 3. 1. ad Corinth. Qua ratione dixit, ad Bonif. lib. 4. cap. 7. Augustinus 1 Apostolum eum antonomasticè vocari: [quia pluribus epistolis notior est, & plus omnibus laborauit.]

Hæ duæ iustæ illorum, quibus afficitur, nominum causæ sunt. Reliquorum autem, quę ad Romanam Ecclesiam pertinent, & cum Petro Paulum coniungunt, duplex est genus. Primum eorum, quæ spectant ad doctrinam, & prædicationem, & fundationem illius Ecclesiæ: citra auctoritatem, & regimen ordinarium. Secundum aliorum, quæ deuoluunt iurisdictionem, & potestatem ordinariam: cuiusmodi sunt Pastorum, & Patrum. Inter quæ illud interest, quod illa prioris generis, tota quadrant in Paulum, cùm ministerium sequantur, posterioris autem partim ei conueniunt ob delegatam potestatem, qua cùm Romæ vsus fuerit propria sibi fecit ratione domicilij, qua alij Apostoli caruerunt: partim in eum Petrus ipse deuoluit propter operæ, & laboris societatem, & martyrij consortium: quemadmodum proximè de titulo Principis Apostolorum diximus, qui Paulo à Petro communicatus est. Præclarè in rem nostram Rupertus in cap. 3. Ionæ, & lib. 3. de offic. cap. 2. §. 2. [Roma, & quod Principis Apostolorum Petri Sedes facta sit, & Pauli eius consortis prædicatione illustrata, & martyrio coronata cunctis Ecclesijs altiùs extollit caput.] Seruat sedem Petro, ob dignitatem, & authoritatem Capitis: admittit ad consortium Paulum ob doctrinam, & martyrium. Huius æqualitatis rationem innuit Gelasius in Concilio Romano: [Sanctam, inquit, Romanam Ecclesiam Christo Domino Petrus, & Paulus consecrarunt, talemque omnibus vrbibus vniuerso Mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt.] Eam expressit Leo IX. epist. ad Michael. Patriarch. Constantinopolitan. [Iustum est, ait, vt ibi lex Sancta Caput habeat Principatus, vbi Sal-

uator Noster Beatum Petrum Apostolum obtinere præcepit Cathedram. Et ibi gentes colla flectant pro Christi nominis confessione, vbi earum gentium Doctor Paulus pro Christo extenso collo est martyrio coronatus.] En Petro Cathedram attribuit, reuerentiam Magisterij Paulo ob doctrinam, & martyrium assignat. Hinc est, vt in sigillis, vtriusque Imago, in Bullis amborum nomina ponantur, & eorumdem authoritas adhibeatur.

Tertium argumentum est: vel pars non minima huius argumenti: mos ille Summorum Pontificum, quos constat iam inde ab initio Ecclesiæ solitos esse vti authoritate Petri, & Pauli, tùm concedendo gratias, tùm dicendo anathemata. Quod sanè videtur difficultatem habere. Nam si Pauli authoritas erat delegata, & cum eo expirauit, quomodo ea vtuntur Pontifices, tamquam ordinaria, & sibi relicta? videtur ergo Paulus ordinariam Romæ, non delegatam iurisdictionem exercuisse, atque adeo cum Petro parem dignitatem, & potestatem habuisse.

Respondeo huic argumento: verum esse assumptum, & exempla, cuique legenti obuia esse: non tamen ex eo sequi illatum ab aduersarijs. Ratio est, quia illa authoritas, quam sibi, nomine Pauli, vindicant Pontifices, non est illa propria Pauli, eique delegata, quam habebat, sed quam in eum Petrus deriuauit ex sua ordinaria, proindeque propria Petri, & communicata Paulo, non quidem dum vixit, sed cum moriebatur, & sanguine suo Ecclesiam Romanam irrigabat. Tunc enim, inspirante Deo, suam cum eo authoritatem communicauit. Ne mortuus careret potestate, quam martyrio merebatur. Nec enim decebat, vt qui Romanam Ecclesiam, vti Magister instruxerat, vti Pastor delegatus texerat, vti Protector fouerat, vti Apostolus ex parte fundauerat, vti martyr confirmabat, omne in eam ius cum vita amitteret. Quod prorsus futurum erat, si delegata solùm illius, & potestas, & authoritas esset. Quare ea die afflante Spiritu Sancto prouidit Petrus, vt ex sua in eum ordinaria potestate riuus deriuaretur, qui cum Pauli manante sanguine coniunctus vnum Iurisdictionis flumen efficeret. Videtur hoc liberè dictum, sed non temerè, cùm alia euadendi ratio esse vix possit: ac ea doctrinæ huiusce veritas constet. Accedit coniectura, quòd Paulo ea die iugulato pro sanguine lac effluxit, quasi tunc inciperet Fideles, tamquam mater, & parere, & nutrire, nouo argumento iurisdictionis ad se à Petro in eos deriuato: cum præsertim Petrus eodemmet tempore capite in terram verso, præpostero ordine crucifigi vellet, perinde, ac significare vellet Paulum sibi, cui erectum erat caput, quodammodo substituere, vt Ecclesia deinceps illius item authoritate participata vteretur. Summa sit. Authoritatem illam Pauli, quam vendicant pontifices, non propriam eius, ac delegatam esse, sed à Petro vtcumque sit, acceptam, & ordinariam. In solo enim Petro fuisse ordinariam potestatem statuit Sorbonica facultas in Censura contra Marcum Antonium de Dominis lib. 1. cap. 5. num. 18. quam Censuram adducit Isaacus Haabert lib. 2. de Cathed. S. Petri cap. 12.

Quartum argumentum sumitur ab exemplo Lini, Cleti, & Clementis de quibus constat eos simul cum Petro, & Paulo Episcopos Romæ fuisse; non quòd velint eos omnes paris cum Petro potestatis fuisse; sed quòd inter eos Paulus, à quo eorum aliquis est ordinatus, ac maiore quàm is authoritate præditus, Petro sit æquandus potestate. Assumptum an sit verum? est inquirendum.

De Lino constat primùm: Pauli discipulum, & comitem, & adiutorem fuisse. Ita Ignatius epist. ad Trallianos ponens illum inter Diaconos, & cum [Timotheo Linum] assignans Paulo, [& Cletum cum Clemente] Petro. Idem postea venit Romam, fortè cum Paulo. At de eo Romæ commorante Paulus ad Timoth. 2. cap. 4. [salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia.] Hunc autem vnum, & eumdem fuisse Linum Irenæus testatur lib. 3. cap. 3. An, & à quo sit ordinatus Episcopus quæstio est. Negant non pauci eum viuo Petro, de hoc enim agimus, Episcopum, sed nudum tantùm Chorepiscopum fuisse. Ita Ioannes 3. in epistola sua Decretali. Metaphr. 29. Iunij. Turrianus in cap. 27. Constitut. Apostolic. lib. 7. Panuin. part. 3. de Petri primatu. Haymo apud D. Antonin. tom. 1. tit. 7. cap. 2. Affirmandum tamen eum fuisse Episcopum Petro, & Paulo viuentibus. Perspicuè enim dicit Clemens lib. 7. Constit. cap. 47. [Linus, Claudiæ filius, Romanorum Episcopus est ordinatus à Paulo,] & ibi confirmat Turrianus, additque factum id [authoritate Petri.] Potuit autem ordinari à Paulo extra Romam, & Romæ à Petro in adiutorium pontificatus assumi, quæ communis sententia est. Nicephorus Callistus sic lib. 2. cap. 33. ita: [Dum adhuc, inquit, viueret Petrus dedit Lino Claues Ecclesiæ Romanæ.] Damasus, vel author vitarum pontificum idem affirmat. Baronius anno Christi 68. Petri 25. indubitatum existimat. Seuerinus Binius assentitur in commentar. ad vitam, & epistolam Ioannis 3. & Margarinus de la Bigne in 3. tom. Biblioth. Patrum Irenæus huius sententiæ grauis est author l. 3. cap. 3. asserens [Linum ab Apostolis Petro, & Paulo fuisse factum Episcopum,] quod ita accipi potest quasi ordinatus fuerit à Paulo, & assumptus in socium, & coadiutorem à Petro. Quare non video, cur Augustinus de Bellis opposit. 26. solut. 3. dixerit multos Patres authores esse Linum Episcopum viuis Petro, & Paulo non fuisse. Fortè, quia legit in epistola Ioannis 3. Linum, & Cletum Chorepiscopos tantùm, non Episcopos extitisse. Sed animaduertere debuit illam epistolam notam esse, vti obseruauit Binius ex Baronio in commentarijs. Imò ipse Baronius verba illius epistolæ ita interpretatur, vt Linus, & Cletus Summi cum Petro Pontifices non fuerint: quæ interpretatio apta non est ad verba Ioannis: perspicuè enim negat Linum, & Cletum Episcopos fuisse, cùm tantùm ijs nudum Chorepiscoporum citra ordinationem munus adscribat. Scio nihilominùs in iure Canonico 8. q. 1. cap. si Petrus illa verba Ioannis pro textu adduci, & eo affirmari [S. Linum cùm à Petro fuit assumptus ministrasse exteriora, & ex tunc non fuisse pontificem,] & ita citari in illa exacta Epitome

Canonum à B. Laurentio Braocato de Laurea viro doctissimo, sed nihil me mouet illa authoritas textus: moueret autem, si Pater Lauræa cum ipso sentiret. At ipse recenset, quos reperit Canones, & in quæstionibus de facto summa eum fide versatur. Iudicium suum in hoc tomo circa res sustinet: quòd alienum erat ab eius instituto de eo tectum ne, an secus esset, iudicare.

De Cleto idem prorsus, quod de Lino dicendum. Et Episcopum, & coadiutorem Petri fuisse. A quo, ordinatus, & adscitus videtur ad regendam Ecclesiam Romanam. Authores, quippè de ambobus eodem modo loquuntur. Sic de Cleto Nicephor. lib. 2. cap. 35. [dum adhuc viueret Petrus Cleto dedit Claues Ecclesiæ Romanæ,] & alij, vtì videre est in ijs, quos proximè citauimus, præcipuè Baronio anno Christi 69. Petri 25. à num. 35. & Bellarmino. Adde Ciaccooium in vita Cleti.

Circa Clementem maior dubitatio est. Videtur enim non fuisse Episcopus ordinatus, nisi, instante Petri morte, nec inparrem curæ Episcopalis assumptus, sicuti Linus, & Cletus assumpti fuerant: ea ratione, quòd noluit, viuo Lino, & Cleto, pontificatum à Petro oblatum acceptare, vti fert communis Ecclesiasticorum authorum sententia, qui videri possunt apud Bellarmiuum, & Baronium, & Binium citatos, nam idcirco visus est nolle, quod videbat illos duos sibi esse tùm in Episcopatu, tùm administrandi Ecclesiam munere fuisse prelatos, atque adeo non audebat ijs viuentibus anteponi, & summum pontificatum, in cuius partem ipsi vocati venerunt, ijs præteritis, obtinere: quem tandem ijs mortuis obtinuit. Idoo ea hæc coniectura est, nec coniectura tantùm, sed Damasi, aut qui eius nomine pontificum vitas conscripsit sententia: qui sic ait: [In Epistola, quæ ad Iacobum est, qualiter ei commissa est à beato Petro Ecclesia reperies, Ideo Linus, & Cletus ante eum conscribuntur, quia ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum, sunt Episcopi ordinati.] Noluisse autem Clementem pontificatum gerere viuo Lino, & Cleto significat Epiphanius hæresi 27. & nostri penè omnes tecentis memoriæ scriptores tradunt. Baronius, Bellarminus, Binius, Henriquez, & alij. Verùm communis sententia tenet. Clementem fuisse item à Petro ordinatum Episcopum coadiutorem suum cum Lino, & Cleto; non enim ad eom diceret Petrus, vti narrat idem Clemens epist. illa ad Iacobum, seu potiùs ad Simonem, velle se Romanam ei Ecclesiam credere, quòd amplius alijs laborasset, & neminem parem haberet; quod non diceret, si ille Episcopatu minimè fungeretur. Sed omnius adhuc pondus habet locus lib. 6. Constitut. Apostolicar. cap. 8. quod opus est eiusdem Clementis: vbi sic Petrus loquens inducitur. [Ego Petrus etc. Mecum erant Barnabas, et Clemens Romanus Episcopus.] Fauet Tertullianus lib. de præscript. cap. 32. [Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum à Ioanne collocatum refert; sic Romanorum Clementem à Petro ordinatum,] constat quippè Polycarpum viuo Ioanne Episcopum factum, ergo, et viuo Petro Clementem, Ac ita Bellarminus intellexit locum lib. 1. de Rom. Pontific. cap. 6. qui eius est author cum Pamelio sententiæ, cuius Baronius calculum suum addit, tùm anno Christi 44. tùm 575. et trahit secum Spondanum, quibus Binius consentit in notis ad vitam Clementis. Assentitur Vasquez tom. 3. in 3. part. d. 341. cap. 1. num. 8. sequutur P. Augustinus de Bellis in suo Apologet. et Leo Allatius lib. 1. de consens. Eccles. cap. 5. et apud eum Inkofer. cap. 7. quamquam Vasquez sentiat Clementem non nisi Lino mortuo fuisse ordinatum, imò et Cletum, viuo Petro, obijsse, atque adeo Clementem solùm superstiti Petro successisse. Quod si verum est, Linus, et Cletus Romanorum sunt Pontificum catalogo expungendi. Id autem ecquis admiserit? Dubium hoc mouit item Pamelius in Tertulliani citatum locum, sed nihil eo motus affirmat omnes illos 3. Petro viuente Adiutores fuisse. Authores citat Vasquez, quos sequitur: citat Pamelius, sed eos deserit.

Agè vero, quando eos Episcopos esse volumus non Chorepiscopos, quod minùs erat difficile sustinere, ne multos, & pares Romæ pastores, simul fuisse dacemus, quomodo se gesserint, videamus. Author sum eos ita esse ordinatos, vt nulli certæ Ecclesiæ addicerentur, sed more titularium Episcoporum ab omni vinculo liberos, in omnes, quò vocarentur partes trahi potuisse. Vocatos autem à Petro in partem curarum Romanæ Ecclesiæ, quas inter ipsos, distributis vnicuique regionibus, diuisit. Et ita postea reperi ex multorum sententia, referre Suarium tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 16. num. 9. Qua ratione Romanæ Ecclesiæ proprij Episcopi, & pastores non erant, vti nec Athenarum, nec Corinthi, nec Ephesi; atque adeo nihil omnino de authoritate, aut potestate Petri detrahebant, potueruntque vnus post alium Romanæ Ecclesiæ Clauum tenere: perinde, ac noui ad eum accederent. Ne quem verò turbet ratio hæc Episcopalis sine Ecclesia determinata, quòd videat esse spirituale coniugium: id quippe extra controuersiam est, non requiri ad huiusmodi coniugium certum cum certa Ecclesia vinculum, vti constans est apud Iuris Canonici peritos sententia, quos citat, & sequitur Barbosa de potestate Episcopi, ac ex nostris Theologis eruditè, ac solidè probat P. Vasquez tom. 2. in 3. p. disp. 241. cap. 1. ac reprehendit Andream Freyhub, quòd in disputatione Lipsica ausus fuerit negare hos esse veros Episcopos, & obiectis ex Concilijs occurrit. Eiusdem sententiæ est Suarez to. 3. de Religione lib. 1. cap. 16. num. 9. qui duo satis sunt ad probationem. His addo: nisi hoc genus Episcoporum iustum, ac legitimum sit, nullum fuisse Paulum Episcopum, quem constat nulli Ecclesiæ affixum eutam per omnes, quascumque peragrasset, circumtulisse. Ac existimo, si vnum Iacobum excipias, cæteros omnes (de Petro non loquor) Apostolos nullam certam, & constantem sedem habuisse. Imò & initijs illis nascentis Ecclesiæ non aliter fieri potuisse, quin multi huiusmodi Episcopi ordinarentur stantes in procinctu, vt quòcumque traheret spiritus, eò conuolarent, & inde aliò transferrentur. Huiusmodi verò fuisse Linum, & Cletum à Petro assumptos, ex multorum sententia tradit

dit Suarez proximè citatus, & Linum, & Clementem ex propria sententia docet, Vasq. d.241.cap.1.num.8.

Nego autem eos Episcopos Romanos fuisse, etiam suffraganeos, & adiutores, quia si hoc admittam, & concedam plures in eadem Ecclesia Episcopos simul extitisse, quod Nicænum vetuit seuerè Concilium Canon. 8. ac ego non solùm de Episcopis ordinarijs, & partibus potestate, sed etiam de his Vicarijs, & adiutoribus intelligo, quid videam Augustinum ita intellexisse cùm pænituit electum se esse à Valerio, Coadiutorem, & successorem: quòd credidit aduersùs Canonem Nicæni Concilij factum id fuisse: vti constat ex epist. 110. & alijs locis. Nam si Petrus id fecisset, suoque exemplo rem firmasset, numquam id Concilium vetuisset. Et quamquam Nicænus ille Canon videatur accipiendus de Episcopis ordinarijs, & æqualibus, non de his Vicarijs, & suffraganeis, quod exemplo ipsius Augustini, qui Eradium sibi viuens substituit, vti ipse Valerio fuerat substitutus, confirmatur, & in Gallia, quæ religiosissima est sacræ vetustatis custos, ita fieri soleat, tutiùs tamen est de omnibus accipere, quò longiùs à periculo errandi simus: cum præsertim alia via tutò, ac expeditè incedere possimus. Quare præstar dicere, Linum, Cletum, & Clementem titulares, & nullius Ecclesiæ vinculo alligatos, ad id munus regendi Romanam vicaria potestate Ecclesiam à Petro adsciros fuisse. Vnde nullum sibi, vel ius, vel titulum Romanorum Episcoporum vindicare potuerunt, vt solus Petrus Romanus pontifex viuus, & ipsi post mortem singuli singulis succedentes Romani item solitarij pontifices, & essent, & dicerentur.

Parergon de Chorepiscopis.

Appendix hic non inepta esto de Chorepiscopis: imò & necessaria. Cùm enim negatum à nobis fuerit Linum, Cletum, & Clementem, Chorepiscopos fuisse, perinde ac Episcopi fuissent, & Episcopi à Chorepiscopis differrent, videndum, quo id iure dixerimus, ne quis existimans Chorepiscopos dignitate Episcopali præditos olim fuisse, nos calumnietur, quòd cos ea spoliare voluerimus. Et quoniam res est obscura, & diuersa sententium authorum contentione impedita, operæ pretium duco exponere, ac explicare. Igitur constat ex Ethymologia Chorepiscopum esse, ac dici Episcopum [Choræ, idest villæ, aut vici,] vnde Villani, aut Pagani vocabantur, quòd paruis illis Ecclesijs præessent.

Ac primùm indico fontes, vnde doctrinarum riui deriuantur. De Chorepiscopis agitur. In Concilio Antiocheno I. sub Iulio I. quod est ordine 3. habetur tom. 1. Concil. Collect. Binij Canon ibi celeberrimus 10. pag. 411. In Concilio Neocæsariensi sub Siluestro cap. 13. seu can. 13. pag. 236. Io Concilio Magno Nicæno Græco can.4.in vtraque versione prima pag. 275. secunda pag. 279. & in Arabica versione per Teilonem, & Tbearistum can. 18. & 54. ad 61. & can. 65. & 71. & 72. & 73. & in versione Turriani can. item 18. pag. 354. & alijs quos proximè citauimus, & si aliquæ varietate numerorum. In Concilio Ancyrano sub Siluestro cap. 12. pag. 229. Io Concilio Rhegiensi sub Sixto III. tom. 1. Concil. part. 2. pag. 469. in can. 3. In Concil. Hispalensi 2. cap. 7. tom. 2. part. 2. pag. 327. sic corrige num. 983. In Concilio Metensi sub Stephano VI. cap. 5. tom. 3. part. 3. pag. 116. In Concil. Meldensi cap. 44. tom. 3. concil. sect. poster. In Concil. Parisiensi cap. 27. eodem tom. & sect. pag. 291. primùm posito, nam bis mendosè ponitur. In Synodo Augustensi Diœcesana tom. 4. 2. p. pag. 212. Extant super Chorepiscopis epistolæ Decretales Damasi 5. & in Concilijs, & in Decretis 1. p. dist. 68. & ib. Glossa. Ioannis papæ III. si tamen illius est, tom. 2. Concil. pag. 204. in 2. parte illius tomi. Zachariæ papæ tom. 3. Concil. p. 1. Ac præcipuè Leonis I. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, quæ est 86. aliter 88. & refertur cap. 4. d. 68. Addo epistolam Nicolai I. ex Cordesio conjecta ad fin. 2. p. to. 3. post Concil. Viennense ante Salisburgense pag. 981. Agitur item de Chorepiscopis cap. 1. dist. 69.

Adductis fideliter locis propono quæstionem. An Chorepiscopi verè Episcopi ordinati fuerint, & eorum munus obire potuerint, ac obierint? Diuisi sunt opinando authores. Alij affirmant: alij negant. Quidam medium tenent, & sapere sibi videntur, dum aiunt duo genera fuisse Chorepiscoporum: vnum eorum, qui verum ordinem Episcopalem haberent, & munera Episcoporum licitè obirent; alterum eorum, qui ordine carerent, & munera, vel non obirent, vel non rectè vsurparent. Hanc tertiam sententiam, quòd difficultates tollat, & vtramque extremam conciliet, multi, & graues sunt authores amplexi. Bellarm. de Clericis lib. 1. cap. 17. & lib. de ordine cap. 7. & Petrus Bòllo œconom. Canon. clas. 3. cap. 1. §. 4. et Laurentius Beyerlench. verb. Chorepiscopus, & alij, quos viros eruditos Vasquez appellat d. 238. cap. 7. Inter hos numerandus est P. Lauræa in sua Epitome verbo Chorepiscopus: qui cum his sentir maluit. Fundamentum præcipuum est in Canone 10. Concilij Antiocheni, vbi sic dicitur [Manus impositionem ab Episcopis susceperunt. Et vt Episcopi sunt consecrati.] Quo quid, aiunt, manifestius. Hoc est à causa argumentum. Illud ab effectu: [constituere autem his permittitur lectores, & subdiaconos, atque Exorcistas. Constituere autem Subdiaconos, idest ordinare] solius est Episcopalis officij, cùm subdiaconatus sit ordo sacer. Accedit robur ab exceptione, quòd ijs vetatur ordinare Diaconos, & Presbyteros in eodem Canone Antiocheni, & in 12. Ancyrani Concilij. Vnde deducitur potuisse illos, per ordinationem vlteriùs ordinando procedere, sed prohibitos fuisse, ne irent terminis præfixis, vt ne cum Episcopis confunderentur. Præterea ex epistola Damasi 5. quæ contra eos fulminat, apparet eos olim Episcopos fuisse: nam ibi disertè affirmat Damasus, eos non ab vno tantùm, sed à pluribus Episcopis impositionem manuum accepisse: quæ consecratio est Episcopalis: & dum remouentur à muneribus proprijs Episcoporum, cuiusmodi sunt ordinare Sacerdotes, & Diaconos, & formaras epistolas mitte-

re, significatnt, eos illa omnia exercuisse. Quæ certè argumenta idonea sunt, & affirmanti sententiæ fidem faciunt.

Alij tamen, nec pauciores, nec ignobiliores authores negane. Ayala de traditione Ecclesiæ 3. p. considerat.4. Turrian.in Annot. ad Concil. Nicæn. can 55. Henriquez lib.10. de Sacram. Ordin. cap.23. & Senerinus Binius in notis ad Canon.54. Arabicum ex Nicenis, & Gonrad. Brun. de Cæremon. lib. 1. cap. 4. & carranza in sum. concil. in epist.4. Damasi, & qui eos citat Barbosa p. 1. de offic. & potest. Episcop. tit. 1. cap. 6. Citantur etiam Demochar. tract.3. de sacrif. cap.4.& Sotealis verb. Chorepiscopus ab Henriquez, quos Vasquez ait se non vidisse, nec mihi videre contigit. Vasquez illa dist. 238. ita se gerit, vt cum de re accuratè, vti solet, disputet, & in hanc partem negantem satis inclinet, non tamen certum, ac constaus indicium ferat. Quod me paulùm initio retardauit. Verùm recognitis diligenter omnibus, quos collegi, locis, & inter se collatis, ac expensis, negantibus accedo, ac pronuntio Chorepiscopos ordinem Episcopalem minimè habuisse. Imò adijcio. Id ipsum Canones, & epistolas apertè legenti monstrare. Antequam id ostendam, animaduerto, multùm interesse inter ius, & factum, nec proinde esse quidquam fieri, & iure fieri: nec ex eo quod fiat, sequi iure fieri. Occupo enim. Multa Chorepiscopos fecisse, quæ non licebat fieri, ac proinde non ex eo sequi, illa ijs licuisse. Hoc animaduerso: probo eos Episcopos, non fuisse.

Primò. Authoritate Canonum, & Conciliorum. Deinde signis, & coniecturis. Tandem rationibus, breuiter, ac neruosè. Primus Canon esto cap. Quamuis ex Leone Magno, & cap. Chorepiscopi ex Damaso: vbi enumeratis multis, quæ illis non licent. [Hæc, inquit, illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum, & formam 72. Discipulorum esse noscuntur, vel presbyteris, qui eamdem gestant figuram; quoniam consecrationem habent, etsi pontificatus tamen apicem non habent.] Ecce dicit similes 70. Discipulis, qui Episcopi ex institutione sua non erant, Numerat eos cum presbyteris, & vtrisque parem, & eamdem consecrationem dat, negatque esse Episcopalem consecrationem, id est enim [pontificatus Apicem.] Nam summi Sacerdotes Episcopi dicebantur. Idem argumentum præbet cap.5.vbi causæ afferuntur, cur sint extincti, nimirum duæ, vna quòd sibi multa præter suam authoritatem iniustè arrogabant, altera, quòd in ordine 70. Discipulorum erant, nec accedebant ad gradum Apostolorum. Et addit. Vnde iste tertius ordo processerit ignoramus.] Et concludit. [Si nomen non habent, qualitet officium habebunt?] Confirmatur ex cap. 6. in quo statuitur Episcopos Apostolis successisse, vt appareat Chorepiscopos Episcopos nó esse, cùm 70. Discipulis successerint. Secundus sit cap. Episcopi, et cap. Illud, et cap. Non debere, quibus cauetur, ne Episcopi in castellis, aut vicis, aut villis constituantur; sed ijs [presbyterorum cura sufficiat. Nam Episcopalia gubernacula, nonnisi maioribus popnlis; et frequentioribus ciuitatibus oporret præesse.] Cùm ergo Chorepiscopi sint vicis præpositi, non esse Episcopos constat.

Ex Concilijs Neocæsariense sic: [Chorepiscopi ad exemplum, & formam 70. videntur esse, vt comministri autem propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur.] Ordo non Apostolorum, sed 70. ijs assignatur, et munus charitatis erga pauperes, quod initio Ecclesiæ Diaconorum fuit. Ita primùm instituti. Postea multa sibi non licitè arrogarunt. Vnde Concilium Ancyranum, quod est Neocæsariensi antiquius [Chorepiscopis ait Can. 12. non licere presbyteros, aut Diaconos ordinare: sed nec presbyteris ciuitatis.] ceu nihil inter vtrosq; interesset. Quoad gradum, & potestatem. Idem ijs interdicitur Canone 10. Concilij Antiocheni, quem item citat Zacharias papa epist. 7. cap. 1. in fine. Qui autem interdici posset, si ij Episcopi essent? In Concilio Hispalensi 2. Sub Bonifacio papa, perspicua tes est: vbi ter illata mentione Chorepiscopi, & presbyteri, bis priùs nominat presbyterum, & vtrinsque eamdem rationem habet. Et apertè. [Hæc omnia illicita esse presbyteris, vel Chorepiscopis, quia Pontificatus apicem non habent, quod solis deberi Episcopis authoritate Canonum præcipitur.] Quem locum Achillem puto. Alterum exhibet Concil. Meldense, sub Sergio 2. tom. 3. sect. poster. pag.351. Cuius Canon. 44. sic habet [Chorepiscopus modum suum teneat, nec sanctum Chrisma, nec Sanctum Spiritum Paracletum solis Episcopis ttibuere debitum, tradere tentet, & postea per parochiam secundùm mandatum Episcopi sui inseruiat.] An hic Episcopus sit, cui illa non licent, & quæ licent in ijs seruum agit Episcopi? Tertium dat Herculem, vltra Achillem Concilium Parisiense cap 27.sub Gregorio papa IV. qui huiusmodi est. [Episcopos locum Apostolorum, Chorepiscopos autem 70. tenere discipulorum Canonica authoritas apertè demonstrat.] Et paulò post [Quidam Chorepiscopi vltra modum suum progredientes, donum S. Spiritus per impositionem manuum tradunt, et alia, quæ solis pontificibus debentur contra fas peragunt. Et postea. Non 70. quorū formam tenent Chorepiscopi, sed Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, tradebant Spiritum Sanctum, & addunt locos ex Concilio Cæsariensi, & Antiocheno. Cuius autem gradus fuerint Chorepiscopi cùm episcopi non fuerint, docet Synodus Augustensis Diæcesana cap.7. quæ habetur 2. p. tom.2. Concil. pag. 212. his verbis: [Quos Græci Chorepiscopos, alij Archidiacouos, alij Archipresbyteros vocant in nostra Ecclesia Cathedrali, in reliqua vero Diæcesi Decanorum titulum nomine censentur.] Rectè propè Episcopos, sed minimè Episcopos. In Concilio Niceno, apud Arabes sunt Canones, in quibus eadem doctrina continetur. Etenim Can. 54. eligitur Chorepiscopus ab vno Episcopo, & à Diaconis recipitur, tamquam superior, & à solo vno Episcopo benedicitur: & ad colligendos prouentus Episcopi, & eleemosynas erogandas destinatur. Quæ demonstrant eum Episcopo multò inferiorem. Canon. 56. inuenitur Corepiscopus factus caput in Monasterio: & qui accedat ter in anno ad Episcopum cum fratribus suis. Certè huius-

huiuſmodi Epiſcopus non erat. Canone 52. exponitur quæ ſit dignitas Corepiſcopi ex comparatione cum Archidiacono, qui Epiſcopus non eſt. Ibi ergo habetur ex duobus Archidiaconum eſſe digniorem Corepiſcopo. Sic enim: [Locus Epiſcopi in oratione, quòd vocant officium ſit in conſpectu ſacelli, ſiue è regione altaris, vt qui ſit paſtor, & gubernator. Prope eum ſit Archidiaconus ad latus dextrum, vt qui ſit loco eius, & præſit omnibus, quæ ad orationem, & Eccleſiam pertinent. Chorepiſcopus autem ſit ad alterum latus Epiſcopi, quia ipſe etiam eſt loco Epiſcopi ſuper villas &c.] Deinde Archipresbyter inducitur [caput Sacerdotum, & in abſentia Epiſcopi iubetur honorari, tamquam Epiſcopus,] & ibi videtur anteponi Archidiacono, nedum Chorepiſcopo. Canone 28. [Archidiaconus, & Chorepiſcopus præcedant omnes, tum Sacerdotes, tum Diaconos: tamquam duæ manus, & duæ alæ, quibus Epiſcopus volat. Sed quando Epiſcopus ambulat, ſiue in Eccleſia, ſiue foris, oportet vt Archidiaconus ſit ad dexteram, & Chorepiſcopus ad ſiniſtram. Et Epiſcopus ſit inter eos, tamquam pater in medio filiorum.] Itaque pares, immò impares quidem: ſi quidem Archidiaconus occupat dextrum locum, & prior nominatur. Idem colligitur ex Canon. 71. vbi Chorepiſcopus introducit Epiſcopum ordinarium in Eccleſiam, & Archipresbyter, & Archidiaconus examinant introductum. Vtrum ſit maius apparet, & illud item liquet, qui Epiſcopum introducit, eum non eſſe Epiſcopum: qui enim miniſtri officium præſtabit? ac miniſtri deductoris?

Nullus mihi hoc tamen magis perſuaſit locus, quàm ille grauiſſimus Concilij Niceni Canon. 9. in quo ſtatuitur, vt ex Catharis, ſeu Nouatianis ad Eccleſiam, relicta hæreſi ſua, venientibus, qui Epiſcopus fuerit, titulum, & honorem presbyteri habeat, ideſt inter presbyteros cenſeatur: quod ſi placeat Epiſcopo Catholico, cui ſubditus aduenit, retineat nomen Epiſcopi, non tamen dignitatem, nec munus. Sin autem nolit eum donare titulo, & nomine Epiſcopali, [Prouidebit, inquit, ei, aut Chorepiſcopatus, aut presbyterij locum, vt in Clero prorſus eſſe videatur:] adhibita ratione; [Ne in vna ciuitate duo Epiſcopi probentur exiſtere.] Hoc argumentum omnino efficax eſt. Nam ſi ille antea Epiſcopus Nouatianus, factus Chorepiſcopus maneret Epiſcopus, non tranſiret in Clerum; nec illa ratio conſtaret: eo Chorepiſcopo facto, duos Epiſcopos in ciuitate non fore, cum duo ſanè, ſi ille Chorepiſcopatu adepto, Epiſcopus foret, omnino futuri eſſent. Apparet ergo ex Decreto, & ratione Decreti, Chorepiſcopos non eſſe Epiſcopos, quando cenſuit, qui Chorepiſcopus fieret, eum gradu deijci, & in Cleri ordinem redigi: eoque redacto duobus Epiſcopis in ea ciuitate locum non fore.

Iam verò ſi admittatur epiſtola illa vnica Ioann. 3. vel Leonis, vt alij malunt, ac vera ſit: tota illa integrum, & iuſtum argumentum eſt contra Epiſcopalem dignitatem, & poteſtatem Chorepiſcoporum, adeo vt vnum ex capitibus, propter quæ à Baronio, & Binio, reijcitur, ſit affirmare Linum, & Cletum nulla pontificali poteſtate præditos, ſed tantùm vti Chorepiſcopos Petro miniſtraſſe, cum conſtet, vtrumque Epiſcopum fuiſſe. Cuiuſcumque illa tamen epiſtola ſit, idonea ſanè eſt ad infringendam hanc Epiſcopalem Chorepiſcoporum auctoritatem. Hinc apparet; quicquid ſibi arrogabant, vltra miniſterium ſuum eſſe; ac idcirco ſæpè reprehenſos, ac demum, vt ex Damaſi, & Ioann. 3. epiſtola conſtat; extinctos.

Rationes duæ ſunt. Prima, vel iſti Chorepiſcopi erant conſecrati Epiſcopi, vel non. Si ſecundum. Habemus, quod volumus. Si primum, quare non licebat ijs ordinare presbyteros, & Diaconos, & cætera munia Epiſcopalia obire. Igitur non erant Epiſcopi. Secunda. Iſte gradus Chorepiſcoporum, etiam quando vſurpabant illam immodicam poteſtatem, ex eo improbatus, & reiectus fuit, quia videbatur tertius quidam ordo nouus inter Epiſcopatum, & presbyteratum, præter inſtitutum Chriſti, ergo non erat ille Epiſcopatus: atque adeo carebat ordine debito Epiſcopali, & intra gradnm presbyterij manebat. Hæ rationes cum alijs, quas allegando teſtimonia adduximus, ſatis ſunt ad perſuadendum Chorepiſcopos Epiſcopos non fuiſſe.

Supereſt ſoluere argumenta. Primum erat deſumptum ex Canone 10. Antiocheni Concilij, in quo habetur [Manus impoſitionem ab Epiſcopis ſuſceperunt, & vt Epiſcopi ſunt conſecrati.] Et quidem facilè reſponderi poteſt ly ab Epiſcopis, referri ad Chorepiſcopos. Vtrumque enim eſt in numero plurali, vt ſenſus ſit, non quòd ſinguli Chorepiſcopi à multis Epiſcopis ordinentur, ſed quòd Chorepiſcopi in numero multitudinis ab Epiſcopis ordinentur, quæ recta locutio eſt, quemadmodum cum dicimus: presbyteri, & Diaconi ab Epiſcopis ordinantur, non eum ſenſum reddit, vt vnus presbyter, aut diaconus à multis Epiſcopis ordinentur, ſed vt Epiſcoporum ſit conſecrare presbyteros, & Diaconos. Iam vero ly [Vt Epiſcopi ſunt conſecrati] non ſignificat eos conſecratos eſſe Epiſcopos: ſed ad ſimilitudinem illorum, ideſt per impoſitionem manuum, non enim omnis impoſitio manuum erat Epiſcopalis conſecratio. Itaque ly Vt, minuit rem, non æquat, hoc eſt inſtar Epiſcoporum ordinabantur; non Epiſcopi ordinabantur. Quid enim opus erat illo, vt, ſi mens erat dicere Epiſcopos eſſe conſecratos? Plane diceret Concilium, & Epiſcopi conſecrati, omni ambiguitate ſublata. Hoc fermè ſenſu dicitur Canoue Niceno ex Arabicis 57. Archipresbyterum honorandum eſſe, tamquam Epiſcopum, & Archidiaconum, & Chorepiſcopum eſſe loco Epiſcopi. Ex quo non ſequitur, eos eſſe Epiſcopos, ſed inſtar Epiſcoporum. Illud ego diligenter obſeruaui in Concilijs, & Decretalibus, quoties dicunt, conſecrari aliquem Epiſcopum, non vti illo vt, nec dicere [Conſecrari, vt epiſcopum, ſed ſine ly, vt, ſimpliciter Conſecrari epiſcopum, vel fieri epiſcopum, vel ordinari epiſcopum.]

Verùm quoniam, vt animaduertit Vaſquez diſt. 138. cap. 7. num. 72. & ego antequam illum vidiſſem obſeruaram Damaſus

epiſt. 4.

epist. 4. illa verba Concilij Antiocheni. Ab episcopis, ita intellexit, vt vnum Chorepiscopum multi Episcopi consecrarent, oportere aliter respondere. Et quidem Damasus duo genera distinguit Chorepiscoporum, vnum antiquius, alterum recentius. De illis affirmat consecrari solitos à pluribus Episcopis more episcoporum. De his asserit ab vno consecrari, quod auget vim argumenti. Respondendum tamen neutros episcopos fuisse. De secundis patet. De primis probo, quia non est necesse, vt omnis impositio manuum etiam à pluribus ordinatio episcopalis sit: cùm impositio manuum sit actio ad multa indifferens, vti ostendit Suarez, & alij, qui cum eo negant illam impositionem manuum factam à discipulis super Paulum episcopalem ordinationem fuisse. Nc autem hoc liberè dictum esse videatur Damasi ratiocinatio facit, postquam enim admisit hosce Chorepiscopos ordinatos esse à multis episcopis, adhuc negat eos esse episcopos, quia sunt Villani, & pagani, idest villis, & pagis præfecti, qui episcopali dignitate carent. Deinde addit [tria obstare, quibus eorum omnium cassatur actio, vel institutio.] Et afferendo tria genera ordinationis, [vel ab vno, vel à pluribus episcopis, vel absolutè, ait, omnia episcopali omnino carent auctoritate.] Perinde, ac omnium eadem habenda ratio esset. Et concludit. [Manifestè patet, quòd episcopi non sunt.] Et infert. [Si ergo episcopi non sunt, & presbyteri esse despiciunt, quid erunt? &c.] Itaque ipsius Damasi iudicio illa impositio manus à pluribus facta, non erat episcopalis ordinatio. Immò, & ex ipso textu Antiocheno deducitur non esse illam ordinationem legitimam: dicit enim [Manus impositionem episcoporum perceperunt. Manus, non Manuum.] Quod acutè obseruat Vasquez dist. 238. cap. 7. Quo indicare voluit, non esse illam impositionem episcopalem ordinationem, nam hæc erat manuum ambarum, non vnius tantùm manus impositio, quæ non fit in ordine Sacerdotali, sit autem in Diaconatu. Quare illis Chorepiscopis, cùm iam presbyteri essent, vna tantùm manus imponebatur, vt aliquid benedictionis, & maioris auctoritatis externæ reciperent; quæ non erat vera ordinatio, siue ab vno, siue à pluribus episcopis fieret: nec enim hi ambas manus, sed vnam tantùm imponebant, quæ non erat episcopalis, sed presbyteralis ordinatio. Hinc autem apparet ratio, cur ij superbirent, alijsque imponerent, putantes, & iactantes se esse episcopos, quòd viderent se à pluribus ordinari. Vnde orta est in ijs præsumptio vsurpandi munus episcopale, & ad vulgus error manauit, hos verè episcopos esse existimandi. Cui pontifices occurrere voluerunt; declarando, nec illos episcopali dignitate frui, nec posse munia episcopalia exercere.

Restat de ordine Subdiaconatus, quem illi conferebant, quæ erat altera obiectio, dicere. Respondetur triplici modo. Primò negando cum Durando in 4. dist. 24. quæst. 2. num. 6. & Caietan. tom. 1. opuscul. Tr. 11. art. vnic. & Martin. Ayal. lib. de tradition. Apostol. par. 2. cap. de sacro ordine. Subdiaconatum esse ordinem Sacrum, & maiorem; atque adeo mirum non esse conferri à Chorepiscopo. Sed hic modus non placet. Cùm Subdiaconatus sit maior, & Sacer Ordo. Secundò admittendo esse maiorem, & sacrum modò, sed non fuisse, quando illi Chorepiscopi eum conferebant: postea quando sacer, & maior cœpit esse à Chorepiscopis collatum non fuisse. Assumptum illud: Subdiaconatum, olim ordinem sacrum non fuisse, affirmant multi cum Henriquez lib. 10. de Sacramen. Ordin. cap. 23. & Vasquez distin. 238. cap. 6. & Barbosa tit. 1. cap. 6. num. 22. estque manifestus textus in decreto Vrbani II. quod refertur canon. Nullus ad episcopatum, 4. dist. 60. adiuncto alio Decreto Innocentij III. in cap. A multis. De ætate, & qualit. ordinand. explicantis mentem Vrbani, Subdiaconatum ita ab initio Sacrum Ordinem non fuisse, vt postea sacer factus fuerit, tempore Siricij Papæ. Anno Christi fermè 386. Non censeri ordinem sacrum patet ex cap. Quicumque, vbi Glossa, verb. ad Diaconi 77. distinct. & confirmatur ex Concilio Laodicensi cap. 21. vbi ijs non permittitur contactus vasorum sacrorum, vbi Barbosa par. 2. Allegat. 13. In hac sententia facilè currit solutio, nisi constaret, etiam postquam sacer esse cœpit eum Chorepiscopos contulisse. Tertia igitur solutio est, vtcumque de Subdiaconatu sit, eum ordinem ex commissione papæ, ac Ecclesiæ à Chorepiscopis collatum fuisse. Id quippe committi etiam non episcopis, presbyteris committi posse constans forma sententia, & communis auctorum est, quorum plures citat Henriquez, & multò plures Vasquez dist. 243. capit. 4. qui Diaconatum, & Subdiaconatum, ex commissione papæ non modò conferri posse, sed etiam sæpè fuisse collatum multis exemplis demonstrat: & mihi constat de Abbatibus Cistereiensibus illo priuilegio donatos fuisse, præter auctoritatem Victor. Maioris, & Nauarri, qui hoc asserunt, & citantur à Vasquez, vidi enim Olisippone exemplum priuilegij; quod tamen videtur post Tridentinum Concilium expirasse: vti existimat idem Vasquez adductus, num. 44. qui etiam putat Chorepiscopos etiam presbyteratum ex potestate sibi demandata primis illis temporibus contulisse. Quo tertio dicendi modo soluitur penitus argumentum.

Vnum hic est, quod mihi scrupulum mouet. Quomodo potuerit subdiaconatus ex non sacro in sacrum transire? Quod omnes concedunt: ego durum existimo. Nam si ordo sacer ex sua intentione, & naturalis est, quomodo eius institutio: & natura mutari potuit; cùm præsertim sit Sacramentum? Cuius institutio à Christo est. Nec temerè moueor, cùm D. Thomas in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. & Bonau. 16. par. 3. art. 2. quæst. 1. in corp. & ad 1. dicant, ordinem sacrum vocari, tum quia Sacramentum sit, tum quia in eius ordinatione tradatur potestas faciendi aliquid circa rem sacram. Igitur si Subdiaconus non erat Sacer ordo, Sacramentum non erat, & cùm factus est Sacer, factum est Sacramentum. Quod quis dicat fieri potuisse? Præterea demus Subdiaconatum inter minores ordines numerari, vti probabile existimant multi Authores, quos

citat,

citat, & sequitur Barbosa citatus, & minores ordines Sacramenta non esse, quemadmodum tradit Vasquez cum alijs, quos adducit dist. 237. cap. 2. sequitur Subdiaconatum è non Sacramento in Sacramentum conuerti. Cùm autem dicunt Authores illum incepisse à tempore Gregorij, atque Vrbani inter sacros recenseri, tunc cœpit esse Sacramentum. Recensitum autem eo tempore fuisse, dixit Innocen. in cap. miramur, de seruis non ordinandis, vbi glossa: ac proinde ex tunc in Sacramentum transijt. Hoc autem ecquis, vel mediocris Theologus dixerit? Quid ergo affirmandum? Sanè me Authore Subdiaconatum semper fuisse re, ac verè sacrum Ordinem, & Sacramentum. Sed quoad nos minimè notum fuisse, atque adeò, vsque ad tempora illorum pontificum de eo non constitisse: cœpisse autem constare ex quo illi pontifices declararunt. Neque hinc sequitur illum inualidè à Chorepiscopis collatum, cùm ijs ad illum, vtcumque esset, conferendum facultas daretur, euius vi tenebat collatio: quòd enim existimaretur non esse sacrum Ordinem nihil detrahebat potestati, cùm ea daretur ad illum cuiusmodi esset conferendum. Hæc habui, quæ de Chorepiscopis dicerem, quòd res impedita, & obscura erat. Non pœnitebit, opinor, lectorem operæ in legendo positæ, si legerit.

Quintum argumentum, sumitur ex loco, quem in antiquis imaginibus Paulus occupat, ponitur enim ad dexteram Petri, vndè Petrus ad sinistram Pauli collocatur; quod præcipuè visitur in diplomatibus Pontificijs, vbi Petrus ad sinistram Pauli, Paulus ad dexteram Petri poni solitus. Hinc autem apparet præstantiorem esse Petro Paulum, quia meliorem locum vendicat, cùm à loci præstantia personarum dignitas peti soleat. Solere autem pnni Petrum ad sinistram Pauli docet Petrus Damiani epist. 16. ad Desiderium tom. 2. vbi huius item rei rationem reddit. Hoc vtuntur hæretici contra primatum Petri argumento. Illud affert eorum nomine Bellarmin. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 27. & Gallus Anonymus illud refricat; eique magno studio respondent nostri; vti videre est in Leone Allatio lib. 1. cap. 31. & in August. de Bellis oposit. 3.

Primum, id inquirendum, vtra manus, Læua ne, an dextra sit nobilior? quod Authores solent exeutere. Sunt qui negant dexteram sinistræ præstare; sunt qui dicunt, præstare quidem in prophanis dexteram, in sacris sinistram. Alij contra sentiunt dexteram in sacris sinistra esse potiorem. Alij dicunt ambiguam rem esse, & interdum alteram alteri cedere. Et quidem si Plato de Republ. consulatur, vtraque manus naturæ ordine spectator par est, vti obseruat Mazzonus, eruditus Dantis interpres. Baronius, & Binius Authores sunt, sinistram in Ecclesia sanctiorem semper, & digniorem habitam fuisse, quod multis exemplis suadere conantur Baronius in Historia de Concilio Niceno anno 325. num. 59. & Binius in notis ad idem Concilium, vbi pro hac sententia citat Bellarminum lib. 1. de Romano pontifice cap. 27. aitque imaginem Petri in numismatis, & Beatæ Virginis in tabulis Christi crucifixi ad læuam collocari, & ex loco sedium in Niceno, & Chalcedonensi Concilio, vbi legati papæ manum sinistram tenuerunt, confirmat. Cuius item sententiæ est Goropius Becanus lib. 3. Hieroglyph. qui sentit apud Hebræos, & Romanos sinistram dextræ anteferri. Paris item Crassus eidem subscribit; consentit Mazzonus comment. in Dantem afferens locum Plutarchi in triumpho famæ, vbi doctis sinistrum latus famæ assignat, cùm militaribus dextram assignasset, & ita Poetam intelligit, vt literis nobilior, quàm armis locus tribuatur. Sed multò copiosiùs, & eruditiùs omnibus sinistræ manus dignitatem probat Antonius Nebrissensis in adnotationibus ad quinquaginta loca scripturæ.

Suadetur autem hæc pars primò; quia latus sinistrum est locus cordis, vbi est locus vitæ, & amoris. Secundò, quia sinistra est delicatior, & tenerior, ac proindè honoratior, quàm dextera, quæ est validior, & robustior. Tertiò, quia sinistra cœli pars fœlicior erat dextera; vndè Auguria læua fortunata, dextra infelicia, vti apparet ex tonitruis, quæ cùm à sinistra cœli parte sonabant, fœlicitatem portendebant. Vndè illud Virgilij lib. 9. Intonuit læuum. Quartò, quia quæ interiora sunt exterioribus præstantiora, sinistrum autem latus interius est, quàm dextrum: Hinc illa phrasis latiua [Comes interior] pro eo, qui sinistro lateri adhærebat. Vndè quando tres simul incedebant medius locus honoratior erat: cùm duo tantùm, qui sinister erat alteri, honestiùs ibat. Sic intelligendus Ouid. fast. 5.

Et medius Iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior si comes vnus erat.

Interior, idest sinister, quo sensu apud ideoneos latinitatis Authores vsurpatur, vt videre est in Goropio, & Castalio, & Bellarmino citatis, docentque Interpretes ad locum Virgilij lib. 5. vers. 170.

Radit iter læuum interior.

Et ad illud Ouidij 3. Amorum eleg. 2. [Nunc stringam metas interiore rota.] Et ad locum Horatij Satyra 6. Interiore diem gyro trahit. Vbi interpretes vertunt sinisteriore, vti videre est in Torrentio, & Lambino. Hinc est prouerbium. Intus canere, idest ad læuam, extra canere hoc est ad dextram Authore Cerda ad locum illum Virgilij 5. Æneidos.

Exempla tum sacra, tùm prophana pro dignitate sinistræ Authores proferunt. Primum ex sacris Filius sedet ad dexteram patris, patet ad sinistram Filij, vndè constat sinistram saltem dextera non esse inferiorem. Præterea apud Dauidem. [Astitit Regina à dextris tuis;] idest regis Christi, qui cùm ad læuam Reginæ esset, illi multò præstabat. Præterea Salomon matrem suam Bethsabe ad dexteram suam locauit, ipse ad sinistram mansit. Tandem Beniamin natu minor Iosepho dicitur Filius dextræ, vndè sequitur, Ioseph natu maiorem esse Filium sinistræ. Hec sacra. Illa prophana. In conuiuijs ad sinistram recumbere soliti cariores, vti Amasij, & Amicæ, in quorum sinu conuiuæ recumberent

tent Cyrus apud Xenophontem lib.13. Prædiæ quos in delicijs habebat ad manum sinistram posuit, quamuis hęc sit opportunior insidijs; quod argumentum haberur, & fiduciæ, & dignitatis. Hæc satis sint pro manus sinistræ nobilitate.

Verùm subtilitates istæ potiùs sunt acutæ, quàm solidæ veritates. Igitur constat manum dextram læuæ nobilitate præstare, tum in sacris contra Baronium, tum in prophanis contra Nebrissensem, & alios. Multos, & nobiles hęc sententia patronos habet. Omnium dux Aristoteles lib. 3. de histor. animal. vbi docet dexteram sinistræ esse præferendam, cuius auctoritatem Mazzonus Platoni opponit. Hanc tradit Alexander ab Alexandro lib. 2. Genial. dierum cap. 19. & Tiraquellus ibi, & lib. de iure primogenitorum in præfat. num. 13. Azeuedus ad curiam Pisanam lib. 2. cap. 25. & Ioan. Garsia de nobilitate. Glossa 48. num. 24. Læuinus Torrentius in Horatium lib. 2. Satyra 6. & probatur argumento capitis solidè de maioritate, & obedientia per Castaldum, dę imper. quæst. 88. num. 9. & latè ostendit Cerda varijs locis in Virgilium, præcipuè ad locum l. 5. cit. & copiosè Leo Allatius, lib. 1. de consensu Ecclesiæ cap. 3. vbi varijs modis dexterę manus dignitatem explicat, ac defendit.

Argumenta è sacris multa sunt. Primum, & præcipuum est, quòd Filius Dei dicitur sedere ad dexteram Patris pro sua dignitate, quando receptus est in cœlum, & à Patre summo pro meritis honore affectus; cui enim Pater latus dextrum dabat, illum sanè honore afficere volebat. Similis huic est locus ille Dauidis in psalm. 44. [Astitit Regina à dextris tuis,] quam enim volebat honorare Dei Filius ad dextram suam collocare debebat. Huc facit locus ille 3. Regum, vbi Salomon Bethsabeæ Matri ad dexteram suam solium posuit in signum, & argumentum honoris; nec enim aliter recipienda erat Mater, cui Salomon vitam, & Regnum debebat. De qua enim Sacer textus ait: [Surrexit Rex in occursum eius, adorauitque eam,] non is ad inferiorem locum deiecisset. Dedit ergo dextram vti superiorem. Ille locus est irrefragabilis apud Matthæum 25. vbi dicitur Christus in die iudicij electos à reprobis diuidens [Agnos à dextris, Hædos à sinistris] collocaturus: ex quo loco patet, quanti sit dextera manus, quæ prædestinatis, & electis assignatur. Sed ille capitalis locus est, vbi in genesi cap. 48. narrat scriptura Iosephum attulisse Filios duos Manassem, & Ephraim ad patrem suum patriarcham Iacob, & posuisse Manassem seniorem ad dexteram Aui, & Ephraim minorem ad sinistram, vt maior benedictio, hoc est dextera super maiorem caderet. Patriarcham verò Iacob Diuini Spiritus instinctu commutasse manus, ijsque transuersim, & in crucem actis dextram super caput, Ephraim, & sinistram super caput Manasse posuisse. Quo argumento declarauit, vti miranti Ioseph dixit, Ephraim minorem fratrem maiori Manasse anteferendum fore, atque hoc ipsum dexterę manus impositionem significare. Multa sunt alia pro sacris, sed hæc sufficiant, testimonia.

Prophana tot sunt, vt non facilè numerari possint, recensent illa citati Authores, ex quibus patet apud Hebræos, & Romanos, Græcos, & Persas, Ægyptios, & Aphros, aliasque gentes vrbaniores dexteram manum sinistra nobiliorem habitam fuisse. Ad rem proprius veniamus.

Rationes huius præstantiæ sumuntur, tum ex natura, tum ex significatione dexterę manus. Ex natura; quòd ea sit pars hominis calidior, & firmior, & actuosior, quod Aristoteles optimus naturæ indagator vidit. Hinc nobiliores dexteræ significationes petuntur, fidei, nobilitatis, fortitudinis, dignitatis, & aliæ, quæ tum ab Authore Allegoriarum in sacris, tum à Pierio, & Alexandro, Tiraquello, & Cerda in prophanis afferuntur. Hoc autem præcipuè patet ex responsione ad argumenta pro sinistra facta.

Primum igitur corruit, quia cor situm est in medio pectore, sed ob imbecillitatem sinistri lateris, eius ibi motus magis sentitur ex Aristotelis, & medicorum doctrina. Secundum nihil concludit; nam mollitudo illius partis declarat eius infirmitatem, quæ fœmineo sexui similis est, cùm pars dextera sit virili. Tertium retorquetur, quia anguria sinistra, quæ à cœlo petuntur, ideò feliciora sunt, quia superis dextra sunt, quod enim est ex parte cœli læuum, respectu nostri dextrum manet. Quartum fefellit multos. Dicendum igitur partem sinistram non dici interiorem, nisi ex occasione loci, cuius positio erat ad sinistram manum eò tendentibus. Nam idcirco Romano meta, ad quam Aurigæ currus dirigebant, vt pænè attingendo illam vitarent, erat ad lęuam currentium, vndè fiebat, vt qui ad eam propriùs accederet, interior esset inter metam, & alios currus, qui magis ad dextram inclinabant, adeò vt rota currus sinistra præ dextra interior diceretur. Vndè quoniam illa meta Virgiliana in mari eodem, quo in Circo Romano modo ad læuam erat posita, interior dictus fuit ille, qui inter nauem magis distantem, & metam nauigauit. Hic enim radit inter læuum interior. Idque notauit Turnebus lib. 14. cap. 24. & Cerda ad eum locum. Itaque miror viros doctos hoc argumento vsos fuisse, quos meritò Cerda reprehendit, nec illi scopum collimant, qui comitem interiorem eum dicunt, qui est ad sinistram manum, cum ille interior esset respectu illius, qui ipsum præcedebat, & laterem agebat. Mos enim erat apud Romanos cùm duo simul incedebant, alterum minus dignum antecedere alium, & veluti ipsum defendere, vndè is, qui erat magis dignus interior dictatur, vti ostendit Lipsius l. 2. Elector. cap. 2. & Cerda ad lib. 5. Virgilij.

Respondeamus exemplis. Sanè omnium sententia est, ad dexteram Patris sederem filium honori dandum non quod sit maior Patre cum æquales, ac idem sint, sed quod illo signo indicatur, quàm sit honorificè à Patre exceptus: quod ad vltimum caput Marci expendit Maldonatus. Eodem sensu accipiendus alter locus de Regina à dextris psal. 44. & 3. de Bethsabee ad dextram Salomonis, vti Interpretes docent, quare non ijs ad probandam dexteræ dignitatem vsi sumus. Illud miror Biuium primo tomo fol. 292. afferre in

Ta-

Tabulis Christi crucifixi virginem ad Leuam, Ioannem ad dexteram collocari, deceptum dixerim, nisi fortè in Germania ita sit, certè in Italia, Gallia, & Hispania aliter poni solet.

De loco Ecclesiastico, quæ adducantur exempla videamus. Aiunt Baronius, & Binius in Concilio Niceno sessum, eo quo in Concilio Chalcedonense sessum est ordine, in quoad dextram minus digni positi erant, ad sinistram legati Papæ, & Patriarchæ Constantinopolitanus, & Alexandrinus. Huic exemplo addunt Adriani primi, cuius manum dexteram Carolus Magnus Imperator ad limina Apostolorum veniens tenuit, & Sergij, qui manum dexteram suam præbuit Ludouico; & Alexandri Tertij, qui Venetijs à Friderico Primo manu dextera apprehensus ad chorum Ecclesiæ Sancti Marci deductus fuit.

His exemplis sic respondeo. Primò. Ex Chalcedonensi Concilio deduci non posse ordinem sedendi in Concilijs, nam in Chalcedonensi nulla sedes ponitur ad dextram, sed omnes Patriarchæ cum legatis Papæ locantur ad sinistram, Iudices, & Patritij tenent locum medium ad Cancellos Altaris, idque expressè habetur in eo Concilio act. 1. fol. 40. in editione Binij. Vndè nescio, qui Baronio, & Binio venerit in mentem ordo ille sedendi? In Niceno autem Concilio narrat Eusebius Eusthatium Antiochenum dextram tenuisse, læuam Osium, & reliquos legatos Papæ cum cœteris patriarchis, in medio sedente Constantino. Vndè colligo neminem alium prætet Eusthatium Antiochenum dextrum locum tenuisse. Et ratio tenendi fuit oratio, quam habuit ad Synodum, ob quam ei extra ordinem data sedes. Verùm quidem est Binium in Concilio Chalcedonensi fol. 411. dicere Martianum, & Pulcheriam Augustos cum Iudicibus, & Senatu in medio ad Cancellos sedisse. Legatos papæ, & Anatolium Constantinopolitanum patriarcham ad læuam, Dioscorum Alexandrinum, & Iuuenalem Hierosolymitanum ad dextram consedisse, quod ego in actis Concilij non inueni. Ne quis autem putet locum dextrum vacuum fuisse, ibi poni solita viuifica ligna, idest crux, & Euangelia. Quorum opinor reuerentia patres ab eo loco arcebat. Patet autem illud ex octaua Synodo act. 3. fol. 620. & act. 5. fol. 624. Actione autem sexta fol. 626. videtur poni ad dexteram partem cum Euangelijs, & cruce Imperator Basilius. Idem habet act. 7. fol. 643. & act. 8. fol. 660. act. 9. fol. 664. iterum sacra ligna, & Euangelia sola ad dexteram posita inueniuntur, & item act. 10. fol. 670. nusquam autem vllus Patrum in dextra sedere scribitur.

In Sacra Synodo aliter se res habet. Medium locum occupat act. 1. Constantinus Pogonatus Imperator, à latere sunt Consules, & Patritij, ad læuam Legati Papæ, & Episcopi nonnulli cum Vicario Hierosolymitano, ad dexteram patriarcha Constantinopolitanus, & Alexandrinus fol. 16. In Concilio Constantinopolitano sub Mena ei præsidente, & medium tenente, legati Romanis locus dexter datur; patet ex act. 1. 2. 3. & 4. In Concilio autem Pisano in 3. tomo Concilio-rum par. 2. fol. 385. refertur patriarcham Alexandrinum, qui vice præsidis erat, in medio situm: ad dexteram Patriarcham Antiochenum, & ad sinistram Hierosolymitanum, qui tres in eo Concilio fuerunt, erat verò nobilior Antiochenus. Tandem Concilium Tridentinum legatis Ecclesiastis pontificum partem dexteram, legatis principum sæcularibus sinistram attribuit. De Florentino paulò post dicam. Hinc patet, nec exempla fideliter referri, & ex ijs probari sinistram partem in Concilijs non esse dextera nobiliorem.

Alia exempla Imperatorem refutantur verbis Spondani ad ann. 774. num. 1. vbi sic. [Quod audisti de Carolo dextram pontificis tenente, quia id ipsum, & de alijs Regibus, & Imperatoribus factum non semel similibus congressibus legitur, ne tibi hæc offendiculo sint, rem non ita vulgarem refero ex veteri libro pontificali Ecclesiæ sancti Petri in Vaticano, qui asseruatur in eius Archiuio, ibi enim dum agitur de cæremonia receptionis Regis coronandi in Imperatorem, & eius accessu ad pontificem, qui eum extra Ecclesiam opperitur, hæc habentur, quæ ipse ego indè exscripsi. Rex accedens ad Summum pontificem reuerenter osculatur pedes ipsius, & offerens ei aurum, quantum placuerit benignè recipitur ab eo ad osculum, & ad amplexum, quo deinde surgente, Rex ipse à parte dextra, & prior Diaconorum à parte sinistra deducunt eum, vsque ad Ecclesiam. Exposui ritum, nec quid amplius addo; quippè hæc plusquam sufficiunt ad tollendum omnem scrupulum.] Mihi illud non videtur omittendum. Fridericum cùm Alexandrum III. papam manu dextera apprehendit ei lateronis loco fuisse, atque adeò obsequium præstitisse, vti ex ipsamet historia patet. Nam suppedaneum conscendenti equum subdidit, & postquam ascendit freno deduxit, & stratorem egit.

Ex hoc responso integra difficultas emergit; si dextera nobilior est, quomodo Paulus dexteram Petri tenet? Varij sunt modi respondendi. Primus, in sigillis partem dexteram incisam, cum imprimitur, sinistram reddere, inde accidisse, vt Petrus, qui erat in dextera parte sigilli incisus, sinister impressus euaderet. Bona solutio in sigillis; sed in picturis, & statuis non valet. Secundus modus. In Ecclesijs attendi posituram cæli, cuius pars australis est nobilior Boreali. Ecclesias autem partim habere ostia versus Orientem, partim versùs Occidentem: illas Eophylas; has Eotholas appellari. In Eotholis partem dexteram esse ignobiliorem, nobiliorem sinistram, in Eopylis contra. Hoc modo tenet Petrus, siue ad sinistram, siue ad dexteram ponatur, locum digniorem respectu posituræ Ecclesiarum. Hic tamen modus mihi futilis videtur. Primò, quia non constat partem Australem nobiliorem esse Boreali, immo oppositum verius est, cùm Borealis fit ad dexteram Orientis solis, & multò syderibus illustrior. Secundò, quia non omnes Ecclesiæ sunt Eopylæ, aut Eotholæ, in ijs verò, quæ non sunt, modus iste locum non habet.

Tertiò, quia in ipsis Eopylis, & Eotholis non

non obseruatur ordo iste positurae, vti recognosceuti Romanas Ecclesias apparebit. Hnc pertinet, quod ait Allatius, Graecos nobilitatem loci ex ingressu aestimasse, vt quae pars ingredientibus templum dextera esset, ea praestaret; atque hac ratione in Concilio Florentino Imperatorem Graecum ad sinistram altaris locum occupasse Graeco ritu nobiliorem. Addit verò Leo Allatius in 8. Synodo Graeca Legatos Bulgaros ad dexteram, & Francos ad sinistram fuisse. De primo. In Concilio Florentino sic habetur. [Ferrariae cùm de locis agi coepisset,& Papa vellet medium locum inter duo latera in capite solitatius occupare, noluit Imperator. Conuentum, vt Papae, & suis dextera pars Altaris ingredientibus. Laeua Imperatori,& suis, sinistra Altaris, dextera ingredientibus daretur.] Actum ita vtrisque contentis: nihil tamen inde sequitur contra manus dexterae dignitatem, imò semper ea seruatur, & expetitur. Quoad Synodum in 8. Synodo varietas est; Anastasius enim act. 10. pag. 607. scribit legatos Francos ad dexteram fuisse, & ad eamdem etiam Bulgaros post Francos consedisse; at verò Synodus Graeca narrat Francos fuisse ad laeuam,& Bulgaros ad dexteram; at non in primo ordine, sed post Legatos Papae, & quatuor Patriarchas, & Senatores; imò videntur fuisse post terga illorum;in Graeco enim sic habetur post ad dextrum latus, Opisten en tò dexio. Quare non meliorem Francis locum occuparunt; vnde semper manus dexterae suus honor, dignitasque seruatur.

Tertius modus est; negando Paulum semper ad dexteram Petri esse, quòd saepe ad sinistram Petri collocetur, vti aduertit Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 27. & Benedictus Iustinianus prolog. in epist. Pauli. Ratio autem huius rei est, quam affert Petrus Damiani epist. 16. [Cùm Petrus ad dexteram ponitur primatus eius honoratur; cùm vero Paulus, in Beniamin, qui Filius dexterae nuncupatur, redolet Sacramentum: [Dicendum item inuicem sibi praestare propter dignitatem Petri, & propter doctrinam Pauli.

Quartus modus est. Petrum ad dexteram habere Paulum more Romano prisco, quod supra attigimus, vt tegat, & claudat latus Petri, & stricto gladio defendat; qui placet Bellarm. & Iustiniano,& Antonio Nebrissensi. Addo tamen Paulum non esse instar latronis, sed defensoris, idcirco enim pingitur cum gladio.

Quintus modus est. Petrum vti caput, & principem Ecclesiae in sua domo meliorem locum Paulo dare; quod principes facere solent, cùm claros hospites etiam minùs se dignos accipiunt. Hic vniuersalis modus est, qui etsi parùm Leoni Allatio probetur, lib. 1. cap. 6. mihi vehementer probatur, quod ex eo primatus Petri confirmatur; nec est argutia futilis, sed veritas solida, qua & statuitur Primatus, & seruatur Vrbanitas. Quòd autem extra Romam ita fiat, mirum non est, tum quia potuit ille mos Romae inchoari, & inde ad alias gentes transire, tum quia Petrus, vbicumque sit, Ecclesiae princeps illius est, & caput, cùm totius vniuersalis Ecclesiae caput sit, quo retunditur Leonis obiectio. Addo momentum exemplo Constantini Imperatoris, qui Sopatrum Philosophum ad dexteram suam considere fecit. Illustrius est illud ex vulgari narratione, quae circumfertur. Cùm Stephani Martyris corpus in Sepulchrum Laurentij Martyris inferretur, cessisse loco huius corpus, & dexterum latus Stephano concessisse. Quo & dexterae manus praestantia declaratur, & Vrbanitatis officium, vel in mortuis Sanctis commendatur. Nec opponat quis Stephanum Protomartyris titulo Laurentio praestare, vt enim id verum sit, idem ego opinor, si adueniret Sebastianus, aut Vincentius Laurentio esset facturus. Ius itaque Stephano tribuo, sed Laurentio non aufero vrbanitatem. Historiam narrat Villegas, ne quid sine Auctore dicam.

Addo pro Coronide, ad Petri dignitatem confirmandam: & illius Sedis praerogatiuam asserendam; Quod omnes, ac solae illae Ecclesiae, quas Petrus fundauit habitas esse Patriarchales. Constat Ecclesias propriè Principes, & Patriarchales tres extitisse. Numerem ordine dignitatis. Romanam, Alexandrinam, Antiochenam. Quod autem patet ex Concilio Niceno can. 6. ex Chalcedonensi Act. 16. ex epist. 3. Anacleti, ex epist. 53. Leonis ad Anatolium; ex epist. Gregorij ad Eulogium, quae est 37. lib. 6. nec id Haeresiarchae Lutherus, & Caluinus inficiantur. De Hierosolymitana, ea per annos fermè quingentos habuit titulum, & honorem Patriarchalis, sed non habuit rem,& iurisdictionem: nec enim vlli Archiepiscopo, aut Episcopo Patriarcha praeerat, imò erat subiectus Archiepiscopo Caesariensi, qui erat Metropolitanus Palestinae, nec ei tantùm, sed etiam Patriarchae Antiocheno, qui toti Orienti praeerat. Et quamquam Niceni Concilij Can. 7. decernat, vt Aeliae, idest Hierosolymae Episcopus habeat honorem post Romanum, & Alexandrinum, & Antiochenum, vult tamen vt nihil detrahatur Metropolitano Caesariensi. Patriarchatus Constantinopolitanus tempore Niceni Concilij, imò ne Constantinopolis quidem erat, & quamquam post conditam à Constantino eam vrbem, anno quinto post Concilium Nicaenum Patriarchalis esse coeperit, & in Concilio Constantinopolitano primo, primum post Romanam sedem locum affectarit, eum ante Iustiniani tempora, idest Anno Christi Domini obtinere non potuit. Ex tunc verò duae istae Constantinopolitana, & Hierosolymitana Patriarchales extiterunt. Antea non erant, atque idcircò diximus tres tantùm propriè Patriarchales fuisse, idest ratione suae institutionis.

Ratio autem ea est, quòd Petrus in ijs, tamquam Episcopus sedit. In Antiochena, & Romana patet, in Alexandrina per discipulum suum Marcum, quem eo nomine suo futurum Episcopum misit: quamquam Nicephorus lib. 14. cap. 3. per se Alexandriae sedisse narrat. Perspicuè hoc tradit S. Gregorius Magnus lib. 6. Epistol. epist. 37. ad Eulogium Alexandrinum, vbi sic ait: [Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit, qua in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit Sedem, in qua etiam quiescere, & praesentem vitam finire dignatus est: ipse decorauit sedem, in quam Euangelistam disci-

diſcipulum miſit: ipſe firmauit Sedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus ſedit. Cùm ergo vnius, atque vna ſit Sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quicquid ego de vobis audio mihi imputo.] Vbi notandum dixiſſe Eccleſiam Alexandrinam eſſe Patriarchalem, quia ad eam miſit Marcum Euangeliſtam: non, quod ait Nicephorus, quia ipſemet præſediſſet.

Leo Papa priùs eo, & Papa, & Magnus idem tradidit epiſtola 53. ad Anaſtaſium, his verbis. [Nihil Alexandrinæ ſedi, cius, quam per Marcum Euangeliſtam diſcipulum B. Petri meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque Eccleſia, in qua primùm, prædicante Apoſtolo Petro, Chriſtianum nomen exortum eſt, in paternæ conſtitutionis ordine perſeueret, & in gradu tertio collocata, numquam fiat inferior.]

Anaclerus idem ante duos Pontifices Pontifex vetuſtior dixerat epiſt. 3. [Secunda, inquit, Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo conſecrata eſt. Tertia autem Sedes, apud Antiochiam eiuſdem B. Petri nomine habetur honorabilis.]

Hac ratione tres inſtitutæ. Romana prima, Secunda Alexandrina, Tertia Antiochena ordine dignitatis. Omnes à Petro conſtitutę. Ex quo manifeſtè apparet ſolius Petri fuiſſe Eccleſiæ principatum: non cum eo alterius, cùm in erectione ſedium Patriarchalium nullius ſit habita ratio Apoſtolorum. Itaque Pauli nulla mentio, cùm tamen fuerit Apoſtolus antonomaſticè nuncupatus. Quare errarunt, qui dixerunt, Cathedram Romanam communem fuiſſe Petro, & Paulo, eoſque ambos in vnum caput coaluiſſe, quod olim Marcus Antonius de Dominis, in ſua Republ. conatus eſt inuehere, verſutus, & ſubdolus hæreticus; & poſt eum Anonymus iſte, aduersùs quem calamum arripuimus. Contra primum Bouerius eruditè, & Becanus doctè, contra ſecundum Diana, Auguſtinus de Bellis, & Leo Allatius luculenter præter alios ſcripſerunt. Nos pauperculi minuta noſtra pro tenuitate copiolarum noſtrarum contulimus.

Atque hic claues Petri tinnitu illarum excitati paulùm deponimus, vt interim reſpiremus, & ad alias quæſtiones, quas ſecum trahunt animum hac maiori cura vacuum, calamumque præparemus. Quæ autem hucuſque de dignitate, & poteſtate, & auctoritate Petri, & Pontificum poteſtate diximus ſtudio vnius veritatis dixiſſe confirmamus.





EIVSDEM AVCTORIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Auctoritate Papæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Fuerit ne in Petro infallibilis Auctoritas?



DVO nobis Catholicè dat Thomas, quæ negant Hæretici. Alterum, Petrum Romanum Episcopum, & pastorem eius Ecclesiæ, & cæterarum Orbis Caput, principemque fuisse. Alterum, Petrum successores eadem in Sede, & munere habuisse, eosque haud dubiè Romanos Pontifices esse. Quod vtrumque hęretici adeò impudenter negant, vt fuerint, qui Romæ Petrum fuisse negarint cum Veleno, & Franco, quemadmodum tradit Cano de locis lib. 6. cap. 8. & Maldonatus in Ioannem c. vlt. De quibus ego sic iudico, si argumentis vrgeantur, ne admittant Romanos esse Pontifices, Romam ipsam vrbem esse negaturos. Gratulor igitur Thomæ, quòd ansam mihi ademit aduersùs hosce duos errores pugnandi: contra quorum auctores pugnat Orbis terrarum, tamqnam insensatos.

Igitur accepto, quod dat Catholicè Thomas, propria quæstio superest. De auctoritate Petri, Romanique Pontificis. At primùm remoueo nebulam Analogiæ, qua septus infert se noster hic Auctor, non satis distinguens inter regulam fidei, & iudicem controuersiarum fidei, perinde ac qui harum iudex sit, eum & regulam fidei esse oporteat, vti apparet ex tractatione huiusce quæstionis à paragr. 11. ad 23. In quo ille vehementer errat, cùm multùm inter vtrumque intersit. Est enim regula ratio quædam veluti idea, ad quam iudex intuendo iudicium suum dirigit accommodatque, vt rectè de re sibi proposita iudicet. Itaque regula iudice superius quiddam est, ac vim ei imperantis habet. Est que æterna, & immutabilis, & ab errore prorsus aliena. Ac liquet exemplo iudicis in causa Forensi, qui ius consulit, & legi auscultat, vt secundùm eam ferat sententiam. Quam differentiam, & similitudinem cùm apud me ratiocinando formassem, inueni postea in P. Becano in Summa Theologiæ Scholasticæ tract. de tribus virt. Theol. cap. 7. & tomo 5. controuers. in Apolog. contra Gard. & in Manuali lib. 1. cap. 5. Atque id ego ex Augustino didiceram, cuius ea est, & habetur dist. 4. cap. in istis, sententia. [Non licèt iudici de legibus iudicare, sed secundùm ipsas.] Igitur regula fidei est sacra Scriptura, & Apostolica traditio. Iudex controuersiarum Pontifex, & Concilium generale legitimum, quemadmodum deducitur ex Caietani doctrina de primatu Pontificis, & Cano de locis, & Suario in defensione fidei, & Cardinali Perronio in controuers. cum Iacobo Rege Angliæ, & Bellarmino de Rom. Pontif. & Martino Becano libris, & locis à me citatis. Ex quibus hic ait: Theologos id omnes confirmare.

Vnde, sublata Analogia Thomæ: locus est quæstioni excitatæ. Habuerit ne Petrus, & habeat pontifex eius successor facultatem definiendi res fidei instar iudicis, quoties de ijs controuersia inciderit? sitque illius infallabilis auctoritas?

Heterodoxi omnino negant. Thomas Anglus ita concedit, vt palàm videatur dare, occultè verò deneget. Nam non vult vni personæ tantum inesse fidei, vt publicam, & solemnem fidem faciat, & necessariò exigit concursum, & consilium Ecclesiæ. Deinde nec hac quidem inita capitis cum membris societate admittit veritatem infallibilem, cum fateatur, etiam vniuersale Concilium posse errare. Tantùm illud Apostolorum cùm Petro excipit, hoc enim verum, & infallibile esse non inficiatur. Sed, remotis Apostolis, si Petrus cum Clero Romano, id est Ecclesia sua, aliquid de fide determinaret, significat Thomas decretum illud non fore de fide; quia priuilegium illud non erat personale Petri, sed cum Ecclesia sua coniunctum, & hærens: cùm autem Ecclesia sua ex illo Clero Romano constaret, ac ille oeger in illo Concilio generali, aut prouinciali adesse infallibiliter Spiritum sanctum, sequitur Petrum cum suo Clero

Clero Romano destitui certa, & infallibili veritate. Quòd autem Generalibus ille Concilijs deneget afflatum Spiritus sancti, & supponat errare posse, nec quicquam licere de fide definire, & vti credendum proponere, docet Thomas perspicuè paragr. 21. vbi detorquet sensum loci illius celeberrimi act. 7. [Visum est Spiritui sancto, & nobis:] ne de assistentia Spiritus sancti, qualem, inquit, fingunt Theologi, debeat intelligi. Ex quo apparet Romanam cum Petro Cleri societatem, cùm non esset vniuersale Concilium, multò minus auctore Thoma Anglo, Auctoritatis, & fidei habituram, quèm ipsum Concilium: in quo vix ab eo certa, & infallibilis auctoritas admittitur.

Aduersùs hanc sententiam statuo. Fuisse in Petro auctoritatem infallibilem ad docendum, & potestatem ad definiendum, cui error subesse non potuerit. Id autem sic probo. Primùm celebri loco Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] acceptis Patrum expositionibus, & inter se collatis, ac perpensis, plures aiunt: Super ipsum Petrum ædificandam Ecclesiam, ita ut Petrus, qui & petra fundamentum à Christo, qui prima, & principalis petra erat, in qua Petrus ipse niteretur, esset institutus. Ita Clemens Romanus in epist. ad Iacobum, Anacletus epist. 2. & 3. Hyppolitus in lib. de consummat. mundi. Dionysius in epist. ad Timoth. Tertullianus lib. de præscript. & lib. de pudicitia. Cyprianus in epistol. ad Iubaianum, & in epist. ad Cornelium. Origenes hom. 5. in Exod. Basilius in cap. 2. Isaiæ, & homil. 2. de pœnit. lib. 2. contra Eunomium. Nazianzenus orat. de moderat. in disput. ferdnanda Orat. 26. Epiphanius in Anchorato. Hilarius Canone 16. in Matth. & lib. 6. de Trinit. & psalmo 131. Ambrosius lib. de fide cap. 3. psal. 40. & sermone 6. de varijs actionibus, & serm. in Cathed. S. Petri, & serm. 11. de Sanctis, & in Hymno laudum Dominicæ. Chrysostomus hìc hom. 55. & hom. 2. in ps. 50. & hom. 9. de pœnitentia. Hieronymus epist. ad Marcellam aduersùs Montan. & lib. 1. contra Iouinianum. Dialogo 1. contra Pelagianos. (De Magno Augustino seorsim dicam) Pacianus epist. 3. ad Sympronianum. Cyrillus Hierosolymitanus Catecheſi 18. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioann. cap. 12. Theophylactus Lucæ 22. & idem, & Euthymius cum Chrysostomo super locum istum Matth. Psellus apud Theodoretum lib. 3. in Cantica. Maximus homilia in Natali Petri. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 28. Leo epistola ad Episcopum Viennensem, & epist. ad Gemimanum, & serm. 2. de Apostolis Petro, & Paulo. Gregor. epist. ad Mauritium Augustum, & in alia ad Eulogium Episcopum Alexandrinum 6. lib. epistol. 37. Isidorus lib. 2. de Officijs Ecclesiast. c. 5. & lib. de vita, & mor. Sanctor. cap. 69. Petrus Chrysologus ser. 107. Laurentius Iustinianus lib. de obedientia c. 12. Concilium Chalcedonense totum: & alij apud Caiet. de primatu. Et Bellarm. & Valent. & Becanum in controuers. & Canum de locis, & Suarium in defensione fidei. Perronem, Echium, Roffensem, Sanderum, Stapletonum, & cæteros præclaros Nouatorum Antagonistas. Consulendus verò est grauis Auctor Gratianus, in suo decreto dist. 12. 21. 22. & sequent. & summus Theologus, & Interpres Maldonatus in cap. 16. Matt. ad istum locum.

Hi Patres personæ Petri sententiam addicunt, vt ea propriè significetur per petram, & designetur. Idque indicat illud Tibi, & illud, Tu es Petrus, & super hanc petram. Nam Hebraica, Chaldaica, & Syriaca lingua, quarum vna Matthæus scripsit Euangelium, vtrumque & masculinum, & fœmininum genus petra significat; atque adeò vno, & eodem nomine Petrus, & petra dicitur. Vnde bella agnominatio, & pulcher ex ea sensus existit, cum homini Petro; quod est proprium saxi petræ vno, eodemque nomine cum virtute reddatur: vt homo inuicem, & munus petræ transeat. Contra quam Caluinus infulsè, & inscitè dixit, cum & agnominationem non viderit, & leporem sustulerit.

Verùm quia in petra non nuda persona, sed eius & virtus, & dignitas, munusque attendebatur, nec solius naturæ humanæ cuius indiuiduum erat Petrus, sed spiritualis etiam, & moralis conditionis ratio habenda erat, multi ex his, quos citaui, Patribus, & alijs, Fidei, & muneri Petri illam sententiam accommodarunt: non quòd negarent de Petro intelligi; sed quòd in eo rationem spiritualem, & moralem, ob quam illud est Elogium meritus, quod ad successores quoque pertinere posset, considerarunt. In quo sensu Excelluit Diuinum Augustini ingenium, quo nemo rem meliùs, aptiùsque exposuit, vt mox aperiam. Igitur Hieronymus hìc, Hilarius lib. de Trinit. Greg. Nyssen. lib. contra Iudæos. Chrysostomus Homil. 55. in hunc locum, & orat. 2. aduer. Iudæos, & Homil. 2. in psalm. 50. & Cyrillus Alexandrinus Dialogo 4. de Trinitat. Auctor Comment. in epist. Pauli, idest, Ambrosiaster in capit. 4. ad Galatas [Super hanc petram, Super hanc Fidem] interpretantur. Fidem, vt ait Chrysostomus Saxeam, cuiusmodi erat illa Petri. Pauci de Fide omnium Fidelium exponunt cum Origene Tract. in Matthæum, perinde ac ad omnes Fideles, ex quibus constat Ecclesia, pertineret. Quæ interpretatio non tollit aliam, cùm omnes hi fermè Auctores primum tradiderint sensum, ac de Petro, vti indiuiduum humanæ naturæ, & certa persona est, intellexerint. Quare, nec Hæreticis abutendum hoc sensu fuit, ad negandum primum, neque Catholicis quibusdam timendum, ne iste detraheret priori, cùm vterque possit rectè consistere: immò ambo sint ad veritatem sententiæ necessarij. Quod iam ex Augustini doctrina aperio.

Igitur Augustinus cùm subtiliter, & altè vim huius loci more suo inspexisset, tribus modis illum accepit, & exposuit. Primùm in persona Petri, successorum etiam personas considerauit: & commmunem earum cum Ecclesia sua Fidem futuram intuitus est; & acutè vidit Christum Ecclesiæ suæ per Petrum, ac successores prouidere voluisse. Itaque Fidem Petri, ac post eum futurorum eius loco, ac sede Pontificum, quæ vna illa, eademque Petri futura erat per petram intellexit. Quippe quæ Petri cùm esset, perpetuò erat duratura. Et cohæret maximè cum mente Christi, qui de tota tum Ecclesia cogita-

gitabat, fundata quidem in Fide præsenti Petri, sed ad finem mundi per seriem succedentium Petro pontificum continuanda. Eò enim spectant reliqua : [Ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam.] Hanc Christi mentem cùm Augustinus attendisset, de Fide Petri aptissimè, vt ad omnes successores pertinebat, exposuit. Ac eodem grauissimæ mentis iudicio censuit Petrum totam Ecclesiam, cuius pastor erat, in ea Confessione edenda repræsentasse; Cuius Christus fundamentum, & Lapis Angularis erat, ad eumque hanc Ecclesię personam gerentem Christum dixisse. Tu es Petrus, idest, Tu vicem geris Ecclesiæ meæ. Et hanc ego super hanc petram, idest, me, quem Ecclesiæ nomine confiteris, ipsam ædificabo. Ac eius tibi claues dabo, idest, potestatem. Quæ sanè duæ interpretationes propriæ Augustini fuerunt: & ad Successionem pontificum, & Ecclesiæ vnitatem, & æternitatem confirmandam aptissimæ. Sic Augustinus. Serm. 13. de verbis Domini secundum Matthæum, & tract. in Ioann. 27. & 123. idem tradit tract. 50. in Ioann. Consentit lib. de pastor, capit. 13. & Serm. 24. de sanctis, & lib. 3. de Baptismo cap. 17. & lib. 1. contra epist. Parmen. 5. & epistol. 152. & in psalmo contra partem Donati, & contra epistolam Fundamenti cap. 4.

Vti tamen erat Diuino ingenio Augustinus, vidit aliam item communem, & facilem expositionem super hanc petram, idest, super te Petrum, eamque probauit alijs in locis cum Cypriano, & Ambrosio, quos magni facere Auctores solet: nam Cypriani de Petro petra refert, & admittit lib. 2. de Baptismo cap. 1. Ambrosij affert, & confirmat, lib. 1. Retrar. capit. 21. cùm suam de petra Christo sententiam retulisset. Et vtramque ibi idoneam iudicat. Eamdem autem tradit Sermon. 16. & 29. & 49. de verbis Domini, & apparet hunc ei sensum placuisse ex illo versiculo Hymni contra partem Donati[Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede. Ipsa est petra, quam non vincunt Superbæ Inferorum portæ.] Nam, qui Sedem Petri petram dicit, iustiùs ipsum dicat Petrum petram necesse est. Cum ab eo sit sedes petra appellata. Tres igitur sensus ex Augustino habemus. Vnum communem, proprios duos. Cur autem illo communi non omnino videatur Augustinus contentus, cùm idoneus sit, & facilis, & promptus, atque adeo literalis vulgò dicatur, & alios duos adiunxerit, quibus acquiescit, duę opinor, tresue causæ fuerunt. Prima, quia vidit illum primum sensum esse adhuc incompletum, quòd Soli Petro addictus homini priuato inhærebat, nec per eum ad Successores, & Ecclesiam, cuius gerebat personam, pertingebat, nec omnino mentem Christi totius Ecclesiæ seriem, statumque respicientis adæquabat. Secunda, quia illa interpretatio, personale illud priuilegium faciebat, & ansam dabat Hæreticis negandi ad Successores pertinere; quod iam tum Donatistæ, nostrates sunt Nouatores, negabant. Vtrosque autem Augustinus confutauit. Tertia, quia vidit Interpretes Matthæi Veteres, quos magni æstimat Augustinus, vocabulum Petrus in reddenda sententia petræ non retinuisse: atque adeo vocabulum Petrus in petram deflexisse. Vnde aliquid mysterij inesse putauit, nimirum vt ex persona Petri ad figuram Ecclesiæ, quam gerebat, cum voce paululùm immutata sensus deflecteret.

Et quidem haud temerè fecisse Græcum Interpretem, & ita vertendo magnum quiddam significasse, suadetur, ex eo quod cùm Græcè vertere vocabulum *Petrus*, quod in Autographo ad vtrumque genus pertinebat, posset, vt eodem modo caderet, & petram in Petrum masculina terminatione. Tu es Petrus *Petros*, & supra hanc petram *Petron*, nam Atticè petra *Petros* dicitur, noluit nisi variare, & petram feminina terminatione reddere. Et quamquam ita Latinus Interpres necessariò verterit, quòd ea lingua diuerso modo vtrumque genus explicet, tamen cùm Græcè vtrumque eadem ratione Attica elegantia efferri posset, idque non seruasset Interpres, locum fecit coniecturæ Augustini putandi aliquid inesse mysterij in mutatione vocum, quod ad significationem transiret. Quod si quod fuit, illud sanè, quod Augustinus obseruat, credendum est fuisse.

Hinc constat rectè omnino locum istum Matthæi omnium optimè exposuisse Augustinum, & omnes illos sensus ad iustam, & perfectam intelligentiam Sententiæ necessarios esse. His enim & Petrus, successores, & Ecclesia comprehenditur. Cætera apta ad refutandos eos, qui aut Catholici minùs Augustinum intelligunt, aut Heterodoxi, eo praue intellecto abutuntur, ad meum Hyperaspisten Augustini referuo. Maneat ergo locus ita expositus, Facis instar, ad doctrinam de Auctoritate papę Infallibili demonstrandam. Quod iam præsto.

Christus instituit Petrum petram, & Fundamentum Ecclesiæ suæ propter Fidem, & super hanc Fidelem petram ædificauit Ecclesiam, igitur non potuit vmquam Petrus à Fide deficere: ne in eo fundata Ecclesia erraret. Vnde deducitur quicquid ab illo vti credendum proponeretur, id omnino firmum certumque fore. Si enim quod petræ innititur est immobile, qui Fides innixa Petro nutabit, & corruet? An non impium, & absurdum esset, cùm Christus voluit Fidem Petri remunerare illud rependere, quod locum daret errori contra Fidem? Certè ineptum illud esset Fidei præmium, quod Falsitati obnoxium foret; ac ipsam Fidem, cui reddebatur destrueret. Quid quod illa pars sententiæ. [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Inconcussam, & Infallibilem Auctoritatem indicant? Nam portas in sacris literis potentiam, Roburque significare, cùm alij Interpretes alibi, tum hìc Maldonatus monstrat. At vis, & potestas Diaboli in Mendacio sita est. Cùm ipse sit Mendax, & pater Mendacij. Igitur mendacio tamquam Ariete oppugnat, & quatit petram Ecclesiæ: quæ veritate, & Fide nixa consistit. Si autem mentiri, & errare in rebus ad Fidem spectantibus petra potuisset, fanè aduersùs eam Diabolus præualeret. Absit igitur, vt qui in veritate non stetit, stantem in Christo veritate petram euertat. Quod si per portas Inferi Hæreses significantur, quemadmodum vult Epiphanius in Anchorato, & Enhtymius hoc loco,

loco; si semel Hæresim petra admiserit, aduersùs eam portæ Inferi præualebunt.

Iam verò alia pars sententiæ, [Et tibi dabo Claues Regni Cœlorum,] Magnum pondus babet. Nam clauis duo in literis sacris significat. [Doctrioam, & Potestatem. Doctrioam.] iuxta Lucæ Phrasin. cap. 15. nu. 52. [Tulistis clauem scientiæ.] Qua Christus exprobrat Iuris peritis superbiam iu atroganda sibi notitia, & interpretarione Scripturarum: quam nomine [clauis] significauit teste Ambros. serm. 8. & August. l. 2. cootr. Aduersarium Legis, & Prophetarum, cap. 5. & Author. quæstioo. Euangel. 3. & Beda, & Theophylactus io Comment. & Cyrillus apud Diuum Thomam. Hanc ergo authoritatem doctrinæ, qua intelliguntur, & exponuntur scripturæ, & rerum diuinarum scieotia traditur, vna claui conreota [Petro] à Christo dooatur. In quam benè quadrant duæ illæ voces [soluere,] & ligare; cùm & soluere pertineat ad aperiendas veritates, quæ definiuntur, & credi iubentur. Ligare autem spectet ad comprimendam audaciam temerè interpretari volentium, & vetanda praua dogmata, scriptaque hæretica, & Ecclesiæ perniciosa. Quibus duabus rationibus à successoribus [Petri] videmus huiusce clauis vsum exerceri. Tum decernendo, quod tenendum sit, & exponendo, solutis nodis difficultatum: tùm cauendo, ne id temerè fiat, & si quid erroris, hæresisue prodeat, damnaodo, & vitando ne serpat, temeritate ligata, & doctrina prohibita. Alia clauis potestatis ad iurisdictiouem pertinet, quæ non est huius loci. Quód si à Christo clauem doctrinæ [Petrus] accepit ad soluendum, atque ligandum: quantus error esset admittere Petrum errare iu recto clauium vsu, ligando quod erat soluendum, & soluendo quod ligandum. Quod si quis oon vereatur admittere, videat se Euaogelio contradicere, imò & Christo in eo affirmanti, quodcumqoe ligaueris super terram, erit ligatum, & io cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis.] Vbi voiuersim dixit. Quodcumque [ligetur, & soluatur:] significans, [Omnia] per eam clauem rectè [ligari, & solui:] atque adeo omnia in cœlis esse rata, & accepta. Noo enim dixit Christus [si quid bene ligatum, solutumue fuerit.] Sed [quodcumque ligetur, & soluatur.] Voluit quippe significare certam, & infallibilem illam [Petri] clauem, & esse, & fore: nec vnquam errare posse, quoniam à Christo summa veritate erat, & instituta, & donata.

Alter locus huiusmodi Aothoritatis confirmandæ est apud Lucam cap. 22. nu. 32. [Ego autem rogaui pro te, vt noo deficiat Fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Duo hic sunt: [Christum rogasse, vt Petri Fides non deficeret, & Petrum exhortari, vt fratres suos io Fide confirmet.] Constat autem quod Christus rogauit, id obtinuisse. Et quod horratus est, [Petrum] facere, id [Petrum] omnioo præstare potuisse. Rogauit autem Christus, vt [Petri Fides oumquam deficeret,] numquam igitur defecit. Hortatus est [Petrum, vt cæteros in Fide confirmaret,] ergo habuit talem Fidem, qua eos confirmare posset. Vnde sequitur in rebus Fidei authoritatem certam eom, constantemque habuisse. Locutum autem Christum de [Petro] pontificis Romani, & pastoris vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ personam gerente liquet ex textu. Nam pro omnibus Apostolis Christus aliàs orauit Ioannis 17. [Ego pro eis rogo. Pater sancte serua eos.] Inter quos erat Petrus. Pro quo, tamquam pro voo ex Apostolis rogauit. Nunc verò aliter pro Petro orat, non tamquam pro vno, & priuato, sed tamquam pro capite, & principe Ecclesiæ, atque adeo publicam sustinente personam. Idcirco ad eum intentiùs, [Simon, Simon,] proprio appellans nomine, ne quis putaret, quod illum communi omnium causa eo priuilegio donabat, ad eum propriè non pertinere. Vtrique igitur, & priuatæ, & publicæ Personæ coouenire, illud sigoificat, quod mox ait. [Expetiuit vos, vt cribraret: ceu io Petro omnes inessent, cum eo, tamquam cum pluribus loqoitur [Vos:] cum tamen dixisset ad vnum, [Simon.] Sed hic vnus omnium instar erat, quòd caput, & pastor futurus erat: Itaque illi, ac in illo omnibus illa firmitas concedebatur. Qui sensus suadetur altera parte sententiæ: [Confirma Fratres tuos,] qui in Apostolos non quadrat, qui cùm defecturi non essent, eos non erat [Petrus] confirmaturus. Nam ij à Christo oratione illa iam tùm seruati, & à Spiritu sancto postea confirmandi erant. Illud autem magnoperè obseruandum: priùs Christum orasse ne [Petrus] deficeret: deinde potestatem confirmandi cæteros dedisse: nec enim confirmare posset, si posset deficere. Vnde firma, & infallibilis constat authoritas. Et verò hunc locum ipsimet Romani pontifices [Petri] successores magnum suæ in Ecclesiâ authoritatis argumentum habuerunt: quo vnanimi coosensu vtuntur: Lucius papa epist. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ circa finem. Marcus papa. Epist. ad Athanas. Tom. epist. p. 1. Felix. 1. epist. 3. ad Benignum. Agatho epist. ad Constant. Imperat. io sexta Synodo lecta, & probata: Nicolaus 1. epist. ad Michaelem Imperat. Leo I. serm. 2. de natali [Petri, & Pauli,] & serm. 3. de assumptione sua. Leo IX. epist. ad Michaelem, cap. 7. Ionocentius III. in cap. Maiores de Baptismo; neque pontifices dumtaxat, quorum vt io causa propria eleuare quis Heterodoxorum testimonia cooetur, sed alij etiam prisci authores in hanc mentem locum exposuerunt: quos videre quis poterit, apud alios Recentioris memoriæ Caietanum lib. de Authorit. papæ, & de Romanæ Ecclesiæ Primatu, Turrecrematam in summa Ecclesiast. Bellarminum de potest. papæ. Canum de locis lib. 6. cap. 3. Becanum, Valeotiam io cootrouersijs. Suarium in defens. Fidei contra Reg. Angl. lib. 1. Qua de re grauis author Ioannes Maldonatus comment. in Lucam cap. 22. num. 32. Itaque ait [rectè ex hoc loco antiqui, grauesque authores collegerunt Ecclesiæ Romanæ, & successorum iu ea Petri fidem fore perpetuam.

Ex omnibus vnum Theophylactum, & pontifices duos volo testes producere. Ita Theophyl. [Planus intellectus est, quia te habeo, vt principem discipulorum, postquam, negato me, fleueris, & ad pœnitentiam veneris

ris

ris confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum.] Agatho sic. [Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum.] Nec non Leo IX. [à sede principis Apostolorum, à Romana videlicet Ecclesia tàm per eumdem Petrum, quàm per suos successores reprobata, conuicta, & expugnata sunt omnium hæreticorum commenta: & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit, neque vnquam deficiet, sunt confirmata.] Hæc nemo solidiùs, ac elegantiùs Leone I. dixit serm. 2. de natali Apostol. [Petri, & Pauli,] quem, quia citant plurimi, non adduco. Apud Suarium, & Maldonarum legat, qui volet.

Duo hic quæri possunt. Primùm, quomodo post hanc Christi Orationem negauit [Petrus] Christum? atque adeo defecisse videtur à Fide? Alterum quomodo intelligitur illa particula [Conuersus,] & qua ratione ad confirmandos fratres pertineat? Primo respondetur primùm. Christum non expressisse tempus, pro quo rogauerat, sed in quo rogauerat. Dixit [Oraui] de præterito, vt orasse iam constaret. Sed pro quo tempore rogasset, cùm illud futurum esset, non dixit. Vnde cùm oratio esset de re futura non constat, rem statim post orationem fuisse secutam. Videtur autem Christi oratio effectum habere cœpisse ab eo tempore, quo Christus in Passione respexit [Petrum,] ac conuertit ad pœnitentiam. (Et egressus Petrus foras fleuit amarè.] Nam ex illo deinceps numquam defecit. Et quidem, Christo adhuc viuo, cùm adhuc [Petrus] priuatus esset, & tantùm princeps, & pastor designatus ante possessionem, mirum non est eum posse deficere; sed, Christo mortuo, & [Petro] post Resurrectionem Pastore ab eo instituto & Ecclesiæ data ouium possessione præposito, & vices Christi gerente, Christi oratio effectum sortiri cœpit suum, & Fides per eam impetrata se obtineri. Obseruandum est enim Christum antea Matth. 16. promisisse [Petro] de futuro Ecclesiæ Primatum, vti verba indicant, quæ sunt in futuro. [Ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claues. Erunt ligata,] ceu designaret, Principem, non crearet. Ac verò post Resurrectionem suam Christus, quod promiserat, impleuit, traditis [Petro] ouibus suis, eoque principe creato, & confirmato, [Pasce oues meas:] ter ad firmitatem possessionis repetito. Itaque ex quo [Petrus] publicam gessit pastoris Ecclesiæ personam, donum illud firmitatis ad omnes alios dirigendos; & corroborandos in fide accepit. In quam sententiam rectè Augustinus in loc. Ioan. [Hunc inuenit exitum ille negator, & amator, præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat, faciat eius Resurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, vt priùs Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur. Præposterum fuit, quod audere cœperat humana temeritas; cùm istum disposuisset ordinem veritas. Animam suam se positurus pro Christo Petrus putabat, pro liberatore liberandus, cùm Christus venisset animam suam positurus pro suis ouibus, in quibus erat, & Petrus.] Igitur.

Petro illud [Firmitatis, & Authoritatis] credendo, & confirmando orationis Christi virtute priuilegium ante ipsius Christi mortem donatum non est, quod nimirum adhuc in ouium grege, vti vnus è grege priuatus erat; post Resurrectionem verò Christi, cùm Petrus accepta in oues potestate, & vir gregis, & pastor institutus, & publicam agebat personam, eo donatus est munere, quod ad dignitatem pertinebat. Itaque firmus, & author cœpit esse, ex quo princeps, & pastor esse cœpit. Idem Augustinus. [Si dilectionem tuam erga me habes; vbi ostendas habes, vbi exerceas habes, pasce agnos meos.] Ec mox iam ex oue in pastorem transit, & Vicarium Christi agit, quando idem agit, quod Christus, id est, & patiendo, & moriendo pro ouibus. Nam id circo infra num. 18. Christus [Petro] mortem portendit. [Alius te cinget, & ducet quò tu non vis.]

Pergit Augustinus. [Quatenus pascendi essent agni, & dominicæ oues tanto pretio comparatæ, quanta essent dilectione pascendæ, in consequentibus demonstrat. Postquam enim Petrus impleto legitimo numero trinæ responsionis professus est se Domini dilectorem, commendatis sibi ouibus eius audit de futura passione.] Hæc prima esto responsio admissa, quod [Petrus à Fide negando defecerit, non quòd affirmem, sed quòd si quis affirmet, videat, se nihil inde posse concludere.

Secundùm respondetur [Petrum,] etsi negauerit Christum, non tamen à Fide defecisse, cùm ore tenus dumtaxat negauerit, corde retinuerit: quæ communis Patrum, & Scholasticorum sententia est, quemadmodum Interpretes Euangeliorum obseruant; & scitè scripsit Prudentius in lib. Cathemer.

Fleuit negator denique
Ex ore prolapsum nefas.
Cùm mens maneret innocens
Animusque seruaret fidem.

Imò, & sunt grauissimi Ecclesiæ Patres, qui [Petrum] crimine negationis absoluunt, aiuntque specie tantùm negasse, re autem confessum: imò & ideo negasse hominem, vt Deum esse doceret: vt refert Hieronymus in cap. Matth. 26. notans Hilarium, & Ambrosium ità sentientes; quorum meritò improbat sententiam. Id constat [Petrum] negantem metus causa, ac priuatum fecisse, atque adeo à Fide nec defecisse, nec quicquàm promissionis Christi firmitati negando detraxisse.

Sublata huiusmodi difficultate, secunda superest. Cur Christus, & qua ratione dixerit: Conuersum eum fratres suos confirmaturum. Sensus ex dictis constat. Nimirum ab eo tempore veritatem promissionis incipere, quo [Petrus] post negationem resipisceret: seque denuò ad Christum flendo primùm, deinde amando conuerteret. Tùm enim satisfactione repræsentata, & accepta gregis possessione eo priuilegio est dona-

natus. Sic Euthymius hic, & Theophylactus, & Ambrosius in psal. 43. & Leo 1. Serm. 2. in Natali Petri, & Pauli, & Serm. 3. de Assumpt. sua. Nec id ego temerè opinor, obseruo. Hanc particulam conuersus magno Euangelistis in Petri ad Christum, & Christi ad Petrum conuersione vsui fuisse. Nam post negationem Petri ait Lucas. [Conuersus Dominus respexit Petrum &c. 22. Tu aliquando conuersus, & Ioannes cap. vltimo. Conuersus Petrus vidit illum discipulum.] Ex qua analogia deduco, ipsam vocem, sibi ad hoc priuilegium significandum respondere: itaut conuersus Petrus ad Iesum conuersum respiciat: à quo sanè erat per gratiam conuertendus, & ad confirmandos fratres formandus: vt cum postea apud Ioannem illam acciperet potestatem conuersus diceretur; seù monere nos Euangelista vellet ista repetitione vocis connexionem priuilegij concessi cum eiusdem promissione significari. Ita Petrus, cui promittitur, dicitur conuersus: idem cui traditur conuersus item dicitur. Vti reperentes vocabulum rem quoque memoria repetamus: qui conuersus potestatem accipit, ei cum conuersus fore prædicitur, promissam fuisse. Nec id sua coniectura, iustaque destituitur. Nam istud conuersus apud Ioannem, videtur pertinere ad Officium pastoris, quod tunc à Christo Petrus acceperat. [Pasce oues meas.] Quo accepto cum Christus sequi se Petrum inberet, & Petrum sequentem Ioannes sequeretur, Petrus, seù pastor de Ioanne, tamquam de oue sollicitus respexit ad Ioannem: & respiciens ab Euangelio conuersus dicitur. Perindè, ac tempus destinatum à Christo ad promissionis effectum declarandum illa voce conuersus indicaretur. Nam illud aliquando conuersus, huic actioni conuertentis se ad Ioannem Petri respondebat, de quo dicitur conuersus Petrus ex officio pastoris.

Cui officio erat annexum priuilegium confirmandi in fide oues, quas Ioannes significabat. Et quamquam diuersa videatur vocis significatio apud Ioannem cum ibi conuersionem animi ad Deum: hic conuersionem vultus ad Ioannem indicet, nil tamen obstat, quo minus, etsi diuersa notio sit, ad idem tamen mysterium pertineat: cùm præsertim apud Lucam illa vox conuersus alias habeat significationes, vti obseruant Interpretes: quatum vna hæc potest esse conuersi Petri ad Ioannem, eùm ea curam, & solicitudinem potestatis Petro concedendæ cum est conuersus ad Ioannem impleta sit. Vereor, vt hæc non tam subtilia, quàm vtilia videantur: sed video non paucis ista probari, & aliquando Augustino, Hieronymo, & Ambrosio, & Chrysologo, qui Antithetis, & Analogijs sæpè delectantur, similia placuisse.

Tertius locus hic est quem modò attigimus, & sæpè antea Ioannis vltimo. [Pasce agnos meos. Pasce oues meas.] Qui illustris est, & maximè celebratur. His enim verbis Christus præstitit, quod promiserat Petro, pastorem eum gregis sui, & capue Ecclesiæ instituens, quem antea designauerat: quemadmodum scribit Ioannes Maldonatus, ac est communis sententia. Quod autem hic locus primatum Petri probet, & confirmet, cùm nostræ de auctoritate certa, ac infallibilis mentis fundamentum sit, operæ pretium erit ostendere. Ac primùm pascere perinde esse, ac regere, gubernare, & pastoris instar dirigere, suadetur ex psalm. 79. Qui regis Israel intende, vbi hebraicè est *ragnâ* qui pascis. Vndè psal. 77. [Pascere Iacob seruum suum.] Quare Matth. 2. Quod latinus interpres habet: [Exiet Dux, qui regat, Græcus reddidit *poimenei* pascer, cum in hebræo sit *fascal* dominetur. Accedit locus 2. Reg. 5. [Tu pasces populum meum Israel.] Qui sensus à sacris ad prophanos quoque auctores transijt. Nam solet Homerus Reges *poimenas* pastores populorum appellare. Hac ratione apud Ioannem pascere oues, idest regere. Sedulò, & amanter pastoris more. Petrus igitur, cùm pastor, idem, & princeps est institutus. Ita sentit Ambrosius Serm. 48. de Temp. & Serm. 1. de Sanctis, seù de cathedra Petri, & lib. 1. in Luc. cap. 24. & lib. 5. de fide in proœm. & lib. de dignit. Sacerdot. cap. 2. & Cyprianus de vnitate Ecclesiæ circa princip. Eusebius Emissenus Serm. de sancto Ioanne Euangelista. Augustinus hìc, & Serm. 62. 49. de verb. Domini. Beda homil. in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli. Chrysostom. hom. 87. in Ioan. Cyrillus lib. 11. in Ioannem. Leo papa 1. Serm. 3. Assumptionis suæ. Ambrosiaster 2. ad Corinth. 12. & Galat. 1. & 2. Isidorus de vita, & morte Sanctorum cap. 69. Euthymius hoc loco Ioan. Bernardus lib. 2. de consider. ad Eugenium cap. 8. Gregorius Magnus lib. epistol. epist. 32. ad Mauritium Augustum. Arnobius in psal. 138. Eucherius in vigilia sancti Petri. Qui omnes locum intelligunt de summa Petri in totam Ecclesiam potestate, quæ & docendo cum auctoritate, & regendo cum imperio exercetur. Omnes autem erudiendos, & gubernandos esse à Petro, tum infirmos, tum fortes, tum subditos, tum præpositos, Christus significauit distinguens gregem in Agnos, & Oues, [Pasce Agnos meos, Pasce Oues meas,] vt neminem vellet exceptum. Id cùm Theophylactus, & Rupertus obscutiùs iecissent clarissimè dixit Emissenus. [Priùs Agnos, deindè Oues commisit: quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus Agnos: pascit, & Oues: Pascit Filios, pascit, & Matres. Regit, & subditos, & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter Agnos, & Oues in Ecclesia nihil est.]

Eadem est mens aliorum Patrum, licèt non ea, quæ acutior est, quàm solidior, coniectura nixa. Quamquam eam Ambrosius item respexerit lib. 10. in Lucam cap. 24. in fine. [Iam non Agnos, vt primò, nec Ouiculas, vt secundò, sed Oues pascere iubetur, perfectiores, vt perfectior gubernaret.] Rectè igitur Bernardus lib. 2. de consid. cap. 8. [Non modò Ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Vndè id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè, totæ commissæ sunt Oues? Si me amas petre pasce Oues meas, Quas illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi Regni? Oues meas inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli

erant, cùm committentes vni vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno pastore secundùm illud: vna est Columba mea. Vbi vnitas ibi perfectio.] Et pulchrè Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ circa princip. [Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, Quia tu es Petrus, &c. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce Oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat Oues suas, & quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, &c. Et quorum remiseritis peccata &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.] Et infra [Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur.] Explicauit, quæ esset par illa potestas omnibus Apostolis data, idest, pascendi, & regendi oues in Ecclesia, sed ita, vt inter eos Petrus, tamquam caput, & princeps emineret, & illi suas oues cum haberent, quarum essent pastores, Petri tamen oues haberentur: vt vnum esset ouile, & vnus pastor, & Ecclesia vnitatem sub vno capite, & pastore haberet. Hac ratione Petrum verticem cœtus Apostolici Chrysost. homil. in Ioannem 87. appellauit. Claudat hoc agmen Patrum August. tract. 123. in Ioannem. [Nec aliud toties audit à Petro, quàm se diligi: nec aliud toties commendat Petro, quàm oues suas pasci.] Et ad suum, quo semper respicit successores, & Ecclesiam sensum serm. 49. de verbis Domini. [Dicit Dominus Petro in quo vno format Ecclesiam: Petre amas me? Respondet, Amo. Pasce oues meas,] quo maximè cum Cypriano consentit.

Probari autem ex hoc loco Doctrinam Petri esse certam, & auctoritatem infallibilem apparet. Ad id enim institutus est pastor, vt oues dirigat, & seruet, & pascat, quę omnia spectant ad doctrinam, cuius est dirigere, ne errent: seruare à lupis, ne discerpantur: pascere in optimis pascuis, ne pereant. Si autem pastor erret, & in deuia, & abrupta vadat, Oues sanè secum ducet, & in præceps dabit. Si ad Lupos deficiat, ijs dilaniandas oues tradet. Si in noxia inducat pascua, & venenatis herbis pascat, prorsus interibunt. Breui de Grege actum erit. Quare diuinitus summus ille pastor Christus, se optimum describens pastorem, & Ideam pastorum, quos informabat, cuncta eſt describendo complexus Ioann.9. Nam primum Ostium se constituit. Ego sum Ostium, ne grex ab Ostio aberraret, ac per Christum ad optima, & salubria pascua intraret. [Per me si quis introierit saluabitur, & pascua inueniet,] non præcipitia. Vndè Patres Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus Ostium Scripturam sacram intelligunt rectè, ac ex fide ouibus expositam: quam Ostiarius Spiritus sanctus, ijsdem auctoribus, vel ipsemet, Christus, Auctore Ruperto, aperit, & interpretatur per Doctores Sacros, idoneos, ritè institutos, ac missos: vti notant hoc loco Cyrillus, Augustinus, & Beda, & Theophylactus. Nec satis idest: [Educit eas: & cum emiserit ante eas vadit,] ne qua decerrent, [Oues eum sequuntur, & vocem eius audiunt:] Tanta est in docendo, & ducendo cura. Deinde fures, & Latrones amouet Christus studio seruandi gregis: ne in lupos, qui nulli sunt prauis Magistris sæuiores incidant, à quibus discerpantur, & perdantur. Hos enim Pseudoprophetas, & Hæreticos esse omnium sententia Interpretum est. Hi enim missi non sunt ab pastore summo, nec ab eius in terris Vicario, & aliundè veniunt extra Ecclesiam Romanam, quæ vna, & sponsa est, in qua vna auditur vox sponsi, atque adeò non intrant ad docendum per Ostium commune, sed aliundè proprio ducti spiritu, imò & pruritu ascendunt instar latronum atrociorum lupis ad Oues in caulis Ecclesiæ Romanæ catholicæ abducendas, & seducendas. Cuiusmodi fuerunt Lutherus, & Caluinus insignes fures latronesque: vestimentis ouium induti ad eas decipiendas vocem Christi simulantes, manus autem Esau, imò & vngues Leonum, dentesque luporum tegentes, vt simplicem Iesu gregem ad se illa honesta specie traherent, & tractum, traductumque discerperent.

Tandem pascua idonea, & salubria Christus præparauit, ad pascendas oues: à quibus mors exularet, & in quibus vita inhabitaret, vt pascendo vitam habeant. Nimirum gratiam per fidem animatam, formatamque operibus partam, vti Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Cyrillus, Augustinus, & Beda exponunt, in quæ ingressi pascua, in alia gloriæ egrediantur: quod aiunt Gregorius homil. in Euangel.14. & Rupertus hoc loco. Hæc autem munia commendata sunt Petro, cùm pastor est institutus, eiusque sunt vicarijs commissa, quibus dicitur [Pasce Oues meas.] Hac ratione tamquam bonus pastor, inquit Ambrosius, serm.1. de Sanctis, seù de cathedra Petri, [tuendum gregem accepit, vt qui sibi infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.] Non posset autem Petrus tueri, & seruare, si erraret, regereque se non posset. Itaque habuit, & certam in fide tuenda constantiam, & infallibilem in tradenda auctoritatem. Firmare autem placet, quæ hactenus tradidi egregia Leonis 1. Papæ sententia serm.3. Assumptionis suæ. [De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regit Petrus, quos principaliter regit, & Christus.] Cui hæret altera Ambrosij lib.10. in Lucam cap.24. in fine. [Dominus eleuandus in cęlum Petrum amoris sui nobis, amoris sui velut Vicarium relinquebat; sic enim habes: Simon Ioannis diligis me? vtique tu scis Domine, quia amo te. Dicit ei Iesus. Pasce Agnos meos.] Qui vicarium amoris relinquebat, is certè fidei vicarium reliquerat. Et cuius amor non refrixit, eius profectò fides non defecit.

Eadem veritas alijs testimonijs confirmatur.

A Resurrectione Domini Petrus cum primatus dignitate auctoritatis suæ munus exercuit. Nam 1. actorum capite eligendi in locum Iudæ alterius Apostoli auctor fuit,

fuit, ceù ad eum cura illius Senatus pertinetet, ac vnus eam rem cœteris in Concilio proposuit: & scripturę locum, seù Doctor adduxit cap. 2. Prædicandi prouinciam primus, ac solus suscepit: & Auditores ad fidem, Baptismumque hortatus est cap. 3. Claudum illum stantem pro speciosa porta sanauit, & rectis iam insistentem vestigijs ad viam salutis perduxit: documento, officij sui esse, eos qui in fidei tramite claudicarent, à se & corrigendos, & confirmandos cap. 4. Coram pontifice, & senioribus iudæorum, rationem reddit miraculi, & Christi Resurrectionem, & Diuinitatem deprædicat, & Ecclesiæ auctorem, & fundamentum vocat: mirantibus cęteris fructum ex Petri concionibus, & operibus consecutum cap. 5. Quoniam potestas Petri summa erat, & ęqualis auctoritas, atque ad supremum Doctorem, & principem spectat & docere, quæ facienda sunt, & secus facta punire, ac legem statuere, & vindicare eiusdem est potestatis, Ananiam, & Saphyram violati voti reos morte mulctauit: & eodem capite, vmbra sua ægrotos sanauit. Quod non vacat mysterio; solus enim Petrus ex omnibus Apostolis vmbra patrauit miracula. Nempè quòd vmbram Christi, figuramque gerebat: cùmque vmbra in eo multum adderet dignitatis personæ, eiusque ratione Vicarius Christi, & princeps Ecclesiæ esset, æquum erat, vt quod alijs per propriam patrabant personam Petrus per vmbram operaretur. Cùm præsertim vti obseruat Chrysostomus, vmbrante vnum Petro (reliqui omnes in platea stantes sanarentur: atque id verba textus significant: [Itaut in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, & grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & sanarentur omnes.] Vbi duo obseruanda sunt. Alterum vnius Petri vmbram ad omnes pertinere. Alterum vno obumbrato) sanari omnes, etsi ad eos vmbra non pertingeret. Primò enim indicatur Petrum, vti vmbra est Christi, vniuersalem pastorem esse; quod non habet ratione personæ, sed figuræ. Secundò quicquid circa rem vnam decernit Petrus, ad vniuersorum fidem pertinere. Itaque quod vnius occasione personę à pontifice definitur, id non ille solus, ad quem propriè definitio spectat, sed omnes alij credere tenentur.

Cap. 8. Cùm Simon Magus Spiritus sancti donum pecunia emere vellet, & simoniam in Ecclesiam conaretur inducere obuiam nefario conatui Petrus ijt, quòd ad illud malum, quod Sacræ Reipublicæ maximè infestum est, auertendum Summi pontificis adhibenda esset auctoritas: nam cuius erat Ecclesiam gubernare, ad eum sanè spectabat, tam præsens ab ea periculum propulsare. Pertinebat autem ad pontificiam doctrinam, quantum illud peccatum foret illustri documento declarare. Iam verò, quæ cap. 9. de Curato Ænea, & suscitata à mortuis Tabitha narrantur, magnum pondus habent ad confirmandam Petro ad faciendam supremæ suæ auctoritati fidem patrandi miracula potestatem factam. Præterea cùm futuri essent Hæretici, qui sola fide contenti, bona opera necessaria ad salutem æternam esse negarent, ad Petrum attinebat, eos Tabitha ob insignem in pauperes misericordiam, charitatemque à mortuis reuocata, docere fidem sine operibus mortuam esse, quando operibus cum fide coniunctis vita reddebatur.

Quid? quòd capitis X. Historia Cornelij Centurionis tota huiusce auctoritatis documentum est. Nam solus Petrus ex omnibus ad primam illam gentilium conuersionem, quæ pignus erat vocationis gentium auctore cœlo minister deligitur, & cùm ad illud via, & porta solis Iudæis aperta esset, clauem via alteram Petrus adhibuit, quæ illam gentibus aperiret: vt vtriusque populi ad christianam fidem vocatio à Petro initium acciperet. Cùmque Paulus à Spiritu sancto, hominum tamen opera ad illud ministerium cum Barnaba actor. 13. segregatus esset, Petrus à Deo per Angelum destinatus est: quòd Paulus superiorem haberet in terris, Petrus non haberet. Ecquid autem maiorem tunc auctoritatem exigebat, quàm salutis christianæ mysteria gentibus patefacere, & impertire? Itaque primus ille sciuit Deum non esse personatum acceptorem, & gratiæ legem omnibus nouit esse gentibus communem: Er Christo ad Chananæam testante [se non esse missum, nisi ad oues, quæ perierunt de domo Israel:] Petrus ab eodem Angeli ore mittitur, ad oues gentium, vt eas in vnum ouile cum cęteris congregaret: ita, auctore Petro, completum est illud Christi vaticinium. [Fiat vnum ouile, & vnus pastor.] Sanè decuit, vt ab ipso Apice, ac vertice auctoritatis, ac potestatis Petro, & Spiritus sancti effusio, & baptismi lustralis aspersio in gentes fieret. Quemadmodum ex eodem capite constat, vt res tanta, tamque mirabilis, ac præ nouitate insolens, summa Petri auctoritate firmaretur: nec à quoquam improbari, infringiuè posset, quod à capite, & principe Ecclesiæ gerebatur. Clariùs adhuc multò, & illustriùs testimonium redditur cap. 11. vbi Iudæis eum Petro expostulantibus, quòd prophanas gentes ad communionem Ecclesię admisisset: ipse satisfacit exponens obiectam sibi lintei è cœlo delapsi speciem, quod à quatuor plagis, totidem angulis suspensum, ad se demittebatur bestijs, & volucribus refertum: voce intonante, ac inuitante: [Surge Petre, occide, & manduca.] Cuius cùm significationem aperirer, docuit gentes in Ecclesiæ gremium inuitandas, ac recipiendas esse: idque toto cœlo attestante confirmari. Itaque Petrus auctor primus extitit tantæ rei, quæ nulla maiori, tum contentione agitata: nec minus tum à Iudæis expectata, graui deinceps, & iniquo animo, à vulgo illorum hominum recepta. Hanc tamen auctoritate sua Petrus emollinit, & firmauit; vt quamquam postea Paulo ministerium fuerit prędicandi gentibus commendatum, Auspicia tamen, & initia à Petro ducerentur.

Nobile item est huiusce veritatis argumentum oratio illa Ecclesiæ cap. 12. pro Petro in carcere detento ab omnibus in ea contentis fidelibus facta. Nam cùm Iacobus tantus Apostolus, & vinctus antea esset, & afflictus, & postea iugulatus, non legimus Ecclesiam communes pro eo preces suscepisse. Silentio transacta sunt illa, & tamquam priuata illa immanitas esset, minùs se Resp. Chri-

stiana commouit. At vbi, eo mortuo, in Petrum iniectæ sunt manus, & ille in carcerem coniectus, ceu cum illo tota periclitaretur Ecclesia, coniunctis animis, & vocibus Deum pro illius, tamquam pro communi salute rogarunt, nec destiterunt, donec ille Angeli ope, & opera liber euasit, & vniuersam Christianam Remp. metu, & solicitudine liberauit. Ex quo inter vtrumque Apostolum discrimine patet, quantum inter priuatos Doctores, & Episcopos, ac Petrum interesset: & quantum momenti ad Ecclesiam commouendam habitura esset auctoritas, pro cuius liberatione vniuersa orabat.

Cap. 15. in quo primùm Concilij forma, ratioque proponitur, obtinet Petrus primas auctoritatis, & dignitatis. Proposita enim controuersia de necessitate circumcisionis, [Cùm magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos.] Sententiam tanta vi, & pondere verborum, vt quid agendum esset prorsus definiret. Cui Barnabas, & Paulus assenserunt, & Iacobus proprius illius sedis Episcopus adhæsit. Et quamquam hic pluribus sententiam suam dixerit: non ea tamen prærogatiua, qua Petrus dixit. Nam Petrus primus surrexit, iudicauit, & definiuit: Auctoritate propria, perspicuè & absolutè, & gratiæ necessitatem, vimque, & excellentiam expressit, & commendauit. Iacobus autem tantùm respondit, & dixit, Ego iudico, ceu priuatum calculum adderet, & quod Petrus statuerat, iudicio suo sequeretur. Itaque neque surrexit, quod dignitatis est, nec absolutè definijt, quod est auctoritatis.

Sunt alia locorum momenta. Nam epistola ad Galat. 1. Paulus cùm à Christo vocatus, & in Cœlo edoctus esset, Ierosolymam postea veniens ad Petrum adiuit, & apud eum mansit diebus quindecim: nec ad Iacobum tunc, etsi Hierosolymitanus esset Episcopus, diuertit. Sed ad Petrum quasi caput, & principem se contulit: quo sanè significauit eius & primatum, & Auctoritatem: nam etsi post annos quatuordecim eodem rediens non cum Petro solùm, sed etiam cum Iacobo, alijsque Euangelium contulisset, & inita cum ijs societate ministerium prædicandi Gentibus accepisset, non obstat quominus Petrum principem, Caputque agnouisset. Priùs enim eum quæsiuerat, cumque eo dies quindecim habitarat, & quod nexum est, de Fide, ac Euangelio multis egeat, non quòd eius aut doctrina, aut approbatione indigeret, sed vt illius dignitati, & Auctoritati testimonium redderet. Quod cum semel præstitisset, alio opus non erat, vti infra expendemus.

Et quidem plures ex Patribus hoc loco Petri primatum agnoscunt, & firmant. Ambrosius, Theodoretus, Oecumen. & alijeo ad eum confirmandum vtuntur Hieronym. epistol. ad Augustin. 11. & Chrysostom. Homil. 87. in Ioann. Græcos do: quod nemo suspectos dicet. Chrysostomus. [Os erat Apostolorum, & princeps: propterea, & Paulus eum præter cæteros visurus ascendit.] Theodoretus. [Etenim cùm humana doctrina non indigeret, Apostolorum principi, quem par est honorem detulit.] Oecumenius. [Vt videret Petrum tamquam maiorem, vt maneret, causa honoris, quem Petro deferebat factum est.]

Deinde obseruo Petrum in sua epistola Apostolum se Iesu Christi propriè, & absolutè nominare, sine additamento, aut nexu, aut expositione: ita enim Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis, &c. Iacobus verò & Ioannes, & Iudas in suis epistolis nusquam se Apostolos appellant. Sed duo primus, & postremus seruos se: medius Ioannes Seniorem se dicit. Paulus autem, qui se Apostolum sæpè, ac maximè vocat, eo titulo interdum abstinet vti epist. ad Philippenses, & ad Thessalonicen. 1. & 2. ad Philem. & ad Hebræos: interdum Serui nomen præmittit: vti epist. ad Romanos, & epist. ad Titum. Et cùm se Apostolum dicit, aut non absolutè dicit, vti in epist. ad Corinth. 1. Paulus, inquit, vocatus Apostolus, aut cum nexu, & respectu ad aliud dicit, quemadmodum epistol. ad Corinth. 2. Cùm scripsisset Paulus Apostolus Iesu Christi, addidit per voluntatem Dei. Sic ad Galatas Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, &c. & ad Timoth. 1. Paulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei. Fateor Petrum in epist. 2. Seruum se, & Apostolum dicere, Sed satis est, quod semel in 1. Apostolum Iesu Christi simpliciter, & omni præciso additamento appellet: quod nemo alius Apostolorum vsurpauit.

Illud quidem ad rem maximè videtur facere, quòd solus Petrus initio epistolæ suæ trium personarum Trinitatis claram, & illustrem mentionem fecit, cùm Paulus duas tantùm Patrem, Filiumque expresserit, quemadmodum lector attentus comperiet. igitur Petrus epist. 1. [Secundùm præscientiam Dei patris in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem Sanguinis Iesu Christi.] Quibus verbis non solùm personæ tres, sed earum etiam proprietates explicantur. Et quamquam Christi Domini Diuina non exprimatur natura, nec proprietas, persona inducitur, & quod necessarium est ad æternam consequendam salutem credere, idest, verbi Diuini Incarnatio exprimitur, vt Petrus præcipua fidei Christianæ Capita in epistola illa 1. sua, ceu summam totius doctrinæ tamquam princeps, & Doctor Vniuersalis Ecclesiæ proposuerit. Et quidem decebat, vt in quo suprema erat ad regendam Ecclesiam potestas, summa in eo quoque esset ad docendam, & instruendam auctoritas; cùm ea potestas spiritualis esset, & ad salutem animæ, quæ fide nititur ordinata.

Hanc Petri fidem constantem, & auctoritatem infallibilem patres multis, ac illustribus titulis declararunt; ex quibus ea deduci potest. Ac primùm Concilium Nicenum Petrum Christi Vicarium, & ab eo Ambros. 24. Lucæ, Anselm. ad cap. 16. Matth. Bernard. lib. 2. de Consid. appellant. Ecquis verò audeat dicere Vicarium Christi, qui summa veritas est falli posse, & fallere? cùm eadem sit Vicarij, ac eius qui vicem gerit auctoritas. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & Optatus lib. 2. & 7. contra Parmen, & Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 64. Apostolorum, & Ecclesiæ Caput vocant. Cui autem veniat in mentem dicere tam puri, & pul-

pulchri Corporis caput errori esse obnoxium: & cùm aurum optimum sit, fœcibus inquinari? Chrysostomus, Os Apostolorum eadem ratione dixit. Eusebius Emissenus Serm. de Sancto Ioanne Euangelista pastorum pastorem nominat. Quantus error esset si nonmodò oues, sed pastores, immò & eorum pastor errasset! Aut quis errorem tantum corrigeret? eum de vno errante Doctore Christus dixerit. [Quod si sal euanuerit in quo salietur?] Verticem, & Apicem Cœtus Apostolici.] Cyrillus in Thesauro, & Chrysostomus Homil. 87. in Ioann. nuncupat. Quàm deforme esse, in Coronide, & Corona ædificij pulchetrimi vitium eminere! Coryphæum Apostolorum appellat Dorotheus Tyrus in Synopsi. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistol. epist. 142. Andreas Cæsariensis ad capitulum 13. Apoc. Qui autem Coryphæus esse posset, qui errando extra Chorum fœdè falcasset? Ducem discipulorum Christi dicit Epiphanius hæresi 51. Quàm ineptè Ducem ageret, si cæcutiret? cùm verum sit illud Christi Domini [Cæcus si cæco ducatum præstet, nonne ambo in foueam cadent?] Antesignanum Apostolorum nominat Isidorus Pelusiota. Turpe foret Antesignanum ad errorem, quo nullus maior est Ecclesiæ hostis, deficere. Ecclesiæ personam gerentem dicit Augustinus Tractat. 124. in Ioannem. Sanè si Petro falsitas posset obrepere fuco inducto personam Ecclesiæ contaminaret. Rectorem Nauis Ecclesiæ nuncupat Maximus Taurinensis Homil. 3. in Natali Apost. Petri, & Pauli. Malè regeret, qui cum Palinuro ad gubernaculum dormitaret, Petram, & Crepidinem, & Fundamentum Ecclesiæ Synodus Chalcedonensis art. 3. & communiter Patres appellant. Arena potiùs diceretur, si minùs firma consisteret, & ad flantes doctrinarum ventos circumferretur. A Crepidinis duritie longè abesset, si mollesceret ad errores. Firmum Fundamentum esse nequiret, si variarum opinionum pulsibus quateretur, & in acceptaveritate nutaret. Quare optimè Origenes Homil. 5. in Exod. [Vide, ait, magno illi fundamento.& petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam quid dicatur à Domino.] Et in Psalm. 1. [Petrus, super quem Christi Ecclesia ædificata est, contra quam Inferorum portæ non præualebunt,] & Chrysostomus Homil. in Petrum, & Eliam. [Petrum talem, ac tantum virum. Apostolorum Verticem, Fundamentum immobile, & petram stabilem.] Et Augustinus Serm. 13. de Sanctis: [Petrum itaque Fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideo dignè Fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.] Æquum profectò erat, vt qui, auctore Hilario, [Cæteros Fide anteierat, & teste Hieronymo Ardentissimæ semper Fidei iuuentus fuerat,] ab ea confirmatus à Christo non recederet, nec illius ardorem remitteret, sed ad extremum vsque Spiritum seruaret, donec Cruci affixus in media etiam morte firmitatem, & constantiam indicaret.

Vna superest remouenda obiectio, quam vrgent sæpè Hæretici, tum aduersùs primatum, tum aduersùs illius auctoritatem. Hanc mihi vindicandam sumo, & argumentum sic ex eorum sententia formo. Paulus Galat. 2. narrat Petrum Antiochiæ non rectè ad veritatem Euangelij ambulasse, atque ideirco se ei in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat.] Errauit igitur, & quidem grauiter contra Euangelicam veritatem Petrus; & est iure à Paulo reprehensus, quòd si eo minor erat Paulus, ac nihil inde primatui iuxta Augustinum timendum, ideo magis metuendum est auctoritati, nam, qui eum minor ausus est reprehendere, errantem sanè deprehendit: nec enim ei aliter se auderet opponere. Non poterat autem non errare grauiter, qui contra veritatem Euangelij ambulabat.

Hoc argumento vsus fuit olim Marcion aduersùs Petrum, Tertulliano teste lib. de præscript. cap. 23. & ex Nouatoribus Gardius, & Marcus Antonius de Dominis, apud Becanum Tomo de controuer. Hac de re extitit celebris controuersia inter duo Ecclesiæ lumina, Hieronymum, & Augustinum, quam multis, & eruditissimis vltro, citroque missis epistolis acerrimè agitarunt, De qua Diuus Thomas 1. 2. qu. 103. art. 4. & ibidem Theologi. Prima responsio est. In eo loco Pauli non agi de Petro Apostolo, & Apostolorum principe, sed de alio, qui vnus erat ex septuaginta discipulis; nam Paulus eum ibi non vocat Petrum, sed Cephas; quo nomine rariùs vocare solet, atque adeo appellans notat se de alio, non de Petro rem narrare: in ea quosdam esse auctores sententia, refert Hieronymus in Comment. epist. ad Galatas. cap. 2. cum præsertim inter discipulos esset vnus, qui Martialis Cephas vocabatur, Auctore Clemente Alexandrino apud Eusebium lib. 1. Histor. cap. 14. Verùm hæc frigida, & inepta euasio est; nam in eodem cap. 2. paulò ante Paulus num. 9. Petrum Cepham primùm appellarat, Iacobus, inquit, Cephas, & Ioannes. Vbi Cephas pro Petro ponitur. Quare cùm num. 11. Cepham inducit, non poterat non Petrum significare: immò non decebat eum alio nomine, quàm Cepha afficere, ne intra duas lineas variare nomen temerè videretur. Itaque omnes fermè Patres cum Græci, tum Latini locum de Petro intellexerunt.

Comperto, & admisso, Cepham Petrum esse, prima responsio est Hieronymi, & Patrum quos aduersùs Augustinum citat, Grecorum, epistol. inter suas 89. inter Augustinias 11. neque errasse Petrum, neque Paulum verè illum reprehendisse, sed eos ita rem inter se composuisse, vt Petrus errorem, Paulus reprehensionem simularet, vt ea ratione Iudæos, & Gentiles conciliarent, & quid vtrisque liceret officiosa illa simulatione docerent. Nam, qui Iudæi viderent Petrum vtentem legalibus, Synagogam cum honore sepeliri, comperirent; & Gentiles, cum animaduerterent reprehendi Petrum à Paulo, crederent vsum illum Legalium iam interijsse, & tantum permitti, ceu suprema officia sepulturæ. Immò, & Iudæi idem ea obiurgatione docebantur; cùm viderent Petrum reprehendi à Paulo, & reprehensum abstinere. Id Origenes, id Didymus, id Apollinaris, id Alexander, id Eusebius, id Theodorus apud Hieronymum epist. illa 89. siue 11 Consentit Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius

mius in eum locum Galat. Ex Scholasticis vnus assentitur Adrianus in 4. qu. 1. de Baptismo. Hac ratione inanis est obiectio, cùm nihil inde aduersùs Petri auctoritatem, & dignitatem deducatur.

Sed quoniam huiusmodi sententia, etsi grauissimorum Doctorum, vera non est, vti diuino suo ingenio Augustinus demonstrauit epistol. 8. vsque ad 19. qui cùm Latini fermè omnes, tum Patres, tum Scholastici sentiunt: dandum est argumento, quod assumit, & errasse in eo facto Petrum, & ob id verè, ac rectè à Paulo reprehensum. Verba enim Pauli in hac epistola aliter exponi non possunt: quemadmodum ostendit accuratissimè Augustinus. Et patet in textu. Ac ita docet D. Thomas 1. 2. qu. 103. art. 4. ad. 2. & ibidem Thomistæ, & Doctor nostrr subtilis, in 4. dist. 3. quæst. 4. §. Quantum ergo, & Scotistæ ibidem. Bonauent. in 4. dist. 3. art. 5. qu. 2. Rirhardus in 4. dist. 1. art. 6. quæst. 4. Durandus eadem dist. quæst. 9. num. 7. & 8. Paludan. quæst. 6. art. 5. conclus. 4. Gabriel quæst. 4. art. 3. dub. 3. Sotus lib. 2. de iust. qu. 5. art. 4. ad 3. membr. 1. argumen. eamdem docuit Hugo de sancto Victore, quæst. in epist. ad Galat. qu. 6. Immò, & ita definitum esse in Concilio Florentino affirmat Caietanus, & Dominicus Soto, alter ad locum, 1. 2. alter lib. 2. de Iustitia. Plures videri possunt apud Vasquez, 1. 2. distinct. 182. & Becanum in Tomo, de controuer. in Opusculis, lib. 2. de Repub. Ecclesiast. Et quidem errasse Petrum, & ob id obiurgatum, affirmant disertè Augustinus, & Cyprianus epist. ad Quirinum, nec Gregorius Homil. 18. negat, & confirmat Diuus Thomas in 2. 2. quæstion. 33. art. 4. ad 2. & est communis sensus Auctorum. Quomodo errarit Petrus videndum. Primùm non errauit in aliquo articulo fidei: nam communicare tum cum Iudæis, & eorum traditiones, vt ait Augustinus, obseruare, licitum erat: modò spes salutis in ijs non poneretur. Ac ijs etiam Paulus ipse est vsus, cùm Timotheum circumciderit, & totonderit in Cenchris caput, & se Hirrosolymis purificauerit, & obtulerit. Igitur eo in vsu Petrus non peccauit. Erant enim Legalia, dum Lex Gratiæ promulgata non erat, mortua tantùm, sed non mortifera: permittebanturque à Deo, vt inquit Aug. vt Synagoga cum honore sepeliretur.] Constat igitur Petrum in doctrina fidei non errasse. Tantùm ergo errauit, in aliquo vel affectu, vel circumstantia loci, aut temporis, vel in vtroque. Nam timore perculsus videtur: cùm dicat Textus [Timens eos, qui ex circumcisione erant; & iste fortasse timor culpatur. At Paulus non dicit eum ob timorem reprehensibilem: sed innuit culpam in opere, nam non [rectè ambulabat ad veritatem Euangelij,] & scandalum præbebat exemplo, Igitur opere, & facto errabat. Sanè: sed extra rem fidei errabat. At in eo error erat; quòd alieno tempore illo conuictu, & cæremonijs vsus est: cùm Gentiles repentè reliquerit, & ad Iudæos, qui recenter aduenerant se transtulerit, ac eorum more vixerit. Vnde scandalum oriebatur apud Gentiles, quos adhuc in fide teneros illa mutatio posset percellere, & ex ea serutata obseruantia legis perturbare. Itaque ad incogitantiam potiùs, & imprudentiam error ille pertinet, quàm ad aliquod vitium voluntatis, & morum. At ita fermè explicant huiusmodi errorem Petri Patres, & Doctores: ac inter omnes luculenter, Vasquez. dist. illa 103. cap. 7. & Suarez l. 9. de legib. & in defens. fidei contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 11. Quare in politica Petrus, non in doctrina, Fideue errauit. An peccauerit ambiguum est. Id constat grauiter non peccasse. Quod acutè, & accuratè probat Scotus. Peccauerit ne venialiter disceptatur. Et quidem sic percasse Augustinus, et Thomas, et Scotus, cæterique non negaut. Recentioris memoriæ Theologi omnino negant, ne quem in Petro næuum admittant. Ita Vasquez sentit, et contendit probare illo cap. 7. num. 56. Ego non dubitem in Petro leue, ac veniale peccatum, sed in iudicio potiùs politico, quàm in re, et mentis intentione admittere: nec id quicquam detrahit, aut dignitati, aut authoritati, cùm præsertim veniales culpæ tam facilè obrepant. Nec video, qui sine peccato Petri, verba Pauli possint consistere: nam nisi peccasset, non diceretur à Paulo reprehensibilis, quod supra personam cadit, non supra nudum factum. Præterea, quomodo liberari ab omni culpa potest, qui non rectè ad veritatem Euangelij ambulabat: et qui exemplo illo suo Iudaizare Gentes cogebat? Itaq; etsi neque doctrina, neque intentione errasset, nec grauiter deliquisset, saltem, in modo, et circumstantia temporis per incogitantiam, et imprudentiam peccauit: quæ cum non omnino esset inuincibilis, et aliqua leuis negligentia obrepsisset, satis fuit ad culpam venialem contrahendam. Quare argumento non concedimus Petrum vllo modo in doctrina errasse, cùm vsus ille legalium pro co tempore Iudæis permitteretur, nec ob eum reprehendi à Paulo, qui illis etiam vsus fuerat, potuisse. Loco autem concedimus Petrum ex incogitantia, obrepente incuria, leuissimè peccasse: quo et integra Paulo fides, et Petro incorrupta authoritas manet. Graue testimonium Tertulliani clausula operis, lib. de Præscript. [Cæterùm si reprehensus est Petrus, conuersationis fuit vitium, non prædicationis.]

Alium scrupulum obijcit Thomas Anglus Paragr. illo suo 22. non quo fidem [Petrii infirmet, sed quo imminuat authoritatem. Quem mouerant antea Marcus Antonius, & Gardius, & Serenissimus item [Iacobus] Rex Angliæ, ex æqualitate cæterorum cum [Petro] Apostolorum, & Societatem cum [Paulo, & Barnaba] inita: Ad Galatas 2. vbi [Paulus: cùm agnouissent Gratiam, quæ data est mihi Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur Columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis,] quo loco non solùm non superior [Petrus,] sed inferior Iacobo, qui prior ponitur, significatur: ac deinde in ordinem cæterorum redigitur. Obiectum scrupulum supra iecimus, & remouimus: nunc prorsus tollemus. Nihil eo testimonio detrahitur authoritati supremæ Petri; nam cùm Paulus cap. 1. dixisset venisse se Hierosolymam videre [Petrum, & apud illum fuisse diebus quindicim, satis declarauerat [Petri] excellentiam, & authoritatem, cum ne-

neminem alium el, vel præposuisset, vel coniunxisset. Quare non erat necesse, vt mox iterum eiusdem rei mentionem faceret: nec enim id tunc Paulus agebat: imò ab eo, quod agebat maximè alienum erat, Petri summam in Ecclesia authoritatem restari: nam ea mens, id consilium Paulo erat, Doctrinam suam à Christo ipso, & Spiritu sancto acceptam ostendere, vt nihil ei homines, ne Apostoli quidem, contulissent. Ad id autem demonstrandum æqualitas maximè faciebat: quam ea ratione voluit Paulus inducere. Nec id sanè inficiandum, Paulum in eo Petro, & Apostolis parem fuisse: quemadmodum obseruat Suarez l. 3. defensionis fidei cap. 11. num. 18. Quare cùm de eo tantùm ibi Paulus ageret, non erat opus, vt Petri excellentiæ meminisset; cùm præsertim eam satis primo capite expressisset. Eo autem nihil supremæ Petri authoritati derogatur: nisi fortè, si quis se Anglus ingenio, & sapientia Parem Iacobo Regi eo tempore, quo regnabat diceret, idque, probasset, is omnino negaret Iacobum authoritate superiorem esse. Itaque potuit Paulus, potuerunt Apostoli pares se in multis Petro ostendere, idque verè affirmare, nec tamen eius principi authoritati derogare. Vt autem ad Thomam Anglum stylum connertam. Fateor eum in potestate Consecrandi Chalcedonensi Episcopo parem esse: cum tamen hic eo, & dignitate, & authoritate, & iurisdictione superior sit, & cui Thomas Anglus omnino, quòd sit pastor, teneatur, vt ouis, obedire. Quod vt faciat moneo, ne perperam sentiendo, & scribendo erret, & errando à Caulis Christi, ad aliena, & inimica septa deficiat: idque magnopere curandum, nam quædam iam in Thoma detrantis apparent vestigia.

Quæ diligenter obseruo. Et quidem hoc loco castiganda sunt. Supponit primùm: nos qui summam Petro authoritatem, ac infallibilem damus affirmare [Petrum accepisse inerrabilitatem respectu cæterorum, quasi cæteri errare potuissent, & post separationem ad Petrum pro instructione redituri: postquam plenitudinem Spiritus sancti ad Orbis magisterium acceperunt. Quo quid ait insulsius esse potest?] Falsum ille omnino supponit. Cui enim id Catholico in mentem venit? Nemo dicit Apostolos errasse, aut in fide errare potuisse, neque à Petro confirmatos esse, aut potuisse confirmari: vti articulo superiore tradidimus; sed illud tantùm Catholici authores asserunt; Petrum illam firmitatem credendi, & potestatem confirmandi tamquam Caput, & Pastorem Ecclesiæ accepisse, eamque ad successores cum eadem dignitate, & authoritate transisse: ac in ijs respectu aliorum fidelium, pastorumque, & fuisse, & esse, & fore. Nec enim ex Petri priuilegio Apostolis quicquam de sua fide, & authoritate detractum: nec Petrus in fidei firmitate priuata eos antecedebat: sed in eo quòd ea fides in Petro erat capitalis, & cum eminentia, & respectu ad totam Ecclesiam: vnde reliquos, qui errare poterant, ex officio poterat, & debebat confirmare. Itaque duo discernenda sunt in inerrabilitate, vt ait Thomas Anglus, Petri, & Apostolorum firmitas priuata, & authoritas publica. In primo Apostolis Petrus potuit non excellere; sed in secundo non potuit non excellere, cùm in singulis Apostolis non esset authoritas capitis ad vniuersam Ecclesiam pertinens, cuiusmodi erat in Petro, nec enim tot erant capita Ecclesiæ, quot Apostoli. Itaque insulsissimè Thomas Anglus supponit, & ineptissimè ratiocinatur.

Deinde minùs fideliter in exponendo textu procedit, coniungens locum Pauli conferentis Euangelium, cum illo, quem citat: [Iacobus, & Cephas, & Ioannes,] qui videbantur Columnæ esse, &c. cùm ille prior ab hoc diffitus sit, etenim Paulus num. 2. in quo ait se Euangelium contulisse, neminem nominat: nominat autem num. 9. cum [ei dederunt dextras societatis,] non ad collationem Euangelij, sed ad prædicationem illius, partito munere Euangelizandi, vt Petrus, & cæteri Iudæis, Paulus, & Barnabas Gentibus Christum annunciarent. Sed Thomas, vtrumque locum confudit, cum debuisset inter eos distinguere: & quid cuique proprium esset assignare.

Tandem ait Thomas Anglus, Paulum in tertia regione aeris (ita exponit Tertium Cœlum) Arcana illa verba, cum Euangelij doctrina audiuisse: quod sanè absurdum videtur: nam aut illis verbis [Tertium Cœlum] non intelligitur locus, aut si intelligitur, ille sanè tertia aeris Regio esse non potest: sed alius multò, & eminentior, & sacratior: cuiusmodi est cœlum, quod appellamus empyreum, Et Paradisus ab Ecclesia dicitur, in quo est sedes beatorum, qui Dei clara visione fruuntur. Et quidem Augustinus lib. 12. de Gen. ad Litter. à cap. 27. Per tertium cœlum, tertium quoddam visionis genus, quo Deus intuitiuè, vt aiunt, ac vti est in se videtur, intelligit. Alij communiter Paradisum interpretantur, id est, locum in Cœlo Empyreo, vbi est sedes Beatorum. Certè Paulus illa sua 2. ad Corinth. epist. cap. 12. [Tertium Cœlum Paradisum] vertit. num. 4. Existimo autem Paradisum, non esse in tertia aeris regione, cum præsertim sentiam cum Augustino, epist. 112. cap. 12. & lib. 12. de Geuef. ad liter. cap. 27. & 28. & Anselmo 2. ad Corinth. 12. & Scoto, quæst. 2. Prol. & in. 2. dist. 3. quæst. 9. & in 4. dist. 49. quest. 12. & D. Thom. 1. p. q. 12. art. 11. & Scotistis, ac Thomistis communiter, Paulum clarè Deum vidisse. Vt id autem idoneum non esse locum, tertiam regionem aeris existimo. Nisi fortè quòd ea extra tempestates, & ventos sit, putauit Thomas Angliam esse ad Beatitatem accommodatam. Olympum, opinor, cogitabat ille, cuius cacumen in tertiam illam regionem euadens, locum poetis dedit fingendi in eo monte cœlum, imò cum pro cœlo montem accipiendi. De quo aptè canitur. [Pacem summa tenent.] Acquiescerem, nisi scirem Ioanni Euangelistæ (de quo quidem cum P. Salas sequente Origenem aiunt Deum vidisse) veritatem illam initio Euangelij sui Diuinitus expressam inter sonantes tonitrus; & micantia fulgura, & contorta fulmina reuelatam. Sed is Filius Tonitrui erat, & in secunda aeris regione debebat ad Deum videndum consistere. Paulo cum esset organum Spiritus Sancti suaue, & temperatum vlteriùs eumdum erat, vbi non ob-

obstreperent tonitrua, nec fulgetra præstringerent; nec fulmina terrerent. Lepidè Blacolus si ita, sed putidè tamen ratiocinatur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hoc Priuilegium Petri ad Romanos Pontifices eius successores transierit, ac in ijs conseruetur.

NOn mihi, aut Petrum Romæ posuisse Cathedram, eamque Ecclesiam rexisse: quod quidam Hæreticorum temerè, et impudenter; nec successores alios Romanos Pontifices continenti serie in eadem sede, et Ecclesia habuisse, quod multi imprudenter negant, quòd cum homine Catholico disputem, probandum est. Sed vtrùm eodem firmitatis fidei, et authoritatis infallibilis ad confirmandum in fide cæteros priuilegio, quod Petro assignauimus, fruiti fuerint, ac fruantur illius successores? non nunc de priuata cuiusque fide, et authoritate, sed de publica, quæ dignitatis, et Cathedræ C omes est, et ad regimen Ecclesiæ pertinet, quæ diuersa quidem argumenta sunt, instituo quæstionem.

Qua in re omnino affirmandum, idem, quod in Petro fuit priuilegium cum eadem prærogatiua in successoribus esse. Id ratione constat. Nam vti ex Patribus supra diximus, Christus Dominus ita Petrum caput, & pastorem Ecclesiæ suæ instituit, non vt pro eius vita dumtaxat dignitatem, primatumque institueret, Ecclesiamque eiusdem vitæ periodo terminaret, sed vt in Petro, & Ecclesia sui temporis, formam, quæ futura erat, pastorum, & Greges in Ecclesia sua perperuò duraturam præstitueret, ac demonstraret. Quod si quæuis hominum respublica, cùm Regem sibi vel Principem deligit, cui se regendam committit, non de eo tantùm cogitat, sed in posterum cogitationes suas intendit, & futuram Regum, ac Principum successionem, in eo, quem deligit, destinat, & prouidet, quanto maiori iure Christus Ecclesiæ suæ eadem ratione consulere debuit, cùm eam perpetuam constantemque formaret? Negare quisquam Regni temporalis, & caduci ciuis non audeat Reges suos legitimos esse, qui à primo sunt deducti, & audebit Catholicus quisquam Romanos Pontifices iustos, ac germanos esse Ecclesiæ spiritualis, ac æternæ pastores inficiari? Ergo ne desinet à Christo Domino Petro authoritate Diuina collata potestas? æternabit Regibus à populis authoritate humana iurisdictio attributa? Pudeat quemquam, tam ineptè, & absurdè ratiocinari.

Sed sacratiùs rem pendamus. Textus ipse nos docet Christum de futuro ad finem vsque mundi statu Ecclesiæ cogitasse, ac egisse. Quorsum enim spectat illud [Ædificabo Ecclesiam meam? Ac super hanc Petram,] & illud (Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Et aliud { vt non deficiat fides tua.] Et aliud [Conuersus confirma fratres tuos.] In quo loco summa vis est. Nam fratres confirmandi à Petro Apostoli non erant, igitur alij erant fratres Apostolis successuri, qui in fratrum nomen, & locum succederent. Hos igitur diuersos personis, pares dignitate, pontifex alius à Petro persona, idem loco, & authoritate confirmaturus erat. Iam verò locus ille Matthæi vltimo: [Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi] curam istam, prouidentiamque designat. Nec enim cum Apostolis tantùm, qui non eò vsque victuri erant; sed cum eorum successoribus ad consummationem seculi duraturis futurus erat, vti Augustinus lib. 6. de Genesi ad lit. cap. 8. & Theophylactus hic exponunt.

Nec Patres hac in veritate probanda minùs, quàm in Petri dignitate, & auctoritate asserenda acres, vehementesque fuerunt, quemadmodum supra indicauimus: nunc monstramus. Igitur Cyprianus lib. de vnit. Ecclesiæ initio, [Vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.] Et epist. 27. Dominus noster Ecclesiæ suæ rationem disponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ac infra. [Inde per temporum, & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia supra Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.] Eodem sensu dixit Chrysostomus lib. 2. de sacerdot. versans locum Io. 21. quanam de causa Christus sanguinem effudit suum? Certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Idque deinceps probat. Vnde rectè, breuiterque Ambrosius in psal. 40. intulit ex illis verbis: Tu es Petrus, &c. Vbi Ecclesia ibi Petrus, idest, Petri successor Pontifex Romanus, & addit appositè vbi Ecclesia ibi nulla mors, sed vita æterna: quia etsi Petrus, & qui ei succedent singuli moriantur, Ecclesia & viuit, & æternat. Philippi presbyteri in Conc. Ephes. tomo 2. Concil. c. 16. luculentum testimonium est. [Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum, Sanctum Petrum Apostolorum principem, & caput, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum per successores suos hucusque semper viuere, causasque decernere, semperque victurum esse. Huius itaque ordinarius successor Papa Cœlestinus nos ad hanc Synodum misit.] Id nemo meliùs Augustino vidit, & confirmauit, vti supra commemorauimus, semper enim in Petro publicam pro tota Ecclesia personam agnouit. Eius autem rei idoneam rationem affert enarrat. 1. in psalm. 108. loquens de Iuda Iudæorum populum repræsentante. [Sicut enim, inquit, quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit. Ita Iudas quodammodo personam sustinet inimicorum Christi Iudæorum. Vbi obseruo Augustinum in Petro agnouisse, & primatum, & veram Ecclesiæ sustinuisse personam, quod de Iuda quodammodo dixit, vt innueret multum inter vtramque repræsentationem interesse. Cùm Iudas vmbratilis Iudæorum, Petrus solida, & germana Ecclesiæ persona repræsentando

exi-

existeret. Quod adhuc accuratiùs expressit tract. 124. in Ioan. post med. expendens illa verba Euangelij: [Dimitte nobis debita nostra, &c. Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa: cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus, idemque Apostolus. Sed quando ei dictum est, tibi dabo claues regni cœlorum, Vniuersalem significabat Ecclesiam.] Rectè omninò, nam ista repræsentatio Ecclesiæ supponebat in Petro dotes, & virtutes, quibus abundabat, & dona quibus cæteros antecedebat: ac ijs ipsis Ecclesiam significabat, vt sicut in eo erant, ita in Ecclesia essent futura. Et lib. de Agone Christiano cap. 30. [Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiæ claues regni cœlorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt. Et cùm ei dicitur ad omnes dicitur Amas me? pasce oues meas.] Non quòd singulis eodem modo, quo Petro concessa sint singula, sed pro varietate munerum, & personarum: quemadmodum postea nos idem Augustinus docebit. His enim locis non æqualitatem, sed perpetuitatem, & proportionem significat: alioqui omne regimen Ecclesiæ confunderetur, si omnia essent promiscua. Vnde ser. 33. de verbis Apost. cap. 2. [Respondit Petrus vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus.] Ecce vnitatem, videamus distinctionem, ac retentis muneribus proportionem. Serm. 13. de verb. Dom. cap. 1. [Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus sæpè vnus respondet pro omnibus.] En personæ, & muneris distinctionem cum vnitate in fide. Hæc communis, illud proprium, repræsentata Ecclesiæ fide, seruata dignitate. Clarius c. 2. [Idem ergo Petrus à petra cognominatus, beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens.] Vides ne vt Ecclesiæ publicam personam sustinens, propriam seruat prærogatiuam principatus? Ea nimirum erat figuræ conditio, vt quod futurum erat in Ecclesia significaret, cum autem in ea caput, & membra essent futura. Petrus, qui caput erat, quid capiti conueniret propriè, quid membris metaphoricè indicabat. Ita qui futuri erant in Ecclesia capita in Petro capite exprimebantur, qui membra in Petro fideli adumbrabantur.

Neque hoc acumini dandum est meo, aut in Augustinum affectui: sed studio veritatis. Ac vt id appareat audiamus Augustinum seruantem decorem dignitatis Petri, imposita communi fragilitatis fidelium persona. Loquens de pœnitentibus epist. 108. ad Selencianum sic ait. Quod autem dicitur Petrus egisse pœnitentiam, cauendum est, ne ita putetur egisse quomodo agunt in Ecclesia, qui pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat vt primum Apostolum inter tales pœnitentes numerandum putemus?

Itaque quod de Deo Adamum formante dixit Tertullianus: [Cogitasse Christum cum figurabat Adamum] id de Christo Petrum instituente Augustinus aptè ad Ecclesiam conuertit. [Eum in Petro formando Ecclesiam præformasse.]

Quascumque igitur prerogatiuas Petrus publicam principis, & capitis Ecclesiæ personam gerens à Christo accepit, & retinuit ipse, & ad successores transtulit. Inter eas vnam in primis fuisse auctoritatem in definiendo, & iudicando supremam, nemo inficias ierit, qui Sanctorum Patrum monumenta euoluat. Ac primùm id Pontifices ipsi Romani, qui proprij sunt, ac domestici testes fatentur; quibus non ideo abroganda est fides, quòd in causa propria testimonium reddunt, cum præterquamquod omnium consensus firmum sit argumentum veritatis, ipsi sanctissimi viri, & integerrimis moribus fuerint: ac nemo meliùs quid sibi liceat, quidue conueniat, quàm quibus ea est potestas tradita cognoscit. Equidem non video, cur minùs credamus Catholicis Pontificibus nostris, quàm Caluinistæ, & cæteri Heterodoxi Regibus, ac Principibus suis suam iurisdictionem, & auctoritatem affirmantibus credunt. Itaque ferant nos Pontificibus summis Petri successoribus, duce Scriptura, & traditione fidem adhibere, quando ij principibus suis ad astruendam pro libitu potestatem propriam, & vindicandam alienam credere volunt. Nec ego nunc de primatu dignitatis, sed de pondere auctoritatis (quæ meæ sunt partes) ago. Igitur Euaristus epist. 1. [Romanum Episcopum Caput vocat, ad quod in dubijs recurrendum est.] Id Anacletus antea, epist. 1. dixerat, & Alexander 1. & Sixtus 1. id Anicetus, id Eleutherius, id Victor in epistolis suis dixerunt. Zephyrinus epist. 1. ex loco Matth. 16. Romanæ Ecclesiæ auctoritatem probat, ad cæteras instruendas: & ad finem ait: [Memor enim sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes semper destruit errores.] Consentiunt Anterus ad Episcopos Beticos, & Fabianus epist. 1. 2. & 3. Cornelius epist. 46. inter epistolas Cypriani, & Lucius in epist. ad Occidentales. Sixtus II. epist. 1. Ac Dionysius epist. 2. ad Seuerum: [Ab initio, ait, tantam accepimus à B. Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem, auxiliante Domino, vniuersali Ecclesiæ subuenire.] Quod Felix epist. 1. confirmat, & Marcellus epist. 1. calculum addit. Adijcitque [nullam Synodum legitimè fieri posse sine Romanæ Sedis auctoritate.] Eusebius epist. 3. Marcus epist. ad Athanasium, & Episcopos Ægypti, & Iulius I. epist. ad Orientales, & Liberius in rescripto ad Athanasium, & Felix II. subscribunt. Id Damasus probat epist. 2. ad Episcopos Africæ, & Siricius epist. 1. ad Himerium. Illud præclarè iacit, [portamus onera omnium Ecclesiarum, imò in nobis portat Beatus Apostolus Petrus.] Nec minùs Anastasius ad Burgundicos, & Germanicos Episcopos. [Exigit, inquit, dilectio vestra ex auctoritate Sedis Apostolicæ vestris respondere consultis.] Sed nemo id sæpiùs, ac luculentiùs confirmat, quàm Innocentius I. tempore Augustini, quo maximè Ecclesiæ Romanæ auctoritas viguit summi huius Doctoris firmata oraculis, quæ paulò post afferemus, Itaque Innocentius epist. 1. ad Victri-

cium 2. ad Exuper. 3. ad Innocentium, 17. ad Arcadium 17. ad Episcopos Macedoniæ, 29. ad Decentium epist. 31. & 32. ad Concilium Carthaginense, & Mileuitanum Apostolicam auctoritatem asserit, & illustrat. Sequitur Zozimus epist. 1. ad Hesychium, & Bonifacius I. epist. 2. ad Episcopos Galliæ, & epist. 3. ad Hilarium, & Cœlestinus I. epist. 1. ad Episcopos Viennenses, & Narbonenses, & epist. 4. ad Ecclesiam Constantinop. & epist. 5. ad Nestorium. Qui deinceps successerunt à Leone I. Vsque ad Innocentium III. ab eo ad nostra vsque tempora magni profectò, & Auctores, & vindices huiusce auctoritatis Pontificiæ extiterunt. Quorumdam locos tantùm indico. Hilarij epist. 3. ad Ascanium. Gelasij I. epist. ad Episcopos Dardaniæ, & 6. ad Episcopos Lucaniæ, & epist. 10. ad Anastasium, & epist. 11. ad Dardanos, & in Commonit. ad Faustum, & in Decreto de Apocryphis scripturis. Anastasij II. in epist. ad Anastasium Augustum, & Symmachi in Apologet. contra eumdem, & Hormisdæ epist. 1. ad eumdem met Imperatorem, & epist. 22. & seqq. ad Iustinum Imperatorem. Bonifacij XI. in epist. ad Eulalium. Ioannis XI. epist. 2. ad Iustinianum. Vigilij epist. 1. c. 7. & epist. 4. ad vniuersum populum Dei. Pelagij I. in epist. 1. ad Vigilium, & epist. 3. & 5. Ioan. III, in ep. 3. ad Episcopos Germaniæ. Pelagij II. epist. 1. contra Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum. Honorij I. ad Eduinum Regem Anglorum, & Honorium Episcopum. Leonis II. epist. ad Episcopos Hispaniæ. Benedicti II. epist. ad Concilium Toletanum 14. Agathonis epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur in 6. Synodo. Adriani I. epist. ad Constantinum, & Irenen, quæ in 7. Synodo exhibetur: præcipuè parte 2. quæ in Vaticana Bibliotheca seruatur. Nicolai I. epist. 6. ad Phorium, & epist. 10. ad Episcopos Constantinopolitanæ Sedi subiectos, & 18. 20. & 30. Ioannes VIII. epist. 73. ad Lambertum. Leonis IX. in Apologia contra Michaelem, & Leonem, & epist. ad Petrum Antiochenum, & ad Constantinum Monachum Imperatorem. Gregorij VII. epist. 10. lib. 3. epist. ad Henricum Regem. Innocentij III. serm. 2. de consecratione Pontificis. Cæterorum recentioris memoriæ Pontificum locos adducere omitto, quòd de ijs nemo dubitat, quin auctoritatem sibi eam tamquam Romanæ Sedis propriam vendicarint, ac eam sæpè exercuerint. Qui scire id exactiùs velit, Sacrorum Canonum, & Constitutionum, & Bullarum libros euoluat.

Delecta certorum Pontificum antiquiorum testimonia operæ pretium erit adducere. Ac primum Leo I. hanc auctoritatis in doctrinam prærogatiuam egregiè asserit, & confirmat. Ita epist. 4. Pastorem se vniuersalem totius Ecclesiæ agnoscit: [Diuinis, inquit, præceptis, & Apostolicis monitis incitamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.] Idem inculcat epist. 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonic. & 89. ad Episcopos Viennensis Prouinciæ, & luculenter admodum in sermonibus de assumptione sua, præsertim 3. Sed duo maximè loci notandi. Alter in epist. 47. ad Synodum Chalcedonensem, in qua cùm dixisset: Ex voluntate Imperatoris indictum esse Concilium], ait: Beatissimi Petri Apostoli iure, atque honore seruato.] Quod summum erat, nec ei poterat derogari. Et infra cuiusmodi illud sit ostendit, declarans se in ea vniuersali Synodo per suos vicarios præsidere.] Aptissima item sunt epist. 53. & 54. & 55. Sed illud in hac vltima ad Pulcheriam Augustam pulcherrimum ad Pontificiam auctoritatem circa res fidei commendandam. [Consensiones Episcoporum, Sanctorum Canonum in Nicæna Synodo conditorum regulis repugnantes vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri generali prorsus definitione cassamus.] En à quo auctoritatem ad rem tantam, tamque grauem circa doctrinam Leo acceperit, id est, à primo, ac principe Ecclesiæ Petro, qui eam per aliorum sibi succedentium Pontificum manus ad Leonem inuiolabili iure transmiserat. Suffragatur haud multùm à Leone tempore dissitus, vno tantùm interposito Hilario Sardo, Romanus Pontifex, Simplicius Tiburtinus, epist. 1. & 3. ad Zenonem Imperatorem; in qua sic [perstat in successoribus suis, (id est, ipsius Petri) hæc & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ouilis iniunxit. Et epist. 3. ad Acarium. Quia sanctę memoriæ prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, nouis assertionibus non indiget edoceri.] Eiusdem modi habet epist. 9. & 13. ad Zenonem Augustum. Tertius se addit Comes Gregorius Magnus, ingens suo nomine pondus trahens.

Nemo solidiùs, nemo euidentiùs, nemo copiosiùs de Pontificia auctoritate tractauit. Vbique occurrunt exempla, sed quosdam illustriorum locos designabo. Epist. 24. & 71. & lib. 2. Indict. p. 11. epist. 7. & lib. 4. Epist. epist. 54. & lib. 7. Epist. epist. 125. & super 5. Psal. Pœnitent. & Homil. 21. in Euang. & alibi sæpè. Pauca in rem profero lib. 6. indict. 15. cap. 37. alias 201. ait: [Quis est, qui nesciat Sanctam Ecclesiam, in Apostolorum principis soliditate firmatam? & lib. 7. epist. 123. Quæ semel Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt nil egent firmitatis.] Ita duobus hisce locis Petri, & successorum vnam, & eamdem esse firmitatem, & auctoritatem comprobauit.

Hæc testimonia suspecta videri non debent, imò si rectè calculum ponamus, iusta, & idonea, quod propter Heterodoxos dico, qui infirmant. Nam ijs ego illud impingo. Cùm historiam Regum suorum scribunt, eò sibi maiorem fidem conciliant, quòd præmonent, se Regia Tabularia, & Autographa in ijs seruata consuluisse, perinde ac plus fidei mereantur, cùm tamen ipsorum Regum mandara, & scripta, & quædam ab ipsis, & confecta, & obsignata sint. Quòd si quis illarum Chartarum auctoritatem eleuet, succensent, & ferre non possunt. Qua fronte igitur tot Pontificum Sanctissimorum testimonia ex arcanis veterum tabulariorum visceribus deprompta impugnant, & irrident, cùm præsertim ab ipsis sint Auctoribus partim scripta, partim dictata. Omnia certè bona fide publici iuris facta. Si fidem habui volunt Diplomaris Regum ijsque tamquam incorruptis testimonijs

vtun-

vtuntur, cur quæso eleuant auctoritatem summorum pontificum in chartis illis Virginibus illibata fide custoditis clausam? Igitur, aut credant nostra, aut non credant suis: nec velint religiosiores erga Regum suorum diplomata, quàm erga pontificia decreta: cùm nec illi Reges illos priscos, nisi fama, & traditione nouerint, quorum venerantur monumenta. Pergo. Huiusmodi supremam, quæ in Petro fuit auctoritatem in pontificibus Sedis Romanæ mansisse Conciliorum calculis confirmemus. Generalibus maximum pondus inest. Horum primum produco. Nicænum can. 2. [sic Episcopi in grauioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad Matrem confugiant.] Quæ Mater est vbera habet; vt alat Infantes. An non id Petri proprium, cui dicitur [Pasce Oues meas,] qui dicit. Quasi modò geniti infantes sine dolo lac concupiscite?] At non ea sub Petro tum, sed sub Iulio Primo Mater erat. Et can. 39. in Canonibus ex Græco, & Arabico translatis: [Ille, qui tenet Sedem Romæ Caput est, princeps omnium patriarcharum, quandoquidem ipse est primus: sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi sit super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam christianam.] Igitur quicumque Petro succedit: Sicut Petrus Vicarius est Christi; atque adeò vice Christi, qui veritas est, veritatis est assertor, & promulgator: etsi Author esse non possit. Concilium Ephesinum sic Epist. ad Cœlestinum tom.4.Synodi cap.17. [Est enim vobis in more positum, vt in omnibus celebres sitis, studiaque vestra solida Ecclesiarum firmamenta constituatis. A firma, solida petra Petro, firmamenta solida Summi Pontifices appellantur. Clariùs, & luculentiùs Chalcedonense Concilium Leoni I. Magno testimonium reddidit. Act. 2. lectis Leonis literis, Patres vnanimi omnes consensu congregati dixerunt: [Ita credimus. Petrus per Leonem ita locutus est.] Et in fine action. 15. à Fratre Laurentio Surio relatæ de eodem Leone. [Alia omnia ab eo definita teneantur tamquam à Vicario Apostolici Throni.] Et supra dixerat: [secundùm claues à Domino definitas,] quæ ex D.Thoma Surius citat. Octaua Synodus Sedes Romana vocatur, [Sedes Petri principis Apostolorum.] Ita definitum à Concilio Florentino in literis vnionis: & à Tridentino sess.6.cap.1. Et quidem de auctoritate doctrinæ agebant. Hanc statuunt Concilium Romanum 1. sub Syluestro: & Romanum 3. & 4. sub Symmacho, & Concilium 4. Aurelianense cap.1. & Carthaginense, & Mileuitanum sub Innocentio 1. & Africanum sub Bonifacio cap. 35. Idem Turonicum 2. cap. 21. Bracharense 1. cap. 18. 22. 23. Toletanum 1. in assert. fidei, & 3. can. 1. sub Pelagio 2. Ex quo apparet hanc Petri prærogatiuam ad successores cum dignitate pariter transiisse.

Id verò aliis fortissimis argumentis confirmatur.

Primum esto ab ipsa regum institutione petitum, quod supra tetigi. Nam quæcumque sibi Respublica Reges constituit, etsi vnum hominem singularem creauerit, eo ipso tamen voluit, vt ad sequentes Reges eadem dignitas, & potestas Regia perueniret: imò & ipsi eam Reges iure suo, vti quisque succederet, vindicabat. Ita Iudices primùm apud Hebræos, ita Reges deinde, nec tantùm ij, qui iure hæreditario, & sanguinis, vti Reges Iudæ, sed etiam, qui aut electionis iudicio, aut vi armorum Regnum vindicabant, vti Israel. Ita Duces postea, vsque ad Hyrcanum in sacris literis Rempub. gesserunt. Hac ratione Romæ Reges, Consules, Imperatores, pari accepta, & tradita potestate imperarunt. Id omnes populi ex quo cœpti sunt ab vno, vel pluribus regi rem altè repetendo euenisse comperirent. Fuerunt sanè, qui ambigerent. An quis iure occupasset imperium: nemo tamen, qui semel rectè, & ritè capesseret, de eo, an integram potestatem accepisset, dubitauit.

Secundum esto à Summorum Pontificum institutione, ac serie deductum. Ex quo enim Aaron inauguratus est Pontifex: dum ea floruit Respub. ad Hyrcanum, imò & ad Caipham, & Ananiam. Par omnium, qui sunt deinceps instituti Pontifices dignitas fuit. Hæc verò non nuda, sed suis ornata prærogatiuis per manus est succedentium transmissa. Nec enim solùm in familia Eleazar, vsque ad Ozi Abnepotem, sed & in Familia Ithamar, quæ in Abiathar abnepotem Heli desijt, integra, & illibata dignitas viguit. Quæ etiam tempore Regum ad captiuitatem vsque Babylonicam ad Eleazari rursum reuocata posteros, per tresdecim (tot enim sunt) à Sadoc ad Saraiam Pontifices perdurauit. Post captiuitatem, libertate Iudæis, & patria restituta, iterum Pontificia dignitas reuixit, & ad Machabæorum vsque ætatem à Iosue Iosedeci Filio ad Ioannem Hyrcanum Simonis Filium duorum supra viginti Pontificum series est perducta. Postea etsi concisa, & malis artibus, quod iam antea ter acciderat, contaminata, non ideò tamen gradu cecidit, sed in eo stetit, & suam prærogatiuam retinuit. Nam nisi retineret Caiphas Pontifex non prophetaret, nec Paulus Ananiam, cui maledixerat dolens reuereretur. Qua de re proxima quæstione dicemus. Nunc satis est ex huiusmodi exemplo colligere: quod Synagogæ concessum fuit, id Romanæ Ecclesiæ non negandum: cùm ea sit vnica Columba, & sponsa Christi, cum quo vnum corpus efficit, & fide coniuncta, & amore copulata.


Tertium est ab ipsa experientia sumptum. Videmus enim quam firmitatem Christus Petro, ac in eo Ecclesiæ suæ promiserat, eam in Romana Sede, eiusque Episcopis impletam. Si enim oculorum aciem ad reliquas, quæ principes habitæ, & Patriarchales Ecclesiæ, conuertamus, perspiciemus omnes vnam post aliam corruisse; Nullamque earum præter Romanam hodie superesse. Sanè Hierosolymitana Ecclesia, haud ita multò post Christi mortem grassante ferro cum ipsa est vrbe euersa. Antiochena, & Alexandrina diutiùs, sed non multis sæculis manserunt. Constantinopolitana, vti Roma altera, longius, latiusque floruit. Sed tandem desijt, & à Bonifacio IV. cum Hierosolymi-

tana restituta vigere tamen diù non potuit. Sola Romana super petram fundata perstitit immobilis, nec vllis fuit vnquam machinis expugnata. Imò ea paulatim crescens magnitudine sua compleuit Orbem, & quod Romanum, sibi vendicauit Imperium, obtinuit, vt ijsdem, quibus sol spatijs, regiones illa terminaret suas, & illud in eam principis Poetæ, an Vatis, quadraret.

En huius Petri auspicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.
Totumque vna sibi muro circumdabit Orbem.
Antiquæ fidei.

Nec alio sępiùs Patres aduersùs Heterodoxos, ac vehementiùs vtuntur argumento, quàm isto perpetuæ firmitatis, & successionis in Romana Sede Episcoporum continenti serie ad fidei vinculum aptè deductorum: quemadmodum quæstione proxima videbimus. Itaque Diuino consilio prouidit Deus vt in Romana Ecclesia tamquam aurea catena è cœlo ad nos demissa, Homerica meliore, iam indè à Petro post vincula, perpetua pontificum instar anullorum, sibi nexorum,& cohærentium series ad nostra vsque tempora perueniret. Similitudine eò libentiùs vtor, quòd video rem continere. Nam in vinculis Petri illud, haud temerè obseruo. Cùm Eudocia Imperatrix Hierosolymitanam catenam Romam ad pontificem misisset: isque eam cum Romana contulisset, subito sibi hæsisse, & vnam ex duabus extitisse. Perindè, ac potestas ligandi Petro à Christo data in Iudæa, cum Romana ita connecteretur, vt in vnam coaluisset. Vndè S. Petri ad Vincula Romæ solemnitas, & Ecclesia constituta.

Quartum etsi prophanum quiddam contineat, aptum videtur, & nobile argumentum. Singuli quique Sectarum philosophicarum auctores, cùm eas instituissent, scholas erexerunt, in quibus discipulos erudirent, qui sibi succederent, & quam acceperant doctrinam continuarent, ne interirent, sed in posterum perennarent. Et primùm Pythagoras in Italia, vt Italicam: id postea Plato Atheuis in Academia, vt Academicam: id deinceps Aristoteles in Lyceo, vt Peripateticam: Id Zeno in Porticu, vt Stoicam: id Epicurus in Hortis, vt Epicuream conseruaret: delectis præstantibus ex discipulorum numero præceptoribus egerunt, nè sui nominis memoria, & documenta sectæ intercciderent, cùm omnes illæ vmbratiles essent, & fucatæ, quædam etiam futiles, aliquæ à recta ratione, & libero homine alienæ. Quòd si ij tanto studio, & solicitudine id curarunt, quomodo Christus vera Patris Sapientia, & germanæ, ac solidæ doctrinæ auctor, cùm Ecclesiam suam institueret, & in ea cathedram locasset, soli Petro regendam traderet: nec quicquam de successoribus inposterum cogitaret? Cum præsertim ea, quam docuit fide, ac iuxta eam viuendi ratione salus æterna hominum niteretur. Pudeat Heterodoxos, quorum nonnulli ingenio, & scientia valent, Sectarum gymnasia Dei Ecclesiæ anteponere: negare erubescant à Christo minorem habitam esse firmitatis Ecclesiæ suæ, quàm à prophanis illis philosophis Sectarum suarum habita fuerit, rationem, cùm turpe sit, ac ineptum dicere miseros mortales, fragiles, & caducos, de immortalitate scholarum suarum cogitasse: Christum verò Æternum Dei Filium hanc de Ecclesia sua stabilienda curam abiecisse. Maneat igitur Christum Dominum, ita Petrum Ecclesiæ catholicæ caput, & principem instituisse, vt vellet post eum successores fore, qui Petri personam sustinerent, eademque dignitate, & auctoritate fruerentur: & in quibus eadem fidei firmitas, & doctrinæ puritas remaneret.



QVÆ-



QVÆSTIO SECVNDA.

De Infallibilitate Auctoritatis Pontificiæ.

ARTICVLVS I.

Pontificum successio, & vnius in ijs, & cum ijs doctrinæ consensio auctoritatem confirmat.



CVm Ecclesia Christi vnum ac Virgineum Corpus sit, vna item sit oportet & fides, & doctrina, qua membra nectantur, & in vnum Corpus coalescant. Necesse autem est, vt hoc corpus suum caput habeat; quod cùm eminet dignitate, nexu fidei cętera membra contineat, & iustum cum ijs corpus efficiat. A quo, qui dissiliat intra Ecclesiam esse non possit. Itaque ex communione Vnitatis argumentum sumitur, vt qui scire velit, An sit in Corpore Christi, is omnino tenere debeat, An cum eodem in fide, doctrinaque concordet. Vnde item sequitur, si vna, & Incorrupta est fides, in quo ea corpore fuerit, puram, & illibatam esse, nec posse aliqua ratione corrumpi.

Igitur si probem fidem Catholicam ex communione cum Romana Ecclesia, & hanc ex perpetua in ea pontificum successione firmari, efficiam, vt appareat, & pontificum fidem, & auctoritatem numquam defecisse. Nil itaque frequentiùs occurrit in Patribus, quàm istud ex successione in Romanam Cathedram pontificum pro vnitate, ac firmitate fidei argumentum: quod sanè firmum non esset, si ij in rebus fidei errare, fallique potuissent. Quid enim quæso interesset ad probandam Catholicæ Ecclesiæ veritatem series illa continuata pontificum, nisi ij non magis inter se connexi, quàm in fide concordes extitissent: non enim, opinor, loci, & numeri, sed sensus, & doctrinæ ratio habetur. Quare cùm Petri fides, & auctoritas, quemadmodum ante ostendimus fuerit firma, & infallibilis, quia erat eius Ecclesiæ Caput, & pastor, quæ oues omnium fidelium continebat: ita & qui Petro eo in munere successerunt, similem cum Cathedra, & potestate fidem, & auctoritatem habuerunt, ac de singulis intelligitur illud Christi à nobis supra adductum, & explicatum. [Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos.] Incipiamus à Martyre, quem Augustinus gloriosissimum vocare solet, Cypriano. Is epist. 40. circa medium. [Vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata.] En fundamentum; Successionem Irenæus auspicetur, lib. 3. contra hæreses capit. 3. [Quoniam longum est omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per Successionem episcoporum peruenientem vsque ad nos iudicantes, omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam: hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.] Ecce successio, & in successione traditio eiusdem fidei à Petro acceptæ, & à Paulo confirmatæ. Quæ si in quoquam pontifice defecisset, non constaret successionis argumentum. At valet illud, quia teste Ruffino in principio Exposit. Symboli. [Neque hæresis vlla illic sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus.] Idcirco ad Donatistas Augustinus in psalmo contra partem Donati. [Dolor est ait, cùm vos videmus præcisos ita iacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo patrum quis, cui successit videre. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.] Successores Petri pontifices Romanos iubet inspici, & in eos intuendo fidem Petri agnoscere à petra ductam, & in successoribus conseruatam. Quare optimè Tertullianus lib. de prescript. cap. 36. [Habes, inquit, Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Statu felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.] Successionem autem pontificum Romæ, quam sedem auctoritatis esse vult, proponit lib. 5. contra Marcionem, vbi loquens de Apostolorum discipulis, qui Successere per Orbem, pergie Romanos à Petro pontifices numerare.

Ex quibus electum magnum, plebique probatum
Hac Cathedra Petrus, qua sederat ipse locatum

Ma-

Maxima Roma Linum primum considere iussit.

& vsque ad Telesphotum decurrit: & addit

Constabat pietate vigens Ecclesia Roma Composita à Petro, cuius successor, & ipse Iamque loco nono Cathedram suscepit Hyginus.

Et alios deinde recenset. Libro de prescription. Eleutherij mentionem facit: [Et Doctrinam Ecclesiæ Romanensis Catholicam dicit.] Eamdem successionem sæpè inculcat Optatus Mileuitanus contra Parmenianum Donatistam. Vnum locum lib. 2. dabo. [Videndum est, qui, & vbi prior Cathedra sederit.] Tum infra, [Negare non potes scire te in vrbe Roma Petro primùm Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, in qua vna Cathedra Vnitas ab omnibus seruaretur.] Quomodo autem seruaretur Vnitas, si quis pontificum à fide defecisset? Nemo itaque disiunctus, & auulsus. Vnde sequitur: [Ergo Cathedra Vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus,] & deinceps vsque ad Siricium Concinit ex Græcorum Choro Epiphanius: qui cùm in Anchorato dicat Petrum, & petram firmissimam esse, & Fundamentum Romanæ Ecclesiæ firmum iecisse: Hæresi 27. circa finem seriem Romanorum Pontificum accuratè refert, & ex ea successionem Doctrinæ deducit, subditque. [Ne quis miretur, quòd singularia ita exactè recensemus, per hæc enim semper claritas ostenditur.] Lumina igitur sint oportet omnia, ex quibus claritas existit. Occinit Hieronymus lib de scriptor. Ecclesiast. pontificum seriè euoluta. Eodem argumento vtuntur pontifices ipsi, cùm auctoritatem suam vindicare, & doctrinam confirmare volunt. Ita Anicetus epistol. vnica. Eleuther. cap. 6. Victor epist. 1. ad Theophylum. Zephyrinus epistol. 1. Anterus epist. ad episcopos Bætic. & Toletan. Fabianus epist. 1. Sixtus II. epist. 1. Melchiades epist. ad episcopos Hispaniæ. Innocentius I. epist. 31. & 32. ad Concilia Carthagin. & Mileuit. Zozimus ad Helichium. Bonifacius ad Hilarium, & ad episcopos Galliæ. Cælestinus 1. epistol. 4. ad Constantinopolit. Ecclesiam, Leo Papa Sermonibus de Assumpt. sua. Simplicius epist. 1. ad Zenonem Episcopum, & epist. 3. ad Zenonem Imperatorem. Et epist. 5. ad Acatium: alijque penè omnes. Quibus id propositum est, vt ex successione in Cathedram auctoritatem, & Doctrinam suam probent, & vindicent: quòd ea non posset colligatio euerti Christi verborum nexu copulata.

Nemo tamen hoc argumentum copiosiùs versauit Augustino aduersùs Donatistas, Nouatorum Patriarchas, disputans: quos omnes tam accuratè, exactèque confutat, vt præsentes oculis vidisse, futuros mente præuidisse, & in eos, quæ tum iaciebat tela destinasse animo videatur: quod obseruant quotquot fermè contra Nouatores pro Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ veritate, ac dignitate pugnant. Ex quibus vir grauissimus Maldonatus sic capit. 13. Matthæi num. 47. [Soleo dicere Diuum Augustinum nullum hæreticorum genus tam strenuè, atque Donatistas refutasse, & illos tot libros, quot aduersùs illos composuit, non tam contra illos, quàm contra longè post futuros Lutheranos, & Caluinistas composuisse: tantum opus esse, vt qui eos legit pro Donatistarum, Caluinistarum, & Lutheranorum nomen ponat.] Id ego sum legendo expertus. Nolo autem omnes locos commemorare, nam infinitum id esset. Seligo, qui loco hæreant, & causam maximè, remque contineant. Igitur omisso loco psalmi contra partem Donati, de quo supra, in lib. 2. contra literas Petiliani cap. 51. vrgens hæreticum: [Cathedra quid, inquit, tibi fecit Romana? In qua Petrus sedit, in qua nunc Anastasius sedet.] Et epist. ad Generosum 165. [Si ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiam figuram gerenti Dominus ait, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Et portæ inferi non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, &c.] Id ipsum versat lib. 1. cont. epist. Parmen. cap. 5. & lib. 28. contra Faustum, capit. 2. In lib. item contra epistolam Fundamenti cap. 4. magnum apud ipsum pondus habet. [Ab ipsa sede Petri, cui pascendas Oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit vsque ad præsentem episcopatum successio Sacerdotum.] Eamdem firmat lib. de vtilitate credendi cap. 17. Fatetur Augustinus se hoc ad fidei doctrinam sustinendam magnopere argumento moueri: quod ad confirmandam infallibilem pontificum auctoritatem me quoque maximè mouet. Nam nisi omnium vna, & certa fides esset, nullius esset illa successionis series momenti ad Ecclesiæ Romanæ Doctrinam asserendam: neque tantopere communio cum ea Sede cæteris commendaretur. Signum igitur est: diuinum in ea Sede aliquid residere, quod occultè inspiret quid ad Vniuersæ Ecclesiæ doctrinam, & Regimen pertineat. Itaque in illa continenti pontificum seriè Traditio Disciplinarum fundatur. Hanc verò demonstrare in Romana Sede pergamus.

Testis locuples esto Hieronymus epistola 57. ad Damasum. [Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra domum hanc agnum comederit prophanus est.] Et in Apologet. contra Ruffinum lib. 1. [Fidem suam, quam vocat? Eam ne qua Romana pollet Ecclesia? An illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam respondet. Ergo Catholici sumus.] Perinde est esse Romanum, & esse Catholicum. Nam Eusebius Papa. [Hæc, quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio.] Obserua illud extra maculam. Est enim Ecclesia tota pulchra, in qua non est macula.] Inesset autem, si quis pontifex ipsius Caput errore esset aliquo macula-

culatum. Aurum est Optimum Caput illud, dum caput est; ac vti ad totum, & publicum Corpus pertinet nullis sordibus inquinandum. In quam mentem Gelasius ore aureo epist. ad Anastasium Augustum. [Hoc est, quod Sedes Apostolica magnoperè cauet, vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione maculatum. Nam si, quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proueniret, vnde cuiquam resistere auderemus errori, vel vnde correctionem errantibus præberemus?] Consentit Ambrosius lib. de obitu fratris Satyri versus finem de quo ait, [Aduocauit ad se episcopum, neque vllam veram putauit, nisi veræ fidei, gratiam, percunctatus quæ ex eo est: Vtrùm ea cum episcopis Catholicis, id est, cum Romana Ecclesia conueniret.] Lib. autem 1. epistol. 4. ad Imperatores epistol. 1. ita scribit. [Totius Orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam, atque illam Sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari fineret obseruanda foret Clementia Vestra: inde enim in omnes communionis iura dimanant.] Idem confirmat Serm. 2. de Sanctis, qui est de Cathedra Petri: & Serm. 16 qui est secundus de Petro, & Paulo, in quo de Romanæ Ecclesiæ firmitate in fide loquitur.

Quæ si in aliquo nutaret pontifice infirmum esset fundamentum: & Ædificij moles laboraret, saltem non esset ea communio certa, constansque. Id Theodoreti testimonio confirmo. Epist. ad Leonem Papam. Eam (id est Romanam Ecclesiam (insigniter exornat fides, & fide dignus testis Diuinus Apostolus, qui clamat. Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.] Et epist. ad Renatum Presbyterum Romanum, quam grauissimi authores citant. [Tenet Sancta ista fides gubernacula regendarum cuncti Orbis Ecclesiarum, cùm propter alia, tùm quia semper hæretici fœtoris expers permansit.] Nemo igitur non Pontifex Christi bonus odor, fuit cùm pastoris, & capitis Ecclesiæ personam sustinuit. Ita idem censet Theodoretus de Leone æquali suo Romæ sedente in eadem ad ipsum iusta epist. Cum enim dixisset. [Vobis per omnia primos esse conuenit: vestra enim sedes est omnium maxima, & præclarissima, & quæ præest Orbi terrarum.] Illata mentione Petri, & Pauli addit in rem nostram: [Illorum autem Deus, nunc quoque sedem claram, insignemque reddidit, cùm vestram Sanctitatem in ea collocauerit, quæ radios fidei orthodoxæ emittit.] Expertem illam Cathedram esse errorum docet antiquus Pater Cyprianus epist. 55. ad Cornelium papam. [Romanorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.] Id vrget ex communione cum Papa Romano. Ait enim epist. 76. ad Magnum. [Ecclesia vna est, quæ vna, & intus, & foris esse non potest.] Colligit autem. [Si apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit: si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano legitima ordinatione successit, Nouatianus in Ecclesia non est.] Non solùm excludit Nouatianum, quòd cum Cornelio, & Fabiano Romanis Pontificibus non sit; sed hos Catholicos supponit esse, quòd in Romanam sint sedem admissi: qua si ea sedes nonnisi Catholicos admitteret, ac de ipsis nemo, quin tales essent, dubitare posset. Hinc est, vt decreta, seu dogmata à pontificibus edita oracula duxerint Episcopi Tarraconensis Prouinciæ epist. 2. ad Hilarium Papam. [Proinde nos, inquiunt, Deum in nobis primitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur.] Totum dixit, ne quid ex ijs sibi error, falsitasue decerperet. Ex integro sanum, & firmum est, quicquid ex eorum cortina solemni formula recitatur. Id Beda venerabilis Angliæ Augustinus, Heroicis illis temporibus nouit, & prædicauit lib. 3. de histor. Angl. cap. 26. in fine ore Wilfridi. [Si audita decreta Sedis Apostolicæ: imò vniuersalis Ecclesiæ, & hæc literis sacris confirmata sequi contemnitis, absq; vlla dubietate peccatis. Idem omnino in Gallia Bernardus, quod in Anglia Beda sensit, & maiore adhuc vi protulit. Ita enim epist. 109. ad Innocentium, in qua eius authoritatem aduersùs nouam tunc surgentem hæresim implorat, oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm sarciri damna fidei [Vbi non possit fides sentire defectum.] Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est. [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ergo, quod sequitur à successore exigitur, & tu aliquando confirma fratres tuos.] Disertè disertissimus Doctor ait, deficere Pontificum Romanorum fidem non posse: eamque virtutem Cathedræ inesse. Quare, qui in eam successerunt, & ex ea sunt locuti, omnino ob Christi Priuilegium vera dixerunt. Hoc Anselmus, quoque lib. de Incarnat. ad Vrbanum Pontificem testatur scribens cap. 1. [Quoniam Diuina Prouidentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra fidem Catholicam oritur in Ecclesia, vt eius authoritate corrigatur.] Non tamen hìc quàm rationem obseruo; statuit, qui Ecclesiam pontifex regat, eum, quòd illius sit Rector authoritatem ad errores corrigendos habere. Hac ducti, & veteres, & noui Catholici scriptores, qui in quamcumque ætatem incidissent, quemcumque nacti essent Papam, ei eamdem fidei firmitatem, authoritatemq; tribuebant: donec aliter Luthero Boram subauti visum. At quis purissimam Ecclesiam, nisi sordidissimus contaminaret? Et tamen sunt, quos non pudeat Authorem sequi, cuius ne nomen quidem sine rubore proferri potest. Ego sanè possem catenam authorum id sentientium, quemadmodum pontificum succedentium, deducere, & vnam alteri conferre, & nectere, quæ ego quidem pluris facio vincula, quàm Heterodoxi libertatem; qui sciam proprium esse fidei [Captiuare intellectum in obsequium;] non soluere in audaciam. Itaque nos gratia liberat, sed captiuat fides.

Adijcio vltimum calculum iudicio Augustini. Hic successione pontificum præci-

puè

pnè vritur, & in illa multorum ferie vnius veritatis consensionem agnoscit: soletque praeiudicio eius, qui antecessit, alterius qui successit iudicium confirmare. Ita lib. 2. de Grat. Christi, & peccato originali commemorans Pelagij, & Celestij damnationem, probat Sententiam Zozimi successoris Innocentij, ex eiusdemmet Innocentij lata ante sententia, ac ex vtriusque inter se consensione demoustrat, nec posteriorem à priori dissentire, nec vtrumque consentientem errare potuisse: imò & Papa ipse Zozimus credidit tantum momenti esse in Praedecessoris sui iudicio, vt eo vsus fuerit ad conuincendum confutandumque Celestium. Audiamus Augustinum cap. 7. [Hanc eius Celestij praelocutionem venerabilis Papa Zozimus tenens egit cum homine, quem falsae doctrinae ventus inflauerat, vt ea, quae illi à Diacono Paulino fuerant obiecta, damnaret, atque, vt Sedis Apostolicae literis, quae à sanctae memoriae suo praedecessore manauerant, praeberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare, sed Beati Papae Innocentij literis non est ausus obsistere: imò se omnia, quae sedes illa damnaret damnaturum esse promisit.] Plura praestitit, quàm ego promisi Augustinus, cùm apud eum, vel damnatus Celestius Romani Episcopi Papae iudicio ita se submiserit, vt contradicere non auderet; eiusque sententiam non vnius hominis, sed Romanae Sedis esse putaret. Nondum haeretici pudorem abiecerant; sed nostri, & frontem quoque deposuerunt: & cùm corpori curando studeant, honestissimam eius partem praeciderunt. Pergit Augustinus cap. 8. idem in damnato Pelagio monstrare. [Pelagius, inquit, fefellit iudicium Palestinum in Concilio: Romanam verò Ecclesiam fallere, vsquequaque non potuit.] Recoluit enim Beatissimus Papa Zozimus quid imitandus Praecessor eius de ipsis senserit gestis.] Et adducta cap. 9. Epistolae Innocentij ait: [Videtis in his verbis quemadmodum Papa Beatissimus Innocentius non tamquam de incognito loqui videatur? Videtis qualem tulerit de illius purgatione sententiam? Videtis quid successor eius Sanctus Papa Zozimus recolere debuerit, sicut recoluit, vt in eo sui praedecessoris iudicium remota cunctatione firmaret.]

Illustrior adhuc est lib. 2. ad Bonifacium Augustini eamdem damnationem refricantis locus. Etenim Bonifacio, qui Zozimo successerat, rem vti gesta erat exponens, quae dixerat de consensu duorum Pontificum Innocentij, & Zozimi rursum confirmat. cap. 3. & 4. Ac illud inter alia praeclarè. [Cùm literis venerabilis Innocentij de Paruulis, nisi baptizarentur in Christo in aeterna morte mansuris (de quo erat controuersia) Catholicae fidei ɩlateret antiquitas, profectò Ecclesiae Romanae praeuaricator potiùs esset quicumque ab illa sententia deuiasset, quod Deo propitio. &c.] Caeterùm illis in capitibus probat non potuisse inter se illos duos Pontifices in Romana sedentes Cathedra dissidere: perinde ac ea in Cathedra vis quaedam diuinitùs infusa consisteret. Hanc recognoneras multò antea Augustinus in Concilio Mileuitano scribens ad Innocentium, sic enim orditur: [Quia te Dominus Gratiae suae praecipuè munere in Sede Apostolica collocauit, &c.] Imò & Innocentius à Patribus Carthaginensis Concilij consultus id prorsus confirmat: [Scientes quid Apostolicae Sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis huius emersit. Quem sequentes, &c.] Idcirco Augustinus Donatistas hortabatur, vt ad Episcopos Romanae Sedis oculos conuerterent, ac in eorum successione fidei, quoque consentientem obseruarent: causa item commemorata, vnde existeret vera, & certa consensio: [Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede. Et in ordine illo Patrum, quis cui successit videte. Ipsa est Petra.] Hinc origo, & fons successionis, & firmitatis, & authoritatis. Omnium in ea sedentium vna mens, vna fides, vna consensio. Nam nisi esset vna Petra non esset, sed in multos dissentiendo lapides dissiliret. Augustinum imitatur fidus discipulus Prosper: de iisdem Pontificibus Innocentio, & Zozimo, ac in eadem causa loquens, & eamdem rationem inculcans. Contra Collat. cap. 10. & cap. 41. Coronidem Articulo Tertulliani sententia impono, lib. de Praescriptionibus cap. 28. [Caeterùm quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo dicere aliquis illos errasse, qui tradiderunt.

ARTICVLVS II.

Conciliorum Decreta Authoritatem Pontificum, approbationemque desiderant.

NIhil est in Ecclesia grauius, nihil firmius, nihil Sacratius, secundùm Scripturas Canonicas, quàm Concilia, tùm apud vniuersos Oecumenica, tùm apud priuatos Prouincialia. Adeo vt vel ipsi haeretici, qui omnem penè authoritatem arbitrio suo suspendunt, & priuato spiritui ipsum Dei Verbum subijciunt, Concilia plerumque suspiciant eorumque decreta venerentur. Imò & suis se Synodis, ac Conciliabulis aduersùs iusta, legitimaque Concilia tueantur. Quare si constet, ipsa haec, quae tantopere commendantur Concilia, pontificum authoritati fauere, ea planè perspecta, & explorata esse debet. Nec ego non id in quaestionem voco: Vtrùm sit supra alterum? & vtrùm emineat Papa ne? an Concilium? ab ea quippe abstineundum; quòd nonsit ad id, quod suscipimus probandum, necessarium.

Primùm igitur statuendum: tantam esse Pontificis in Concilia authoritatem, vt quod, praeter pontificis authoritatem institutum sit, & ab eo confirmatum non sit, non sit iustum ratumue Concilium. Ita Damasus Papa definit in epist. ad Stephanum Archiepiscopum, & tria Concilia Africana in epist. ad eumdem Damasum. Fatentur ipsamet Concilia, septima Synodus. Actione 6. tom. 1. octaua Synodus actione 1. & 7. Synodus Romana sub Symmacho. 96. dist. c. Benè, & Synodus 90. Episcoporum sub Damaso, histor. tripart. cap. 29. Concilium Lateranense sub Leone 10. Sess. 11. vbi hoc ipsum dicitur in Synodo Alexandrina definitum. Hanc esse Niceni Concilij con-

constitutionem dixit Iulius XI. in epist. ad Orientales, altiùsque ascendens Marcellus in epist. ad Antiochenes ait Apostolorum eam sanctionem fuisse. Socrates lib. 4. hist. Trip. cap. 9. tradit Regulam Ecclesiasticam iubere, vt Concilia inconsulto, inuitoque pontifice minimè celebrentur. Id ipsum ostendit Gratianus decima septima dist. cap. Regula, & cap. Multis. Sed ad expressa testimonia veniamus. Concilium Nicenum lib. 3. Canonum, iuxta Iulium, 1. Epist. 2. Can. 1.] Non debent, inquit, præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.] Et quoad confirmationem doctrinæ extat epist. Synodi ad Siluestrum Papam, in qua illustris quædam fax est. [Quicquid constituimus precamur, vt vestri oris consortio confirmetur.] Quibus ita precantibus, respondet Siluester: [Confirmo, sigoque ad doctrinam vestram reclamantes de vnitate Trinitaris.] Et paulò post. [Probo vera fuisse, quæ in vestrum, nostrumque manauere mysterium. Quanta oportuit esse auctoritas pontificis tanto Concilio robur addentis? Sanè ex diuinis fontibus haustum, quod in eos Patres viua Ecclesiæ flumina redundauit. Concilium Ephesinum summam in Romano Pontifice auctoritatem, & in statuendis, & confirmandis decretis hisce verbis expressit in Epist. ad Cœlestinum Papam, quæ habetur tom. 4. cap. 17. [Est vobis, inquit, tam eximijs in more positum, vt in omnibus celebres sitis, studijque vestra solida Ecclesiarum fundamenta constituatis.] Perinde, ac solemne esset pontificibus studijs suis firmare Ecclesiæ doctrinam. In hanc mentem pergit dicere: [Quia verò necessitas exigebat, vt omnia, quæ in hac Synodo acciderunt Sanctitati tuæ declararentur, non potuimus hisce nostris literis ad tuam Sanctitatem non perscribere.] Quæ tandem illa necessitas esset proxima verba ostendunt, nimirum, quia illi Synodo opus erat approbatione, & confirmatione pontificia. Patet autem ex tom. 2. c. 15. literas à Cœlestino ad Patris Concilij datas reuerenter ab ijs acceptas, & documenta ijs contenta ad vnguem seruata, ipsumque vti Caput Ecclesiæ agnitum, receptumque fuisse. Extant Philippi vnius ex ipsis verba: quæ loco flærent: [Gratias agimus Sanctæ, reuerendæque huic Synodo, quòd literis Cœlestini Sanctissimi, Beatissimique Papę teclratis, sanctæ Ecclesiæ, sanctis vestris vocibus, pijsque præconijs sancto vestro capiti vos exhibueritis: non enim ignara est vestra Beatitudo, totius fidei, cœterorumque omnium Apostolorum caput B. Petrum Apostolum extitisse.] Idemque argumentum prosequitur. Quid? quod ex actis omnino constat Cœlestinum Papam Legatos ad id Concilium suos misisse, quibus vices suas mandauit, vt ibi primas haberent.

In Concilio Chalcedonensi sub Leone I. Magno mirè emicnit Romanæ Sedis auctoritas. Primùm enim Legati Leonis, principem, vti par erat, dignitatis gradum habuerunt: ipsiusque iudicio, controuersia, & cœpta, & terminata. Patet ex verbis Paschasij vnius Legatorum act. 1. [Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ Vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur.] Omne auctoritatis punctum tulit ille, qui in Concilio potuit pręcipere: cuique omnes (nam idest cõsecutũ) paruerunt. Nec mirum: cùm Leo sæpe act. 3. eiusdem Concilij vniuersalis Patriarcha, & vniuersalis Archiepiscopus appelletur. Ac in ea Iulianus Episcopus ad Legatos papæ dicat, [Nunc vestra Sanctitas primatum tenet sanctissimi Leonis:] & infra. [Petimus vestram Sanctitatem, qui habetis locum Papæ Leonis, contra eum] (idest Dioscorum) proferre sententiam. An non hoc imperantis, & Iudicis est? & supremum sibi doctrinæ arbitrium iure vindicantis? Quid quæris? Act. 2. lectis Leonis pontificis in Concilio literis, omnium ea, & consentientium Patrum clara vox fuit. Ita credimus, Petrus per Leonem ita locutus est. Sanè ijdem act. 16. in epist. ad Leonem, in qua gesta Concilij commemorantur, aiunt. [Eum tamquam membris caput præfuisse.] Ac infra petunt ea, quæ decreta sunt in Concilio, Leonis auctoritate firmari. Tandem in fine Concilij tom. 2. hæc est sententia, qua nihil potuit illustrius inueniri. [Vndè inquiunt, sanctissimus, & Beatissimus Papa caput vniuersalis Leo, per nos, vt Legatos suos sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra fidei, & cœlestis regni ianitor nuncupatur Episcopali eum dignitate nudauit.] En supremæ auctoritatis Apex: in vniuersi conspectu Concilij iudicare, definire cœteris consentientibus, illo vno absente per legatos suos inspirante. Summa eius esse potestas deprehenditur, cuius arbitrio cæteri omnes suspenduntur, nutuque temperantur. Hæc eadem constant ex epist. Leonis 59. ad idem Concilium, & epist. 58. ad Pulchériam. Sic placuit Concilio Sardicensi cap. 4. & 5. Cuius idonea, & magna auctoritas est, teste sulpitio l. 2. Histor. & Socrat. lib. 2. cap. 6. confirmatur auctoritate Athanasij Apolog. 2. circa initium. Et verò sicut membra capite reguntur, & corde fouentur, ita concilia papæ auctoritate animantur.

Quare si qua sine consensu, & auctoritate Papæ concilia congregata, & habita sunt, illegitima, adulterina, imò & inanima fuerunt. Sic accidit Concilio Antiocheno contra Athanasium instituto. De quo sic Socrates lib. 2. histor. cap. 5. [Nec Iulius inquit, Romæ Episcopus in Concilio adfuit, neque quemquam, qui eius locum suppleret eò misit, cùm vtique Ecclesiasticus Canon iubeat non oportere absque Romani Pontificis sententia decreta Ecclesijs sancire.] En necessitas pontificiæ auctoritatis: sine cuius animatu illud Concilium penè cadauer fuit. Idem de eo tradit Sozomenus lib. 3. cap. 7. vbi rem illam copiosiùs narrat, [aitque ad Romanum Pontificem propter Sedis dignitatem curam omnium Episcoporum, & fidelium pertinere.] Simile vitium contigit Concilio Ariminensi, de quo sic Theodor. lib. 2. Hist. cap. 22. [Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregari præiudicij vim habere non debet: præsertim cùm formula composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sen-

tentia expectanda erat &c.] Et quamuis sexcentorum Episcoporum esset, nil illos numerus iuuit, ad non errandum: cùm sine face, duceque conuenissent, imò inuito Liberio Pontifice opera hæreticorum coactum Concilium illud fuisset: vt Damasus epist. ad Africanos Episcopos, & Gelasius relatus dist. 15. cap. Sancta Romana, & Ecclesiastica historia testantur, Nec minus errauit Concilium Constantinopolitanum Leone Imperatore, quod, repugnante pontifice, congregatum, vndè à septima Synodo Generali 367. Patrum apud Nicœnam reprobatum fuit. Hinc momentum causæ adijcio. Nam ideò Concilium Constantinopolitanum primum 150. Patrum, Damaso pontifice, certum, & constans fuit: Alterum verò Leone Imperatore cùm dimidio maius esset, incertum, & errore obnoxium extitit, quia illud, & coactum, iubente pontifice, & eiusdem calculo approbatum: istud autem inconsulto, & inuito papa, inchoatum, & nullatenus confirmatum legitur. Hinc illustris illa Concilij Turonici sententia. [Quis sacerdotum contra decreta, quæ à Sede Apostolica processerunt agere præsumat?] Et illustrior adhuc Gregorij Magni lib. 7. epist. 16. [Acta in Concilio sine Apostolicæ Sedis auctoritate, atque consensu nullas vires habent.]

Vt tamen certa quædam ratio proponatur, quæ quasi norma tenenda sit: Tres Melchioris Cani summi Theologi amplectendæ sunt conclusiones: Prima lib. 5. de locis; loco de auctoritate Conciliorum. [Concilium Generale, quod auctoritate Romani Pontificis, nec congregatum, nec confirmatum est, errare in fide potest.] Secunda: [Concilium Generale etiam congregatum auctoritate Romani Pontificis, errare potest in fide.] Tertia: [Concilium generale confirmatum à Romano Pontifice, etsi ab eo coactum non sit, certum omnino est, ac firmum in fide, errareque non potest.] Vnde deducitur quanti sit momenti auctoritas pontificia: nam cùm præcipuè in iudicio, & definitione consistat; si hæc desit, concilij veritas poterit deficere. Si adsit, non potest. In confirmatione itaque Romani Pontificis omne pondus est. Quapropter in Concilio Ephesino 11. congregato auctoritate Leonis, imò ad id missis Legatis, Episcopi congregati Dioscoro hæretico subscripserunt, ac cum eo planè errarunt. Verùm, & Legati tum restiterunt, & Leo postea refragatus est, Opus est igitur confirmatione, nec sufficit congregatio. Etsi enim hæc emanet à voluntate pontificis, proprius iudicij actus non est. Confirmatio approbationem continet: quæ si desideretur, destituitur auctoritate idonea Concilium. Ita de illo Concilio Leo epist. 12. & 13. & 21. 22. 23. 24. & Synodus 8. act. 7. & Nicolaus ad Michaelem Imperatorem. At verò Concilium à pontifice confirmatum expers omnino est erroris, quòd à capite, & Magistro Ecclesiæ approbetur: cui dixit Dominus in persona Petri. [Confirma Fratres tuos.] Hac interueniente, etsi congregatio non sit à pontifice, inerit Concilij decretis certa, & infallibilis vis auctoritatis. In hanc rem nata illa Eugenij IV. in decreto super vnione Iacobinorum, postquam Synodum Ephesinam secundam proscripsit, sententia. [Suscipit, ait, Sancta Romana Ecclesia omnes vniuersales Synodos auctoritate Romani pontificis legitimè congregatas, ac celebratas, & confirmatas.] Vbi optimè Canus: [Non dixit congregatas solùm, sed celebratas, & confirmatas.] Imò tanta est pontificiæ auctoritatis virtus, vt concilia etiam prouincialia cùm à pontifice confirmantur, certam, & infallibilem auctoritatem habeant: atque adeò in eumdem generalium locum transeant.

Id vt probemus, obseruandum est multos hæresiarchas in concilijs prouincialibus damnatos fuisse: & doctrinam contra eos traditam pro Catholica introductam, & receptam: sola accedente confirmatione Romani pontificis. Itaque Concilium Carthaginense, & Mileuitanum, in quibus damnati sunt Pelagius, & Cœlestius, Toletanum, in quo Priscillianus proscriptus: Telense, in quo Eluidius exactus, Arausicanum, in quo Semipelagiani præcisi, quòd à Summo Pontifice sunt rata, & probata, certam, & constantem auctoritatem citra erroris, aut suspicionis periculum habuerunt. Ne quis autem objiciat ea concilia, non ideò quod à pontifice sint confirmata solemnem auctoritatem habuisse, sed quod ab vniuersis fidelibus paulatim recepta sunt, & tacitè ab omnibus approbata, volo oppositis idoneis testimonijs obiectionem auertere, & si intendatur retundere. Igitur Carthaginensis Concilij Patres contra Pelagium, & Cælestium congregati, cùm eorum errores damnassent, sententiam suam per literas Innocentio I. Pontifici Romano exposuerunt, rogaruntque vt auctoritate illam Apostolica confirmaret. Verba sunt eiusmodi apud Augustinum epist. 90. [Hoc itaque gestum Domine Frater Sancte, charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorumdam peruersitate corrigenda. Et quamquam testentur compertum sibi esse eos errare, & pauca, perniciosaque docere, ac idem antea à Patribus Orientalibus aduersùs eosdem esse definitum, expectari à se tamen Innocentij ea in causa iudicium, vt illæ duorum Conciliorum sententiæ ratæ habeantur, & in Rempublicam Christianam transeant. [Non dubitamus, inquit, venerationem tuam, cùm gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturum, vnde omnes in Dei misericordia gaudeamus.]

Affirmant non sua dumtaxat, sed & aliorum Patrum Orientalium in Concilio acta examini, & iudicio Innocentij subijci oportere, quod id solemne in Ecclesia iam tum inde à Petro fuisset, continuata traditione. Id verò continet Innocentij responsum in literis ad eosdem redditis. [Antiquæ, ait, Traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinę vestrę religionis vigorem, non minùs nunc in consulendo, quàm antea cùm pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicæ Sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur. A quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis

huius

huius emersit.] Soleo dicere hunc locum Achillem esse, cui nemo hæreticorum Hector possit resistere. Nam Patres Concilij legitimè cum Aurelio Africanæ, quæ tunc erat clarissima, Ecclesiæ capite, in nouum Concilium coacti, in causa optima, certa, indubitata summo iure damnatis erroribus, iudicium tamen sustinent suum, & ad pontificem referunt, imò & alterius Orientalis Concilij relatum supponunt, petuntque, vt Apostolica auctoritate vtrumque firmetur, & ratum habeatur: Pontifex verò probat, & iudicium in damnando, & obedientiam in consulendo, & vtrumque iuxta commendat, aitque illos ex officio ad consulendum teneri: idque traditione constare, quia Romanæ Sedis est summa, & Apostolica, atque adeò princeps auctoritas. Nihil hìc sanè ad conuincendos hereticos huius temporis desideratur. Legant, expendant reliquam epistolam, satis erit illa ad persuadendum, si libero sunt, & animo, & iudicio; Sin præoccupato, & affecto, si minus proderit ad doctrinam, certè proficiet ad pudorem. Nisi adeò perijt frons de rebus, vt liceat vnicuique fingere quod credat: nec velit credere, nisi quod fingat.

Par est iu secundo robur: [hic erit alter Achilles:] nec enim ad Troiam vbi vnus, sed in Ecclesia, in qua plures: non Pelidæ, sed Christiadæ. Concilij Milenitani paucis post annis coactum eadem, & in decernendo, & in consulrando ratio fuit: nec minùs illustris ex eo huiusce veritatis probatio existit. Aiunt epist. 92. ad Innocentium in eadem Pelagij, & Cœlestij causa. [Quia te Dominus, inquit, Gratiæ suæ munere in sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentię valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quàm ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus adhibere digneris.] Et paulò post mentionem de Carthaginensi Concilio superiore faciunt.] De quo ante paucos, inquiunt, annos quid gestum fuerit Sanctitas tua de Carthaginensi Ecclesia meliùs instruetur.] Addunt in rem. [Hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta dixerimus, imitantes Carthaginensis Ecclesiæ, Carthaginensis Prouinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras hac de causa scripsisse comperimus.] Quo, & auctoritas papæ Romani agnoscitur, & traditio confirmatur; quid est enim imitari, nisi alios sequi, & quod ab ijs actum est, de eorum manibus accipere, & rem cum exemplo ad se traducere. Quid autem esset, & quanta fide ab Innocentio præstandum id exprimunt hisce verbis. [Arbitramur, adiuuante misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, qui te, & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur auctoritati Sanctitatis tuæ de Sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ faciliùs eos, qui tam peruersa, & perniciosa sentiunt esse cessuros.] Plura nostris hic locus ecla suppeditat, quàm altee. Nam docet auctoritatem Papæ suos fontes in Scriptura habere, atque ab ijs manare, Regi, & exaudiri à Deo consulentem de rebus fidei, & è Re Christiana pontificem; ne falli possit. Tantam eius vim, & virtutem auctoritatis esse, vt qui alijs ante restiterint proteruè, & pastoribus, & Concilijs, hi papæ non audeant refragari. Sanè si satis erat pastorum, & Conciliorum auctoritas, quid opus erat ad conuincendos, damnandosque, & errores, & auctores, Romani auctoritate pontificis? Definirent ij, decernerent, proscriberent, damnarent. Prætermitterent, contemnerent negligerent pontificem. Id agerent si Nouatores essent. Quibus omnia, quæ lubent, licent. Aliter iudicarunt veteres Sancti, Docti, Venerabiles episcopi, licere sibi non putarunt sententiam in causa fidei suam, cùm certa tamen, & indubitata esset, palam, & vt erat è Christianæ Repub. dignum proferre, nisi Romanæ Cathedræ auctoritas accessisset. Nec suæ, aut dignitati, aut grauitati quicquam detractum iri censuerunt, quòd se Romani pontificis iudicio, sententiæque subijcerent. Et, quod apud me magnum habet pondus, inter eos erat Magnus Augustinus. Qui strenuus huiusce auctoritatis, vindex, & fidus vbique testis extitit. Omitto Innocentij ad huiusmodi literas responsum: nam vbi tot sunt, non est necesse plura argumenta producere.

Illud autem maneat: Concilium Prouinciale, quod à Summo Pontifice approbatum est, & confirmatum, errare in fide non posse: idque ijs cum Vniuersalibus esse commune. Vnde, qui citet Canonem Concilij à Papa confirmati, siue sit Vniuersalis, siue Prouincialis Concilij, ille eo nomine credendum est; nam etsi inter vtrumque quoad solemnitatem, & claritudinem, immò, & reuerentiam aliquantum, certè ad veritatem nihil videtur interesse. Iam verò si Vniuersali Concilio non approbato à Romano pontifice error potest obrepere, obrepsitque, quomodo liberum esse potest ab errore Prouinciale Concilium? Tantum igitur valet pontificia in vtramque partem auctoritas. Ratio verò ea est, quia Concilia etsi Vniuersalia sint, repræsentant Corpus Ecclesiæ; Cuius corporis Christus verum caput, & pontifex, eius vices gerens, Vicarium caput est; atque adeo capiti virtus inest auctoritatis, innatæ, aut communicatæ. Dum igitur deest huiusce capitis nexus, perfectum illud corpus non est: cum adest, tum & sua forma, faciesque accedit: Cuius ratione iam illa membra ad Ecclesiæ Speciem conformantur. Et quidem Vniuersale Concilium, cùm approbatur, totam Ecclesiam repræsentat. Prouinciale, cum ad caput trahitur, eique per approbationem adhæret, etsi Ecclesiæ Vniuersæ Speciem non habeat, ratione capitis incipit ad totam ecclesiam pertinere. Capitis autem, qui Christus verè, ac Petrus, & pontifex successor pro capite sunt, illa prærogatiua auctoritatis inest, vel propria, vel communicata iuxta textus Euangelij, quos suis locis adduximus; Errasse autem multa Concilia Prouincialia, quæ non habuerunt approbationem pontificis, patet exemplis. Carthaginensis cum Cypriano, de quo toties meminit contra Donatistas Augustinus. Mediolanensis iuxta Histor. Ecclesiast. cap. 20. Seleuciani lib. 1. Histor. Tripar. cap. 34. Alia pleraque videri pos-

possunt apud Caietanum de auctorit. Pap. & Concil. & Turrecrematam lib. 3. cap. 6. 8. & 38. & Canum, lib. 5. Quot autem, & quot ea fuerint, & in quibus errauerint, ijdem exponunt. Quantum verò intersit inter Prouincialia Concilia idonea: quorum alterum confirmatum sit, alterum non, in dicto exemplo declararare volo. Arausicanum secundum & Senonense Prouincialia sunt Concilia circa materiam de Gratia, & libero Arbitrio: Siquis tamen neget Canonem Arausicani, suspectus erit in fide, non erit qui neget Senonensis, quia Arausicanum confirmatum est à Romano pontifice: & in fidem publicam Ecclesiæ transijt. Senonense adhuc non est confirmatum: atque adeo publicam fidem non facit. De quo vide Vasquium in 1. par. distinct. 91. 2. cap. 11. ad 13.

Huiusmodi pontificiæ auctoritatis prærogatiuam ipsa Concilia, Synodique testantur. Nam in Synodo Constantinopolitana Generali 5. pronuntians Mennas eiusdem Vrbis Archiepiscopus in Anthymum Sententiam adiecit; [Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus sicut Charitas vestra scit, & illius communicatores communicatores habemus, condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.] Cui Synodus tota Subscripsit. Octauæ Synodi Generalis Patribus idem iudicium fuit, & sensus. [Sequentes, aiunt, in omnibus Apostolicam Sedem, Speramus vt in vna Communione, quam Sedes Apostolica prædicat esse mereamur, in qua est vera, & integra Christianæ Religionis soliditas; Quare non consentientes Sedi Apostolicæ eorum nomina inter Sacra mysteria non sunt recitanda.] Nolo prolixior esse in verbis recitandis Summam facio. Synodus Romana sub Symmacho decernit [Romanæ Sedis præsulem merito beati Petri Apostoli per vniuersum Orbem primatum obtinere Sacerdotij, & Statutis Synodalibus solere tribuere firmitatem.] 96. cap. Bene. & 25. quæst. 2. cap. Si quis. Alia Synodus Vniuersalis Nicolao Præside; [Si quis, ait, dogmata, vel decreta pro Catholica fide, vel ecclesiastica disciplina à Sedis Apostolicæ præsule promulgata contempserit, Anathema sit.] Quæ sententia à Lucio 3. c. ad abolendam, de hæreticis, vsurpatur. Concilium Lateranense sub Innocentio 3. De summa Trinit. capit. [Damnamus. Nolumus, inquit, quicquam Abbati Ioachim derogari, cùm omnia scripta sua assignati mandauerit Apostolicæ Sedis iudicio approbanda, vel etiam corrigenda: firmiter confitens se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est, & Magistra.] Quo maximè pontificis auctoritas confirmatur, cùm huius ecclesiæ Os, & caput sit. Itaque Concilium Lugdunense sub Gregorio. De Summa Trinit. in 6. [Ex Domini, ait, institutione Romana Ecclesia fidelium magistra est; ac proinde Romanus Episcopus Petro succedit in Ecclesiæ magisterio.] Ne quis putaret (quod Thomas Anglus significauit) illam facultatem docendi non in persona episcopi, sed in Clero Romano, quod ineptè affirmat, residere. Quod autem dicit Papam Petro in magisterio succedere, probat, non magis errare posse papam cùm Petri vices docendo agit, quàm Petrum. Hinc est vt cap. vbi periculum de elect. in 6. Concilium Lugdunense sub Gregorio declaret [Romanum pontificem esse Vicarium Iesu Christi, Successorem Petri, Rectorem Ecclesiæ Vniuersalis.] Et Clem. Vnde Patres Concilij Florentini Papam inter alia nomina vocant [Totius Ecclesiæ caput, & Omnium Christianorum Patrem, & Doctorem.] Vnde Leo IX. epist. Synodica ad Petrum Antiochenum Patriarcham: [Sanctam, inquit, Romanam, & Apostolicam Ecclesiam caput esse omnium ecclesiarum, ad quam maiores causas esse referendas Concilia omnia, & sanctus Sanctorum Rex confirmant.] Quod prorsus verum est. Id enim, vti vidimus, Omnium penè gentium ætatum, Regnorum Synodi, Conciliaque testantur, modò fuerint iustè, & legitimè congregata: id est, in nomine Christi, accepta ab eo suos per Vicarios potestate, quam non ipsi ingerebant, sed rogati exerebant à Niceno vsque ad Tridentinum; vt non minùs Successio pontificum inter se cum Ecclesia, & Concilijs, quàm Series Conciliorum cum pontificibus, nexa videatur. Quibus, qui resistunt, negantes Papæ certam, & infallibilem in definiendo, & approbando auctoritatem inesse, pugnant cum toto Orbe terrarum.

ARTICVLVS III.

Patres Ecclesiæ sensa, Scriptaque sua Romanorum Pontificum doctrina accommodarunt, quidam etiam iudicio subiecerunt.

MAgnam esse Patrum inter se consentientium auctoritatem, Ipsa Concilia, Patres, Pontificesque testantur. Producamus aliquot ex singulis Ordinibus testimonia. Concilium Ephesinum, auctore Vincentio Lyrinensi, Nestorio hinc, inde Cyrillo: illo hæretico, isto Catholico pugnantibus, decreuit, [vt sanctorum Patrum Sententiæ in medium proferrentur:] quibus cùm aduersari Nestorium à Cyrillo editis testimonijs monstratum esset, lata in eum damnationis sententia est, Constantinopolitanæ Synodo Sextæ placuit res secundùm Patrum placita definire. Ita actione 12. 17. 18. Lateranensis idem iudicium fuit Canon. 12. & 13. omnino expressum. Patres ipsi alij aliorum se præsidio muniunt ad hæreses oppugnandas. Aduersùs Heluidium Hieronymus. Aduersùs Eunomium Basilius. Aduersùs Donatistas, & Pelagianos Augustinus. Aduersùs Nestorianos Cyrillus. Ita Eutychem Leo; ita Agatho Monothelitas confutauit. Hac ratione Concilij Viennensis Clemens, & Leo X. decreta confirmarunt. Vnde ex locis Theologicis vnus, ac ex præcipuis est auctoritas Patrum, de qua Canus, lib. 7. & Vasquez 1. par. dist. 23.

Igitur Patres tum Græci, tum Latini Summis Pontificibus Romanis, & adhærere semper, & vbi opus esset eorum se iudicijs submittere studuerunt. Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus, & aliorum Apostolorum auditor, vti narrat Hieronymus, [propter quasdam super die Paschæ quæstiones Eccle-

siam

ſiam regente Aniceto Romam venit.] Vt eum conſuleret: Irenæo teſte lib.3.cap.3. eiuſque iudicium requireret: quod certè non ageret Apoſtolorum diſcipulus, niſi & hoc ipſum ab ijs didiciſſet. Et quidem Irenæus ipſe, qui refert, Polycarpo ſuper qu d is re præſtitit, verbis confirmat eodem lib.3. c. 3. [Ad hanc Eccleſiam, inquit, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui vndique ſunt fideles.] Neceſſarium dicit, & ducit hoc cum Romano capite membrorum conſortium. Paucis poſt annis floruit, Septimio Seuero, Imperatore Tertullianus, qui in ijs, quæ adhuc integer, & incorruptus ſcripſit operibus, Romano adhærendum ſenſit, docuitque Pontifici lib. de pudicitia cap.1. Epiſcopum Romanum vocat [Maximum Pontificem, & Epiſcopum Epiſcoporum.] Et libro contra Marcionem 5. eius Catholicam doctrinam probat. Libro autem de præſcription. idem efficit. Et illud addit cap.36. [Habes Romam, vnde auctoritas præſtò eſt. Statu felix Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtolicam ſanguine ſuo profuderunt.] Eius vicinus & patria, & tempore Cyprianus multus hac in re eſt, & copioſus. Vnitatem Eccleſiæ cum vno capite exigit, & nexum cum illo corporis fidelium pulchrè deſcribit lib.1. Epiſt. epiſt. ad Cornel. lib.4. epiſt. ad Pupianum, & epiſt. ad Iubaianum, & in tract. de ſimplicit. Prælator. & lib. de Vnit. Eccleſiæ, in quo ait, [Vt vnitatem manifeſtaret vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Et poſteà. Exordium ab vnitate proficiſcitur: Primatus Petro datur, vt vna, Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.] Viam hoc vno aditu munit ad doctrinam; quæ ad eam omninò Sedem referenda eſt, & conformanda. Inſuper epiſt.66. ad Florentium, & epiſt.55. in qua illam illuſtrem dicit ſententiam. [Inde oriri hæreſes, & ſchiſmata, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, neque vnus in Eccleſia ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.] Ac ne quis à Romano Pontifice aberraret, ait epiſt. ad Iubaianum, [Petro, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, vt illud solueretur in cœlis, quod ipſe ſoluiſſet in terris.] En fons vnitatis, & auctoritatis, Petrus, & Romana Sedes; ac qui in ea ſedent Chriſti Vicarij, Petri ſucceſſores. Cyprianum Martyrem, vindex fidei Athanaſius ſequatur, quem hæreticorum acerba odia Romam ire, & ad Sacram Romanæ Sedis anchoram confugere impulerunt. Qua mente ſcripta ipſius teſtantur epiſt. ad Marcum Papam: [Domino, inquit, Sancto, & Apoſtolici culminis venerando Marco Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Patri, Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum Epiſcopi ſalutem. Et infrà. Veſtri ſumus, vobiſque obedientes cum omnibus nobis commiſſis & ſumus, & ſemper eſſe volumus.] Pia iſta voluntas in Nouatoribus deſideratur: quæ ſi eſſet; non deeſſet fides: ſed illi nolunt credere, quia rectè, ac ſecundùm fidem viuere nolunt. Ij demum piè in Chriſtum credunt, [qui piè in Chriſto viuere volunt. Qui piè credent, qui impiè viuunt? Hinc illa Athanaſij (quanti viri,) obedientia, perſpicuis teſtata verbis, epiſtola ad Felicem tomo 1. Conciliorum. [Quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra Apoſtolica Sede auxilium hauſimus, & noſtri vos curam gerere agnouimus, præfatam Apoſtolicam, & ſummam experimur, iuxtà Canonum decreta, Sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata, atque ſubleuationes ceperunt.] Æqualis penè Athanaſio Baſilius in epiſtola ad eumdem Athanaſium 55. eiuſdem eſt auctor ſententiæ. [Viſum eſt, inquit, mihi conſentaneum, vt ſcribatur Epiſcopo Romæ, vt quæ hic geruntur conſideret.] Tantus doctor tantum, vel abſenti Pontifici defert, vt nolit agi, decernive quicquam ad Eccleſiam attinens, quod paſtoris aciem fugiat: cùm præſertim ouibus à Lupis periculum immineret. Luculentius eſt teſtimonium in epiſt. data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum. [Pietati tuæ donatum à Deo eſt, ſcilicet vt quod adulterinum eſt à legitimo, ac puro diſcernas, ac fidem Patrum ſine ſubtractione vlla prædices;] quæ Sole clarior eſt ſententia. Duo contubernales eius Sanctiſſimi Gregorij Nazianzeni habemus in hanc rem nara teſtimonia. Primum orat.23. in laudem Heronis, in qua commemorat Petrum Alexandrinum Athanaſij ſucceſſorem ab Ariano Lucio ſede ſua pulſum, Romam ad pontificem confugiſſe, atque id quidem verbis, quæ fidem faciant huic argumento. [Pet tantam, ait, accuſationem omnibus lachrymas mouit, vt calamitatis magnitudinem in oculis, & aſpectu defigerent, & auxilium nanciſceretur, quemadmodum, & nactum eſſe ſcimus.] Cuiuſmodi iſtud Auxilium fuerit, ex anteceſſore Athanaſio didicimus. Secundum eſt in orat. 55. vbi narrat Vitalium Apolinaris Sectatorem, hæreſim occultè profeſſum clam edidiſſe librum, de quo certiorem factum Damaſum librum proſcripſiſſe, & authorem ab Eccleſia eieciſſe.

Ioannis Chryſoſtomi Aureæ extant ad Innocentium 1. epiſt. in quibus apud illum queritur de vi ſibi illata ab hoſtibus, à quibus eſt à ſede ſua deiectus, & in ordinem redactus. Aduersùs quos pontificiam Innocentij opem implorat. Addit Chryſoſtomus facto, interpretatione ſua in libro de Sacerdotio ad locum Ioannis 21. [paſce oues meas,] momentum. Sic enim exponit, vt doceat [curam ouium totius Eccleſiæ Chriſtum Petro, & ſucceſſoribus tradidiſſe:] & ſubiungit, [ſucceſſores Petri ea nunc agere, quæ cùm Petrus ageret illum Chriſtus authoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere.] Ambroſius plures nobis, & perſpicuas adhuc magis ſuppeditat ſententias. Omitto quas habet in orat. de Satyro Fratre. Indico, quæ ſunt lib. 1. epiſt. epiſt.7. ad Siricium Papam, & in epiſt. 4. ad Gratianum, de vitandis Arianis. Vnum produco ex epiſt.9. ad Theophilum Alexandrinum, in qua ſic. [Referendum arbitramur ad Sanctum Fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant.] Perinde, ac probari non poſſent, quæ diſplicerent. Et adiungit infra. [Vt nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum cùm id geſtum eſſe

ce-

cognone timus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huius examinis adipiscamur.]

Viden, vt examen, & approbatio doctrinæ ad Romanum pontificem pertineat? Quam si Nouatores Trutinam deludunt, inde est, quod volunt sua commenta intrudere, & vitrea facta lapillis vendere. Illud, quæso, audiant, quod idem propinat nectare conditum veritatis Ambrosius ad Gratianum de Romana Ecclesia: [Inde, inquit, in omnes venerandæ Communionis iura dimanant.

Suum Epiphanio post Ambrosium locum demus. Hic in Anchorato multus est in demonstrando Petrum caput esse, [& Petram Ecclesiæ, super quam illa ædificata est: aduersùs quam Portæ Inferorum, id est, hæreses, & hæresiarchæ, non præualebunt.] Deinde hoc demonstrato seriem successionis Romanorum pontificum deducit, eaque deducta ostendit continuatam, & incorruptam fidem. At verò hæresi 27. circa finem eadem successione explicata. [Ne quis miretur, ait, quòd singula ita exactè recensemus: Per hæc enim semper claritas ostenditur.] Id demum erat ab Epiphanio expectandum, quod splendorem afferret. Sed tenebriones oderunt lucem. Verùm iam pridem Tenebræ illam non comprehendetunt. Habet horam suam [potestas tenebrarum.] At non est ijs potestas [Filios Dei] faciendi, qui [filij sunt lucis,] non tenebrarum.

Vocat me Hieronymus Sacrum nomen, & Sacrarum Scripturarum Maximus Doctor. Is huiusmodi argumentis abundat. Ac colligo illustriora, & conglobo, epist. 11. ad Ageruch. testatur se aliquando inuenisse Damasum respondentem ad Orientis, & Occidentis Constitutiones Synodales. Dignam occupationem Romani Pontificis relatas ad se constitutiones recognoscere, ac seligere. Epist. 8. ad Demetriadem cap. 9. eamdem monet, [vt Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ successor est, teneat fidem:] Et epist. 16. ad Principiam referens, quæ de Athanasio, & Petro supra tetigimus, probat: nam vt hæreticorum innidiam [effugerent, quasi ad tutissimum Communionis suæ Portum confugerant.] Epist. 52. [Quoniam vetusto, &c.] egregium exhibet testimonium. [Cathedræ, inquit, Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum Agnum comederit, prophanus est.] Qui hodiè à Romana Cathedra desciuerunt, hi à fide Hieronymi, & Ecclesia defecerunt, [Odit prophanum vulgus Hieronymus, & arcet. Agnum illorum, Hircum] putat. Sed ne Agnum quidem illi habent: ex quo sacrificium missæ sustulerunt, imò & Templa, ne quod Agni vestigium esset, euerterunt. Agnum oderunt, & vxorem Agni Romanam Ecclesiam, inducta vxorum, imò & Pellicum turba: conculcatis lilijs virginum, quæ pascitur Agnus, [qui pascitur inter lilia.] Qui pastum ademeruut, Agnum exegerunt. Ad hos ergo Hieronymus.

—— Procul, ò procul este Prophani.

Hi certè post mortem Agnum non sequentur quòcumque ierit. Virgines enim non sunt. Imò eos Agnus ad Hædos salaces remittet, qui à sinistris erunt. At Lutherus, & Caluinus aliter docuerunt. Occurrat Hieronymus in Apolog. 2. seu lib. 3. contra Ruffinum, [Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam istiusmodi præstigias non recipere. Etiam si Angelus aliter annuntiet quàm semel prædicatum est.] Nec ego dubito Lutherum, & Caluinum Angelos esse; Sed malos, & Præstigiatores, etsi in Angelos lucis transfigurare se tentarint.

Venio ad Cyrillum: Qui in epist. ad Cœlestinum Romanum Pontificem 18. quæ est in Concil. Ephesino tom. 1. cap. 19. Causam Nestorij, etsi damnatam iudicio capitis Romani submittit, eiusque sententiam expectat. [Ac quamuis ita res habeat: non priùs tamen illius communionem deserere ausi sumus, quàm ipsa pietati tuæ indicatemus.] Hi non audent: Nouatores nihil non audent. Audiant Cœlestinum ne audeant. [Nostræ sedis authoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absq; exquisita sedulitate sententiam exequeris, nempè vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ numerationis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet.] Fetunt hæc religiosæ, ac teretes Cyrilli, & Patrum aures: prophanæ, & adipales nouatorum non ferunt, & ferro non cera aduersùs cantus Sirenum cœlestium obducunt. Audiamus nos dum illi nolunt. [Illi sanctitas tua, pergit Cœlestinus, illi Ecclesiæ prospiciat: is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.] Paruit autem huic mandato Cyrillus, vti appatet ex epist. ad Nestorium, to. 1. Concil. cap. 4. [Quod nisi iuxta tempus in literis Cœlestini Sacratissimi, Reuerendissimique Romanorum Episcopi expressum præstiteris, certò scias nullam tibi deinceps, cum Episcopis, & Sacerdotibus Dei consuetudinem, nullum sermonem, nullum denique locum inter eos futurum esse.] Eadem habet in proxima epist. ad Clerum, populumque Constantinopolitanum. Credo nouatores nostros Cyrillo minimè subscripturos, nec dubito in partibus Nestorij esse malle, quàm Romano Pontifici obedire. Plura Cyrilli extant apud Diuum Thomam ex libro Thesauri deprompta testimonia, quæ cum magna parte libri interciderunt, Sed ea tamen omnino sunt authore Angelo Theologis recipienda.

Theodoretus tùm ipse auctoritatem Pontificiam asserit, tùm alij apud ipsum testantur. Ille ab Episcopis aduersæ, & suspectæ factioni potentissimis agitatus, imò & calumnijs traductus, vt omnem suspicionem vitaret, ad Romanum Pontificem (is tùm erat Leo) confugit: data ad ipsum epistola, in qua: [Ad Apostolicam, inquit, Sedem vestram venimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus, vobis enim per omnia primos esse conuenit. Primi tunc Romani, imò & omnia erant: hodiè nulli apud hæreticos, & nihili habentur. At non sunt hi Theodoreti similes, nam si essent pares, apud eos Romani essent. Idem confirmat ipse in epist. ad Renatum Presbyterum. Eiusdem præclara illa sententia est aduersùs Conci-

lia-

liabulum Arimineuse quod improbat, quòd non expectato Romanæ Sedis iudicio temerè, atq;adeo falsò definit: ita lib.2.histor.cap.22. Eam corroborat. lib.5. cap. 10. teferens Damasum Sectam Apollinaris, cum auctore proscripsisse: idque Pontificis Romani áuctoritate fecisse, & literis coufirmasse. Se de re illa cousnltum à Catholicis Orientis Episcopis fuisse. Sanè ex Græcis scriptoribus Theodoretus Romanæ Sedis, ac Romani Pontificis auctoritatem, vnus maximè asserit, & confirmat. Sed noui Theodidacti Theodoretum irrident, quod à Deo eruditi se iactant, cùm à Pontifice Theodoretus doceri vellet. Vsus iam inter eos obtinuit, vt quiuis Sellularius de fęce plebis Theodidactus sibi videatur, ac Theodoreto superior. Non egent Romana Cathedra, imò uulla, cùm in sua quisq; Sellula Cathedram habeant Opifices Sedentarij,

Prospero locus hic esto Leonis Pontificis, teste Trithemio, Secretario 1 Actis primùm, deinde scriptis Pontificiæ Auctoritati testimonium reddidit. Constat eum ad defendendam Catholicam de Gratia Augustini contra Semipelagianos sententiam Romam contendisse, & ad Cœlestinum Papam adijsse, à quo epistolam honorificam pto Augustiuo accepit: ac ea impudentium hominum petulantiam compescuit. En Prosper, apùd quem tanti erat auctoritas Augustini, maiorem esse putauit Cœlestini, quòd Romaous Pontifex erat. Quin, & Arausicani Concilij secundi Canones, qui totidem sunt sententiæ Augustini composuit, & Leoni approbandos dedit, ac eius iussu in Galliam misit, vt à Patribus Arausicanis, non tàm fierent, quàm reciperentur: quemadmodum Louanienses, & cum ijs Vasquez obseruat 1. part. dist.91. cap. 11. Suam igitur, & Augustini doctrinam Leonis iudicio commisit, subiecitque, Scripta actis concordant. Nam in lib. contra collatorem, cap. 10. censuram Innocentij, & Zozimi contra Pelagium oraculum existimat. Et ait inferendo tamquam adynaton: [Errauit Sacrosancta Petri Sedes, quæ ad vniuersum orbem Papæ Zoximi ore loquitur. Et cap. 41. Beatæ, inquit, memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit. Ac idem paulò post de Zozimi, Bonifacij, Cœlestini sententijs profert iudicium. Ita sensit Prosper prosperè incedens via veritatis, à qua Nouatores auersi, quia aduersi, non prosperi.

Maximi Taurinensis eadem mens esse traditur à D. Thoma. Censet enim in causis fidei ad pontificem recurrendum: idque exemplo Pauli docet cùm ad Petrum venit, significans posteros cùm instrui vellent ad Romanos Pontifices successores Petri esse venturos. De quo loco vide Canum lib. 6. cap. 5.

Concinit Isidorus, à quo est vnum inter alia præclarum testimonium in epist. ad Eugenium Episcopum Toletanum Summo Pontifici redditum: [Cuius dignitas potestatis, etsi ad omnes Ecclesiarum Episcopos est transfusa, specialiùs tamen Romano Antistiti singulari quodam priuilegio, velut capiti cæteris membris celsior permanet in æternum.] Huic prærogatiuæ dignitatis addit aliam auctoritatis in Præfat. ad Canonum Collectionem, quæ habetur tom. 1. Concil. Reddens enim rationem cur collegisset decreta, & epistolas Synodicas Pontificum, ait: [Quia in eis pro culmine Sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas.] Et in fine confirmat. [Nullam Synodum ratam esse, quæ Pontificis auctoritate non fuerit congregata, vel fulta.]

Venerabilis Bedę fidem supra appellauimus dum lib. 3. hist. Ang. cap. 25. [Decreta Sedis Apostolicæ] veneranda esse docet. Nunc eamdem appello in homil. D. Benedicti Angli tom.7. & lib.2. hist. Anglorum: quibus in locis ait Anglicam gentem à Romanis Pontificibus mysteria fidei edoctam, ac illa sunt de eodem Benedicto verba notanda. [Ad Beatorum Apostolorum limina peregrinaturus aduolauit, vt quia rudis adhuc in gente Anglorum fides, & Ecclesiarum institutio florebat, ibi potiùs perfectam viuendi formam sumeret, vbi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximium.] Quod si gens Anglica ingenio, & iudicio maximè valet: cognoscet à quibus imbuta fuit, hoc testimonio expenso ab ijs ad caput illud colendum esse institutam: nec ab eo, nisi priùs à suis desciscat defecturam.

A Bedæ ad nostra vsque tempora ætate non dubitant Nouatores, quin hæc sententia de auctoritate Papæ inualuerit. Hic igitur sistam: & tamquam terminos quinque volo Patres constituere, & finire. Duos ex ijs antiquiores Græcos. Duos Latinos Recentiores: & inter eos totius Theologiæ principem Augustinum collocare. Primus ex Græcis sit Maximinianus Constantinopolitanus Episcopus: cuius est luculentum testimonium in epist. ad Orientales. [Omnes, inquit, fines terræ, quæ dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes in potestatem Romanorum Pontificum tamquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante, cum dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Et infra. Hunc etenim de cæteris mortalibus ex toto Orbe terrarum conditor Orbis elegit, vt Cathedram Magistri principaliter possidendam teneret perpetuò priuilegij iure concessit: Vt quisquis Diuinum aliquid, ad huius perceptionis oraculum, doctrinamque recurrat. Ecce antiquus ante Bedam Pater, idemque & Græcus, & Constantinopolitanus gente, & Cathedra Romani Pontificis æmulus, tam perspicuè, & eleganter prærogatiuam Romanæ Cathedræ asserit, ac extollit. Alter esto Anastasius Patriarcha Hierosolymitanus in epist. ad Felicem Papam. [Fuit semper, ait, Apostolicæ Sedis vestræ licentia iniustè damnatos, vel excommunicatos potestatis suæ auctoritate restituere, & sua omnia eis reddere, & eos, qui eos condemnarunt, aut excommunicarunt Apostolico punire priuilegio. Sicut etiam nostris, & anterioribus legimus factum temporibus. Ac rursùm efficaciùs. Antiquis regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis prouincijs super eorum querelis, aut excusationibus ageretur, non prius tractandum, vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ Sedis vestræ

stræ

stræ esset deductum, vt huius auctoritate iuxta quod fuisset faciendum infirmaretur, aut firmaretur.] En iterùm nobilissimæ Sedis Episcopus non modò primas auctoritatis Romano concedit Episcopo, verùmetiam apicem in eo, & summam Ecclesiasticæ potestatis agnoscit. Idque antiquitate tota confirmat.

Nouatores autem ita eum de Cathedra sua deijciunt, vt singuli priuato spiritui suo auctoritatem Cathedræ attribuant, & dum vnum oderunt Pontificem, tot statuunt, quot ij numero sunt, nec pudet eos cùm vnam nobis Ioannam falsò Papissam obijciant, multas in singulis domibus Papissas habere. Nam & fœminæ eodem illo priuilegio, interpretandi sacras Scripturas, imò & eas populo exponendi fruuntur.

Ad alios duos recentiores post Bedam Patres venio. Alter est Anselmus, qui grauissimè de auctoritate Romani Pontificis sentit, & loquitur. Insignis ille est locus lib. de Incarnat. Verbi, vbi sic incipit: [Domino, & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Vrbano Frater Anselmus. Ac infrà. Quoniam Diuina prouidencia vestram elegit Sanctitatem: cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur.] Sic Anselmus hoc loco. Omitto alios, qui eamdem rem continent. Ex ijs citò præfationem epist. ad Romanos, alter esto Bernardus Nectar nostrum. Apud quem plures inueniuntur melleo sapore conditæ sententiæ. Quibus sunt referti libri de consideraт. ad Eugenium: nec non & epistolarum lib. epist. 125. & 131. & 183. & 237. locum seligo ex epist. 109. ad Innocentium, à quo aduersùs nouam hæresim insurgentem præsidium auctoritatis implorat. [Oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur. Et tu aliquando confirma fratres tuos.] Lux est in Bernardo, quam solæ noctuæ non ferant. Ita sentit, vti nos hodie Romani Catholici sentimus, ille docet quomodo sentire debeamus. Causam item in loco Euangelij inueniri, cur ita nos doceat: nosque discamus. Scholasticorum calculos negligunt Nouatores, idcirco ijs abstinendum duco: sed nemo est, quin rectè, ac pro Pontifice ponat. Scholæ omninò cum Petri Cathedra conueniunt. Vnus superest Augustinus, qui & Academiarum instar est omnium, & Cathedrarum. Nemo fortius argumentum suppeditat. Eo ratiocinationem, & agmen claudo.

Igitur Augustinus tribus sui temporis Pontificibus, se, suamque doctrinam subiecit, & cùm Magister Orbis esset, magisterij prærogatiuam detulit Innocentio, Zozimo, Bonifacio. Ad Innocentium nomine Concilij totius Carthaginensis Decreta contra Pelagium, & Cœlestium approbanda scripsit, & misit, epist. 90. Ad eumdem retulit Canones Mileuitani Concilij, cui Episcopus interfuit, & subscripsit, epist. 92. quarum verba supra citauimus: Tertium noua epist. 95. cum alijs Africæ Episcopis eidem Innocentio super eadem causa Pelagij rescribens illustrem Pontificiæ auctoritati calculum adijcit. Aie quippe ad finem epistolæ. [Cætera, quæ illi Pelagio obiecta sunt, sicut gestis defensu peruiderie, ita de his proculdubio tua Beatitudo iudicabit. Dabit sanè veniam suauitas mitissima cordis tui, quòd prolixiorem fortassis epistolа, quàm velles, tuæ misimus Sanctitati. Non enim riuulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus, sed in hac non parua tentatione temporis, vndè nos liberet cui dicimus. Ne nos inferas in tentationem, vtrùm etiam noster licèt exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans emanat capite fluentorum, hoc à te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione vnius gratiæ consolari.] Non dubitat Augustinus doctrinam communem de gratia contra Pelagium à se, & Episcopis Africæ traditam duci à Deo capite omnium veritatum, sed earum fontem vult esse apud Innocentium Papam: à pud se, & alios Episcopos riuulos: atque adeo quantum inter riuulos, & fontem, tantum inter aliarum sedium, & Romanæ Sedis interesse doctrinam.

Quod ad Zozimum attinet, præter eos locos, quos articulo proximo adduxi: affero illum epist. 157. cuius initio, eius se Pontificis subditum perspicuè testatur aiens: [Me apud Cæsaream præsente venerunt: quò nos iniuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apostolicæ Sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas traxerat:] obedientiam planè profitetur, si spectes personas. Posteà commemoratis verbis Zozimi ad probandum necessitatem Baptismi, subdit: [In his verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata certa, & clara est Catholica fides, vt de illa nefas sit dubitare Christiano.] Zozimi Papæ doctrinam non vti priuati hominis, sed totius Ecclesiæ commendat, de qua dubitare nefas sit, quòd ratione Sedis communis sit, epist. 162. in qua illam celebrem scribit sententiam de Ecclesia Romana. [In qua semper, inquit, Apostolicæ Cathedræ viguit principatus,] narrat in causa Donatistarum iudicium Apostolicæ Sedis expectatum fuisse.

Pergo ad Bonifacium. Cui cum dirigeret, ac dicaret præclaros illos suos quatuor contra duas epistolas Pelagianorum libros, & facto superiorem in eo auctoritatem agnouit, & verbis expressit. Legat qui nosse vtrumque velit caput primum libri primi. Ego pauca in rem seligo, & produco. [Cùm communis sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio quamuis ipse in eo præemineas fastigio speculæ pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus, adiuuantibus orationibus tuis, donare dignetur &c.] Episcopi speculatores sunt: sed Romanus in fastigio est, vt & populos, & Episcopos speculetur, &

reco-

recognoscat. Alij suas oues curant. Papa curat Oues, ouiumque Magister.

Iam suum opus subijcit Bonifacio. [Hæc quæ istis, inquit, vt dixi, duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo ad tuam potissimùm dirigere Sanctitatem, non tam obijcienda, quàm examinanda, & vbi forsitan aliquid displicuerit emendanda constitui.] Non erat, ingeniosior, non acutior, non doctior, non eruditior Augustino, opinor, Bonifacius: erat tamen Summus Pontifex, ratione Cathedræ doctrina, & auctoritate superior: cùm eius fides fidem capitis repræsentaret: quæ ad totam Ecclesiam pertinebat. Id Augustinus agnouit. Sed Nouatores negant, nimirùm non sunt Augustini, quòd si essent minimè negarent. Certè neque ingenio, neque iudicio, neque eruditione, neque sanctitate sunt cum Augustino comparandi. Aiunt eum modestiæ causa fecisse. Cur igitur ij faciunt impudenter? cur illam modestiam non imitantur? Sciant Augustino charam fuisse modestiam, sed multò chariorem modestia veritatem. Ac nisi modestia veritate niteretur, fucum illum, non modestiam fore, à quo Augustinus omnium maximè alienus. Iustitia sanè fuit, quæ modestiam illam imperauit, quam qui non profitentur, oportet eos & inuerecundos, & iniustos esse. Huius autem demissionis perpetuus cultor fuit Augustinus, vti apparet ex varijs operum illius locis, in quibus auctoritatem Romanæ Sedis confirmat, & extollit, eiusque præsidio contrarias hæreses expugnat, quemadmodum sæpiùs suprà diximus: patetque ex tribus clarissimis locis lib. 1. contra Iulianum cap. 4. & lib. 2. de peccato originali cap. 7. & epist. 162.





QVÆSTIO TERTIA.

Quomodo hæc prærogatiua Auctoritatis sit in Romano Pontifice.

ARTICVLVS PRIMVS.

Sint ne controuersiæ de fide? Vtrùm ad eas componendas Iudex, & quis futurus sit?



Ouatores superioris sæculi, & nostri negant de fidei mysterijs, rebusque, in Sacris literis contentis controuersias posse existere, quòd omnia sint perspicua. Addunt: in ijs contineri omnia, tum ad credendum, tum ad rectè viuendum necessaria. Itaque Scripturam solam abundè esse, & pro iudice, & pro face; modò vnusquisque priuato spiritu attendat, & consulat. Id Lutherani, id Caluinistæ, ac ex eorum Scholis sectarij diuersi mordicùs tenent. Credam, si probent ex ipsis Scripturis omnes, quos admittunt, libros sacros esse. Quomodo enim probent librum Ruth, Hester, & Iob, quos agnoscunt ex ipsis scripturis esse? Credam, si inter ipsos conueniat de ijsdem scripturæ libris. Nam Anabaptistę Iob historiam Tragicomicam fabulam dicunt. Lutherus epistolam ad Hebræos, & Iacobi excludit. Castelio Cantico Canticorum Cantilenam de amicula impuram appellat. Beza cap.8. Ioannis amputata de adultera historia detruncat, & locum illum Lucæ 22. Hic est Calix nouum Testamentum, &c. fœdè corrumpit. Apocalypsi Ioannes Brentius, & Kemnitius non omninò acquiescunt. In tribus Matthæi, Marci, Lucæ, Euangelijs Lutherus multa desiderat. Solùm Ioannis perfectum, & absolutum putat. Quomodo igitur, qui de ipsis scripturarum libris inter se dissentiunt, negant de locis, sensuque eorum controuersias posse existere? Sanè id Heterodoxi iam inde ab initio Ecclesiæ ad nostra vsque tempora errando monstrarunt. Nemo hæresiarcha fuit, quin hæresi suę patrocinium in scripturis quæsierit, eique clypeum sacræ auctoritatis obtenderit. Id Arius, id Ennomius, id Macedonius, id Eutyches, id Nestorius, id Dioscorus, id Manes, id Pelagius, id Priscillianus, id Donatus, id Nouatus, id cæteri hæreticorum principes iactarunt. Non igitur eo nobis fuco Lutherus, & Caluinus imponent. Quid? quòd contrariæ, interque se repugnantes hæreses quasi collisu quodam scintillas huiusce veritatis, quam ostendo, emittunt. Rectè enim omninò Tertullianus dixit, [quemadmodum Christus homo inter duos Latrones, ita & Christum veritatem, inter duos hæreticos crucifigi.] Nam si Scriptura ipsa controuersias non pateretur, omnis ea in contrarias partes dissensio tolleretur: nec locus esset pugnandi locis diuersis Scripturarum, Ecquis enim cùm sensus sacri textus manifestè constaret, auderet, aut negare, aut eo affirmato, contrà sentire, aut deum in oppositam partem traducere? Pauca, sed idonea exempla producam. Ebion Matrimonium teste Ignatio, epist. ad Romanos, Elxai Virginitatem, Iustino in Apologia, damnauit: vterque testimonio Scripturarum. Eutyches vnam in Christo naturam, Nestorius personas in Christo duas posuit; ambo argumento scripturarum.

Noetiani, Patrem Deum passum aiebant: Manichæi, ne Christum quidem hominem, passum affirmabant. Hi, & illi auctore Scriptura, Priscillianus omnia fato dedit. Pelagius libertati. Vnus, & alter nixi Scripturis. Veniamus ad recentes. Multùm inter se Lutherus, & Caluinus, vno tamen Spiritu, vt aiunt, ex Scripturis hausto dissentiunt. A Luthero Zuinglius, ab vtroque Caluinus circa Eucharistiam dissidet, eodem suadente verbo Dei, quod Christi verba [Hoc est Corpus meum:] oppositis apud illos sensibus interpretatur. Aliter Lutherani, aliter Anabaptistæ de Baptismo sentiunt, & aliquantò aliter Caluiniani. Omnes tamen freti locis Scripturarum. Digladiantur inter se Arminius, & Gommarus: si causam rogemus? Est diuersa intelligentia Sacrarum literarum. Imo in quibus à Luthero Carolstadius, Philippus, Bucerus, Oecolampadius, Brentius, Kemnitus, alijque discordant, nituntur Scripturarum auctoritate. Ex hoc fonte molles: rigidi, mixti Lutherani tamquam riuuli emanarunt. Quæ à Molinæo, Alamanno, Carpentario, Arminio, Gommaro, Amyraldo contraria Caluino Magistro suo traduntur, Sacrę paginæ locis confirmantur. Horum præsidijs Caussarij, Liberi, Pacifici, Puritani, Arminiani, Iuniani, Gommaristæ, totidem illius Hydræ capita muniuntur. Itaque nulli magis controuersias de fide, & scripturis esse posse confirmant, quàm qui maximè hæretici

negant.

negant. Idque ratio ipsa, qua præposterè vtuntur, demonstrat. Nam cùm quisque priuato spiritu interpretetur scripturam, idque liceat non solùm hominibus illiteratis, sed etiam sordidis, imò & mulierculis, & scortis, necesse est, varios, & dissonos sensus existere: quin & contrarios sæpè, pugnantesq; inueniri. Vndè fit, vt quotidiè nouę prodeant Sectę, Sectarumque auctores, & plures in dies proditurę sint, quòd illa interpretandi libido longè, latèque peruagata Virgineam Sacrę Scripturę puritatem corrupit. Et quid aliud sperandum ab ijs, qui eam vti Virginem illibatam diligenter custoditam, è sacrario suo in publicum produxerunt, & in propatulo, tamquam prostibulum omnium libidini exposuerunt.

Quod in Romana Ecclesia fieri nequit. Nam non priuato Spiritu, sed communi Ecclesiæ, ab Apostolis per Patres transmisso sensu, scripturas interpretatur, qui cùm sit vnus, & constans, & publicus, multiplex, ac discors esse non potest. Si autem noua controuersia existit, quod interdum necesse est tot hæresibus emergentibus, contingat, eam nonnisi, aut per concilia, aut per Summum Pontificem nullo prætermisso examinis, consultationis, disputationis, orationis officio definit. Hinc est, vt sola Romana Ecclesia vna semper, & incorrupta manserit, & quæ Virginem Scripturam seruauit, ea virgo, & Sponsa extiterit.

At facem dicunt Scripturam. Bene est, quòd dicunt facem: quam scilicet, & manu sua accendant, & flatu extinguant pro libitu. Ego Solem mallem, à quo lucem accipiant, nec imminuerent: solis aquilis peruium, non vespertilionibus, qui lucernas circumuolant, & oleum exigunt, vt extinguant obnoxium. Hæc eò dico, quoniam teste Maldonato [illud semper in ore habent: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Sed illi, inquit, pedibus scripturam intelligunt.] Aut, vt ego, extinguunt flatu superbiæ, est enim ijs pes superbiæ, quo Dauid carere optabat. Eo lucernam, vel impacto deijciunt, vel impresso conculcant. Certè nisi scriptura alta, & profunda, ac obscura esset, non diceret Lucas cap. 24. n. 45. [Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.] Si paterent omnibus, non hortaretur auditores suos Christus: Scrutamini scripturas, ad eas penitus introspiciendas, & penetrandas. Si legere tantùm opus esset, non indigeret sacro interprete Eunuchus ille Isaiam legens: & tamen tam indiguit, vt dixerit: [Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?] Si cuique liceret interpretari proprio spiritu, non esset singularis interpretatio sermonum apud Paulum: nec staret illa eius 1. ad Corinth. 12. sententia: [Nunquid omnes interpretantur?] Certè Petrus epist. 2. cap. 3. affirmat in Paulo esse quædam difficilia intellectu, quæ nisi in eo, ac cœteris sacris Auctoribus inuenirentur, nemo Scripturas, teste Petro, deprauaret ad suam ipsius perditionem. Et quidem obscuras eas esse, ac difficiles intellectu, ipsimet, quibus eæ primùm concreditæ sunt, Iudæi testantur, Christi Messiæ aduentum negantes, imò & ipsi hæretici, qui Iudæis similes ad eiurandas hæreses suas testimonijs æquè perspicuis adduci nolunt.

Igitur controuersias esse, ac sæpe existere, & de scriptura, & de fide, pro comperto habendum. Quod cùm verum sit, necesse est, vt Iudex aliquis constituatur, cuius iudicio dirimantur. Et quidem scriptura ipsa Iudex esse non potest, etsi regula iudicandi sit, ac secundùm eam semper, contra eam numquam iudicandum. Ecquis autem præter Ecclesiam? Huic enim primum sacrorum librorum Canonem acceptum debemus. Ita censet Irenæus lib. 3. aduersùs hæreses cap. 2. 3. & 4. & Tertull. l. 4. aduersùs Marcionem, & August. l. 33. contr. Faust. & lib. 2. contra Iulian. cap. 6. & lib. 2. de Doct. Christ. cap. 8. & Epist. 36. & in lib. contra Epistol. Manich. cap. 5. vbi illa omnium ore decantata sententia. [Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret auctoritas.] Idque definijt Concilium Toletanum 1. Cùm itaque hæc sit omnium maxima controuersia. [Qui libri sint sacri,] quòd omnium veritatum fontes in ijs insint: ac de illa iudicium ad Ecclesiam pertineat, ad eamdem debent aliæ pertinere. Nec eam veritatem negare Lutherus est ausus: nam lib. de captiuit. Babylonica, vbi de Ordinis Sacramento agit, fatetur Ecclesiam habere potestatem discernendi verbum Dei à verbis hominum: idque in Augustanis Comitijs Lutherani concesserunt, negat tamen Lutherus Ecclesiam iudicem eius esse. Timuit nempe, ne quis diceret Ecclesiam superiorem fore. At is timor ex imprudentia ortus est: nam Iudex, qui ad iudicandum leges inquirit, & examinat, vt, omnia secundùm eas, ac nihil præter eas iudicet, non proinde supra leges est: atque adeò Iudex esse potest.

Illud maneat scripturam regulam fidei esse, non tamen solam, sed cum traditione Apostolica, & Ecclesiastica ab Apostolis per manus Ecclesiæ transmissa ad posteros.

Cuius auctoritatem etsi post veteres hæreticos, Primùm Wiclephus, deinde Erasmus, postea Lutherus eleuare sint conati, ea tamen sacra, & intemerata prorsus habenda. Nec multis id ego probare volo: nam instituti mei non est: sed non ideò tamen omittam indicare. Lucæ Euangelistæ traditio in partem Euangelij transijt. Ait enim initio Euangelij sui: scribere se res: [sicut tradiderunt, inquit, nobis qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt sermonis.] Et non vidisse se fatetur, & ab ijs, qui viderunt narrando accepisse. Quid Marcus? nonne ipse, teste Hieronymo, Euangelium suum sicut à Petro audierat, scripsit, rogatus à fratribus? Paulus verò 2. ad Thessalon. cap. 2. Traditiones seruari præcepit. [Tenete traditiones, quas accepistis.] Quin & ad Corinthios epist. 1. cap. 11. contentiosos obiecta consuetudine, & sua, & Ecclesiæ refrenat. Cur non scripturis? Perindè erat traditio. Christus ipse sæpè secundùm consuetudinem operatus legitur. Certè hæretici multos sacræ Scripturæ libros traditione retinent. Imò, & ceremonias, quas obseruant, magna ex parte traditione acceperunt. Ac vt vnum obijciam, quod deglutire non possint, dicant, vndè acceperunt diei Dominicæ obseruationem? Nam si scripturas consulant, non inuenient præceptum eam diem celebrandi: imò semel tantùm nomen diei dominicæ, idest, Apocalypsis 1.

quem multi librum non recipiunt, reperient. Quòd si respondeant: præcipi in scripturis, vt dies sanctificetur aliquis, in ijsdem inuenient eum diem sabbatum fore. Itaque, aut celebrent Sabbatum, non dominicam, aut si dominicam malunt, proferant locum scripturæ, in quo id præcipiatur: quem cum proferre nequeant, necesse est ad traditionem confugere. Atque hic obiter dicam: mirari me Heterodoxorum quorumdam morem, qui cùm ieiunia, & solemnes supplicationes, & publicas in ijs preces detestentur, tamen si quod imminet temporale malum, vel ab æstu, vel à pluuia, pro illo auertendo ieiunia, & supplicationes indicunt: sed illud conijcio, non pro se, suisque animabus, sed pro segetibus, pecudibusque orare. Itaque pro inanimis, & brutis ea licent, pro hominibus non licebunt: Idque testimonio scripturarum: quo etiam nititur illa consuetudo laudabilis donandi amicis ad ducendum funus concurrentibus xæniola; nam cùm inter ea soleant vitę quoque cum Chirothecis donari, significant se per manus defuncti vitam accipere, vt ad se cum munusculis transferant, quibus ligari, ac deuinciri ad seruandam memoriam profitentur. Hæc ex scripturis didicerunt. Imò, & Ramusculo, præferre manibus ex eodem instituto solent, quòd legunt in Euangelio Christum à Betphage Hierosolyma venientem ramis, & frondibus exceptum. Sed ille viuus, & in triumpho, hi mortui, & in funere: perinde enim est ijs mori, ac triumphare. Vnum assequi non possum, quare in Christi triumpho Rami in terram abiecti sint, non manu prælati; in horum verò funere Rami manibus præferantur, cùm potiùs ex dolore abijciendi essent. Sed Christus in suo triumpho meditabatur mortem, illi in media morte triumphum meditantur. Ita exponunt Euangelium: ac eo morem suum confirmant.

Quòd si proterui in negando sint, obruam mole auctoritatum sub qua satiscant, & ringantur. Traditiones statuit Ignatius, Egesippus, Papias apud Eusebium lib. 3. Ecclesiast. Hist. cap. 32. 36. & 39. Dionys. lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. Clemens Alexan. lib. de Pascha. & lib. 1. Strom. & 5. Origen. Homil. 5. in numer. Irenæus lib. 3. cap. 3. & 4. Tertull. lib. de Corona militis. Cyprianus de abiut. pedum. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. & 29. & lib. contra Eunom. Chrysostom. orat. 4. in epist. 2. ad Thessalon. ac ex eo Theophylactus. Epiphanius hæresi 61. Hieronym. lib. contra Luciferianos. Theodor. in epist. 2. Pauli ad Thessal. cap. 2. Damacenus lib. 4. cap. 13. & 17. & omnium clarissimè, & copiosissimè August. epist. 118. & 119. ad Ianuarium, & epist. 86. ad Casulanum, & lib. 1. contra Cresconium cap. 32. & 33. & lib. 2. contra Iulianum cap: & 10. & lib. 2. de Baptismo contra Donatistas capitulo 7. & lib. 4. cap. 24. & lib. 5. cap. 23. & 26. & lib. de Genesi ad lit. 10. cap. 23. & lib. contra epistolam fundamenti cap. 5. & lib. de vtilit. credendi, & lib. de moribus Eccles. Cathol. & lib. de Hæresibus cap. 53. Itaque eas traditiones tamquam munitissimæ auctoritatis Patres hæreticis semper opposuerunt. Policarpus, Tertullianus, Irenæus, Marcioni, & Valentino: Epiphanius, Melchisedechianis, & Ærianis, & Apostolicis. Hieronymus Vigilantio, Montano, Luciferianis, Augustinus Donatistis, Manichæis, Pelagianis, perinde penè par in ijs esset, ac in Sacris literis pondus auctoritatis. Vti enim ait Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. [Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur, & prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recipimus. Quæ vtraque eamdem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.] Et Epiphanius paulò ante citatus. [Oportet autem, & traditione vti. Non enim omnia à Diuina Scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in scriptis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus Apostolus: Sicut tradidi vobis.] Et Augustinus expressiùs, ac de ijs, quas Ecclesia retinet, seruatque traditionibus ad Nouatores confutandos accommodatiùs. [Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri: sicut quòd Domini passio, & Resurrectio, & Ascensio in cęlum anniuersaria solemnitate celebrantur, etsi quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa quacumque se diffundit Ecclesia.] De ijs inquit, [Insolentissimæ insaniæ est disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.] Puto autem nos, qui Romani sumus in eadem, qua Augustinus Ecclesia esse, non in Donatistarum, aut Manichæorum, aut Nouatistarum, aut Pelagianorum, aut Priscillianistarum, aut Arianorum, quorum Augustini tempore hæreses vigebant, quas nostris temporibus Nouatores suscitarunt. Nihil illi tunc Catholicæ Ecclesiæ nocuerunt, nihil hi suis erroribus nocebunt, nec quòd omnes extra Ecclesiam sint, catholicæ quicquam Ecclesię auctoritati detrahent. Eius nos cum Augustino fidem, & doctrinam cum traditionibus amplexamur.

Huius igitur regulæ fidei ex Verbo Dei scripto, & tradito compositæ, Iudex Ecclesia est cum auctoritate interpretandi, ac post interpretationem definiendi: quoties controuersiæ ortæ fuerint. Hac ratione scripturæ series canonica constat. Hac symbolum Apostolicum. Hac processio Spiritus sancti à Patre, & Filio. Hac origines Personarum, vt Pater à se: Filius à Patre: Spiritus sanctus ab vtroque sit. Hac vt solus Filius sit genitus, cùm Spiritus sanctus genitus esse non possit. Hac Beatæ Mariæ virginitas incorrupta. Hac necessitas baptizandorum paruulorum. Hac prohibitio rebaptizandi. Hac pleraque alia, ad sacramenta, & sacras Ecclesiæ cęremonias, ad mores pertinentia, de quibus optimè Tertullianus lib. de Corona Militis. [Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix: Consuetudo confirmatrix: & fides obseruatrix.]

Duobus autem modis huiusmodi iudicium exercere potest Ecclesia; Proposita controuersia, vel per concilia iusta, & legiti-

ma, cuiusmodi ea supra descripsimus: vel per Papam, qui est & caput, & princeps Ecclesiæ. In vtroque autem est auctoritas certa, & infallibilis, quemadmodum proximè ostendemus.

Et quidem de Concilijs nemo Catholicus, pauci hæretici dubitant. De papa cùm omnes hæretici negent, & nonnulli quantumuis paucissimi (inter quos est Thomas Anglicus) Catholici dubitare videantur, volo singulari articulo rem probare.

ARTICVLVS II.

Pontificem Romanum esse Iudicem Controuersiarum certum, constantemque probatur.

DAto controuersias interdum existere, in Ecclesia Dei, eiusque caput, & pastorem esse pontificem; eumque ex Cathedra decernentem falli non posse, verum,& sequens omnino videtur, eum controuersiarum iudicem fore. Vt tamen id iustis argumentis constet, rationem excogitabo.

Ac primùm ex veteri Testamento constat Synagogam supremum controuersiarum de lege, ac iure principem Sacerdotem Iudicem habuisse: vnde duo existunt argumenta. Alterum Ecclesiam Dei Synagoga longè perfectiorem, & gratiorem, ea prærogatiua carere non posse: Alterum cùm Synagoga Ecclesiæ figuram gereret, & omnia illi in figura, teste Diuo Paulo, contingerent, eò item futurum in Ecclesia iudicem Romanum Pontificem fore significaret. locos demus, vnus esto: Exo. 1. 8. quo vtitur D. Bernardus lib. 2. ad Eugenium cap. 6. Iethri ore ad Moysen: [Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt ostendas populo cæremonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant. Prouide autem de omni plebe viros sapientes, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent. Si hoc feceris implebis imperium Domini.] Ac ne quis opponat Moysi, non Aaroni hæc dici. Prima hæc potestas Moysi danda erat, quòd caput, & princeps populi tunc erat, & summus sacerdos, nondum Aarone instituto: Quòd autem Moyses summus sacerdos fuerit, constat ex Psalmo. [Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius.] Et quidem, vti propositum à Iethro, ita re præstitum à Moyse, ac Populo, eodem num. 26. eiusdem capitis, [Quicquid grauius erat referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.] En quod agendum erat in Ecclesia Dei, vt Episcopi, & cæteri Hierarchici ministri minores causas fidei, & morum, maiores, & grauiores summus Pontifex examinet, ac definiat.

A Moyse ad summos Sacerdotes transmissam huiusmodi potestatem fuisse, ac sicut in eo instituta, ita in reliquis constitisse, patet ex multis Scripturæ locis: quos, vt distinctiùs proponam, assumo duo Concilia, vel Senatus duos Iudicum fuisse: alterum maius, quod Synedrion, alterum minus, quod Anonymon: illud septuaginta, hoc tribus, & viginti viris constabat. Illud Hierosolymis, istud in singulis ciuitatibus residebat.

Id sumptum ex cap. isto 18. Exod. & Deut. 16. & 17. distinctè proponitur Paral. 2. cap. 5. &c. 19. cùm vtrumque instauratum est à Iosaphat Iudæ Rege Concilium, ibi num. 5. [Constituit Iudices terræ in ciuitatibus cunctis Iudæ:] Et mox. [Præcipiens Iudicibus ait: Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. Et n. 8. In Hierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, vt causam Domini iudicarent.] En duo Senatus. Nunc huiusce Maioris id est, Sanhedrin, seu Synedrij prærogatiuam in iudicando videamus: vti nimirum ad eum minorum Senatuum consulta referrentur. [Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus ostendite eis.] Quòd autem caput est, summum Pontificem iudicio præesse, & supremam in definiendo auctoritatem obtinere, habetur num. 11. [Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent præsidebit.] Huius auctoritatis Fons Deuter. 17. num. 12. continetur, vbi sic: [Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.] Tota illa Iudicum multitudo à capite isto pendebat: & ad Sacerdotis arbitrium omne tandem iudicium reuocatum: ideo Capitale erat capiti non obedire. Testatur id Iosephus lib. 2. contr. Appionem. [Pontifex, inquit, ante alios Sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, diiudicat controuersias, conuictos delicti: cui qui non obedit, is pœnas luit, tamquam in Deum impius.] Vicem profectò Dei gerebat iudicando ille, cui non parere iudicanti impium erat, & capitale. Itaque eo loco Deuteronomij vtitur Innocentius III. cap. [per venerabilem, qui filij sint legitimi.] Constat igitur Senatum esse, & huius Senatus caput, & Principem Pontificem esse: quod clariùs exprimitur num. 9. [Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore.] Vnus erat Sacerdos, & Iudex, & ad definiendum, & ad condemnandum. Vt patet ex loco Deuter. 17. Non enim dicitur Sacerdotum, & Iudicum, sed [Sacerdotis, & Iudicis.] Nec obieceris iudicium illud ideo valere, quia secundùm leges fiebat, vnde virtute legum, non priuati iudicij Sacerdoti pareodum: quod Beza opposuit eiusmodi loco Deut. 17. [Facies quodcumque docuerint iuxta legem eius.] Nam hoc in obijcientem retorquetur. Manifestè enim supponitur iudicium illud semper iuxta legem fore: quod nos de Papa diximus. Imò ad id eum consuli, vt in dubijs mentem legis exponat, quam cùm exposuerit assentiantur dubitantes. Alioqui frustra esset consultatio, si ille errare posset, & ab alio corrigi: necesse enim esset ad alium Iudicem prouocare, & gradatim in infinitum procedere. Id nos eodemmet obiecto loco docet [Hebraica veritas, sic enim 7. Facies secundùm verbum, quod, nuntiauerint tibi ex loco, quem elegerit Dominus. Et custodies valde, vt facias secundùm omnia, quæ sancita fuerint tibi, secundùm legem, & iuxta iudicium, quod dixerit tibi, facies.] Pe-

rin-

rinde, ac quæ doceant, quæ dicant, ex lege fint, ac ita coniuncta cum lege, vt lex in ijs, ac per eos loqui videatur. Clariùs adhuc Sanctes Pagninus. [Facies secundùm sermonem verbi, quod annuntiabunt tibi, & custodies faciendo iuxta omnia, quæ docebunt te, iuxta sermonem legis, quem docebunt te, & secundùm iudicium, quod dicent tibi facies.] Ex ore igitur Sacerdotum pendere debebat consultor, & dictis obedire: nec nouam institutre quæstionem: seque superiorem examinando iudicem constituere: quod hæretici faciunt: vt omnia arbitrio suo suspendant, suspensaque definiant.

Aliud nobile argumentum suppeditat fons, & radix huius, quam astruximus auctoritatis: Quæ sanè in loco, & munere consistit. Nemo est enim, qui nesciat, quos Deus ad eam dignitatem euexerat multa ijs singularia concessisse, vt inter cæteros, & præstarent, & eminerent. Vti enim erant in fastigio dignitatis, ita & culmen auctoritatis obtinebant.

Hinc illa inauguratio, hinc illa maiestas, hinc illa capitis corporisque ornamenta, hinc illa in capite Cydaris; Hinc in fronte lunatum aurum, hinc in humeris ambitiosa fupethumeralis ex auro, purpura, bysso, Hyacinthoque textura, ex alto sinuoso plexu ad pectus vsque excurrens: hinc illud in pectore quadratum rationale iudicij Monile, illustratum auro, baccatum gemmis, cælatis nominibus pretiosè vocale, nodosis fasciarum spiris, & mordentis auri catenulis vinctum omni libertate iucundius. Hinc illa tunica hyacinthina, laxis augusta sinubus prolixa longitudine talaris, ora in mala punica luxuriosè fruticante, & tintinnabulorum arguto sonitu garrulè tinniente, & pedum pulsui numerosè respondenti, vt & stantis imago, & incedentis quiddam humano maius spiraret.

[Verus, vt aspectu Deus, incessuque pateret.] Totus hic habitus auctoritatem præ se ferebat, & quot erant ornamenta, tot erant testimonia veritatis. Cuius sactum illud pectus sedes erat; in quo nimirum [Vrim, & Thummim doctrina, & veritas] habitabant. Ita rem, prouidente Deo, vt doceret in ea persona non humanæ conditionis, sed Pontificiæ dignitatis habendam esse rationem. Ideirco cùm accipienda erant ab eo veritatis oracula, illo indui vestitu opus erat, vt quæ diceret non à priuato, sed à pontifice aliam gerente personam profecta viderentur. Huic illa vox ad eos Regum [Applica Ephod.] cùm Arcanum aliquid, & Deo tantùm cognitum reuelari sibi vellent: nam cùm diuinum sit futura, occultaque prædicere, ac prodere, oportebat ad ea diuinanda, & patefacienda Pontificem habitu, & dignitate Diuinam quamdam speciem exhibere. Et quidem vno è quatuor modis Deum ille patiebatur. Aut per Angelum inspirantem, aut per spiritum afflantem, aut per notas è cælo demissas, aut per radios lucis eximiæ in lapillos pectoris impactos, & in oculos intuentium promicantes. Qui postremus Iosepho placuit. Certè, vt varietas in modo esset, numquam fuit in iudicio inconstantia; semper ille vera, dum Synagoga sponsa fuit, & dixit, & portendit. Imò, & altera iam, & corruptissima, certissima quædam eius auctoritatis signa manserunt. Nam & Cayphas prophetauit, & Ananiam Paulus coluit. Tanta erat vis dignitatis, vt præcipiti iam, deiectaque Synagoga in suo adhuc vestigio consisteret. Imò & ipsius Christi testimonio constat, magnam esse virtutem Cathedræ Moysi, in qua Scribæ, & Pharisæi sedebant ad plebem erudiendam; quod & supra tetigimus, & cum Augustino expendimus, qui eius rei aptissimam rationem reddidit. Non posse eos in aliena Cathedra sua docere. Ita cùm illam ascenderent, suas opinationes deponebant, cum insiderent Cælestis in eos doctrina incidebat. Vnde quicquid docebant faciendum esse Christus suadebat, quicquid faciebant agendum esse vetabat, quòd facta erant propria verba aliena, illa personam, hæc Cathedram sequebantur.

Nunc ad Romanum Pontificem veniamus, quem ille haud dubiè figurabat. Quanta eius est, & esse debet auctoritas, qui in altissimo locatur culmine dignitatis? Qui in Cathedra Petri sedet, eiusque claues gerit, datæ à Christo insignia potestatis! A quo Cathedra illa instituta, vt qui eam insideret Cælestem Magistrum repræsentaret, eiusq; vicem gerens Ecclesiam suam regeret, & doceret. Nisi fortè Deo Charior fuit Synagoga Ancilla, Agari similis, quàm Ecclesia Sponsa, vel Sara, Soror, & libera? Si ergo tot, & tanta, & decora, & ornamenta in Synagogæ collata sunt Pontificem, quantò & plura, & maiora in Ecclesiæ Pontificem conferri necesse est? Non ea dico, quæ ad temporalem, & caducam conditionem spectant, sed ad spiritualem, & æternam, quâ continetur animæ salus pertinentia. Quamquam, nec illa desiderantur, quæ faciant ad dignitatem. Sacratior inauguratio, sanctior consecratio, religiosior professio, status purior, Sacerdotium Diuinius, potestas amplior, maiestas augustior. Dignus sanè ob eam, in qua constitutus est dignitatem, ab eo veritatis oracula petantur; quæ ille cum solenni more, ac vti Magister ex Cathedra sua pronuntiat, falsa esse non possunt. Non enim tùm priuatus loquitur. sed vti Christi Vicarius, quæ virtute Cathedræ inspirantur dictat, nec tàm suo, quàm alieno, atque adeo Christi Spiritu agitur, & mouetur; vt nemini Catholico de eorum, quæ definit, dubitare liceat veritate. Nam etsi homo sit, & nihil ab eo humani alienum putemus, cum tamen ex Cathedra tamquam caput loquitur, & publicam Pontificis personam gerit, os eius alienum putamus. Itaque prouideri à Deo dicimus, ne quid obrepat, quod officiat veritati. Quidquid ad id opus fuerit supremum numen suauiter disponet, & sine quo ne folium quidem arboria motatur, & cadit, illud efficiet, vt Pontificis oracula plusquam Sibillina sint Folia, in quibus ea multò, quàm in ære perenniùs inscribantur.

Nec turbata volent rapidis ludibria ventis.

Itaque, à Romano Pontifice Vniuersus Orbis Christianus [In dubijs responsa petit:] & olim à Cathedra Romæ erecta vndique missis,

missis, & legationibus, & literis postulanit. De quo, etsi supra commemorauimus, oportet, & nunc aliquid commemoremus. Anacletus epist. 1. de opressione Clericorum. [Difficiliores, inquit, quæstiones, & maiores causæ ad Sedem Apostolicam referantur.] Euaristus :[Ad sedem Apostolicam,tamquam ad caput sunt dubia te ferenda.] Alexander I. epist. ad omnes Orthodoxos. [Huius Sanctæ, & Apostolicæ Sedis Apici summarum dispositiones causarum, & omnium negotia ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt,quasi capiti.] Zephyrinus epistol. ad episcopos Sicilianos: [Maiores ecclesiæ causæ à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli statuerunt, sunt terminandæ,iuxta illud: Quodcumque ligaueris.] Iulius epist. ad Orientales Episcopos: [Conciliorum conuocandorum iura, & maiores causas ad Sedem Apostolicam Euangelicis, Apostolicisque institutis referri oportet. Id à sanctis Apostolis, & Successoribus eorum, id à Niceno Concilio definitum est] Citatque caput 18. Concilij in hæc verba: [Omnes episcopi in grauioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant: cuius dispositioni omnes maiores ecclesiasticas causas antiqua Apostolorum auctoritas reseruauit.] Idem tradunt statuisse Concilium Nicenum, Athanasius, & Pontifices Ægyptiorum Thebaidis,& Libyæ in epistol. ad Felicem. Ac illum Canonem nomine Niceni Concilij protulerunt in Sexta Synodo Carthaginensi Faustinus, Philippus, & Asellius Apostolicæ Sedis legati ex literis Zozimi Papæ. In eamdem sententiam scribit Innocentius I. ad Victricium, & Leo ad Theodosium Iuniorem. Damasus ad episcopos trium Concil. Africanorum: [Summas causarum definiri absque Sedis Romanæ auctoritate non licet.] Innocentij I. Egregium est in epist. ad duo Concilia Carthaginense, & Mileuitanum testimonium. [Congrua Apostolicæ Sedis arcana consulitis antiquæ regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe nostis esse seruatam, præsertim quoties fidei ratio ventilatur.] Nec id patres negarunt, immò fateri consulendo Innocentium occuparunt. Id Sixtus I. ad Gallicanas Ecclesias. Id Eleutherius ad easdem affirmat. Id Pius I. ad omnes Ecclesias.Id Victor epist. ad Theophilum. Id Marcellus ad Episcopos Antiochenos. Id Eusebius ad Campanos, & Thuscos. Id Melchiades ad Hispanos. Id Marcus ad Athanasium. Id Leo ad Anastasium epistol. 54. & epist. 67. ad Episcopos Viennenses. Id Vigilius in Decretis suis,cap. vlt. Id Gelasius ad Anastasium Augustum. Id Pelagius II. ad episcopos, qui Constantinopolim conuenerant. Id Gregorius epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum. Id plerique alij pontifices, qui citantur 12. dist. & 17. & 19. & 20. 21. & 22. & 80. dist. cap. vrbes, & 96. dist. cap. Benef. & 24. quæst. 1. & 25. quæst. 1. & de electione, cap. Significasti, & de prinilegio capit. antiqua, & de Baptismo cap. Maiores, & de elect. in 6. capit. Fundamenta, & in Extrauag. Vnam Sanctam. Imò tam certa, & constans hæc esse veritas debet, vt qui negec Pontificem Romanorum verum esse in dubijs, & controuersijs fidei iudicem Authore Irenæo lib. 2. contra Valentinum,ecclesiæ auctoritatem neget. Quare pontifices ipsi ecclesijs,quæ à fide Catholica defecissent, ad eamdem redire volentibus scriptam credendi formulam dabant,quam seruarent scriptam, ceu ad ipsos attineret fidei tradere documenta. Huiusmodi formulam scripsit Bonifacius secundus in epist. ad Eulalium Carthaginensem Episcopum. Eamdem Hormisdas ad Hispanos Episcopos misit, vt secundùm eam admitterent Schismaticos resipiscentes. Eamdem Adrianus ad Synodum 8. Generalem dedit. Hanc recepit Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, cùm illa ecclesia, quæ à Romana, auctore Acatio defecerat, ad eamdem redire vellet.

Age vero celebres controuersias commemoremus, quæ primis illis sunt ortæ seculis, easque tamdem pontificum calculo definitas monstremus.

Quæ de tempore celebrandi Paschatis agitata tot in Synodis est quæstio, ea demum à Victore Papa transacta anno 168. à Christo nato, teste Eusebio lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 23. & seq.

Alia de Lapsis post Baptismum ad pœnitentiam admittendis contra Nouatum, decisa est in Concilio Romano sub Cornelio Papa. Anno 255. iuxta Baronium, & Spondanum.

Alia de distinctione personarum aduersùs Sabellium, sublata est à Concilio Alexandrino Papa Syluestro, anno Christi 319. secundùm eosdem.

Alia de vnitate in Christo naturæ contra Eutychen, & Dioscorum, soluta in Concilio Chalcedonensi sub Leone Papa. Anno 464. teste Suario, & Vasquio in 3. par. Diui Thomæ, & Baronio, & Spondano ad eum annum.

Quid? quòd duæ in Christo voluntates in Concilio Generali Constantinopolitano3. Papa Agathone ad tollendum Monothelitarum errorem, D. Thoma in 3. par. teste, constitutæ. Iterari Baptismum semel ritè collatum posse, & interdum debere, censuit Marcion, & Donatistæ. Oppositum in Romano Concilio Melchiades decidit. Errores Pelagij, & Celestij Innocentius I. Zozimusque damnarunt. Semipelagianorum Cœlestinus, & Leo, quemadmodum constat ex Augustino,& Prospero. Non omnes deinceps exortas in ecclesia controuersias libet enumerare. Quæcumque illæ fuerint ad Apostolicam sunt Sedem relatæ,& pontificum Iudicio definitæ.

Eas exactissimè Baronius, Biniusque, & Spondanus commemorant. Vt verum id esse perpetua Ecclesiæ per omnes ætates consuetudo traditione venerabili confirmet. Ego vnum, vel alterum afferre volo.

Grauissima, & celeberrima illa de prædestinatione inter Gottescalcum, & Hincmarum seculo octingentesimo orta, & annis fermè triginta agitata, extitit: quæ totam Galliam tum in factiones, nunc in, disceptationes diuisit. Ea tot Synodis, tot Concilijs ventilata Nicolai demum Papæ arbitrio dempta quieuit, & quam tanta Episcoporum, & Doctorum hominum, Rege item adhibito multitudo sopire non potuit, vnius Pontificis compressit auctoritas.

Alteri

Alteri occasionem præbuit Abaylardus, qui veterum hæreticorum errores magna ex parte instaurabat.

Sed eam exorientem Bernardus ad Innocentij II. Romani tum Episcopi Sedem impegit, eamque impactam elisit. Cuius testimonij nectare locum hunc meum aptè perfundam.

[Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt.]

[Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damnum vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est.]

[Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua.]

[Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos. Id quidem modo necessarium.]

[Tempus est, vt vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis.]

[In eo planè Petri impleris vicem, cuius tenetis, & fidem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.]

Philtrum ex hoc nectare Thomæ Anglo propino, vt cœlestem in eo doctrinam bibat. Ac vt irritem gulam, Petri Chrysologi sententia inauro, ex epistola ad Euthychetem præfixa actis Græcolatinis Concilij Chalcedonensis. [in omnibus hortamur te, Frater honorabilis, vt his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Romanæ Ciuitatis episcopi causas fidei audire non possumus.

Hauriat, & pleno Blacolus se proluat auro.

Eum iam inuitare incipio, quod paulò post eum tota mole disputationis obruero: sed volo prius hoc haustu soporare, quò minùs sentiat dolorem. Operculum hac Patina Adagio refutato dignissimum afferam, Anselmi Diuini viri auctoritatem, & claudo. Ille ad Vrbanum lib. de Incarnat. Verbi, cap. I. [Quoniam Diuina prouidentia Vestram elegit Sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, siquid contra Catholicam fidem oritur in ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur.]

ARTICVLVS III.

Quomodò hæc infallibilitas insit Pontifici?

Dira sciendi libido eò adegit audaces hominum mentes, vt rerum intelligentiam egressę, modos quoque vellent inquirere. Modum Deus in rebus posuit; ne rerum modos inuestigaret audacia: sed hæc in vetitum nixa, modum non tenuit. Adeo perijt frons de rebus, vt nisi causæ, modique sciantur, res quoque ignorari existimentur. Vt humana Auaritia, non contenta ijs, quæ natura protulit, & contulit in medium, ipsius viscera scrutata est, & intestina terræ, marisque penetrauit, sinus, & venas, & fibras omnes aperuit, & scidit, vt opes non sine communis parentis iniuria, gemituque extraheret: ita, & cupido sciendi, his, quæ, & sensu percipi, & euidenti ratione demonstrari possunt, prætermissis, arcanas item rerum causas, & abstrusos earum modos, occultissimasque rationes scrutari perrexerunt: nec in humanis dumtaxar, (sed quod dolendum est maximè) in Diuinis quoque tentarunt: & fortiora se quęsiuerunt, & altum sapere voluerunt, quin & vera esse noluerunt, quorum rationes, modosque ignorarunt. Monstrosa sanè libido, quæ studio videndi cæcitatem contraxit. Nulli essent Ariani; si nollent rationem scrutari, cur Verbum ex Patre natum eo minus non esset, cum ab eo esset? Nulli Pelagiani, si Gratiæ necessitate accepta, quomodo cum eo stare libertas posset, non inquirerent. Nulli Sacramentarij, si agnita veritate Corporis Christi in Eucharistia, modum quo id fieri possit non inuestigarent. Ideo Grauiter Tertullianus: Philosophos Patriarchas Hereticorum appellauit, quod cum ratione omnia metiantur, nihilque nisi cuius in promptu est ratio ratiocinando admittant mysteria fidei, quæ supra captum sunt nostrum, cum non possent mente assequi, negarunt.

Hoc vitio Thomas hic noster cum quibusdam Heterodoxis laborat, qui Pontificis auctoritatem in dubium vocant: & quòd dubitant quomodo ea Infallibilis sit, & quòd eos latet ratio, fallibilem putant. Satius esset locos Euangelij luce clariores, & Traditionem Ecclesię perpetuam (Cuius magnam esse vim aliàs fatetur Thomas) & totius consensum Ecclesiæ omnibus argumentis fortiorem expenderet ad huiusmodi auctoritatem asserendam: quàm ad eam negandam obscuritate modi quo insit in pontifice, duci. Thomam igitur Anglum, & in eo Heterodoxos egomet mihi primùm confutandos propono: obiecta deinde ab eo cum ipsis argumenta dissoluam.

Igitur poscunt, vt aliquo visibili signo, id est miraculo, vel (vti ab ijs audiui Londini) Diuino aliquo scripto, & de Cœlo lapso, tamquam Ancili probemus. Putant quippe non aliter de hac prærogatiua constare posse. Ijs similes, [Si fortè attrectarent eum: & illis, qui tentantes signum de Cœlo à Christo quęrebant.] Quibus ego eadem, qua Paulus, & Christus ratione satisfaciam. Nam sicuti Paulus Athenienses Poetarum Suorum testimonijs conuincit, ita mihi sedit, qui mecum disputabant Heterodoxos, eos argumento à suis ducto tum, & modo confutare. Quęram ex ijs an suo Luthero, Caluino, Zuinglio, Melanctoni credant Spiritum sanctum adfuisse, & quæ docuerunt inspirasse? Quod si credunt, dicant quo signo, miraculoue id constet? Quod si aut non est opus miraculo;

aut

aut ij, ducente spiritu, comperiunt, ne exigant à vobis, quod superuacaneum est, aut credant Spiritui Catholicorum in id consentientium. Aiunt se non ijs fidem habere, sed locis, quos citant Scripturarum. At quis eos docuit, ita esse hos locos, vt ij exponunt, intelligendos? Respondent: Spiritus. At hic minimè quidem oculis videtur. Enim verò nos ijs objicimus: non priuatum, sed communem totius Ecclesiæ, & per manus traditum à Patribus, Scriptura nixum. Age verò proferant locum aliquem Scripturæ, quo probent Magistris suis Spiritum Sanctum adfuisse, qui vllo sit modo, cum ijs quibus confirmamus, Petro, & successoribus inesse, conferendus. Non dabunt. Carent traditione, carent auctoritate Patrum, carent consensu Ecclesiæ, vna abundant audacia. [Ex nostris exierunt.] Quæ nota hæreticorum est. Nos vbi eramus, mansimus. Apud nos est antiquitas, ij nouitatem inuexerunt. Fuit, qui à me Diploma ioco postulauit. Ludunt, cum argumentantur: & seria omittunt. Risi, ac respondi. Exhibe quæso, mihi diplomata Luthero, Caluinoque data. An tu cùm Regibus pares tuis, diplomata exigis, & eorum examinas potestatem? Non solo scripto res probantur. Nonne prædia, & villæ, & domus interdum sola præscriptione possidentur, & vbi ea memoriam excedet hominum, literę, non postulantur. Erubuit. Tum ego grauiter. Quin perspicuum, & amplum tibi diploma repræsentare volo, quo rem confirmem. [Pasce oues meas.] Si aliud desideras adijcio. [Confirma fratres tuos.] Si plura, relege ante scripta. Inuenies. Puduit eum temeritatis suæ: & cæteros si frontem habent, opinor pudebit. Itaque exemplo Christi perentibus miracula, & signa: Dedi scripturæ testimonia, quale est [Signum Ionæ Prophetę.] His ego & Heterodoxos, & Catholicum Thomam refuto. Imò & hunc possem, si admittit miracula, iusto, idoneoque adducto refellere; quod nemo est, quin commemoret. Columbæ ad aurem Magni Gregorij visæ consistere, & scribenda dictare. Nam cur in solo Iordane Columba? Ibi Christus ipse re, ac persona. Romæ ad Tyberim Christi Vicarius; & virtute, ac munere Christus. Aptè Columba. Imò Sedes ipsa Petri, columba est in petræ foramine, & sponsa soror vnica, & formosa. Cui vox sponsi ad eius aures non insonabit. Peperam igitur Thomas hos Spiritus sancti afflatus [commenta, & portenta] paragr. 17. ad finem appellat. Nec enim nos asserimus huiusmodi signa, quæ videntur oculis, & tanguntur manibus: sed illum afflatum dicimus, qui interiore illustratione, & motu fit: quamquam si nobis essent puri, defæcatique oculi, non dubito quin aliquando similia Gregorianæ columbæ miracula videremus, [nec enim est abbreuiata manus Domini.] Sed hominum vita dissoluta.


Et quidem Thomam sua ratione vrgeo. Fatetur ille, imò & iactat tum scripto, tum verbo se mysteria fidei ita solere argumentis probare, vt ad libellam naturalis luminis conformet. Quod an fieri debeat, ac possit, & an ille præstiterit, aut præstiturus sit ventilare nunc nolo, tantùm accepto ab eius iactantia, argumento ita premo. Recta ratio postulat, vt qui caput Ecclesiæ Pontifex, & Pastor est, is ad suum dirigendum, regendumque Gregem, & potestatem, & auctoritatem habeat idoneam, & constantem: Atqui hic grex præcipuè doctrina & dirigitur, & regitur; ergo necesse est, vt Pontifex, in ea & tradenda, & conformanda errare non possit. Quod omninò ad prouidentiam Dei pertinet. Nam cùm illa sit ad eum finem dignitas instituta, & Sedem ille Petri teneat, vicesque repræsentet, oportet, vt à Deo accipiat, quæ ad illam sustinendam, agendamque personam exiguntur. Ecquis enim quæso Rex, aut Princeps, cùm Proregem, aut moderatorem Prouinciæ, vel ciuitati suo nomine præficit, non ei cum munere confert quicquid ad illud administrandum necessarium est, non habita ratione personæ, sed dignitatis? Imò cùm quis apud hæreticos minister instituitur, accipere creditur ad munus suum exercendum idoneam cum potestate auctoritatem. At hi aiunt, non accipiunt spiritualem lucem, aut scientiam, nec infallibile iudicium. Nec nos affirmamus Pontifici eo ipso, quòd Pontifex est aliquam maiorem lucem, aut scientiam à Deo infundi: sed dicimus eum, vbi creatur Pontifex, speciali prouidentia à Deo esse dirigendum, & patrocinio confirmandum; ne in ijs, quæ sui sunt muneris errare possit. Quemadmodum cùm Christus Iudam inter cæteros Apostolum creauit, eo ipso quòd creauit, omnia ei contulit requisita ad Apostolicam dignitatem, nulla habita priuatæ personæ, sed muneris, & officij ratione, ita qui Pontifex eligatur, quicumque ille demùm sit, accipit à Christo, quod necessarium est ad ministerium suum exercendum. Sed in Apostolis erant signa, & miracula quædam, quæ Iudas cum patrabat Apostolicæ suę dignitati fidem faciebat, quæ in Pontificibus non videmus. Igitur [nisi signa, & prodigia non viderint, non credent.] Videant quibus similes sunt; ac erubescant. Deinde audiant, & expendant. Creduntne se veram habere fidem, & accipere Spiritum sanctum? Omninò, nam ea se sola saluari dicunt, & non saluari, nisi sint certi eam habere: vnde & fides, & fiducia omne apud eos instrumentum salutis est. Imò, & Caluinistę tamquam dogma fidei profitentur, se omnes & Theodidactos, & Prædestinatos esse: At ego probem non esse: nam si scripturis credimus, cùm primi illi fideles Ecclesiæ primitiuæ fidem, & Spiritum sanctum accipiebant, signo sensibili & fides, & Spiritus ijs sanctus dabatur: atque adeo videbant se eo Spiritu frui: ac eo sæpè argumento baptizabantur. Si autem illud signum necessarium erat, nemo hodie hæreticorum fidem, nec Spiritum sanctum habet: nec enim illud inter eos miraculum fit, nec ipsi fieri volunt, imò si quis fieri dicat, rident, & iocantur. Cur ergo signa quærunt, si de signis quæruntur. Succensent enim, si quis nostrum miracula in Ecclesia Catholica nostra fieri affirmet. Præterea quæro ex ijs, vtrùm Baptismo conferri gratiam putent? Annuunt. Quo signo? Nam non descendit visibili specie Spiritus sanctus, vti vel columba, vel lingua ignea, vel saltem Angeli specie in piscinam. Igitur aut negent signis opus esse, aut desinant dicere, vbi signa non sint, gratiam non esse.

Quomodo igitur Spiritus sanctus adest Pontifici, cùm opus est aliquid controuersum definiri? Dicam; sed respondeant priùs: Quomodo Spiritus sanctus adfuit Apostolis in Concilio, cùm controuersiam de circumcisionis necessitate definierunt? Scimus enim, & credimus Spiritum ibi sanctum adfuisse, aut Apostolos eo afflatos dixisse: [Visum est Spiritui sancto, & nobis,] cùm tamen nullum aut signum, aut miraculum factum legamus: quos Spiritus ille sancti afflatus comprobetur. Non confero Papam, aut æquo illi Apostolorum Concilio: tantùm sumo, quod rei hæret, & loco. Non opus esse visibili signo ad probandum afflatum Spiritus sancti. Ille tum Apostolos illustrauit, mouit, direxit per intimam illuminationem, & inspirationem. Hac vtetur, cùm Pontifex aliquid definiendum, quod ex vsu Ecclesiæ sit, suscipiat.

Recogitet Thomas Anglus modum, quo Spiritus sanctus in nos agit, cum iustificat. Intellectum luce Diuina, & voluntatem face admota excitat: & in vtraque potentia intimè operatur, donec eliciat efficaciter liberum cum voluntate deliberata consensum. Hæc omnia sine strepitu (vt ait Augustinus) forinsecùs insonante fiunt, & reipsa in nobis partim sine nobis, partim à nobis, sed semper nobiscum fiunt, nec opus est externo, & visibili signo ad huiusmodi motus gratiæ, & inde secutam iustificationem demonstrandam: qua nihil est in hac vita mirabilius, & Diuinius. Hac ratione Deus Optimus Maximus cum Romano agit Pontifice, cùm aliquid est decernendum, quod ad fidem pertineat. Primùm ei proponitur quæstio. Tum excitatur mens Pontificis iustis rationibus ad eam suscipiendam, quas & necessarias periculum hæresis imminens, & vtilitas in Ecclesiam manatura, & iusta priorum, & doctorum hominum supplicatio, & causæ ipsius grauitas facit. Mouetur arcana inspiratione voluntas, tum accedit de re deliberatio: vt aut Concilio vtatur, aut constitutione solemni. Misso Concilio cùm nec semper haberi debeat, nec possit, constitutionem cogitat. Tum Deus dirigit, vt nihil prætermittat eorum, quæ ad rectè iudicandum, & ritè constituendum necessaria sunt, id est examen, & inquisitio sedula, adhibitis testibus idoneis, & incorruptis: Consultatio seria, & grauis Doctorum, & sapientum. Disputatio, si ea opus sit, acris & exacta auditis hinc inde diuersarum scholarum, & sensuum hominibus. Interim preces, & vota suscipiuntur, & superi religiosè inuocantur. Demùm omnibus disputatis, & putatis rationum disputantium momentis, causam ad se Pontifex reuocat, eaque accuratissimè inspecta, & perpensa pro tribunali non sine Christi, cuius & vices gerit, & personam agit, prouuntiat, vti Pontifex, sententiam, & certum, ac infallibile iudicium fert: omninò tenendum. Hac ratione Spiritus sanctus afflat, & dirigit per intimas inspirationes prouidè, & tacitè, ad communem Ecclesiæ doctrinam: quomodo singulos homines priuatos ad fidem mouet, Omnes enim, qui credunt, non nisi afflatu Spiritus sancti credunt, nec aliter, nisi per inspirationes intimas afflantur: ac nemo dubitat quicumque credunt eos à Spiritu sancto afflari, & duci. Cur igitur ambiget Thomas, & Heterodoxi Pontificem certò, & infallibiliter ad docendam Ecclesiam hoc modo afflari, & moueri? nec alio signo, aut miraculo opus esse? & possunt, ait Thomas, ista deficere, & iis deficientibus error obrepere, imò & affirmat sæpè deficere. Latiùs ad id ego sequenti quæstione. Nunc interim eis Heterodoxis obiicientibus: Quid? si ista desint? Vno verbo respondeo. Quid si cœlum ruat? Ruet verò istud citiùs, quàm verba Christi deficient. Verba Christi sunt. Non deficiet fides tua. Cœlum igitur, & terra transibunt. Verba autem Christi non transibunt.

Modum autem huius prouidentiæ occultæ, & tacitæ, sed certæ, & infallibilis illata exempli face illustro. Qui confirmati sunt in gratia, donum illud à Deo confirmationis accipiunt per singularem Dei prouidentiam, remouentis occasiones peccandi, & augentis illustrationes mentis, & inspirationes voluntatis suauitate quadam mirabili, & arcana virtute citrà vim, motumque vllum sensibilem, eosque illo tenore, cursuque prouidentiæ sanctos, & incorruptos ad extremum vsque vitæ anhelitum infallibiliter perducit. Sanè in Beatissima Virgine Dei parente admirandæ istius forma prouidentiæ eluxit. Ecquis enim ea sanctior, integrior, purior, & omni genere virtutum præstantior? Nec tamen in sacris literis nulla cum rumore, & strepitu cernimus Sanctitatis eius impressa vestigia: cuiusmodi Baptistæ, & Apostolorum deprehendimus, quorum in orbe virtutis confecto, non solùm orbitam impressam videmus, sed sonitum quoque currentis audimus. Cùm tamen in apice illo, ac Sanctitatis Maria omnia tacita, arcana omnia, nullo indicio, nullo signo foras strepitu prodeunte inueniamus: Quæ ideò excellentior gratia est, quòd ea ratione mysterio propior sit, atque adeò colenda, & admiranda. Hac ratione Ecclesiæ suæ auctoritatem Deus in summo Pontifice operatur, & tuetur, & illa confirmatio [confirma fratres tuos] in doctrina, ne erret, similis est confirmationi in gratia Apostolorum. Vtraque certa, & constans, vtraque infallibilis, Deo ne deficiat, suauiter, & intimè prouidente, nec ad eam vel astruendam, vel confirmandam signo sensibili opus est. Quemadmodum nec hodie ad probandam Sacramentorum, puta Baptismi, & confirmationis, & ordinis gratiam, & effectum signa visibilia exiguntur. Atque hic est modus, quo Deus hanc prærogatiuam Summo Pontifici concessit, & quo ille infallibilem habet auctoritatem. Prouidebit igitur supremum illud numen, à quo omnia sapienter reguntur, [cuius prouidentia in rerum dispositione non fallitur,] vt ne quis error incidat, ne qua falsitas obrepat, ne quid quod ad veritatem definiendi conducat, in Pontificis examine, & iudicio desideretur. Quam qui non vult cum Thoma Anglo, & Heterodoxis citra signa, & miracula fateri, neget veram hodie, & Catholicam fidem apud nos esse, quòd non fit ea signis, & miraculis, qualia in primitiua erant Ecclesia, confirmata. Nam nec Spiritus sanctus per speciem apparet, nec genera conceduntur linguarum, nec aliorum tanta est copia prodigiorum, nec tam effusa abun-

abundantia gratiarum. Quæ certè licèt in Ecclesia Catholica Romana interdùm inueniantur, non ea tamen nos ad confirmationem fidei exigimus, aut necessaria esse existimamus. Nam illis ea ætas carere non debuit, vt fidei prædicatio, quæ noua, & recens erat, maiorem sibi auctoritatem conciliaret, & in animos audientium per admirationis, & reuerentiæ aditum penetraret. Desinat Thomas signa petere, qui omnia ratione metitur, & Catholicum se profitetur: apud quem Sacrarum literarum valere debet auctoritas. Desinant Heterodoxi miracula exigere, qui negant vlla esse in Ecclesia vera nostra, quod nulla in sua sint, nec esse possint: cum apud quos non est Ecclesia, nec virtutes fieri queant, quæ à fide proficiscuntur. Vnum miraculum iactare possunt, Genus linguarum non, quòd Donum linguarum habeant, sed quod suæ quisque linguæ Scripturam faciat, eamque omnes linguæ loquantur: & puerorum, & Puellarum, immò & balbutientium, vt cùm Spiritus sanctus linguas fecerit disertas, illi Spiritum sanctum infantem faciant: cogaturque in linguis Infantium balbutire.





QVÆSTIO QVARTA.

De ijs, quæ contra Summi Pontificis auctoritatem obijciuntur.

ARTICVLVS I.

Tria prima Thomæ Angli aduersùs huiusmodi Auctoritatem argumenta proponuntur, & soluuntur.



Vibus hæretici Papæ auctoritatem oppugnare argumentis solent, ea penè omnia Thomas opponit. Sed quoniam stylus eius Scopæ sunt dissolutæ, volo eum in methodum Scholæ collectum, & castigatum redigere.

Primùm obijcit. Priuilegium illud non est in persona Pontificis in ordine ad Ecclesiam, sed in Ecclesia tota, & Clero Romano, Igitur falsò tribuitur Pontifici. Probat Antecedens: quia Petrus non accepit illud priuilegium, vt persona distincta ab Ecclesia, sed vt erat ab alijs Apostolis distincta persona, non ab Ecclesia, quam repræsentabat.

Itaque Ecclesiæ in eo datum est priuilegium: non Petro ad Ecclesiam regendam. Quare Ecclesia est, quæ facilè non potest, non Pontifex. Hoc est iustum Thomæ ex iniusto fasce rationum conflatum argumentum. Debeat mihi, quòd nitidè, ac perspicuè proposui: nam nemo apud eum facilè intelliget, imò qui legat putet ineptè dici multa, quæ à me sunt aptè exposita. Vnum affero distinguit Petrum [contra Ecclesiam,] Ambiguè nam illud contra videtur innuere [Aduersùs Ecclesiam ;] mox ait distinctam ab Ecclesia sua, ceu separatum ab ea, cuius est caput, & de eo quasi aduerso, aut præciso loqui, quæ absurda prorsus sunt. Ego autem ea emolliui subactis terminis, & eruto apto sensu: quem existimo ab eo destinatum, etsi minùs expressum.

Respondeo distinguendo illud antecedens: nam si sensus sit Pontificem accepisse illud priuilegium in ordine ad Ecclesiam, & intuitu illius concedo. Si verò sensus sit non eum, sed in eo, ac per eum Ecclesiam illud in se habere, ita vt non sit in persona pontificis, nego: & consequentiam item nego, Et eodem sensu confirmationem ab exemplo Petri, omnino negem. Nam Petrus, etsi Ecclesiæ figuram gesserit, ita tamen gessit, vt sua cum ea priuilegia non confunderet, nec admitteret ea, quæ erant propria capitis: Itaque retinuit in ea figura distinctionem graduum in Ecclesia: vt distincta manerent Caput, & Corpus. Alitcr non esset Petrus Caput, & Pastor Ecclesiæ, sed Ecclesia sibi Caput esset: & capite careret. Rem expono. Petrus cùm à Christo Caput, & Pastor institutus, non pro se tantùm fuit institutus, sed etiam pro reliquis sibi in Ecclesia successuris: atque id erat repræsentare Ecclesiam, & monstrare, quid in ea futurum erat. Patet ex supra à me dictis, quæst. 1. ex Augustino. Itaque Petrus non amittebat quod suum erat, sed retinendo monstrabat, id quod habebat in Ecclesia, post eum esse mansurum: & quod ipse munus accipiebat, ad successores, qui in Ecclesia futuri erant transiturum, atque adeo ad Ecclesiam pertinere. Alioqui si quicquid Petrus accepit amisisset, & in Ecclesiam transtulisset, etiam fidem, quam habebat perdidisset, & dignitatem capitis, quam per eam meruit, perdidisset. Itaque absurdum est dicere cùm Petro dictum, [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,] de tota Ecclesia dictum, cùm absurdum sit dicere, [Super hanc Ecclesiam ædificabo Ecclesiam:] non enim Ecclesia super Ecclesiam ædificatur.

An cùm Christus Petro dixit [Pasce oues meas,] dixit toti Ecclesiæ, id est, omnibus fidelibus, atque [oues ouibus] pascendas dedit? Cùm Petro claues tradidit, omnibus, qui in Ecclesia sunt tradidit? Non eo sensu repræsentabat Ecclesiam Petrus, vt quicquid accipiebat ad Ecclesiam ita transmitteret, vt in eo non maneret. Nisi fortè cùm illud priuilegium [confirmandi fratres suos in fide] ad Ecclesiam, non ad Petrum pertinuit, qua ratione necesse erat [Ecclesiam fratres habere.]

Alio sano, & iusto sensu priuilegium illud pro Ecclesia Petro concessum: nempè vt intuitu Ecclesiæ ad eius vtilitatem, regimenque acciperet. Et quidem hic constat: nam Petrus ideo caput institutus, quia id Ecclesiæ corpus exigebat, quæ sine capite constare non poterat: Ita enim visibili corpore visibile caput conueniebat. Ideo Pastor electus, vt gregem Christianum regeret, & pasceret: qui Pastore indigebat. Ideo claues accepit, vt aperiret, & ligaret conscientias subditorum, & thesauros indulgentiarum. Itaque omnia, & mu-

munia, & priuilegia, quæ Petro tamquam Capiti, & Pastori collata sunt à Christo, ad Ecclesiæ administrationem, & vtilitatem feruntur.

Nunc quàm ineptè Thomas Anglus argumentetur, demonstro. Ait: in Ecclesia, & in Clero Romano, non in Pontifice illam esse auctoritatem, quia non condistinctè ab ijs data est, & cum Ecclesiæ corpore coniunctum, imò & propter id datur: hoc autem non tollit, quòd ea potestas sit in ipso Pontifice, & ab ipso emanet. Id apparet exemplo Regum. Nonne hi accipiunt potestatem, in populos, nec sine populis possunt consistere, & ratione, ac intuitu eorum ius, & administrationem exercent, nec tamen ea potestas in subditis est, sed in Regibus, cùm tamen hi ab ipsis populis sint creati. Negabit ne Thomas penès Reges Imperium, & ius esse, quia illud non habent [condistinctè,] vt ait, à suis populis? Sanè non neget etiam si Reges à populis cùm primum sunt instituti acceperint potestatem. Inficiari ergo non poterit Petrum, & successores pontifices priuilegium illud auctoritatis habere, etsi non habeant condistinctè ab Ecclesia, cùm illud immediatè à Christo acceperint. Sin negemus Thomam, qui magister est, & discipulos habet, magisterium non habere in se, sed in discipulis suis, ad quos refertur: nam magistrum, & discipulos relata esse non neget. Si igitur magisterium, cùm ad discipulos referatur, & à discipulis pendeat, manet in magistro, & id Thomas admittat, ne magister esse desinat, cur inficietur priuilegium auctoritatis esse in Pontifice, quia ad fideles refertur, & ad Ecclesiam ordinatur, & ab ea pendet eodem sensu, quo magisterium ab schola pendere dicitur. Dato quòd argumentatio Thomæ Angli vera sit (quòd non datur condistinctè Pontifici ab Ecclesia priuilegium, non manere in Pontifice, sed in Ecclesia (non est in capite humano cerebrum, sed in corpore, quia caput non habet cerebrum, condistinctè à corpore. Quod quàm sit ridiculum videat Thomas Anglus, & tàm ineptæ argumentationis pæniteat.

Secundum opponit. In Concilijs vniuersalibus, imò & in Clero Romano est auctoritas ad decernendum certior, & firmior, & securior, quàm in Pontifice: Igitur ea nec necessaria, nec vtilis est, atque adeo neganda. Antecedens probat, quia [in Concilijs, inquit, maiori diligentia, & labore decreta perficiuntur, quàm Papalia subreptioni abnoxia, & minùs sunt obuia, & minùs frequentia:] & de rebus grauioribus agunt. Quæ suo modo Clero Romano applicanda; cùm Pontifex, homo quidam singularis sit, & magis quàm conuentus sit hominum, erroribus obnoxius. Confirmatur; quia huiusmodi priuilegium concessum Pontifici detrahit dignitati, & necessitati Conciliorum; si quid in his statuendum; & Papa vendicet, & definiat. Imò experientia monstrauit, quòd admissa illa Papalis auctoritatis sententia, exiluit Conciliorum Generalium frequentatio.

Respondeo Argumentum ineptè colligere, nam ex eo, quod in Concilijs tùm Generalibus, tùm particularibus controuersiæ fidei decidantur, non sequitur à Pontifice decidi non posse. Possunt enim pluribus modis res fieri. Quemadmodum, quòd Respublica administratur ab optimatibus Aristocraticè, & à popularibus Democraticè, non tollit, quod à Regibus Monarchicè regi queat. Ac idem omnino iter varijs modis, videlicet Curru, Equo, Rheda, Plaustro, Pedibus confici potest. Nec quòd multi sint Magistri Londini, non desinet esse Magister Thomas Anglus; nec quod alij eo meliùs, & scribant, & doceant, id circo Ille non scribit, & docet; licèt infeliciùs, alijs vtrumque præstet. Possunt igitur concilia definire controuersias, & Pontifex etiam definire, illasq; duobus modis decidere.

Sed in Argumento sunt multa examinanda; quæ coniuncta cum alijs à Thoma in his Patagraphis traditis omnino reprobanda sunt. Supponit enim Thomas Concilia per se seorsim sumpta, id est sine auctoritate Pontificis controuersias fidei definire; imò & eo remoto valere, & nihil ab eo roboris, aut firmitudinis accipere; quod suprà impugnatum est, ait enim Thomas. [Posita Congregatione Conciliorum Vigor Papalis determinationis marcescit, Concilio enim tribuitur actio, non Papæ, cum constet ex ijs, quæ supra diximus, Concilium indigere confirmatione Papæ, & ab eo vigorem, firmitatemque accipere. Vnde apparet error Thomæ, nam eo auctore, Concilium non indiget approbatione, non confirmatione Papæ, quod nemo Catholicus auctor probet, estque contra communem Patrum, quos citauimus, consensum. Nam si Concilium à Papa minimè dependeat, sequitur posse non modò inconsulto, sed etiam inuito Pontifice congregari, & congregatum, quæcumque velit suo iudicio definire; nec erit distinctio inter legitimum, & non legitimum Concilium, & reprehendendi erunt Patres, qui decreta, & Canones Conciliorum ad Pontificem mittebant, vt ab eo confirmarentur. Præterea ne Concilijs quidem Thomas etiam Generalibus infallibilem auctoritatem concedit. Et si enim dicat longiùs ab errore abesse Concilium, quod ex pluribus constet, & de grauioribus agat, & difficiliùs corrumpatur, tamen falli illud posse affirmat, atque adeo humanam ei auctoritatem præbet; quod quàm sit à Catholica alienum doctrina liquidò patet.

Tandem quid absurdius, quàm maiorem auctoritatem ad controuersias fidei decidendas Clero Romano Acephalo, & citra Papæ præsentiam, & assistentiam, quàm Pontifici Romano tribuere, quod nemo, vnquam ausus est dicere. Hac enim ratione quiuis Ecclesiasticus Conuentus erit, vel æqualis, vel maioris, quàm sit Papa Auctoritatis; nam in eo militant omnes, quas affert Thomas rationes, cum & sint multi, & difficiliùs corrumpantur, fallanturue. Illud mirum nullam rationem haberi à Thoma Anglo Diuinæ in his argumentis prouidentiæ, ceu sacra minùs curet Deus, qui humana tam prouidè administrat, & regit. Momenta dumtaxat terrena expendit, & mortales calculos ponit. Nulla mentio gratiæ, nulla Auxilij, nulla luminis, nulla afflatus supernaturalis; imò hæc omnia remouet; vt ratio naturalis in his rebus, quæ supra naturam sunt, vtramq; paginam faciat.

Igi-

Igitur ad argumentum in forma negatur antecedens; contrà affirmando maiorem in Pontifice auctoritatem esse, quàm in Clero Romano, & quouis Concilio seorsim sumpto, & à Papa separato. Ad probationem dicendum; falsum supponere, dum ait minùs exactè, & accuratè Papam procedere, ac eius decretis in causis fidei, aut per negligentiam, aut per coruptelam errorem posse obrepere; eumque humano affectu, respectuue duci, cùm quid ex Cathedra nomine Christi definit; vt nos proxima quæstione articulo 3. demonstrauimus.

Tertiùm vrget: Pontifex humano more styloque ad definiendum procedit, qui falli, & deficere potest, ac solet: cùm multi sæpè examinando, & censendo, & iudicando errores contingant. Igitur determinando, quæ infallibili fundamento nititur certa, & constans esse non potest. Assumptum probatur à Thoma Anglo his verbis. [Nulla enim possunt esse adeò expressa Bullæ verba, vt fidem faciant Papam, vel vidisse, nedum audiuisse lectam, vel totam legisse. Notum est enim pleraque ex formæ vi, multa ex ministrorum affectu, & suggestione, nonnulla fraude, vel negligentia irrepere. Quæcumque verò sint, esse modos, quibus papales aures obserentur, ne audiantur, nedum corrigantur.]

Ita Thomas Anglus Paragrapho suo XVII. paulò post principium. Doleo homini, qui & esse, & videri catholicus vult, hæc argumenta excidisse: quæ soli hæreticorum proiectissimi effutijssent. Hac enim ratione argumentandi quatit totam molem pontificiæ auctoritatis. Est enim hic Aries arte dæmonum fabricatus, ac ex Erebi penetralibus tenarijs portis eductus ad Ecclesiam concutiendam. Sed Portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam, quamquam Epeium in Blacolo, qui admoueat, inuenerit.

Respondeo. Nodum esse humanum, nam & pontifex, & nos homines sumus: etsi tamen ille humanus sit, prouidentiam esse diuinam: à qua humana illa omnia ita disponuntur, vt diuinitùs gubernentur: ac effectus diuinam prouidentiam sequatur. Vnde quemadmodum Philosophi res sæpè materiales ratione quadam vestiunt, quam formalem dicunt; sub eaque subiectas illas res puriori, & altiori modo considerant: ita nos morem illum, stylumque pontificis, etsi humanum, non debemus nudè, & materiali modo considerare, sed vt subest prouidentiæ sumere, & ratione ista formali vestitum expendere. Vndè quamquam errores illi possint contingere spectata materiali, & nuda connexione rerum, si tamen paulò altiùs oculos leuemus, & vti sub prouidentia ordinantis, ac disponentis Dei contineantur, intueamur, nullus sanè error potest obrepere. Cùm enim constet ex scripturæ, quos attulimus, locis, & traditione Ecclesiæ pontificem non posse in controuersijs fidei componendis, & decidendis errare, ad prouidentiam Dei spectat seruata rerum natura ordinem earum seriemque disponere: ne qua error, aut vitium possit obrepere. Ac vt exemplo vtar non inepto; quemadmodum ansulæ aureæ si disiunctæ sunt, & diuisæ, sparsæ, ac dissolutæ remerè iaceant, & facilè confundi possunt: cùm autem nectuntur inter se, ac copulantur, ita sibi cohærent, vt catena ex ijs existat, quæ nulla vi dissolui, dissiparique possit: haud secus illæ conditiones, & circumstantiæ styli, & moris, si re ipsa, & nudè sumantur deficere, & confundi queunt, si autem virtute prouidentiæ apprehendantur, & connectantur, Seriem efficiunt constantem, & firmam, quæ nullo non modò casu turbari, sed ne vi quidem summa labefactari, frangique possit. Quam in rem commemoranda sunt ea, quæ articulo vltimo proximæ quæstionis diximus, & aptè opinor Paradigmate confirmatorum in gratia corroborauimus: quod nunc rursum Blacolo fortiter opponimus. Qua enim ratione Deus Sanctos, quos in gratia confirmare vult, inter tot peccandi illecebras, & lenocinia seruat illibatos, & iustos, remouendo occasiones, minuendo cupiditates, & alijs quos ipse nouit miris, & occultis, vt ait Augustinus, modis agens ne labantur, & pereant cùm tamen homines sint, & ex se peccatis obnoxij, hac Deus Pontificem ne erret, dirigit, & à periculis errandi eximit, ac iuter ea certum, & constantem, cùm quid est constituendum, facit auctorem. Perperam itaque Thomas Anglus mentem suam solis humanis rebus cùm de auctoritate pontificis agebat, addixit, nec cœlestia cogitauit.

Nam hoc priuilegium diuinum est, non humanum, Dei beneficio datum, & ab eius gratia profectum. Debuit ille, cùm ista scribebat vultum tollere humo, ad cœlum conuertere, & fines rerum naturales transcendere. Ibi causas rationesque, reperiret in diuinæ prouidentiæ sinu penitus repostas, quibus effectum huius auctoritatis infallibilis assignaret.

Quæ verò affert ad negandum infallibile hoc priuilegium Thomas, si id euincerent, multa sanè, quæ certa omnino, & indubitata sunt, penitus corruerent. Nam vndè constare potest vera Sacramenta à sacerdoribus administrari, cùm multa eorum pendeant à veritate Sacerdotij, quod humano item more confertur, supponitque baptismum, & collateos Ordines, qui ab intentione Ministrorum dependent. De qua si voluerimus dubitare, nihil certum, & constans in Ecclesia reperietur. Imò non modò de auctoritate Pontificis, sed etiam de personali dignitate ambigi poterit. Et quis enim probare euidenter queat Papam esse verè baptizatum, & ordinatum, & consecratum? cùm hæc à multis causis humano item more agentibus pendeant? Nemo tamen hac de re dubium mouit, quod sunt quædam de quibus non licet dubitare: & quæ Dei prouidentia non permittat. Imò ijs non obstantibus sunt grauissimi Theologi, qui singulos, singularesque Pontifices veros, ac legitimos esse pontifices ad fidem pertinere opinantur. Sin ambigamus de Regum, & Magistratuum iure, & moueamus quæstionem an ex Regio thoro sint nati? an ritè instituti? An legitimè admissi? cùm his omnibus spectata natura rerum potuerit error obrepere. Igitur si ineptus censeretur is, qui ista exactiùs examinans de Regum iure dubitaret, cùm prorsus humana sint: ineptior indicetur Thomas, qui leuissimis illis ductus coniecturis auctoritatis pontificiæ molem Verbo Dei, & tra-

& traditione nixam deijcere conatus est. Debeat mihi earum confutationem: nam nisi confutassem locum dubitandi fecisset ei, qui acciperet, & ad illum conuerteret, vtrùm Thomas Anglus, Christianus esset? quòd de eius baptismo constare non possit: nam multi in eum potuerunt defectus, vitiaque obrepere. Verùm hæc omitto, cùm hæc quæstio, etsi ad eius salutem multùm, ad Christianam certè Rempublicam parùm videatur interesse. Id tamen non mediocriter conduceret, si ille à scribendo deinceps abstineret.

ARTICVLVS II.

Alia tria eiusdem Auctoris obiecta diluuntur.

QVartum obijcitur à Thoma Anglo Paragr. illo XVII. [Sic. Huiusmodi priuilegium nullum fundamentum habet, vel in sacris Scripturis, vel in Sanctis Patribus, Cùm enim consuetudo antiquiorum pontificum fuerit decreta ad alias partes transuehenda (maximè si de rebus fidei tractarent) non nisi in Concilijs, vel in consessu Cleri Romani statuere: sed & ipse Clerus in absentia Romani Pastoris, vel interregno responsa reddere non distulerit: nihil quod, vel in diuinis libris, vel illustribus Patribus reperitur necessariò, vel de more Ecclesiastico potest intelligi de persona pontificis secreta à suo Clero, sed vt ipso, & per ipsum definiente.]

Pars prima huius argumenti omnino falsa est: dum negat huiusmodi prærogatiuam scriptura, & Patribus niti. Id enim à nobis abundè, opinor, probatum: tanto nitore locorum, tanta luce sententiarum, vt Solem è mundo, me iudice, tollat, qui neget. Altera pars examinanda est. [Ait decreta pontificum in causa fidei ad alias partes transuehenda in Concilijs, vel Clero Romano statui.] Hoc in primis obscurum est. Nam de quibus decretis loquatur non constat. Vel enim erant, quæ motu proprio condebat Pontifex, mittebatque: vel erant responsa, quæ dabat super controuersija ad se missis ab ijs, qui alibi concilia celebrabant. Primi generis vix reperiuntur vlla, nam ferè semper pontifices inuitati, & consulti respondebant. Alterius generis quædam erant facta Romæ, aut coram Papa, & indè ad alios, qui non mouerant controuersias mittebantur, quæ erant absentis responsa ad controuersias aliorum. Et quidem, quæ in Concilijs coram habitis fiebant, constat ea in Concilio statuta: Quæ autem responsa ad alia concilia continebant, etsi ex ijs nonnulla in Conuentu Romæ agitata sint, de plerisque non constat in eo conuentu facta: & quamquam constaret, nil indè contra Papæ auctoritatem colligitur. Nam etsi Pontifex clerum congregaret, ac in ea congregatione proponeret controuersiam, & ab eo audiret sententias, & secundùm eas decerneret, adhuc tamen integram auctoritatem seruabat: nam vti caput, & pastor definiebat auctoritate propria, & à Christo communicata: & omnes alij ab eius ore intenti ora suspensa tenebant: ac decretum illud ad decidendam controuersiam expectabant. Nisi fortè Rex cùm ad magnum aliquid consultandum consiliarios vocat, & ijs auditis, quod è Republica est decernit, subijcit se consiliariorum iudicio, & amittit regiam auctoritatem.

Quod autem vult Thomas Anglus, vt omnino pendeat veritas decreti à Clero Romano, eique tribuatur, falsum id est, ac ineptum. Nam non tenetur Pontifex totum congregare Clerum, Sed ex ijs, quos velit potest eligere, imò & nullo admisso alios viros doctos aduocare, nam omnium pastor est, & cum ijs de controuersia agere. Nec illa propriè dependentia est, quæ deroget auctoritati: sed necessitas quædam rationabilis iudicis humano more procedens, qui omnia per se exequi non potest, nec debet: idque ad prouidentiam item spectat, vt hac via examinentur causæ, & certum de ijs iudicium feratur. Hinc autem non deducitur potiores esse Cleri, aut Concilij partes: nam quòd quis instrumentis ad rem conficiendam indigeat: non idcircò non est rei confectæ auctor. Sin dicat Thomas Anglus: Secretarios quoque Pontificis in definitionis partem venire, quia illorum opera pontifex vtitur; eaque indiget ad scribendum, & promulgandum. Non eò hæc dico, quòd Secretarios consiliarijs æquare velim, sed vt eorum adhibito necessitatis exemplo appareat, quàm ineptè ex necessitate Thomas ad auctoritatem argumentetur. Quemadmodum igitur consultatio grauis in re politica, etiam si sine Secretarijs perfici nequeat, consiliariorum est tamen, ijsque tribuitur, & decretum secundùm id, quod in Concilio statutum est, ad regem pertinet, & refertur, ita in re Ecclesiastica, quàmquam pontifex alios adhibeat, & roget, & consulat; quod ijs auditis solemni more, ac ex cathedra definiat, non alium, quàm pontificem auctorem habet.

Iam verò assumptum à Thoma Anglo, nimirum quòd Romanus Clerus, & Ecclesia ipsa Romana sit definitionis auctor, non Papa, probari certè non potest: cum constet Clerum ipsum, & Ecclesiam, cùm quid definiendum est, ad Papam, tamquam ad caput recurrere: & ab eo decretum expectare. Et quoniam ad Patres, & consuetudinem prouocat, propè est quo refutetur. Nam superioribus quæstionibus cùm Patrum, & Conciliorum exempla attulimus, manifestè probauimus eos ad ipsum Pontificem Romanum literas dedisse, non ad Clerum Romanum; neque hunc, sed personam Papæ consuluisse. Ac licèt interdum Sedis, & Ecclesiæ Romanę meminerint, ita tamen illius mentionem faciebant, vt sanè capitis rationem præcipuam haberent, adeo vt in corpore caput appellarent. Et vt certum aliquid legendum proponam, recognoscat, quæ dixi art. 3. quæst. 2. ac manifesta huiusce rei exempla inueniet. Quintùm sic arguit. [Hoc priuilegio, inquit, violantur leges naturæ, & gratiæ. Naturæ quonam, & Philosophia, & inductio, & experientia firmat omnem particularem hominem errori, & falsitati, & peccato subiectum esse. Gratia quoque docet naturam humanam esse, & deceptioni, & peccato obnoxiam, & neque ab vno, neq; ab altero, nisi actu, & fallibiliter in particulari exemptam.] Absurdè semper ratiocinatur Thomas, & hic per-

quàm

quàm absurdè. Primùm enim legem naturæ vocat, quæ propriè est Lex peccati. Nam subiectum esse hominem falsitati, & peccato, [non est, vt ait Augustinus, natura instituti hominis, sed pœna damnati.] Itaque etsi natura sumus Filij iræ, tamen id vitij, non naturæ effectus est: lex ea peccati est, auctore Paulo, post peccatum subijciens naturam. Deinde id non docet Philosophia, nec ratio naturalis, sed Fides. Immò Philosophi, & qui ductum rationis sequebantur, aut ignorabant peccatum Originale vti erant Sapientes Ethnici, aut illud negabant, vti Pelagiani, & Celestiani, vnde vtrique naturales virtutes inducebant, & naturam per se ad honestè operandum valentem ponebant: contra quos in Iuliani persona libro aduersùs eum 4. cap. 3. Augustinus argumentatur. Deinde absurdum item est dicere: legem Gratiæ docere, naturam humanam esse obnoxiam peccato: cùm hoc lex peccati nos doceat, non præcisè Gratia, quæ supponit quidem legem illam, & necessitatem ex ea Gratiæ. Immò contra, Gratia docet liberari hominem ab errore, & peccato per Gratiam Christi. Hac enim, & docemur, & sanamur, & iustificamur. Præposterè igitur loquitur Thomas oppositum gratiæ tribuendo. Hæc enim docet quomodo nos à peccato, & errore liberemur. Quod si gratiæ tribuit cognitionem erroris, & peccati, nam hoc ad fidem pertinet, non negarim sustineri posse, sed minùs ille tamen hunc sensum expressit, & ille minùs hæret Paulo aienti: [Per legem cognitio peccati.] Quæ lex scripta erat Moysi, non gratiæ.

Pergit colligere Thomas Anglus. [Hi verò Theologi volunt Papas regula generali in certis articulis esse ab errore exemptos.] hoc absurdum est: nam qui aliquem in certis tantùm casibus ab errore eximunt, non faciunt contra Regulam generalem: nec enim hæc docet, vt homo in omnibus prorsus erret: nec iubet, aut dictat semper homines errare: sed erroribus esse obnoxios: atque adeo & interdum errare: quod satis est ad regulam generalem. Ille confudit Regulam generalem cum errore generali, & putauit perinde esse teneri regula generali, & generaliter in omnibus errare: cùm aliud sit Regula generalis, vt nemo sit, qui exemptus sit ab errore, aliud vt omnis, qui non sit exemptus ab hac regula, generaliter & in omnibus erret. Sanè Dauid cum dixit, [Omnis homo mendax.] Generalem regulam proposuit, quę personas omnes teneret, sed non dixit Omnem semper mendacem. Vnde Iacobus capit. 3. epistolæ suæ Canonicæ, perinde ac illud Dauidis dictum exponeret [In multis, inquit, offendimus omnes.] Non in omnibus, nec enim generalis regula comprehendit omnes actus hominum, sed omnes homines. Hinc apparet nihil efficere arguendo Anglum: Theologos liberantes Papam in certis articulis ab errore contra hanc regulam facere: nam hi Theologi non dicunt numquam errare, aut numquam peccare: nam homo est, qui vtrumque potest, & interdum agit; sed Papam in certis casibus, nimirum cum definit controuersias fidei, non errare: idque ex priuilegio gratiæ à Deo illi, vti Pontifex est, concesso. Nec multum damus Pontifici, nam & Anglo id etiam damus, vt interdum non erret, nec peccet, cùm Pontifex non sit, nec opinor futurus sit. Immò id damus velit nolit, si futurus sit Pontifex, in eo quod ex cathedra definiat, minimè erraturum.

Quod autem addit [Exemptionem ab errore difficiliorem esse exemptione à peccato.] Expositione, & castigatione indiget: nam si loquatur de errore proprio: hoc est iudicio falso intellectus, quo quis tenetur cum peccat, & quo sensu dixit Aristoteles [Omnis peccans est ignorans] pari passu error, & peccatum procedit: sin autem loquatur de errore proprio, hoc est iudicio falso intellectus, circa veritatem doctrinæ, falsum omnino est quod ait. [Difficiliùs eximi homines ab errore, quàm à peccato:] cum sæpè videamus multos, qui Sapientissimi sunt, & optimam doctrinam tradunt, magnos peccatores esse: quin & cum incorrupta fide praui mores plerùmque consistunt.

Sanè Pharisæi bene docebant, & malè viuebant. Faciliùs errores intellectus, quàm vitia voluntatis vitantur, citiùs multò scientiæ discuntur, quàm virtutes comparantur. Dicunt ergo Theologi cum quibus ego sentio: Papam, & hominem, & peccatorem esse: ac vti hominem, errare interdum, & sępè peccare non dubitamus: nam qui homo est nihil ab eo humani alienum putamus. Sed dicimus tamen [Eum in certis euentibus, videlicet cùm causas fidei tractat, & iudicat pro munere suo, easque tamquam Pontifex decidit ex Cathedra, nec errare posse.] idque ex priuilegio à Christo concesso: quod exemplo confirmatorum in gratia hominum suademus, eaque ratione, qua istos peccato etiam priuatos, illos non vti priuatos, sed vti Pontifices, ab errore liberos esse affirmamus. Vnum inter alia à Blacolo dicta ferre non possum. [Hoc priuilegium esse contra leges gratiæ:] cùm illud singulari gratia, & Beneficio Dei illud accipiat Pontifex. An erit contra leges gratiæ, quod ipsum gratia est? Sed Blacolus ineptè leges in gratia nouit, eamque legibus addixit: cùm gratia (quod liberum sit Dei, & gratuitum donum) à legum vinculis liberetur. Quin immò si alligetur vinculis gratia esse desinet.

Sextum argumentum format ex erroribus Pontificum: quos errasse contendit: nec excusationes adimit; sed omne effugium præcludit, atque adeo eos inter se discrepare, ac alios alijs discrepando, contradixisse affirmat. Et eamdem statuit [Personam Papæ Hæresim promulgare posse.] Hac ratione argumentantur Heterodoxi, ex quo nouitates hæreticas in Ecclesiam inuexerunt. Vti apparet ex disceptationibus cum ijs Caietani, Turrecrematæ, Perronij, Bellarmini, Roffensis, Cani, Valentiæ, Maldonati, Castilij, Salazarij, Ægidij, Becani, Suarij, Celotij, Dauenportij, apud quos eadem momenta argumentorum ponuntur, & aut integrè, aut ex parte confutantur. Quatuor affero, qui exactissimè errores eos, qui Pontificibus assignantur enumerant, & excusant, Osium contra Brentium, Bellarminum lib. 4. de Summo Pontifice. Albertum Pighium lib. 4. Ecclesiast. Hierarch. cap. 8. & Canum de locis, lib. 6. adeo vt Becanus, & Suarez Hetero-

terodoxis eos sibi opponentibus ex instituto respondere noluerint, quòd abunde ab ijs auctoribus esset satisfactum. Et verò quoniam Thomas Anglus obiter tantùm, & quasi Canis è Nilo Errantes Pontifices commemorat, volo eum suis insequi vestigijs, & vno obiecto Suario, ceu toto Nilo obruere: quod ab eo dictum est, à me sibi Thomas responsum putet. Nam eam priùs apud me responsionem formaueram. Igitur Suarius tomo Defensionis contra Regem Angliæ, lib. 1. cap. 6. numer. 14. Sic. [Maximè obijcere solent Hæretici lapsus quosdam, & errata aliquorum Pontificum Romanorum, vel in personis eorum, vel in doctrina.] Hoc agit in suo Pantag. 17. Thomas Anglus. Respondet obiectioni Suarius. [Recepta distinctio pre oculis habenda est de Pontifice, vel credente, vt est priuata persona, vel docente, vt Pontifex est. Ad illum enim posteriore modo spectatum dicimus pertinere Christi promissionem: nam hoc modo est petra, à cuius firmitate pendet in suo genere firmitas Ecclesiæ. Hoc autem modo nullum vestigium hæresis ostendunt Hæretici in tota Summorum Pontificum successione.] Et postea. [Gratia vitandi controuersiam facilè damus non esse necessarium promissionem Christi ad personam Pontificis, vt est vnus ex priuatis credentibus extendere.] Pergit num. 16. [De erroribus, qui Pontificibus tribuuntur, breuiter dicimus, aliud esse loqui de Decretis Pontificum, quatenus per ea aliquid definiunt, vel approbant tamquam credendum, vel obseruandum ab vniuersa Ecclesia: aliud de priuatis sententijs, opinionibus, aut rationibus Pontificum. In præsenti enim de prioribus Decretis tractamus, & in eis nullum falsum dogma inuenitur, quod per modum definitionis ab ijs traditum sit, & Ecclesiæ ad credendum propositum, vt facilè intelliget quicumque legerit ea, quæ auctores allegati (id est, Bellarminus & Osius) & Canus lib. 6. de locis cap. 5. & 8. latiùs prosequuntur. In priuatis autem sententijs, & opinionibus, vel etiam in rationibus, quibus interdum vtuntur, sicut non oportet esse fidei certitudinem, ita neque infallibilem veritatem.] Hæc Suarius: cui subscribo. Vt autem constet quando Pontifex loquatur ex Cathedra: Eiusque Decreta vim illam irrefragabilis auctoritatis obtineant, certam rationem iudicandi, & formulam decernendi, & solemnitatem promulgandi excogitarunt Pontifices, ne quis definitionum pondus, aut ignoraret, aut cognitum eluderet. Ecquis autem hic modus sit superiori tractatu ad sectionem 9. Flatu 9. indicauimus ex Vasquio: cuius locum, qui nitidus, & illustris est, afferre volo, & duos hos principes nostræ ætatis Theologos meæ sententiæ patronos adhibere. Vasquius ergo tomo 2. in 1. 2. D. Thomæ, disput. 155. capit. 2. num. 15. [Obseruant Pontifices Summi in Curia Romana, vt nondum intelligantur locuti de Sede Petri tamquam Iudices, & Pontifices in legibus, & Canonibus ferendis, etiamsi eos imprimi faciant, donec ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de vrbe Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ solemniter publicentur, & exemplar vnum legis in Columna illius campi, & aliud adualuas D. Petri per aliquantulum temporis affigatur.] Quod autem hoc modo prolatæ, ac propositæ Bullæ infallibilem auctoritatem habeant ibidem fatetur Vasquez expendens Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. contra propositiones Michaelis Baij.

Quod attinet quæstionem, An Papa possit Hæresim incurrere, & ob eam deponi? non est meum hoc loco ventilare. De ea consulendi auctores proximè citati. Illud maneat, vtcumque res se habeat, non posse Pontificem solenni more, ac ex Cathedra docere Hæresim, nec eam promulgare, quod ausus est Thomas Anglus dicere. Qui error (nam mihi constat esse errorem) cuiusmodi sit, & qua Censura afficiendus, suo proximè loco docebimus. Nunc enim id tantùm agimus, vt obiecta Thomæ Angli nullius momenti esse monstremus.

ARTICVLVS III.

Proponitur inuectiua Thomæ Angli aduersùs sententiam de auctoritate Pontificis à nobis traditam, eaque expenditur.

Acriter, ac vehementer insectantur Heterodoxi propositam, & expositam hactenus doctrinam. Solent enim, vti animi impotentes, & linguæ intemperantes, aduersùs hanc sententiam laxare frenos petulantiæ, & omne maledictorum genus effundere: & quod ratione conuincere nequeunt conuicijs volunt obruere. Doleo sanè, doleo, quòd vir Catholicus Thomas Anglus eorum insistens vestigia, eadem vti maluerit linguæ procacitate, quàm te seriò expensa iudicium fidei accommodare suum, & rectè calculum ponere: vel saltem modestè à Catholica (sic de illa iudico) sententia discrepare. Verum enim verò tam longè abest à vero, vt non contentus certare, veram, putamque doctrinam diris deuoueat, & petulanti lingua proscindat: adeo vt vix Heterodoxum inuenias, qui vehementiùs in illam, & procaciùs inuehatur. Miror sanè hominem minimè disertum, in dicendo ieiunum, præter morem repente exuberasse, & exaggeratione verborum ad audaces hyperboles excurrisse. Et quamquam eloquens ob aridum, & implexum stylum esse non possit, id tamen maledicendo assecutus, vt loquentiæ plurimum habuisse videretur. Legat, qui volet Paragraphum 22. à medio ad finem, & mirabitur intemperantem hominis orationem.

Igitur sententiam, quæ tribuit Concilio, vel Papæ irrefragabilem, & infallibilem ex Afflatu assistentis Spiritus sancti auctoritatem, quæ maximè Catholica est, vti hactenus demonstrauimus, detestatur, tamquam hæreticam, & Archihæreticam, & omni atrocissimo crimine perniciosiorem. Rationem autem affert, quod [Clarum, inquit, est, eo ipso Theologum eam docentem subijcere totam Ecclesiam cuilibet errori pro fide suscipiendo, quem Concilium, vel Papa modo illegitimo proposuerit.] Vbi supponit Concilium

cionis plena, ac errori proxima, quorum nonnulla in lucem edidit, alia edenda sunt timens sibi à Censura Summi Pontificis, quam multi viri pij, & graues illi quotidie minantur, vult auctoritatem à qua metuit, oppugnare, ne quis cùm ab ea damnatos errores videat suos existimet iustè potuisse damnari: atque adeo nemo ab eius doctrina abstineat. Quod inde deduco, quod Paragrapho 22. ait. [Ponat itaque manum suam super cor suum quisquis sententiam Romæ datam, non contentus, vsque ad obedientiam premere, fidei subiectionem flagitat: & seuerissimam, indignissimamque seruitutem Ecclesiæ totius ceruicibus imponere audet.] Hinc illæ lacrymæ! quas renouat reliqua parte libelli differens de ratione, modoque censendi: & in appendice aduersus censuram meam composita, in qua mecum expostulat, quod constitutionem Sanctissimi Patris nostri Innocentij condemnantem quinque propositiones Iansenij defenderim, & coluerim: quas ille tamen aduersus decretum iustum, & solemne proterué tuetur, neglecta pontificia auctoritate: quemadmodum proximo tractatu ostendi. Vndè cùm duobus modis errores condemnentur, & Concilij Canone, & Pontificis decreto, vtriusque virtutem infirmat, negans infallibilitatem Conciliorum, & Pontificum: imò & sententiam affirmantem, non modò hæresim vocat, sed omni hæresi perniciosiorem dicit, vt ab ea imperitorum vulgus deterreat.

Qua in re illud vehementer doleo: eò impotentia animi esse prouectum, vt quod teterrimum, & indignissimum de Summo Pontifice Cathedram Christi insidenre audacissimi hæretici pronuntiarunt. [Euehi illum supra omne quod dicitur Deus:] quo ei Antichristi personam imposuetunt: id ille ad Concilij, & Papæ auctoritatem impugnandam impiè conuerterit. Ait enim eodem Paragrapho, ante ponens omnibus hæresibus huiusmodi irrefragabilis virtutem auctoritatis attributam Concilijs, & Pontificibus, perindè ac multò deterior esset: [Sed & comparo, inquit, regulæ fidei corruptionem per hæreticos, & hanc, quæ per Concilij, vel Papę euectionem supra omne, quod dicitur Deus, Ecclesiæ accidit, & video comparationem esse qualis vlceris in cutem, ad aliud in ipsa viscera erumpens.] Ecce auctoritatem definiendi controuersias fidei, qua vtuntur Concilia, & Papæ dicit euectionem supra omne, quod dicitur Deus: quæ Antichristo à Christo tribuitur, & hæretici impudentissimi Papæ attribuunt. Thomas autem Anglus ad Concilia quoque extendit. Huc perduxit illa formido censuræ, quæ ex superbia, & impotentia nascitur, Thomam Anglum, quò sola hæretica (cùm maximè proiecta) processit audacia.

Nullum sanè perniciosius hæreseos genus est, quàm quod auctoritatem capitis Ecclesiæ, & Concilij negat. Nam etsi aliæ sint ob materiam graniores, Puta, Arij, Macedonij, Eutychetis, Dioscori, Pelagij, Berengarij, qui præcipua fidei mysteria oppugnarunt; faciliùs tamen corrigi poterant, quòd locum superiori auctoritati relinquebant; cui cùm se obnoxios efficerent, minus erat periculi in errore perseuerandi, & alios corrumpendi. At quæ superiorem in Ecclesia potestatem negat, etsi minus grauiter, certè periculosiùs errat, cùm omnino spem, & viam præcidat correctionis. Vndè impunè grassabitur, ac liberiùs se latiùsque effundet: nec poterit à quopiam coerceri.

Hæc mens furialis Lutheri fuit, qui cum esset vanissimus, seque in prærogatiua vulgandi in publicis concionibus indulgentias præteritum vidisset, iniuriæ impotens in easdem debacchari cœpit, & Pontificiæ potestati detrahere. Cùmque alios nefarios errores agitaret animo, & timeret, ne à Pontifice, & Romana Ecclesia coerceretur, decreuit eius auctoritatem, potestatemq; penitus conuellere.

Hac arte cuncta prophana, & sacta miscere se posse putauit, ac res vel cogitauit, ità processit: nam eo timore, quasi freno abiecto in omne errorum, & vitiorum genus præceps ijt. Quam secuti alij Nouatores, sine formidine, sine pudore, sine lege in Christianam sunt Rempublicam debacchati. Tantum profecerunt audacia, vt cùm à temporibus Apostolorum ad Augustinum (quadringentorum paulò plus annorum spatium est) hæreses nonaginta eo ipso teste, numerentur, & ab eo ad Lutherum centum octoginta vna, auctore Sandero, recenseantur, à Luthero, qui anno 1517. defecit ab Ecclesia, ad annum 1595. ducenta commemorentur, quæ ad hunc præsentem, quo scribo 1654. annum adeò creuerunt, vt vix iniri numerus earum possit. Venit hìc mihi in mentem locus Epiphanij, qui rem continet expressam, quem volo adducere, vt in eo lector videat hæreseos nostrorum temporum spirantem imaginem. [Monstruosè Poetæ confinxerunt Centimanum Briareum, quem etiam Ægeonem, aut Gygem, aut Argum illum multis oculis præditum vocarunt: sic omnes huius temporis hæretici, in corpus centum capita habens, se ipsos efformarunt: & quilibet horum cupiens, sibi ipsi principatum constituere, caput nominauit se ipsum: aliam introducens præter præceptorum suorum vanum laborem furiosam doctrinam.]

Omnia præter numerum quadrant in Gyge, nam hic cœlum aggressus, superis, quod hæresis facit, bellum intulit, sed ille brachia centum dumtaxat expediebat, cum

Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses

At hæresis immanior Gigas trecenta exerit capita Lærneo fætu numero maior, feritate par; Argus etsi feritatem minuit numerum æquat: sed hic innocuis oculis vigil, illa nocentibus fascinatrix: nam quos Mater Ecclesia pascit,


Teneros oculis hæc fascinat Agnos.

Nec est Mercurius, qui occidat, aut Vlysses, qui lumina effodiat. Illud in remnatum. [Quilibet cupiens sibi principatum constituere, caput nominauit se ipsum.] Nam ideò à capite desciuerunt, vt capita esse possent

possent, audaci studio, euentu monstruoso, successu infelici: tot enim portenta, quot capita, etsi verius Crania cerebro vacuata. His similis esse maluit Thomas Anglus Caeangelicis hominibus, quàm Thomæ Angelico Doctori, quo nemo religiosior Pontificiæ dignitatis cultor: potestatis assertor: Auctoritatis vindex; vti constat ex ijs, quæ docet 2. 2. quæst. 18. art. 12. & opusc. 1. & quodlibet 9. art. 16. vbi sic aptè Angelus ad Anglum. [Magis est standum sententiæ Papæ, quam in iudicio profert, quàm quorumcumque Sapientium hominum in scripturis opinioni; cùm Caiphas quamuis nequam, tamen quia Pontifex, legitur etiam impius prophetasse.] Discat hinc Anglus non solùm auctoritatem Pontificis fateri, quod sententia docet, sed etiam de assistentia Spiritus sancti in Cathedra afflantis, quod suadet exemplum minimè dubitare.



QVÆ-



QVÆSTIO QVINTA.

Censoria.

ARTICVLVS PRIMVS.

An, & quis sit error negare hanc prærogatiuam auctoritatis, & qui circa eam Thomas Anglus errarit?



GRauiter, & verè D. Thomas opusc. 1. circa finem. [Subesse, inquit, Pontifici est de necessitate salutis.] Idque ex tota ratiocinatione primæ, & secundę quęstionis nostræ manifestè apparet. Sed cùm duplex sit subiectionis genus, & ratione potestatis, & auctoritatis, ac de prima constet inter catholicos, de secunda quærendum. Verùm necesse sit in controuersijs, & causis fidei Pontifici definienti credere? loquor autem de solemni definitione ex cathedra: quæ propria quæstio est. In qua profiteor me syncerè, incorruptèque meum prolaturum esse iudicium, nullo sanè peruerso affectu occupatum. Et quoniam video Heterodoxos dicere solere, qui Papæ dignitatem, & auctoritatem tuentur, eos assentandi, & ambiendi gratia id efficere, nec quid sentiane candidè, quod sint candidati, sed fictè proferre, testor Deum, me solo studio veritatis, non aut assentationis, aut ambitionis quicquid dixero, non compositum apud me, & affectatum, sed ratione duce inuentum, perspectumque afferre: ac in scribendo ingenuum, candidum fore, non obnoxium, & candidatum. Si inter eos, qui me norunt loquerer, id opinor, faciliè persuaderem, sciunt enim me verum, & amare, & dicere, ingenio libero esse, magnasque sæpe, & graues pro libertate tuenda iudicij contentiones suscepisse. A Sede autem Apostolica nihil omnino accepi, nec spero accipere, nec si quicquam præter amorem, & obsequium debeo: nec spes inanes fouere soleo quibus duci, nec natura, nec mens mea, nec institutæ vitæ rationes, nec ætas, nec per illos gradus sociæ semper calamitates patiuntur. Hoc sciat quicumque mea legere scripta volet, vnam mihi propositam fuisse veritatem, non ornatam, aut fucatam, sed incomptam, & nudatam: adeò vt cùm pulchra sit, sæpe in ea deformitatem desiderem ne videar amare pulchritudinem, cùm non amem, nisi veritatem: itaque eum deformem inuenire nequeam, quæro deformatam, vt amare possim incorruptiùs, & ardentiùs. Ita me Deus amet, vt si intelligerem Pontifici non inesse prærogatiuam infallibilis auctoritatis, eam liberè, & constanter negarem: quòd si ob id cœlum in me illaberetur: [Impauidum premerent ruinæ.]

Hoc animaduerso censeo: qui absolutè neget infallibilem esse Papæ de Sede Petri, ac (vt aiunt ex cathedra) definientis auctoritatem: ac definitis non credat, eum haud dubiè errare in fide, & si in errore obstinatus perseueret, hæreticum fore. Hoc ego demonstratione persuadeo Diuus Petrus vti caput, & Pastor Ecclesię huiusmodi à Christo Domino priuilegium pro se, ac successoribus accepit: Papæ sunt legitimi successores Petri, ergo idem succedendo in cathedram priuilegium acceperunt. Patent omnes propositiones. Maior est certa, & de fide, vti prima, & secunda quæstione probauimus. Minor est indubitata, & cùm Ecclesia tota eos Papas agnoscit, & recipit, & omnino de fide: consequentia non potest non esse de fide, non ex vi illationis, sed contente in illata consequentia veritatis: nec video quid amplius desiderari possit. Me certè argumentum conuincit; nec dubito quin illud iusta demonstratio sit. Ac nolo meo tantùm in re tam graui vti iudicio. Igitur Magnus Theologus Melchior Canus lib. 6. de locis cap. 7. in eadem ante me sententia fuit. Eam ibi latè, ac perspicuè tradit. Delibo sententias. Incipit. [Romanum Pontificem in Petri locum, fidem, auctoritatemque succedere Ecclesia ab Apostolorum tempore semper agnouit.] Et paulò post. [Cùm Concilia prouincialia, & generalia sine Romani Pontificis auctoritate nonnumquam errauerint: numquam autem si Romani Episcopi auctoritate firmata sunt: satis persuasum esse debet Conciliorum, atque adeò totius Ecclesiæ firmitatem à Romano Pontifice deriuari.] Tum propriè ad quæstionem. [Quæris. Erit ne Hæreticum asserere Romanam Ecclesiam degenerare, vt cæteras posse, & Apostolicam etiam Sedem à fide posse Christi deficere? Ait que modestè: [Respondemus. Nolumus hic nos Ecclesiæ sententiam præuenire, sed si ad Generale Concilium referatur, hæreseos nota illi inuretur.] Et infra. [Quamquam non videor anteuertere, cum iam ipsius Ecclesiæ sermo nostram omnem comprobarit de Romanæ Sedis authoritate sententiam.] Ac omnino ad conuincendum Thomæ Angli errorem adiungit præcla-

re.

tè. [Illud affero, ac fidenter quidem affero, pestem eos Ecclesiæ, ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei, doctrinæque auctoritate succedere: aut certè adstruunt Summum Ecclesiæ Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in fidei iudicio posse.] En, quod Blacolus supra falsò contra Catholicam sententiam, affirmantem Papæ auctoritatem dixerat, Canus de negante dicit. Vter melius? iudicet Lector. Norit autem Blacolus se Cano contradicere, haud paulò opinor, doctiori. Audiat, vt sciat quibus cum sentiat. [Vtrumque, inquit, hæretici faciunt:] & cum ijs Blacolus, qui negat succedere Petro in auctoritatis priuilegio, & affirmat errare in ea Sede Pontificem. Pergo cum Cano. [Qui verò illis, in vtroque repugnant, hi in Ecclesia Catholici habentur.] His ego accedo, qui Blacolo non assentior. Itaque iudicio Cani, Thomas cùm hæreticis, ego cum Catholicis sentio, quibus cum etiam idem Cano sentit. Idem Bellarminus, idem Hosius idem Stapletonus, idem Roffensis, idem Becanus, & controuersiarum cùm Hetetodoxis auctores: idem Theologi cum Diuo Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. vnanimi fermè omnes consensu tradunt. Ex quibus placet Suatium summum virum citare tomo defensionis fidei, lib. 1. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 18. ac præcipuè cap. 1. lib. 1. vbi sic: [Verissimum, inquit, est definitionem Pontificis ex Cathedra loquentis infallibilem veritatem continere, omnesque fideles teneri, ad illam firmiter credendam. [Et obiectioni Thomæ Angli occurrit: qui in Ecclesiam illud priuilegium confert: ait enim, [Cùm Pontifex definit, Ecclesia per caput suum loquitur.] Contrariam autem sententiam hæreticis attribuit, & condemnat. Eadem est Celotij, lib. 4. de Hierarch. Iurisdict. cap. 10. vbi exactè describit, quid sit ex Cathedra loqui. Atque, vt Anglum Anglo Thomæ amicum doctissimum auctorem oppouam, produco P. Franciscum à Sancta Clara Exprouincialem eiusdem Angliæ, instituti mei, qui in suo systemate fidei 28. num. 6. ita: [Grauissimi, inquit, Doctores tenent sententiam Summi Pontificis, obseruatis scilicet obseruandis, seu permissa debita conquisitione pronuntiatam, & toti mundo, non hoc, vel illo loco propositam, fidem generare. Et sine dubio est opinio summè probabilis, imò videtur esse ferè certa, adeo vt si quem audirem, qui huiusmodi Pontificias decisiones temerè reijceret, haberem suspectum.] Molliùs aliquanto censet, sed non patitur contra sentire. Credo minimè pati illum, audacem Thomæ Angli opinationem, qui non modò contra sentit, verùm etiam sibi contradicentes condemnat. Quo fit, vt omnino fit Theologiæ Princeps D. Thomas condemnandus: qui. 2. 2. quæst. 1. art. 10. & quæst. 2. art. 11. Paragrapho, [ad Tertium, vbi dicit; Quòd auctoritas Ecclesiæ vniuersalis principaliter residet in Summo Pontifice.] At verò, quæst. 1. art. 10. affirmat: [ad eius auctoritatem pertinere finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur.]

Non igitur iudicium, illud meum quisquam taxet, cùm Catholicum sit: nec putet me, qui in censendo mitissimus esse soleo, ingenij mei oblitum esse. Cato esse tertius nollem, ac nescio, quo fato ex duobus, minùs Censorium, quàm Vticensem amo. Si quis eamen mihi duritiem calculi impingit, legat Annatum egregium Theologum contra Baianos, lib. 3. cap. 5. & Antoninum Moraines, siue Martinorum in suo Antijansenio dist. 39. sect. 6. qui in eos, qui Pontificijs decretis à sede Romana profectis non obediunt, multò vehementius à quàm ego in Blacolum inuehuntur. Et quidem hic cum hæreticis prorsus consentic, nam quæ affert ad conuellendam Papæ auctoritatem argumenta, ab hæreticis sumpta recoxit, & obiecit, quemadmodum videre est in Arminio, & Gardio, & Marco Antonio de Dominis alios antiquiores nominem Lutherum, ne & Caluinum, qui virulento habitu, Spiritus sancti in Petri Cathedram afflatum difflantes, teterrimam hæreseos pestem in Ecclesiam inuexerunt. Et quoniam Gardij, & Marci Antonij argumenta sunt apud Becanum, & proposita, & soluta: opus non est ea producere.

Arminij tantùm propono, vt appareat in eamdem sententiam, & rationes cum Blacolo conuenire, & cùm idem sic Arminij, cùm reliquis hæreticis sensus, (nam omnes aduersùs Papam consentiunt) si cum Arminio conueniat Blacolus, necesse esse eum cum omnibus hæreticis consentire. Igitur Arminius orat. [de componendo Religionis dissidio] improbat modum Ecclesiæ Romanæ, quoad controuersias fidei tollendas [Papæ iudicio] vtitur, & vanum eum dicit, & irridet, quòd omninò fallibilis sit: & in Scripturis minimè contineatur. Id ipsum, Thomæ Angli in his Paragraphis placitum est. Rursum in disput. priuatis Arminius Thesi 55. postquam de potestate Dogmatum tradendorum hæresim suam tradidit: in Corollario ita, [Commentum est, inquit, Pontificiorum de Spiritu sancto, sic assistente Ecclesiæ, vt in iudicio de authenticis scriptis faciendo, & recta sensuum Diuinorum interpretatione errare non possit.] Hoc ipsum Thomas Anglus sensie de assistente Spiritu Sancto, imò & id [Commentum dicit Modernorum,] initio Parag. 27. vt ne verbis quidem ab Arminio discordet. Tertius locus est in Arminio. Disput. publica 22. Paragr. 16. in quo suam magis explicat, & Catholicam improbat sententiam: qui rem omninò continet: in eò enim audias loquentem Thomam Anglum. [Accedit, inquit, hæresis alia, & ipsa principio fidei aduersa, qua Pontifex Romanus totius in terris Ecclesiæ Princeps, Caput, Sponsus, Vniuersalis Episcopus, & Pastor constituitur, qui omnem scientiam veritatis in scrinio pectoris sui possidet, perpetuam habet Spiritus sancti assistentiam, ita vt errare in præscribendo, quæ fidem, & cultum diuinum concernunt, non possit, qui spiritualis ille homo est, qui omnes, & omnia iudicat, ipse à nemine iudicandus, cui omnes Christi fideles de necessitate salutis subesse oportet: cuius decretis, & præceptis non secus, quam ipsius Dei, & Christi simplici fide, & cæca obedientia assentiri, & obsequi quemquam Christianum decet.] Et Addit.

Et hoc est alterum Regni Antichristiani fundamentum, ex aduerso oppositum fundamento

mento Regni Christi.] Sanè cùm Arminium antea legissem, & postea in hoc opusculum Thomæ Angli incidissem, iudicaui geminos esse ambos sentiendo, etsi loquendo diuersi, quòd Arminius elegantiùs dixisset. Itaque sensu pares, eloquentia dispares esse. Vtriq; AntiChristi comparatio placuit. Nisi quod clariùs ea vsus Arminius; obscuriùs Thomas, dum illud iecit Papæ euectionem supra omne, quod dicitur Deus,] quod de AntiChristo 2. ad Thessalon. epist. cap. 2. Paulus haud dubiè dixit: vterque autem Thomas, & Arminius eumdem locum Summo Pontifici Romano auctoritatem infallibilem virtute Cathedræ profitenti, obiecit. Quo spiritu videtie Thomas, Arminius certè à catholico, & hæretico.

Si quis eum Gardio Thomam, & Marco Antonio de Dominis, comparare velit Becani locos citabo, & cùm iam Thomæ exhibuerim, haud difficile erit consensionem inter se omnium deprehendere. Igitur quid Gardius sentiat, habet Becanus tom. 5. Controuers. in Apologia pro iudice controuers. Argumento 8. quod ijsdem rationibus, quas affert Anglus, qui exploret, constare videbit. Marci Antonij hæresim proponit eodem tomo, l. 2. de Repub. Ecclesiastica. Vnde patet sententiam Thomæ Angli negantem infallibilem Papæ auctoritatem hæreticorum esse: non catholicorum, atque adeo erroneam, & suspectam saltem hæreseos esse habendam.

At obijciet Thomas, non omnes catholicos sequi, hanc de infallibili Papæ auctoritate (seu de Concilio vniuersali, quo cum iungatur Papa) sententiam. Nam: fuisse aliquos, qui dicerent Papam extra vniuersale Concilium non minùs errare posse, quàm Concilium sine approbatione Papæ, auctor est Pater Becanus tom. 5. Controuers. in Apologia pro iudice controuersiarum, in responsione 2. ad argumentum Gardij, cui sic respondet; [Negandum est Pontificem, vt Pontifex est, fallibilem esse in doctrina fidei, licèt fallibilis sit, vt homo priuatus est. Nec aliter docent Catholici, exceptis illis, qui putant illum falli posse, si aliquid definiat sine Generali Concilio, non posse, si cum Generali Concilio.] Quos excipiat, cum ijs Thomas Anglus sentire se dicat: & hæresim vitabit. Præterea Canus lib. 6. locorum cap. 7. non omninò audet, etsi maximè cupiat ei sententiæ hæreseos notam inurere, quod quidam Catholici auctores eam sequantur. Vnde ait. [Hoc vix ægrè dico propter viros quosdam, & doctos, & pios, qui nobis contradixerunt.] Et paulò post: [Non equidem intelligo quonam cõsilio fideles quidam potius hæreticorum, quàm Catholicorum opinionibus fauere malint:] quo sanè declarat aliquos Catholicos, nec ignobiles auctores, cum doctos, & pios vocet, in Blacoli esse sententia. Nonnullos nominat P. Franciscus à Sancta Clara in suo erudito libro de fidei Systemate cap. 28. &c. 33. cui cum magis placeat communis, quàm probauimus de infallibili Papæ ex Cathedra loquentis extra Concilium sententia, non audet tamen is contrariam hæreseos condemnare, ne Catholicos, quoque condemnet.

Respondeo tamen obiectioni, rectè à me statui hæreticum esse eum, qui neget absolutè infallibilem Papæ de Sede Petri, siue ex Cathedra definientis auctoritatem, quia qui hoc absolutè negant, simpliciter, & omninò negãt illam prærogatiuam auctoritatis, quocumque modo sumatur: nullateuùs enim eam admittit, quemadmodum facit Thomas Anglus, qui ne includens quidem Concilium, admittit assistentiam Spiritus sancti: Ac illi Catholici auctores, qui aiunt Papam extra Concilium non habere illam auctoritatem, non negant absolutè habere, sed eam circumscribunt, & addicunt nexui cum Concilio, & in modo videntur discrepare: nam dicunt illud esse definire ex Cathedra, cum aut in Concilio, aut cum Concilio definit: & ita putant hæreseos notam effugere: nec enim negatio cadit supra rem, sed supra modum, atque adeo non est absoluta negatio. Imò pauci dicunt necessarium esse nexum cum Concilio, nam maior eorum pars ait sufficere consensum Ecclesiæ recipientis decretum Pontificis. Vnde, si quod definit Pontifex in lucem exeat, & toti Ecclesiæ sufficienter proponatur, & illa recipiat, satis esse dicunt, vt definitio in fidei decretum transeat.

Qua de re Roffensis art. 27. & 28. & Celotius lib. 4. de Hierarch. & Becanus tom. 5. Controuers. in Apologia. Marchancius opusculo Exam. Cur. myst. & Franciscus à Sancta Clara cap. 28. & 33. qui partim ita opinantur, partim ita opinantes excusant. At nemo erit, qui excusare possit Thomam Anglum, qui hanc infallibilitatem penitus negant tùm Concilijs, tùm Papæ: etiam coniunctis, & nexis; & aufert omnem Assistentiam Spiritus sancti, ac errare eos posse contendit, quod nemo Catholicorum, opinor, dicere est ausus, imò ne multi quidem hæreticorum Concilijs vniuersalibus infallibilem auctoritatem negare ausi sunt.

Quare, data opera, dixi in conclusione [Absolutè negantem, eum hæreticum esse:] ne aliquot, etsi male sentientes catholicos, condemnarem: quamquam existimem cum Cano, si huiusmodi quæstio in Concilio proponatur, definitum iri: Summum Pontificem extra Concilium, & ante consensum Ecclesiæ ex Cathedra loqui posse, & si quid ex ea Petri auctoritate definiat, id omnino ad fidem pertinere: & qui contra sentiat eum hæreticum fore: quam existimo esse sententiam Diui Thomæ 2. 2. quæst. 1. & quæst. 11. & communem Thomistarum, & Theologorum. De Thoma Anglo ita sentio, eum non posse ab errore vlla ratione excusari. Eius ego sententiam, meumque de illa iudicium ad Sedem Apostolicam remitto.

ARTICVLVS II.

Alij errores Thomæ Angli recensentur, censenturque.

Graue mihi, & acerbum esse fateor hominem Catholicum, & vt aiunt pium, & benè moratum erroris appellare: cùmque eò de violato religionis iure disceptare: mallem profectò cum Heterodoxo contendere, aperto scilicet, & iurato Romanæ Ecclesiæ ho-

hoste, vt iustiùs, & speciosiùs bellum videretur. Sed cùm videam Thomam Anglum prauis imbutum opinionibus Romanę,& Catholicæ doctrinæ arcem oppugnare,& hostis personam suscipere, necesse erit occurrere, & arma opponere,impetumque aggredientis auertere. Nec me pudebit eum hostis loco ducere, quem non puduit hostis personam suscipere. Imò iustiùs cum eo dimicem, quòd ille iniustiùs ad castra Heterodoxorum opinando defecit, & cusa In eorum officina arma comparauit, & in Ecclesiam matrem conuertit. Itaque non in Thoma ego Catholicum, sed Heterodoxum oppugno: nec tam condemno, quàm de violata religione suspectum iure vador, & dicto vadimonio ad Romanum Tribunal sisto. Meum est causas aperire, Ecclesiæ iudicare.

Primus error esto: priuare Cathedram Romanam protectione speciali Dei regentis, ne à fide deficiat, eamque in Cathedram pestilentiæ conuertere, remoto ab ea Spiritus sancti afflatu, quo negat insidentes eam Pontifices foueri. Quæ Heterodoxorum hæresis est: de qua multa superiùs diximus.

Secundus: negare huius priuilegij fundamentum; quòd nullas in sacris literis, nec in Patrum monumentis radices habeat: nec traditione aliqua, consuetudineue Ecclesiastica firmetur, quod omninò hęretici negant: nos verò contra tot locis sacræ paginæ, Conciliorum decretis, Patrum testimonijs, vsu, & praxi Ecclesiæ abundè confirmauimus.

Tertius. Ne Concilijs quidem vniuersalibus assistentiam Spiritus sancti, & infallibilem auctoritatem concedere, etiam si iustè, ac legitimè congregata habita, confirmata sint. Qui quantus sit error Heterodoxi testantur, quorum plerique non audent Conciliorum auctoritati refragari. Sanè moderatiùs, imò honorificentiùs de Generalibus Concilijs loquitur reformatio Anglica ab Henrico VIII. inchoata, & ab Eduardo VI. prouecta, titulo de fide, & summa Trinitate cap. 14. quam Thomas Anglus,hac in re malè Anglus. Sed quod attinet Conciliorum auctoritatem, meum non est de ijs hic accuratiùs agere Thomam ad P. Franciscum à Sancta Clara remitto. Nouit hominem. Discat ex eius systemate quid tenendum sit, ac proficict: nisi malit cum Arminio magno Papæ, & Conciliorum hoste sentire: cui ea impuguanti disput. priuat. Thesi 58. prorsus consentit: ita vt ne ouum quidem ouo magis sit simile.

Quartus: Affirmare Pontificem posse hæresim promulgare, quo verbo vtitur Thomas imprudenter ne dicam, an impudenter? Si diceret posse errare Pontificem, vtcumque ferendum: nam videretur de persona Pontificis priuata loqui, quam immunem non esse ab errore, Theologi Catholici fatentur. Si vltra tenderet, affirmando in hæresim posse incidere: non idcircò damnandum: nam etsi ego putem Papam errare in fide posse, hæreticum esse non posse, quia Pertinacem fore non puto, video tamen Canones, & Concilia id supponere,vt paret ex cap. Si Papa dist. 40. & ex Concilio Romano sub Adriano, & ex octaua Synodo, & quæst. institui à Theologis [Vtrùm is, & à quo deponendus sit?] quemadmodum disputat Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 30. & Suarius tomo de defensione fidei lib. 3. & 4. Imò, & Canus tantus auctor, non dubitat asserere Papam in hæresim posse incidere; quod expressè tenet lib. 6. locorum cap. 8. propè finem. Verùm affirmare Papam posse hæresim promulgare, vtì affirmat Thomas Anglus, sustineri nullo modo potest. Nam promulgatio hæresis est publica, & solemnis propositio, quæ non procedit à priuata persona, sed publica: & ex publica auctoritate, atque adeò si à Pontifice sit, ab eo tanquam loquente ex Cathedra proceder, quod est à Catholica fide alienum. Vnde Canus proximè citatus, cùm admittat Papam hæreticum esse opinando posse, negat docendo posse. Ipsum audiamus. [Non est igitur negandum, quin Summus Pontifex hæreticus esse possit, cuius rei exemplum vnum, & item alterum forsitan proferetur; at quod in fidei iudicio contra fidem definierit, ne vnus quidem proferri potest.] Cùm autem errare vtì iudex non possit, minùs vti Pastor promulgare hæresim poterit, nam hoc esset dogmatizare in perniciem Ecclesiæ, & motu proprio de Sede Petri tamquam legem hæresim promulgare: quod fœdum cogitatu, & horribile dictu esse, quis non videt? Quantò est Thoma Anglo Bellarminus! quantò Osius! quantò Turrecremata! quantò Canus! quantò Becanus! quantò Suarius religiosior, & prudentior! qui non modò negant hæreticos Pontifices cum loquuntur ex Cathedra esse posse, verùm etiam quibus errores ab Heterodoxis, Orthodoxisue tribuuntur, eos ab erroribus omninò liberos esse volunt. Qua in re defensorem se præstat Albertus Pighius acrem, & vehementem lib. 4. cap. 8. de Hierarch. Eccl. Equidem mallem, vt cum his Principibus Anglus pro fide Patrię, quàm cum hostibus contra illam pugnaret.

Quintus supponere auctoritatem, quam Summo Pontifici inesse dicunt ex Euangelio, & Concilijs, & Patribus Catholici, esse fidei artificem: eamque ita vocare, vt constat ex vltima linea paragraphi 22. vt enim suam opinationem confirmet, iactat à se explodi illam [potestatem definitiuam, & fidei artificem;] perinde ac nos Papæ tribuamus potestatem condendi articulos fidei. Sed non mirot Thomam hoc Anglum objicere, nam qui semel cum hæreticis sentit, necesse est perperàm sentire: cùm qui à veritate aberrat, omnibus se exponat erroribus: nec id Stoicorum est Paradoxon. Igitur quod Thomas supponit, magna vi nobis hæretici objiciunt: non enim distinguunt inter hæc duo, [facere articulum de fide,& declarare eum esse de fide:] cum multùm inter vtrumque intersit. Nec enim conduntur Articuli de nouo, sed demonstrantur: vtì cùm quis thesaurum terra obrutum eruit, & oculis exponit: non gignit thesaurum, sed monstrat: ita Ecclesia, & Pontifex veritatum aliquot opes in sacris literis contentas, ignotas adhuc & occultas, & in traditionum scrinijs custoditas patefacit, & in lucem edit,& quasi inteuro digito iudicat, & demonstrat. Vnde Augustinus fidem thesauro lib. 1. de Genesi ad literam cap. 26. comparauit. Itaque omnes Catholici auctores docent, Ecclesiam non esse auctorem fidei,

sed

ſed iudicem, & teſtem. Id Scotus in 4. d. 5. q. 1. Id D. Thomas 1. p. q. 1. Id Gerſon. verit. neceſſar. docent. Sequuntur Stapletonus Releſt. cont. 4. q. 2. Roffenſ. art. 28. cont. Lutherum. Valent. de fide q. 1. p. 1. Smiſing. progem. q. 1. num. 22. Suarez de fide, & in tomo defenſionis fidei lib. 1. c. 18. & Becanus tomo 5. contron. ſæpè. Dauenport. in ſyſtem. cap. 2. & 3. Non eſt igitur artifex fidei cùm articulos fidei definit Pontifex, ſed eorum expoſitor, & commonſtrator: quemadmodum veritatum, ſi quas ſcribendo demonſtrat Thomas Anglus non eſt factor, ſed demonſtrator. At condit Pontifex decreta, & conſtitutiones. Sanè, ſed aliud eſt decretum, aliud res, quæ decreto continetur: nam decretum eſt formula verborum, non res, quæ ſub ea formula continetur, cuius decreti auctor conditor non eſt, ſed teſtis, ac præceptor. Niſi fortè ſi quis dialecticæ magiſter veritatem aliquam demonſtratione compoſita demonſtrat, quòd formam eam argumentando conficit, conficit etiam veritatem.

Sextus, & vltimus error eſt. Praua illa, & intemperans cenſura, qua notat communem Catholicorum ſententiam. Nil tam eſt à ratione, & iuſtitia alienum, quàm temerè de ſententijs Catholicis iudicium ferre: eaſque peruersè taxare, adeo vt Eccleſia iniquiſſimè ferat, vel probabilibus, & quæ ſuſtineri poſſunt ſententijs notam hæreſeos, erroriſue inuri: & quidem iure: nam ſicuti non eſt priuati hominis aliquid cenſere de fide eſſe, ita neque aliquid hæreticum eſſe pronuntiare, cùm id dubium eſt, & aliquo modo ſuſtinere poteſt. Iam verò cum ſententia communis eſt, ac penè Catholica, ſi quis eam hæreticam dicat, grauiſſimè quidem peccat: nec vlla ratione à temeritate liberari poteſt. Itaque, me auctore, & ſi in multis erret Thomas Anglus, vti ſupra oſtendimus, multò in ijs minus errauit, quàm in hoc proiecto, intolentique iudicio: quod ille tot calumnijs, tot diris exagerauit, vt etſi verum diceret, turpiſſimè tamen maledicendo delinqueret. Nunc cùm in eam ſit inuectus, quæ tuta, & penè Catholica eſt, ſententia, non poteſt non ab omnibus rectè ſentientibus temeritatis damnari. Et quidem obſeruo Summis Pontificibus incenſendis auctorum quorumdam ſuſpectorum placitis rationem item habere ſolere notarū, quibus oppoſitas ſententias afficiunt, ac in eas cenſuræ ſuæ fulmen intorquere. Quod in lata à Romana Sede aduersùs Baium, Ianſeniumque cenſura videre eſt.

Ac imprimis duæ Bullæ aduersùs quaſdam propoſitiones Baij expeditæ ſunt: altera à Pio V. altera à Gregorio XIII. earum cenſuram continentes. Quam expendens vir grauiſſimus Vaſquez 1. 2. tomo 2. diſt. 19. cap. 18. ait nonnullas continere opiniones tutas, & ſanas: cuiuſmodi quatuor ſunt 29. 30. 36. 61. quas ille liberat ab errore: nec vult abſolutè damnari à Pontificibus: nam ſi damnarentur, & ſua celebris de neceſſitate gratiæ Chriſti [ad omnes actus morales bonos:] & Bellarmini, & Toleti ad tentationes ſuperandas ſententia, vt ait Vaſquius damnaretur: quod nullatenùs admittendum: cùm præſertim ipſe Toletus cum eadem Bulla Louanium ad eam publicandam, & controuerſiam, & Bullæ iuſtitiam Vaſquez ſuſtineat optimè animaduertit, præterquam quod Pontifices dicant [nonnullas aliquo modo ſuſtineri poſſe] (in quibus hæ 4. numerari poſſunt) non taxare, in quibuſdam rem contentam in propoſitione, ſed notam, quam inurunt oppoſitæ ſententiæ: & ob notam falſam, & iniuſtam, propoſitionem damnare. Audiamus Vaſquium num. 176. [Ego non dubito illas propoſitiones, quas memorauimus, ſicut etiam multas continentes acre iudicium, quo doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantùm, vt ſcandalo, & offendiculo patentes, & hac ratione ſolùm prohiberi: nam & audacia, nimiaque arrogantia in aliorum ſententijs malignè vellicandis, ac lacerandis non parùm ſcandali afferre ſolet, à quo docti, & prudentes Theologi in ſuis ſcriptis abſtinere deberent. Hac eadem de cauſa in Eccleſia prohibitum eſt, ne vllus Theologus diſputans, aut ediſſerens de Conceptione Beatæ Virginis ita ſuam ſententiam pronunciet, vt oppoſitam ſuggillare, aut aliquam notam ei inurere audeat. Et addit in rem aptiſſimè. Ex eo quod prædictæ propoſitiones continentes ſeueriorem notam oppoſitæ opinionis hoc modo reprobatæ, interdictæ ſint à Pio V. & Gregorio XIII. non proinde vllo modo in damnationem, aut notam incidit ſententia Auctoris de ea re, ſi tollas cenſuram de oppoſita. Et mox. Non ergo incuſatur prædictus Doctor, quòd hanc ſequatur ſententiam, ſed quòd oppoſitam erroris arguat.] Idcirco ipſe Vaſquez cùm ſuam putet Conciliorum, & Patrum eſſe ſententiam, ait nolle ſe oppoſitam vlla nota afficere, quòd ſciat quantum ſit crimen acriter, temerèque cenſere. Quod ego ſemper Vaſquij iudicium non probaui tantùm poſtquam agnoui, ſed ingenio ad modeſtiam natura comparato, antequam noſſem occupaui. Itaque & mitiſſimus ipſe cenſendo fui, & in alijs moderationem amaui. Hoc me animo cùm Auguſtinus, cui me totum dedidi, informandum accepiſſet, documento ſuo in ſuſcepto conſilio confirmauit. Nemo eſt enim Auctor durior ad accipiendam ex aliena doctrina offenſionem, nec mollior ad deponendam, nec moderatior ad damnandam: nemo eo difficiliùs alienos errores credit, nemo libentiùs excuſat, nemo mitiùs accipit, nemo moderatiùs cenſet: vt videatur malle non inuenire errores, quàm condonare. In quo genere ſeuero, acrique taxandi, quia vehementior eſt Hieronymus, minùs me ſui, quàm Auguſtinus amaurem habuit. Cùmque Patri Franciſco Suario inſigni Theologo multum honoris ſemper detulerim, eo nomine detuli plurimùm quòd cum abundet ſcientia, in cenſenda aliorum inſcita maximè parcus ſit. Quorum modeſtiam ſi recentiores quidam Theologi imitarentur, minùs certè turbarum & in ſcholis, & in concionibus, imò & in Eccleſijs excitarent. Sanè quæ maiore ſe mole voluunt flumina ea minùs ſtrident, & murmurant, & taciturnitate illa ſua profunditatem ſuam commendant: quam quia riui, torrenteſque non habent, in quoſcumque lapides allidun-tur, murmur, & ſtrepitum excitant. Ita natura comparatum, vt qui multa ſciunt excuſare norint, quòd vias omnes euadendi callent:

lent: qui pauca nouerunt, cum ignorent alia, quicquid præter ea, quæ norunt, audiunt, errorem putent. Et id inter ciuem, & aduenam interest, quòd, hic vnam tantùm regiam, & communem ad ciuitatem ducentem viam nouit, callium flexus, & semitarum anfractus ignorat: Ciuis omnia viarum compendia perspecta, & explorata habet. Vnde fit, vt aduena quoscumque præter Regium iter euntes videat, eos errantes putet, & corripiat. Ciuis ire permittat, quod sciat alijs item itineribus in vrbem vadi. Ita ille ex ignorantia taxat, hic ex scientia tacet.

Ad institutum redeamus. Nota immoderata, atque peruersa ferri sanè non potest: ac in Baio iure damnata est: eiusque exemplo pœna sancita. Et nuper alio Iansenij, cuius è quinque propositionibus duæ, quarta, & quinta ob prauam censuram ab Innocentio Papa X. damnantur. Dum enim Semipelagianas duas eas sententias in propositionibus contentas appellat, eo nomine ipse taxatur, non quòd alio item sensu non taxentur, sed quòd hoc etiam peruersæ censuræ vitio reprehendantur. Qua de re nos latè, ac dilucidè, opinor, in mente Innocentij egimus.

Igitur grauissimè peccat Thomas Anglus in huiusmodi censura praua, & intemperanti Catholicæ sententiæ, quam cùm debuisset venerari, & sequi, tam acriter insectatur, vt omnes maledicentiæ habenas, effundat: eamque ita execretur, vt qui eius tantùm censuræ rationem habeat, vel ex ea, quod minùs sit Theologiæ peritus, veritatem spectare velit, iudicaturus sit, eam & hæreticam, & absurdam esse, imò & detestandam, dirisque omnibus deuouendam. Vnde etsi in alijs non errasset Anglus, vel ob istud censuræ iniustæ, & contumeliosæ crimen ad Tribunal Romanæ Sedis sistendus, eiusque sententia condemnandus. Quod si contingat, magnopere propter personæ dignitatem, & professionem dolebo, sed non potero tamen non, & eius crimen agnoscere, & de eo probare iudicium: multa enim necesse est iustè fieri, quæ non nisi dolenter accipi possunt. Si quis autem dissentire à me ipso me existimet, quod in meo lithuo acriùs, acerbiusque cum Thoma, quàm par est, egerim, nec moderationem quam laudo, in eo censendo tenuerim, is precor, expendat causas à me ibi huius acerbitatis adductas, & censuram minimè culpabit meam, cum præsertim ego non tam in eius proprios, priuatosque errores, quorum me magnoperè miseret, quàm in proteruam eius de alienis sententijs procacemque censuram sim inuectus,

Moneo.

Iniurioso ne pede proruat
Stantem Columnam.
Nec captet risus hominum, famamque dicacis
Inueniet enim, qui *par pari reddat, quod mordeat.*
Et grauiora notet dentata crimina charta.

ARTICVLVS III.

Sententia quædam nexa cum hoc errore Thomæ Angli proponuntur, & refelluntur.

THeologica quædam Auctoris opuscula accuratè legens, comperi eum ex illo de auctoritate Papæ peruerso iudicio insolentes, & temerarias non paucas opinationes tamquam ex fonte duxisse: alijsque, si in eo sit deinceps prestandum, occasionem præbuisse, quibus ni occurram fieri poterit, vt & ille nonos errores hauriat, & cæteris propinet. Nam qui semel negat infallibile Papæ in decernendo iudicium, consequens est eum illius decretis minimè obtemperaturum. Id & accidisse Auctori exemplis adductis confirmem, & ne postea accidat, monendo occupabo.

Igitur in appendice, quam aduersùs me edidit in causa Iansenij non minùs meum de censura Pontificis, quàm Pontificis de propositionibus Iansenij iudicium damnauit. Quod duobus modis effecit. Altero sustinendo damnatas propositiones, affirmando in sensu Scholastico, & proprio veras, & Catholicas esse: altero negando esse Iansenij, in eo, quo damnatæ sunt sensu. Qui sanè errores sunt, quemadmodum nos in lituo nostro eius tubæ opposito probauimus: ac idcirco monstrare omittimus. Vtrumque autem ex eo fonte deduci constat, quia si sacra ei, & sancta Pontificia auctoritas esset, non auderet ille constitutionem Papæ impugnare: tum negando propositiones esse Iansenij, quod omninò Pontifex affirmabat, tum affirmando eas Catholicas, & sanas esse; si propriè sumerentur, nec in alienos sensus torquerentur, perinde ac Pontifex torsisset, torquendoque damnasset. In vtroque errasse compertum est. Et quidem in sustinendis propositionibus Iansenij post expeditam Bullam, ac in Bulla ipsa eludenda, & impugnanda grauiùs deliquisse nemo ambigat. Quod autem errarit negando, eas propositiones esse Iansenij, satis iam tum constitit, & ego ostendi. Nunc verò manifestè apparet, post graue illud, & venerabile Episcoporum Galliæ ea super re prolatum, publicatumque iudicium, quod ego non dubitem iusti Concilij decretum appellare, cùm tot tamque clari doctrina, & pietate Patres, Præside Eminentissimo Cardinali Iulio Mazzarini ritè congregati censuerint, illas quinque propositiones damnatas esse Iansenij, ac vtì sunt damnatæ, ab eo traditas fuisse, Cui nemo sine magna temeritatis nota refragari possit. Ego certè cùm vidi, tamquam oraculum è cœlo lapsum accepi, & veneratus sum.

Iam verò postquam recens hoc anno à sacra Romanæ inquisitionis Congregatione expedita est Sanctissimi Patris nostri Innocentij Papę X. contra libellos Iansenij opinationibus fauentes Constitutio, commentarius istæ Thomæ Angli aduersùs meam censuram scriptus omninò proscribitur, cum in eum præcipuè, quòd quinque illas propositiones Iansenij damnatas defendat, fulmen illius censuræ Inquisitoriæ iaciatur. Ac id

ego

egò certè in mea, quam obtuli responsione fore præuideram, vti monui: nec dubitò quin, & quædam alia eiusdem hominis scripta citò damnentur, vt verus vates (etsi ei Celæno infelix videar) existam.

Venio ad aliud Thomæ Angli crimen, quod partim proditum euulgabo, partim occultum. & obrutum probam. Diu est, quòd scio malè animatum esse auctorem in Religiosos viros, ac præcipuè in Venerabiles Patres Societatis Iesu, cùm ab omnibus Catholicis diligi, ... maximè propter singularem doctrinæ, morumque probitatem debeant, eos tamen auctor allatrare sæpè solet, & in inuidiam allatrando vocare. Vtitur ad id prætextu honesto defendendi gratiæ dignitatem, perinde, ac libertatis asserendæ studio à Iesuitis Patribus impugnetur. Mussat, & ringitur, ceu dentes velit infigere, & iam vltra progressus rodit auctore societaris, quòd suspectam de gratia opinionem sequantur. Id cùm alias antea, tum maximè nuper egit, edita contra me Appendice, in qua eos haud dubiè carpit, meque sugillat, quod cum ijs de damnandis Iansenij propositionibus sentiens Semipelagianismum sapiam: quemadmodum in meo situo palam feci, vbi calumnias ijs, mihique impositas dilui. Nunc verò quoniam nouo edito vernacula lingua scripto libello manifestè ausus est Patres illos venerabiles criminari, & prodita opella furtim cusa, quæ inscribitur Quæstio Theologica Historica, in qua disputationes habitæ super Molinæ doctrina coram Summo Pontifice Clemente VIII. fuerunt, & acta conruinerut, propriam de gratia Societatis doctrinam calumniari, ceu in eo esset iudicio damnata, necesse erit nefarijs eius conatibus occurrere, & fictæ Calumniæ Clauam de manibus extorquete: cum præsertim huiusmodi opella nupera constitutione (cuius supra meminui) ab Inquisitorum Romanæ Curiæ Sacra Congregatione nominatim proscripta sit. Erit autem æquum, vt quoniam Pontificiæ Sedis, & auctoritatis Societas Iesu maxima, & acerrima propugnatrix, & vindex est, nos, qui de propugnanda eadem auctoritate agimus, Societatem quoque à Calumnia vindicemus; cum tam coniuncta vtriusque sit Causa, vt non possit vna sine altera, aut defendi, aut oppugnari: quæ summa Societatis laus est eosdem habere cum Sede Romana, & Amicos, & Inimicos: vt quicumque vnam amet, & ambas diligat; & qui alteram oderit, ambas oderit. Id mihi legendo compertum, neminem qui Romanæ Sedi bellum hostis intulerit, non etiam bellum Societati huic Iesu Sanctissimæ intulisse.

Actam fuisse Romæ Causam P. Molinæ, & coram Pontifice Clemente primùm VIII. deinde Paulo V. agitatam, & sciunt omnes, & mihi constat, qui Matriti noui Bastidam vnum ex patronis Molinæ, senem iam, & à Societate dimissum: à quo ego illud accepi. An vero extent Acta illa disputando confecta: & vbi sint compertum non habeo. Illud memini me Anno 1649. Parisijs in comitatu Legati Lusitanici extraordinarij Marchionis Nisensis audire, à Præside Sacræ Inquisitionis Barcinonensis ibi tum agente, qui cum Legato, & mihi familiaris erat, & frequens vsus, exemplum idoneum illorum actorum Summæ fidei manuscriptum in Chartophylacio Inquisitionis seruari. Cuius cùm aliud exemplum Legatus postularet, promisit ille (quòd erat in procinctu ad iter) cùm Barcinonem peruenisset ad Legatum continuò missurum: quod præstare tamen, aut noluit, aut non potuit: nec in Lusitaniam maturantibus, licuit, præsertim intercurrente bellorum turbine, per literas exigere. Fidem tamen homini graui, & exactæ ætatis, & insignis dignitatis adhibui. An verò illud Legitimum esset, & incorruptum, id certè inuestigare non potui. Cùm Londinum postea Anno 1652. Legatum extraordinarium Comitem Penaguianum Cubiliarchum comitatus venissem, incidi in quoddam exemplum huius disputationis typis mandatum Anno 1644. inscriptum, [Quæstio Theologica, Historica, & Iuris Pontificij] cuius expectatione iampridem ductus, & tunc erectus omnibus lætitijs (vt cum Tullio dicam) incessi. Itaque auidissimè arripui, accuratissimè legi: sed non omnio acquieui. Deprehendi enim quædam in auctore affecti animi, & præoccupati iudicij signa, quæ illius exempli fidem eleuarunt. Per ea cùm mentem auctoris indagassem, comperi eum aliarum partium à Societate esse: & suscepto studio Molinæ sententiam impugnare, suamque illi oppositam rueri, & confirmare.


Deinde persuadere mihi non poteram Sanctissimum Pontificem Clementem, dum præesset Causæ tam facilè, tamque apertè in contrarias Molinæ partes iturum: & toties indignabundum commoti animi signa daturum: adeo vt in conuicia quoque, & probra erumperet, quod apparet ex n. 10. 12. & 13. Prætcrea illa verba Generalis Societatis Iesu ad Patrem Valentiam, relata num. 11. Destruxisti Societatem, omnino conficta sunt. Multa insuper Molinæ imponuntur, quæ ne somniauit quidem. Quid, quòd Valentiæ Summo Theologo ineptæ, & inscitæ responsiones sæpè tribuuntur, quæ vel à rudi discipulo reddi non possent? Iam illa insignis est impostura ad concitandam inuidiam Societati: Molinistas publicè Romæ sustinuisse, Non esse de fide. [Clementem VIII. esse Pontificem. Et ipsum errare posse.] quod num. 9. habetur: quæ duæ sententiæ maximè sunt à Societate alienæ. Certè, vt illa est, & egregiè pia, & prudens, nec sentire illud posset: nec vt sentiret euulgare deberet, ijs præsertim (quæ fingit auctor) formidolosis temporibus. Nec illi, quos num. 6. comminiscitur veri sunt. Vnde enim Panicus ille terror? qui cogeret Molinæ librum [suspectum de hæresi agnoscete, & Sacro Inquisitionis Tribunali denuntiare,] cùm eius anteà, & posteà quidam doctrinam defenderint? Nimirum timebant Censores, quos ad disputationem prouocabant. At, negabant stare se aut velle, aut posse Doctoris Angelici auctoritate, idque fassi sunt. Credam: si probetur Patres Iesuitas suam de gratia, & prædestinatione sententiam Diuo Thomæ non assignare, eumque illius auctorem dicere. Imò non ui nil tam illis persuasum esse, quàm se suæ doctrinæ Diuum Thomam habere patronum: adeò vt putent, & scribant eum Thomistis ipsis

ipsis ademisse, ac sibi vendicasse. Quo iure non disputo: tantùm refello, quod aiunt: testatos eos vmquam fuisse se Diuum Thomam reliquisse. Legat, qui volet vnum instar omnium Suarium cùm alijs locis tum Tomo 2. de gratia lib.3. passim, ac imprimis cap.49. Tamdem si Molinæ sententia tam facilè conuicta, & tam apertè damnata, quomodo ea postea tradita, & defensa est à Lessio: nec contra eam quicquam expresse aut statutum, aut vulgatum? videmus enim illius & legi librum, & sustineri doctrinam: bellumque illud Scholasticum diremptum, silentio imposito, cautoque ne alterutri alteris detraherent; quòd certè cum ijs, quæ in his actis commemorantur, minimè consentiunt.

Hac me mouerant anteà ad credendum illum libellum apocryphum esse: nuper autem lecto super hac ipsa re P. Annati iudicio, quod paucis postquam hæc scripsissem diebus, oblato mihi à P. Antonio Barradio Societatis Iesu, viro docto, & designato Lusitaniæ Prouinciali, eius vltimò contra Iansenium libello, expressam legi meam firmaui sententiam. Nunc tamdem accepta Sacræ Romanæ Inquisitionis censura illam opellam damnante, id omninò mihi persuasi. Consilium verò mihi placuit meum, qui cùm maximè à Molinæ sententijs de gratia, placitisque dissentiam, quòd sint illa ab Augustini doctrina prorsus aliena, numquam tamen ad ea impugnanda vti volui huiusce constitutionis argumento, nec enim de illius fide constabat; non soleo autem in sententijs, aut oppugnandis, aut cofirmandis, fluxis, & incertis vti rationibus: quemadmodum Thomas Anglus, qui cùm in hac constitutione magnum situm esse præsidium putet, subrui, ac procidere repentè admoto Romanæ auctoritatis ariete sensit, & doluit. Quid autem ex huiusmodi disputatione habita Romæ aduersùs Molinam colligi possit (nam id ego coniecturis idoneis assequor) aliàs in libro, quem contra Arminium, remonstrantes adorno, conijciendo exponam.

Grauiores multò sunt ij, quos circa auctoritatem Papæ in conferendis indulgentijs admittit errores, qua de re quoniam ego latiùs, & copiosiùs singulari quæstione aduersùs eum scripturus sum: quàm hic adornare iam cœperam, & subitò discessu intermisi, in aliud tempus responsionem reseruo. Ac secundo edito libro non eum modò, sed omnes etiam Heterodoxos illorum argumentis adductis suscepto studio refutabo.

Hoc est meum de auctoritate Pontificis Romani verum, synceremque iudicium: quod ipsum ego, & cæteras meas quacumque de re sententias, Ecclesiæ Romanæ censuræ subijcio.



EIVS



EIVSDEM AVCTORIS.

SCHOLA VI.

DE IVDICIO VERITATIS FIDEI, & morum in dubijs circa eam ortis.

PROLOQVIVM.



ABSOLVTA tractatione de Verbo, & Spiritu sancto, aptè instituitur quæstio de Iudicio veritatis inter homines, ad quos missa est veritas Verbi Incarnati, qui de semetipso Ioannis 19. dixit. [Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.] Et Magister veritatis Spiritus sanctus, qui Verbo Incarnato succederet in Cathedra veritatis: [Ille vos docebit omnia. Cùm venerit ille docebit vos omnem veritatem,] quemadmodum per igneas linguas erudiuit. Nimirùm quòd, [cùm omnis homo sit mendax,] veritas ab ijs esse non poterat. Nasci ergo debuit in terris Veritas Christus: [Veritas de terra orta est, & Spiritus ille Veritatis,] in terras debuit per speciem descendere, vt apud eos Iudicium veritatis esset, & ab ijs discerent homines iudicare. Idcircò Spiritus sanctus in specie Columbæ, & Linguæ igneæ visibilem se præbuit, vt ex illius superuolantis motu afflatus cœlestis existeret, & ex illo igne faculæ deciderent, quæ mentes illuminarent, & corda succenderent. Quibus sanè signis duo indicauit, alterum visibile, ac sensibile fore iudicium: alterum ab eo ferendum, qui & Columbæ Filius huius & esset, & vocaretur, & ardore Charitatis plus cæteris æstuaret. Cuiusmodi Petrus fuit. Filius Iona, idest Columbæ, & verus Christi Amator, qui plus cæteris eum dilexit. A quo quòd illius Fides non defecit, Fratres sunt reliqui confirmati. Sed antequam de Petro, & successoribus quicquam statuamus, quæstionem excitemus, & decidamus.

CAPVT PRIMVM.

Ecquis sit Iudex Controuersiarum.

TRes in quæstionem venire possunt. Scriptura sacra. Traditio sacra. Pontifex Summus, siue Ecclesia. Primùm de Prima. Deinde de alijs agemus. Ac primùm.

Controuersias esse de rebus fidei patet, & naræ ex ijs hæreses testantur, easque accuratè collegit, & recensuit Pater Martinus Becanus in suo Manuali lib.1.cap.5. & in tomo opuscul. à fol.727.ad 736. ad has componendas Iudice opus est, qui more iudiciali eas dirimat. Igitur quis, & qualis hic Iudex sit, quæritur. Hæretici aiunt esse solùm sacram Scripturam, quod probant.

Primo loco Isaiæ 8. num. 20. vbi Deus remittit Iudæos ad legem, & testimonium. Secundo Ioan.5. In quo ait Christus [scrutamini scripturas.] Tertio Lucæ 16. ore Abrahami ad Diuitem [habent Moysem, & Prophetas, audiant illos,] cui accedit caput vltimum, vbi Christus duos Discipulos inuentos in via docuit ex sacris Scripturis, & reprehendit, quòd non crederent. Quarto loco Actorum 17. In quo Beroenses audientes Paulum [scrutabantur Scripturas, si hæc ita se haberent.

Probatur secundò ratione: quia Iudex debet esse certus, & in materia fidei infallibilis: certitudo autem, & infallibilitas tantùm reperietur in Auctoritate Diuina, hæc verò in solis Scripturis continetur. Ergo sola Scriptura Sacra est Iudex controuersiarum. Confirmatur, quia Iudex est superior controuersijs, & litibus, & vti talis eas definit. Vnde sequitur non posse esse alium iudicem prætet scripturam, quia supra illam nemo esse potest. Tertiò quia auctoritas Diuina non existit in aliquo homine viuo, nec in traditionibus, quę per manus hominum veniunt, nec scriptis humanis, & mortuis, nec in alijs, quæcumque demum sint, instrumentis, aut momentis, alijs Scripturis mortuis, nec in alijs probationibus humanis. Ergo nusquam præter Scripturam potest inueniri Iudex controuersiarum. Ita hæretici.

Catholici clariùs procedunt, & distinguunt duo. Iudicem, & normam, seu regulam, per quam Iudex dirigitur, & gubernatur. Iudex enim fert sententiam secundùm ius, & leges, & vtitur regula rationis in ferenda sententia de proposita controuesia, Posita ista di-

distinctione aiunt Iudicem esse Pontificem Romanum, vel ex cathedra per se, vel simul cum Concilio definientem. Normam verò, & regulam esse scripturam, & traditionem. Hoc posito. Verùm sola Scriptura sit Iudex controuersiarum? Non esse Probatur primò, quia Iudex est ille, qui in controuersia inter litigantes pro vna parte fert sententiam certam, & determinatam. Hoc autem non facit Scriptura, quia noui hæretici de intelligentia Scripturæ semper ambigunt, & de illa nobiscum, & inter se disputant, quia in Scriptura euidenter non habetur certa sepè, & definita sententia. Patet veritas probationis exemplis. Nestoriani duas in Christo distinguebant personas, Euthychiani vnam ponebant naturam, & vtrique Scripturas allegabant. Caluinistæ negant realem Christi præsentiam in Eucharistia, quam figuram tantùm esse dicunt. Lutherani autem admittunt corpus Christi simul cum pane in Eucharistia, & realem Christi præsentiam non negant. Ariani abutebantur eo loco. [Pater maior me est,] & errabant in alio: [Ego, & Pater vnum sumus] in quo item errabant Sabelliani dicentes in Deo vnum esse suppositum, seu personam. Non habebant igitur Scripturam Iudicem suarum controuersiarum. Multa alia exempla possent afferri, quæ cumulat doctè, & eleganter P. Campianus in suo aureo libello decem rationum, & Beccanus citatus.

Probatur secundò, quia officium Iudicis est auferre materiam controuersiarum, & litium, easque sua sententia terminare, & occasiones litigandi auferre; at verò Scripturæ apud Hæreticos, dum eas quisque priuato iudicio seruire cogit, præbent ansam litigandi, & digladiandi, Omnes enim illas in suas partes trahunt, & pro se allegant, & postquam eas producunt, de illarum sensu, veluti olim de Homero Græciæ vrbes, inter se contendunt. Igitur scriptura inter ipsos non terminat quæstiones, imò nouas ex abusu citantium auget, & producit. Nullus quippe hæreticorum Scripturæ hactenus ita acquieuit, vt desineret dubitare. Itaque singuli, suis interpretamentis, tamquam saxis polypi adhærescunt.

Probatur Tertiò: Iudex est ille, qui de alijs cum potestate iudicat, & illos ad se vocat, & dicto audientes habet tamquam superior illorum, nec sinit se à litigatoribus trahi, & torqueri, at Scriptura non ita se haber apud Hæreticos. Alij enim aliò illam trahunt, & de illa arbitrio suo iudicant, & volunt vt suo sensui obediant, flectentes eam, & detorquentes quò lubet, ostendentes se ipsamet Scriptura superiores: cùm suo quisque arbitrio eam suspendat.

Confirmatur exemplis. Dicit Scriptura [hoc est corpus meum,] dicant Caluiani [hoc non est corpus meum, sed figura corporis mei.] Ergo ij Scripturam iudicant, & reprobant. Dicit Scriptura. [Ego, & Pater vnum sumus,] dicunt Adriani Verbum, & Pater non sunt vnum puta Verbum est creatura Patri.] Dicit Scriptura, [non derelinques animam meam in inferno.] Vnde Symbolum Fidei dixit. [Descendit ad inferos.] Dicunt Caluinistæ [Anima mea id est Christi hæc dicentis pertulit in Cruce tormenta Inferni, & disperauit, ac proinde instar damnatorum se habuit] quod quidem diceret de anima sua ipsemet Iudas proditor. Hoc enim sensu accipiunt Caluinistæ illa verba Christi in Cruce. [Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?] Addit Beza animam hoc in loco significare cadauer, vt idem sit dicere, [non derelinquas animam meam in Inferno,] ac dicere, [non derelinquas cadauer meum in sepulchro.] Dicit tandem Scriptura,] nisi quis re natus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.] Dicunt Anabaptistæ infantes etiam non renati introibunt in regnum Dei. His exemplis manifestum est hæreticos non sequi Iudicium Scripturę, nec eam dominum, aut Iudicem habere, sed arbitrio suo regere, ac torquere, eamque pessundare, & conculcare.

CAP. II.

Soluuntur Argumenta Nouatorum.

AD primum Isaiæ, apud quem Deus Hebræos ad legem magis, & ad testimonium mittit. Respondetur Deum hoc in loco agere contra eos, qui consulebant Ariolos & Pythones, idque fieri prohibere: dixerat quippe, [cum dixerint ad vos quærite à Pythonibus, & diuinis, qui strident in Incantationibus suis.] Addit deinde. [Numquid non Populus à Deo suo requiret visionem?] Ex quo apparet Deum hic loquentem non agere de controuersijs legis, sed de scientia, & reuelatione futurorum. Itaque Deus monet Israelitas, si futura scire vellent, debere Scripturas Diuinas, & Prophetas consulere, & non Pythones, & Dœmones, quomodo dictum est lib. 4. Regum cap. 1. Ochoziæ Regi. [Numquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron.] Has ergo consultationes vetabat Deus iubens recurrere ad legem, & testimonium scripturarum, quas Pontifex, & Prophetæ solebant explicare. Non iubet itaque consulere nudas, quomodo futuri euentus præsciri deberent. Scripturas, sed ait Scripturas ipsas docere, Idest, per Pontifices, & Sacerdotes: per Pontifices, vti illo loco. Applica Ephod, per Prophetas vti alio loco lib. 2. Reg. cap. 14. vbi vxor Ieroboami iuit consultatum Abiam Prophetam de salute Filij sui egrotantis: [Vade inquit, ad illum, ipse enim indicabit tibi, quid euenturum sit puero huic,] quare hic locus potius est contra Aduersarios, etiam dato, quòd Deus hoc in loco Isaiæ de Controuersijs loqueretur. Iubet enim recurrere ad Scripturam iuxta morem illius gentis, qui erat recurrere ad Pontifices, & Prophetas, non ad nudas Scripturas, Confirmatur, quia in eodem loco Isaiæ prius dixerat Deus. [Liga testimonium, signa legem in discipulis meis] & post hæc addit, [ite magis ad legem, & testimonium, quàm ad Ariolos:] significans eundum esse ad Scripturam non liberam, & solutam, sed ligatam, contractam cum personis, ad quas pertinebat responsum reddere, vti erant Pontificis, & Prophetiæ, quod magis patet ex verbis sequentibus, quod nisi dixerint iuxta Verbum hoc non erit eis ma-

ma-

tutina lux. Itaque lex illa, & testimonium non sumebatur ex litteris mutis scripturarum, sed ex verbis Magistrorum.

Secundò: Scrutamini Scripturas. Respondet Reccanus lib. 1. cap. 5 de iudice controuersiarum hoc loco docuisse Christum quatuor se de sua Diuinitate habere testimonia, vnum Ioannis Baptistæ, aliud miraculo Patris æterni, aliud Sacræ Scripturæ. Vnde sequitur istum locum esse contra hæreticos, quia ex hoc loco habetur non solam Scripturam esse Iudicem controuersiarum. Ego aliter soluo, quia video Christum hoc in loco nolle probare Diuinitatem suam testimonio Ioannis. Imò & hoc infirmare, ac excludere cum dicat. [Ego autem non ab homine testimonium accipio] Deinde neque etiam Patris testimonio persuadere vult Iudæis Diuinitatem, quia dicit, vocem eius numquam audistis, neque faciem eius vnquam vidistis.] Tandem etiam Testimonium miraculorum exclusum ait ab iisdem, quia Christo ea operanti nolebant credere: non ergo volebat Christus facere quatuor Iudices controuersiarum apud Iudeos, cum ipsi tribus non crederent, sed tantùm crederent Scripturis. Igitur eos remittit ad Scripturas, quibus tantùm credebant, & ita concludit [Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.] Concedo ergo Christum remisisse Iudeos ad Scripturas, nego tamen ex hoc sequi illationem hæreticorum; nempe. [Scriptura sola est Iudex controuersiarum.] Nam illud tandem colligitur ex loco, Scripturam aliquando posse controuersiarum Iudicem: nimirum, vbi clarè loquitur, tunc enim non indigemus alio Iudice, neque Catholici affirmamus, vbi scriptura clara est opus esse Iudice, hoc enim esset absurdum. Quis enim vnquam quæsiuit Iudicem quando nulla erat controuersia? Igitur de Natiuitate, & Circumcisione, Passione, ac Resurrectione Christi, & alijs mysterijs, quæ sunt manifesta in Euangelio, non expectamus Iudicem, quia sola Scriptura clarè, & manifestè illa proponit, at in alijs locis, & controuersijs, vbi Scriptura clara non est, Iudicem quærimus. Itaque ad argumentum. Remittit Christus ad Scripturas Iudæos, quia eius Diuinitas erat in eis expressa, & non erat opus ad eam cognoscendam alio adminiculo præter ipsam Scripturam. Secundò respondeo. Ideo Christum eos remisisse ad solas Scripturas, quia ij nolebant credere alijs agumentis. Tertiò respondeo, non sequi ad solas, & meas Scripturas eos misisse, sed vti solebant explicari per Pharisæos Magistros legis ex Cathedris, vbi Spiritus Sanctus assistebat. Quòd non consulimus hæreticis, vt ferurentur Scripturas iuxta Pontificum, & Conciliorum, & sanctorum Patrum expositionem.

Tertius locus de Abrahamo mittente Diuitem ad Moysen, & Prophetas soluitur dicendo eum non loqui de doctrina, nec de controuersijs doctrinæ, sed de disciplina morum, quæ in legibus Diuinis, & præceptis continetur. Addo quod Abraham dixit [habent Moysen, & Prophetas, audiant illos,] non dixit legant in scriptis, sed audiant in voce Prædicatorum, & Magistrorum.

Quartus de discipulis Emaus dupliciter exponitur dicendo Christum Scripturis fuisse vsum, quia non erat tunc Iudex competens in Synagoga, cuius Pontifices eo tempore intrusi, & venales erant. Secundò dicendo mysterium Resurrectionis esse in Sacris litteris satis clarum, & manifestum. Tandem ipsimet discipuli fatentur se non intellexisse Scripturas, nisi Christus explicasset, quod sæpè in Euangelio Apostoli confitentur. Vnde probatur interdum sacras Scripturas nõ sufficere ad controuersias definiendas, & iudice opus esse. Hinc illa vox [cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur, & aperiret nobis Scripturas.

Ad locum Actorum de Beroensibus: Respondet Becanus: eos iam credidisse Paulo: consuluisse tamen Scripturæ locos, vt ijs perspectis magis confirmarentur in Fide. Mea solutio est diuersa, quia textus videtur significare Beroenses non tam credidisse, quàm voluisse scrutari scripturas studio videndi vtrùm congruerent ijs, quæ à Paulo dicebantur, quasi non credituri, nisi congruerent. Hoc supposito, quod apparet ex textu, respondeo primò Beroenses non agnouisse adhuc Christum, nec eius Ecclesiam, ac proinde, vt de nouo crederent egebant testimonio Scripturarum, nam alius pro ijs in eo statu iudex non erat, at nos, qui nouimus Christum, & Ecclesiam, & scimus hanc non oppositum errare, possumus habere, & debemus alium iudicem vltra scripturam. Secundò Paulus ipse probabat sua dicta testimoijs scripturæ, vt ait textus disserebat eis de scripturis, & volebat, vt ipsi eas consulerent, quia erant claræ, & monstrabant quæ ipse docebat. At verò nos quando dicimus opus esse Iudice, loquimur de rebus obscuris, quæ non habent patentia testimonia: in perspicuis autem vrimur scriptura. Tertiò respondeo non negari à nobis Scripturā interdum Iudicem esse, sed negari solam, & semper sufficere, cùm ea sæpè sit obscura, & ei traditiones sint adiungendæ, quas peruicaces omnino hæretici tollunt.

Argumentis ex ratione satis fit hoc modo. Primò concedimus maiorem. Nempe Iudicem debere esse infallibilem, & negamus minorem: nimirum solam Scripturam esse infallibilem. Nam traditiones etiam infallibiles sunt. Deinde Concilia Vniuersalia, & Pontificum ex Cathedra Decreta in rebus de Fide sunt infallibilia, nec vnquam Catholici ad definiendas primarias Fidei controuersias horum iudicia recusarunt, vt apparet indefinitis à Concilio Niceno contra Arium. In Constantinopolitano contra Macedonium. In Ephesino contra Nestorium. In Calcedonensi contra Eutychetem, & Dioscorum. Quis enim vnquam quæsiuit: an ex Scripturis, vel ex traditionibus hæc Concilia iudicauerint? De Pontificibus infra dicemus.

Secundum soluitur hoc modo: Iudicem controuersiarum non esse Superiorem Scripturis nec ferre iudicium supra Scripturam, sed super obscuritatem Scripturarum remouendo illam, & eruendo occultum sensum cum assistentia Spiritus Sancti, quæ non deest in Ecclesia. Præterea adhibentur etiam traditiones

vbi

vbi Scripturæ desiderantur. Tandem argumentum retorquetur in Hæreticos: illi enim iudicium ferunt super sensum Scripturarum. Imò sæpe singuli priuato iudicio illas interpretantur. Tertiò negatur solis Scripturis inesse Dei auctoritatem, quia inest etiam traditionibus. Præterea non est opus, vt Iudea in se habeat auctoritatem Diuinam, sed vt iudicem secundùm illam, vti facit Pontifex, & Concilia, quæ nihil de nouo conducunt, vel definiunt de fide, declarant de fide esse, & contineri in Scripturis, vel implicitè, vel explicitè, & iuxta illas, vel traditiones, docent veritates de Fide tenendas.

CAP. III.

Traditiones esse infallibiles, sed non Iudices controuersiarum.

Traditio est veritas non scripta, sed Fidei, & auctoritate maiorum accepta, & consuetudine roborata, & ad Personas transmissa. Apud omnes gentes est, nam omnes obseruant quosdam mores, & consuetudines certas, & solemnes vltra leges scriptas, quæ seruantur, & custodiuntur. Erant apud Hæbræos,& de illis loquuntur Pharisæi in eo celebri loco, [quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?] Quas item Christus refutando confirmat dicendo traditiones vestras, huius generis fuere illa baptismata Calicum, & Vrceorum, & lotiones manuum de quibus Marcus cap. 7. & Matth. cap.15.& illa auersio Iudæorum à Publicanis, & peccatoribus, vt & cum illis edere, & ab ijs tangi recusarent, de quo Matth. 9.& Lucæ 7. Hæ tamen traditiones vitiosæ erant,& corruptæ: ideò Christus eas reprehendit.

Erant autem aliæ traditiones laudabiles, & necessariæ, vti Canon Scripturarum, quem Hebræi accipiebant à maioribus traditum, vti Sacramentum in remedium Peccati originalis feminarum, quod omnino aliud erat à Sacramento Circumcisionis, nec tamen inueniebatur in Scripturis. Præterea multa per traditiones habuerunt Hebræi,de quibus Exodi 12.[narrabis Filio tuo in illo die dicens, hoc est, quod fecit mihi Dominus, & Deuteron. 32. [Memento dierum antiquorum; cogita generationes singulas, interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos,& dicent tibi. Alia testimonia similia sunt Iudicum 6. & Psal. 47. & 77.

In nouo Testamento patent traditiones, & iubentur seruari 2.Thessal. 2. [Itaque Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.] Chrysostomo ibi notante. [Hinc patet, quòd non omnia per epistolam tradidit,sed multa etiam sine literis,eadem enim fide digna sunt, tam illa, quàm ista.] Idem docet Epiphan. hæresi 61. & Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. & Damascen. libro 4. cap.17. vbi sic: [Plurima Apostoli sine scripto tradiderunt.] Huius generis est Canon scripturarum à Pontificibus, & Concilijs definitus, nam iste in scripturis non est, & prohibitio rebaptizandi baptizatos ab hæreticis, de quo Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 7. [quam consuetudinem, inquit, credo ex Apostolica traditione venientem.] Imò & illa infantes esse baptizandos,auctore Origene, in cap. 6. epist. ad Roman. [Ecclesia, ait, traditionem accepit etiam paruulis baptismum dare,] & quamquam videtur locus expressus pro hac veritate Ioannis 3. [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei,] maluerunt tamen Patres traditione id, quàm Scripturæ auctoritate definire. Nam multi hæretici vti hodie sunt Anabaptistę illi testimonio Scripturę non acquiescunt, negantes de Infantibus intelligi, non possunt autem negare traditionem Ecclesiæ in ijs baptizandis,de qua sanctus Augustinus lib.10. de Genesi ad liter. cap. 23. [Consuetudo, inquit, Matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est,neque vllo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.] Item illa traditio est, quod in Ecclesia Catholica de Fide creditur: B. Mariam Virginem semper & ante partum, & in partu, & post partum fuisse. Nam hoc in Scripturis non habetur expressum. Igitur Traditiones infallibiles in scripturis expressè habentur,& exempla earum, quæ adduximus in scripturis non reperiuntur, & tamen creduntur de fide. Agimus autem de his, quæ ab Apostolis pro vniuersa Ecclesia tradita sunt, non autem de alijs, quæ nec ab Apostolis traditæ sunt, nec Vniuersalis Ecclesia celebrat: cuiusmodi sunt communio quotidiana, Ieiunia Sabbathi, & aliorum dierum, quæ cum varietate ieiunantur. [Et cetera, inquit Augustinus, quæ per loca, Regionesque variantur.] De illis primis Apostolicis grauiter Tertull. lib. de corona militum cap. 4. [Harum, & aliarum similium disciplinarum si legem expostules scripturarum nullam inuenies. Traditio tibi tradicur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.] Consentit Augustinus epistola 118. ad Ianuarum. vbi ait. [Insolentissimæ insaniæ esse de ijs dubitare, quæ ab vniuersa obseruantur Ecclesia.] De alijs autem, quæ minoris sunt momenti consulit Augustinus cum Ambrosio, [vt obseruet quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit inuenerit.] Primum illud genus comparatur scripturis, hoc secundum minimè, nec enim est infallibilis veritatis.

Ex his patet traditiones illas Apostolicas Controuersiarum Iudices esse posse, si infallibilitas attendenda sit. Sed non esse Iudices probatur, quia Iudex est, qui audit partes, & fert sententiam, examinata veritate, & more iubentis rem decidit secundùm allegata, & probata, hoc autem non est proprium scripturæ, nec traditionis, quæ muta, & insensibilis est, sed personæ viuæ, & intelligentis, qualis est Pontifex, & Ecclesia, quæ in vtramque partem ventilant controuersias, & diiudicant, & auditis partibus decernunt quid sit tenendum, & agendum; quare rectè dicitur cum Becano scripturam, & traditionem potius esse normam, & regulam credendi,

di, quàm Iudicem controuersiarum: nam officium Iudicis est personæ, non autem doctrinæ, aut legis, aut traditionis. Præterea quia Traditiones pauciores multò sunt, quàm controuersiæ, & quæstiones circa doctrinam de Fide. Igitur non possunt esse Iudices, nisi paucissimarum. Insuper: Traditionum cùm multa sint genera, non tam facile est dignoscere, si paucas excipias, quæ sunt diuinæ, & infallibilis auctoritatis, ac proinde indigent alio Iudice, à quo discernantur, & statuantur. Verùm de Traditionibus peculiarem quemdam, & vberem tractatum suo tempore, ac loco trademus.

CAP. IV.

Quis tandem sit Iudex Controuersiarum?

Dicendum Pontificem Romanum Christi Vicarium, & Petri Successorem, quæ potestas ei cum clauibus data est, cui dictum, [ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua,] & illud [Pasce oues meas.] Nam decidere controuersias ad Ecclesiæ regimen spectat. Concurrunt ergo in Pontifice omnes conditiones requisitæ. Nam est Persona, est infallibilis, est constitutus à Deo in supremo Tribunali Ecclesiæ cum auctoritate idonea ex assistentia Spiritus sancti, atque adeò legitimus Iudex controuersiarum.

Probatur hæc veritas exemplo Iudicis politici, nam in Republica est lex scripta, & consuetudo, & Iudex. Lex scripta respondet scripturæ. Consuetudo Traditioni. Iudex Papæ. Experientia igitur docet in omni Republica præter leges, & consuetudines esse Iudices, qui lites dirimunt ferendo sententiam inter partes. Quo exemplo monstratur in rebus Ecclesiasticis præter Scripturas, & Traditiones Papam existere, Iudicem viuum, & qui viua voce pronunciet sententiam.

Probatur deinde exemplo iudicis causarum in veteri Testamento, qui erat Summus Pontifex iuxtà Iosephum lib. 2. contra Appionem. [Pontifex, inquit, ante alios Sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, & iudicat controuersias, conuictos delicti punit, cui qui non obedit is pœnas luit tamquam in Deum impius.] Certè leges erant in Scriptura, & tamen illæ non sufficiebant ad iudicium, itaque opus erat Pontifice. Sed consulamus hac de re scripturam. Deuteronomij 16. ait Dominus. [Iudices, & magistratus constitues in omnibus portis tuis per singulas Tribus suas, vt iudicent Populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.] Et 2. Paralipomenon 16. [Constituit (idest Iosaphat Rex Iudæ) iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca.] Sed clariùs Deuteronomij 16. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicium intra portas tuas videris variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venies que ad Sacerdotes Leuitici generis, quæres que ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & finit: qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis morietur homo ille.]

Sed obijciunt Hæretici has esse controuersias politicas, & humanas, non sacras, ac proinde non probari intentum. Sed refellitur obiectio exemplo Moysi, qui Exodi 18. [Sedit vt iudicaret populum, & dixit: Venit ad me Populus, quærens sententiam Dei, cùmque acciderit aliqua disputatio veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges.] Esse autem controuersias sacras, quas Moyses ita decidebat, patet ex Numeri 9. vbi definit quid faciendum esset cum ijs, qui propter immunditiam legalem non poterant cum alijs celebrare Pascha, & Numeri 15. vbi statuit pœnam ei, qui inuentus esset colligere ligna die Sabbathi. Verùm clarissimè habentur istæ controuersiæ lib. 2. Paralipomenon, cap. 19. vbi sic: [Constitui Leuitas in Hierusalem, & Sacerdotes, & Principes familiarum, præcepitque eis, &c. tunc omnem, inquit, causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in Vrbibus suis inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in domibus, &c.] Et addit: [Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.] Hoc testimonio probatur causas, & controuersias sacras ad Pontifices pertinere, ac eorum omnium Caput esse Pontificem, & confirmatur ex Caipha, qui apud Ioannem illam controuersiam. [Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?] Respondit Christum esse occidendum, quod iudicium cœteri sunt sequuti Ioannis 11. ex quo, quamquam scelerato exemplo, apparet summos Sacerdotes iustè leges, & controuersias definire, quod ratione eiusdem Ioannis probatur, dum ait Caipham, [quia illius anni Pontifex erat Spiritu sancto afflatum prophetasse.] Suadetur item exemplo Summi Sacerdotis, in cuius pectore ierat rationale cum Vrim, & Thumim, idest doctrina, & veritate, de quibus quid significetur, etsi ambigant interpretes, dicente Rabi Salomone esse nomen Dei Adonai, Aria Montano duas gemmas, Iosepho duodecim lapillos, vbi incisa nomina filiorum Israel, omnes tamen conueniunt inde emitti oracula diuina. Quare S. Augustinus existimat eadem illa vocabula aureis literis inscripta fuisse, quæ rem ipsam è Summi Sacerdotis pectore petendam esse significabant. Id autem cùm in figura contigerit nihil aliud quàm Summi Pontificis in lege gratiæ iudicium in controuersijs Fidei significabat.

Præcipua tamen probatio est ex vsu, & praxi Ecclesiæ, nam in Concil. Apostolorum Act. 15. super obseruationem legalium primus Petrus dicit sententiam, & controuersiam resoluit. Sequente eum Iacobo, & cœteris. Deinde Pius I. Papa, & post eum Victor item I. celebrandi Paschatis tempus determinarunt. Causam lapsorum Cornelius, Rebaptizantium Stephanus definierunt controuersiam inter Athanasium, & Arianos, Marcus, & Iulius deciderunt; Pelagianorum hæresim damnauit Innocentius I. Zosimus, &

Bonifacius. Semipelagianorum Cœlestinus, & Leo I. & Felix. Nestorianorum idem Cœlestinus. Eutychianorum idem Leo I. proscripsit. Monothelitarum Agatho, Iconomachorum Adrianus I. euerterunt. Quamuis enim hæ quatuor Concilijs sint destructæ, tamen ex epistolis horum Pontificum definitio sumpta est. Itaque rectè dixit Leo IX. epist. 6. ad Petrum Episcopum. [Ab Apostolica tua Sede nostram Apostolicam consulendo perpendimus tuam dilectionem nolle deuiare à Dominico, & omnium sanctorum Patrum concordi decreto, quo inuiolabiliter in toto Orbe terrarum Ecclesijs Sancta Romana, & Apostolica Sedes Caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur.] Habetur autem hæc epistola tomo 3. Concil. parte 2, fol. 200.

Sed quoniam Papa sumi potest duobus modis: primò solus per se, secundò coniunctus cum Concilio, & sunt qui dicant Papam sine Concilio non esse infallibilem Iudicem controuersiarum: sed omninò adiungendum ei esse Concilium, cuiusmodi sunt Nilus lib. aduers. Primatum Papæ Gerson. & Almain, in libro de potest. Eccles. & Alphons. Castro lib. 1. cap. 2. contra hæres. & Adrianus VI. in qu. de confirmat. & plures Sorbonistæ, oportet de hoc diligenter inquirere; & quidem exempla, quæ affert Becanus, vt monstret Papam esse Iudicem controuersiarum, omnia sunt coniuncta cum Concilijs, idcirco attulimus alia, quæ sunt solitaria, & propria Romanorum Pontificum. Illi ergo, qui dicunt Concilium esse supra Papam, quos non sequimur, immò taxamus; consequenter dicere debent Iudicem controuersiarum esse Papam cum Concilio. Nos tamen, qui contrarium sentimus affirmamus Papam sine Concilio, & solitariè sumptum esse Iudicem controuersiarum, atque omninò per se cùm definit ex Cathedra esse infallibilem.

Primò, quia hæc infallibilitas est donata, & annexa à Christo Domino Petro, & Successoribus Petri illis verbis. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum;] Et illis, [Oraui pro te vt nō deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] & illo: [Pasce oues meas,] vti latè probauimus in Tessera Pontificia, & lib. 1. de Clauibus, & expendit Leo IX. in epistola ad Michaelem, & Gregorius VII. in decretis in Synodo Romana. In his enim locis Christus cum Petro, & Successoribus loquebatur, qui communis sensus est Patrum, & Interpretum, & Doctorum quos citauimus in Tessera nostra Pontificia. Et per se liquet: prouidebat quippe Christus toti Ecclesiæ, quam in Petro fundabat, & erudiebat: Inanis verò, immò nulla esset illa prouidentia, si vel in Petro solo consisteret, nec vltra tenderetur: vel illi, qui vice illius futuri erant, errare in fide possent? Admisso enim falli Pontificem, qui verum erit. [Non defecturam fidem? Non deficiet fides tua.] Singulari illi homini Petri Successori addicta. Nisi sit Pontifex certus, & constans in fide, arena erit, non Petra. [Tu es Petrus.] Si erret, & deuiet à fide, quomodo [Pascet Oues? Pasce Oues meas.] Palabunt hæ dispersæ: non pascentur. Illo labente in doctrina non poterunt stare Fratres; quomodo enim eos confirmabit titubans, & labans? Non erit ergo locus dicto [Confirma Fratres tuos.] Nec puto tunc cùm ista ad vnum Petrum dicebat Christus, cum Concilio esse locutum. Cur ergo pauci illi, & minuti præ Patribus Theologi, ad Concilium verba conuertunt? Certè non ita locos istos intelligunt, præsertim illum Lucæ, qui rem hanc infallibilitatis Papalis continet, [Rogaui pro te Petre, vt non deficiet fides tua.] Lucius I. epist. 2. ad Episcopos Hispan. & Gall. & Felix I. epist. ad Benign. & Leo I. serm. de Assumpt. & Agatho Papa epist. ad Constantin. & Nicolaus I. epistola ad Michael. & Leo IX. epist. ad Petrum Antiochen. & Innocent. III. epist. ad Episcop. Arelatens. Nec soli hoc Romani Pontifices asserunt, Sed alij quoque tum Latini, tum Græci. Petr. Crysolog. epist. ad Eutychet. quæ est ante Concil. Chalced. & Bernard. ep. 190. ad Innocent. & Theophyl. in cap. 21. Lucæ. Cuius hæ sunt verba. [Quia te habeo Principem Discipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum.] Vbi coniunxit vtrumque locum: Petræ constantis: & fidei indeficientis.

Secundò, quia Concilia etiam vniuersalia præciso capite, id est Papa, possunt errare, & errarunt, vti multis in materia de Concilijs probauimus. Nunc satis est exemplum Concilij Ariminensis, & secundæ Synodi Ephesinæ, quæ prorsus errarunt. At nullus Pontifex Romanus definiendo ex Cathedra vmquam errauit, quemadmodum sæpè diximus, & in speciali controuersia dicemus. Hinc asserimus sententiam Leonis IX. epist. ad Petrum: [Hactenus fides Petri non defecit, nec deficiet, nec defectura creditur in throno illius vsque in seculum seculi.] Et D. Bernard. in ep. 199. ad Innocent. [Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quædam, & scandala Regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi posse nos resarcire damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Cui enim sedi dictum est aliquando: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?

Tertiò, quia Romanus Pontifex semper direxit Concilia ad decidendas controuersias quarum causa congregabantur. Apparet assumptum ex ijs, quæ diximus in quæstionibus super Concilia adductis exemplis, incipiendo à primo Concilio post Apostolos in Ecclesia celebrato, quod fuit Romanum Victore Papa. Insignis est ille locus Cyrilli in thesauro citatus à Gennadio Scholario libro de defens. Concil. Florent. cap. 5. sect. 12. [Oportet nos tamquam membra caput sequi, idest Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem, à qua debemus petere, quid credere, & sentire debemus, ac tenere, quia ipsius tantùm est confirmare, soluere, & ligare. Immò tam est proprium Papæ, & Romanæ Sedis omnia suo iudicio definire, vt res mirabilis acciderit tempore sancti Bernardi. Nam cùm Eugenius III. Rhemis haberet Concilium, & in eo Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis errores examinarentur, Diuus Bernardus, qui confessione omnium primas partes agebat cum Archiepiscopis Gallis, & alijs viris religio-

gio-

ginsis, & doctis quamdam Catholicæ confessionis formulam edidit, vt, ea producta veritas constaret, & errores Gilberti refellerentur, quod cùm Cardinales rescissent indignati sunt, quod sine Papæ, & Collegij Imperio, & consensu ea confessio suscepta, & edita esset: & Papa Eugenius vocato ad se Bernardo, cum quamquam virum sanctissimum seriò ea de re mouuit; nec destiterunt Romanæ Ecclesiæ Cardinales ab indignatione, & proposito, donec Bernardus summa demissione animi se purgauit, & confessionem suam eorum iudicio subiecit. Hæc narratio habetur in eo Concilio Rhemensi verbis Othonis Frisingensis tomo 3. Concil. par. 2.

Quartò probatur, ex approbatione Conciliorum, sine qua nullum Concilium etiam vniuersale infallibilem auctoritatem habet, cui accedit ipsa Conciliorum congregatio, quæ item propria est Romani Pontificis. Hoc paret ex testimonio Damasi Papæ cap. 9. qui citatur à Gregorio VII. in decretis in Synodo Romana cap. 3. tom. 3. par. 2. vbi sic Damasus: [Nulla vmquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate.] Confirmatur sententia Isidori ab eodem Gregorio ibi relati his verbis. [Synodorum congregandarum auctoritas Apostolicæ Sedi, priuatæ commissa est potestati, nec vllam esse ratam legimus, quæ eius non fuerit auctoritate congregata, & fulta. Hæc Canonica testatur auctoritas: hæc Ecclesiastica historia corroborat, hæc sancti Patres confirmant.] Certè Tridentinum Concilium, in quo erant Patres, & Theologi totius Europæ, cum Cardinalibus, & Legatis omnium Christianorum Regum coniuncti cõfirmationem Decretorum, & Canonum à se toto antea tempore conditorum à Romano Pontifice Pio IV. petijt, & impetrauit. Extat Bulla confirmationis inter Acta Concilij. Græci Catholici hoc item fatentur, vt videre est in Gennadio Scholario cap. 5. fol. 11. & 12. & ibidem.

Quintò suadetur exemplis omnium antiquorum Conciliorum, quæ omnia antequam quicquam decernerint, vel præsentiam, vel iudicium per literas à Romano Pontifice expectabant, ne sine illo Sole in tenebris remanerent. Idque numerando constat. Excepto enim Niceno, quod in eo Hosius Syluestri nomine dictabat oracula: ad Concilium Constantinopolitanum primum Damasus literas doctrinales misit. Eiusmodi Cœlestinus ad Concilium Ephesinum direxit. Suis item Leo Chalcedonense erudiuit. Quinta Synodus sæpè Vigilij præsentiam requisiuit, nec valuit, nisi ab eo confirmata. In sexta Synodo actione 4. duæ Agathonis epistolæ leguntur, & accipiuntur. In septima Synodo actione 2. duæ item Adriani I. epistolæ producuntur, & pro oraculis habentur. Ex his decima Leonis epist. in Chalcedonensi Concilio lecta: illud Patrum acroama extitit. [Hæc est fides Patrum. Petrus per Leonem locutus est.] Ponitur sess. 2. id seriò est obseruandum in eodem Concilio actione 1. reprehendi, & improbari Dioscorum cum sua secunda Pseudosynodo Ephesina, quod non legerit epistolas Leonis Papæ. Hoc est sanè inuictum argumentum aduersùs eos, qui Concilium Papæ anteponunt: qui tamen volunt videri eruditi. Ad quos ego conuersus illam sancti Petri Rauennatis ad Eutychetem obijcio. Monet illum vt diligenter attendat & obedienter his, quæ à Romano scribuntur Beatissimo Papa. [Quoniam, inquit, beatus Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet præstat quærentibus fidei veritatem.] Non fallitur Petrus: ergo nec Papa decipitur. Pudeat ipsos opinationis suæ. Audiant Græcum Auctorem Theodorum Studitem ad Michaelem Imphratorem. [Si aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè est postulanda: iubeat à vetere Roma capere declarationem, vt à principio à Patribus nostris est traditum. Ea inter omnes Ecclesias Dei summum, & supremum obtinet locum: cuius Petrus tenet primam Sedem.] Ad hanc remittit Imperatorem, nec adiungit Concilia.

Absoluamus hoc caput verbis Gregorij VII. in decretis in Synodo Romana cap. 3. vbi probat maiori reuerentia, & obseruantia digna esse Decreta Romanorum Pontificum, quàm illa quatuor prima, & Oecumenica Concilia, quæ sanctus Gregorius veluti quatuor Euangelia colebat. [Decreta, inquit, Sanctissimor. Romanorum Pontificum, si possemus etiam studiosiùs venerari, & obseruare deberemus, cùm & ipsa Concilia omni firmitate carerent, si non Apostolicæ Sedis Pontifices eadem per Apostolicam auctoritatem congregare, & corroborare dreuissent, & concludit. Sic enim Legati Sedis Apostolicæ eorumdem principalium Conciliorum sanctiones prima subscriptione Apostolica vice canonizabant. Nempè sub pijssimo Imperatore Constantino, Magnus Osius Cordubensis Episcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ ex parte sancti Syluestri Papæ Niceno Concilio præfuerunt, & ipsum principali subscriptione firmauerunt. Item temporibus Theodosij Iunioris Augusti sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & Areadius Episcopus ex Italia vice Beatissimi Papæ Cœlestini Ephesino Concilio præfuerunt, & ipsum Apostolica vice corroborauerunt. Item tempore Marciani Principis Paschasinus, & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter vice sancti Leonis Papæ in Chalcedonensi Concilio per duodecim dies celebrato primi fuerunt, qui & Anatolio Patriarchę Constantinopolitano quoddam priuilegiũ in Concilio vsurpanti liberaliter contradixerunt, & reliquis statutis Apostolica vice subscripserunt, vt liber Liberati Carthaginensis Archidiaconi de eodem Concilio statuit, ergo reuerentiam, siue obedientiam, quam sacratissimis quatuor Concilijs iuxta sancti Gregorij meritum exhibemus decretis Apostolicæ Sedis nullatenus denegare, immò si possibile est studiosiùs impendere debemus, cum sine eorum auctoritate, nec ipsa Concilia fas esset recipere.]

Item cap. 28. [Sed nec illa prætereimus, quòd Apostolica Sedes sine vlla Synodo præcedente exsoluendi, quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem: & hoc nimirum pro suo Principatu, quem bea-

tus Petrus Apostolus Domini voce, & tenuit & semper retinebit. His autem SS. PP. Calistus, Fabianus, Sixtus, Syluester, Iulius, & reliqui innumerabiles adstipulantur, qui adeò amplexi sunt veritatem, vt potiùs mori, quàm mentiri desiderarent.] Ex his patet Romanum Pontificem esse Iudicem controuersiarum.

APPENDIX QVÆSTIONIS.

Vtrùm Papa sit, & appellari possit regula fidei.

IN primis animaduerto hanc quæstionem inter Catholicos, qui fatemur Papam esse Iudicem controuersiarum fermè in vocabulo versari. Admisso enim Papam esse Iudicem controuersiarum, admittitur, quod satis est ad auctoritatem Pontificiam asserendam, eamque esse omninò infallibilem propter assistentiam Spiritus sancti, & per illam Catholicos esse dirigendos. Vtrùm autem hoc sit regulam fidei esse, vel regulam dare parùm interest ad quæstionem, Verùm. quia sunt nonnulli qui omninò censent Papam esse regulam fidei, & hoc negare existimant periculosum, oportet hac de re diligentiùs disputare.

P. Suarez disp. 5. de fide sect. 8. affirmat Papam esse regulam fidei, idque probat iisdem ferè, quæ nos adduximus fundamentis ad probandum eum esse Iudicem controuersiarum. Vnde apparet verum esse, quod proximè animaduertimus eodem redire regulam fidei, & Iudicem controuersiarum. Suarez ergo cum nihil distinguat inter illa duo Iudicem, & regulam, asserit credendum omninò esse, Papam esse regulam infallibilem fidei. Verùm P. Becanus, qui distinguit inter Iudicem, & regulam, lib. 1. cap. 5. de communibus controuersijs Iudicem vocat Ecclesiam, siue Papam; de scriptura autem, & traditione ait esse regulam, & normam, secundùm quàm controuersiarum Iudex sententiam profert. Id autem disertè explicat num. 3. [Catholici, inquit, distinguunt inter Iudicem, & normam, Iudicem vocant, qui fert sententiam: normam secundùm quam fertur sententia à Iudice. Posita hac distinctione tria docent. 1. Ecclesiam esse Iudicem controuersiarum. 2. Normam, quam sequitur Ecclesia esse scripturam, & traditionem. 3. Ecclesiam iuxta hanc normam dupliciter sententiam pronunciare posse, vel per Pontificem, qui est Pastor Ecclesiæ, vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam, & vtroque modo sententiam esse infallibilem.

Ego sic iudico. Normam, & regulam sumptam in vera, & propria significatione, prout dicit Ideam regulantem primam, & non regulatam ab alia, esse scripturam, & traditionem, & secundùm hanc iudicare Papam quando determinat controuersiam fidei, qua ratione Papa regula esse non potest. Si autem sumatur regula respectiuè ad alios inferiores, qui illam sequuntur, eique se accomodant proximè, & immediatè hanc esse Pontificem, cui nos Catholici in rebus dubijs, & controuersijs confirmamur, & conformari tenemur, quamuis ille per aliam normam reguletur dictantem ei iudicium, quo inferiores Catholicos dirigit. Itaque Pontifex medius est inter scripturam, à qua regulatur, & quam minimè regulat, & inter fideles quos dirigit, & regulat. Vnde respectu scripturę regula esse non potest, respectu fidelium regula esse potest, ac debet. Vt logicè dicamus: Papa quoad se non est regula, & norma fidei, quoad nos est regula, & norma. Quare respectiuè regula dici non potest. Igitur ad Argumentum Papa, vel est regula fidei, vel non est. Respondetur distinguendo est regula secundaria, & respectiua quoad nos, concedo.

Nec opponas Papam regulare scripturam, quando eam explicat, & sensum eius declarat, & proponit: hoc enim non est regulare scripturam, sed exponere, & interpretari. Itaque interpres est regulæ, non ipsamet regula. Summa sit: Romanum Pontificem propriè esse Iudicem scripturarum, non autem scripturam, quia iudicis officium est viua voce, & instar personæ iudicantis ferre sententiam, quod in scripturam non quadrat. Constat igitur de re inter omnes fermè Catholicos, Papam nimirum esse infallibilem quoenmque tamdem nomine appelletur. An verò dicendus sit regula fidei, vel Iudex controuersiarum, non interest ad causam. Communiter inter eas voces non distinguunt Theologi, ac proinde existimant esse regulam fidei, & Iudicem controuersiarum, & vtroque nomine appellant scripturam cùm de illa instituunt quæstionem, & Papam & Concilium vniuersale. Ita Grauina lib. 4. de præscript. & Coninch. disput. 12. de fide dub. 4. & 5.

SCHO-



SCHOLA VII.

DE INFALLIBILI AVCTORITATE Romani Pontificis.

PRÆFATIO.



OCCVPATIONE hic opus: qua, quod mihi doctus quisque obijcere potest refello. Multus in hoc argumento ex Theologis nostris versatos; atque adeò in Syluam, auctore Hieronymo, [ligna me ferre.] Non id me latet. Consulto tamen restim traho: nec enim debui, quod suscepi officium, ex eo quicquam prætermittere. Recipio tamen ità rem me esse acturum, vt non sim prolixus, vbi alij antè me dixerunt: & nonnulla ex meo penu allaturum, quæ sint grata Lectoribus, quos spero, cùm mea ista legant, operæ in legendo positæ minimè pœniturum.

Quæ, & quanta sit Romani Pontificis infallibilitas iàm superiùs satis, opinor, monstraui; & aliàs copiosissimè, ideft, in mea Tessera Londini edita probaui. Nunc quas nobis offucias,& calumuias Hæretici obijciunt, errores Pontificibus Romanis affingendo, ijs adductis propulsabimus: itaut quosdam leuiores prætermittamus.

Illud pro infallibili Cathedræ Petri doctrina obseruatum volumus: ab ea semper errorū pestilentiam abfuisse,vt nullatenùs dici Cathedra pestilentiæ possit:cùm omnes alias etiā cum stabant, hæresum pestis infecerit. Ac vt compendio dicam. Sedem Alexandrinam Gregorius, & Lucius Ariani: Dioscorus Eutychianus: Cyrus Monothelita polluerunt. Antiochenam Paulus Samosatenus hæresis infandæ auctor, Petrus Gnaphæus Eutychianus, Macarius Monothelita contaminarunt. Hierosolymitanam Eutychius, Irenæus, Hylarius, Ariani: Ioannes Origenista infecerunt. Constantinopolitanam, Macedonius, Nestorius, Sergius Hæresiarchæ macularune. Mitto alios tùm Hæreticos, tùm Schismaticos. Vna Sedes Romana pura extitit, & immaculata Columba, & Sponsa Christi. Nempè à Petro Columbæ Filio, & infessa, & erudita: vt iure quidem dixerit Gelasius in epistola ad Anastasium Imperatorem: [Hoc est, quod Apostolica Sedes magnopere cauet, vt quoniam Mundi radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus auertat) & quod fieri non posse confidimus,tale aliquid proueniret, vndè cuiquam resistere auderemus errori?] Nemo est, qui pestifera tangere, ijsque immisceri velit: nemo pestilentia correptum non fugiat. Quò omnes accedunt, & conueniunt, ibi nulla est pestis contagijve suspicio. Nemo Catholicus Doctor Cathedram Romanam fugit. Omnes eius communionem desiderarunt. Igitur ab omni suspicione pestilentiæ libera. Ad eam Athanasius, ad eam Chrysostomus, ad eam Theodoretus confugerunt. Ad eam nauigare, & volebat ipse, & alios hortabatur Cyprianus lib.1.epist.3. Eius se communione consociatum affirmabat Hieronymus. Carebat peste illa,cuius se infecere tanti Christiani Orbis Principes cupiebant. Rectè Nazianz. in Carm. de vita sua: [Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toti Orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habet.] Cui accidit Ruffinus in expositione Symboli: [In Ecclesia Vrbis Romanæ, neque hæresis vlla sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus.] Infamare tamen eam Hæretici conantur. Quo iure videamus. Incipiunt.

CAPVT PRIMVM.

Arguuntur ab Hæreticis erroris Petrus, Linus, Anacletus, Thelesphorus, Victor, Zephyrinus, Cornelius, Marcellinus.

INcipiunt à Petro, quo deiecto, putant totum ædificium Romanæ Ecclesiæ corruere. Magdeburgenses centuria 1. libro 2. cap. 10. quindecim lapsus Petro attribuunt; sed maiorem eorum pars fabula est. Admisso gratis tredecim ex ijs vtcumque esse peccata, non sunt certè errores, sed delicta, quæ monstrant Petrum hominem esse, atque adeò peccatorem. Duo videntur facere ad propositum: trina negatio in nocte Passionis Domini, quæ cum fide, vt aiunt, stare nequit, & auersio à Gentilibus, & conuersio ad Iudæos Antiochiæ facta, quæ videtur maximè error doctrinæ, propter quod reprehensus est Petrus à Paulo ad Galath. 2. Hæc duo obijcit Petro, Nilus lib. de primatu Romani Pontificis.

Secun-

Secundò, arguunt Linum Papam iidem Magdeburgenses, quòd, vti in eius vita narratur, [instituit, ne qua mulier, nisi velato linteis capite, Templum ingrederetur,] aiunt quippè hanc esse superstitionem.

Tertiò, accusant Anacletum iidem Hæretici libro 2. cap. 20. quòd is memoriam sancti Petri construxit, & ornauit. Hoc etiam superstitiosum dicunt.

Quartò, vituperant Thelesphorum centuria 2. cap. 10. quòd præcepit Clericis ieiunare per septem hebdomadas antè Pascha; affirmant hoc esse contra Paulum dicentem: [Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu.] Deindè sugillant eumdem, quòd Missarum numerum, & tempus determinauit. Tertiò, carpunt, quòd Clericos laicis anteposuit, & supra illos extulit. Aiunt enim hæc esse absurda, & erronea.

Quintò, condemnant Victorem I. quasi hæreseos compertum: nàm de illo scribit Eusebius affirmasse, Christum purum Hominem extitisse; quæ Photini, & Pauli Samosateni propria hæresis fuit.

Sextò, proscribunt Zephyrinum, de quo aiunt fuisse Montanistam. Fundantur in eo, quòd Tertullianus lib. 2. Praxeam scribit approbasse illum hæresim Montani, dùm initio eius libri ait Pontificem Romanum, qui tunc erat Zephyrinus agnouisse prophetiam Montani, Priscillæ, & Maximillæ, ac ex agnitione literas pacis Ecclesijs Asiæ scripsisse, quas monitu Praxeæ reuocauit, cùm iam essent amissæ, quod nihil aliud est, quàm Montanistis consentire, eorumque doctrinam approbare. Vndè Rhenanus interpres Tertulliani ad hunc locum adscribit margini, [Romanus Pontifex Montanizat.] Prætereà ex hoc loco item constat eum cum Praxea consensisse, qui pessimus Hæreticus fuit. Quare Zephyrinus in duplici hæresi fuisse videtur, Montani, & Praxeæ.

Septimò, insimulant erroris Cornelium, de illo enim referunt Magdeburgenses cent. 3. cap. 6. statuisse, vt in Calice non vinum purum, nec aqua mixtum; sed aqua sola offerretur; qua ratione sacrificium Missæ omninò sustulit. Probant hunc errorem ex Cypriano, qui lib. 2. Epistolarum epist. 3. impugnat illum, &, vti aiunt Magdeburgenses, scribit eam epistolam ad Cornelium.

Octauò, arcessitur criminis idololatriæ Marcellinus, qui Idolis sacrificauit; quemadmodùm constat ex Pontificali Damasi, & ex Breuiario Romano, & ex epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, qua de re habitum fuit Concilium Sinuessanum, quod habetur tom. 1. Conciliorum par. 1. Ecquis neget amisisse fidem?

CAP. II.

Respondetur his Obiectionibus Hæreticorum.

PRimò, quod habet duas partes, ità respondetur: Quoad primam, nonnulli Patres affirmant Petrum non negasse Christum, sed illam fuisse amphibologicam, quia Petrus dixit negare se Christum purum hominem esse, non negando esse hominem Deum, qua ratione confessus est Diuinitatem, & humanitatem Christi. Vndè illa negatio confessio potiùs fidei fuit. Ità Hylarius can. 32. in Matth. & Ambrosius lib. 10. in Lucam. Hæc tamen responsio refellitur ab Hieronymo libro 4. in Matth. quia ex ea sequitur mentitum esse Christum, cùm dixit: [Ter me negabis.] Præterea si illa Christi confessio foret, non negatio, non fleret Petrus amarè, quod non cadit nisi in peccatum.

Prima igitur responsio est: Petrum negasse quidem, & negando peccasse, sed ore tenus, non corde, quòd retinebat fidem, quando vox negabat. Iusta sanè ex Patrum doctrina responsio, quod apud Toletum, & Maldonat. qui consentiunt. Celebres sunt illi Prudentij versus:

Fleuit negator,
Denique ex ore prolapsum nefas.

Cùm cor maneret innocens, animusque seruaret fidem.

Secunda, Petrum negasse Christum, quando adhùc erat homo priuatus. Adhùc enim non audierat: [Pasce oues meas.] Tunc enim cœpit esse Pontifex, & Pastor vniuersalis. Sic respondet Bellarmin. lib. 4. cap. 8. de Romano Pontifice.

Tertia est, negationem illam non esse per modum doctrinæ, & dogmatis communis, sed particularis; quo pacto non est contra personam Iudicis, nec contra Cathedram. Nos autem non negamus posse Pontificem, vbi homo priuatus est, errare. Negamus autem errare posse, vbi Pontificem, & ex Cathedra docentem agit. Immò ex hoc facto probat Gregorius homil. 21. in Euangelium, Petrum Summum Pontificem fuisse: [Nimirum, inquit, magnæ actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset.]

Quoad secundam partem, omissa longiori disputatione, quam libro 1. cap. 3. de Clauibus instituimus. Respondetur, Petrum nihil errasse in doctrina, quando cum Gentilibus conuersabatur more Gentilico, non seruatis legalibus, quæ seruabant Iudæi. Nàm vtrumque licebat Christiano Iudæo, dum lex gratiæ non erat promulgata, quod optimè ostendit Augustinus ad Hieronymum ep. 8. 9. & 19. Vndè nihil probat argumentum; nec enim erat error cum Gentilibus, non seruare legalia, & seruare cum Iudæis, quod patet ex Diuo Paulo, qui Timotheum circumcidit, & se in Templo purificauit. In eo igitur error fuit, quòd minùs cautè se gessit, separando se à Gentilibus, vt cum Iudæis ageret. Hoc enim modo suspicionem fecit Gentilibus legalia esse seruanda. Hoc autem non erat contra doctrinam, sed contra prudentiam: ex quo nihil colligitur contra Cathedram. Immò Patres Græci, cum Hieronymo, volunt, vt Petrus, & Paulus componerent inter se illud negocium, sic simulatio foret; qua ratione reprehensio illa Pauli non vera fuit, sed simulata. Verùm Patres Latini, Tertullian. lib. 4. in Marcionem, Cyprianus epist. ad Quintum, Ambro-

Ambrosius in cap.2.ad Galathas, Augustinus epistolis supra citatis, Gregor. lib.28. moral. cap. 12. & alij, sentiunt Petrum aliquo modo errasse, & peccasse leuiter, verùm non contra doctrinam, sed contra prudentiam conuersationis.

Secundo argumento respondetur: Linum non illud instituisse, sed accepisse à Paulo, qui 1. Corinthiorum 11. iubet, ne fœminæ aperto sint capite in Ecclesijs propter Angelos. Errauit igitur Paulus, qui Linum docuit: quod si est impium dicere, impium etiam est de Lino idem affirmare. Verùm Magdeburgensibus peccatum illud videtur, quia non sunt Angeli, sed filij Diaboli, & vellent videre fœminas solutis crinibus, & nudato capite. Pudeat eos imprudentiæ suæ, qua modestiam superstitionem appellant.

Tertium soluitur admittendo totum: nihil enim peccauit Anacletus erigendo illam memoriam; erexit in Petri honorem. An non merebatur statuam in ea Vrbe, in qua boni, & honesti Ciues eam habuere, immò & hostis Annibal habuit. Sed illa memoria non erat statua, sed Ecclesia. Annuit Baronius anno 106. & Bellarminus. Quid mirum si Romæ Febris, & Pauor Templa meruere? At inquiunt erat superstitio, quando colebantur Idola illa, vt minimum superstitio erat. Sed quando Petrus colebatur erat religio, non superstitio, quia vt Seruus, & Martyr Dei colebatur. Ego tamen existimo illam memoriam non fuisse Ecclesiam, sed quemdam fornicem, & arcum, propriè Trophæum, sic enim habent Ecclesiasticæ tabulę de Anacleto Presbytero, postea Pontifice. De quo scribitur super corpus Petri, velut trophæa Victoriæ insignem, claramque memoriam erexisse, quod non Templum, aut Ecclesiam, sed aliud gloriosum monumentum significat. Et quidem Caius auctor priscus, Zephyrini æqualis memoriam hanc Petri, & aliam Pauli Trophæa vocat apud Eusebium lib. 3. cap.14. Sed illæ memoriæ Ecclesijs initium dederunt, Genio tamen suo agunt Magdeburgenses, & eorum congerrones Caluinistę, qui Ecclesias, & Aras euertunt, & omnem Martyrum memoriam extirpant, & eatum loco Popinas, & Ganeas statuere conantur, idque facerent si eo tempore viuerent barbaris immaniores.

Quartò, concedimus omnia illa, quæ Papæ Thelesphoro vitio vertuntur, sed quæ illa delicta sint ignoramus. Nàm ieiunia, sancta, & visitata sunt in sacris Scripturis. Missam faciunt Missam, & nullam esse volunt, non possunt ergo non damnare eos, qui eam sustinentes Altaria, & tempora designant. Laicis præferri Clericos Scripturæ doctrina est, & Ecclesiæ traditio. At ij nolunt, vt Clerici sint, ne cœlibes in Ecclesia esse possint: hoc ijs dolet, mallent quippe omnes esse maritos. Vxorij sunt, & si placet scortatores.

Quintò, respondemus Centuriatores esse discipulos Artemonis, & Pauli Samosateni, qui hanc calumniam imposuerunt Victori Papæ, & ad id truncarunt Eusebij historiam, immò & corruperunt. Nàm Eusebius narrat hanc imposturam duorum Artemonis, & Samosateni, & perspicuè dicit cap.27. libro 5. suæ historiæ: [Quomodò, inquit, non pudet hæc Victori tam falsò obiectare? cùm exploratè cognitum habeant, Victorem Theodotum illum coriarium Christiana communione interdixisse?] Certè nullus auctor idoneus Papæ Victori hanc notam inussit. Nec est credendum Romanum Pontificem credidisse Christum Dominum esse purum hominem, quæ fuit hæresis Artemonis, & Photini, & Pauli Samosateni, quæ quia erat absurda, paucos admodum sectatores habuit. Nullum autem Romanum Pontificem tam absurdè de Christo sensisse vllis in historiarum monumentis legimus. Itaque hæc calumnia fabula est.

Sextum, de Zephyrino sic soluitur: negando Zephyrinum communicasse cum Montanistis, & ijs indulsisse. Nullus quippè alius auctor hoc scribit. Testimonium autem Tertulliani non cogit; primò, quia Tertulliano, quamuis id affirmaret, non est habenda hac in re fides, cùm ille iam tunc deficeret ab Ecclesia, & Montanista euasisset. Itaque credendum ei non est, quemadmodum etiam non est credendum, quando in libro de Monogamia imputat Papæ patrocinium, mœchiæ, & adulterij. Hoc patet, quia Zephyrinus damnauit Proculum Montanistam, quem Caius confutarat, teste Eusebio lib.6.cap.14. & Tertullianum item damnasse constat, quod ipsemet Tertullianus indicat lib. de ieiunio cap. 13. Hoc ipsum testatur Pamelius in vita Tertulliani, & Rhenanus in notis ad lib. contra Praxeam, & Baronius anno 215.

Secundò, quia potest explicari Tertullianus: nec enim illius verba nimis cogunt. Dici potest ex ijs non constare Zephyrinum approbasse hæresim Montanistarum, Tertullianus quippè tantùm ait illum agnouisse Prophetiam, & illa agnita misisse literas pacis Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ, quas coegit Praxeas reuocare. Hæ autem literæ poturunt esse formatæ, vti Pamelius explicat, quæ continerent Decretum Zephyrini: cur autem pacem illam appellet Tertullianus, fortasse fuit, quia Zephyrinus voluit eos Ecclesiæ conciliare, non communicando cum ijs, sed reducendo illos, in quo nihil peccauit. Vndè Pamelius sic scribit: [Romanus Episcopus literas pacis, prædecessorum auctoritate nixus illis recusauit.] Negauit primò, non dedit. Verùm autem Praxeas Zephyrinum ad hoc impulerit affirmat Tertullianus, fortè, vt inuidiam moueat Pontifici, sed fieri potuit, vt Praxeas tunc Hæreticus non esset, quod opinatur idem Pamelius. Confirmo autem meam solutionem Zephyrinum minimè communicasse cum Montanistis, quia anteà Irenæus attulerat ex Gallia epistolas ad Papam Eleutherium cùm ad Ecclesias Asiæ iudicium Ecclesiæ Gallicanæ detulisset. Vndè non poterat Zephyrinus hac notitia accepta de illa hæresi dubitare.

Hæ sunt huius argumenti solutiones: speciosæ quidem, & probabiles. Sed mihi videtur ingenuè fatendum Tertullianum prorsus affirmare Zephyrinum approbasse dogmata Montanistarum, quia perspicuè ait, [coegit eum literas pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum non cessare;] quæ extrema verba non patiuntur interpretationem, nàm propositum recipiendorum charismatum manifestè significat

ficat eum velle recipere dogmata Montanistarum. Ac proinde argumento ità respondendum est: vt concedamus Tertullianum calumniam imposuisse Zephyrino, cumque falsò ea de re insimulasse odio Praxeæ, cuius erat aduersarius, & propter indignationem conceptam contra Zephyrinum, qui cum Montanismi condemnauerat, & hæc vera solutio est, quæ confirmatur ex eo, quod Tertullianus in Papam inuectus est, quòd admitteret ad pœnitentiam homines sceleratos, qui tamen de suis sceleribus agebant pœnitentiam, & reprobauit secundas nuptias, contra doctrinam Apostolicam; quemadmodum igitur calumniatus est hac in re Pontificem, ità & in alia calumniam imposuit.

Accedit Hæreticos solere Pontifices ad suos errores trahere, tùm vt illos suspectos reddant, tùm vt hæreses suas probabiles faciant, nàm Artemon, auctore Eusebio, hæresim suam Victori Papæ attribuit. Pelagius autem Innocentij I. patrocinio tueri se voluit, vt patet ex epistola Episcoporum Mileuitani Concilij ad Innocentium. Celestius verò Papam Zozimum suarum opinationum suspicione impudenter respersit.

Septima, de Cornelio negandum, eum instituisse, vt sola aqua in Calicem infunderetur. Qua in re insigne fuit Magdeburgensium mendacium impudenti dolo mixtum, finxerant enim epistolam Cypriani, in qua disputat contra hunc errorem ad Cornelium esse missam, cùm ea scripta non fuerit ad Cornelium, sed ad Cecilium. Dormiebant crapulam Magdeburgenses cùm hoc scribebant. Verùm admisso epistolam Cypriani ad Cornelium missam esse, nihil probatur: nàm Cyprianus ibi non tribuit hunc errorem Cornelio, sed alijs, nec ille errare potuit, cùm Alexander I. antè eum Pontifex de vino aqua miscendo in Calice decretum edidisset.

Quod attinet ad octauum de Marcellino, erit qui respondeat negando lapsum, & Concilium de eo Sinuessanum, huius autem solutionis auctorem esse Augustinum lib. de vnico Baptismo contra Petilianum cap. 16. vbi ait commentum hoc fuisse Donatistarum, qui cùm Schismatici essent, vt se à Catholica Ecclesia iure separatos probarent, infamabant eius capita, vt eo prætextu viderentur separati ne communione scelerum polluerentur. Erat autem hoc ijs familiare, vt patet ex accusatione Mensurij, & Ceciliani Carthaginis Episcoporum, quibus crimen traditionis intenderunt. Eodem astu Pontifices Romanos calumniati sunt, non modò Marcellinum, sed etiam Marcellum, Melchiadem, & Siluestrum, imposita ijs idololatrarum persona, teste eodem Augustino ibi, qui hæc omnia conficta à Donatistis asseruit. Idque persuasum esse toti Ecclesiæ Africanæ fatetur Baronius, & Binius in actis ad vitam Marcellini. Nam tota illa Ecclesiam lapsum Marcellini negauit. Et confirmatur ista sententia, quia constat Donatistas mentitos esse culpando Marcellum, Melchiadem, & Siluestrum, & Mensurium, & Cecilianum, qui omnes innocentes fuerunt. Vnde deducitur eos etiam fuisse mentitos culpando Marcellinum? Nec videtur probabile Augustinum tantum virum, & totam cum eo Africanam Ecclesiam fuise deceptam.

Verùm opponet aliquis Concilium Sinuessanum, quod patet congregatum fuisse propter lapsum Marcellini. Sed obiectio refellitur, quia hoc Concilium magnas patitur difficultates, adeout Baronius in prima editione senserit illud suspectum esse propter tria capita: Primum propter numerum trecentorum Episcoporum, quot numquam ferme vllo in Romano Concilio antè annum millesimum conuenerunt. Secundò propter locum Concilij, quem dicunt fuisse Sinuessæ, quæ Vrbs erat in extremo Latio in saltu Vestino procul Roma, & Crypta Cleopatrensi, de qua nulla prorsus in vlla alia historia mentio fit. Tertiò, propter ipsammet Actorum narrationem obscuram, rudem, & intricatam, & tantùm non ineptam, vt mihi legenti horrorem, & suspicionem attulerit, vt alia omittam leuiora.

Verùm, quia magna vis traditionis est. Respondetur argumento concedendo lapsum Marcellini, quem acta Romanæ Ecclesiæ, & Breuiaria affirmant: negando tamen sequi Magdeburgensium propositum, quia negatio Marcellini similis fuit negationi Petri, ob metum, & exteriùs tantùm facta, retenta in corde fide, & verbis solùm negata. Hic autem error non fuit ex Cathedra, nec aduersùs Cathedram: nullam quippe hæresim docuit Marcellinus. Deindè præclaram egit Petro similis pœnitentiam, & martyrium constanter subijt, quod debuissent laudare, & admirari Magdeburgenses, & imitari eos Episcopos, qui ausi non sunt Marcellinum condemnare propter reuerentiam primæ Sedis ingenuè fassi primam Sedem à nemine iudicari. Contra faciunt Magdeburgenses damnando temerè Marcellinum, & cum eo Sedem Pontificiam condemnantes. Nec possunt lapsum vnius Pontificis ad ignominiam Sedis Apostolicæ, & Religionis Catholicæ detorquere. Audiant Tertullianum lib. de præscriptionibus: [Quid tùm si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideò hæreses veritatem obtinuere? ex personis probamus fidem, an ex fide personas?] Audiamus item Augustinum de hac re contra Petilianum, lib. vnico de Baptismo agentem, [non sanè parua est, parùmque gloriosa consolatio cuiusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ, cum ipsa Ecclesia criminamur, eius tamen defensio, non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus, quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Siluester, Melchiades, Mensurius, Cecilianus, atque alij, quibus obijciunt pro sua defensione, quod volunt, nihil præiudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum Orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.]

CAP.

CAP. III.

Alia obiecta proponuntur, & diluuntur.

QVinque Pontifices caput hoc amplectitur. Primus est Liberius, quem Arianismi reum Patres faciunt: Athanasius epist. ad solitarios, & Hieronymus in Chronico, & in Cathalogo Scriptorum, qui duo apertè dicunt eum tædio exilij, inflexum tandem fuisse ad subscriptionem hæreseos. Hilarius item consentit in lib. aduersùs Constantium. Confirmatur ex illius vita in Pontificali vbi sic: [Liberius consensit præceptis Augusti,] & iterùm. [Liberius consensit Constantino hæretico, non tamen rebaptizatus est, sed consensum præbuit.] Et Cardinalis Bellarminus ingenuè fatetur in eius epistolis Vaticanis, quas ipsemet vidi affirmare Liberium se Constantino consensisse, idque Binius perspicuè tradit, nec audet negare Baronius anno 355. Immò necesse est dicere Liberium hæreticum fuisse, nam cùm eo viuo Fœlix II. verus Pontifex, & Martyr fuerit, non potuit non Liberius eo tempore hæreticus esse, & Pontificatu excidere. Itaque excusari, nec potest, nec debet, idque intrepidè affirmat Tilmanus Heshusius lib. 1. de Ecclesia cap. 9.

Secundus, Fœlix II. eodem Tilmano auctore. Nam ille fuit intrusus ab Arianis, & ipse Arianus teste Hieronymo in Cathalogo Scriptorum in Acació, vbi [sub Constantio Imperatore tantùm clarnit, vt in Liberij locum Fœlicem Arianum Episcopum constitueit;] & auctore Theodoreto lib. 2. nemo Catholicus ei communicare volnit. Tandem tempore Gregorij XIII. actum feriò fuit de eo è Cathalago Pontificum expungendo, & casu quodam retentus fuit. Certè Rufinus lib. 10. cap. 22. & Theodoretus maculatum eum Arianismo tradunt.

Tertius, Siricius, quem Caluinus lib. 4. instit. cap. 12. § 24. hæreseos arguit, quòd in epist. ad Hispanos Episcopos coniugium vocat pollutionem his verbis: [Quam, inquit, formam cum mulieribus, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt seruandam esse censemus.] De Matrimonijs proximè egerat in eo cap. 5. epistolæ, auctore Caluino.

Quartus, Innocentius I. qui trium hæresum accusatur à Magdeburgensibus cent. 5. cap. 10. Prima, habetur in epistola 2. cap. 12. vbi præcipit ne virgo iam velata, si nubat, vel fornicetur, recipiatur ad pœnitentiam, eo viuente, qui cum illa peccauit. Quæ est hæresis Nouariana. Citatur autem iste text. 2. 2. quæst. 2. cap. Quæ. Secunda, continetur in epistola 18. ad Alexandrum Antiochenum, vbi ait ratum quidem esse Arianorum Baptismum, sed per eum gratiam non conferri, quoniam inquit, [cùm à Catholica fide eorum (scilicet Sacramentorum) Auctores defecissent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt.] Quid clarius pro Donatistis. Tertia est prohibere nequis vxorem viduam habens Sacerdos fiat, fiat tamen si virginem duxit. Id habetur epist. 22. cap. 1. his verbis. [Eos, qui viduas accepisse suggerunrur vxores, non solùm clericos effectos agnoui, verùm etiam vsque ad infulas Summi Sacerdotij peruenisse, quod contra legis esse præcepta nullus ignorat, nam cùm Moyses legislator clamitet Sacerdos vxorem virginem accipiat, addidit, non viduam, &c.] Hoc est seruare legem Moysi, quæ habetur Leuitici 21.

Quintus, Gelasius, cuius duos errores Centuriatores adducunt cent. 5. cap. 4. & 10. vnum in lib. contra Eurychen, vbi docet manere cum Christi corpore verum panem. Alterum apud Gratianum dist. 2. cap. Comperimus. Non posse vnam speciem Sacramenti sine alia citra culpam sumi.

Hæc ita soluuntur. Liberio respondemus concedendo eum cum Petro, & Marcellino in actu externo errasse, sed animo fidem retinuisse, itaque non fuisse hæreticum mente, sed oretenus deliquisse. Qui tamen error non fuit in fide, sed tantùm in damnatione Athanasij, & communicatione cum Arianis, quamuis enim ille fecerit professionem Sirmiensem, ea non erat hæretica. Non enim negabat consubstantialitatem, sed tantùm reticebat: quemadmodum tradit Binius, Baronius, & Bellarminus citato Hilario, qui eam confessionem, non damnauit, sed exposuit, & in hoc sensu loquuti sunt Ambrosius, Hieronymus, & Hilarius, & cœteri contra Liberium allegati.

Damus insuper argumento necesse omnino fateri Liberium hoc modo errasse, vt Fœlix in Pontificum numerum venire possit: nam nonnisi, excluso Liberio, intrare Fœlix potuit. Ad eum autem excludendum satis fuit error in foro externo: nam cùm visibile caput esset, ac in foro illo visibili defecisset, præcidi potuit, & debuit ab Ecclesia visibili, Ecclesia quippe de actu interiori non iudicat, sed de exteriori. Quare Fœlix in eius locum subrogari potuit, ac debuit, dum Librius erat in errore illo externo.

Fœlici respondemus eum quando Liberio successit, Verum Papam non fuisse, cùm eo tempore Liberius adhùc in fide perseuerabat: cœpisse autem verum Pontificatum gerere biennio post electionem suam, cùm Liberius ab Ecclesia deflexit. Tunc verò ad eum Clerus Romanus, tamquam ad Catholicum accessit, & recepit vti Papam, in quo apparuit Dei prouidentia: nam quando Liberius Arianis consensit, & Constantio fauit, Fœlix Arianos reliquit, & Constantium hæreticum declarauit, & ob id Martyrium passus est, vt in Pontificali habetur. Bellarminus ait, Fœlicem in Concilio Constantium declarasse hæreticum, sed ego istud Concilium non reperi. Pulsus Fœlix ab Arianis, redeunte Liberio, paulò post fuit occisus, vt Liberio suus esset locus in Pontificatu.

Quæstioni motę tempore Gregorij XIII. super Martyrio, & Pontificatu Fœlicis respondetur prouidisse Deum, vt eo tempore inuentum fuerit corpus illius in Basilica sanctorum Cosmæ, & Damiani intra arcam marmoream 22. Iulij, pridie eius diei anniuersarij cum hac inscriptione. [Hic iacet corpus sancti Fœlicis Papæ, & Martyris, qui Constantium hæ-

hæreticum damnauit.] Eo casu mirabili destitum à lite, & Fœlicis nomen in Martyrum, & Pontificum fastis mansit. Illud confirmat eius Pontificatum, quia nisi ille esset verus Papa, dum reliqui Fœlices III. & IV. essent II. & III. Præterea Gregorius Magnus in Antiphonario, & Sacramentario Pontificum ponit sanctum Fœlicem Papam, & Martyrem 4. Kalend. Augusti. Esse autem illum Fœlicem nostrum notat Mierologus lib. de Ecclesiasticis obseruationibus cap. 43.

In Siricio dormitauit Caluinus. Nam ille non appellat coniugia pollutiones, quod patet ex textu epistolæ, in quo agitur de ijs, qui propter illicitos concubitus agunt pœnitentiam, & post illam ad eosdem redeunt, tamquam canes, & sues, ait Pontifex, & in textu habetur expressè [inhibitos concubitus, quorum professam ineuntientiam, generati post absolutionem filij prodiderunt,] quæ verba in legitimos non cadunt. Præterea nemo propter matrimonium pœnitentiam agit, nec peccat illud repetendo. Ergo signum est in hoc textu non agi de legitimis nuptijs. In hoc autem sensu dixit Siricius, [quam formam, & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, seruandam esse censemus.] Lapsus est hic turpiter Caluinus ex incogitantia, vel ex malitia, dum per pollutiones connubia intellexit.

Quod attinet ad Innocentium, primus, & tertius locus facilè explicantur. Incipiendo à tertio hic caret errore: vetat enim ne bigami ordinentur. Nomine autem bigami venit in iure, qui viduam duxit. Quod locum Leuitici ille in exemplum trahitur, non in obseruationem legis: quod si in præceptum venerit, non ideo seruatur Lex Moysi, sed ratio legis, quæ non repugnat cum lege gratiæ. Primus locus exponitur de virginibus, quæ in contubernio virorum perseuerant post lapsum, & sunt in occasione proxima peccandi, quæ cùm nisi per mortem eorum non auferatur, ante illam non sunt in statu salutis, ac proinde non possunt recipi ad pœnitentiam.

Secundus locus est difficilior. Bellarminus, & Binius sic respondent: Innocentium loqui de ijs, qui baptizantur, vel ordinantur polluti eadem hæresi: neutri enim recipiunt gratiam, quamquam vere ministrent, & recipiant Sacramentum, ita etiam respondet Glossa 1. qu. 1. cap. Arianus, & sic exponunt illa verba [Auctores eorum,] vt tàm ministri, quàm recipientes sine auctores Sacramenti. Vnde ait isti, & illi sunt extra Ecclesiam.

Hæc tamen solutio non videtur satisfacere textui, cuius verba sunt: [Arianos præterea, cæterasque pestes, quia eorum laicos conuersos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus non videtur clericos eorum cum Sacerdotij, aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate. Quoniam quibus solùm baptismum ratum esse permittimus, quod vtique in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum illos habere ex illo baptismate, illisque mysterijs arbitramur.] Hucusque nulla difficultas est, negat enim recipi gratiam à baptizatis, & ordinatis apud Hæreticos, & quando ad Ecclesiam veniunt, affirmat laicos recipi ex integro ad gratiam, & communionem, clericos verò non ex integro cum excludantur à dignitate, & iure exercendi ordines. Tota difficultas est in ratione, quam affert Innocentius, [quoniam cum à Catholica fide eorum auctores desciscerent perfectionem spiritu, quam acceperant, amiserunt,] vbi causam non recipiendi gratiam, & effectum Sacramenti reijcit in ministros, quasi effectus Sacramenti dependeat à sanctitate ministri, qui erat error Donatistarum, nec nomen [Auctores] potest conuenire vtrisque ministrantibus, & suscipientibus, nam illa particula, [quam acceperant] solis ministrantibus conuenit, qui dabant, quod acceperant, suscipientes autem recipiebant, quod antea non habebant, ergo non acceperant. Vnde patet illam vocem [acceperant] ministris tantùm conuenire, & sensus est: ideo non dari suscipientibus eam gratiam, quia ministri illa carebant, & manet integrum argumentum. Vidit hoc Glossa in hoc canone Arianos, & post primam solutionem ait. [Dic, & est sufficiens quoad hoc, quod non possunt conferre de merito vitæ.] Quæ tamen solutio non videtur apta, tum quia admittit peccatum ministrorum officere Sacramento, tum quia hic non agitur de merito dantis in recipientem, sed de gratia Sacramenti: præsertim cùm meritum non transeat ab vno ad alterum.

Quid ergo dicendum? Duæ sunt responsiones, ad quas suppono priùs sermonem hic esse de laicis baptizatis ab Arianis, & Hæreticis, & clericis ordinaris ab ijsdem, qui veniebant ad communionem Ecclesiæ Catholicæ: vtique veniebant Sacramentis acceptis, sed sine gratia Dei, quam non poterant recipere extra Ecclesiam Catholicam. Differebant autem inter se, quia laici admissi in Ecclesia recipiebant gratiam, erantque ex integro Catholici sicuti cæteri, qui erant in Ecclesia, at clerici etsi reciperent gratiam, non tamen obtinebant gradum, in quo fuerant ordinati, sed tamquam laici manebant in Ecclesia. Hoc supposito prima solutio est: illam rationem allatam ab Innocentio referendam esse ad Sacramentum Ordinis, non autem ad Sacramentum Baptismi, nec ad caretentiam gratiæ, sed ad priuationem muneris Ecclesiastici, itaut venientes ad Ecclesiam manerent ordinati, & sanctificati, sed priuati vsu, & exercitio ordinis recepti. Suadetur, quia Innocentius solùm agit de perfectione, & plenitudine Sacramenti, vnde ait perfectionem Spiritus, & plenitudinem eius, quæ consistit in munere, & dignitate, & de hoc præcisè loquitur cùm dicit non posse conferri à ministro Ariano. Patet ex textu. Addit enim: [Quomodo fieri potest, vt eorum prophanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur?] Igitur de dignitate, & honore, & gradu ordinum est sermo. Vnde ait Glossa: [Qui non habet honorem eum alijs dare non potest, sed damnationem dabit, quam eum vero ordine haber.] In cap. Qui perfectionem 1. quæst. 1. De hac ergo perfectione, & plenitudine Sacramenti Ordinis loquitur Innocentius, non autem de gratia Spiritus sancti, aut chracte-

charactere Ordin. qui non dependet à ministro ordinante, nec est perfectio, & plenitudo, sed immediatus effectus Sacramenti. Confirmatur, quia illa ratio ad solos Clericos est restringenda, in quibus solis habet locum illa perfectio, & plenitudo, quia immediatè anteà dixerat Pontifex illo Baptismate, illisque mysterijs, idest Ordinibus, tunc subiungit: [Quoniam cùm à Catholica fide auctores eorum desciscerent, &c. perfectionem spiritus, quem acceperant amiserunt.] idest in Ordinibus, & mysterijs, quorum gradu, & honore priuati sunt, & priuant eos, quos ordinauerunt.

Hanc esse mentem Innocentij constat, quia quæstio proposita fuerat cur Clerici ab Hæreticis ordinati, quando veniebant ad Ecclesiam Catholicam priuabantur communione Ordinum cùm laici baptizati nulla re priuarentur? Cui respondet Pontifex assignando differentiam, quia communio Baptismi fiebat per Sacramentum, cui nihil deerat: At verò ad communionem Ordinis deerat Clerico gradus, & dignitas, quæ dari non potuit à ministro Hæretico, quia erat plenitudo, & perfectio Sacramenti, non autem Sacramentum: idque inueni postea obseruatum à Suarez de Sacramentis disput. 14. sect. 4. ad medium, & Vasquez de Sacramento Ordinis disp. 243. cap. 1. num. 10.

Hanc doctrinam tradit Concilium Suessionense sub Leone IV. in 3. tomo Concilior. parte 1. posteriori pag. 386. vbi ordinati ab Ebone Rhemensi Archiepiscopo deposito declarantur priuati Ecclesiasticis gradibus; verba Concilij sunt: [Surgens Emmo Nouiumagensis Episcopus porrexit rotulam auctoritatem canonicam, & Apostolicam continentem, quod qui ab ipso voluerant, & visi fuerant ordinati in gradus Ecclesiasticos, ab eodem, quòd idem non habuit nemo eorum accipere potuit: damnationem vtique, quam habuit per prauam manus impositionem eis dedit, quia qui particeps est damnationis, quomodò debeat honorem accipere, vt Innocentius Pontifex dicit, inueniri non potest.] Et sic quinta Actione [canonica, & Apostolica auctoritate inuentum, & decretum est à sacratissima Synodo, vt quicquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Emmo post damnationem suam egerat secundùm traditionem Apostolicæ Sedis, vt in gestis Pontificum legitur præter factum Baptisma, quod in nomine sanctissimæ Trinitatis perfectum est irritum, & vacuum habeatur, & Ordinati ab eo in quamcumque terrarum partem profugi agentur, vel vagati sint, quia Diuinum iudicium effugere nullatenus possunt, Spiritus sancti iudicio Ecclesiasticis gradibus priuati habeantur;] vbi ostenditur discrimen Baptismi ab Ordinatione, quòd solus Baptismus validè ex integro confeIatur etiam à degradato, & laico, non verò Ordines integri collati ab Episcopo deposito, quod stabilitur decreto Nicolai I. epistola 9. pag. 445. eiusdem tomi, vbi ait: [Photium Ordinatum ex laico in Episcopum nihil percepisse à Gregorio anathematizato, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.] Idem habetur in octaua Synodo Actorum 7. vbi de Photio, & Gregorio agitur pagina 656. eisdem verbis Nicolai, quorum sensus est conferri quidem Ordinem, & characterem: non tamen gradum, & dignitatem. Et quidem Sedes Apostolica noluit vmquam restituere gradibus Ecclesiasticis eos, qui à Photio erant ordinati, vti decreuit Adrianus Secundus, in Octaua Synodo Act. vltima ad finem pag. 680. cùm tamen baptizati ritè à quocumque reciperentur ad integrum in Ecclesiam: nimirum, quia in Baptismo totum erat Sacramentum, at verò in Ordine vltra rationem Sacramenti erat dignitas, iurisdictio, & gradus, quæ non sequebantur ordinem collatum ab hæretico, vel deposito. Hæc itaque mens est Papæ Innocentij, iuxta Suarez, & Vasquez citatos.

Ad primum obiectum contra Gelasium respondet Bellarminus: illud opus contra Eutychen, non eius esse, sed Gennadij; hoc autem non satisfacit, quia Gennadius non potest esse auctor illius libri, idque obseruat ex Baronio Binius in notis ad vitam Gelasij. Respondet secundò esse Gelasij Cæsariensis Episcopi Hieronymo antiquioris, de quo is meminit lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 130. Non placet, quia nimis est priscus auctor, nec isti libri ab eo componi potuerunt aduersùs Eutychen, cùm is multò post Hieronymum fuerit, quod fugit Bellarminum, & Binium hoc loco.

Respondendum est igitur concedendo hunc Gelasium non esse eius libri auctorem, quia hic composuit grande, & præclarum quinque librorum volumen, teste Gennadio de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 14. Hic autem liber, qui ei tribuitur paruulus est, ac proindè diuersus. Præterea auctor illius Græcus videtur, quia citat quindecim Patres Græcos, Latinos verò dumtaxat duos. Tandem quia ille auctor laudat sæpè scripta Eusebij Cæsariensis, quę Gelasius inter Apocrypha recensuit. Auctor sine dubio est Gelasius Cizycenus, qui acta Nicœni Concilij scripsit, quæ extant primo tomo Conciliorum, idque apparet ex præfatione in vtrumque opus. Floruit hic tempore Basilisci anno 496. eo enim tempore Eutychiana hæresis reuixit. Debemus hoc Baronio, qui rem diligentissimè inuestigauit, vti obseruat Binius Sectator Baronij. Itaque falsa est assumptio de Gelasio Papa.

Demus tamen opus illud esse Gelasij: locus non conuincit, nam dum ait, [non desinit substantia, vel natura panis] significat, non omninò desinere, quia manet accidentia illius, & est modus vulgaris loquendi apud eos, qui minùs philosophicè loquuntur, qui cùm videant manere eamdem apparentiam in hostia, iudicant ex accidentibus panem non desijsse: & hoc sensu exposuit Bellarm. lib. 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 27. & Baron. anno 436.

Vasquez ita respondet disp. 18. cap. 1. num. 101. primò eum librum, qui tribuitur Gelasio iuxta opinionem Cani, & Claudij Sainctes esse Eusebij Cæsariensis, quòd nobis tamen displicuit. Secundò Compilatorem Bibliothecæ Sacræ ad istum locum Gelasij in margine adductum addidisse intelligendum esse de effectibus panis, quia nimirùm alit, & videtur. Tertiò eumdem illum Auctorem dicere panem [Transire in diuinam substantiam Spiritu Sancto ea perficiente.] Sed verba

ba sunt obscura, quia dicit, [permanente tamen in sua proprietate naturæ:] nisi fortè nomine proprietatis intelligat accidentia, & effectus. Eodem prorsùs modo respondet Suarius tom. de Sacramentis disp. 69. sect. 2. propè finem. Vera solutio est assignare librum Gelasio Cisyaeno, & affirmare Auctorem loqui de accidentibus, & effectibus panis, quæ ibi videntur, & sentiuntur.

Ad secundum obiectum Gelasio respondetur eum in isto textu cap. Comperimus de consecratione secundo loqui de Sacerdotibus, non de alijs. Debent autem Sacerdotes, vtramque speciem conficere, & sumere. Ita exponit Sanctus Thomas quæst. 80. art. 12. ad 1. & Glossa ibi, & videtur esse mens Gratiani. Sequitur Suarez disp. 80. sect. 2. & Vasquez disp. 206. cap. 2. num. 70. Addo coniecturam ex textu, in quo est verbum sumere, quod notat Sacerdotes sumentes, non autem laicos recipientes, & hæc est facilis solutio. Sed quia non placet Demochari, & videtur libera, & textus videtur loqui non de Sacrificio, sed de Sacramento, & ait. [Nescio qua superstitione videntur astringi, sit secunda solutio. Gelasium loqui de illis Manichæis occultis, qui sumpto solo Christi corpore abstinebant sanguine, qua superstitione docebant in Christo non esse verum sanguinem. De his ergo loquitur Gelasius iubens eos vtraque specie communicare, & reprehendens non facientes, ne videretur eorum superstitioni, & errori conniuere. Qua item ratione Leo Primus Epistola ad Maioricum, & Ioannem eam formam communicandi sub vtraque specie seruari præcepit, vt vitaret errorem Manichæorum teste Henriquez lib. 8. cap. 44. in notis citato loco Gelasij in cap. Comperimus. Sed de his satis diximus in controuersia de Communione sub vtraque specie.

CAP. IV.

De Anastasio, Vigilio, Gregorio Magno, & Honorio, qui accusantur, & liberantur.

Anastasius de tribus accusatur. Primò, quòd Photinum per se sine auctoritate Concilij absoluerit, & cum illo societate Acacij infecto communicauerit. Secundò, quòd voluerit reuocare Acacium reiectum à Fœlice, ac Gelasio. Tertiò, quòd approbarit baptismum, & ordines collatos ab eodem Acacio; hæc ex vita Anastasij decerpta obijcit Tilmanus Heshusius lib. 1. de Ecclesia cap. 9. & Magdeburgenses centuria 6. cap. 10. nec Gratianus repugnat distinct. 19. cap. Athanasius.

Hunc Pontificem aliàs liberauimus, & quidem accuratissimè, idest in selectis controuersijs contr. 4. de Canoniz. cultu, & venerat. Sanctor. Nunc breuiter dicimus. Anastasium admisisse quidem Photinum legatum ad se, quòd omninò est de iure gentium, cùm præsertim ageret de Epistolis Leonis Papæ: non consensisse autem ipsi agenti de reuocatione Acacij. Itaque negandum cum eo vri infecto communicasse. Quòd autem voluerit occultè reuocare Acacium damnatum à Gelasio, & Fœlice, falsum id esse constat ex ipsamet Anastasij Papæ ad Anastasium Imperatorem Epistola, vbi ter improbat Acacium, & eius nomen aboleri vult, & ex Epistola Hormisdæ Papæ 29. & 32. & 51. in quibus affirmat Acacium damnatum fuisse [iudicio Sedis Apostolicæ, & suorum prædecessorum,] quorum vnus erat Anastasius. Qui si absoluisset aliter loqueretur Hormisdas, & exciperet Anastasium Papam, & solos Gelasium, & Fœlicem nominasset. Iam verò errasse illum approbando baptismata, & sacros ordines collatos ab Acacio, tàm est à veritate alienum, quàm est proximum veritati non errasse. Nam baptisma, & ordines collati ab Hæreticis, & Schismaticis cùm Sacramenta sint, valida sunt, modò ordinantes sint ritè ordinati, quemadmodum erat Acacius. Approbandi ergo erant, non reprobandi. Vnde omnes istæ calumniæ euanescunt: & miramur incogitantiam Gratiani, Platinæ, & Volaterrani, qui Anastasium culparunt: & occasionem vituperandi Hæreticis dederunt. His fabulis illa accensenda. Anastasium Papam fulmine ictum: cùm is fuerit Anastasius Imperator: nomen ansam creandi prębuit; vnum pro alio homines maleferiati acceperunt, qui ne Nominales quidem in historia esse potuerunt.

Vigilio obijcitur scripsisse literas ad Theodoram Imperatricem, & alios Hæreticos Euthychianos, in quibus probat hæresim negantem in Christo duas esse naturas. Narrat hoc Liberatus in Breuiario cap. 22. Confirmatur, quia Theodora in suis literis petijt à Vigilio, vt restitueret Anthemium Episcopum Constantinopolitanum depositum ab Agapito, idque ille promisit, iam factus Pontifex, vti constat ex literis.

Quod attinet Vigilium. Primò illa Epistola negari potest: quòd ficta sit ab hæreticis, vt eum infamarent. Nec ea vana est suspicio, cùm ex Sexta Synodo Actione 14. certis argumentis deprehendatur: isque fuerit mos Græcorum corrumpendi vera scripta Pontificum, & falsa ijs attribuendi: nam in eodem Concilio Actione 3. producitur sermo Menæ ad Vigilium falsatus, & inueniuntur tres codices adulterini, & libri duo nomine Vigilij, prorsùs conficti. De quo ibi Legati Romani conqueruntur. Liberato autem respondemus eum rumori publico credidisse. Secundò dicimus adhuc Epistola admissa nihil inde concludi; quia tunc Vigilius non erat verus Papa, quia viuebat Syluerius legitimus Pontifex in exilio. Nota quippe historia est, Vigilium ambitione Romani Pontificatus multa molitum, vt eum obtineret; & cùm nimia tùm esset Iustiniani, & Theodoræ vxoris potentia, & Belisarij arma valerent, intrusit se in Sedem non vacuam Vigilius, & Antipapa diu extitit. Quo tempore mirum non est errasse. Imò & hoc in aduersarios argumentum retorquetur. Nam dum Vigilius Pseudopapa, viuo Syluerio, fuit, multa peccauit, indulgendo Theodoræ, cui promisit restitutionem Anthemij depositi ab Agapito, & exclusi à Syluerio. Ac postquàm mortuo Syluerio, legitimus esse Pontifex cœpit, nullam prorsùs labem admisit. Imò tam

se Re-

se Religiosè, & integrè gessit, vt nihilex ijs, quæ ante Theodoræ promiserat præstare voluerit: ac ob id variè ab eadem vexatus, & in exilium missus, & miris modis vsque ad mortem exagitatus fuerit. Quare de eo tamquam de Sanctissimo Pontifice commemorat Gregorius Magnus lib. 2. Epistol. Epist. 36. ad Episcop. Hiberniæ. Cassiodor. lib. de Diuio. Lection. & Arator. in Præfat. Actor. Apostolic. Quod ille opus Vigilio dedicauit. In Quinta certè Synodo apparuit quantus ille, & virtute, & doctrina vir esset. Quin etiam ab eo est illa Synodus confirmata: nec ante illius confirmationem vllum ea robur obtinuit.

SECTIO I.

Gregorius Magnus non solùm ab antiquioribus Hæreticis, sed à Kemnitio item arguitur, quòd cum Presbyteris Sardiniæ dispensarit ad Sacramentum Confirmationis ministrandum, quod fieri non posse docuit, inquit Kemnitius in Examin. par. 2. pag. 325. Concilium Tridentinum. Nec soli hæretici eum, sed nonnulli etiam Catholici accusant, & erroris insimulant: nimirum Durand. in 4. disp. 7. quæst. 3. & 4. & Adrian. in quæst. de Confirmat. art. vltimo, & Palud. & Maior citati ab Henriquez lib. 3. de Confirmat. cap. 6. Et quidem videtur errasse Gregorius, cùm solius Episcopi sit, exclusò nempe Presbytero, confirmare, auctore Bonauentura in 4. dist. 3. Altisiodor. lib. 3. Castro verbo Confirmatio, & lib. 2. de iust. hæret. punit. verbo Confirmatio. Maior. in 4. dist. 7. quæst. vndec. Gabr. ibid. quæst. vndec. Rubione art. 16. Albert. 4. Medices de hæresi verbo Confirmatio, & alij. Dispensasse autem in eo Gregorium Magnum patet ex lib. 3. Epistolarum Epist. 26. ad Ianuarium coniuncta Epist. 9. eiusdem libri, & fatetur Gratianus cap. Peruenit, & cap. Presbyteros 95. dist. & D. Thom. quæst. 72. art. 11. Imò & ex Concilio Florentino id constare videtur. Dùm io Institutione Armenorum refert legi in historijs per dispensationem Papæ ex vrgenti causa Sacerdotem ministrasse confirmationem.

Quidam vt liberent Gregorium mutant textum Epistolæ: vt sit, se permittere, vt vngant baptizandos, non autem, vt incorruptus habet, baptizatos, & sanè ita legi in multis codicibus constat: quos corruptos esse dicere minimè possumus. Ita liberatur Gregorius.

Verùm communis sententia tenet, & locum, & mentem, & dispensationem Gregorij, quod nos etiam tenemus, & textum probamus. Nam ex collatione illius Epistolæ 26. cùm alia 9. lib. 3. quòd aduertit Bellarm. lib. 2. de Confirmat. cap. 12. & Henriquez lib. 3. de Confirmat. cap. 6. apparet de baptizatorum confirmatione loqui Gregorium. In ea quippe Epist. 9. lib. 3. prohibuerat ne Presbyteri in fronte vngerent baptizatos. Cùm his autem dispensat Epist. 26. vt eosdem vngant. Quod est argumentum irrefragabile dispensasse in eo, quod anteà vetuerat. Præterea non cadit permissio, nec dispensatio in eo, quod licebat presbyteris. Licebat autem ei baptizare, & vngere baptizandos: quomodò ergo hi dispensatione indigebant? Igitur permissio, & dispensatio cadebat in id, quòd Presbyteris ex officio non licebat: hæc verò erat Confirmatio. Admisso facto, dicendum, rem illam esse dispensabilem, atque adeò non errasse Gregorium dispensando: nullo quippe prohibitum id erat iure Presbyteris. Vnde possunt in eo Pontifices dispensare. Quemadmodum docent fermè omnes Theologi, & Canonistæ citati ab Henriquez cap. 6. Confirmatur ex Ambrosiastro in cap. 4. ad Ephes. vbi testatur [in Ægypto Presbyteros confirmare in absentia Episcoporum. Quod etiam affert auctor quæstion. noui, & vet. testam. inter opera Augustini quæst. 101. neuterque improbat morem: qui adhuc videtur perseuerare inter Armenos, & Græcos auctore Armacano lib. 11. cap. 4.

Quòd autem presbyteri olim alicubi etiam Chrisma confecerint, apparet ex Canone 20. Concilij Toletani I. vbi id facere prohibentur. His verbis. [Placuit ea hac die, nullum alium præter Episcopum Chrisma conficere.] Ac ex eodem prorsus constat presbyteros, absente Episcopo confirmare, sic enim ibidem. [Statutum verò est Diaconum non chrismare, sed presbyterum absente Episcopo: præsente verò non, nisi abipso fuerit præceptum. Quo quid manifestius? Probatur præterea ex Martino Braebatensi in Collect. Græcarum Synodorum cap. 52. Taodem id factum Gregorij refertur à Concilio Florentino, ceu rectum foret. Itaque Alexander VI. & Gregorius XIII. potestatem confirmandi apud Indos presbyteris fecerunt Auctore Henriquez cap. 3. Immò ipse Adrianus Sextus Anno 1521. petentibus Fratre Galapione, & Francisco de Angelis concessit pro Indijs, & Regionibus, vbi non sunt Episcopi, vt Sacerdos Regularis ex Fratribus Minoribus possit eum Chrismate ab Episcopo consecrato confirmare. Eiusque facultatis exemplum authenticum habetur in Conuentu Hispalensi eodem Henriquez auctore. Non errauit itaque Gregorius: errant, qui ipsum condemnant. Quod attinet Kemnitium, ille desipit, dum ait Concilium Tridentinum contra Sanctum Thomam, & Gregorium Magnum definisse solum Episcopum esse Ministrum Confirmationis. Nam Concilium Canone 3. sic. [Si quis, inquit, dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem Anathema sit.] Negat de Ministro Ordinario: qui solus est Episcopus non autem de extraordinario, & in certis euentibus, ac ex dispensatione. Voluit enim Concilium condemnare hæresim Wicleffi, & errorem ante illum Armacani, qui dixerunt id munus confirmandi Episcopis, & presbyteris esse.

Ad eadem obseruo tria. Primum Bellarminum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 10. citare Gregorium Magnum in Epist. 26. lib. 8. ad Ioannem; cùm ea sit ad Ianuarium. Secundum Henriquez lib. 3. de confirmat. c. 6. in Marg. Litt. M. sic scribere. Durandus, Palud. Maior. & Adrian. [irreuerenter aiunt, quod Gregorius I. errauit, non quidem in doctrina, sed in priuato facto, quod Bellarminus admi-

admisit, vt probabile.] Certè Bellarminus Gregorium optimè defendit, tum lib.2.de Confirmat.cap.12. tum lib. 4. de Pontifice, cap.10. vbi errasse damnantes Gregorium aperte dicit. Tantum ibi addit, si admittatur hac in re errasse ex aliorum id aientium sententia, posse ab errore liberari dicendo, eum, errorem facti, non doctrinæ fuisse. Vnde non ait id esse probabile, Quamquam id ego in Bellarmino non probem, quòd affirmet, eum errorem fore de facto, non de doctrina, si error esset, in doctrina esset,cum dispensando iudicaret posse presbyterum esse ministrum Confirmationis, quæ opinio contra veritatem esset, & errorem in doctrina inuolueret. Tertium est Henriquez, & alios auctores citare Scotum solere pro ea sententia Durandis negantis licere vnquam Sacerdoti ministrare Confirmationem: cùm Scotus id minimè senserit, quemadmodum ostendit Faber diffic.27. à quo hæc quæstio accuratè tractatur, & communis doctrina de potestate dispensandi cum Sacerdote presbytero ad confirmandum astruitur.

SECTIO II.

De Honorio maior Cōtrouersia est. Aiunt fuisse Monothelitam Nilus lib. de primatu, & Magdeburgenses centuria 7.cap.10. in vita ipsius, & cap. 11. columna 555.Imò ex catholicis fauetur Cano eum in hæresi Monothelitarum fuisse, quem sequitur Bannes in 2.2. qu.1.art.10. §. confirmatur, vbi cum eodem Cano, quem citat lib.6. de locis cap. vlt.sequitur Papam hæreticum esse posse, & & ait priscam esse, & communem sententiam contra Pighium, & alios nuperos Theologos.

Et quidem videtur Honorius excusari non posse. Primò, quia duæ Honorij Epistolæ extant vna in 6.synodo act.12. altera in eadem act.13.in vtraque autem approbat doctrinam Sergij Monothelitarum Principis, & vetat dici Christum habuisse duas voluntates, & duas operationes. Secundò, in 6.Synodo act.14. damnatur Honorius cum alijs hæreticis, & illius epistolæ comburuntur, & in omnibus sequentibus actionibus eius damnatio nominatim reperitur. Tertiò in 7. synodo act.vltima totum Concilium dicit Anathema Honorio cum cæteris Monothelitis. Idem habetur in epist.ad Clericos vniuersos. Quartò in 8. Synodo act. 7. legitur epistola Adriani II. in qua Pontifex asserit Honorium fuisse iudicatum hæreticum post mortem. Quintò Agatho Papa in epist. ad Constantinum Imperatorem act.6. dicit Honorio anathema. Sextò Leo II.epist.ad eumdem Imperatorem in fine Concilij item 6.hæreseos accusatur. Septimò Adrian.II.act.7.in 8. synodo affirmat Honorio anathema dictum ab Orientalibus Episcopis quoniam erat de hæresi accusatus, [in qua inquit, licitum est minoribus de maioribus iudicate,] illaque tria sunt Concilia vniuersalia, & tres Pontifices negandi, ad affirmandum Honorium hæreticum non fuisse.

Accidit Tharasius Episcopus Constantinopolitanus ad Patriarchas in 7.synodo act.3. & Theodorus Episcopus Hierosolymitanus epist. synodica ibidem. Epiphanius Diaconus Catholicus in dispùt. cum Gregorio hæretico ibi 9.synodo act.7.tom.2.Psellus in carmine de 7. synodis. Beda de 6.ætatibus mundi in vita Constantini IV. Imperat.& liber Pontificalis in vita Leonis II. Vbi auctor illius affirmat Leonem suscepisse 7.Synodum, in qua condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, & Pyrrus.]

Quod me magis mouet est testimonium Leonis II. hic enim in prima epist. ad Constantinum, quæ habetur post actionem 18.6. Concilij Constantinopolitani. [Anathematizamus, inquit, noui erroris inuentores Theodorum, Cyrum, &c. necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustrauit, sed profana proditione immaculatam fidem subuertere conatus est.] Et rursùs in epist. 2. ad Episcopos Hispaniæ. [Theodorus ait Cyrus, Sergius, &c. cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non vt decuit Apostolica auctoritate incipientem extinxit, sed negligendo confouit.] Huius autem epistolæ fit mentio in Concil. Tolet. 14.can. 2. eamque in notis recipit Loaysa.

His, & alijs argumentis ducti antiqui Auctores ingenuè fassi sunt Honorium in hæresim lapsum esse. Ita narrat, & sentit Bannes 2. 2. art.10.§. confirmatur, & tres solutiones, quæ adhiberi solent ad liberandum Honorium sophisticas appellat, & cum Alberto Pighin,quòd eas primus innexerit grauiter expostulat.

Pighius tamen, & Hosius, & alij citati à Bellarmino lib.4. de Romano Pontifice c.11.& Baronius, & Binius, & ipsemet Bellarm. citatus, & ex Dominicanis P.Libellus in suo Libello de Concilijs liberant Honorium, & omnes respondent: illas epistolas Pontificum, & acta Concilionum esse falsata, & corrupta ab hæreticis, & Schismaticis Græcis: quæ responsio probabilis redditur attenta veteri, & perpetua Græcorum Schismaticorum consuetudine in scriptis, & adulterandis, & commiscendis. Patet exemplis 1.Leo Magnus lib. 8. epistolarum epistol. 83. ad Palestinos conqueritur de Græcis, quòd epistolam suam ad Flauianum corruperit. 2.Gregorius Magnus lib.5. epist.14.ad Narset. affirmat Constantinopolitanos adulterasse Concil. Calcedonense, & idem se suspicari de Ephesino. 3. Adrianus Primus scripsit epistolam ad Tharasium, vsi constat ex epistola Nicolai I.ad Michaelem, ea tamen, quæ ille affert, & Tharasium pungunt non extant in ea epist. Adriani. Dempserunt nempe illam Græci, vt Tharasij honori consulerent. 4. Nicolaus I. epistola ad Michaelem remittens eum ad epistolam Adriani. [Si tamen,inquit,non est falsata more Græcorum, sed sicut à sede Apostolica missa est, conseruatur.]

Exemplo Photij res tota stabilitur, qui tot libros de nouo confinxit, tot corrupit, Ioannis Papæ VIII. epistolas adulterauit, & conciliabulum pro Concilio inuexit, vt ex 8. synodo, & ex vita Ioannis patet. Sed insigne argumentum est in ipsamet 6. synodo. Nam in 3.Actione productus fuit sermo Me-

næ ad Vigilium omnino falsatus exclamantibus legatis sedis Apostolicæ. Falsatus est hic liber 5. synodi, & inueni sunt tres quaterniones intra librum per fraudem inserti. Præterea ibidem inuenti sunt libri duo nomine Vigilij adulterini clamantibus iterum legatis. [Non sunt libelli Vigilij; falsatus est hic liber, & exordia primi libri quintæ synodi.] De quibus rursus fit mentio act. 12. pag. 140. eaque fraus apparuit act. 14. pag. 164. & 165. collatis scriptis adulterinis cum germanis inuentis in Patriarchio Constantinopolitano, vnde iussere Patres, [eos qui falsauerunt Anathemati submitti.] Non est ergo mirum fuisse ista concilia, & epistolas ab Hæreticis falsatas.

Confirmatur tribus argumentis, primò, quia in epistolis Honorij, quæ sunt duæ, nullus est error doctrinæ; fatetur enim perspicuè Honorius duas naturas in Christo distinctas, & distinctè, ac propriè operantes ob duas differentias naturarum. Vetat autem dici duas voluntates, & duas operationes propter periculum hæresis Nestorij, & prohibet item dici vnam propter suspicionem erroris Eutycheis; itaque vtramque hæresim excludit. Certum quidem est eum negare in Christo esse duas voluntates diuersas, & contrarias; loquitur enim de Christo, vti homo est, contra eos, quidicebant Christum hominem habuisse duas voluntates inter se oppositas. Vnam conformem cum diuina, alteram cum appetitu humano, quarum ratione potuit dicere [non sicut ego volo, sed sicut tu,] & hæc patent, ex ipsius epistolis, & optimè demonstrat Baronius, & Bellarminus, nosque in materia de Concilijs obseruauimus. Huius rei extat idoneum testimonium in dialogo S. Maximi, qui vixit tempore Honorij in dialogo contra Pyrrhum Constantinopolitanum Episcopum Monotelitanum, qui Pyrrhus testimonio Honorij suam hæresim defendebat. Contra verò demonstrat Maximus Honorium non negasse in Christo duas voluntates diuinam, & humanam, sed solùm negasse duas humanas, idque ex testimonio Secretarij ipsiusmet Honorij probat. Habetur autem is dialogus p. 2. tom. 2. Concil. pag. 280.

Secundò probatur, quia Anastasius Bibliothecarius in historia sua ex Theofane Isauro affirmat hanc fuisse imposturam hæreticorum.

Tertiò, quia Agatho Papa epist. 1. ad Imperatorem, quæ lecta est in 6. synodo sess. 4. loquens contra eam hæresim, affirmat nullum ex suis prædecessoribus à fide catholica defecisse, & numeratis Monothelitis inter eos non nominat Honorium, & ait. [Sedem Apostolicam super Petram ædificatam numquam errasse in Fide, quod certè verum esse non potest, si Honorius errauit. Hæc autem epistola Agathonis, tamquam oraculum D. Petri à Patribus Concilij recipitur. Contradiceret verò sibi Agatho, & alij Pontifices idem affirmantes, si Honorius in hæresim Monochelitarum laberetur. Explicatur magis ista sententia, quia si Honorius accusatur, ideo est, quia noluit dicere duas voluntates, & duas operationes, sed iussit suspendi vnum, & alterum loquendi modum, hæc autem hæresis esse non potuit, quia hoc idem fecit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, vti constat ex epist. Sergij ad Honorium, nemo tamen Sophronium de hæresi condemnauit. Cur ergo Honorius damnetur? Atque ita stabilitur communis responsio, quæ vno verbo soluit argumentum, dicendo omnes illas scripturas esse falsatas, tum acta Conciliorum, tum epistolas Paparum. Hæc solutio communiter adhibenda est argumento.

Verùm difficile mihi videtur dicere omnia illa scripta esse falsata. Fateor quidem in epistola Agathonis, quæ citatur contra Honorium eius nomen non reperiri; at in alijs Leonis, & Adriani inuenitur. Vnde literæ illæ germanæ, quæ in Romanis Archiuijs extant non potuerunt corrumpi, cum præsertim Concil. Toletanum illam epistolam Leonis agnoscat, & adducat. Demus tamen esse falsatas. Cur nemo ex legatis Romanis id animaduertit, nec se opposuit, vti in alijs minoris fortè momenti se opposuerunt? Cur non clamarunt scripta esse corrupta? Nemo id ante Pighium obseruauit, & omnes antiqui auctores dormierunt? Concedo quidem Græcos illas scripturas adulterasse, sed vnde constat has etiam corrupisse. Necesse est probare has in particulari corruptas fuisse.

Ad Agathonem, & alios Pontifices, qui Honorium minimè nominant. Respondetur, hoc esse argumentum negatiuum, quod non militat contra positiuum. Affirmant autem positiuè duo Pontifices, & tria Concilia vniuersalia Honorium errasse. Quod additur negari ab ijs sedem Apostolicam hæresi esse infectam, benè stare potest cum aliquo lapsu Honorij, vti stetit cum lapsu Marcellini, & nos statim dicemus.

Disputatio Maximi cum Pyrrho tantùm agit de liberando Honorio ab hæresi, quod ego etiam fateor. At non conuincit eum damnatum non fuisse. Præterea illa disputatio videtur suspecta, quia non tam est altercatio, quàm dialogus, & amica confabulatio, nec Pyrrhus disputat, aut contendit, sed proponit, & interrogat, audientis magis more, quàm disputantis. Legat qui volet illum dialogum, & comperiet Pyrrhum Discipuli potius partes agere, quàm Aduersarij vno dicam verbo præuaricari; id mihi legenti visum: hæc me cogunt suspendere iudicium circa illam communem responsionem. Video eam communi consensu recipi: nec ego volo singularis esse. Assentior, sed fateor me, cùm eam lego non posse non visa illa Pyrrhi disceptantis frigida formula aliquantum ambigere, an decuerit disputantem, Scio eum, in exilio fuisse, & timidè agere oportere. Verùm non existimo ob id ita deferendam causam, quam, & antea obstinatè, & postea defendit. Legat qui volet, minus me auditum culpabit. Liceat mihi mecum habitare, & haud temerè ambigere, num tamen non audeam communi sententia refragari. Quid ergo dicendum?

Placet mihi illa solutio; quæ distinguit inter hæresim, & communicationem cum hæreticis, & fauorem hæresis. Nego igitur Honorium errasse in sentiendo, concedo deliquisse in communicando, & conniuendo hæreticis Monothelitis, & ex occasione eorum

rum dogma dissimulatione fouendo. Quemadmodum habetur in epistola Leonis Secundi, proximè citata ad Episcopos Hispaniæ, vbi sic: [Qui aduersum apostolicæ traditionis puritatem perduelliones extiterant absentes quidem æterna damnatione mulctati sunt, id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitanus cum Honorio, qui flammam heretici dogmatis, non vt decuit, Apostolorum auctoritatem vrere incipientem extinxit, sed negligendo confouit.] Ecce distinctio dogmatis quod tribuit Monothelitis, & dissimulationis circa dogma, quam impingit Honorio. Non dixit excitasse flammam, sed eam non extinxisse, & non extinguendo confouisse.

Idem manifestiùs habetur in epistola eiusdem Leonis ad Eruigium Regem Gothorum in Hispania, quæ est supra in tertio tomo Conciliorum, parte prima, pag. 284. in qua ita: [Omnes hæreticæ assertionis auctores, venerando censente Concilio, condemnati de Catholicæ Ecclesiæ adunatione proiecti sunt, id est, Theodorus Pharanitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus, quondam Constantinopolitani Præsules, & vnà cum eis Honorius Romanus: qui immaculatam apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.] Non dixit fregisse, aut maculasse, sed consensisse maculantibus. Nec probabile videtur has epistolas esse corruptas, nec enim erant Græci, qui corrumperent, vti de Concilijs dici potest. Præterea quod ait Baronius falsatam esse hanc epistolam, quia in ea habetur literas Diuales Constantini missas fuisse ad Agathonem Papam, cùm missæ non fuerint nisi ad Papam Domnum eius antecessorem, nihil obstat, quia illæ literæ susceptæ fuerunt ab Agathone, vti ille fatetur in sua epistola ad eumdem Imperatorem, quæ habetur Act. 4. Nec refert datæ ne fuerint ad Domnum, vel Agathonem cùm scriptæ essent ad Pontificem Romanum, ad quem spectabat illud negotium quod propriè pertinebat ad Agathonem, qui mortuo Domno regebat Ecclesiam, ita vt integra fides sit illius epistolæ Leonis Secundi.

Igitur respondere debemus de Honorio, quod supra respondimus de Liberio, qui non errauit circa fidei professionem, sed tantùm deliquit communicando cum Arianis, & condemnando Athanasium, & id satis fuit Ecclesiæ ad eum habendum pro hæretico, & Felicem in eius locum substituendum. Sic res habet in Honorio. Non errauit is in confessione duarum voluntatum, & operationum, sed tamen deliquit in scribendo, & communicando cum Monothelitis, & eius errorem dissimulando. Quod satisfuit, vt in foro externo particeps illorum hæresis videretur. In hoc igitur foro à Concilijs, & duobus Pontificibus condemnatus fuit. Minùs tamen peccauit Honorius quàm Liberius, & idcircò Pontificatum non amisit, quia fecit imprudens, & antequam illa hæresis esset condemnata in Concilio vniuersali, qua ratione ille excusari debet, & debuit in Pontificatu remanere. Secùs accidit Liberio, qui damnato iam Ario, & hæresi Ariana in Concilio Niceno, & alijs Arianis sciens, & prudens communicauit, & Constantio paruit, & Athanasium condemnauit. Hæc sint pro tempore satis. Latiùs dicemus in materia de Concilijs.

CAP. V.

De Martino I. *Gregorio* III. *Nicolao* I. *Stephano* VI. *Sergio* III. *Ioanne* VI. *& Syluestro* II.

MArtino Primo obijciunt Magdeburgenses cent. 7. cap. 20. Nouatianismum; nam epist. ad Armandum Episcopum, quæ habetur in Lateranensi Concilio sub eodem Martino tomo 2. part. 2. pag. 479. in secretatio, siue consultatione supra sic ait: [Nullatenùs in eiusmodi peccato delinquentibus ad destructionem canonum compassionem exhibeas.] Loquitur autem de Presbyteris, seu Diaconis lapsu carnis coinquinatis post suas ordinationes.

Respondetur: Martinum non negare copiam pœnitentiæ, & veniæ in foro conscientiæ, sed restitutionem, officium, & ministerium; de hac enim priuatione loquitur, cùm dicat, [qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps iam depositus erit: numquam gradum Sacerdotii poterit adipisci,] & ita soluit Bellarmin. lib. 4. cap. 12. & Binius in Notis ad vitam Ioannis. His addo, constare Martinum non negasse pœnitentiam, & veniam necessariam ad salutem animæ, & produco locum epistolæ quintæ ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ pag. 42. in qua de ipsis ordinatis ita loquitur, exhortans eos qui iam depositi sunt, conuerti ad Dominum, & manifestè admittat eorum correctionem. [Potest enim, inquit, Deus eos rursus inaumirabilem lucem suam adducere, quia facie, & immutat prout vtiliùs est, &c.] imò & eos depositos permittit post pœnitentiam ad suos gradus reuocari.

Verum quidem est semper se monstrasse seuerum erga eos, qui iam ordinati labebantur in vitia indigna eo statu, & quæ per sacros Canones puniebantur, ait enim [resipiscentibus ex hæresi dandam esse restitutionem, quæ neganda erat, inquit, ijs, qui committebant peccata notata Canone.] Ego existimo illum loqui de concubinatu, & peccato obstinationis, in eo ait [quippe in ijs, qui libenter peccant, & amant peccare, denegare oporter eam veniam, quæ in huiusmodi lapsibus ex dispensatione datur.] Hæc autem dispensatio non erat venia in conscientia, sed canonica, & publica coniuncta cum reuocatione ad gradum, & ministerium. Tandem obseruo hanc epistolam plenam esse doctrina contraria Nouato.

Gregorio III. duo opponuntur ab ijsdem Centuriatoribus cap. 10. centuria 8. Primùm, quod iussit consecratos ab alijs quàm à Pontifice ceu non ordinatos consecrari. Secundùm, quod permisit viro ducere aliam vxorem non valente propria per infirmitatem

tem debitum reddere. Vtraque est calumnia.

Primam refellit ipsemet Gregorius ep.5. ad Bonifacium tom.3. p.p. pag. 352. vbi sic: [Presbyteros quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint viri illi à quibus fuerint ordinati, & dubium est eos Episcopos fuisse, an non, qui eos ordinauerint consecrentur.] Quod omnino est diuersum in hoc enim casu etiam pueri sunt baptizandi sub conditione.

Quod attinet ad secundam; in epistola quarta ad Bonifacium. Respondetur primò cum Glossa in capit. Puto quia, 32.quæst.5. & ibidem quæst.7. capitulo Quod proposuisti locum esse falsatum. Secundò, loqui de sponsa, quæ ob infirmitatem superuenientem ante matrimonium dimitti potest. Tertiò, nomine infirmitatis intelligi impotentiam cum vxore cœundi, quando videlicet ita est arcta vt à viro nequeat aperiri, tunc enim licet aliam ducere, vti ego Matriti vidi. Hæc item solutio adhibetur à Glossa cap. de Libellis dist. 22. quod autem iubetur viro, vt ei opem ferat ad pietatem referri debet, nam pietas suadet eam non deserri, quæ nihil peccauit. Illud fateor hac particula videri aliam infirmitatem significari, non arctitudinem, quia hæc potest esse respectu vnius viri, & non respectu alterius, cui potest illa nubere, & cessare ratio illius infirmitatis, si arctitudo infirmitas dicenda est, nec enim puto propriè dici posse infirmitatem. Vtcumque sit, illa infirmitas debet esse talis, quę inducat impotentiam, & ob id irritum reddat matrimonium, vnde constat solutio ad argumentum. Luthero tamen placuit teste Cochæo in Septicipite cap.de Matrimonio, quamlibet infirmitatem vxoris satis esse ad relinquendam vxorem, & aliam fœminam substituendam, & ne deesset, Ancillam posse vocari, & submitti. Eant Magdeburgenses, & Lutherum reprehendant.

Aduertendum hic est hanc epistolam Gregorij III. ad Bonifacium tribui solere Gregorio I. Magno ad Augustinum Episcopum Anglicanorum, sed ea non est Gregorij I. sed III. quamquam in nonnullis exemplaribus irrepserit nomen Gregorij, & Augustini, & pro eadem habeatur.

Quod attinet ad Nicolaum I. opponunt ei, existimasse baptisma in nomine Christi collatum validum esse, ita refertur de consecratione dist. 4. cap, à quodam Iudæo: hoc autem contradicit Euangelio, & Ecclesiæ, & decretis Pelagij, & Zachariæ Papæ, qui contrarium definiunt, vt patet ex can. in Synodo eiusdem distinctionis:

Nec potest responderi tempore Nicolai adhuc contrarium non fuisse definitum, nam in Concilio Anglicano confirmato à Zacharia iam id definitum fuerat, vt constat ex eadem Synodo relata illa distinct. 4. can. in Synodo Imo, & contradicit Pelagio in can. si re vera vbi decernit non baptismum in nomine Domini, & requiri inuocationem Trinitatis.

Tribus modis huic argumento respondetur, primò, dicendo Nicolaum priuato sensu locutum, non canonico, & publico Pontificis, & ita respondet Bellarminus lib.4 cap. 12. & Suarez disp. 21. sect. 3. ad finem & Vasquez disp. 143. cap. 4. num. 28. Idque probant ex eo quod caput quæstionis erat vtrùm baptismus à Iudæo, & infideli ministratus verus esset, non autem vtrùm esset, verus baptismus sub hac, vel illa forma, quod obiter definiuit Nicolaus. Vnde hoc secundum non dixit vti Pontifex, sed vti Doctor priuatus ex quadam abundantia.

Hæc solutio mihi non satisfacit, quia Nicolaus vtrumque dixit principaliter, imò vt quæstioni responderet, vsus est illa ratione à forma sacramenti petita recurrendo ad illam vt quæstionem resolueret, quod non est obiter dicere, ratio enim, quæ affertur fundata in forma baptismi capitalis est. Præterea non possumus distinguere in eodem decreto Papæ ad decidendam quæstionem prolato duas partes, vnam, in qua Pontifex vti priuatus Doctor loquatur, alteram in qua loquatur vti Pontifex. Tandem quia Pontifex definiuit baptismum illum esse verum sub fnrma vera, & hanc statuit esse in nomine Iesu Christi, hoc autem ad doctrinam spectat, & ad Pontificem pertinet. Non enim erat quæstio ex parte Ministri baptizantis cùm quilibet minister ad baptismum sufficiat dummodo formam legitimā seruet cum intentione, Voluit autem Nicolaus vt in nomine Iesu Christi sufficiens forma haberetur.

Secundò respondetur cum Marsilio in 4. dist. 2. qu. 3. art. 3. conclusione 2. ex dispensatione, & reuelatione in eo casu definisse Nicolaum illum baptismum validam formam habuisse. Hanc tamen responsionem impugnat Henriquez lib. 2. de baptism. cap. 10. & Vasquez cap. 4. n. 24. Est quippe libera, & sine fundamento, præterea non soluit difficultatem, quia si illa forma ex se non erat per se valida non potuit ex reuelatione valorem accipere.

Tertiò dicitur Nicolaum in eo sensu loquutum, quo loci Actuum Apostolorum, quorum sensus est in nomine Iesu Christi, idest sub ea forma, quam Christus instituerat, idest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vel in eo sensu vt loco personæ Filij poneretur nomen Iesu Christi, facta semper mentione trium Personarum. Hæc responsio bona est si tamen est vera, remouet enim errorem à Pontifice, eamque id circo Suarez sect. 4. n. 27 piam, & probabilem vocat, eam tamen refutat Vasquez disp. 143. cap. 4. num. 27. & perstringit Suarez tacito nomine. Verum quidem est Suarez dixisse responsionem esse non nihil coactam, & quidem est inepta, nam vt optimè arguit Vasquez, Nicolaus distinguit duos modos baptizandi, vnum in inuocatione Trinitatis, alterum in inuocatione solius Christi, & dicit cum Ambr. valere, quæ distinctio locum non haberet si in forma habente nomen Christi includeretur inuocatio Personarum. Deindè quia Nicolaus secutus est sensum Ambrosij, qui de solius Christi mentione loquitur tamquam vnius dumtaxat Personæ. Præterea multi sunt Auctores, qui tenent in Actibus Apostolorum de Baptismo in solo Christi nomine collato agi, & putant eo tempore licitum fuisse pro qua sententia citat Vasquez, Ambrosium, & Magistrum, & Adrianum, & Bedam, & Vgonem de Sancto Victore, & fuit sententia Antiquorum scholasticorum, duce D. Thom.

quæst. 66. art. 6. ad 1. Hos autem imitatus est Nicolaus. Vnde non potuit eo modo explicari, quo vult tertia solutio.

Quartò. Respondetur Nicolaum sensisse Baptismum à Iudæo collatum in nomine Christi validum esse, nec ob id posse erroris conuinci, sensit enim illum, qui baptizat in nomine Iesu Christi sufficienter exprimere Trinitatem, quia cùm Iesus Christus sit Deus, & homo, vti homo incarnatus est de Spiritu Sancto, & vti Christus vnctus est diuinitate à Patre, ac proinde exprimit omnes personas, vnde obseruo in Actibus Apostolorum poni in nomine Iesu Christi, quamuis aliquando ponatur nomen Iesu, semper enim intelligitur vnctus à Patre, & formatus, à Spiritu Sancto, & hoc sensu loquitur Nicolaus, quidquid sit de loco Ambrosij, & Bernardi, qui significant in nomine Spiritus Sancti, & Dei & crucis collatum baptismum valere, nam de his formis non loquitur Nicolaus.

Videndum tamen est vtrùm hæc responsio tuta sit. Bellarminus ait sententiam tenentem valere baptismum in nomine Christi post illa tempora Apostolorum esse falsam, non hæreticam, ità disertè lib. 4. cap. 12. §. respondeo Nicolaum. Cum Bellarmino sentit Henriquez lib. 2. cap. 10. & ambo soluunt argumenta opposita, eiusdem sententiæ est Cano lib. 6. cap. 8. Suarez consentit disput. 21. sect. 3. ad finem, vbi vocat minùs probabilem, Vasquez, & si veram dicat oppositam, non damnat tamen Nicolai sententiam.

Vltima solutio nititur ratione Cani, qua probabilem reddit sententiam Nicolai. Obseruat enim Nicolaum responsum illud Bulgaris dedisse, apud quos prædicabatur Euangelium, & quorum Ecclesia primitiua tunc erat. Vnde sicut in primitiua Ecclesia, tempore Apostolorum valuit Baptismus collatus in nomine Iesu Christi per particularem dispensationem, quæ est communis veterum Theologorum sententia, ita etiam iudicauit Nicolaus valiturum respectu primitiuæ Ecclesiæ Bulgarorum & quidem Glossa in cap. A quodam sic ait: [Dico quòd non debet quis baptizari in nomine Christi, si tamen baptizetur, valet baptismus.] Quare cum ita indicet, & aduertentia Cani non improbabilem reddat Nicolai sententiam, videtur posse sustineri sine nota erroris Nicolai decretum dicentis baptismum in eo casu validum esse in nomine Christi collatum, illo tempore, quo durabat inter Bulgaros noua Ecclesia. Ex quo non sequitur baptismum sub illa forma validum esse per se, sed tantùm per dispensationem in eo casu valuisse. Et vti non sequitur ex eo quod tempore Apostolorum ille Baptismus valuit; postea item in Ecclesia valuisse, ita etiam ex casu Nicolai, non est inferendum in alijs casibus esse valiturum.

Hoc modo soluuntur omnia argumenta allata contra Nicolaum ex Decretis Pelagij can. Multi de consecrat. dist. 5, & Zachariæ can. in Synodo ibidem, & ex Concilio Anglicano ab eodem Zacharia citato & approbato, vbi exigitur expressio totius Trinitatis. Nam hi omnes loquuntur more vulgari, & de iure ordinario, non autem in casu posito à Nicolao in primitiua Ecclesia Bulgarorum, vbi licebat, sicut in Actis Apostolorum licuit dispensatio Dei, saltem non videtur hæc solutio reprobanda.

Quod attinet ad Stephanum VI. verè VII. præmittenda est historia, Formosus cùm Episcopus esset Portuensis proscriptus & degradatus fuit à Ioanne VIII. coactus iurare se numquam Episcopatum repetiturum. Marinus Papa successor Ioannis reuocauit Formosum, & absoluit, qui Marino mortuo successit. Post Formosum Pontificatum obtinuit Stephanus VII. vulgo VI. hic omnia Formosi acta rescidit, & corpus defuncti exhumauit, & Pontificijs exutum insignibus tribus amputatis digitis in Tyberim proiecit, & ordinatos ab eo reordinauit, & habito ea de re Romæ Concilio à se Decreta confirmauit. Postea Romanus successor Stephani, & Ioannes Nonus qui Theodoro viginti tantùm dierum Papæ successit acta Formosi approbarunt, & Stephani irritarunt, imo Ioannes semel in Romano Concilio, & iterum in Rauennate conciliabulum factum à Stephano proscripsit. Superueniens Sergius Tertius Stephani defensor condemnauit rursus Formosum, & Acta ipsius, & ordinatos ab ipso de nouo consecrauit. Post Sergium tempestas quieuit. Ex his apparet aliquos ex his errasse. Bellarminus lib. 4. cap. 12. concedit Stephanum, & Sergium errasse, sed errorem notat fuisse in rebus facti, qua ratione Pontifices, inquit, errare possunt, Sed hic etiam inuoluitur error iuris. Nam reordinare ordinatos à Formoso, qui verè Pontifex, & Episcopus erat, non potuit fieri sine errore iuris.

Huic obiectioni, quę grauis est. Respondent communiter Doctores nostri cum Bellarmino neutrum Pontificem errasse in doctrina, qui nullum ediderunt Decretum, atque adeo non errarunt docendo prauam doctrinam. Sed contra est, quod Ioannes Nonus in legitimo Concilio iussit comburi acta conciliabuli Romani, quæ præsente Stephano Decreta fuerant; Ergo iam erant Decreta.

Respondeo igitur illa omnia facta esse odio, & mala voluntate, non ex errore intellectus, sciebant Stephanus, & Sergius Formosum ad minus fuisse verum Episcopum, ac proinde ordines ab eo collatos validos esse sed tanto, in eum odio æstuabant, vt eos ira & rabies trans ueros egerit. Nec id mirandum est, ijs Pontificibus, cùm ea tempora calamitosissima fuerint. Vnde vterque Pontifex Stephanus, & Sergius inuasores, & intrusi, grassatores in eorum vita à Scriptoribus appellantur, eranteque potiùs Pontifices tolerati, quam legitimè electi, quamquam post intrusionem veri Pontifices fuerint, & ab Ecclesia approbati. Quamuis etiam dici possit hos duos Pontifices excæcatos passione sibi persuasisse Formosum, nec verum Episcopum, nec Pontificem fuisse, ex, vtraque autem solutione constat eos mala potiùs voluntate, quàm errore doctrinæ laborasse.

Sequitur horrendum illud crimen, cuius arguitur à Magdeburgensibus centuria 10. cap. 6. columna 294. Ioannes XIII. vel XIV. quem aiunt ingenti sacrilegio iussisse baptizari

zari campanas. Legerunt nimirum in Euangelio baptismos vrceorum, & calicum, & transtulerunt illum baptismum ad campanas Si hoc modo baptizatas volunt, non erat Sacramentum ille baptismus. Vtcumque sit, deserunt verba formę, fine, qua non est baptismus. Benedicuntur quidem campanæ & aqua lustrali asperguntur, sicut vestes, & vasa sacra, sed minimè baptizantur, nisi velint Magdeburgenses campanas esse cathecumenas ante baptismum, imò & contrahere originale peccatum à quo per baptismum liberari debuissent. Sed Magdeburgenses, quia sonate videntur campanas, loqui putarunt, & consequenter rationales creaturas esse. Hac ratione tenentur dicere, & Asinos baptizandos esse, quia rudentes vocem emittunt. Illud saltem habemus, fœliciores esse apud nos campanas, quàm infantes apud Anabaptistas qui non baptizant infantes. Quid est hoc nisi desipere Magdeburgenses, & vt veriùs dicam insanire? Seriò respondent Baronius, Bellarminus, Binius, ego cum his hæreticis ludo, & delicias facio.

Syluestro II. Magdeburgenses, centuria 10. cap. 10. & Tilmanus Heshusius lib. 1. de Ecclesia cap. 9. opponunt fuisse Magum, & Necromanticum. Huius fabulæ Architectus fuit Benno, qui se Cardinalem, & Archiepiscopum nominauit, & in Schismate Galerum purpureum obtinuit, & vixit tempore Gregorij & Henrici IV. Imperatoris schismatici, teste Papirio Massono, eamque refert Martinus Polonus in Chronico, vnde Magdeburgenses hauserunt, aiontque Syluestrum pro Pontificatu obtinendo in templo Sanctæ Crucis in Hierosolymis animam suam Dæmonio pepigisse, qua propter ibidem fuisse postea à Diabolo laceratum. Si autem Necromanticus fuit, Diabolum coluit, & hæreticus extitit.

Respondet Bellarminus commentum hoc esse, nemo enim præter Bennonem hanc historiam tradidit, quæ refutatur illo Epitaphio, quod legitur in eius sepulchro apud Sanctum Ioannem Lateranensem, quod affert Binius in vita Gregorij tom. 3. Concil. p. 2. Hæc enim funebris eius Laudatio fuit & composita dicitur à Sergio IV. Occasionem fabulæ dedit peritia Geometriæ, qua valuit, teste Bellarmino, de qua etiam libros scripsit. Fuit etiam doctus Astrologiæ & Philosophiæ, vti narrat Ditmarus. Infælici enim seculo, quo nullum deterius post Christum videtur fuisse, perinde habebatur esse Philosophum & Mathematicum. Vnde ille Benno impostor, Gregorij Septimi prædecessores Magiæ accusat. Addo ex meo occasionem dedisse fabulæ, quòd Syluester opera Othonis III. teste Aymonio Pontificatum obtinuit, quem sibi magnopere conciliarat dono mirabilis Horologij Magdeburgi dato, quod ingenio planè Dedalæo composuit, quod narrat Ditmarus. Opus hoc igitur propter nouitatem visum est vulgo Magicum, & interuentu Diaboli inuentum, & constructum. Id maneat Syluestrum, quamuis ante Pontificatum cùm priuatus, & Gilbertus erat, virijs abundasset, eumdem postquam Pontifex factus fuit, & Syluester dictus, cum illo nouo nomine singulare virtutis specimen præbuisse.

CAPVT VI.

Gregorius VII. Alexander III. Cælestinus III. Innocentius III. à calumnijs vindicantur.

Nullus Pontificis nomen magis execrantur Hæretici, quàm Gregorij III. illum omnibus probris onerant, dicterijs impetunt, calumnijs onerant, Magnum Necromanticum, seditiosum, Simoniacum, adulterum, ac denium Hæreticum vocant, vti videre est apud Magdeburgenses centuria 11. cap. 10. eumque non Gregorium, quo vti Pontifex, nec Hildebrandum, quo vti priuatus vsus est, nomine appellant, sed Hellebraut, quod germanicè [ritionem Inferni] sonat, impudenter vocant. Præter alia convicia in eum iactata ab Heshusio, & Bibliandro. Hauserunt hæc ex Benone Schismatico eius temporis Cardinali, electo à Clemente Tertio Antipapa; cuius omninò sublesta, & suspecta est Fides cùm Schismatico Imperatori, & Pseudo Papæ adhæserit. Ex vita Gregorij, & Encomio facto in electione illius quod habetur tomo 3. Concil. ante eius epistolas, & ex omnium ferè eius ætatis authorum testimonio constat, Gregorium Virum sanctissimum, & eruditissimum fuisse, imò & multis miraculis viuum, & mortuum claruisse. Multus est in hoc Pontifice vindicando Bellarminus lib. 4. cap. 13. Baronius, & alij cum Binio 3. tom. Concil. part. 2. qui cum ab omnibus oris liberant. Ego tantùm ab hæresi, quàm ei affingunt vindicare volo: hoc enim est nostri Instituti.

Imponitur ei hæresis Berengarij qui negault realem Christi præsentiam in Eucharistia, quæ toties ab Ecclesia reprobata: & ab eodem auctore recantata fuit. Quàm hoc sit falsum paret ex eodem Gregorio, qui ante Pontificatum hanc hæresim damnauit, & Leone IX. & Nicolao II. qui eamdem proscripserant semper communicauit, & in Concil. Turonensi semel Legatus, & iterum in Romano Pontifex condemnauit, vti affirmat Guitmundus lib. 3. de Eucharistia, qui item narrat in Romano Concilio sub Nicolao Pontifice Gregorium priuatum cum cæteris congregatis illam hæresim anathematizasse. Itaque ista calumnia nullam habet speciem probabilitatis. Cùm præsertim constet eum anno 6. Pontificatus sui damnasse per sententiam Berengarium, quam citat ad Verbum Waldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 43. Extant apud Binium Acta Concilij Romani celebratum præsente Gregorio anno 179. in quo agitur causa Berengarij, & hic convincitur, & abiurat, & sub anathamate prohibetur pestiferam illam doctrinam deinceps tradere.

Aliud est irrefragabile huiusce veritatis argumentum, nempè Gregorij Epistola 47. lib. 1. ad Mathildim data de Eucharistiæ Sacramento, vbi apertissimè cum Ambrosio, Gregorio Magno, & Chrysostomo veritatem corporis, & sanguinis Christi confitetur. Vbi

inter alia ista sunt verba. [Pro nobis iterum in his mysterijs immulatur, eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salute patitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Vnigeniti semper imitatur.]

Alexandro Tertio duo obijciuntur, primùm alienum esse à lege, & consuetudine Christiana, vt in testimonio exigantur plures testes, quàm tres, & præcepisse sub pœna excommunicationis, ne quis rescindat, quæ testamenta cum tribus tantùm testibus fiunt, hoc autem contradicit practicæ totius Orbis Christiani, in quo testamenta, septem adhibitis testibus, fieri solent. Hoc autem decreuit Alexander cap. Cùm esses de Testamentis. Secundùm contra suos prędecessores statuisse matrimonium ratum, non posse dirimi per aliud matrimonium, cùm omnes alij senserint dirimi posse. Apparet hoc in cap. Licèt de sponsa duorum. Vbi Alexander contradicit Cælestino.

Respondetur primùm non esse errorem: potuit enim Alexander, vtì Princeps in Statu Ecclesiæ temporali legem illam condere. Quòd ita conducere ad suam Rempublicam iudicabat. Non tamen idcircò damnabat communem consuetudinem alijs in Regnis, & Prouincijs, quæ ius commune sequebantur, cui nihil sua cõstitutione detraxit. Quemadmodùm neque Reges alij patrijs suis legibus derogant communi iuri, quod in alijs Regnis obseruatur, & hæc est Canonistarum interpretatio, & Bellarmini. Addo Alexandrum rectè dixisse illum morem exigendi septem testes in testamentis, itaut sine illis testamentum non valeat, esse nimis rigidum, & violentum, nec haberi in sacris Scripturis, nec præcipi lege diuina. Imò illi visum non est esse conforme rectæ rationi obligare homines ad certum illum testium numerum, & vltimas voluntates ad eas angustias redigere, quæ tum maximè liberæ esse debent.

Ad secundum respondetur, non quoties Pontifices, aut scribunt, aut loquuntur oracula fundere, nec ex Cathedra loqui, sed suos interdum sensus more Doctorum exponere. Itaque concedimus Alexandrum rectè definisse: Cælestinum autem locutum more Doctoris priuati, nec illud Decretum fecit animo definientis, & Ecclesiam obligandi. Vtì enim Prophetæ non semper diuino Spiritu afflabantur, sed opinio disputantis, & quid sentiret aperientis, nec semper prophetabant, ita nec Pontifices semper habent assistentiam Spiritus Sancti, nec est necesse, vt quidquid dicunt definientium more decernant, & tamquam Deus è Machina loquantur. Doctores interdum agunt, non Pontifices, nam quando Pontificio more decernunt, & ex Cathedra loquuntur, habent signa quædam manifesta, vnde hoc appareat, nempe quando Bullas suas affigunt in valuis Sancti Petri, & in Acie Campi Floræ. His ergo tenemur. Itaque non contradicit Alexander Cœlestino, vtì Papæ, sed vtì Doctori priuato.

Cœlestinus Tertius accusatur, quòd senserit matrimonium Catholicorum vno ad heresim deficiente dissolui, & posse relictum à coniuge hæretico ad alias nuptias transire, quod est contra Concilium Tridentinum ses. 24. can. 5. vbi sic. [Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonium, anathema sit.] Hoc ipsum docuerat Innocentius Tertius c. Quanto de Diuortijs. Sensisse autem ita Cælestinum affirmat Alphonsus à Castro lib. 5. de Hæresibus cap. 4. & fatetur Bellarminus cap. 14. & licèt hodie in Decretalibus reperiatur iste Canon: fuisse tamen in antiquis ambo hi auctores, & Henriquez affirmant. Nec posse Cælestinum ab hæresi excusari affirmat idem Castro citatus.

Respondetur, concedendo ita definitum esse à Tridentino, & contrarium hæreticum esse, sed tamen negandum hæreticum fuisse Cælestinum, quia id temporis nihil erat ea de re definitum: ille enim antiquior est Innocentio, qui ei successit. Præterea Cœlestinus hoc sensit tamquam priuatus Doctor, non docuit vtì Pontifex vniuersalia: excusat tamen Henriquez Cælestinum tribus modis l. 11. de Matrimon. cap. 8. verba Henriquez sunt. [Primò, vt priùs non esset matrimonium per verba absoluta de pręsenti, sed sponsalia, quæ per secundum matrimonium consummatum soluta sunt, vel secundò, vt consuetudo, quæ id eo tempore permittebat, excusauerit ignorantes à culpa, & pœna: atque ita coniugatos esse relinquendos in sua bona fide, quod significat Couar. 2. part. §. 3. n. 5. Vel tertiò hic Pontifex agit in priuato casu, in quo ipse, aut Episcopus ex tacita ipsius commissione dissoluit matrimonium primum ratum, quod licuit, vt permaneret in secundo consummato.] Et verò hæc est idonea solutio, si dicamus Cœlestinum loqui de matrimonio rato, cui successit consummatum. Tunc enim accedente dispensatione Papæ, valet hoc postremum. Hoc enim probabile esse affirmant multi Doctores apud Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 14. num. 3. iuxta id, quod ait Alexander III. cap. Licèt de sponsa duorum. [Aliquando ita fuisse à prædecessoribus suis iudicatum,] & glos. cap. Ex publico de conuersat. Coniug. in fine, & Hostiensis super verbo, Consummatum, & cap. Finali, de sponsa duorum. Imò Couar. 4. Decretal. 2. par. cap. 7. §. 3. num. 5. scribit ante illud cap. Licèt. [Præferri posterius matrimonium consummatum priori rato:] quam sententiam verisimilem dicit Sanchez nu. 4. Vnde apparet concordia duorum Pontificum. Nam Alexander agit de matrimonij dissolutione secundùm se citra dispensationem. Cælestinus verò de matrimonio interueniente dispensatione.

Innocentij Tertij magnus error videtur fuisse sentientis legem veterem non esse abrogatam, sed hodiè vigere, ac debere obseruari, quod patet, quia in cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi. [Sanè, inquit, cùm Deuteronomium secunda lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur: vt quod ibi decernitur in testamento nouo debeat obseruari.] Hoc autem pugnat cum doctrina diuina Actorum 15.

Respondetur, manifestam esse Innocentij mentem, nec enim voluit seruari Deutero-

rono-

tonomium, vti erat lex vetus, id enim patet: cùm multa ibi præcepta sint cæremonialia, quæ in prima lege continebantur, quæ Innocentius nolebat obseruari. Igitur tantùm voluit, vt ea, quæ conueniebant cum lege gratiæ, quorum illæ erant figuræ custodirentur, non vti erant præcepta legis veteris, sed vti manebant in lege gratiæ, quemadmodùm præcepta Decalogi hodie seruantur in lege Euangelica, cùm tamen essent in lege Moysi: ea verò non seruantur, vti ius Mosaicum, sed vti ius naturale, & diuinum.

CAP. VII.

De Nicolao IV. & Ioanne XXII.

INter Nicolaum Quartum, & Ioannem Vigesimum-Secundum aperta videtur circa doctrinam contradictio. Etenim Nicolaus cap. Exijt, de verborum significationibus in sexto, paulò post principium probans, & exponens regulam sancti Francisci, tria docet: Primùm, regulam de paupertate profiteri solum vsum facti in omni re etiam vsu consumptibili abdicato omni iure, & dominio etiam communi. Secundùm: hanc regulam, & formam paupertatis esse perfectissimam. Tertiùm: ita Christum, & verbo, & exemplo docuisse. Hæc autem doctrina apertè distinguit in omni re etiam vsu consumptibili dominium ab vsu rerum, ita vt possit solus vsus sine vllo iure, dominioque consistere. At Ioannem XXII. hæc omnia negauit, tum in extra [ad Conditorem Canonum,]tum in extra. [Cum inter nonnullos,] tum in extra. [Quia quorumdam.] De verborum significationibus, vbi negat posse nudum facti vsum sine vllo iure dominij reperiri, & hoc ait esse impossibile. Deinde negat esse perfectionem,imò affirmat non esse rem licitam omni prorsus dominio carere. Denique declarat hæresim esse dicere: Christum Dominum tale genus paupertatis docuisse, & obseruasse. Tria igitur sunt, de quibus litigant, primum vtrum vsus facti, sit separabilis ab omni iure? affirmante Nicolao, negante Ioanne. Secundùm an paupertas nudo vsu facti contenta, sit sancta, & meritoria. In hoc autem Bellarminus ait videri negare Ioannem, & Nicolaum affirmare. Addit tamen, neque Nicolaum id definijsse, neque Ioannem directè impugnasse. Tertium vtrùm Christus hoc genus paupertatis docuerit, & seruarit? In hoc affirmat Bellarminus,Ioannem à Nicolao non dissentire, quia Nicolaus dixit aliquando Christum illam paupertatem obseruasse, aliquando aliam,quæ cum communi dominio, & iure stare solet. Ioannes autem, inquit, negauit Christum semper genus illud paupertatis professum fuisse. Itaque Ioannes dixit, non semper obseruatum à Christo, non negasse autem aliquando obseruatum: itaque sibi non contradicere.

Ego attentè lectis Canonibus, & collata vtriusque sententia video Ioanuem omninò improbare sententiam Nicolai, & vt hoc facere tutò possit, munire viam dicendo vnum Pontificem posse alterius dicta, & statuta reuocare, vti apertè habet cap. Quia quorumdam distinguens inter clauem scientiæ,& potentiæ, & reprobans illorum sensum qui dicunt, quòd per clauem scientiæ definiunt Romani Pontifices, adeo immutabiliter perseuerare, vt successores reuocare non possint, nec contrarium affirmare, at de ijs, quæ per clauem potestatis ordinant aliter esse: ex quo manifestè apparet Ioannem voluisse refutare à Nicolao prædecessore statuta. Vnde ait contra aduersarios; [concludere satagunt, licèt falsò,nobis non licuisse declarare, vel statuere supradicta.] Ergo Ioannes affirmat posse successorem Pontificem reuocare statuta prædecessorum, idque postea obijcit Nicolao, quòd ipse statuerit contra dictum Honorij, Gregorij, & Alexandri. Verum est tamen Ioannem hoc sensisse in ijs, quæ non sunt ex Cathedra definita, sed in alijs, vti apparet ex his, quæ subiungit. §. Adhuc patet. Illud etiam constat Ioannem fateri se non dissentire à Nicolao, idque manifestè patet ex eodem cap. Quia quorumdam ad medium. Ita enim exponit Nicolaum, vt sibi exponenti non contradicat. Condemnat autem eos, qui dicunt Christum Dominum in Euangelio genus illud paupertatis obseruasse, quod sine vllo iure in nudo facti vsu consistit, & qui sua Decreta, & Canones, in quibus hoc negabit, reprehendebant.

His positis ita Concilio hos duos Pontifices: nimirum, Ioannem aliter intellexisse nomen illud dominij, & iuris, atque intellexit Nicolaus, & idcircò ab eo diuersa docuisse, nec tamen diuersa sensisse. Apparet hoc, quia Ioannes nomine vsus, intellexit vsum illicitum sine iure naturali vtendi re vsuali, quod ius spectat ad conscientiam, & rectam rationem. At verò Nicolaus intellexit de iure dominij ciuilis, & proprietaris, non autem de naturali in foro conscientiæ. Ioannesque illa ductus sententia rectè negabat licitum esse vsum nudum rei sine aliquo iure vtendi illa, cùm hoc esset iniustum, & contra ius naturale vti re sine iure, quod sanè est verissimum. Patet autem mens Ioannis ex eo, quòd sæpè argumentatur: Si Christus, & eius Apostoli in ijs, quæ habuisse leguntur habuerunt tantùm vsum facti, ex eo sequi vsum Christi, & Apostolorum iustum non fuisse, quod profectò, inquit, blasphemiam continet. Hoc autem argumentum facit in omnibus illis Canonibus. [Ad conditorem, & Cum inter, & Qui quorumdam, vti Glossa animaduertit. Quod autem in prædicta assertione adijcitur, quod per [abdicationem vsus prædicti pro prietaris, is vsus facti ad sustentationem naturæ in Christo, & Apostolis, non conuincitur esse non iustus, sed tantò iustior,&c. Affirmat Ioannes impossibilitatem inducere, & errorem dictum eiusmodi continere,] quæ sunt verba Ioannis condemnantis illud adiectum ab Aduersarijs, & affert rationem, cur falsa sit illa additio suorum Aduersariorum. [Impossibile enim, inquit, est actum manuum extrinsecum esse iustum, si exercens actum ipsum, nullum ius habeat illum exercendi; imò non iustus, seu iniustus necessariò conuincitur talis vsus.] Hinc patet Ioannem accepisse ius in vsu,non dominio ciuili, & proprieratis, sed pro iure naturali, & conscientiæ, quo quis rectè, ac hone-

honestè re vtitur; & ideo negasse Christum, & Apostolos sine hoc iure vsum habuisse, quia existimauit iniustum esse vsum sine vllo iure. In quo sensu idem est iure vti, ac instè vti; & contra perinde est, sine iure vti, & iniustè vti, ac proinde vti cum peccato, qua ratione peccaret Christus, & Apostoli, si rebus sine vllo iure, idest iniustè, vterentur, & in hoc sensu illam opinionem intellectam hæresim Ioannes dixit.

Nicolaus de alio iure indicabat, & agebat, nempè de eo, quod est dominium ciuile, & proprietatis, & statuebat posse vtentem illo iure carere sine culpa, & cum perfectione, & ita vsum fuisse Christum aliquando rebus sine proprietate. Quare nulla est inter hos duos Pontifices contradictio, cum inter se minimè de eodem iure litigassent. Authores nostros miror, non vidisse hanc distinctionem: patet quippè accuratè legenti; & quidem sine hac distinctione non videntur, posse hi duo Pontifices conciliari: nam quod aiunt Nicolaum sensisse Christum interdum caruisse dominio, & nudum sine illo vsum habuisse, verum est; sed quod aiunt Ioannem eo sensu locutum, vt negaret semper ita se habuisse, id omninò falsum est, intelligendo de vsu proprietatis, quia Ioannes numquam concessit Christum, & Apostolos nudum vsum sine vllo iure habuisse, quia existimauit hoc esse impossibile, & dato esse possibile, sensit esse peccatum, & hoc argumento vtitur ad probandum vsum spoliatum omni iure in Christo non fuisse, ac proinde numquam concessit, Christum doctrinam, quam tradiderat Nicolaus, verbo, aut exemplo docuisse. Itaque hac ratione, quam exposui difficultas tollitur dicendo; Nicolaum de vsu ciuili, & proprietatis: Ioannem verò de naturali, & conscientiæ fuisse locutos,

Ioannes XXII. accusatur, non solùm ab Hæreticis, sed etiam à quibusdam nostrorum: Adriano, quæst. de Confirmat. & Gersone serm. de Paschate tom. 4. & Ochamo in opere nonaginta trium dictum, & ab Erasmo præfat. ad lib. 5. Irenæi, de eo, quod negauit animas iustorum visuras Deum ante resurrectionem. Imò Caluinus lib. 4. institut. cap. 7. §. 28. ei imponit sensisse animas esse mortales, & cum corpore interire, vsque ad resurrectionem, quem errorem abiurasse scribit à Rege Galliæ compulsum. Huic obiectioni satisfecimus in Controuersia de Beatitudine cap. 8. nunc breuiter dicimus quo ad primam partem: Ioannem in eam sententiam propensum fuisse, sed nihil tamen definijsse. Quod si contingeret definire, id non fore hæresim, quia nihil tunc de illa quæstione definitum erat. Retractauit ille tamen ante mortem priuatam illam opinionem, autore Ioanne Villano eius temporis Scriptore idoneo lib. 11. historiarum cap. 19. quod autem nihil definierit, quamuis de eo secum deliberaret, patet ex illa extrauagante Benedicti, quam refert Castro lib. 3. contra Hæreses Verbo Beatitudo. Cæterùm illud secundum: nimirum sensisse eum animas mori cum corpore, vsque ad diem iudicij, est manifesta calumnia Caluini, vt suum tegeret errorem: nam cùm ille sentiat animas non videre Deum, vsque ad diem Iudicij, imposuit illum errorem Ioanni, vt suum tutiùs defenderet. Iam verò definitum est à Concilio Florentino animas iustorum, statim post mortem frui visione Dei, ac proinde esse beatas.

CAP. VIII.

De Ioanne XXIII. & Benedicto XIII. & Eugenio IV. & Innocentio VIII.

Circa Ioannem XXIII. Magna dubitatio esse videtur: nam in multis locis Constantiensis Concilij arguitur hæresis, & schismatis, vt omittam alia pleraque Simoniæ, & Auaritiæ, & prodigalitatis vitia. Loci in quibus arguitur hæresis sunt hi in citatione ei facta sess. 7. apud Binium tom. 2. part. 3. pag. 584. [Criminibus, inquit, hæresis, fautoriæ huiusce præsentis schismatis,]& iterum hæc verba ibidem repetuntur sess. 9. pag. 862. illius recessus à Concilio dicitur [nefandissimi schismatis nutritiuus, hæresisque & suspicionis fidei sensitiuus,] sess. 10. 866. Guilielmus Cardinalis S. Marci surrexit, dicens, quod in sententia continetur, quod idem Ioannes Papa propter hæresim suspendetur à Papatu,] sess. 11. pag. 898. rursum de examine super eius hæresi faciendo mandatur, & in articulis criminalibus Ioannis refertur, Inter alia publica esse eum notorium Simoniacum, pertinacem hæreticum, & tandem pag. 875. sic habetur. [Dixit, & pertinaciter credidit vitam æternam non esse, & animam hominis cum corpore humano mori, & extingui ad instar animalium brutorum, dixitque mortuum semel, in nouissimo die minimè resurrecturum contra articulum de resurrectione mortuorum.]

Bellarminus duobus modis respondet: primò, Ioannem vtcumque erratit, non fuisse legitimum, & indubitatum Pontificem, cùm eo tempore tres Pontifices essent. Gregorius Duodecimus, antea Angelus Cornarus Venetus. Benedictus Decimustertius dictus Petrus de Luna Aragonensis, & hic Ioannes Vigesimustertius, dictus Balthasar Cossa Neapolitanus, atque adeo non opus esse illum defendere. Verùm hic modus respondendi, non placet, quia Ioannes Vigesimustertius quando electus fuit, & quamdiù depositus fuit, verus Pontifex extitit. Successit enim AlexandroQuinto, de quo dubitari non potest fuisse legitimum Pontificem. Huic autem subrogatus fuit concordi electione Cardinalium, vtriusque obedientiæ Ioannes Vigesimustertius, & receptus à tota Ecclesia loco Alexandri Quinti breui defuncti. Nec ei nocere possunt Gregorius Decimussecundus, & Benedictus Decimustertius, qui iam erant exauthorati à tempore Alexandri. Præterea ab eodem Ioanne congregatum fuit, Sigismondo Imperatore procurante, Constantiense Concilium, cuius ipse bullam conuocationis emisit, quæ est initio Concilij pag. 846. & in eo sæpe Papa appellatur, & pro legitimo habetur. Nihil autem magis declarat verum eius Pontificatum, quàm ipsiusmet depositio-

Nam

Nam in examine, & in sententia sic cum illo agitur, vt appareat legitimam eius electionem fuisse, & esse in Ecclesia potestatem. Itaque prima solutio non satisfacit.

Secunda est: Ioannem, etsi alijs vitijs abundarit, hæreseos certè immunem prorsus fuisse, quamquam enim male audierit, ac eius criminis appellatus fuerit, non est tamen contra eum quidquam probatum. Quæ solutio verissima est. Idque probant loca Concilij hnam sess. 9. in exemplo citationis contra ipsum prolatæ, non ipse hæreticus dicitur: sed eius recessus à Concilio contra iuramentum, & statuta, quod occasionem dedit suspicandi hæreticum esse hominem, qui contra datam fidem, & Decreta Concilij ab ipso recedebat, quod videbatur Ecclesiam contemnere. In eodem verò Concil. pag. 866. Accusatio eius de hæresi suspenditur in alias sessiones, quia minimè probabatur, & ita affirmauit Guilielmus Cardinalis S. Marci, & pag. 867. iterum eius recessus damnatur hæreseos, non autem eius persona. Tandem in sententia definitiua contra ipsum lata sessión. 12. pag. 868. numeratis eius criminibus nulla omninò fit mentio de hæresi, neque in recessu. Ex quo apparet hæresis crimine caruisse, ac proinde illa, quæ ei sunt de mortalitate animæ imposita, meras calumnias esse, quæ ei videntur afflictæ, quòd ille homo erat corruptis moribus, & auaritiæ, ac libidini deditus, incæstuosus cum vxore Fratris, stuprator Virginum, & Monialium corruptor: quod patet ex articulis sess. 11. productis: vno verbo negandum Ioannem hæreseos compertum esse.

Obiecta Benedicto Decimotertio, quæcumque illa sint, non curamus, quia hic Pseudopontifex fuit, nec id eget probatione cùm is Robertus, qui Clem. Septimus dictus, Antipapæ suffectus à factiosis Cardinalibus fuerit: vir tamen superbus vsurpatum semel Pontificatum noluit dimittere, & cùm se derelictum videret, ab omnibus in suo schismate inter rupes patuæ insulæ Penisculæ, quò se receperat ijs obstinatior, vsque ad mortem obduruit; non ille tamen præter hoc schisma hæresi aliqua infectus est. Nam quòd noluit obedire Concilio, ideo fecit, quia putabat se esse Papam, qui quando verus est obedire Concilium ei debet, non ipse Concilio.

Eugenius Quartus fuit declaratus Hæreticus à Concilio Basileensi sess. 38. & ob id à Pontificatu deiectus, vt constat ex ibi lata sententia, & ex alia sess. 41. & in Epistola Synodali ad Epistolam Gabrielis, quondam Papæ Eugenij. Sic enim inscribitur pag. 139. & sæpè alibi. Respondetur hoc Concilium, licèt initio legitimum fuerit, & Oecumenicum, tale esse desijsse paulò post, quando Eugenius illud proscripsit, & legatum suum reuocauit, & Ferrariæ aliud legitimum congregauit, quod postea Florentiam translatum Florentinum dictum, quare in Concilio Lateranensi, sub Leone X. celebrato vocatur Conciliabulum Schismaticum, seditiosum, & nullius prorsùs auctoritatis. Cæpit autem exauctorari sess. 2. Anno 1437. in hac enim decreuit Concilium esse supra Papam. Constat item testimonio Æneæ Syluij, qui fuit postea Pius Secundus in Bulla retractationis erratum fuisse in eo Concilio contra Eugenium Quartum, cuius erroris in quo ipse fuit, se pœnitere testatur damnans Acta Concilij contra Eugenium facta, quem magnoperè laudat, & verum fuisse Pontificem fatetur. Id etiam Nicolaus V. successor Eugenij in sua Bulla declarat, quæ habetur post sess. 45. Concilij pag. 96. Vbi testatur ab ijs, qui supererant Patribus in Basileensi, & postea in Lausanensi conuentu congregatis exauctorato Fœlice V. ante Amadæo Duce Sabaudiæ, se Nicolaum receptum fuisse Pontificem. De cessione autem Fœlicis extat celebre carmen.

Lux fulsit Mundo. Cessit Fœlix Nicolao.

Obseruo errorem in annis: nam in vita Nicolai V. pag. 732. dicitur ipse electus pridiè Nonas Martias anni 1447. & in vita Eugenij dicitur mortuus esse Eugenius anno 1446. Kalendis Martij, & vacasse sedem duodecim diebus. Vnde necesse est hoc anno eligi Nicolaum, sed si sedit annos octo, vti creditur, mortuus est enim anno 1455. Kalendas Aprilis, non potuit eodem anno succedere Eugenio, ac proindè est error in Eugenij annis.

Vltimus, qui accusatur est Innocentius Octauus qoia permisit Noruegijs anno 1490. vt missam sine calice celebrarent, vti narrat Volaterranus lib. 7. Geographiæ, & Onuphrius in Chronico anno 1490. & Genebrardus in Chronico, & alij, quod Claudius Sainctes repetitione decima de Eucharistia cap. 3. tribuit Innocentio Quarto per errorem. Aliqui etiam dicunt ab Alexandro Sexto concessum priuilegium illud fuisse.

Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Respondet tria. Primùm. [Non edidisse Papam ea de re decretum: quo vniuersæ Ecclesiæ declararet, licere sine vino sacrificium offerre. Itaque si errauit, errasse facto, non dogmate. Secundùm eum non permisisse loco vini liquorem alium consecrari. Tantùm concessisse, vt in altera tantùm specie ob extremam necessitatem consecraretur. Tertium mirum esse, quod suo tempore vinum non habuerint, cùm hodie habeant, ac sine eo ne communicare quidem velint.] Quæ omnes solutiones videntur supponere Pontificem dispensare potuisse. Et quidem prima non mihi satisfacit, quia etsi Innocentius ea de re non ediderit Decretum, tamen in concedenda illa facultate erraret circa doctrinam, si ea facultas errorem contineret. Eam quippe vti Pontifex dabat, & dando edocebat rem illam non esse de iure diuino: quæ si de hoc esset, error erat in eo facto dispensando inuolutus. Secundùm quod ait, non esse errorem circa materiam Sacramenti verum est, sed non excluditur alius error, circa integritatem Sacrificii, quòd si natura sua postulat vtramque speciem, non potest in eo Papa dispensare. Itaque priùs hoc est examinandum. Nam si ratio sacrificii sine vtraque specie nequit consistere, non potest dispensari à Pontifice. Tertium eamdem difficultatem patitur. Quid enim prodest carere vino ad tollendam necessitatem illius sacrificii, si vinum necessarium prorsùs est ad rationem sacrificii? Melior ergo respondit Pater Vasquez

quez dist. 223. de Eucharistia cap. 3. factum tollendo, & historiam negando: eiusque auctores esse deceptos: nec enim super ratione, ac institutione Sacrificii, quod vtramque necessariò speciem exigit, Pontifex dispensare potest. Probat autem Vasquez necessitatem vtriusque speciei ex Christi institutione adducto loco Tridentini Concilii cap. 1. sess. 21. vbi perspicuè ait Concilium. [Christum Dominum in vltima Cœna Sacramentum illud in vtraque specie instituisse,] & ipsamet differentia, quæ ibi traditur inter institutionem sacrificii, & communionem eiusdem, cam doctrinam confirmat. Ait enim non eadem necessitate sumi debere vtramque speciem, ac consecrari: ex quo deducitur, in Communione locum esse optioni, ita vel ita communicandi, non verò in Consecratione. Quàm doctrinam secuti nos sumus in Appendice lib.4. de Clauib. pag. 316. & 317. cum Suarez, & Lugo Cardinali, & aliis quos citauimus, eoque argumento historiam refutauimus. Et quamquam grauis auctor Henriquez lib. 8. cap. 15. & 44. eam conetur stabilire, & defendere, certè non persuadet. Quare negandum prorsùs est exemplum. Nec enim apud Noruegios vini vsus, aut tunc aut posteà defuit. Aliud enim est regiones aliquas non ferre vinum, aliud eo prorsùs carere, cum aliundè importari possit. Alioquin Anglia vino careret, quòd illud non producat, cùm ea tamen multis, & nobilissimis vinis abundet. Itaque Cardinalis de Lugo illam historiam commentum esse existimat lib.4. de Euchar. cap.3.

Ad auctores ego certè dicerem, eos fefellisse aliquam facultatem communicandi sub vna tantùm specie Noruegis eam postulantibus ab Innocentio ob viui raritatem concessam, eumque morem, tunc fortassè in iis Regionibus fuisse communicandi sub vtraque specie: à quo cùm inualuisset, & in religionem transiisset liberari voluerunt: idque iis concessisse Innocentium: atque adeò ea occasione deceptos fuisse illos auctores sumendo communionem pro consecratione. Quòd si cui mea hæc coniectura non placet: non eum cogo ad assentiendum. Video tamen aliquam errandi ansam in ea historia credenda, vel fingenda iis auctoribus datam fuisse. Vtcumque fuerit, ea fabula putanda, si narret in consecratione, sine altera specie vini ab Innocentio dispensatum.



SCHOLA



SCHOLA XIII.

DE ANTICHRISTO.

CAPVT PRIMVM.

Quis sit Antichristus, & an vnus, vel plures, & vtrùm iam venerit, an venturus sit?



Oportet sapere ad sobrietatem, inquit, Apostolus; sed Hæretici sæpe nimis sapere volunt, ac idcircò errant. Antichristum, aiunt, eum esse, qui est pro Christo, & vice Christi, idest Vicarium Christi, vt Papam Antichristum probent. Aiunt quippe illam propositionem Anti significare pro. Ita Musculus lib. de potestat. Ministrorum, & Magdeburgenses centuria 1. lib. 2. cap. 4. Id nos Catholici negamus etiam intra terminos Grammaticæ. Quamuis enim Anti ponatur loco, pro, semper fit cum respectu ad oppositionem, vel æmulationem. Sed quidquid sit de sensu prophano in sacris literis Anti ponitur pro contra. Patet ex Epist. 1. Ioannis cap. 4. [Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.] Hoc sensu dicitur apud eumdem. [Antichristus venit, & Antichristi multi facti sunt, [hoc est, illi de quibus dixit. [Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis.] Quæ omnia sunt apud Ioannem; & apud Paulum. [Antichristus est ille homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus.] Ex quibus patet Antichristum non esse Vicarium Christi, sed contrarium.

Quoad secundam partem quæstionis: apparet vnum Antichristum esse principalem: cæteros figuras, & prodromos. Sicut enim Christus habuit alios prodromos, & figuras sui, de quibus dixit Psalm. 104. [Nolite tangere Christos meos.] Et sicut quidam ex Regibus dicebantur Christi Domini, ita & Antichristus alios habuit antecessores, & figuras. Itaque vnus est principalis, quem alij inferiores præcedunt, & figurant. De illo vnico, & principali dicitur [homo peccati, & reuelabitur ille iniquus.] De hoc eodem dicitur. [Extollet se supra omne, quod dicitur Deus.] Quæ habentur Epistola 2. ad Thessalon. cap. 2. ad eumdem pertinet illud Danielis cap. 11. [Nec quemquam Deorum curabit, quia aduersùm vniuersa consurget.] De illo iterum; [ita vt in Templo Dei sedeat.] Ad illum spectat sententia illa Christi Ioannis 5. [Si quis venerit in nomine meo illum recipieris,] idest pro Messia habebiris. Huic Antichristo conueniunt notæ propriæ, ac genuinæ posteà afferendæ. Hic venturus est in fine mundi, quemadmodùm constat ex scripturis, & Patribus.

De alijs Antichristis, qui numero sunt plures intelligitur illud Pauli 2. ad Thessal. 2. [Mysterium iam operatur iniquitatis,] idest per alios antecessores, & figuras suas. De his loquitur Ioannes Epist. 1. cap. 4. [Qui soluit Iesum Antichristus est.] Et rursùm. [Antichristi multi facti sunt.] De hoc perspicuè dicitur ab eodem Euangelista. [Hic est Antichristus, & iam in mundo est. Vnde Augustinus lib. 2. contra Aduersarium legis, & Prophetarum cap. 12. Hunc Antichristum appellat: [Vnum illum maiorem cæteris,] namque alij minores illo sunt, quia minùs se Christo opponunt, de quibus dixerat Ioannes. [Antichristi multi facti sunt.] Et post Augustinum, Damascenus lib. 4. fidei Orthodoxæ. [Peculiari, inquit, modo Antichristus dicitur, qui in consummatione sæculi venturus est.

Ex his patet responsio ad tertiam partem quæstionis, respondendo cum distinctione Antichristum principalem hactenus non venisse, venisse autem alios minùs principales. Hæc pars constat, quia multi iam fuerunt Antichristi, & aduersarij Christi. Hi autem fuerunt in duplici differentia, quidam enim persecuti sunt Christum in sua Ecclesia, torquendo, & interficiendo membra eius, vti Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Iulianus, qui Martyres fecerunt. Alij persecuti sunt Ecclesiam inuehendo hæreses, & errores & aduersantes Christi doctrinæ, huiusmodi fuerunt Simon Magus, Ebion, & Cerinthus, & Arius, & Pelagius, & Lutherus, & Caluinus, qui omnes fuerunt prodromi Antichristi, nec tantùm post Christi aduentum Antichristi extiterunt, sed etiam ante illum in veteri testamento Antichristi reperiuntur, qualis fuit Antiochus illustris tempore Machabæorum, qui fuit figura Antichristi iuxta Hieronymum commentarijs in cap. 11. Danielis, & Cyprianum libro de exortatione ad Martyres. Immò, & Caluinus idem sentit, affirmans Antiochum Regem iam ijs temporibus typum Antichristi extitisse. Ex quo apparet Antichristum illum principalem non dum venisse,

nisse, alios prodromos; & minùs principales iam venisse. Immò, & alios fortassis esse venturos.

CAP. II.

De notis, & signis Antichristi.

INquirendum primò: vtrùm Antichristus certus quidam, & singularis homo futurus sit? Hæretici negant, & aiunt Antichristum significare Principatum, seu Regnum Apostatam à Christo, & illi contrarium, in quo multi possunt esse homines successiuè Apostatæ, & Antichristi. Ita Magdeburgenses centuria 1. cap. 4. & Beza in 2. ad Thessalon. cap. 2. & Caluinus apud Augustinum Marloratum. Mirum est, quòd cum ijs sentiat Caietanus in primam epistolam Ioannis cap. 2. vbi ait delirare eos, qui existimant Antichristum vnum esse, & certum hominem cùm sit Apostasia quædam à fide, non sub vno Rege, sed multis.

Conclusio tamen sit Antichristum fore vnum certum, & singularem hominem. Ita Patres Irenæus lib. 5. Cyrillus, & Chrysostomus in cap. Euangelij Ioannis 5. Hieronymus ad Algasiam quæst. 11. Augustin. tract. 29. in Ioannem, & alij apud Bellarmin. lib. 3. de Romano Pontifice cap. 2. & Heriquez lib. de fine hominis cap. 23.

Probatur 1. ex loco Ioannis cap. 5. vbi Christus: [Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Vbi Christus opponit sibi, iam misso à Patre alium hominem venturum in mundum, quæ verba non possunt quadrare in Prouinciam, aut Regnum, aut gentem. Præterea Christus significat illum, qui venturus esset, pro Messia esse habendum à Iudæis, qui sanè est homo certus, & determinatus.

Probatur 2. ex Paulo epist. 2. ad Thessal. cap. 2. [Cùm reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, quæ verba designant indiuiduum, & certum hominem: ita notat D. Th. & alij apud Henriquez citatum cum Glossa, & Lyran.

Probatur 3. ex Daniele cap. 7. vbi Antichristus vocatur vnus Rex, qui vicit alios tres Reges, & alios septem subiecit, vti obseruant Hieronymus, & Theodoretus, & Pererius. Obseruat etiam Augustin. libro 10. de ciuit. cap. 23.

Probatur 4. ex eodem Daniele cap. 11. & 12. vbi ponitur typus Antichristi Antiochus Epiphanes Rex, quemadmodum tradunt Patres, & ipsemet Caluinus, & alij Hæretici fatentur. Igitur vt typus conueniat figurato, debent ambo esse determinati, & certi homines. Hanc conclusionem multis persuadet Suarez 3. par. quæst. 59. dub. 54. §. 1. cum Doctoribus Scholasticis in 4. dist. 46. vbi Soto qu. 1. art. 1.

Esse autem verum hominem ex ijsdem locis constat, & Paulus perspicuè dixit, dum ait. [Homo peccati] quæ est communis Patrum doctrina cum Damasceno lib. 4. cap. 27. Nec Hæretici multùm repugnant. Hippolytus existimauit fore diabolum, qui ex falsa virgine falsam carnem assumpturus erit, quod est absurdum. Rabanus verò inter opera Augustini tomo 9. Putat concipiendum esse ex virgine opera Diaboli, vt Christo se opponat. Sed reprobatur communiter vti obseruat Bellarminus, & Suarez, & Henriquez. Quidam putant ex Dæmone incubo, & muliere corrupta nasciturum, sed hoc liberè dicitur, nec habet fundamentum in scripturis. Multò minùs ferenda est opinatio illorum, qui dicunt fore vnum compositum ex duabus naturis, altera diabolica, altera humana, & in vna persona subsistentibus: quia sic directè opponitur Christo, & sit Antichristus: qui sanè error est confutatus à Hieronymo in cap. 7. Danielis, & Beda in cap. 5. Apocalyp. & Damascen. lib. 4. cap. 27. Seuerus Sulpitius lib. 7. Historiæ significat fore Neronem à mortuis suscitandum, sed non placet Augustino lib. 20. de ciuitat. cap. 19. Alij tamdem sunt, qui putant concipiendum esse ex Monacho, & Moniali, vti refert Henriquez cap. 23. qui ait Bellarminum cap. 12. negare certum hoc esse, sed esse tamen probabile. Sed immeritò nec enim id affirmat Bellarminus, sed solùm ait Antichristum ex fornicaria muliere, non est legitimo matrimonio nasciturum probabile, sed minimè certum.

His reiectis sententijs, constat Antichristum fore certum, & verum hominem conceptum more ordinario ex semine vtriusque parentis in peccato originali conceptum, & genitum, qui rectè à Paulo appellatur homo vti alij homines eiusdem speciei.

Notæ Antichristi huiusmodi sunt; quædam pertinent ad similitudinem, quam affectabit Christi, vt faciliùs decipiat Iudæos, quædam spectant ad inimicitias, quas cum Christo exercebit ad euertendam eius Ecclesiam. Propono primum primi generis. Prima nota est, quòd sicuti Christus habuit præcursorem, idest Baptistam, ita & Antichristus suum præcursorem habebit. Secunda quòd nascetur ex Iudæis vt Messias videatur. Tertia quòd prædicabit tres annos, & dimidium tot quippe Christus legitur prædicasse. Quarta quòd mori se finget, & tertia die resurgere. Quinta quòd erit caput omnium malorum, sicuti Christus est caput omnium bonorum teste D. Thom. 3. parte quæst. 8. artic. 8. Vltima quod Rex erit Iudæorum, & solium Regni Hierosolymis collocabit, vt se ostendat de regio sanguine, & Iudæos in suas partes traducat.

Aliæ notæ, quibus contradicet Christo, expressæ sunt in scriptura. Prima deficere à fide, quæ habetur ad Thessal. 2. Secunda ibidem contenta, sedere in templo Dei. Tertia ostendere se Deum, ibidem. Quarta extollere se supra omnem Deum, ibidem. Quinta facere falsa miracula, ibidem. Sexta negare Christum, prima Ioannis 2. Septima imprimere subditis characterem: Apoc. 13. Octaua bellare contra sanctos. Nona regnare 42. menses, Apocal. 11. Vltima habere nomen ex certis literis compositum Apocal. 13. de quibus notis nobiscum Hæretici conueniunt. In eo dissentiunt: quòd volunt eas in Romanum Pontificem ita quadrare, vt ille sit verus Antichristus, quod nos Catholici irridemus.

CAP.

CAP. III.

Vita, & Gesta, & Mors Antichristi.

NAscetur Antichristus ex vero Patre, & Matre Iudæis, vt simulet se esse Messiam, fingetur ortus ex Tribu Dauid, erit tamen ex Tribu Dan, idque indicant Scripturę prima Genes. 49. [Dan colnber in via, Cerastes in semita.] Secunda Hieremiæ 8. [ex Dan audiuimus fremitum equorum eius. Tertia coniectura est ex Apocal. vbi numerantur Tribus Israel, & nulla fit mentio de Tribu Dan, quasi maledicta propter Antichristum. Huius sententiæ sunt multi Patres apud Bellarmin. lib. 2. cap. 12. & Henriquez cap. 23. & inter eos Theodoretus in epithome diuinorum decretorum cap. de Antichristo, & Damascen. lib. 4. cap. 27.

De patria maior quæstio est. Alij dicunt Vrbem Dan, quæ erat in finibus terræ promissionis ad septentrionem; vnde venturum esse Antichristum affirmat Lactantius lib. 7. cap. 16. & Rabanus de Antichristo inter opera Augustini tomo 9. Non desunt qui dicant nasciturum Romæ vti Martinez lib. 3. Hipotyposeon cap. 2. quia Roma vocatur Babylon ibi nasciturum Auctore Hieronym. Daniel. 7. & Eusebio lib. 2. Historiarum cap. 5. probat Ribeta Apocal. 14. & confirmat Henriquez cap. 23. educabitur vel clam, vti sentit Damasc. vel in Chorosain, vel Bethsaida, quo trahitur illud Christi, [væ tibi Chorosain, væ tibi Bethsaida.] Ita refert Enriquez citatus. Erit principio, & in adolescentia sua occultus, & ignobilis, iuxta illud Daniel. 11. [Stabit in loco eius despectus,] & postea caput eriget, & cristas attollet, & crescet opulentia, & viribus, & cum militaribus copijs veniet in Hierusalem, & ibi reædificabit Templum Salomonis, vt monstret se esse Messiam Et quamquam hæretici dubitent, an Hierosolymis eius Sedes futura sit? id sanè extra controuersiam est. Nam Apocalyp. 11. refert Ioannes Enoch, & Eliam cum Antichristo esse pugnaturos, & contra eum prædicaturos, & in Hierusalem occidendos esse, vbi pugnarunt antea, [& corpora, inquit, eorum iacebunt in Plateis Ciuitatis Magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Quo loco, Aretas insignis interpres exponit in Hierusalem. [In ea enim, inquit, regnabit tamquam Rex Iudæorum.] De quo consentiunt omnes penè interpretes. Clarè ex antiquis id affirmat Irenæus lib. 5. & Hieronymus in cap. 11. Daniel, & plures alij apud Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice cap. 14. & Henriquez de fine hominis cap. 23. Itaque Hierosolymis vtriusque Imperij, tum spiritualis, tum temporalis Sedem locabit. Id autem Iudæis persuadebit eum esse desideratum, & verum Messiam. De hac autem Sede in Templo Hierosolymitano loquitur Paulus in epistola ad Thessalon. 2. cap. 2. dum ait: [ita vt in Templo Dei sedeat.] Hac enim voce Templi non vtuntur scripturæ, & Apostoli, nisi quando agunt de Templo Hierosolymitano. De hac Sede loquitur Christus apud Matth. cap. 24. [Cum videritis, inquit, abominationem desolationis stantem in loco sancto,] qui locus de Antichristo allegoricè intelligitur ab Ambrosio Lucæ 21. & Greg. 32. moralium.

Receptus Iudæis Antichristus, & Imperio suo in Occidente constituto coget copias ad bellandum Occidentem, & euertendum Imperium Romanum. Venient Gog, & Magog. Apocal. 20. Idest Scythiæ gentes, de quibus loquitur Ezechiel cap. 38. Quo nomine significantur Turcæ, & Tartari, & si enim Ambrosius de Gothis interpretetur lib. 2. de fide cap. vltimo, tamen de Scythis, & Barbaris, idest Turcis, & Tartaris intelligendum, qui inimici sunt nominis Christiani, & Romani.

Quo tempore veniet Antichristus erit Romanum Imperium diuisum inter decem Reges, vti patet ex cap. 7. & 11. Danielis; vnde colligitur ante aduentum Antichristi debere Imperium Romanum ad vnum tantùm Imperatorem reduci. Fiet enim, vt in vnum Romanum Imperium eocant omnia, quæ nunc diuisa sunt Regna, id est Hispanicum, Gallicanum, Anglicanum, &c. Nam vnus tunc erit in his omnibus Monarcha, & Imperator. Erit autem vltimus Antichristus. Quòd antem decem tunc Reges futuri sint, ait perspicuè Hieronymus in cap. 7 Daniel. Ergo dicamus, quòd omnes Scriptores Ecclesiæ tradiderunt in consummationem mundi, Regnum destruendum esse Romanorum, & decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter se diuident: hos omnes Antichristus vincet, & fiet illa celebris discessio, seu defectio, quæ prædicitur à Paulo 2. ad Thessal. 2. quæ discessio erit ab Imperio Romano, quod finietur ad Regnum Antichristi, quæ communis est Patrum sententia Tertullian. lib. de resurrectione car. cap. 24. & Hieron. ad Algasiam quæst. 11. & Cyril. cath. 15. & Chrysostom. 2. ad Thessal. 2. Non est autem accipienda illa discessio à fide, & Ecclesia, vti putat Soto in 4. distinct. 46. & quæst. 1. art. 1. affirmat ab Antichristo euertendam esse Ecclesiam, & fidem Catholicam extinguendam. Quæ sententia improbabilis est, contra illud Mat. 16. [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ad versus eam,] & illud Lucæ 23. [Oraui pro te Petre, ne deficiet fides tua,] & refutatur manifestè illa Christi sententia apud Mat. 24. [Vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.] Vnde colligitur fore tunc electos, atque adeo Catholicos Christianos. Hoc idem docet Augustin. lib. 20. de ciuitat. cap. 11. vbi sic, [Nec militiam suam deseret Deus, quæ vocabulo appellatur Castrorum.] Sotum verò refutant Henriquez citatus, & Bellarmin. cap. 17. Vnde Ezechiel, Daniel, Paulus, & Ioannes in Apocal. aiunt in vltimo illo prælio contra Antichristum Ecclesiam fore victricem.

Habebit Antichristus præcursorem, qui Apocal. 13. in figura bestiæ de terra ascendentis visitur, cap. 19. Pseudopropheta dicitur, qui errores multos contra Christum, & Pontificem Romanum disseminabit, vt cum Hiero-

ronymo, & Theodoreto, in caput Daniel.17. probat Pererius, eumque armigerum Antichristi appellat Irenæus lib.5. cap.28.

Patrabit miracula Antichristus, auferet Sacramenta, ac in primis Eucharistiam, & sacra officia, & omnem cultum, Ecclesiasticum. Locabit imaginem suam in templo, & ex illa fundet oracula. Faciet etiam stare solem instar Iosue, & alia similia, vti apparet ex illis verbis Christi Matth.24. [Dabunt signa, & prodigia magna, & Paul.2. ad Thessal.2. [Insignis, & prodigijs,] & Ioannis Apocal.13. [Fecit signa magna in conspectu hominum.] Et ita docet Cyrillus Catech.15. & Theodoret. 2. ad Thessal.2. Immò addit Gregor.lib.32. Moral.cap.12. Etiam eius ministros, & tortores Martyrum coram Antichristo miracula esse facturos. Adeò vt homines mirentur, & dicant apud Ioannem Apocal. [Qui similis Bestiæ?] id est interprete Beda propter similitudinem cum Christo.

Abundabit opibus, & auro: vnde Iob.41. [Sternet sibi aurum quasi lutum.] Hac ratione seducet gentes, & subiget Orbem. Prædicabit annos tres, & dimidium, & multos seducet. Resistent ei Enoch, & Elias Christum prædicantes, & vera miracula facientes (Antichristi enim erunt ficta, & apparentia) eos tamen occidet Hierosolymis. Post vnum mensem morietur ipse interfectus à Christo iuxta Paulum Thessal. 2. [Interficiet eum D. Iesus in Spiritu oris sui,] Idest per Archangelum Michaelem, auctore Henriq. 24. qui nititur testimonio Daniel cap.12. quamquam Lactantius lib.7.cap.19.significet Christum de cœlo descensurum, vt occidat Antichristum. Post eius mortem durabit mundus 45. dies. Eius vita erit annorum 34. vt similem se Christo ostendat, quod graues auctores docent apud Henriquez. Eo mortuo sequetur dies eius Iudicij. Hæc omnia ex scripturis, & doctrina Patrum deducunt, & probant Bellarm. Suarez, & Henriquez, Iesuitæ, & Maluenda Dominicanus in opere suo de Antichristo.

CAP. IV.

Quomodo Heretici Pontificem Romanum Antichristum faciant.

EQuidem alibi argutari Hæreticos dixerim; hic omninò desipere, & delirare affirmarim, ac vt amantium somnia sunt, ita & odientium. Quod argumenta hæreticorum palàm faciunt, quot enim formant, tot fingunt mendacia, qui enim hanc vitam, & gesta Antichristi legat, comperiet nihil eorum posse in Romanum Pontificem quadrare: verum ne videamur eos inauditos condemnare, illorum argumenta audiamus.

Primum argumentum esto. Antichristus iam venit. Hic est Papa, ergo, &c. Maiorem probant ex Ioanne epist.1. [Antichristus venit,] & Rursum; [venit, & iam in mundo est,] & ex 2. ad Thessal. 2. [Mysterium iam operatur iniquitatis.] Hoc argumentum futile est, quia iuxta proximam doctrinam maior est falsa, si de illo vno Antichristo, & vero, qui in fine mundi venturus est loquatur. Hic enim nondum venit. Si autem intelligatur de alijs, qui sunt Typi, & Prodromi ipsius, maior est vera, sed nihil tamen concludit, quia non agimus de his Antichristis, sed de illo principali. Præterea hoc sensu cur non erit Antichristus Mahometus, & Arrius, vel Nero, aut Iulianus Apostata, qui fuerunt Christi inimici. Papa quippe non inimicus Christi, qualis futurus est Antichristus, imò multi ex Papis pro Christo mortem subierunt.

Deinde rogo Hæreticus: quando venit iste Antichristus? Respondet Lutherus libro de supputatione temporum, & alter in suo Elencho Lutherum sequens, tempore Phocæ Imperatoris anno 600. venisse. Alij cum Henrico Bullingero præfat. in Apocalypsim anno 763. Alij vti Musculus anno 1200. post tempora sancti Bernardi. Hi omnes facilè refutantur, quoniam loci scripturæ, quos afferunt, loquuntur de tempore præsenti, in quo Apostoli viuebant florente Ecclesia primitiuâ. Iam ergo tunc debuit venisse Antichristus non sexcentis, vel septingentis, vel mille annis post; ergo delirant Hæretici: oportet enim dicere omnes Papas post Diuũ Petrum Antichristos fuisse, vel nullum eorum extitisse Antichristum. Deinde quia si hoc tempore Diui Pauli, & Ioannis iam venerat Antichristus, is esse debuit Nero, vel Domitianus, vel Traianus, qui persequuti sunt Pontifices Christi Vicarios, & Christianos, & consequenter non poterunt esse Papæ, qui Petri successores erant, & Christi Vicarij, & Christum confitebantur, & regebant Ecclesiam Christianam. Præterea nominet aliquem Pontificem, qui Antichristus esse potuerit, & fuerit [Homo peccati, & negauerit Christum. Hunc certè non dabunt.

Vnus tamen Chythræus in cap. 9. Apocalyp. & Magdeburgenses centuria 6. cap. 1. aiunt Gregorium Magnum Antichristum fuisse. Impudenter sanè, cùm ille fuerit vir sanctissimus, & quo nemo Antichristo dissimilior procul ab omni vitio, & arrogantia, adeò vt Patriarcha vniuersalis dici noluerit. Et quod amplius est sanctum Lutherus appellauerit, idque obseruat Becanus libro de Antichristo cap.6. At Luthero Hæretici suffragari tenentur.

Secundum Hæreticorum argumentum huiusmodi est: Antichristus vsurpauit sibi auctoritatem Christi, & sedit in templo Dei exaltatus super omne id, quod dicitur Deus. Hic est Papa: ergo Papa Antichristus est.

Respondetur primò, eodem modo nos posse argumentari Lutherum, & Caluinum Antichristos esse, quod si volunt intelligi de Patriarchis: Iacobus Apostolus, & Episcopi Hierosolymitani Antichristi fuerunt, ibi enim erat templum Dei.

Respondetur secundò, eos non intelligere Scripturas Sacras, quia sedere in templo Dei, non potest accipi de Romana Ecclesia, sed de templo Hierosolymitano, vtì suprà diximus. Nec ibi sedere, & exaltati supra Deum conuenit Pontificibus, qui numquam

se

se finxerunt Deos, neque negarunt Christum. Si autem hoc fecerunt à Petro statim facere incaeperunt, nec oportuit expectare annos sexcentos. Praeterea quis non videt Pontifices adorare Christum, & confiteri peccata sua Sacerdotibus, & pauperibus Christi lauare pedes, & ante illius imagines procumbere? Deinde si Antichristus debet haberi Messias à Iudaeis, & seruare Iudaicas ceremonias, quis vnquam vidit Romanos Pontifices eas exercere, & Messiam se esse affirmare? Certè nullus vnquam Iudaeus Romanum Papam pro Messia recognouit: immò ipsi Iudaei à Pontificibus ad Christum trahuntur, & in nomine Christi baptizantur. Quomodo ergo sunt Antichristi.

Tertium Argumentum est. Papa habet nomen Antichristus: ergo est Antichristus. Probant antecedens, quia Apocal. 13. habetur nomen bestiae; idest Antichristi compositum ex literis, quae reddunt numerum sexcentorum sexagintasex: hunc autem numerum continet nomen latinus, siue Romanus, vt apparet ex literis Hebraicis, & Graecis, quae numerales sunt, & reddunt numerum sexcentorum sexaginta sex. Papa autem Latinus est, siue Romanus. Confirmant Haeretici ex Irenaeo, qui libro 5. docet nomen Antichristi perindè esse, ac Latinus: hoc modo argumentantur Haeretici, vti videre est apud Chythraeum in cap. 13. Apocal.

Ridiculum est hoc argumentum, quia hoc diuinare est, non argumentari. Quod si ex literis, quae illum numerum efficiunt, argumentari volumus, etiam Lutherus habet literas significantes illum num. 666. vti notat Genebrardus lib. vlt. Chronologiae. Immò & nomen Saxonius iisdem characteribus constat: ex quo apparet magis Antichristum fore Lutherum, quàm Papam, quia nullus hactenus Pontifex Latinus, proprio nomine fuit appellatus: si autem Patriae habeatur ratio, multi fuerunt Graeci, & aliarum Nationum, in quos quadrare non potest nomen Latinus, quod sanè in Lutherum vtroque modo quadrat, cùm eius proprium nomen, & appellatiuum contineat litteras nominis Antichristi.

Deindè refelluntur Haeretici, quia multa alia sunt nomina, quae eumdem numerum efficiunt, vt antemos, idest contrarius, & lampetis, idest illustris. Nemo autem scire potest, quale nam futurum sit illud nomen, quod fatentur Aretas, & Irenaeus in illum locum Apocal. ex quo infirmatur testimonium Irenaei, qui affirmat multa alia esse nomina, quae hunc numerum 666. efficiunt, vti est nomen Titan, ac proindè affirmat, nihil esse temerè definiendum. Tandem si nomen Latinus est nomen Antichristi Latinus ille Latinus auctor Viterbiensis paulò antè mortuus, Antichristus fuit, nec tamen ille Pontifex fuit.

Quartum, Pontifex Romanus imprimit characterem in suis subditis; ergo est Antichristus. Antecedens patet ex cap. 13. Apocal. vbi dicitur omnes habituros esse characterem Bestiae. Superest tamen sciendum, quis sit iste character? Bulingerus affirmat esse Chrisma, cuius vnctio fit in frontibus. Bibliander ait esse professionem fidei Romanae, quam emittunt fideles Catholici. Chytraeus asserit esse Iuramentum fidelitatis, quod praestant Romani Papae. Iunius, & Poenelus asseuerant esse adorationem Immaginum, & Eucharistiae.

Respondetur huic Argumento, Haereticos non consentire de charactere, ac proindè argumentum non concludere; igitur negandum characterem Antichristi esse aliquem ex ijs, quos Haeretici designant; quia constat ex loco Apocal. tres conditiones requiri in illo charactere. Prima est, vt sit communis omnibus, ait enim textus omnes habere characterem. Secunda conditio est, vt ponatur in fronte, vel in dextera manu. Tertia, vt nemo possit emere, aut vendere, nisi notatus illo charactere. Hae autem conditiones non conueniunt illis characteribus ab Haereticis adductis. Nec enim vnctio Chrismatis illas conditiones habet, quamquam ponatur in fronte, nec enim est omnium, cùm infantibus non detur, nec requiritur ad vendendum. Idem dicendum de professione fidei, & iuramento fidelitatis, quae non ponitur in fronte, vel in manu, sed ore profertur; nec seruit emptioni, vel venditioni. Idem dicendum de adoratione Immaginum, & Eucharistiae. Nàm adoratio non est character impressus ab alio, sed actus spontaneae religionis. Ineptiae sunt istae Haereticorum. Si autem scire volunt quis sit, & vbi inueniatur iste character Antichristi, indicabo locum, & formam, nempè inuenitur in tergo Caluini liliato, & in genis Catharinae Botae, quas omnes Scholastici Lutheri in aula sua basiarunt.

Quintum, & vti putant fortissimum argumentum est ille locus Apocal. 17. vbi sic Ioannes, Bestia, quam vidisti fuit, &c. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, quibus verbis Roma, inquiunt, significatur, quae septem colles habet, & idcircò dicta est septicollis. Romae autem sedet Papa: ergo est Antichristus. Non potest autem intelligi locus, nisi de Roma Catholica, & subiecta Pontifici, quia Antichristus non pugnabit contra Gentiles, vel Iudaeos, sed contra Catholicos Romanos. Confirmatur, quia in Templo Dei sessurus est Antichristus: in hoc autem sedet Romanus Pontifex.

Huic argumento tres adhibentur solutiones. Prima negat per illos septem colles intelligi Romam, in qua sententia est August. in Psalm. 26. Beda, & Rupertus, & Haymo, & Aretas in Apocal. qui spiritualiter interpretantur septem illos montes pro superbis, & arrogantibus Principibus, & Regibus terrae, quos Antichristus humiliabit. Secunda solutio est admittendo Romam illis montibus significari, negando tamen intelligi posse locum de Papa, qui non euertet Romam, imò seruat, & seruabit, donec eam sit Antichristus euersurus. Tertia solutio est: dato Romam illam esse, locum exponi de Roma non Catholica, sed Ethnica; haec enim Babylon meretrix appellatur, & consequenter negat ista solutio textum de Antichristo intelligi. Hic enim non euertet Romam Ethnicam, sed Christianam: ergo non potest de Roma Ethnica locus intelligi, quam Antichristus minimè oppugnabit, & ita soluit Bellarmin. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13.


Aliter ego respondeo; & in primis fateor illam Vrbem esse Romam, & Antichristum in ca

ea regnaturum, & non solùm thronum ibi, sed etiam Cathedram esse positurum, & eiectiurum Pontificem Romanum ex Vrbe Roma, & contrariam fidei doctrinam traditurum, quod patet ex eo, quod Prophetæ dicunt, & Paulus confirmat in Templo Dei esse sessurum. Non solùm in Templo Hierosolymitano, sed etiam Romano.


His animaduersis vera responsio est, hoc ipso Argumento, quòd hęc Ciuitas Roma sit, constare Papam Antichristum esse non posse. Primò, quia Papæ à multis seculis Romam inhabitant, & pacificè possident. Antichristus autem semel tantùm, & in fine Mundi Romam occupabit, postquam Imperium diuisum fuerit in decem Reges, quod manifestè patet ex loco Ioannis in Apocalypsi; hoc autem tempus nondùm venit; ergo nec Antichristi Romæ Imperium. Secundò, quia Antichristus erit hostis Romanorum, & vastabit Vrbem, & persequetur Christianos, & contrariam Euangelio doctrinam prædicabit, Cathedram Petri conabitur euertere, & suam pestilentem intrudere, eiecto Pontifice, qui tunc erit, & in fide Christi perseuerabit, quamquam in latebris occultus: vti Imperatorum tempore, qui Christianam Ecclesiam persequebantur. Hæc autem Antichristi facinora non quadrant in Papam, qui Vicarius Christi est, & Christum adorat, & colit, & illius Euangelicam doctrinam profitetur, & docet. Tertiò, quia Antichristi imperium erit breuissimum, vti patet ex eadem Apocalypsi, nec enim excedet tres annos, & dimidium. At verò Papa antè annos 1600. Romæ sedet, & Cathedram obtinet, & vsque ad finem Mundi obtinebit, quomodo ergo ex eo loco deducunt Hæretici Papam esse Antichristum: sed ij, vbi legunt Romam, & Antichristum statim colligunt Antichristum Romæ esse. Hoc modo concludent omnes Imperatores, qui fuerunt Romæ Antichristos fuisse. Immò & concludent Marphorium, & Pasquinum, quia sunt Romæ, Antichristos esse, præsertim, quia hi compositas à vulgo de Papa satyras sustinent, & exhibent, qua ratione probabiliùs est illos esse Antichristos, quàm Papas, qui de Christo, & suis Vicarijs numquam malè vel sentiunt, vel loquuntur, immò seuerè puniunt maledicentes, & obtrectantes.

Irridenda sunt potiùs à nobis argumenta Hæreticorum, quàm refutanda, tam enim sunt futilia, vt serios, & graues Hæreticos illorum pudeat. Equidem noui Londini, illustres Angliæ viros solere cum stomacho hanc hæresim accipere, eamque magnopere execrari, quod merum somnium, & commentum esset.

Accedit noua confutatio discurrendo per omnes Antichristi notas, quas superiùs adduximus, quarum nulla, vti patebit discurrenti, quadrare in Papam potest. Itaque si Papa est Antichristus, omninò destruuntur ea, quæ de illius patria, genere, tempore, progressu, signis, doctrina, vita, & morte, Scripturæ, & Patres, Expositores tradiderunt. Omnem Historiam sacram, traditionem, & Religionem conuellit, qui Papam Antichristum dicit. Additur illud momentum ex aduentu Eliæ, & Enoch, quos antè mortem Antichristi venturos esse ex Scripturis patet. Hi autem adhuc non venerunt, vti constat, nec venit Antichristus, qui eos occisuros est, posteà occidendus. Pro coronide audeo dicere contra Caluinum, & Sectatores, asserentes Papam esse Antichristum, facilius esse probatu Asinum Antichristum esse, quàm Papam; quod eo dico, quia Caluinus more suo Catholicos vocat Asinos. His enim argumentis, quibus probant Papam Antichristum esse, probari item potest Asinum esse Antichristum, hìc enim est Romæ, & seruit in ædificijs, & præterea rudit eo sonitu, vt videatur Hæreticis tubam extremi Iudicij imitari, qua ratione magis accedit ad Antichristum, qui in fine Mundi propè Iudicium venturus est. Ita cum Hæreticis agendum, qui tamquam Arcadiæ pecudes non argumentantur, sed rudunt, & indigent chamo, & freno, quia tamquam iumenta in stercore suo computruerunt.



FRAN-



FRANCISCI PENIÆ,

Sacri Palatij Apostolici Auditoris, & Decani, & S. ac Gen. Romanæ Inquisitionis Consultoris,

DE REGNO CHRISTI.

LIBER VNVS.

Franciscus Penia, siue Peña domo Aragonius ex Oppido Villaroia de los Pinares Cæsaraugustani sacri Territorij Iurisconsultus, ac Theologus euasit clarissimus è Valentina Schola, cuius sacræ scientiæ Professorem eximium Ioannem Blasium Nauarrum adeptus est ibi præceptorem. Romæ theatrum habuit suæ virtutis; namque à Philippo II. Rege Catholico Iudex Causarum Pontificiarum, qui & Rotæ Auditor audit, designatus munere isto tùm integerrimè, tùm magnæ doctrinæ, atque variæ eruditionis nota celebritate functus est, quem laudis, atque erga Romanam Ecclesiam officiorum cursum ne rumperet Canonicum in Cæsaraugustana Ecclesia Sacerdotum priùs deinde, & Albarrazinensis Sedis infulas repudiauit, ditatus ob hanc temperantiam à Rege suo pensionibus opimis, maiorique apud eum in dies gratia, atque existimatione. In hoc summo labore assiduus tandem Auditorum Rotæ Decanus euasit, & virtute, & merito. Porrò in hoc celeberrimo Tribunali maximi momenti rebus à Pontifice expediendis Vicaria præfuit opera. In his Sanctorum Didaci Complutensis, Hyacinthi, Raymundi, Caroli Borromæi, & Franciscæ Romanæ Canonicam Apotheosim Iudex promouit Apostolicus. Interim quasi à manu, & studijs fuit Hispaniarum Legatis sui temporis æqualibus, cui rei quamplura super magni momenti rebus vota in schedis Archiuij Hispani Romani extantia fidem faciunt. Quasi autem tota negotiorum moles tantis humeris modica esset, & ne splendidissima hæc lucerna iuris, & Sac. Theologiæ parùm in hoc secundo theatro, & modio luceret, collocatus est Franciscus inter Consultores omnium celeberrimi Tribunalis Sanctiss. & Vniuersalis Rom. Inquisitionis, in quo ter in hebdomada agitantur totius Catholici Orbis causæ grauissimæ, & quolibet die Iouis habetur ante Summum ipsum Pontificem vtilissima illa Congregatio, in qua nulli inferiores partes occupauit. Tandem laborum, & dierum plenus quippe annis duobus Septuagenario maior ingenti Orbis mœrore extinguitur solarium relinquens non mediocre in operibus editis, quorum hic est Elenchus. In Directorium Inquisitorum à Nicolao Limerico conscriptum Commentaria, quæ permittente Gregorio XIII. Pontifice Maximo vnà cum Directorio ipso Romæ prodierunt anno 1570. ex Ædibus Populi Romani, deinde 1585. & 1587. apud Georgium Ferrarium, Venetijsque auctum, & multis Bullis Apostolicis locupletatum opus totum apud Marcum Antonium Zalterium 1607. in folio. Flores ex his Commen-

mentarijs collegit Aloysius Bariola, ediditque Mediolani 1610. in 8. Vitam S. Raymundi de Pennafort à vetusto Anonymo Scriptore breuiter collectam notis illustrauit, & duobus libellis auxit, quorum prior de quibusdam S. Raymundi post mortem miraculis, alter de gestis Canonizationis Romæ 1601. Hoc opus hispanè conuersum editum fuit Cordubæ in 8. De Vita, Miraculis, & Actis Canonizationis S. Didaci lib. 3. Ad Philippum II. Hispaniarum Regem Romæ 1589. in 4. Instructio, seu Praxis Inquisitorum; hanc edidit vnà cum Opere suo de Officio S. Inquisitionis Cæsar Carena Cremonæ anno 1655. in folio olim autem edita est in 4. De forma procedendi contra Inquisitos de hæresi, extat inter Tractatus Doctorum tomo 9. parte 2. In Ambrosis de Vignate, Tractatum de hæresi, Commentaria, &c. In Pauli Grillandi de Hæreticis, & eorum pœnis notæ. Romæ anno 1581. in 4. apud G. Ferrarium. In Bernardi Comensis Dominicani Lucernam Inquisitorum notæ simul ad eiusdem Tractatum de Strygibus. Romæ anno 1584. in 4. Adiunxit his Tractatus duos Ioannis Gersonis, alterum de Protestatione circa materiam fidei contra hæreses diuersas, alterum de signis pertinaciæ. Responsio Cauonica ad Scriptum nuper editum in causa Henrici Borbonij, quo illius Fautores persuadere nituntur Episcopos in Francia illos inte absoluere potuisse ab excommunicatione in casu Sedi Apostolicæ reseruato Romæ 1595. Censuræ in Arrestum Parlamentale Curiæ Criminalis Parisiensis pronunciatum 29. Nouembris Anno 1594. contra Ioannem Castellum, & Reuerendos Patres Societ. Iesu Romæ apud Nicolaum Mutium Auno 1595. in 4. De Hæreticis, & tempore gratiæ, quod ab hæresi ad Catholicam Fidem redeuntibus interdum concedi solet M. S. est in Bibliotheca Eminentiss. Card. Barberini Cod. 173. incipit Procemium in vetustis libris M.S. Commentarius de S. Agnetis, & S. Constantiæ Inuentione M.S. in eadem Bibliotheca, siue Basilica S. Agnetis sæpè instaurata, seu renouata ad Cardinalem Alexandrum de Medicis Cod. 1234. Vita S. Caroli Borromæi, quam vertit in Hispanicum D. Ferdinandus Arias de Saccuedra Hispalensis, ediditque Hispali Anno 1609. 8. Huius quoque nomen præsefert liber Italicus ita inscriptus: Relatione sommaria della Vita, Santità, Miracoli, e Canonizatione di S. Francesca Romana. Romæ apud Bartholomæum Giannetti 1608. in 8. Decisiones Sacræ Rotæ ab eo formatas nostro æuo collegit, ediditque D. Didacus Antonius Frances de Vrritigoiti Archipresbyter Darocensis in Ecclesia Cæsaraugustana, nunc iam Balbastrensis Episcopus duobus tomis. Priorem edidit Petrus Prost, & socij 1648. in fol. posteriorem Philippus Borde, & socij 1650. Tandem edidit de Temporali Regno Christi. Romæ apud Stephanum Paulinum 1611. in 4. Scripsit autem hunc Tractatum, quia multi ignoto, & suppresso nomine negabant Christum exercuisse aliquod imperium, aut externam iurisdictionem, & hoc negato à fortiori negabant de Romano Pontifice, cùm non sit Seruus maior Domino suo, nec Vicarius supra Episcopum; hunc ergo Tractatum valdè excellentem nostro Operi inserimus. De Francisco vide Bibliothecam Hispanicam, Syllabum Auditorum Rotæ & quamplures alios.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit Dominium, & quo sensu in hac disputatione intelligatur disceptatio de Regno Christi.



INITIO disputationis, ne in incerto versetur oratio, explicandum est, quid, & quotuplex sit Dominium, & quo sensu de Regno Domini nostri Iesu Christi, articulus proponatur, & discutiatur.

Dominium definiuit Bartolus in leg. si quis 6. §. differentia, ff. de acquirend. possess. [Esse ius de re corporali perfectè disponendi, nisi lege prohibeatur.]

Alij paulò fusiùs, & clariùs eamdem Dominij definitionem proponentes, dixerunt: [Esse ius de re corporali perfectè disponendi, aut vendicandi: nisi lex, vel conuentio obsistat.] Et singulas particulas explicantes, rectè affirmant cum Bartolo esse ius, idest, legitimam facultatem disponendi de re corporali; quia rerum incorporalium non est propriè dominium: vt seruitutum, possessionis, obligationis, & similium, l. rectè dicimus, ff. de verb. signif. quod respectu nostri intelligendum est, qui propriè rerum incorporalium non dicimur habere dominium: impropriè tamen dominium accipiendo, res quoque incorporales, seu iura, dominij nomine comprehenduntur. Respectu tamen Dei secus est, cùm Diuina Maiestas, æquè habeat domi-

dominium rerum incorporalium, ac corporalium: vt paulò post explicabitur.

Dicitur prætereà, esse ius perfectè disponendi: quia præcipuum officium dominij est, perfectè disponere de ea re, cuius quis est Dominus, l. in re mandata, Cod. mandati, quod tum maximè locum habet, si rei copia penès Dominum sit: nam si rei copia absit, tunc Domino rei vendicatio competit; qua petit, rem sibi restitui, quam suam esse asserit, vel naturali, vel ciuili iure. Et hoc est alterum officium dominij, nempè vendicare, quod aptè ponitur in definitione.

Dictum fuit etiam: nisi lex obstet: propter plerasque personas, quæ licèt sint rerum suarum Domini, tamen non habent ius agendi, siue disponendi de rebus pro arbitrio: quia lex in ipsis legitimis rationibus, & caussis adducta, dominij effectum impedit: sic pupillus sine auctoritate tutoris, vel decreto Iudicis, propter ætatis imbecillitatem, & iudicium fragile, alienare vetatur. Instit. de auctor. tutor. §. 1. & 2. & §. nunc admonendi. Instit. quib. alien. licet, vel non: sic maritus, tametsi prædij dotalis sit Dominus, lege tamen Iulia, alienare prohibetur §. 1. quib. alien. licet, vel non.

Demùm dicitur: vel conuentio: quia pignoris debitor, licèt sit Dominus pignoris, illud tamen propter conuentionem cum creditore initam non potest alienare, §. contra autem, instit. quib. alien. lic. vel non:

Dominium autem duplex constituit Bartolus, Directum vnum alterum Vtile: Directum est, quod habet proprietarius. lib. 1. & & 2. Cod. de iure emphyt. Vtile est, quod habet emphyteota, & vassallus, seu fœudatarius, qui vtile dominium possident, directo dominio penes dominum proprietarium remanente. Bartolus in dicta l. si quis vi. §. differentia. num. 5. & ibi Alexander Imolensis num. 7. & 8. & sequen. ff. de acquiren. possess. & propterea solet dici, directum dominium sæpe esse sine fructu, cum spe tamen consolidationis: quale est, quod habet dominus fœudi, vel emphyteosis, vel soli. Vtile autem dicitur, quod cum fructu est, quale est quod habet vassallus, vel emphyteota, vel superficiarius.

Dominium autem vtile effectus est dominij directi: vt rectè censuerunt Bartolus in extrauag. Qui sint rebelles, in verbo, rebellando, vers. Item quæro quid de dominio bonorum, & Iason consil. 86. incip. In causa nu. 14. lib. 3.

Andreas Alciatus lib. 2. Parergon ca. 15. post recensitas alias dominorum differentias, quæ non pertinent ad hoc institutum, & Guido Papæ decis. 551. incip. De hoc anno, nu. 4. vers. Habemus etiam, & aliud dominium, quos refert, & sequitur Ioachimus Mynsingerus in Rubrica Inst. de rerum diuis. nu. 22. aliud dominium recensent, quod, vocant Summum, siue maius dominium, quod dicunt esse quamdam maiestatem, cuius obseruationem fœderati supremo Principi, vel Reipublicæ debent l. non dubito ff. de capt. & postlim reuers. cap. Imperialem, circa principium, ibi: maiores Domini, tit. de prohib. fœud. alienat. per Federicum, cuius maioris dominij effectus plures referunt iuris Interpretes, maiori forsan subtilitate, quàm veritate ducti.

Aliud etiam est dominium iurisdictionale, protectiuum, tuitiuum, seu defensiuum, quod competit Imperatori, Regibus, & Principibus sæculi, ratione Imperij, Regnorum, & Principatuum suorum. Leo Papa Primus Epistola 75. ad Leonem Augustum incip. Litteras Clementiæ tuæ §. apud Christianissimum Principem. Quia eo ipso, quod sunt Principes, & super populos sibi commissos imperant, & regnant, & principantur, & è populis subiectis recipiunt seruitia, tributa, & vectigalia, tenentur eos protegere, & defendere: hac enim ratione dicuntur Dòmini Regnorum, & Principatum: non autem ex eo, quod sint Domini directi, nec etiam vtiles rerum priuatarum, quas possident singuli subditi in Regnis, vel dominijs sui, glossa 1. in cap. conuenior. in verbo: Omnia 23. quæst. 8. ibi: Sed hoc intelligas quò ad iurisdictionem, & defensionem] & ibidem Turrecremata in principio. super verbo: [Vtpote in cuius potestate.] Bartolus in prima constitutione ff veteris § omnem, num. 3. vers. Sed ego video, & vers. Respondetur, quod ratione protectionis. Gulialmus de Cremona in reprobatione errorum Marsilij de Padua, iussu Ioannis XXII. ordinata quæst. 1. artic. 5. ratione 5. vbi post recitatas opiniones super dominio Imperatoris, & Regum, respectu bonorum particularium subditorum, concludit in hæc verba: [Dico ergo, quod talia bona non sunt sub dominio Imperatoris, tamquam sua bona propria; ita quod de iure habeat dominium vtile, & fructiferum de ipsis rebus: sed solùm habet dominium ipsarum potestatiuum, & iurisdictionale eas custodiendo, defendendo, & iustitiam faciendo.] Hactenus Guilielmus, & Bartholomæus de las Casas Episcopus Chiapensis, in explicatione quæstionis: Vtrum subditi alterius ditionis subijci possint, §. 3. incip. Ex quibus colligitur. Vnde patet lapsum Bartolum in l. 1. §. per hanc, num 2. ff. de rei vendic. & in l. hostes num. 7. ff. de cap. & postlim. reuers. vbi nimio affectu ductus scripsit, quod [fortè esset hæreticus, qui diceret, Imperatorem non esse Dominum, & Monarcham totius orbis:] quem propterea meritò dixit errasse Bartholomæus Cassaneus in Catalogo Gloriæ mundi par. 5. consider. 28. vers. Hanc etiam opinionem.

Quæ autem paulò antea dicta sunt de dominio potestatiuo, seu iurisdictionali Principum laicorum respectu subditorum suorum respectiue intelligenda sunt, vt illud exercere possint in eos, qui verè subditi eorum dici possunt; quales sunt laici, actiones, & bona eorum; secus autem est respectu Ecclesiarum, rerum, & personarum Ecclesiasticarum, super quas iure vetante, vt suo loco explicabitur, non possunt huiusmodi potestatiuum, seu iurisdictionale dominium exercere: vt præ ceteris verè, & copiosè docuit Guilielmus de Cremona in præallegata reprobatione errorum Marsilij de Padua, quæst. 1. artic. 6. incip. Nunc videndum est.

Atque hæc communiter traduntur à nostris, præsertim Iuris Ciuilis Interpretibus, Iuri Ciuili inhærentibus, quæ cùm hic arti-

ticulo côuenire possint, libenter amplectimur: aduimus tamen cum Petro Cardinali Bertrando tract. de orgine iurisdict. quæst. 4. num. 13. & multis sequentibus, duplex potissimum dominium reperiri.

Primum Diuinum, simplex, supremum & absolutum, quod ratione creationis competit Deo super omnem creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & humanam, quam vtramque ab initio de nihilo condidit: cap. 1. de Sum. Trinit. & Fide Cathol. & Genes. cap. 1. [In principio creauit Deus cælum, & terram.] Qua ratione in Psalm. 23. dicitur: [Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.] Hoc dominium Innocentius III. in cap. tua nobis. §. Verùm si ad Deum, de decim. vniuersale dominium appellauit, & in recognitionem Deus decimas, & primatias sibi reddi præcepit.

Alterum vero dominium humanum, cap. iure 8. distinct. S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 10. in corpore articuli, vbi ait. Dominium, & prælationem introductam fuisse ex iure humano: quod Accursius in l. rectè in verbo: Seruitutis, ff. de verb. signif. legale dominium appellauit.

Hoc autem humanum, siue legale dominium, Deus omnium rerum creator (dominio vniuersali penes se retento) ab initio humanæ contulit creaturæ, vt eo ad suam vtilitatem vteretur: iuxta illud Psal. 113. [Cælum cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum] Id est: Cælum quidem Dominus sibi pro sua sede, & domicilio, vt illic gloriam suam communicet, vel Christo, vt in eo pacatè ad suam dexteram regnet, reseruauit: terram autem hominibus, vt in ea versentur, tumultuentur, & sua negotia gerant, dedit, & assignauit.

Hoc humanum, siue vsuale, & vtile dominium, à Deo hominibus concessum, licèt ad primum illud Diuinum relatum, vix dominium dici possit; in se tamen consideratum, verum dominium est, dependens tamen ab illo Diuino fonte, vnde cuncta procedunt; & quamuis ab initio communiter datum fuerit cap. dilectissimis 12. quæst. 1. & explicare latè Ioannes XXII. In Constitutione incip. Quia vir reprobus. Postea tamen ad tollendas rixas, & iurgia, meritò distinctum fuit, & à prudentibus præscripti modi, quibus in particulari acquiritur, & acquisitum retinetur, l. ex hoc iure ff. de iust. & iure, l. 1. & toto tit. ff. de acquiren. rerum dom. & toto tit. Instit. de rerum diuis. Hinc patet, omne humanum, siue legale dominium, à Doctoribus paulò antea relatis, bifariam aut trifariam diuisum, in Directum, & Vtile, & Summum, siue maius, hominibus, gratis à Deo concessum, inter res temporales numerari.

His ita constitutis, præfandum est primò, non disputari hoc loco de Christi dominio, & Regno temporali, quatenus Christus verus Deus, quia exploratum est, eum secundùm diuinitatem, verum fuisse, & esse vniuersorum Dominum, iuxta illud Psal. 23. [Domini est, terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.] quod sine controuersia omnes Doctores confitentur; sed de Christo quatenus homo est: An scilicet verus fuerit Rex Dominus vniuersorum, sicut quilibet rerum suarum est dominus. In hoc enim sensu quæstionem disputauerunt Doctores paulò post referendi, & præ ceteris obseruauit veritatis Magister S. Thomas Opusc. 20. de regim. Princip. lib. 3. cap. 13. in fine.

Rursus obseruandum est, dum de Christi Regno disputatur, nos non intelligere, nec asserere, Christum hominem in terris agentem, more aliorum Regum, & Principum temporaliter regnasse, & post mortem regnare desijsse: quia vt sapienter idem S. Thomas par. 3. quæst. 59. art. 4. in responsione ad primum argumentum, scriptum reliquit quamuis Christus esset Rex à Deo constitutus, non tamen in terris viuens terrenum Regnum temporaliter adminstrauit. Vnde nec Regio comitatu, nec Regio satellitio, nec Regio, aut Imperatorio splendore regnauit: quia Sacerdotali munere potissimùm functus, ea, vt verè Redemptor peregit, & exercuit, quæ ad consequendum finem, cuius causa in mundum venerat, referebantur, sed quærimus, vtrum Christus, vt homo, verè, & propriè fuerit Rex & rerum omnium creatarum verum, & proprium dominium, quale supra descripsimus, habuerit; videlicet, directum, quale habent Domini directi rerum suarum; & iurisdictionale protectiuum, tuitiuum, seu defensiuum, quale apud Imperatorem, Reges, & Principes, existere diximus.

CAP. II.

Christum verè fuisse Regem, & omnium rerum creatarum, verum, ac proprium dominium habuisse: constituitur, & multis modis probari indicatur.

PRæmissa dominij diffinitione, & diuisione, constituenda est vera, & certa, & constans affirmatiua conclusio, qua asseritur: [Christum, quatenus hominem, verè, & propriè fuisse Regem, & rerum omnium creatarum Dominum absolutum, ac multò quidem veriùs, ac perfectius, quam vllus vmquam Princeps, Rex, aut Imperator terrenus dominus fuerit:] quoniam protinus ab instanti suæ conceptionis factus homo, accepit regnum, & vniuersale dominium, quod sibi ab æterno, tamquam Deo competebat. Et licet huius regni, & latè patentis dominij iure, Christus Dei filius licitè, & liberè, cæteris mundi Principibus abdicatis, totius Orbis administrationem suscipere; & nedum iure protectionis, & defensionis, sed etiam iure proprietatis iurisdictionem latè, & potenter in quoslibet exercere potuerit, id tamen non fecit, non quia non potuit, cùm esset Rex à Deo constitutus; sed quia noluit regnum terrenum temporaliter administrare; vt eleganter, & verè docuit S. Thomas par. 3. quæst. 59. art. 4. in

in responsione ad primum argumentum. Cæterum non omnino ab eo munere semper abstinuit, quoniam, vt paulò post competenti loco demonstrabitur; non obscuros quandoque huius dominationis,& Regiæ iurisdictionis actus exercuit. quos post Passionem in cælum assumptus, interdum quasi inuisibiliter, interdum autem visibiliter, & patenter in hoc inferiori, per Vicarium suum,exercuit Orbe.

Proposita verò Conclusio multis modis efficaciter probatur:

Testimonijs literarum sacrarum ex vtroque Testamento petitis.

Assertionibus Romanorum Pontificum Innocenty III. & Ioannis XXII.

Auctoritate Catechismi Rom. iussu Pij V. editi.

Auctoritate sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum.

Sententijs aliorum Theologorum, præsertim Religiosorum, ex omnibus Religionibus à S. Sede Apostolica approbatis.

Hymnis sacris, quibus Ecclesia in Diuinis celebrandis vtitur.

Vaticinijs Sibyllarum, quarum testimonio sæpè vsi sunt Patres.

Auctoritate Canonistarum, Auditorum Rotæ, & Interpretum Iuris Ciuilis.

Demùm rationibus.

Quibus suo ordine fideliter relatis, non erit operosum,ad contraria respondere:quemadmodum superioribus seculis responsum fuisse nouimus contra Arnaldum de Brixia, Marsilium de Padua, Ioannem de Ianduno, Michaelem de Cesena, Gulielmum Okam Anglum, & sectam Fratricellorum, quos Sedes Apostolica iusto iudicio condemnauit.

CAP. III.

Vniuersale Dominium, & Regnum Christi testimonijs veteris Testamenti probari.

QVamuis diuinorum testimoniorum veteris Testamenti ingens occurrat cumulus, nos clariora tantùm recensenda putauimus; & ea potissimùm, quibus Ioannes XXII. in Constitutione incip. [Quia vir reprobus.] contra Michaelem de Cesena, idem argumentum declarando, vsus fuit; quibus alia perspicua ex Doctorum sententia adiungentur.

§. I.

Ex Vaticinio Esaiæ, cap.33.

ESaiæ cap. 33. sic scriptum extat: [Dominus enim Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster: ipse saluauit nos.] Hoc Vaticinium S. Cyrillus ibi à Leone Castro allegatus, de Christo accipit, dicens: [Erat quondam Sathanas Princeps huius mundi, Princeps noster: postquam ad

Euangelicam lucem accurrimus, habemus Filium Dei Principem, Ducem, Regem.] Hæc Cyrillus.

Procopius ibidem orationem ad Christum referri testatur, cùm ait: [Refertur verò & ad Christum oratio, qui se perfectè à nobis comprehendi passus, idem se se ipse non solùm, cùm esset inuisibilis; sed Patrem etiam per se conspiciendum nobis præbuit.] Hæc Procopius.

Ioannes etiam XXII. in Constitutione contra Michaelem de Cesena, incip. [Quia vir reprobus.] de Christo Rege intellexit idem Vaticinium; in quo Propheta tria potissimùm tribuit Christo homini: quòd sit Iudex, & Legifer, & Rex. Hic autem Dominus est ille, de quo paulò antea cap.16. Esaias dixerat: [Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ:] vt verè transtulit S. Hieronymus, cuius sententia, & Ecclesiæ totius verissima est: vt verè asseruit Leo Castrus in Commentarijs ad Esaiam super eodem loco.

§. II.

Ex Vaticinio Ieremiæ, cap.23.

IEremiæ cap. 23. ita dicitur: [Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.]

De Christo Domino ad litteram intelligi hoc Vaticinium, docent communiter sancti Patres, & Hieronymus ibidem super prædicto versiculo: [Ecce dies veniunt: sic scribit: Abiectis ergo Pastoribus Synagogæ, Scribis videlicet, & Pharisæis, & saluaris Reliquijs ex Israel, Apostolisque Euangelij in locum priorum Principum constitutis, inducitur Pastor Pastorum, & Princeps Principum, & Rex Regum, & Dominus Dominantium, Christus, videlicet, Saluator noster, qui propriè est germen iustum,siue oriens iustus.] Hæc Hieronymus.

Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib.3. cap. 17. de Christo Rege Messia conuincit accipiendum hoc Vaticinium, in hæc verba: [Quod autem hæc verba dicantur de Messia, Iudæi inficiari non possunt: quoniam Chaldæa translatio, quæ apud eos Targum nuncupatur, & cui eorum nullus ausus est vnquam repugnare, vbi nos dicimus: Suscitabo Dauid germen iustum: habeat: Statuam Messiam iustum. Vbi enim Hebraicè dicitur Dauid, Chaldaicè habetur Messiach: ex quo clarum, & indubitatum est, tam apud Iudæos,quàm Christianos, Prophetam hic loqui omninò de Messia Rege.] Hæc Finus.

In Paraphrasi Chaldaica cum Biblijs Regijs, vt vulgus loquitur, Antuerpiæ, Anno 1570.impressis, hæc Prophetia ijs verbis concipitur: [Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid Messiam iustum: & regnabit Rex, & prosperabitur: & faciet iudicium verum, & iustitiam in terra.] Hæc ibi. Et licèt apud Christianos Paraphrasis ista Chal-

daica, non sit authenticæ veritatis, deseruit tamen pro interpretatione, & ad conuincendos Iudæos errantes, valde prodest.

Nec dicatur, ideò Vaticinium accipiendum de Rege Dauide, quòd de ipso expressè fiat mentio; quoniam vt ex Rabbinorum Glossis latè probauit Porchettus de Saluaticis in Victoria contra Iudæos parte 1. cap. 13, & Christophorus de S. Antonio in Triumpho Christi Iesu contra Infideles tit. 7. allegatione 8. incip. [Octauo principaliter probatur, vers. vt applicem.] sæpè in sacris literis veteris Testamenti Christus Rex Messias vocatur Dauid, vt paulò post copiosiùs explicabitur.

Quod autem in eadem Prophetia dicitur: [Et faciet iudicium, & iustitiam in terra:] intelligitur de iudicio dato Christo secundùm naturam humanam. Vnde competit etiam ei Regia dignitas, quam consequitur potestas iudiciaria: vt probat S. Thomas parte 3. qu. 59. art. 4. ad primum argumentum.

§. III.

Ex Daniele, cap. 2.

DAnielis, cap. 2. cùm Propheta declararet somnium, quòd viderat Rex Nabuchodonosor, dixit, eum vidisse statuam magnam, cui caput erat ex auro, pectus, & brachia de argento, venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferre, & pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis: & quòd abscissus lapis de monte sine manibus percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos: & quòd tunc contrita pariter fuerunt ferrum, testa, æs, argentum, & aurum; & quòd lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Hoc est somnium. Mox Daniel adiecit interpretationem de quatuor regnis, aureo, argenteo, æneo, & ferreo, & in eorum fine suscitandum Regnum perpetuum, nulli seruiturum, in hæc verba: [In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur: & Regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.] Per Regnum, seu caput aureum intelligi Regnum Babyloniorum, idem Daniel interpretatur ibi: Tu es ergo caput aureum. Per argenteum intelligi Regnum Medorum, & Persarum: & per æneum Macedonum, seu Græcorum: & per quartum Regnum ferreum, Regnum Romanorum, interpretatur ibi sanctus Hieronymus, quem relictis Rabbinorum figmentis, sequitur exercitus omnium Catholicorum.

Per lapidem autem de monte abscissum sine manibus, Christum Regem Messiam intellexit semper Ecclesia Catholica, quod sanctus Hieronymus ibidem super illis verbis: Et Regnum quartum: luculenter declarauit his verbis: [In fine autem horum omnium regnorum, auri, argenti, æris, & ferri, abscissus est lapis Dominus, atque Saluator, sine manibus: id est, absque coitu, & humano semine, de vtero virginali: & contritis omnibus Regnis, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram: quod Iudæi, & impius Porphyrius malè ad populum referunt Israel, quem in fine sæculorum volunt esse fortissimum, & omnia Regna conterere, & regnare in æternum.] Hæc Hieronymus, cuius sententiam, immò verò totius Ecclesiæ, etiam ex Glossis, & traditionibus Hebræorum latè probant Porchettus de Saluaticis in Victoria contra Hebræos part. 1. c. 14. & Petrus Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 25. Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 2. cap. 13. incip. Hoc ipsum mysterium. Christophorus de sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra infideles tit. 3. allegatione 19. incip. Decimonono principaliter, quo loco vers. Vt applicem istam prophetiam, præmittit, & præsupponit, quòd secundùm Catholicos, & Hebræos, lapis, de quo in dicta prophetia, intelligitur esse Rex Messias: & quò ad catholicos id non oportere probare: quò ad Hebræos autem constare ex pluribus eorum auctoritatibus, & glossis, quas ibi recenset. Sapienter itaque Ioannes Vigesimustertius, ex hoc Danielis Vaticinio, Regnum, & dominium Christi probauit in prædicta Constitutione, incip. Quia vir reprobus Michael de Cesena. Christus ergo verus Messias in lege promissus, Rex Regum potentissimus, tempore sui sacratissimi aduentus, nouum Regnum inchoaturus, præcedentia quatuor regna comminuit, & nouum Regnum instituit, quod in æternum manebit: vt in fine huius libri copiosiùs explicabitur.

§. IV.

Ex Prophetia Zachariæ, cap. 10.

EXulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari, vsque ad mare, & à fluminibus, vsque ad fines terræ. Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.] Hæc Zacharias.

Audacis esset, velle de alio, quàm de Christo hanc Prophetiam interpretari: cùm Euangelistæ, Matthæus cap. 21. & Ioannes cap. 12. ad literam de Christo eam acceperint: vt adnotauit S. Hieronymus in Zachariam cap. 9. super illis verbis: Exulta satis. Et propterea non est necessarium, alia Patrum testimonia recensere: cùm ex Rabbinorum etiam dictis, & maximè Rabbi Salomonis constet, & hoc Zachariæ Vaticinium de nullo alio rectè, & veraciter exponi posse, nisi de Messia Rege: vt copiosè docet Finus Hadrianus in flagello contra Iudæos lib. 3. c. 20. incip. Item Zacharias Vates, & Christophorus de sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra Infideles tit. 2. allegatione 85. incip. Octuagesimo quinto, vbi ait: secundùm omnes hanc Prophetiam de Christo intelligi.

Quam-

Quamobrem prudenter, & verè Ioannes Vigesimussecundus in prędictà Constitutione incipit. Quia vir reprobus: iuxta sensum literalem, vsus fuit hoc eodem Vaticinio, ad probãdum Christi hominis Regnum, & vniuersale dominium. Quod non excludit verbum illud: pauper: quod est in vulgata editione: tum quia, vt ibidem obseruauit sanctus Hieronymus super vers. Exulta satis, Septuaginta Interpretes, mansuetus, transtulerunt: tum quia simul cum paupertate diuitias contemnentes, iura Regnorum, & dominorum consistere possunt: vt docuit sanctus Thomas 2.2. quæst. 184. artic. 7. ad primum argumentum, quod paulò post competentibus locis, copiosiùs demonstrabitur.

Dum in eadem Prophetia dicitur: [Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.] Propheta apostrapham facit ad Christum, vt intelligatur in sanguine passionis Christi, vt ait ibidem sanctus Hieronymus super vers. Tu quoque, eos, qui vincti in carcere tenebantur inferni, misericordia, & clementia ipsius fuisse liberatos, Vnde etiam Regis huius potentia clariùs super omnia probatur.

§. V.

Ex Vaticinio Michaæ, cap. 5.

ET tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.] Hæc ibi.

Hanc Prophetiam de Messia Rege Christo intellexerunt diuini Euangelistæ: Matthæus cap. 2. num. 5. & 6. Ioannes cap. 7. num. 41. & 42. & sanctus Hieronymus apud Michæam de Christo, exponendo eamdem Prophetiam, ait: [Et tu Bethlehem, id est, domus panis, quæ vocaris Ephrata, minima quidem es in ciuitatibus, Iuda, & tantis millibus comparata, vix prauus es viculus. Sed ex hoc paruo viculo egredietur Christus, qui est dominator in Israel.] Hæc Hieronymus. Itaque nulla de hoc inter Catholicos est controuersia. Vocat autem Propheta Christum Dominatorem, quem Septuaginta, Principem in Israel, transtulerunt.

Rabbini etiam Iudæorum de eodem Rege Messia idem Vaticinium intellexerunt: vt docent Hieronymus de Sanctafide lib. 1. contra perfidiam Iudaicam cap. 3. & Finus Hadrianus in flagello contra Iudæos lib. 3. c. 4. qui ex Commentarijs Rabbi Salomonis præcipui Doctoris inter Hebræos recensent hanc glossam: [Et tu Bethlehem, de qua egressus est Dauid, secundùm quod per ipsum scriptum est: Filius serui tui Iesse Bethlehemitæ, Ephratem nuncupauit: paruulus est in millibus Iuda, dignus erat fieri * minor in generationibus milliarium Iuda. Et hoc propter * laborem Ruth Moabitis, quæ est in te. Ex te mihi egredietur, de te exibit mihi Messias filius Dauid, de quo dicit Scriptura: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et sic est Chaldaicè interpretatum, de te, coram me Messias egreditur: & egressus eius ab æterno, à diebus æternitatis. Et hoc est, quod dicit Scriptura: Ante solem permanet nomen eius, quod interpretatur Chaldaicè: & nomen eius ab antiquo dierum à sæculo nuncupatum.] Hęc Hieronymus de Sanctafide, & Finus ex glossa Rabbi Salomonis.

* forte maior.

* al. labem.

Christophorus de sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra infideles tit. 2. allegatione 81. incip. octuagesimo primo. vers. Vt applicem istam Prophetiam, vtrè, & constanter affirmat, hanc auctoritatem intellegi de Christo Rege Messia, secundùm Catholicos, & Hebræos: & quò ad Catholicos non esse aliquam dubitationem; quia Matth. cap. 2. allegatur de Christo, quò ad Hebræos verò similiter non esse dubium, quia glossa Rabbi Salomonis ita Vaticinium interpretatur; vt constat ex prædicta glossa, quam respicit prædictus Auctor Triumphi Christi, qui ad idem comprobandum allegat Raymundum Martini in suo Pugione contra Iudæos part. 2. cap. 5. Hieronymum de Sanctafide, & alios ex Iudaismo conuersos, qui proculdubiò Vaticinium de Rege Messia ad literam acceperunt.

Dubitationem verò, quæ oriri poterat circa eamdem Prophetiam: An Ephrata sit Bethlehem? Sanctus Hieronymus sustulit ibidem ex Genesi cap. 35. vbi sic scriptum extat: [Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephatam, hæc est Bethlehem.

§. VI.

Ex Prophetia Malachiæ, cap. 3.

ECce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.] Hæc ibi.

Dominus in Euangelio Matthęi cap. 11. nu. 10. de Ioanne Baptista interpretatur prima huius Prophetiæ verba, dicens: [Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.] cui consentiunt Marcus cap. 1. num. 2. & Lucas cap. 1. nu. 17. quod notauit, etiam sanctus Hieronymus in Malachiam c. 3. Eamdem verò Prophetiam dicentem: [Et statim veniet ad templum suum dominator.] de Christo Rege intelligunt omnes Catholici, & Eusebius Cæsariensis lib. 5. de demonstratione Euangelica c. 28. & Finus Hadrianus in flagello contra Iudęos lib. 6. cap. 3. vbi affirmat, neque negare, neque inficiari posse Iudæos, Dominatorem illum, Messiam Regem intelligendum esse: quem etiam contra eosdem Iudæos inde iam venisse probat.

§. VII.

Ex Vaticinio Canticorum, cap. 3.

EGredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.] Hæc ibi.

Hoc

Hoc Vaticinium de Rege Messia Christo diuinitùs fuisse prolatum, docent Catholici Doctores, & Ecclesiæ consensus.

Theodoretus Episcopus Cyrensis ibidem super Canticis cap. 3. ibi: [Regem charitate coronatum aspicite: sic enim dilexit mundum, vt cùm in forma Dei esset, non rapinam sit arbitratus, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.]

Venerabilis Beda ibidē super vers. Egredimini, ibi: [Et quoniam idem Dominus noster Iesus Christus, & vers. In diademate, vbi ait: Hoc est enim apertè dicere: videte Dominum in humanitate, quàm de Virgine mater susceptam in maiestatis Paternæ dextera collocauit. Mater quippè sua illum diademate coronauit, quando Beata, & intemerata Virgo de Spiritu sancto concipiens, materiam illam illi sacrosanctæ carni de sua carne præbuit: in qua mundo apparens, & habitans in nobis, Regnum mortis moriendo destrueret, ac vitam nobis resurgendo repararet, quamque ad cœlos ascendendo gloria perennis Regni sublimaret.] Hæc Beda.

Rupertus Abbas Tuitiensis ibidē: [Egredimini, & videte hunc Regem, hunc Salomonem pacificum, & pacis Principem in diademate regali, in charitate nuptiali: qualis, quantus, quàm gloriosus sit. Nolite hoc solùm considerare, qualis sit in carne mea, qualis natus in diuersorio, qualis collocatus in præsepio. Egredimini ex istis angustijs, & videte illum in diademate suo, quo coronauit eum mater sua, scilicet, antiqua Patriarcharum, & Prophetarum Ecclesia, cuius fidei promissus est, cuius de carne progenitus est. Antequam nasceretur fecit ei mater sua illud pretiosum diadema, quo coronari deberet, & vnde cognoscendus foret magnus, & spectabilis Rex: nimirum clarissima Propheticæ veritatis auctoritas: cuius quot sunt præconia, tot gemmarum, tot pretiosorum lapidum est huius Salomonis diadema.] Hæc Rupertus.

Glossa interlinearis, cuius magna fuit semper auctoritas: [In diademate, quo coronauit eum mater sua, id est, Maria, in die desponsationis illius, idest, in Annunciatione, quæ fuit initium charitatis: quando desponsata fuit Ecclesia Christo, vel ipsa Virgo Deitati.] Hæc Glossa.

Sanctus Bernardus Sermone 2. in Epiphania Domini incip. [Tres apparitiones. Egredimini filiæ Sion virtutes Angelicæ, incolæ Ciuitatis supernæ. Ecce Rex vester, sed in corona nostra,] & paucis interiectis: [Egredimini igitur, & videte Regem Salomonem in omnem vbique Rex est: licèt enim regnum eius non sit de hoc mundo, tamen Rex est, etiam in hoc mundo.] Hæc Bernardus.

Sanctus Thomas ibidem: [Egredimini, & videte Regem Salomonem, hoc est, verum pacificum Christum, in diademate quo coronauit eum mater sua; ac si diceret: considerate Christum pro vobis carnem indutum: quàm carnem de carne Virginis matris suæ assumpsit. Diadema namque vocat carnem, quàm Christus assumpsit pro nobis, in qua mortuus, destruxit mortis imperium: in qua etiam resurgens, resurgendi nobis spem contulit. De hoc diademate Apostolus Hebræorum 2. dicit: Vidimus IESVM per passionem gloria, & honore coronatum. Mater verò sua eum coronasse dicitur: quia Virgo Maria illi de sua carne carnis materiam præbuit. In die desponsationis eius, hoc est, in tempore Incarnationis eius, quando sibi coniunxit Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam: vel quando Deus homini coniunctus est.] Hæc S. Thomas.

Ioannes XXII. in sæpè allegata Constitutione incip. Quia vir reprobus; eodem hoc Vaticinio vsus fuit, ad probandum Regnum, & vniuersale Dominium Iesu Christi.

Nec refert, quòd de Rege Salomone conceptum videatur, non de Rege Messia Christo: quoniam Rabbini Iudæorum hanc difficultatem sustulerunt, asserentes, quòd vbicumque in libro Canticorum ponitur nomen Salomonis, sub illo nomine intelligitur Deus, qui est Magnus Salomon: vt conformiter docuerunt Hieronymus de Sanctafide lib. 1. contra perfidiam Iudaicam cap. 5. & Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 2. cap. 15. Sed Petrus Galatinus lib. 3. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 24. & Porchettus de Saluaticis in Victoria contra Hebræos cap. 13. fusiùs probant, in Sacris literis Regem Messiam, Christum sæpè dici, & Dauidem, & Salomonem: quòd ostendunt ex frequentibus Glossis antiquorum Rabbinorum, quas nominatim commemorant; & de hoc ipso Vaticinio differentes ex sententia antiquorum Rabbinorum affirmant, non posse intelligi de Rege Salomone filio Dauidis: quia nusquam reperitur in sacris Scripturis, quòd Bethsabee Salomoni filio suo diadema fecisset. Et licèt Rabbini stupendum putent, quid diadema illud significare velit, & falsas propterea expositiones confingant, quas recenset, & confutat Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 2. cap. 15. vers. [Sed videamus quid de hoc Salomonis diademate.] In hoc tamen cùm Catholicis conueniunt, vt de Rege Salomone temporali non possit intelligi hoc Vaticinium.

Demùm ex eodem Vaticinio Christophorus de Sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra Infideles tit. 4. allegatione 20. incip. Vigesimo principaliter; probat Christum tempore passionis spinis fuisse coronandum.

§. VIII.

Ex Prophetia Psalmi 2.

EX Psalmis Dauidicis non minùs illustria petuntur testimonia, ad probandum Regnum, & vniuersale dominium Christi, è multis vnum, aut alterum magis perspicuum commemorabitur.

Psalmo 2. ita scriptum extat: [Ego autem constitutus sum Rex ab eo.] Sic enim habet Vulgata editio, à qua non est recedendum. Alij verbum, nasachti, quòd est in textu Hebræo, interpretantur, fusus sum, id est, vnctus, inauguratus, præpositus sum. Quibus verbis æternus Dei Filius Dominus noster

ster Iesus Christus, de se loquens affirmat, à Deo Patre constitutum Regem. Hæbrei illa verba nasacti malcki, actiuè transferentes sic interpretati sunt, vt Pater æternus inducatur loquens, & dicens: [Ego autem ordinaui Regem meum.] Aquila, & Quinta editio: [Et ego incolumem præstiti Regem meum.] Symmachus: [Et ego vnxi Regem meum.] Sexta editio: [Et ego saluaui Regem meum.] Rabbi Dauid, & Rabbi Abraham: nasacti, id est, regnare feci, transtulerunt. Vtcumque dicatur idem perpetuò manet sensus, nec verbum, nasacti, desiuit esse passiuæ significationis, quamuis sit coniugationis Kal: nam Kal, propriè est instituta pro verbis neutris, & absolutis, ita vt non sit necesse vertere: [Vnxi, siue constitui Regem meum, Regem quem ego ad regnum prouexi; vt prudenter ibidem obseruauit Gilbertus Genebrardus.

His præmissis, constanter asserimus, de fide esse, hunc Psalmum 2. de Christo, & eius Regno, & iudiciaria potestate, & æterna generatione à Patre, diuinitùs fuisse ordinatum: quia sic Apostoli declarauerunt Act. Apostol. cap. 4. num. 25. & sequen. & cap. 13. num. 33. vbi Apostolus allegat hunc Psalmum 2. Sanctus etiam Paulus ad Hæbreos cap. 1. de Christo filio Dei Deo hunc allegat versiculum: [Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vnde Sanctus Hieronymus in principio huius Psalmi prudentissimè dixit: [Audacis esse, hunc Psalmum interpretari velle post Petrum: immò de eo sentire aliud, quàm in Actibus Apostolorum dixerit Petrus. Hæc Hieronymus.

Apostolicam veritatem secuti sunt super eodem Psalmo præter S. Hieronymum, S. Augustinus, S. Thomas, Petrus Lombardus, Hugo de Sancto Charo, Michael Aygnanus, Ludolphus Charrus, Ioannes Cardinalis de Turrecremata: Iacobus Perez de Valentia, Dionysius Chartusianus, Cornelius Iansenius, Gilbertus Genebrardus, & alij, quorum testimonia paulò post recensebimus.

Demùm hic est Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ consensus: & ideò Ioannes XXII. In sæpè allegata Constitutione incip. Quia vir reprobus; eodem prorsùs verò sensu accepit hunc Psalmum, contra Michaelem de Cesena, ad probandum Regnum, & vniuersale dominium Christi super temporalibus.

Addit verò Iacobus Perez de Valentia Episc. Christopolitanus, initio huius Psalmi, Rabbi Salomonem affirmare, Magistros antiquos Hebræorum hunc Psalmum etiam exposuisse de Rege Messia, scilicet, de Christo in Lege, & Prophetis promisso: licèt Rabbi Salomon, & recentiores Rabbini Iudæorum veram sententiam antiquorum mutando, hunc Psalmum glossauerint de Dauid, & victoria, quàm reportauit de Philistæis lib. 2. Regum cap. 5. Sed eorum commentum ex prædictis validè confutatur: quòd etiam aduersùs Iudæos copiosè ex proposito confutauit Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 3. cap. 15.

Et præter Christi diuinitatem, quæ inde validissimè probatur contra Iudæos, Mahumetanos, & alios infideles, Regnum & vniuersale Dominium Christi efficacissimè probant versus subsequentes:

Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.

Quibus verbis potentissima Christi hominis Regis iurisdictio significatur contra eos, qui rebellare voluerint, aut parere eius imperio recusauerint, quorum ipse consilia, & artes præduro sceptro dissipabit.

§. IX.

Ex Psalmo 44. incip. Eructauit cor meum verbum bonum.

HVnc Psalmum de Messia Rege Christo fuisse conceptum de fide est: quia sanctus Paulus ad Hebræos cap. 1. ex eo allegat versiculum nonum, & decimum in hæc verba: [Ad filium autem: Thronus tuus Deus in seculum seculi: virga æquitatis, virga Regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.] Vnde Patres, & alij Doctores de Christo ad literam acceperunt hunc Psalmum. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Thomas de Aquino, Bruno Chartusiæ Patriarcha, Hugo de Sancto Charo Cardinalis, Nicolaus de Lyra, Iacobus Perez Episcopus Christopolitanus, Ludouicus Viues lib. 3. de Veritate fidei Christianæ, & cæteri, quos longum esset recensere, affirmantes hunc Psalmum continere velut Canticum quoddam, siue Carmen nuptiale sponsi, & sponsæ, id est, Christi, & Ecclesiæ.

Qui contra perfidiam Iudæorum scripserunt, hoc quoque Psalmo vtuntur, ad probandum, Messiam in Lege promissum, verum esse Regem, & Deum. Paulus de Sancta Maria Episc. Burgensis in Scrutinio Scripturarum distinct. 10. cap. 4. Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 3. cap. 16. Christophorus de sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra Infideles, allegatione 17. incip. Decimoseptimò principaliter; vbi singula ferè verba ponderantes affirmant, non alijs, quàm Christo, quæ in hoc Psalmo diuinitùs proferuntur, posse conuenire. Addit verò Iacobus Perez super vers. Speciosus forma, & vers. Accingere gladio tuo. Deum Patrem eam tradidisse Christo homini, quæ dignum reddebant Regia dignitate, & Regno vniuersali. Quamobrem Ioannes XXII. in sępè allegata Constitutione incipien. Quia vir reprobus; ad probandum, Regnum, & vniuersale Dominium Christi super temporalibus, verè pronunciauit, totum illum Psalmum incip. Eructauit; loqui de Rege Christo, & sponsa eius Ecclesia.

Cùm Catholicis conueniunt insignes quidam Hebræi antiqui; videlicèt, Auctor Targum, qui tantæ est apud Hebræos auctoritatis, vt eius interpretationem sacro Textui æquiparare non dubitent: nam vbi Vulgata nostra editio, habet: [Speciosus forma præ filijs hominum. Targum habet: [Pulchritudo tua, ò Rex Messia, præstantior filiorum

tum hominum.] Et vbi Editio nostra habet: [Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.] Translatio Chaldaica habet: [Tu Rex Messias, ex eo quòd amasti iustitiam, & odisti malitiam, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ plusquam amicos, vel socios tuos.] Sic verè notauit Christophorus de sancto Antonio in Triumpho Christi IESV contra Infideles tit. 2. allegatione 17. incip. Decimoseptimò principaliter; verf. Vt applicem istum Psalmum. Item Ionatham Aben Huziel totum hunc Psalmum exponit de Rege Messia, dicens: [Dico ego opera mea Regi Messiæ.] Demum, vt præcitato loco affirmat Iacobus Perez, tota Ecclesia firmiter tenet, & prædicat, quòd Dauid fecit hunc Psalmum; in quo explicat magnificentiam, & prosperitatem Ecclesiæ, & Christi sponsi sui: & ideò in consecratione Chrismatis, cùm Dauid Prophetica voce cantat: [Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.] Ex his firmiter consutantur delitia Iudæorum prætendentium, hunc Psalmum accipiendum, vel de prospero statu Iudæorum sub Rege Salomone: vel de rege Assuero; cuius tempore Mardochæus, & alij Iudæi fuerunt honorati: vel etiam de rege Dauid, qui multas gentes circumuicinas debellauit: de quo dicunt, posse intelligi illa verba: [Accingere gladio tuo super fęmur tuum potentissimè;] quoniam ista, & multa alia in eo Psalmo prolata, nonnisi Christo Domino conueniunt vt præcitatis locis Iudæos consutantes grauiter, & verè docuerunt Paulus de Sancta Maria, & Finus Hadrianus.

Illa autem verba: [Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè; efficacissimam Regis Christi demonstrant coactiuam iurisdictionem, & potestatem, ad Reges, & huius Mundi Principes rebelles, & refractarios debellandos.

§. X.

Ex Psalmo 71. incipien. Deus iudicium tuum Regi da.

PSalmus 71. incip. [Deus iudicium tuum Regi da,] tam apertè loquitur de Christo Rege, & Domino rerum omnium creaturum, vt nulla Rabbinorum, aut Iudaizantium fraude veritas occultari possit. Quamquam enim, vt refert Finus Hadrianus lib. 2. Flagelli contra Iudæos cap. 12. Hebræi recentiores, & nonnulli etiam Christiani affirment, hunc Psalmum de Rege Salomone conceptum: ut sit argumentum, Dauid ad Dominum orasse pro filio suo Salomone: vt regnum sub manu sua in veritate, & iustitia prosperè regeretur: multa tamen in eo continentur, quæ Regi Salomoni conuenire nequaquam possunt, qualia sunt:

Et permanebit cum Sole, & ante Lunam: in generatione, & generationem. & rursus.

Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et iterum:

Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent.

Reges Tharsis, & insulæ munera offerrent: Reges Arabum, & Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes Reges: omnes Gentes seruient ei. Et paulò post.

Sit nomen eius benedictum in secula: ante Solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes Tribus terræ: omnes Gentes magnificabunt eum.

Quibus consideratis SS. Patres concorditer censuerunt, totum hunc Psalmum, tam secundùm sensum literalem, quàm secundùm spiritum de Christo Rege fuisse conceptum, & non de Salomone conscriptum: quamquam aliqua ei conueuire possent.

Sanctus Hieronymus ad Ruffinum epist. 131. iuxta recentiorem impressionem, incip. [Multum in vtramque partem;] sic habet: [Nulla dubitatio est, quin cuncta, quæ Psalmo septuagesimo-primo dicuntur, non Salomoni mortuo, sed Christi conueniant maiestati.]

Item Hieronymus in Danielem cap. 11. super illis verbis: [Et stabit in loco eius despectus,] sic ait: Et hunc esse morem Scripturæ sanctæ, vt futurorum veritatem præmittat in typis, iuxta illud, quod de Domino Saluatore in septuagesimo primo Psalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia, quæ de eo dicuntur, Salomoni non valent conuenire. Neque enim permansit ille cum Sole, & ante Lunam generationis generationum: neque dominatus est à mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terratum: nec omnes Gentes seruierunt ei: neque ante Solem permansit nomen eius: nec benedictæ sunt in ipso omnes Tribus terræ: neque omnes Gentes magnificauerunt eum.] Hactenus sanctus Hieronymus.

Sanctus Augustinus cum Hieronymo consentiens lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 8. sic scribit: [Præter libros diuinæ historiæ, vbi, Salomon, regnasse narratur, Psalmus etiam septuagesimus-primus titulo nominis eius inscriptus est: in quo tamen multa dicuntur, quæ omninò ei conuenire non possunt, Domino autem Christo aptissima perspicuitate conueniunt, vt euidenter appareat, quòd in illo figura qualiscumque adumbrata sit, in isto autem ipsa veritas præsentata. Notum est enim, quibus terminis regnum conclusum fuerit Salomonis: & tamen in eo Psalmo legitur, vt alia taceam: Dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terræ. Quod in Christo videmus impleri: à flumine quippe dominandi sumpsit exordium, vbi baptizatus à Ioanne, eodem monstrante, cœpit agnosci à discipulis, qui eum non solùm Magistrum, verùm etiam Dominum appellauerunt. Nec ob aliud, viuente adhuc patre suo Dauid, regnare Salomon cœpit, quod nulli illorum Regum contigit, nisi vt hioc quoque satis eluceat, non esse ipsum, quem Prophetia ista præsignat.] Hæc Sanctus Augustinus.

Idem Augustinus in libro de vnitate Ecclesiæ cap. 8. similiter verè probat, Psalmum septuagesimum-primum de Christo, non de Salomone intelligendum.

Euse-

Eusebius Cæsariensis idem diffusè probat lib. 7. de Demonstratione Euangelica c. 3. Demonstratione 7. vbi verè affirmat, hunc Psalmum de Regno Christi diuinitùs fuisse inspiratum, & scriptum: & quæ sequuntur in illo ad filium Salomonis Robnam, qui post illum regnauit in Ierusalem, referri non posse: sed ad eum, qui de eius semine, ratione humanæ naturæ, profectus est, Christum Dei.

Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Iudæo paulò post principium, longo sermone concepto, probat, nihil eorum, quę in hoc Psalmo septuagesimo primo prophetice dicta fuerunt, Salomoni conuenire posse: [Neque enim, inquit, Reges cuncti adorauerunt eum, neque vsque ad fines orbis imperauit, neque inimici ad pedes eius prouoluti puluerem linxerunt.] Hęc Iustinus.

Sanctus item Ambrosius in Apologia posteriore de Dauide cap. 4. de eodem hoc Psalmo copiosè disserens, non Salomoni, sed Christo conuenire demonstrauit his verbis: [Qua autem opinione, vel Dauid Dei filium iudicatis, vel Salomonem putatis? An quia scriptum est: Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis? & quia titulus Psalmi septuagesimi-primi io Salomonem dicitur esse compositus? Sed quem Salomonem dicat aduertite. Salomon enim pacificus est, hoc habet interpretatio. Psalmus in eum dicitur, quem verè scimus esse pacis auctorem. Quomodo autem Salomon pacificus? non hoc Ioab sanguis ostendit, quem intra altaria templi iussit occidi: non Adonię pœna, quem affectatę affinitatis regię reum percussit, nec matris obsecratione ab indignatione reuocatus. Quomodo autem in Salomonem Dauid filium existimatis conuenire quod scriptum est: Quia permanebit cum Sole, & ante Lunam in secula seculorum: cùm ille breuis vitę adeptus vsuram, angustis terminis viuendi spatium transegerit? Quomodo autem de eo dicitur: Dominabitur à mari vsque mare: cùm ille intra Syriam constitutus, hoc est, intra vnius regionis Prouinciam, circumscriptos fines habuerit Imperij: solus autem Christus vsque in orbis totius terminos suum propagarit Imperium? Solus enim iste est, de quo bene Psalmi series prophetauit: quia Reges Arabum, & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes Gentes seruient ei. Hunc enim nouimus, Gentibus vniuersis, & Nationibus imperantem: incircumscripto Imperio, interminata potestate.] Hæc S. Ambrosius.

Multa aliorum Patrum testimonia in eamdem sententiam commemorari potuissent, quæ breuitatis causa consultò prætereunda duximus; illud ingenuè profitentes, communem eorum consensum esse, hunc Psalmum de Christo homine Rege, & vniuersali rerum Domino, prophetico spiritu, à Dauide fuisse pronunciatum. Id quod dilucidè conuincunt Christiani Doctores, qui contra Iudæos ex proposito scripserunt; in quibus sunt Paulus de Sancta Maria, de Iudæo factus Christianus, & postea Episcopus Burgensis in Scrutinio Scripturarum, dist. 9. cap. 10. & distin. 10. cap. 3. Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 2. cap. 12. Porchetus de Saluaticis in Victoria contra Hebręos part. 1. cap. 21. & Christophorus de Sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra Infideles, tit. 2. allegat. 21. incip. [Vigesimo primo principaliter.] vbi in specie de hoc Psalmo cum præallegatis agens, præsupponit, illum Psalmum, secundum Catholicos, & etiam secundùm Hebræos, intelligi de Rege Messia; quod probat ex multis auctoritatibus Hebræorum, & præcipuè ex eo, quod habetur in Midras Tihillin, id est in glossa Hebraica super Psalmos, vbi hoc modo scriptum extat: [Deus iudicium tuum Regi da: & iustitiam tuam filio Regis. Iste est Rex Messias, de quo dictum est Esaiæ 11. Et egredietur virgultum de stirpe Iesse.] Raymundus quoque Martini in Pugione contra Iudæos part. 2. cap. 11. vers. [Nunc autem.] super Psal. 71. sic dicit: [Magistri nostri totum istum Psalmum de Rege Messia exposuerunt.] Translatio quoque Chaldaica huius Psalmi principium ita transtulit: [Deus sententiam iudiciorum tuorum Regi Messiæ da.] In Biblijs Regijs superiori seculo Antuerpiæ impressis, pro [Regi Messiæ, Regi Christo] scriptum fuit.

Non obstat, quòd Psalmi titulus sit. [In Salomonem,] vel [Salomoni,] vel [Pro Salomone,] quoniam respondetur primò, sæpè in sacris Literis Salomonis appellatione intelligi Deum, & Christum Regem Messiam: vt paulò antea §. 7. notatum fuit: & in specie, de hoc Psalmo disserentes, obseruant Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 2. cap. 12. & Christophorus de Sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra Infideles tit. 2. allegatione 21. incip. [Vigesimoprimo principaliter.] vers. [Nec obstat.] Vnde dicendum est titulum Psalmi non esse accipiendum pro nomine proprio Regis Salomonis filij Dauidis; sed de Salomone, id est, pacifico Rege Messia Christo: vt, præter prædictos, omnis Catholicorum Schola profitetur: Christus enim verè Rex pacificus est: iuxta illud Esaiæ cap. 9. [Et vocabitur nomen eius, Princeps pacis.]

§. XI.

Conformi sacrarum Literarum veteris Testamenti consensu Christum vocari Dominum: Regem: Dominatorem: Principem.

EX prædictis constat euidenter, Christum verum Messiam in Lege promissum, vocari Dominum; Regem: Dominatorem: Principem.

Dominum, Esaię cap. 33. num. 22. [Dominus enim Iudex noster: Dominus Legifer noster: Dominus Rex noster.] Ieremiæ cap. 23. num. 6. [Dominus Iustus noster.] Zachariæ cap. 9. num. 14. [Et Dominus Deus super eos videbitur, &c.] Quem locum S. Hieronymus ibi, ad intelligentiam Saluatoris pertinere affirmat.

Regem, Esaiæ cap. 33. num. 22. [Dominus Rex noster.] & Ierem. cap. 23. nu 5. [Di-

Dicit Dominus: Et suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex, &c.] & Cant. cap. 3. num. 11. [Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem: & psal. 2. [Ego autem constitutus sum Rex ab eo.] & psal. 44. [Dico ego opera mea Regi.] Nec dubitandum quin de Rege Christo sit psalmus conceptus: vt paulò antea §. 9. indicauimus, & psal. 71. ibi: [Deus iudicium tuum Regi da.]

Dominatorem, Esaiæ cap. 16. num. 1. [Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.] & Michææ cap. 5. num. 2. [Ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel.] Et Malach. cap. 3. [Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis.]

Principem, Esaiæ cap. 9. num. 6. [Et factus est principatus super humerum eius.] & paulò post ibi: [Princeps pacis.]

Illud verò reuerentiæ genus erga Messiam apud Rabbinos, præsertim antiquos, valde mirabile est: vt numquam, aut raro Messiam appellare sint soliti, nisi apposito Regiæ dignitatis nomine: semper enim Messiam appellaturi, aut præmittunt, aut postponunt nomen Regis, dicentes: [Regem Messiam, vel Messiam Regem.]

CAP. IV.

Idem Regnum Christi, & vniuersale Dominium noui Testamenti luculenter probari.

IN nouo quoque Testamento multa, & præclara extant testimonia de eiusdem Christi hominis Regno, & vniuersali dominio loquentia; & cum supradictis veteris Testamenti Vaticiniis per omnia consentientia: in quibus recensendis, eumdem, quem supra retinuimus, ordinem seruabimus. Et primo loco ea, quibus vsus fuit Ioannes XXII. in sæpe allegata Constitutione contra Michaelem de Cesana, recensebimus; mox si quæ sunt alia relaturi.

§. I.

Ex sancto Luca Euangelista, cap. 1. & 2.

EX sancto Luca Euangelista cap. 1. Ioannes XXII. ad probandum Christi Regnum, hoc testimonium profert, in hæc verba: [De hoc etiam, antequam conciperetur, Gabriel Angelus, vt legitur Lucæ 1. dicit: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum.] Hæc Papa Ioannes.

Notum est autem, Dauidem non regnasse spiritualiter: Filius ergo Dei, cui mox in carne generando datus erat æternus Pater Dauidis regnum, non solùm spiritualis, sed temporalis etiam Rex, & Dominus erat futurus. Quod paulò post copiosiùs explicabitur.

Rursùs ex eodem Luca cap. 2. Ioannes XXII. ad idem probandum, aliud testimonium profert, in hæc verba: [Item & eo nato, Angelus ad pastores, Luc. 2. dicit: Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus: id est, Rex, & Dominus.] Hæc Papa Ioannes. Qui paulò post in eadem Constitutione hoc testimonium clariùs interpretatur; & constantissimè probat, Christum, in quantùm hominem, ex dono Dei Patris, & Regnum, & Dominium rerum omnium accepisse: vt patet ex deductis infra cap. 6.

§. II.

Ex sancto Matthæo, cap. 2. & 28.

EX Euangelio Matthæi cap. 2. Ioann. XXII. in prædicta Constitutione contra Michaelem de Cesena aliud protulit testimonium, in hæc verba: [Huic etiam nato illi tres Magi Euangelici, Matth. 2. perhibuerunt testimonium, sic dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?] Hæc Ioannes. Quod & de Christo Rege super temporalibus intellexisse Magos, & munerum oblatio monstrauit, & typus indicauit [illegible]: quoniam vt testatur sanctus Hierony[illegible]us super Psalm. 71. vers. [Reges Tharsis.] [illegible], qui Gentium, & Regum typum repr[illegible]unt, muneta offerentes, & Christum a[illegible], cæteros ei submissuros colla, diuinitus docuerunt: cùm in Magis id fuerit inchoatum.

Huic testimonio accedit aliud ex eodem Matthæo cap. 28. non minus illustre, ea verbis Regis Christi post resurrectionem ad Apostolos, dicentis: [Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.] Vnde Catholici Doctores communiter concludunt, Christum, secundùm naturam humanam, omnem potestatem, omnem iurisdictionem, & omne Dominium rerum omnium habuisse. Quod signanter, de hac materia disserentes, duo insignes Catholici Doctores, Petrus Bertrandus, & Durandus docuerunt; affirmantes, eos, qui id negant, Euangelio contradicere.

Bertrandus quidem in hæc verba: [Ad tertiam rationem de Christo, qui abiecit à se vt dicunt, omnem iurisdictionem temporalem, dicendum est; quòd qui dicit, Christum non habuisse omnem potestatem secularem, seu temporalem, & spiritualem, contradicit eius verbo Matthæi vlt. cap. vbi legitur, Christum dixisse: Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra; & Apocalypsis primo dicitur Princeps Regum terræ.] Hactenus Petrus Cardinalis Bertrandus Tract. de Origine Iurisdictionum, quæst. 3. num. 35. vers. [Ad tertiam rationem.]

Durandus autem his verbis: [Ad tertiam rationem de Christo, qui abiecit à se, vt dicunt, iurisdictionem temporalem, dicendum est; quòd qui dicit, Christum non habuisse omnem potestatem spiritualem, & temporalem, contradicit Euangelio Matthæi vltimo, vbi legitur, Christum dixisse: Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra; & Apocalypsis primo dicitur Princeps Regum terræ.] Hactenus Durandus de sancto Portia-

tiano Episcopo Meldensi Tract. de Iurisdict. Ecclesiastica, siue de Origine Iurisdict. qu. 3. in solutione tertij argumenti.

[Hæc autem potestas,] vt verè ex sancto Hieronymo docet sanctus Thomas parte 3. quæst. 13. artic. 2. in responsione ad primum argumentum: [Illi data est, qui paulò antea crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit: id est, Christo, secundùm quòd homo. Dicitur autem, sibi omnis potestas data, ratione vnionis, per quam factum est, vt homo esset omnipotens.] Hæc sanctus Thomas.

Nec est putandum, Christo homini, tunc primùm post resurrectionem, à Patre omnem potestatem fuisse collatam: cùm eam sibi contulerit in instanti suæ conceptionis: sed ideò tunc data fuisse dicitur, quia quæ antea innotuerat Angelis, tunc hominibus innotuit: vt docuit idem sanctus Thomas 3. par. qu. 13. artic. 2. in responsione ad primum argumentum, & apud sanctum Matthæum cap. 28. circa finem, in hæc verba: [Sed quare magis dicit post resurrectionem; Data est mihi omnis potestas, quàm ante resurrectionem? Dicendum, quòd in Scriptura dicitur aliquid fieri, quando primò innotescit. Sic ergo ante resurrectionem non fuit ita manifestata omnipotentia, licèt eam habuerit: sed tunc fuit maximè manifestata, quando potuit totum mundum conuertere.] Hactenus sanctus Thomas.

§. III.

Ex Euangelio sancti Ioannis, cap. 1. & 18. & 19. *& ex Apocalypsi*, cap. 19.

EX Euangelio sancti Ioannis, cap. 1. & 18. & 19. Ioannes XXII. ad idem argumentum probandum tria profert testimonia, in hæc verba: [Item ille Nathanael verus Israelita, in quo dolus non erat, dicit ei, Ioannis 1. Tu es Filius Dei. Tu es Rex Israel. Pilatus quoq; in superscriptione Crucis scripsit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Quam quidem superscriptionem scribens non sine Diuino instinctu, Iudæis instantibus, quòd non scriberet: Rex Iudæorum: sed, quia dicit, se Regem Iudæorum, ipsos audite noluit, sed respondit: Quod scripsi, scripsi. Hoc etiam Saluator noster confessus fuit Ioannis 18. Cùm enim Pilatus interrogaret eum, Verùm esset Rex Iudæorum? respondit ei; Regnum meum non est de hoc mundo. Ex quo Pilatus concludens, dixit: Ergo Rex es tu? & post respondit: Regnum meum non est hinc, non dixit: Non est hic, sed, Non est hinc, quasi diceret: Regnum meum à mundo non habeo, sicut nec habebat, immò à Deo, sicut Angelus eius Genitrici prædixerat, Lucæ 1. dicens: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, &c.] Hactenus Papa Ioannes. Qui, paucis interiectis, addit quartam auctoritatem ex eiusdem Ioannis Apocalypsi, in hæc verba: [Hoc quoque beatus Ioannes in Apocalypsi 19. testatur, dicens: Habet scriptum in vestimento suo, Rex Regum, & Dominus Dominantium.]

Supradictis quatuor testimonijs accedunt alia ex eodem Ioanne à Sanctis ponderata; nam in eius Euangelio cap. 5. num 22. sic scriptum extat: [Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio,] & paulò post, num. 27. [Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.] Ex quibus sanctus Thomas par. 3. qu. 59. artic. 2, & 4. concludit, Christum, etiam vt homo est, totius Ecclesiæ esse Caput, & iudiciariam, & Regiam habere dignitatem.

Rursus apud eundem Ioannem cap. 13. de hoc vniuersali Christi Dominio insignis locus extat, in hæc verba: [Sciens, Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.] Hæc ibi. Quem locum Doctores communiter de latè patientissima, & efficacissima Christi hominis potestate intellexerunt; & signanter ibi sanctus Thomas his verbis: [In potestate eius dedit Deus Christo homini ex tempore, quæ tamen fuerant in potestate Filij ab æterno; Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.] Hæc sanctus Thomas.

Demum in Apocalypsi cap. 1. sic scriptum est: [Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.] Vnde etiam Catholici Doctores, Christi Principatum concludentissimè probari, verè affirmant.

§. IV.

Ex sancto Paulo ad Hebræos, cap. 1. & 2. *& 1. ad Corinthios*, cap. 15.

DIuinus Paulus ad Hebræos cap. 1. Christum Dominum, affirmat, à Deo Patre constitutum fuisse hæredem rerum omnium, in hæc verba: [Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula.] Hæc ibi. Ex quibus verbis Doctores affirmant, Christum Dominum, secundùm naturam humanam, totius mundi fuisse Dominum constitutum.

Idem Paulus eadem epistola ad Hebræos cap. 2. Patrem omnia subiecisse Christo, docet his verbis: [Omnia subiecit sub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum.] Hactenus sanctus Paulus. Quem locum sanctus Thomas lectione secunda, in fine, contra Arium, verè intellexit de subiectione rerum omnium Christo facta, secundùm humanam naturam.

Præterea idem Paulus in epistola 1. ad Corinthios cap. 15. Patrem omnia Christi pedibus subiecisse, docet his verbis: [Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia.] Hæc ibi. Quibus verbis generalis subiectio rerum omnium facta Christo homini à Patre, & vniuersale Christi Regis Dominium apertissimè demonstratur, quod in sequentibus clariùs apparebit, cùm sententiæ Sanctorum, & Doctorum de hoc argumento singulariter recitabantur.

§. V.

Ex sancto Petro in Act. Apostolor. cap. 2.

DEmum Ioannes XXII. in prædicta Constitutione incipiente: [Quia vir reprobus.] ex sancto Petro in Actibus Apostolorum cap.2.ad eamdem veritatem probandam, egregium assumit testimonium, in hæc verba: [Et hoc beatus Petrus Act. 2. expressè testatur, dicens: Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis. In quibus verbis Petrus duo satis clarè concludit de Iesu Domino nostro; videlicet, quòd Regnum suum à mundo non habuerit, sed à Deo, in eo quòd dicit, quòd Iesum fecit Deus Christum, id est, Regem: per Christum enim,Regem intelligimus: quia Christus interpretatur, Vnctus, & quia Reges inungi consueuerunt, per Christum, intelligimus Regem. Vnde Rabanus ibi: Manifestè Petrus ex hoc Psalmo Regnum Christi non terrenum, sed cœleste ostendit esse. Item concludit Petrus ex verbis prædictis: quòd Christus, in quantùm homo subsistens in Diuino supposito, fuerit Dominus, & Rex factus. Constat enim, quòd in quantùm erat Deus, Crucifixus non fuit, sed in quantùm homo: & ideo cùm Rex & Dominus fuerit factus in quantùm crucifixus, & crucifixus fuerit in quantùm homo,sequitur quòd & Regnum, & Dominium tamquam homini sibi Deus concessit. Hoc etiam supposuit Angelus loquens, eo nato, pastoribus, dicens: Hodie natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus, id est, Rex, & Dominus. Vbi aduertendum, quòd illud quod Gabriel Angelus Christo nondum nato dixerat de futuro, dicens Mariæ: Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, &c. Angelus iste, eo nato, dixit pastoribus per verba de præsenti, dicens: Hodie natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus. Hoc Augustinus in lib. de Con. Euangelistarum, in Procemio expressè testatur,dicens: Dominus Iesus Christus vnus verus Rex, & vnus verus Sacerdos est.] & paulò post dicit sic: [Secundùm hominem quippe Christus & Rex, & Sacerdos effectus est: cui dedit Deus sedem Dauid patris sui; & Regni eius non erit finis.] Hactenus ibi.

Ex sacris literis vtriusque Testamenti plura testimonia recenseri potuissent, sed hæc Doctorum iudicio illustria sunt; & institutum, de quo agitur, probantia; alia numerant alij, in quibus est beatus Ioannes de Capistrano, tractatu de Papæ, & Concilij auctoritate, par.2. secundæ partis num. 186. & sequent.

§. VI.

Summo sacrarum Literarum Noui Testamenti consensu, Iesum Christum vocari Regem, Dominum, Principem, Iudicem, Hæredem vniuersorum.

TEstimonia Noui Testamenti cum Vaticinijs veteris per omnia conuenientia, Messiam Christum, appellant Regem, Dominum, Principem, Iudicem, Hæredem vniuersorum.

Regem. Luc. cap. 1. num. 35. [Et dabit illi Iesu Dominus Deus sedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum; & Regni eius non erit finis.] Matth. cap. 2. nu.1. [Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?] & cap. 21. num. 5. [Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.] Ioan. cap.1. nu.49.& 50. [Rabbi tu es Filius Dei; tu es Rex Israel;] & cap.18. num. 37. [Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis,quia Rex sum ego;] & cap.19. sæpè Christus mutu Dei dicitur Rex, sicut verè erat, licèt per ludibrium Rex appellaretur à Iudæis. Marci cap. 15. num. 12. [Quid ergo vultis faciam Regi Iudæorum?] & nu.18. [Aue Rex Iudæorum;] & num.26. [Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum;] & num.32. [Christus Rex Israel descendat nunc de cruce.] Hæc enim tametsi ad ignominiam cum corona de spinis, & purpureo vestimento, ab incredulis ministris, & dicerentur, & pararentur; Diuinitùs nihilominus, & verum Regem, & veram Regiam dignitatem significabant; vt infrà cap.14.§.7. ex sancto Athanasio ostendimus. Et Apocal. cap.17. num.14. [Quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum;] & cap.19. num. 16. [Et habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium;] quod repetiuit sanctus Paulus epistola 1. ad Timoth. cap. 6. num. 15.

Dominum. Luc. cap. 2. num. 11. [Natus est hodie Saluator,qui est Christus Dominus;] & cap.52. nu.61. [Et conuersus Dominus respexit Petrum.] Matth.cap.12.num.8. [Dominus enim est filius hominis etiam Sabbati;] & cap.14. num.28. [Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas;] & num.30. [Domine saluum me fac;] & cap.22. nu.43.& 44. [Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Iesum Christum Dominum,dicens: Dixit Dominus Domino meo?] Marci cap.2. num.23. [Et factum est iterùm cùm Dominus sabbatis ambularet per sata;] & cap.11. nu.3. [Dicite, quia Domino necessarius est;] & cap. 12. num.36. [Dixit Dominus Domino meo.] Et Ioan. cap.13.num.13. [Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene facitis; sum etenim;] & num.14. [Si ergo ego laui pedes vestros Dominus.] Et Actor. cap.2. nu.36. [Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.] Et Apocalyp. cap.

cap. 17. num. 14. [Quoniam Dominus Dominorum.] Apud sanctum Paulum tam frequenter, & patenter Christus simpliciter appellatur Dominus, vt minimè sit necessarium singula commemorare.

Principem. Actor. cap. 5. num. 31. vbi sanctus Petrus Spiritu sancto plenus dixit: Hunc Principem, & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua.] Idem sanctus epist. 1. cap. 5. num. 4. [Et cùm apparuerit Princeps Pastorum;] & Apocalyp. cap. 1. [Et à Iesu, qui est Testis fidelis, & Princeps Regum terræ.]

Iudicem. Ioann. cap. 5. num. 22. & 27. Actor. cap. 10. num. 42. [Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari; quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.]

Hæredem vniuersorum. Ad Hebr. cap. 1. [Quem constituit Hæredem vniuersorum.]

Ex supradictis constat, excessisse Dominicum Sotum lib. 4. Sentent. dist. 25. quæst. 2. art. 1. conclus. 3. §. Quod autem, vers. In toto Euangelio, qui non consideratis tot sacrorum Eloquiorum testimonijs, pronunciauit, [In toto Euangelio nullam fieri mentionem Regni Christi temporalis;] quod tametsi de Regno actualiter, & temporaliter possesso, & personaliter à Christo administrato verum sit; in quo sensu non loquitur Sotus, de Regni dominio sacris Literis repugnare videtur; vt clarè demonstrauit Petr. Bertrand. infra cap. 12. §. 1. allegatus.

CAP. V.

Testimonio Innocentij III. Rom. Pontif. ad Caloioannem Regem Bulgarorum, & Blacorum, demonstrari, Christum rerum omnium, & totius Orbis esse Dominum.

CVm populi Bulgarorum, & Blacorum multò iam tempore ab Ecclesia Romana fuissent alienati, & Innoc. III. eximiæ doctrinæ, & magnæ prouidentiæ Pontifex, in spiritualibus, & temporalibus eis prouidere paterna sollicitudine decreuisset: & constituto Rege Caloioanne, speraret, optatum finem se consecuturum; antequam illum Regem crearet, præfatus fuit, & firmauit, Christum rerum omnium creatarum, & totius Orbis Dominum, In beato Petro eam sibi auctoritatem concessisse, in hæc verba:

Innocentius Tertius Caloioanni illustri Bulgarorum, & Blacorum Regi, eiusque posteris, ei tam in Regno, quàm in deuotione Sedis Apostolicæ successuris in perpetuum.

Rex Regum, & Dominus Dominantium Iesus Christus Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, cui dedit omnia pater in manu, pedibus eius subijciens vniuersa, cuius est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & omnes habitantes in eo: immò cui flectitur omne genu, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum, &c.] Et cùm statim latè docuisset, eam sibi, ad Reges constituendos, tributam fuisse Diuinitùs potestatem; in Decreto constituendi Regem adiecit hæc verba:

[Cùm igitur, licèt immeriti, eius vices geramus in terris, qui dominatur in Regno hominum, & cui voluerit dabit illud: vtporè per quem Reges regnant, & Principes dominantur.] Hæc Innocentius. Cuius integram epistolam in fine huius libri imprimendam curabimus. Firmauit ergo magnus ille vir Apostolicus, Christum hominum Regem, & verè Dominum, in Petro, quem sibi Vicarium constituit, Romano Pontifici, ad creandos Reges temporales, dedisse potestatem; quam vsus Innocentius, Caloioannem Regem instituit; de quo articulo copiosè suo loco disseremus.

CAP. VI.

Declaratione Ioannis XXII. constare, Christum, in quantùm hominem, habuisse Regnum, & vniuersale Dominium omnium rerum temporalium, ab instanti suæ conceptionis; idque ad illum Symboli Articulum pertinere: Et in Iesum Christum vnicum Dominum nostrum.

CVm superioribus sæculis, & præsertim tempore Ioannis XXII. Rom. Pont. ad annos Domini 1321. & aliquot sequentibus Michael potissimùm de Cæsena Fraticellorum Coryphæus grauiter Dei Ecclesiam perturbaret, pertinaciter asserendo, Christum, & eius Apostolos nihil habuisse in communi, vel in particulari: & temeritate punibili ausus fuisset, tres eiusdem Papæ Constitutiones impugnare, incip. [Ad conditorem Canonum. Cùm inter nonnullos. Quia quorumdam;] quæ recensentur inter Extrauagantes Ioannis XXII. tit. de verbor. significat. & contra eas multa mendacia opposuisset, & publicè diuulgasset; atque in primis eò huius hominis audacia progressa fuisset; vt Christi Dominium vniuersale, Regnumque negaret: ideò Papa Ioannes Auinione 16. Kalen. Decembris, Pontificatus sui anno 14. hoc est anno Domini 1330. Constitutionem edidit, incip. [Quia vir reprobus,] quam valuis Ecclesiæ maioris Auenionen. affigi, seu appendi fecit: vt Hæreticorum doctrina pestifera ad omnium notitiam deueniret: vt patet ex vltimis verbis eiusdem Constitutionis.

In ea, postquam copiosè fuissent reprobati singuli illius Hæretici errores, & ad omnia argumenta copiosè responsum: cùm ad illud ventum est, in quo vel temporale Christi Regnum, & Dominium negabatur, vel in dubium reuocabatur; Papa, recensitis ex Veteri Testamento multis Prophetarum Vaticinijs, & in sensu literali de Christo Rege Domino declaratis, & commemoratis ex nouo multis Diuinis testimonijs, Christum verè fuisse Regem, & Dominum vniuersorum demonstrauit, his verbis:

[Secundò quæritur, Vtrum Christus alicuius rei temporalis Dominium habuerit, & quale? Quòd autem Dominium temporalium habue-

habuerit, sacra Scriptura tam in Testamento Veteri, quàm in Nouo, in multis locis testatur. Multi quidem Prophetæ, eum futurum Regem populi Israelitici, & per consequens habere Regni Dominium prophetauerunt. Esaias quidem de eo prophetauit 33. sic dicens: Dominus Iudex noster: Dominus Legifer noster: Dominus Rex noster, ipse veniet, & saluabit nos. Item per os Ieremiæ Prophetæ, Deus, Ieremiæ 23. ità dicit: Suscitabo Dauid germen iustum; & regnabit Rex, & sapiens erit; & faciet iudicium, & iustitiam in terra, & sequitur: Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster. Iste est enim lapis abscissus de monte sine manibus, cui Deus Cœli dedit Regnum, quod in æternum non dissipabitur, vt habetur Dan. 2. Item Zach. 9. de eo dicitur sic: Exulta satis filia Sion: iubila filia Ierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. De hoc Dauid in multis locis prophetauit: vndè in quodam loco, in persona eius sic dicit: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Eumque futurum Regem, in multis alijs locis prophetauit; vndè totus ille Psal. Eructauit, loquitur de Rege isto, & Sponsa eius, scilicet, Ecclesia; & alij multi Psalmi loquuntur de Rege huiusmodi satis clarè. De hoc etiam Salomon Cant. 3. sic dicit: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem,&c. De hoc etiam, antequam conciperetur, Gabriel Angelus, vt legitur Luc. 1. dicit: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Item & eo nato Angelus ad Pastores, Luc. 2. dicit: Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, idest Rex, & Dominus. Huic etiam nato illi tres Magi Euangelici Matth. 2. perhibuerunt testimonium, sic dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Item ille Nathanael verus Israelita, in quo dolus non erat, dicit ei, Io. 1. Tu es filius Dei. Tu es Rex Israel. Pilatus quoque in superscriptione Crucis scripsit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Quam quidem superscriptionem scribens non sine Diuino instinctu, Iudæis instantibus, quòd non scriberet, Rex Iudæorum; sed, quia dicit, se Regem Iudæorum, ipsos audire noluit; sed respondit: Quod scripsi, scripsi. Hoc etiam Saluator noster confessus fuit Ioan. 18. Cùm enim Pilatus interrogaret eum, Vtrùm esset Rex Iudæorum? respondit ei: Regnum meum non est de hoc Mundo. Ex quo Pilatus concludens dixit: Ergo Rex es tu? & post respondit: Regnum meum non est hinc, non dixit, non est hic, sed, non est hinc, quasi diceret, Regnum meum à Mundo non habeo; sicut nec habebat, immò à Deo; sicut Angelus eius Genitrici prædixerat. Luc. 1. dicens: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, &c. Et hoc beatus Petrus Act. 2. expressè testatur, dicens: Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. In quibus verbis Petrus duo satis clarè concludit de Iesu Domino nostro; videlicet, quòd Regnum suum à Mundo non habuerit, sed à Deo, in eo, quod dicit, quòd Iesum fecit Deus Christum; idest, [Regem: per Christum enim Regem intelligimus; quia Christus interpretatur vnctus: & quia Reges inungi consueuerunt, per Christum, intelligimus Regem. Vndè Rabanus ibi: Manifestè Petrus ex hoc Psalmo Regnum Christi non Terrenum, sed Cœleste ostendit esse. Item concludit Petrus ex verbis prædictis: quòd Christus, in quantùm homo subsistens in Diuino supposito, fuerit Dominus, & Rex factus. Constat enim, quòd, in quantùm erat Deus, crucifixus non fuit, sed in quantùm homo: & ideo cùm Rex, & Dominus fuerit factus in quantùm crucifixus, & crucifixus fuerit in quantùm homo, sequitur, quòd & Regnum, & Dominium tamquam homini sibi Deus concessit. Hoc etiam supposuit Angelus loquens, eo nato, pastoribus, dicens: Hodie natus est vobis Saluator, qui est Christus, idest, Rex, & Dominus. Vbi aduertendum, quòd illud, quod Gabriel Angelus, Christo nondùm nato, dixerat de futuro, dicens Mariæ: Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris eius, &c. Angelus iste, eo nato, dixit pastoribus per verba de præsenti, dicens: Hodie natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus. Hoc Augustinus in libro de Con. Euangelistarum, in prœmio expressè testatur, dicens: Dominus Iesus Christus vnus verus Rex, & vnus verus Sacerdos est.] Et paulò post dicit sic: [Secundùm hominem quippè Christus, & Rex, & Sacerdos effectus est: cui dedit Deus sedem Dauid patris sui; & Regni eius non erit finis. Item, quòd Saluator fuerit Dominus omnium temporalium videtur: de eo enim dicitur Esaiæ 16. Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ. Item Mich. 5. de eo dicitur sic: Et tu Bethlehem Ephrata, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim egredietur, qui sit Dominator in Israel: & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Malachiæ verò 3. de eo dicitur sic: Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Item Ioannis 13. ipsa Veritas dicit: Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis: sum etenim. Item: Matth. 21. dicit Discipulis: Ite in Castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; soluite, & adducite mihi; & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus ijs opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc quoque beatus Ioannes in Apocal. 19. testatur dicens: Habet scriptum in vestimento suo: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Hoc insuper Apostoli in suo Symbolo confitentur, dicentes: *Et in Iesum Christum filium eius, vnicum Dominum nostrum.* Hoc etiam Patres sancti in Symbolo, quod cantatur in Missa, protestantur expressè ibi: *Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum.*

Præmissa autem, scilicet, Regnum, & vniuersale Dominium habuit Iesus Christus in quantùm Deus ab æterno, eo ipso, quòd Deus Pater genuit eum; & in quantùm homo ex tempore, scilicet, ab instanti conceptionis suæ, ex Dei donatione, vt patet ex prædictis.] Hactenus Papa Ioannes XXII.

Ex cuius Decretali Constitutione illud potissimùm innotescit, hanc veritatem de Christo Rege, & vniuersorum Domino, ad Syn-

Symbolum fidei pertinere: cùm Apostoli expressè confessi fuerint, & docuerint, Christum vnicum esse Dominum nostrum; quod Catholica deinde Ecclesia in Symbolo, quod cantatur in Missa, semper professa fuit.

§. I.

Multos Doctores antiquos, etiam Sanctos, mentionem fecisse Constitutionis Decretalis Ioannis XXII. *incipien.* Quia vir reprobus, *quam nec Haeretici negauerunt.*

CVm superioribus seculis recens extaret memoria huius Decretalis, & vsu frequenti, tùm in tribunalibus sanctissimae Inquisitionis, ad puniendos potissimùm Fraticellos, tùm in Scholis Theologorum, & Canonistarum, ad conuincendos errantes, manibus hominum tereretur: nemo eam in dubium est reuocare ausus: neque quemquam nunc puto reuocaturum, praesertim vbi intellexerit, viros graues, doctos, & sanctos huius Decretalis saepè meminisse; &, in dogmatibus Catholicis stabiliendis, eius auctoritate vsos fuisse. Ex multis, infrascripti nobis nunc occurrunt, quos libenter indicamus.

Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitorum par. 3. quaest. 9. num. 3. vers. Postmodùm verò, sic scribit: [Qui Dominus Ioannes XXII. eumdem Fratrem Michaelem de Caesena deposuit, & suum libellum, & contentos in ipso errores condemnanit, & condemnando doctrinam eius haereticalem, & pestiferam, condemnauit etiam & personam, eum Haereticum promulgando, vt patet in Extrauagante eiusdem Domini IoannisXXII. quae incipit: Quia vir reprobus Michael de Caesena.] Haec Eymericus.

Sanctus Antoninus in Summa parte 4. tit. 12. cap. 4. §. 17. in fine, vbi in terminis contra Fraticellos affirmat, Ioannem Papam determinasse contrarium, prout est veritas, scilicet, quòd Christus, etiam in quantùm homo, habet Dominium omnium temporalium; & quia Fraticelli, haeretici superbia tumidi, Papam dicebant haereticum, quia determinaoerat contra veritatem; ideò sanctus Antoninus ibi concludit: [Ipsos esse haereticos, qui pertinaciter impugnant hanc veritatem.]

Et sanctus Ioannes de Capistrano tract. de auctoritate Papae, par. 2. secundae partis principalis num. 186. in haec verba: [Nam vt exprimit Ioannes XXII. in sua Extrauaganti Decretali, quae incipit: Quia vir reprobus Michael de Cesena, quae de directo hac de causa condita fuit: vt monstraretur expressè, Christum habuisse dominium rerum temporalium.] Haec ille.

Et Ioannes Cardin. de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 2. c. 116. in resp. ad secundam obiection. his verbis: [Ad secundam obiectionem, in qua dicitur, quòd Christus non habuit potestatem, nec dominium; Resp. quòd falsum est: quoniam, qui dicit Christum non habuisse potestatem temporalem, & spiritualem, sicut etiam dicit Dominus Ioannes XXII. in decretali illa: Quia vir reprobus, contradicit sacrae Scripturae in multis locis: sed maximè illi Matthaei vltimo, vbi legitur Christus dixisse: Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. & Apocalypsis 1. dicitur; Princeps Regum terrae.] Hactenus Turrecremata, qui respondebat ad argumenta eorum, qui negabant Christi dominium in temporalibus.

Ego quoque in Directorio Inquisitorum par. 2. super qu. 15. Commentario 40. §. Cum autem Dominus, eiusdem Constitutionis mentionem feci.

Sed nec Fraticelli, nec eorum defensores negauerunt, neque in dubium reuocauerunt hanc constitutionem: nam caeteris omissis, Guilielmus Okam praecipuus, & acerrimus constitutionum Ioannis XXII. oppugnator, in defensorio de Paupertate Christi, & Fratrum Minorum, paulò post principium, referendo constitutiones eiusdem Papae super illa controuersia editas, quas Okam ibidem, statuta vocat, hanc etiam recenset in haec verba: quorum primum incipit; [Ad conditorem Canonum,] secundum: [Cùm inter nonnullos,] tertium: [Quia quorumdam mentes,] quartum: [Quia vir reprobus.] Hactenus Okam.

Demum postquam Petrus de Corbario, qui omnes Fratricellorum errores fuerat amplexus, resipuit, in abiuratione, quam Auinione in consistorio fecit coram IoanneXXII. & S. R. E. Cardinalibus, post specificatos, & abiuratos errores, super materia proprij, & communis iuris, ac Dominij, quod Iesus Christus Dominus noster, & eius Apostoli in rebus temporalibus habuerunt, professus fuit se credere, & tenere in omnibus, & per omnia firmiter, id quod in constitutionibus incipien. [Cùm inter, & quia quorumdam,] & in responsionibus, quas fecit Papa ad obiectiones, quas Michael de Cesena, eiusque sequaces contra praedictas constitutiones fecerunt, plenissimè continetur.

Notum est autem, hanc historiam, & controuersiam cognoscentibus, Ioann. XXII. in constitutione incip. [Quia vir reprobus,] obiectionibus, quas fecerat Michael de Cesena, plenissimè respondisse.

Hanc Petri de Corbario abiurationem refert Robertus Praesul Arboricensis tract. de vtroque gladio tomo 2. pag. 236. & multis sequen. ex impressione Parisiensi, ann. 1546.

CAP. VII.

Auctoritate Catechismi Romani idem Dominium Christi probari.

SVpradictis testimonijs accedat auctoritas Catechismi Romani, iussu piae memoriae Pij Quinti Romani Pontificis editi, in expositione Symboli, super illis verbis: [Dominum nostrum,] vbi in haec verba scriptum extat; [Multa sunt, quae de Saluatore nostro in sacris literis dicuntur: quorum alia, vt Deus est, alia vt homo, ipsi conuenire perspicuum est: quoniam à diuersis naturis diuersas earum proprietates accepit. Igitur verè dicimus, Christum esse omnipo-

nipotentem, æternum, immenfum: quod à Diuina natura habet. Rurfus de illo dicimus paflum, mortuum effe, refurrexiffe: quæ naturæ hominum conuenire nemo dubitat. Verum præter hæc, quædam alia vtrique naturæ congruunt, vt hoc loco, cùm Dominum noftrum dicimus. Igitur fi ad vtramque naturam hoc nomen referatur, immeritò Dominus nofter prædicandus eft. Nam quemadmodum ipfe æternus Deus eft, vti Pater, ita omnium rerum æquè Dominus eft, ac Pater. Et quemadmodum ipfe,& Pater non eft alius, atque alius Deus, fed idem planè Deus; ita etiam ipfe, & Pater non eft alius, atque alius Dominus. Sed rectè etiam multis rationibus, vt homo eft, Dominus nofter appellatur. Ac primum quidem, quoniam ipfe Redemptor nofter fuit, atque à peccatis nos liberauit, iure hanc poteftatem accepit, vt verè Dominus nofter effet, ac diceretur. Ita enim Apoftolus docet: Humiliauit femetipfum, factus obediens vfque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eft fuper omne nomen: vt in nomine Iefu omne genu flectatur, cæleftium, terreftrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iefus Chriftus, in gloria eft Dei Patris. Atque ipfe de fe poft refurrectionem, data eft, inquit, mihi omnis poteftas in cælo, & in terra. Ob eam quoque rem Dominus dicitur, quod in vna perfona duæ naturæ, diuina, & humana, coniunctæ fint. Hac enim admirabili coniunctione meruit, vt quamuis pro nobis mortuus non effet,tamen Dominus conftitueretur, communiter quidem omnium rerum, quæ conditæ funt, præcipuè autem fidelium, qui illi parent, atque Summo animi ftudio inferuiunt.] Hactenus Catechifmus Romanus, qui non obfcurè affirmat, eamdem veritatem, de vniuerfali Chrifti Dominio, ad Symbolum fidei pertinere: ficut pertinere dixit Ioannes XXII. in conftitutione fæpe allegata contra Michaelem de Cefena incip. [Quia vir reprobus,] fupra in proximo cap. relata.

CAP. VIII.

Chrifti Regnum, & vniuerfale Dominium in temporalibus, Græcorum, & Latinorum Patrum, & Doctorum auctoritate confirmari.

CVm teftimonijs facrarum literarum, & Romanorum Pontificum hactenus commemoratis confentiunt Patres, & Doctores Græci, & Latini.

Cyrillus, Archiepifcopus Hierofolymorum Catechefi 10. fic fcribit: [Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Dominus Domino hæc dicit, non feruo, fed Domino omnium, filioque fuo: cui omnia fubiecit. Cùm autem dicat, omnia fubiecta funt ei, fine dubio præter eum, qui fubiecit omnia ei, vt fit Deus omnia in omnibus. Dominus eft omnium vnigenitus filius: filius verò Patris fidelis, non rapiens fibi dominium fed à fpontaneo, volenteque accipiens. Neque filius rapuit, neque Pater traditionem dominij illi inuidit. Ipfe eft, qui dicit: omnia mihi tradita funt: & feruo bene, non defraudoque Patrem dantem.] Hactenus fanctus Cyrillus, quod argumentum latè etiam profequitur Catechefi 12.

Cyrillus Epifcopus Alexandrinus lib.12. in Euangelium Ioannis cap.10.fuper illis verbis: [Regnum meum non eft de hoc mundo. fic ait: Chriftus autem Pilato refpondens, Regem fe effe non negat: mentiri enim non poterat: fed Regno Cæfaris non effe hoftem oftendit: quia Principatus fuus mundanus non eft: fed cæli, terræ, cæterarumque rerum omnium.] Hæc Cyrillus, quod amplius explicat ibidem cap. 11. & 12. in hæc verba: [Non negat Regni fui gloriam, qui Rex verus eft, etiamfi effe negetur.] Hæc ibi.

Idem rurfus alibi Cyrillus in hæc verba: [Igitur qui fecundum, carnis legem, humanamque naturam mortuus eft, & refurrexit idem ille non abfque carne, immò verò cum carne, & in carne Imperij gloriam obtinuit.] Hæc ille in libro de Recta in Dominum Noftrum Iefum Chriftum fide ad Theodofium Imperatorem, propè finem: habetur in Actis Concilij Ephefini.

Idem præterea Cyrillus de eodem Chrifti terreno Imperio ex Pfalmo 2. luculentius teftimonium exhibet his verbis: [Chriftus, vt Deus eft, omnia quæ Patris funt, hæreditario Iure poffidet: quia enim carni, & fanguini, vt aliàs quoque modo, communicauit: accidit, vt donationis quoque nomen hic locum habe, et. Credimus nihilominus, & hoc quoque modo affectum in illum, tamquam in verum Deum. Nam qui ante fufceptam carnem nobis imperabat, Is etiam nunc carne indutus, Regnum in nos obtinet. Immò verò vbi primum Verbum homo noftri fimilis factum eft, vt Principarum in nos gereret, neceffaria quadam ratione ftatim inauguratum eft. Dominus, inquit, dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Poftula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Quamuis ergo vt Deus omnibus dominetur, tamen fecundùm humanam naturam, quæ fua alioquin erant, accepiffe dicitur. Hactenus Cyrillus Alexandrinus in libro de Recta in Iefum Chriftum Dominum Noftrum fide, ad Reginas Auguftas titulo de Chrifti obedientia, habetur in Actis Concilij Ephefini.

Audi rurfus Cyrillum in hæc verba: [Pro vna Ifraelitica gente infania percita, reliquæ omnes gentes, & pro vna regione, nempè Iudæorum, Orbis Terræ fines Chrifto adduntur. Hoc indicat, quod ne in Zorobabel quidem (vt Iudæi dicunt) locum habet. Quas enim gentes, aut quos terræ fines poffeffionem accepit. Ceterum in Domino non item: vniuerfum enim mundum ad fuum ipfius adiunxit Imperium.] Hactenus Cyrillus à Lipomano relatus fuper pfal.2.

Sanctus Bafilius: [Et quæ hic fubiunguntur homini Chrifto competunt. Nam vt Deus eft, omnia per ipfum facta funt: verum cùm natura, vt Deus, fit omniùm Dominus, vt homo tamen horum dominium à Patre accipit. Et quoniam iam olim Iudæorum tantùm videbatur gerere curam; illi verò ve-

lut

sut nihil ex illa vtilitatis accepturi, prouidentiam hanc abiecerunt, meritò illam ad gentes transtulit.] Hactenus sanctus Basilius Magnus in Schol. psal. 2. super illis verbis: [Postula à me.

Sanctus Gregorius Nazianzenus: [Quintum numeretur, quod vitam, aut indicium, aut gentium hæreditatem, aut carnis omnis potestatem, aut discipulos, ceteraque eiusdem generis accipere dicitur: hoc quoque ad humanitatem spectat.] Hactenus sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 2. de filio, quæ est 4. de Theologia, circa medium.

Sanctus Augustinus eamdem Catholicam veritatem de Regno, & vniuersali Christi dominio sæpe asstruit: & signanter tomo 9. tract. 115. incip. [Quid Pilatus,] super 18. capitulo S. Ioannis, ibi: [Vnde & hic non ait, Regnum meum non est in hoc mundo: & cùm hoc probaret, dicens: Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: non ait, nunc autem Regnum meum non est hic, sed non est hinc.] Hactenus sanctus Augustinus. Prudentissimè autem S. Pater Augustinus ponderauit responsionem Christi Domini dicentis: [Regnum meum non est hinc,] quoniam vt paulò post explicabimus iuxta communem Theologorum expositionem, non dixit Christus; [Regnum meum non est hic,] cùm reuera Rex, & Dominus huius mundi esset, sed dixit: [Non est hinc,] quia non fuit Rex constitutus more aliorum Regum terrenorum in hoc mundo, sed ex donatione Patris æterni, in instanti suæ sanctissimæ Conceptionis, vt Ioannes XXII. declarauit.

Rursus idem Augustinus tom. 4. in libro vnico octuagintatrium quæstionum, quæstione 61. eumdem Dominum Iesum Christum Regem fuisse nostrum, Regiamque suscepisse personam, ostendit, & lib. 1. quæstionum Euangelicarum, quæst. 24. dum explicat illa verba Matthæi cap. 17. [Ergo liberi sunt filij.] omnia Regna terrena esse sub Regno Christi profitetur.

Idem Augustinus contra Priscillianistas apertiùs idem demonstrauit, his verbis; [De Regno etiam Christi non secundùm id, quod in principio Verbum Deus, apud Deum, nam illinc nemo vmquam dubitauit, quod sit Rex omnium sæculorum, sed secundùm hominis susceptionem, & mediatoris sacramentum, & ex Virgine Incarnationem, apertissimè dictum est, quod finem non sit habiturum, vbi Angelus loquens ad Mariam Matrem futuram, Virginemque mansuram, ait inter cætera: Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patres eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.] Hactenus sanctus Augustinus in libro contra Priscillianistas, cap. 7. tomo 6.

Sanctus Hieronymus explicans illa verba. [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, sic habet; Dum Iudæi te noluerunt recipere, omnes gentes tibi venient in hæreditatem.] Hæc ille.

Idem Hieronymus apertiùs super psal. 71. vers. [Reges Tharsis. Omne hic mundiale Imperium, honores, & ordines ad Christum Dominum accedere, eique colla submittere, bonorumque morum dona deferre, propheta pronuntiauit; quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum, ipsi enim gentium, Regumque typum tenuisse monstrantur.] Hactenus sanctus Hieronymus.

Sanctus Ambrosius super illis verbis Diui Pauli: [Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Superiùs de gloria eius, & honore narratum est, nunc ponitur, & potestas, vt cognoscatur Christi Domini maiestatis perfectissima plenitudo. Dicendo enim, super opera manuum tuarum, omnis creatura illi subiecta monstratur: quia sicut nihil à Domini opere est exceptum, ita nec à potestate Christi aliquid probatur esse diuisum. In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum.] Hactenus sanctus Ambrosius in epistolam ad Hebræos cap. 2.

S. Athanasius: [Data est mihi potestas in celo, & in terra: Quod merus, ait, homo accipit, id ei eripi potest cuius rei specimen in Adam vidimus, quippe qui illud, quod acceperat, perdidit: vt autem gratia indemptibilis, esset, firmaque hominibus custodiretur, ea de causa hanc donationem, vt propriam sibi atrogat, dicitque, se potestatem accepisse, vt hominem, quam semper habebat, vt Deus.] Hactenus S. Athanasius in Sermone contra Arianos.

Beatus Fulgentius: [Huius pueri regnum non est de hoc mundo; sed per ipsum regnatur in mundo: ipse est enim Sapientia Dei, quæ dicit in Prouerbijs: Per me reges regnant, & paulò post: Tu regnum nullatenus habuisses, nisi ab isto puero, qui nunc natus est, accepisses.] Hactenus B. Fulgentius Sermone de Epiphania.

Sanctus Gregorius Nyssenus: [Videbam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat; & ad antiquum dierum accessit, & ad eius conspectum adductus est. Et datus est illi honor, & imperium, & regnum: & omnes populi tribus, & linguæ seruient illi. Potestas eius potestas sempiterna, quæ non pertransibit, & regnum illius non euertetur. Ecquis est hic quasi filius hominis, qui potestatem accipit absolutam in omnes, ac sempiternam? Homo quidem omnino nullus, sed ipse Deus, & homo Christus: de quo, & Dauid Deum, & Patrem sic alloquitur: Deus iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis: & vti homo, factus est Rex, & filius Regis nempe Dauidis: Ex quo postea, Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Ad quem Pater, postquam, vt homo potestatem accepit: Sede, inquid, à dextris meis, &c.] Hactenus S. Gregorius Nyssenus in Fragmentis, quæ extant tom. 3. Bibliothecæ sanctorum Patrum super Vaticinio Danielis cap. 7.

Idem rursus Gregorius Nyssenus: [Nam tunc, cùm accessissent, & adorassent eum, quibusdam ambigentibus cum auctoritate plena maiestatis Diuinæ, dixit: Data est mihi potestas omnis in celo, & in terra. Nam quę naturaliter habebat, tamquam Deus, hæc dicitur accipere, tamquam homo certo consilio factus.] Hactenus Gregorius Nyssenus in Oratione 2. de Resurrectione circa finem.

Sanctus Chrysostomus: [Ecce omnia quan-

quantæcumque virtutis sint, substrauit Christi pedibus, nempe Deus nec vtcumque effecit superiorem; quasi præficiens istis per compararionem: veriùs, quasi dominum seruis, ipsum cunctis anteponens (Papè quam stupenda sunt hæc, quantæque plena formidinis!) Ecce vt homini Christo omnis creata virtus, quasi ancilla Domino, substrara est; idque propter inhabitantem in ipso Deum Verbum.] Hactenus Sanctus Chrysostomus in Commentarijs cap. 1. Epistolę ad Ephesios. Homilia 3.

Rursus idem Chrisostomus: [Paulus autem eum nominat, ingressum, à metaphora eorum, qui sunt hæredes, & aliquam accipiunt possessionem. Dicera enim, Cùm autem introduxerit Primogenitum in Orbem terræ: hoc est, cùm ei tradiderit Orbem teræ. Tunc enim eam totam possedit, quando fuit cognitus. Non hæc autem dicit de Deo Verbo, sed de eo incarnato. Nam si erat in mundo, vt ait Ioannes, & mundus per ipsum factus est quo modo aliter introducitur, quàm in carne?] Hactenus Chrysostomus Homilia 3. in Epistolam Pauli. in principio, quod fusiùs explicat Oratione quarta in eodem loco.

Titus Bostrorum Episcopus: [Ille cùm vniuersæ creaturæ opifex Conditor foret, ratione humanæ naturæ, ex liberali Patris donatione, recipit Gentes in hæreditatem: Postula à me (ait per Prophetam) & dabo tibi Gentes hæreditatem, & paulò post: Erexit cornu in domo Dauid: cornu in sacris literis modò pro regno, modo pro robore, vel potentia vsurpatur: vtrumque autem in Christum, qui ex familia Dauid originem ducit, appositè quadrat: ipse enim est Rex Regum.] Hactenus Titus in Commentarijs in Lucam in principio.

Sanctus Gregorius Magnus: [Hinc etiam Dauid dixit: Deus iudicium tuum regi da. Iudicium suum Regi Deus Pater dedit, quando Dei Filius carnis humanæ substantiam assumpsit. Hinc namque ad Filium ipse Pater ait: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos.] Hactenus Sanctus Gregorius Psal. 5. Penitentiali, vers. Respexit in orationem humilium.

Sanctus Hilarius Episcopus Pictauiensis: [Tenendus autem idem Euangelicorum dictorum ordo qui Psalmi est: nam id primum est Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Et nescio cui Christum Regem esse ambigere sit tutum, latrone hoc ipso in Crucis passione confitente: Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. Sed non sufficit confessio latronis, Regem esse profitentis: testantur etiam adoraturi Magi, cùm interrogant: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? testatur & Pilatus interrogans: Tu es Rex Iudæorum? profitetur, & Dominus, respondens: Tu dixisti. Non negat interrogatus nec gloriatur humiliandus ad mortem: cùm non sit nisi ex responsione confessio. Ita neque se protulit professionis auctorem, neque interroganti cognitionis veritatem inuidit, & paulò post. Dominus resurgens tali ad Apostolos vsus est voce: Data est mihi potestas omnis in cœlo, & in terra: Euntes nunc docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Resurgens enim, in cœlo, & in terra ius omne sortitus est. In eo autem quod ait: Data est, poposcisse id, quod accepit, ostendit.] Hactenus Hilarius super Psalm. 2. vers. [Ego autem constitutus sum Rex.

Sanctus Epiphanius Hæresi 29. contra Sectam Nazaræorum: [Deinceps regnauit Rex alienigena Herodes, & non amplius successores Dauid diadema imponebant, translata Regia Sede in Christo ad Ecclesiam. Et à domo quidem carnali Iuda, & Israel Regia dignitas translata est; firmiter autem sedet thronus in sancta Dei Ecclesia in æternum, ex duplici origine dignitatem habens, Regia, & Sacerdotali: & Regiam quidem à Domino Iesu Christo, iuxta duos modos, & quia est ex semine Dauid Regis secundùm carnem, & quia ipse est maior Rex à sæculo, secundùm Diuinitatem sacerdotalem: quia ipse Pontifex.] Hæc Epiphanius.

Sanctus Irenæus Episcopus Lugdunensis, & Martyr: similiter autem, & Dominus, Omnia mihi (inquit) tradita sunt à Patre meo, manifestè, ab eo, qui omnia fecit. Non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est: & propter hoc idem est Iudex viuentium, & mortuorum; habens clauem Dauid, aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Nemo enim alius poterat nec in cœlo, nec in terra, nec sub terra aperire Paternum librum, nec videre eum; nisi agnus, qui occisus est [&] sanguine suo redemit nos: ab eodem, qui omnia Verbo fecit, & Sapientia adornauit, accipiens omnium potestatem, quando Verbum caro factum est: vt quemadmodum in cœlis principatum habuit Verbum Dei, sic, & in terra haberet principatum.] Hactenus S. Irenæus lib. 4. aduersùs hæres. cap 37.

Primasius: [Hæres dicitur ad hero Domino; eo quòd libera potestate in hæreditate dominetur. Constituit ergo Deus Pater hæredem vniuersorum: non tamen secundùm Diuinitatem, qua coæternus est Patri, & coæqualis illi in omnipotentia Deitatis, & qua æternaliter ipse possidet omnia cum Patre: sed potiùs secundùm humanitatem à Verbo assumptam, constitutus est ille Dominus super omnem creaturam. Non ergo diuidamus personas, sed distinguamus naturas.] Hactenus Primasius in Commentarijs Epistolæ ad Hæbræos ca. 1. super illis verbis: [Quem constituit hæredem vniuersorum.

Eusebius: [Sanè hæc omnia in Saluatorem nostrum Iesum Christum, & non in alium competere liquido constat. Illud enim Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ, nemo in vllo veterum Dei Prophetarum perfecta constanter posset asserere. Non enim Moyses, non Dauid, non Salomon, non Propheta quispiam, aut rex ab exordio mundi omnibus Gentibus imperauit: sed ipse iternum effectus soli Christo Saluatori nostro testimonium affert: siquidem in omnem terram exiuit sonus Apostolorum eius, & in fines Orbis terræ verba eorum percurrerunt.] Ha-

ctenus

ctenus Eusebius relatus à Lipomano super Psalmo 2.

Theodorus: [Deus est omnium opifex: omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et in ipso omnia tam quæ videntur, quàm quæ non videntur, condita sunt. Si vniuersorum herus est, & Creator, herus est etiam & Dominus eorum, quæ fecit. Verumtamen & natura Dominus, tamquam Deus, & tanquam homo, omnium accipit Principatum.] Hactenus Theodorus relatus ab eodem Lipomano super Psal. 2.

Theodoretus Episcopus Cyrenensis super illis verbis Diuini Pauli: [Quem constituit hæredem vniuersorum. Ab humanis cœpit Diuinus Apostolus, & primò dicens,quæ sunt humiliora, deinde maiora attingit. Hæres enim omnium Christus Dominus, non vt Deus, sed vt homo. Vt Deus enim est omnium effector. Qui autem est omnium opifex, natura est omnium Dominus. Hæres autem eorum efficitur Dominus, quorum olim non habebat dominum.] Hactenus Theodoretus in Epistolam ad Hebræos cap. 1. in principio, Idem repetit in eadem Epistola cap. 2.

Idem rursus Theodoretus: Et hic interpungendum est, & postea subiungendum: In Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum Domini. Non enim tantummodo montis Sionis Rex est, sed visibilium, & inuisibilium, totiusque Orbis, & paulò post. Hoc autem, Constitutus sum Rex ab eo, humano more dixit: vt enim Deus, innatum habet regnum, vt homo decreto recipit. Idem paulò post: Vniuersorum enim Conditor Deus est: nam omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil: atque in ipso condita sunt omnia, siue quæ videntur, siue quæ non videntur. Si omnium est Dominus, & opifex etiam eorum, quæ fecit, Dominus est, & auctor. Verumtamen cùm Dominus natura sit, vt Deus, etiam vt homo, vniuersorum imperium accipit.] Hæc Theodoretus super Psalm. 2. vers. Ego autem constitutus sum Rex, & super vers. Postula à me.

Paulinus Episcop. Nolanus in Carmine ad Cytherium.

Huic iam, & potentes sæculi curuant genu:
Deduntque ceruices Deo:
Regemque Christum confitentur Principes,
Et sceptra submittunt Cruci.

Theophylactus super illis verbis Diuini Pauli ad Hebræos cap. 1. Quem constituit hæredem vniuersorum. [Hoc est totius mundi fecit Dominum; non enim pars Domini est Iacob, sed omnes planè. Hæredem autem dixit, ostendens eum genuinum esse Filium, Dominumque huiusmodi, à quo dominatus auelli non possit. Quomodo autem fecit ipsum Dominum? secundùm humanam naturam, vt hominem; perinde ac in Psalm. 2. ait; Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Qualem hic dominatum dicit? in eos nempe, qui sua sponte obediunt, adeoque voluntarij sunt; iste enim dominatus, illudque imperium datum est Filio, vt homini, quo omnes eum agnoscant naturali ex scientia. Tum in eos dominatum exercet, qui inuiti obtemperant; quatenus dictum est, Omnia tibi seruiunt: aeque hoc dominiū ante sæcula habebat.] Hactenus Theophylactus.

Iuuencus Presbyter, qui olim Euangelij maiestatem Versibus Hexametris clausit, sapientes illos Reges Magos, Christum Regem, recentem natum, supplices adorasse testatur his versibus;

Deiecti prono texerunt corpore terram:
Submissique simul, mox mystica munera promunt:
Aurum, thus, myrrham, Regique, Deoque hominique.
Dona dabant.

Sanctus Prosper; [Sedet autem Christus ad dexteram Patris post resurrectionem à mortuis, & ascensionem in cęlo. Vnde etiam eò ipso, quò erat Christus filius Dauid, factus est Dominus Dauid. Illud enim quod natum est ex semine Dauid, ita honoratum est, vt ei cùm esset Filius, esset, & Dominus; secundùm hanc enim dispensationem, etiam ab Apostolo de Christo dicitur; Propter quod eum exaltauit à mortuis, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus in gloria Dei Patris est.] Hactenus Sanctus Prosper super Psalm. 109.

Sanctus Maximus. [Adorant itaque Magi Dominum, & offerunt munera, vt impleatur, quod ait ille præcipuus Propheta- rum Dauid: Afferte Domino patrię Gentium, afferte Domino gloriam, & honorem Domino, & Domino, quod ait, Dominum illum esse, secundùm Deum Dominum, & secundùm hominem, mystico sermone declarat, & mox, quomodo ergo non priuilegio vtriusq; substantiæ Dominus est omnium Christus, qui sibi vniuersa, creatione, aut redemptione subiecit? Afferte, inquit, Domino gloriam, & honorem.] Hactenus Sanctus Maximus Homilia 2. de Epiphania.

Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis: [Quem ipse Pater, secundùm humanitatem, constituit iam immutabilem hæredem vniuersorum; id est, possessorem omnium creaturarum, atque totius mundi Dominum; vt iam non sit tantùm Iacob funiculus hæreditatis eius; sed fiat quod scriptum est Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ.] Hactenus Anselmus in Epistolam ad Hebræos c. 1. super illis verbis, [Quem constituit hæredem vniuersorum.

Seuerus, [Filii quippe Dei, Virginis Filio, Deus homini Diuinitas carni contulit quod semper ipse cum Patre possedit.] Hactenus Seuerus, relatus à S. Thoma in Catena super Matthæum cap. 28. circa finem.

Remigius; [Quod ergo Psalmista de resurgente Domino dicit; Constituisti eum super opera manuum tuarum; hoc nunc Dominus dicit; Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et hic sciendum: quia antequam Dominus surrexisset à mortuis, nouerant

uerant Angeli, se subiectos homini Christo. volens ergo Christus etiam hominibus notum fieri, quod data esset sibi omnis potestas in cœlo, & in terra, Prædicatores misit, qui verbum vitæ cunctis Nationibus prædicarent.] Hactenus Remigius relatus ab eodem S.Thoma in Catena super Matth. cap.28. circa finem.

Riceardus de Sancto Victore super illis verbis Diuini Ioannis in Apocalypsi cap.19. [Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum; Rex Regum, & Dominus Dominantium.] sic scribit; [Quia secundùm suam etiam humanitatem, & secundum illam, quam habet, secundùm Diuinitatem, per naturam, illam habet secundum humanitatem, per gratiam.] Hactenus Riccardus lib.6. super Apocalypsum cap.4.

Sanctus Bernardus; [Nec dulciùs, nec amicabiliùs sed nec arctiùs omnino regnum sacerdotiumque coniungi, seu complantari in inuicem potuerunt; quàm vt in persona Domini ambo hęc pariter conuenirent, vtpotè, qui factus es nobis ex vtraque tribu secundùm carnem summus, &Sacerdos, & Rex. Non solùm autem, sed, & commiscuit ea nihilominùs, ac confœderauit in suo corpore, quod est populus Christianus, ipse caput illius; ita vt hoc genus hominum, Apostolica voce, genus electum, Regale Sacerdotium appelletur.] Hactenus S.Bernardus Epistola 243.incip.Nec dulciùs ad Conradum Regem Romanorum.

Idem rursus Sanctus Bernardus his verbis: [Et erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat,& iure creationis,& merito redemptionis,& dono Patris,cui enim alteri dictum est:postula à me,& dabo tibi Gentes hæreditatem tuam:& possessionem tuam terminos terræ? Hactenus S.Bernardus lib.de Consideratione ad Eugenium, cap.1.

Euthymius Monacus Psal.2. super vers. Aduersùs Christum eius, sic scripit: [Infurrexerunt, inquit, adstiterunt, & congregati sunt,non minus aduersùs Patrem,quàm aduersùs Filium,Filium inquã, quem Pater in Gentium Regem vnxerat; eas enim in hæreditatem illi dederat bellum quippe, quod aduersùs Filium ab illis gestum est, peruenit etiam ad Patrem. Pro Domino igitur Patrem, & pro Christo Filium hoc in loco intelligamus. Etenim Pater ipse Diuina dispensationis ratione Regem eum constituit. Quod si, vt in multis Exemplaribus in plurali numero legamus, aduersus Christum eorum, relatio illa extendenda erit tam ad Iudæos omnes, quàm ad Gentes, & ad ipsos etiam Dæmones,quoniam illi omne genuflectitur, cælestium, terrestium, & infernorum.] Hæc Euthymius.

Idem super eodem Psalm. 2. vers. Et possessionem tuam terminos terræ. [Erubescant igitur, & confundantur Iudæi, neminem habeotes, cui verba hæc accomodari possint. Quis enim alius, præter Christum, tantam sibi possessionem parauit?]Idem superPsal.71. vers.1. [Porest, & Christus secundùm humanitatem appellari Rex; veluti qui de tribu erat Regia, & Regis filius, tamquam filius Dauid: Liber enim, inquit, generationis Iesu Christi, filij Dauid.] Hæc Euthymius.

CAP. IX.

Doctorum Theologorum (quos Scholasticos vocant) testimonio idem Christi Regnum manifestè ostendi.

SVpradictis sanctis Patribus, & Doctoribus accedunt alij insignes viri, sanctitate, & doctrina etiam illustres, de Schola Catholicorum, & præsertim ex ordine illorum, qui Scholastici vocari consueuerunt; ex omnibus ferè Religionibus à Sancta Romana Ecclesia probatis, nempè Dominicana, Augustiniana, Franciscana, Carmelitana, & alijs, ex quibus seriatim hos recensere placuit.

§. I.

Doctores de Religione Prædicatorum.

ET primò ex Religione Dominicana, siue ex Ordine Prædicatorum occurrunt S. Thomas, qui hoc Christi Domini Regnum & vniuersale Dominium rerum omnium temporalium, frequentes agnouit, & docuit & signanter super Epist. Diuini Pauli ad Hebr. cap. 1. lect. 1. super illis verbis [Quem constituit hæredem vniuersorum, in,hæc verba, In Christo autem sunt duæ naturæ, scilicet, Diuina, & humana, secundùm ergo quòd est Filius naturalis, non est constitutus hæres, sed est naturalis, sed in quantum homo, factus est Filius Dei Rom, 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, & secundum hoc est, constitutus hæres vniuersorum, sicut verus Filius Patris Matth. vltim. Data est mihi omnis potestas, &c. & hoc quantum ad totam creaturam, in qua accepit dominationem. Idem non tantum quo ad vnum genus hominum, sed vniuersorum, scilicet, tam Iudæorum, quàm Gentium, Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam &c.] Hactenus S. Thomas. Quam doctrinam sępe aliàs repetiuit, videlicet, super eadem Epistola ad Hebræos cap. 2. lect. 2. in fine. vbi contra Arium affirmauit, Patrem omnia subiecisse Christo Filio, secundum naturam humanam in qua minor est Patre. Eamdem doctrinam repetiuit idem Sanctus super prima Epistola ad Corinthios cap. 15. lect. 3.

Idem super Matth. cap. 28. super illis verbis, [Data est mihi omnis potestas,] vbi proponit, & soluit quæstionem. Cur Christus magis post resurrectionem, quam antea dixit, [Data est mihi omnis potestas.]

Idem copiosè, & apertè profitetur idem sanctus par. 3. quæst. 79. artic. 2. & 3, vbi probat, Christum, secundùm naturam humanam, habuisse Indiciariam, seu Regiam potestatem, quantùm ad res omnes humanas, licet viuens in terra, terrenum regnum temporaliter administrare noluerit.

Idem latissimè probauit Opusculo 20. de

de Regimine Principum lib. 3. cap. 15. & 13. & 14. & sequent.

Quòd si quispiam dicat. Opusculum illud non esse S. Thomæ, ego non admodum repugnabo, ac satis quidem est, fuisse alicuius viri docti discipuli S. Thomæ, quod negari non potest.

Addam denique; Ecclesiæ, & Romani Pontificis iurisdictionem, & potestatem super rebus temporalibus, non fundari in eo Opusculo, sed maioribus, & firmioribus niti fundamentis, videlicet, clarissimis sacris Canon. & apertissima Ecclesiæ declaratione.

Sanctus Antoninus in Summa par. 4. tit. 12. cap. 4. §. 17. latè probat primam à se ibi positam Conclusionem, quòd Christus ab instanti suæ conceptionis habuit Dominium omnium rerum, & Fratricellos meritò à Ioanne XXII. fuisse tamquam hæreticos condemnatos, quia negabant hanc veritatem, vt paulò post copiosiùs ostendetur.

Hugo de Sancto Charo, primus Cardinalis de Ordine Prædicatorum, super illis verbis Diuini Pauli, ad Hebræos capit. 1. [Quem constituit. In immutabili statu Deus Pater, hæredem vniuersorum, & possessorem omnium creaturarum: hoc etiam est secundum humanam naturam, vt dicit Psalmus, Postula à me, & dabo tibi] Hactenus Hugo.

Durandus Episcopus Meldensis Tract. de iurisdictione Ecclesiastica, siue de Origine iurisdictionum quæst. 3. in responsione ad tertium argumentum, disertè affirmauit, contradicere Euangelio eos, qui dicunt Christum non habuisse omnem potestatem spiritualem & temporalem. Huius Doctoris verba huc spectantia retulimus infra cap. 27. vers. Durandus Episcopus.

Ioannes Cardinalis de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 47. in responsione ad secundum argumentum Gulielmi Okam, & eodem libro 2. cap. 116. in responsione ad secundam obiectionem: affirmat, dicentes, Christum non habuisse potestatem temporalem, & spiritualem, contradicere sacræ Scripturæ in multis locis, sicut etiam dicit Ioannes XXII. in Decretali, incipiente, Quia vir reprobus. Turrecrematæ verba recensuimus infra cap. 27.

Idem in cap. Quoniam num. 1. vers. Et iste est. Distinct. 10. vbi cum præmisisset, in genere entium esse vnum Principem, cuius lege omnia regulantur, scilicet Deum, & in genere hominum esse vnum hominem, qui omnibus alijs principatur, & cuius lege omnes homines regulantur, & cuius iudicio omnes iudicantur, in vers. [Et iste est.] infert in hæc verba: [Et iste est Christus, qui constitutus est à Deo Patre Iudex viuorum, & mortuorum. cui tradita est omnis potestas in cælo, & in terra.

Idem in cap. Cùm ad verùm nu. 1. col. 1. vers. In oppositum 96. dist. sic ait. [Christus summus Pontifex nouæ legis non erat minor Pontifice veteris Legis, sed ille habuit potestatem, & auctoritatem in temporalibus & spiritualibus: Moyses quidem fuit Iudex populi in temporalibus, & etiam fuit Sacerdos, secundum illud Psalmi, Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius, ergo & Christus Hæc ibi Turrecremata.

Thomas de Vio Cardinalis Caietanus super Matthæum cap. 28. [Data est mihi omnis potestas, tum quò ad statum. tum quò ad modum, nam qui hactenus statum, quò subiectus sui elementorum calori, ac fragori hominum flagellis clauis, crucique assumpsi, modo statum adeptus sum Regni, quo præsum cælo, & terræ. Et similiter, qui priùs quatenus homo potestatem habebam super omnia, ex simplici dono diuino, modo etiam ex merito passionis, & mortis meæ adeptus sum potestatem super cælestia, & terrestria. Hactenus Caietanus.

Melchior Canus apud S. Thomam 2. 2. quæst. 62. artic. 1. vbi de Dominio Christi disputauit, eamdem est professus sententiam Sed quia istius viri docti Lectura nunquam fuit typis mandata, ideo ne quis putet, nos gratis viro docto attribuere istam sententiam sciat, viros graues testificari, sic sensisse Melchiorem Canum, nam Alfonsus Mendoza Augustinianus in Relectione Theologica de Christi Regno, ac Dominio §. 20. & Ludouicus de Paramo lib. 3. de Origine Officij sanctæ Inquisitionis, quest. 1. opinione 4. numero 90. & alij, hanc eum opinionem tenuisse, testantur.

Frater Ioannes Viguerius Granatensis de eodem Ordine Prædicatorum in institutionibus cap. 17. de Statibus Ecclesiæ §. 1. vers. 18. vbi disputat cōtra errores Michaelis de Cesena, & Fratricellorum, hæc habet huc pertinentia, [Constat etiam, Christum quantum ad humanitatem, fuisse Regem, & Monarcham, & sic habuisse proprietatem licèt non vsus fuerit. Vnde Psal. Deus indicium tuum regi da. & Ieremiæ XXIII. Regnabit rex, & sapiens erit, & Luc. 1. Et dabit ei Dominus sedem Dauid patris sui: & regnabit in domo Iacob in æternum, & Apocalyp. 19. In cuius fæmore scriptum est, Rex Regum; & Dominus Dominantium. Hæc Viguerius.

Frater Raymundus Pasqualius in Commentarijs super epistola Diuini Pauli ad Romanos cap. 1. in principio super verbo, Christus: & rursus cap. 4. super illis verbis: Iustitiam fidei §. Ceterum scripsit etiam in hæc verba, Hæres autem iste Christus est, & non alius, nam ei dictum est. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem. & de eodem idem Paulus ad Hebræos. Quem constituit hæredem vniuersorum: per quem fecit, & secula. Notanda sunt omnia verba. Quem inquir, constituit hæredem. Porro rogo. Quis est iste constituens. Respon. Pater æternus, Bene est. Et constitutus. Filius. Rectè, Quorum est constitutus? Vniuersorum. Quid sibi vult, vniuersorum. Respon. idest, totius mundi. Peto, cuius mundi, superioris: an inferioris: Respon. Vtriusque, alioquin hæres esset ex parte. non in toto, sed totius mundi. Hactenus Raymundus Pasqualius.

Ludodicus Ystella Nobilis Valentinus, eiusdem Ordinis, Sacræ Theologiæ Professor & Magister Sacri Palatij Apostolici, & litterarum sacrarum peritia clarus, in Commentarijs in sacram Genesim. cap. 49. num. 19. & sequ. declarando nobilem illam. & illustrem magni Iacob Patriarchæ Prophetiam [Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de

de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est? & ipse erit expectatio Gentium.] Dum accuratè considerat varias translationes, de Rege Messia conformiter loquentes & præsertim refert Targum, quod apud Hebreos est summæ auctoritatis, in eamdem sententiam consentire videtur, & merito, quoniam in Paraphrasi Chaldaica, quam iudæi appellant Targum. Hebræus Paraphrastes eamdem Prophetiam sic transtulit [Non auferetur habens principatum à domo Iuda, neque Scriba à filijs filiorum eius; donec veniat Messias, cuius est regnum. & ei obedient populi.] Nam hinc etiam luculenter probatur Regis Messiæ regnum. Quamobrem Christophorus de Sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra infideles. tit. 7. allegatione 1. circa finem vers. Præterea licèt hoc rectè censuit, non auferendum sceptrum de Iuda, nisi quando veniret Christus, in quem erat transferendum.

Plures alij insignes Doctores de eodem Ordine, eamdem sententiam profitentur, in quibus est Magister Thomas de Lemos, in particulari libro: de Regno Christi: & Dominio eius vniuersali.

§. II.

Doctores de Religione S. Augustini.

DE Ordine quoque S. Augustini multi Doctores eamdem sententiam affirmatiuam sunt professi, sed non nouum, cùm superioribus sæculis contra Marsilium de Padua, & alios, eamdem veritatem constanter docuerint: & contrariam opiuionem validè confutauerint, in his sunt.

Iacobus Viterbiensis in libro de Regimine Christiano, incip. Opusculum subditum quod direxit Bonifacio Papæ VIII. vbi Tractato 2. cap. 1. de multiplici potentia Christi Regis, postquam latissimè de Sacerdotio & potestate Christi Regia disseruisset, conclusit in hæc verba [Dicitur autem Christus esse Rex non solùm Regni cælestis, & æterni sed etiam temporalis, & terreni. quia cælestia simul, & terrena dispensat, & iudicat. Iste est gladius, qui exibat de ore eius ex vtraque parte acutus: vnus enim gladius vna est eius Regia potestas, quæ tamen duas partes habet, propter Regnum cælestium, & terrestrium.] Hactenus Iacobus Viterbiensis.

Alexander de Sancto Elpidio eiusdem Ordinis Doctor egregius, Magister Generalis in libello de Auctoritate summi Pontificis, & iurisdictione Imperij incip. [Determinatio compendiosa. §. Veniam autem ad Scripturam noui Testamenti.] Postquam docuisset quomodo à Christo Capite in corpus mysticum descendat omnis motus, & sensus spiritualis, & corporalis actionis, & propterea sibi propriè conueniat dignitas Regalis, & Sacerdotalis, concludit hæc verba, [Amplius autem hunc modum dignitatis Regalis sibi (Christo) ad Philippenses 2. attribuit ex meritò suæ passionis, & humiliationis. Vnde cùm dicit, Humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem: statim subdit: Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, id est, dignitatem, & auctoritatem super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur. cælestium, terrestrium, & infernorum. Hactenus ille, & paucis interiectis addit. [Ex quibus omnibus euidenter apparet, quòd Christus habuit dignitatem Sacerdotalem, & Regalem in summo gradu, à quo fluit omnis dignitas supradicta.] Hactenus ille. Habetur autem hic libellus Alexandri de sancto Elpidio in fine tertij Tractatus eiusdem Alexandri. de Ecclesiastica potestate, ad Ioannem XXII.

Præterea Guilielmus de Cremona sacræ Theologiæ professor, eiusdem Ordinis, Tractatu incip. Reprobatio errorum sequentium, quem scripsit iussu Ioannis XXII. contra errores Marsilij de Padua, & Ioannis Ianduno (Papa enim eos errores miserat ad hunc Doctorem, vt super eis scriberet. quid sibi videretur, vt constat ex principio eiusdem Tractatus) copiosiùs prosequitur hoc argumentum, in primis verò quæst. 1. artic. 8. propè finem §. Ad illud igitur. vbi respondens ad illud hæreticorum argumentum, quòd Christus iussit Petro solui tributum, demonstrat, Christum verè fuisse Regem, qui propterea non tenebantur soluere tributum, & loquitur tam de Christo Rege secundum carnem, quàm de Christo Rege secundùm spiritum, & in eo discursu apertè cernitur, hunc Guilielmum de Cremona agnouisse, & asseruisse, Christum hominem, fuisse Regem temporalem.

Augustinus de Ancona, qui copiosum librum de Potestate Ecclesiastica scripsit ad annos 1320. ad Ioannem XXII. qui, sub Gregorio XIII. Pontifice Maximo, Romæ anno 1582. bonis charactetibus impressus fuit, statim in principio quæst. 1. art. 7. probaturus, Romanum Pontificem Christi vices in terris gerentem, vtramque habere potestatem, Sacerdotalem, & Regalem, firmiter constituit, Christum, Regalem, & Sacerdotalem potestatem in Incarnatione, conuersatione, passione, & in Resurrectione habuisse. Huius Doctoris sententia apertiùs explicatur infra cap. 21. §. 4.

Augustinus Fanotinus Romanus Archiepiscopus Nazarenus, qui priùs fuerat Prior Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, in lib. de Principatu, & Potestate Papæ, quam Christus reliquit in terris Petro, & successoribus eius, ab eo compilato circiter annum Domini 1415. idem profitetur.

Proximo superiori seculo tres præstantes viri de eodem Ordine S. Augustini, egregiè idem Christi Regnum docuerunt; videlicet, Gregorius Nunnius Coronel Lusitanus, Alphonsus Mendoza, & Luysius Leglonensis.

Gregorius Nunnius Coronel Lusitanus, genere nobilis, & Theologus insignis, in præclaro Opere de vera Christi Ecclesia, ad Clementem Octauum Pontificem Maximum lib. 4. vtriusque Testamenti testimonijs, & efficacissimis rationibus demonstraturus, veram Christi Ecclesiam semper illustrem, & conspicuam, paulò post principium, versic. quod si ad ipsius Saluatoris. à Regno Christi, & eius Regia Maiestate auspicatur: assumit enim pro principio, diuinos Vates, Christum Dominum Regem prædicasse, non solùm vt

Dei

Dei Filius, verùm etiam vt verus homo erat: & Regnum eius in Ecclesia Militante illustre, & conspicuum constitutum fuisse, idque ex diuinis oraculis colligi; quæ statim, & fideliter recenset, & eleganter suo more explicat.

Idem verò argumentum diffuso sermone prosequitur idem Auctor tomo 1. de Optimo Reip. Statu lib. 2. cap. 5. & seq. Probaturus enim (quodlib. 3. præstitit) ex Fidei principijs, non circa spiritualia solùm negotia, sed etiam circa ciuiles causas Romani Pontificis auctoritatem versari, & ad ciuiles Magistratus, & Principes extendi, iure, Christum à Deo Patre totius Orbis Regem, & Dominum constitutum, eiusque Regiam Maiestatem, non spiritualem solùm, sed temporalem quoque fuisse, ostendit.

Alphonsus Mendoza in Relectione de Vniuersali Christi Regno, & Dominio. §. 13. hanc Conclusionem firmiter constituit: [Christus quatenus homo, etiam cùm adhuc mortalem vitam agebat, perfectum, proprium, & absolutum rerum omnium Dominium, & totius Orbis perfectum, & vniuersale Regnum habuit.] Hæc ille; quam in tota Relectione latissimè probat.

Luysius Legionensis Theologiæ Doctor, & diuinorum librorum primus apud Salmanticenses interpres, cum magno auditorum concursu, in præclaro illo Gymnasio, secundum Dauidis Psalmum de Christo Rege interpretaretur, aliquot firmauit Propositiones huc spectantes: inter quas quartam constituit in hæc verba: [Christus quatenus homo habet plenissimum Dominium in vniuersos homines, & in eorum res: ita vt pro suo arbitratu de eis possit disponere, vt verus Dominus.] Hæc ibi; quam cùm efficaciter probasset, statim apposuit quintam, in hæc verba: [Christus habet summam potestatem, & iurisdictionem, non solùm spiritualem, sed etiam ciuilem in vniuersas Orbis Nationes: quod ita verum existimo, vt credam, contrarium esse errori proximum, & speciem blasphemiæ.] Hæc ille.

Supradictis adiungitur Ascanius Martinengus Brixianus, Canonicus Regularis sancti Augustini Congregationis Lateranensis, qui in Prolegomenis in Pentateuchum, tit. de Mosis nobilitate, pag. 9. in principio, ait: [Ius certum Regnorum omnium habuisse Christum; licèt ipse vsum neglexerit.]

§. III.

Doctores de Seraphico Ordine S. Francisci.

DE Seraphico Ordine S. Francisci insignes quoque Doctores eamdem sententiam profitentur, in quibus sunt infrascripti.

Nicolaus de Lyra super illis verbis: [Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Quia licèt Christus quantùm ad Diuinitatem ab æterno haberet hanc potestatem, & in quantùm homo ab instanti conceptionis haberet potestatem in cœlo, & in terra auctoritatiuè, tamen executiuè non habuit ante Resurrectionem suam; sed voluit esse passibilitati subiectus, propter nostram Redemptionem.] Hactenus Nicolaus de Lyra super Matth. cap. 28.

Idem rursùs Nicolaus ad Hebræos c. 1. super illis verbis Diui Pauli: [Quem constituit hæredem vniuersorum.] sic habet: [Quantùm ad naturam assumptam: eò enim ipso, quod natura humana à verbo assumpta est in vnitate suppositi, eò ipso constituta est super omnem creaturam.] Hactenus Nicolaus.

Beatus Ioannes de Capistrano & sanctitate, & iuris Canonici peritia clarus, Christi Regnum, & Dominium rerum temporalium constanter affirmat, & probat Tract. de Auctoritate Papæ par. 2. secundæ partis, n. 186. & 187. & 188. qui cùm num. 186. dixisset, Christum directum dominium habere potuisse, tametsi vtile alius obtineret; sicut in rebus Emphyteoticarijs, & Fœudalibus monstratur; & ideò aliud esse dicere, Christum nihil habuisse quoad directum dominium; & aliud esse dicere, Christum noluisse vti dominio temporali; infert, primum esse falsum, cùm & in veteri, & in noua Lege plures sint auctoritates de Christi dominio proloquentes; & mox adiungit hæc verba: [Nam vt exprimit Ioannes Duodecimus in sua Extrauaganti Decretali, quæ incipit: Quia vir reprobus Michael de Cesena, quæ de directo hac de causa condita fuit, vt monstraretur expressè, Christum habuisse dominium rerum temporalium.] Hæc ibi, & cùm statim recensuisset auctoritates veteris, & noui Testamenti, num. 188. ex eadem Constitutione Ioannis Vigesimi secundi concludit in hæc verba: [Præmissa autem, scilicet, & Regnum, & vniuersale Dominium habuit Christus in quantùm Deus ab æterno, sicut ab æterno genitus est à Patre; sed in quantùm homo, habuit ex tempore, scilicet, ab instanti suæ conceptionis, ex Hypostatica vnione Diuinitatis ad carnem, & humanam naturam, quam persona Verbi perfectissimè statim assumpsit, completa responsione Mariæ Virginis Matris dicentis: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.] Lucæ 1. Hactenus Ioannes de Capistrano.

Guilielmus de Cremona eiusdem Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, & Episcopus Papiensis, superioribus sæculis Tractatum scripsit de Iure Monarchiæ, septem Conclusionibus comprehensum, quibus materiam hanc latè discussit; & in sexta Conclusione multis rationibus probauit idem Christi Regnum, & vniuersale Dominium.

Aluarus Pelagius lib. 1. de Planctu Ecclesiæ cap. 36. incipiente: [Quod autem Ecclesia.] paulò post medium. vers. Quòd etiam Christus.

Et rursùs idem Aluarus eodem lib. 1. capit. 40. tit. quod vnus est Monarcha, sic scriptum reliquit: [Quòd etiam Christus, cuius vices plenariè Papa gerit, verus etiam fuit Dominus temporalis.]

Idem Aluarus lib. 2. de Planctu Ecclesiæ cap. 57. postquam copiosè in vtramque partem disputasset hanc quæstionem: An Christus rerum temporalium habuerit dominium? & primò auctoritates pro affirmatiua senten-

tia;

tia; secundò argumenta pro negatiua recensuisset, tamdem S. Bernardum secutus, in fine capitis concludit in hæc verba: [Per istam auctoritatem Bernardi videtur patere solutio primarum allegationum, & opinionis, & secundarum: vt, videlicet, Christus non solùm in quantùm Deus, sed etiam in quantùm homo Verbo vnitus, habuerit dominium generale in Regnis, & rebus temporalibus: sicut quilibet Rex habet in Regno suo: & sic intelliguntur primæ allegationes. Dominium verò particulare in Regno aliquo, aut in rebus, quibus vtebatur, non habuit postquam prædicauit, & consilia de paupertate dedit: & sic intelligantur secundæ.] Facit pro hac solutione dist. 8. quo iure. & hic adiungendum est, quod notaui de ista materia supra in prima parte istius Operis in cap. 13. in §. Tertius decimus. & in §. Ad illa. in cap. 27. & hoc dico salua veritate per Ecclesiam declarata, vel declaranda. Hactenus Aluarus.

Franciscus Ximenius in libro de Regimine Principum, & Reipublicæ, par. 4. cap. 37. cuius titulus est, quòd omnis homo debet esse obediens potestati Ecclesiasticæ; idem profitetur.

Petrus Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 26. 27. & 28. ex antiquis Rabbinis contra recentium Rabbinorum commenta probat: Messiam, idest, Iesum Christum Dominum nostrum, vniuerso Orbi dominaturum, & vniuersale Regnum fuisse habiturum.

§. IV.

Ex Doctoribus aliarum Religionum, Carmelitanæ, Beatæ Mariæ de Mercede, & Societatis Iesu, probari idem Regnum, & Dominium vniuersale Iesu Christi.

ALiæ præterea Religiones ab Ecclesia approbatæ Catholicos Doctores produxerunt eamdem sententiam in sacris literis fundatam asserentes: Nam Carmelitana habet Ioannem Bacconum Anglicum egregium huius veritatis assertorem, qui in Prologo lib. 4. Sententiarum quæst. 11. art. 1. & 2. & 3. de hac quæstione latè differuit, & art. 1. sequutus sanctum Thomam conclusit, Christum, ratione meriti, habere plenum ius super totum vniuersum.

Ex eadem Religione prodiuit Michael Ayguanus Bononiensis, qui antea Auctor incognitus vocabatur super Psalmos. Is Psal. 2. vers. Ego autem constitutus sum Rex. Idem Regnum asseruit dicens: [Christus ex humilitate, quam in passione, & persecutione habuit, Regiam dignitatem assumpsit, iuxta verbum Apostoli dicentis: Humiliauit semetipsum, &c. Propter quod Deus donauit illi nomen, &c. Et aduerte, quòd quamuis Christus omnium Rex, & Dominus esset, quia Rex Regum, &c. tamen Regiam suam potestatem primò ostendit in Ecclesia tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus, quæ per montem Sion intelligitur secundùm Gloss.] Hæc Ayguanus.

De Religione Carthusianorum idem affirmauit Beatus Bruno eiusdem Religionis primus Institutor, & Auctor super Psalm. 2. & 71. vbi verè de Rege Christo eum Psalmum accipiendum censuit.

Dionysius Carthusianus super eodem Psalmo 2. eamdem sententiam professus vers. Ego autem constitutus sum Rex ab eo; ita scripsit: [Christus in quantùm Deus, plenam habet auctoritatem omnium creaturarum: nec sic constituitur Rex super aliquid, sed ipse cum Patre, & Spiritu sancto est vnus, & idem omnium rerum Creator, ac Dominus, Iudex, & Rex: sed prout homo est, sic data est ei omnis potestas in cœlo, & in terra; sicut Matthæus scribit. Sic etiam constitutus est Rex ab eo, scilicet, Deo Patre, immo à tota superbeatissima Trinitate, cuius opera sunt indiuisa.] Hæc ille.

Idem Dionysius super Psalmo 71. dum eumdem Psalmum de Christo Rege verè interpretatur, sæpè eamdem sententiam affirmat.

De Religione Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Franciscus Zumel Decanus Academiæ Salmanticensis de Christi Regno in temporalibus illustre testimonium protulit in hæc verba: [Dic ergo, Christum Dominum, etiam quatenus homo est, perfectum, absolutum, & proprium rerum omnium dominium habuisse: immo verò totius Orbis habuit vniuersale, & integrum Regnum.] Hæc ille in Defensione pro Sancta Romana Ecclesia ad S. D. N. Paulum Quintum Pontificem Maximum, in Responsione ad Argumenta aduersariorum pag. 74. quam Propositionem ibidem luculenter probat.

De Religione Iesuitarum idem affirmarunt Henricus Henriquez Hispanus, & Paulus Comitolus Perusinus.

Henricus quidem in Summa Theologiæ Moralis, lib. vltimo, de Fine hominis cap. 25. num. 1. & contrariam sententiam falsam censuit in hæc verba: [Hæc potestas iudiciaria residet in Christo tamquam ordinaria, & quodam modo suprema in suo ordine, (sed sub Deo Iudice) & licèt à principio Incarnationis fuit debita, ob vnionem Hypostaticam, fecit nouo titulo debitam, & vsum illius in praxi obtinuit ex merito continuato per totam vitam vsque ad mortem, habebat tamen dominium, & proprietatem rei in radice, quod multi Patres ex Scriptura colligunt, & ex oraculo Sibyllæ id referunt quidam. Quod autem negant alij, Christum habuisse vllum dominium, etiam post resurrectionem, falsum est.] Hæc ille, quod in notis sub Littera X. ibidem clariùs asseruit, & explicauit dicens: [Christum renunciasse sponte vsui bonorum, factum pauperem, secunda Cor. 8. Sed ad honorem humanitatis retinuisse proprietatem, seu dominium vniuersale.

Paulus Comitolus Perusinus Theologus Societatis Iesu in Confutatione Libri septem Theologorum, Tractatu primo, cuius titulus est: [Quòd Christus in quantùm homo fuit, & est Dominus omnium rerum creatarum. Quod probat ex sacris Litteris, ex testimonijs Doctorum, & ex viginti rationibus.

Ex

§. V.

Ex generali Theologorum Schola.

De generali Theologorum Schola sunt ferè innumerabiles, ex quibus infrascripti recensebuntur.

Paulus Burgensis super Matthæum ca.1. Additione 2. Conclus. 3. ait: [Christum regia dignitate, etiam temporali, decoratum.] pro qua sententia Diuinas auctoritates, & conuenientes rationes allegat.

Alfonsus Tostadus super Matthæum cap. 25. quæst. 327. latè probat, in Christo secundùm naturam esse auctoritatem Dominij, quam promeruit per passionem, vt factus fuerit Dominus omnium, & iudiciariam potestatem adeptus fuerit; quæ, vt ait S. Thomas par. 3. quæ. 59. art. 4. consequitur Regiam dignitatem.

Riccardus Radulphus Archiepiscopus Armachanus, Primas Hiberniæ lib. 4. de Quæstionibus Armeniorum cap. 15. & clariùs cap. 16. incip. [Sic igitur mihi videtur. in principio sic habet [Ita quod Chistus hæres carnalis Mariæ Matris, ac progenitorum eius, Rex Iudæorum verè diei potuit, quamuis ipse iure illo, quo ad temporalia, vti noluerit.

Iacobus Almainus Senonensis Tract. de Suprema potestate Ecclesiastica cap. 8. circa medium vers. Sed contra hanc sunt multi textus. apertè receitset:& sequitur sententiam sancti Thomæ.siue Auctoris libri de Regimine Principum, qui profitetur Regnum, Dominium Christi super temporalibus.

Albertus Pighius Campensis lib. 5. cap. 3. de Hierarchia Ecclesiastica, §. Sed vt daremus. contra Marsilium de Padua idem Regnum astruit in hæc verba: [Sed vt daremus, Pilato legitimo iure tune competijsse per Iudæam, aut in Ierusalem ordinariam iurisdictionis illam, quam sibi vsurpabat, auctoritatem, ex commissione Cæsaris, quòd Christus illi de iure suisset subditus, nequaquam verum est. Cùm enim Christum audis, & hominem in cuius vestimento, & femore scriptum est: Rex Regum, & Dominus dominantium. Et quod vestimentum eius, quàm humanitas sub qua tegebatur Diuinitas ? quæ ipsa femoris eius nomine significatur, vt assumpta, & nata ex vtero Virginis, & veluti inferior quædam, indigniorque pars Christi. Ex quo clarè constat Christum etiam vt hominem, verè fuisse Regem Regum, & Dominantium, seu Principem (vt idem etiam Ioannes dicit) Regum terræ. Hactenus Albertus.

Ioannes Gagneius Theologus Parisinus in Epist. sancti Pauli ad Hebræos cap. 1. in principio ibi: Quem constituit, &c. sic habet: Christus enim tamquam homo vniuersi Orbis à Patre constitutus est Dominus, & hæres: vt Psal. 2. dicitur: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: Hæredis autem nomen, penè omnes ad Christi humanitatem referunt.] Hæc ille.

Idem in Apocalypsim cap. 19. super illis verbis: [Et habet in vestimento, & femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium, sic habet: Christi vestimentum, & humanam ipsius naturam significare diximus similiter, & femur significat: quia inde generatio carnalis descendit: bene ergo in vestimento suo, & femore, scriptum est hoc nomen Rex Regum, &c. quando illi secundùm humanitatem à Patre data est omnis potestas in cælo, & in terra: & à Patre Rex est constitutus.] Hactenus Gagneius.

Gilbertus Genebrardus Linguę sanctæ peritissimus Theologus Parisiensis, & Litterarum diuinarum olim professor, super Psalmos vbique asserit hoc Regnum Christi, & præsertim super Psalmo 2. num. 6. vers. Constitutus sum. vbi sic ait: [Vaticinatur de Christi Regno, quod ei, vt homini, à Patre est traditum. Hęc ibi.

Idem super Psal. 71. vers. A flumine vsque ad terminos, num. 9. sic rursus affirmat: [Demonstratur vniuersale dominium Christi hominis super omnem terram, intra terminos istos contentam: vt proinde magna Insula à veteribus Geographis appelletur.

Cornelius Iansenius Episcopus Gandauensis super Psalmo 2. vers. Postula à me. sic habet: Tanta est autem mea iu te beneuolentia, vt quicquid petieris à me, voluntati tuę sim concessurus. Itaque postula à me, & ego cuius sunt omnia, pro paterna mea indulgentia, dabo tibi, (vt conuenit facere filio) non solùm Iudæos, sed & Gentes omnes in tuam hereditatem: & omnes fines terræ tibi dabo in firmam, ac perpetuam possessionem, omnes terræ nationes ditioni, ac potestati tuæ submittens.] Hæc ille.

Idem Iansenius in Concordiam Euangelicam cap. 149. incipien. Vndecim autem discipuli. vers. Data est, inquit, mihi. Sic rursus de hoc Regno scribit: Data est, inquit, omnis potestas in cælo, & in terra. Nunc scilicet, postquam de morte triumphaui resurgendo. Quoniam enim omnium humanæ naturæ infirmitatum, omne etiam contumeliarum genus, mortem denique probrosissimam sponte tolerauit Dominus, ijs qui priùs infra infimos deiectus fuit homines, & valde infirmus habitus, accepit à Patre, post resurrectionem plenum in omnia dominium, omnia suæ potestati subiecta habens, cælestia simul, & terrestria; exuto sua, quam priùs in mundo habebat, potestate, Principe tenebrarum. Habebat quidem, prius tamquam Deus, datam sibi omnem potestatem ab æterno, verùm iam resuscitato data est etiam tamquam homini omnium rerum potestas: quoniam humanitas eius iam immortalitate donata, noua ratione cousors facta est gloriæ, & potestatis Diuinæ & Diabolo superato, ac eiecto è suo dominio dominium accepit, & ius io totum humanum genus, quod sibi redemit. Hæc Iansenius.

Alfonsus Palæotus Archiepiscopus Bononiensis in libro prætitulato: Historia admiranda de Iesu Christi stigmatibus sacrę syndoni impressis. cap. 6. num. 6. in hæc veba: Ceterùm titulus iste Saluatori perbelle conuenire visus est; tamquam qui de hostibus triumphum ductaret maximo Regi: cùm præsertim vetus inoleuisset mos, in triumphis arcuatos extruere fornices, & in ipsis titulos nomine,

ne, patria, dignitate, & deuictarum Gentium prænomine, triumphantis ad laudem peregregiè inscriptos. Hinc factum, vt isti sanctissimo cæli, terramque Regi, in triumpho, quem deuictis Diabolo, Morte ac Peccato reportauit, Crucis arcum erexerint, infixo titulo, in quo nomen Iesus Nazarenus patria, Regia dignitas, subditi quoque Iudæi inscripti fuere.] Hæc Palæotus.

Thomas, & Franciscus Bozij Eugubini, ille in libris de Iure Status, hic tom. 1. de Temporali Ecclesiæ Monarchia, & iurisdictione, eamdem affirmatiuam sententiam latè profitentur, & probant; & totum hoc argumentum egregiè demonstrant. Vndè eum eorum doctrina firmis fundamentis nitatur, horum virorum piorum, & Catholicorum assertiones non sunt deliria (vt licenter scripsit Guilielmus Barclaius) sed constantes, & solidæ veritates.

Ioannes Arboreus tom. 3. Theosophiæ in Epistolam sancti Pauli ad Hebræos cap. 1. vers. Quem constituit hæredem vniuersorum.] sic habet: [Hunc locum intellige de Christo, secundùm naturam humanam: nam secundùm Diuinam est hæres naturalis sui Patris, secundùm autem humanam constitutus est à Deo hæres totius Orbis. Vnde Regius Propheta introducens Patrem ad Filium loquentem, dicit: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: cui suffragatur illud Euangelij: Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra.]

Franciscus Lucas Brugensis super Matthæum cap. 28. ita scribit: Data est mihi omnis potestas: [Data est à Deo Patre mihi, vt Dei Filio quidem iam inde ab æterno, generatione; vt Filio hominis autem, dono; quam nutura, & ab æterno habui quatenùs Deus, dono accepi quatenùs homo. Et ab initio quidem conceptionis mero, simplicique dono eam habui ratione vnionis humanæ naturæ cum Diuina: sed iam à resurrectione, eminentiori modo sum assequutus. Tribus enim nouis rationibus à resurrectione data est Christo homini omnis potestas. Vna ratione quoad modum, &c. Altera ratione quoad statum, &c. Tertia ratione quoad vsum, & notitiam &c. Vsus quidem fuerat hac potestate, & ante resurrectionem miraculis quibusdam in Iudæa editis, & aliquibus ad fidem attractis: sed modica hæc, si ijs comparentur, quæ egit à resurrectione per Discipulos, &c. Omnis absoluta, perfecta, plena atque integra, citra exceptionem, aut restrictionem; ita vt non solùm corporibus, sed & animis, ac spiritibus dominer. Potestas. Græc. auctoritas, Syrus, dominium. Non enim hic de potentia, seu omnipotentia propriè est sermo, sed de auctoritate, ac licentia, quæ in gubernando consistit, & Imperium dicitur: quamquam hæc, vt sit efficax, à potentia seiuncta esse non possit &c. In cælo, & in terra, super omnem creaturam, quæ, vel in cælo, vel in terra, vel vbicumque est; nam per cælum, & terram, vniuersa creatura intelligitur, &c.] vsque in finem, vbi omnia supradicta probat sacris Scripturis.

Didacus Stunica super Zachariam cap. 9. ibi: Ecce Rex tuus venit. Sic habet: [Christum, quatenùs hominem, tanto amore prosecutus Pater est, tantaque est erga eum magnificentia vsus, vt sicut Ipse è corpore, atque spiritus compositus erat, ita eum, & Regem spirituum, & corporum etiam fecerit: vt tam latè eius regnum, & imperium pateret, quam ipsius Dei: ita vt nihil Deo subditum sit, quod non Christo subijciatur.] Hæc ille.

Fr. Daniel Mallonius sacræ Congregationis Hieronymianæ in Bononiensi Gymnasio diuinarum literarum publicus Interpres, Elucidatione in caput sextum Historię admirandæ de Iesu Christi stigmatibus, ab Alphonso Palæoto Archiepiscopo Bononiensi explicatæ, num. 6. super illis verbis: Ceterum titulus iste, vers. Primum est: ita habet: [Apud quosdam magni nominis video incassum dubitatum esse, an Christus, vt homo, esset Rex etiam temporalis totius Orbis? Et quis audeat hoc Christo negare? cùm sit Rex Regum, & Dominus Dominantium; cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra; vt dominetur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum; sed tamen cùm ipse sit Rex Orbis terrarum, maluit hic Rex vocari Iudęorum.] Hæc Mallonius.

Magister Fr. Laurentius Ortiz de Ibarrola, & Ayala, Benedictinus Salmanticensis in Opere docto, & laborioso, quod nuper edidit Romæ, prætitulato, de Politia, & Immunitate Ecclesiastica, sæpè confitetur eamdem veritatem de Christo Rege, etiam quatenus homine, & Domino omnium temporalium: & signanter parte prima, principio 4. vers. Insuper adiudicaris, & par. 2. pag. 37. §. Quòd vt clariùs, & pag. 38. §. Vocauit hoc Augustinus, & §. Propter hanc causam, & §. Ex his omnibus, & pag. 63, §. Adhuc tamen, & par. 3. pag. 192. §. Nam primò Christus, & parte 4. cap. 7. pag. 392. §. Deo enim, & §. Nihilominùs, & rursùs eadem parte 4. cap. 17. §. 14. & sequen. pag. 422. & eadem parte 4. cap. 23. pag. 448. §. 6. Quòd si Ierusalem, & cap. 30. pag. 476. §. 4. & multis sequent. & cap. 31. §. 6. & seq. pag. 482.

CAP. X.

Auctoritate Hymnorum Ecclesiasticorum idem Christi Regnum decantari.

IN Hymnis Ecclesiasticis, quibus Sancta Romana Ecclesia per anni circulum diuina celebrando mysteria, cultum sanctum exhibet, eiusdem Christi Regnum frequenter commemoratur. Nam in Dominicis, & Ferijs Aduentus, in Hymno incip. [Conditor alme siderum.] de Christo Redemptore omnium loquente, ita canit:

Cuius forti potentiæ
Genu curuantur omnia,
Cœlestia, terrestria,
Nutu fatentur subdita,

Et rursùs in Hymno de Natiuitate, & Circumcisione Domini, qui recitari solet in diebus Dominicis, vsque ad Epiphaniam,

cu-

cuius initium est: [Christe Redemptor omnium.] ita scriptum legitur:

Hunc cælum, terra, hunc mare;
Hunc omne, quod in eis est,
Auctorem aduentus tui
Laudans exultat cantico.

Præterea in Hymno in eodem Natiuitatis Festo in Laudibus patentiùs idem his verbis exprimitur:

A Solis ortus cardine,
Ad vsque terræ limitem,
Christum canamus Principem,
Natum Maria Virgine.

Cùm ab Oriente vsque ad terræ limitem Principem Christum canit Ecclesia, vniuersale Regnum, & Principatum eius patentissimè docet.

Item Hymnus à Dominica Passionis vsque ad Feriam quintam in Cœna Domini recitari solitus, apertè Christum Regem vocat, dum dicit:

Vexilla Regis prodeunt.
Et paulò post:
Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura.

Hymnus, cuius initium est: [Ad cœnam agni prouidi.] in Dominicis, & Ferijs ab Octaua Paschæ vsque ad Festum Ascensionis Domini Christo dicatus, eidem Christo decantari solitus, eumdem Christum Principem vocat ita:

Christo canamus Principi.

Hymnus item in Festo Corporis Christi compositus, & decantatus, cuius principium est: [Pange lingua gloriosi.] Regem Gentium vocat Christum, illo versiculo:

Rex effudit Gentium.

Qui in Festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ recitatur Hymnus, Regem quoque appellat Christum, his verbis,

Ventris abstruso recubans cubili,
Senseras Regem thalamo manentem.

Demùm in Festo Transfigurationis Hymnus recitari solitus, & populi Iudaici, & Gentilium Regem esse testatur Christum, dicens:

Hic ille Rex est Gentium,
Populique Rex Iudaici.

CAP. XI.

Ex Vaticinijs Sibyllarum probari etiam Regnum Christi.

Vaticinijs quoque Sibyllarum (quarum sæpè meminerunt veteres Auctores Gentiles, Plinius lib. 34. cap. 5. Solinus cap. 7. Ælianus lib. 12. variæ Historiæ, & Doctores Christiani, S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 23. & Lactantius Firmianus lib. 1. de falsa religione, cap. 6.) Christum prænunciatum fuisse Regem constat, tum ex carminibus, quæ præcitato loco refert Augustinus, tum ex his, quæ nostro seculo, vno volumine comprehensa Græcè, & Latinè Parisijs impressa anno 1599. circumferuntur.

S. Augustinus ex Sibylla Erythræa recitat carmina, ex quorum principio patet, Christum Regem in carne futurum, his verbis:

Iudicij signo tellus sudore madescet.
E Cælo Rex adueniet per sæcla futurus:
Scilicet in carne præsens, vt iudicet Orbem.

Ex his verò, quæ nostro seculo circumferuntur Oraculis Sibyllarum, lib. 2. in fine apertè prænunciatur Christi Regnum, his verbis:

Sed postquam Roma Aegyptum reget, imperioque
Frenabit, summi tum summa potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim sanctus veniet, qui totius Orbis
Omnia sæclorum per tempora sceptra tenebit.

Item lib. 6. in principio:
Cùm domus effundet stirpem Dauidica, cuius
In manibus totus mundus, tellus, mare, cælum.

Non me latet, esse qui opinentur, hæc Sibyllarum Oracula, quæ nostro seculo circumferuntur, non esse illa vera, & germana carmina, quæ à Sibyllis prodita fuisse memorantur: quòd subtiliùs inquirere non est instituti nostri, cùm satis sit, hæc, quæ commemorauimus, à vetustis illis carminibus Sibyllarum, quæ à Doctoribus Christianis recitantur, non discrepare.

CAP. XII.

Canonistarum, & Auditorum Rotæ, & Legistarum auctoritate, Christi Dominium vniuersale, & Regnum comprobari.

Cum sanctis Patribus, & Doctoribus Theologis, consentiunt Canonistæ, Rotæ Auditores, & Legistæ: Et quia longum esset, omnes recensere, insigniores quidam numerabuntur, in quibus sunt.

§. I.

Ex Canonistis.

INnocentius in cap. quod super his, num. 3. de Voto, & voti redempt. cuius verba sunt: [Papa, qui est Vicarius Iesu Christi, potestatem habet non tantùm super Christianos, sed etiam super omnes Infideles: cùm enim Christus habuerit super omnes potestatem, vt Psalmo: Deus iudicium tuum Regi da: non videretur diligens Paterfamilias, nisi Vicario suo, quem in terra dimittebat, plenam potestatem super omnes dimisisset.] Hactenus Innocentius.

Henricus Cardinalis Hostiensis ibidem num. 26. circa finem, sic habet: [Et hoc in personam Christi Filij Dei viui, qui non solùm Sacerdos fuit, sed etiam Rex. Luc. 1. Ecce concipies in vtero, &c. vsque, & Regni eius non erit finis.] Hæc ille.

Franciscus Cardinalis Zabarella ibidem num. 4. Innocentium secutus, sic habet: [Ex pro intellectu huius solutionis dicit Innocentius, quòd Papa, qui est Vicarius Christi, potestatem habet non tantùm super Christianos, sed etiam super omnes Infideles: quia Christus habuit potestatem super omnes. Pro hoc Psalmus: Deus iudicium tuum Regi da, & Matth. vltimo: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.] Hæc ille.

Ioannes Andr. in dicto cap. Quod super his, de Voto, & voti redempt. num. 10. sic habet. [Credimus tamen, immò scimus, quòd Papa est generalis Vicarius Iesu Christi, supra, de transl. Episcop. cap. 1. & 2. & ideo potestatem habet non solùm super Christianos, sed etiam super omnes infideles. Etenim cùm Christus plenariam receperit potestatem, vnde Psalm. Deus iudicium tuum regi da: & Iustitiam tuam filio Regis: & Matth. vltimo: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: non videretur diligens, siue sapiens Paterfamilias, nisi & Vicario suo, quem in terra dimisit, plenam super omnes potestatem dimisisset.] Hactenus ille.

Petrus de Ancharano ibidem, num. 17. in fine, idem profitetur his verbis: [Et hoc in personam Christi Filij Dei viui, qui non solùm Sacerdos fuit, sed & Rex.] Hæc ille.

Antonius de Butrio in dicto cap. Quod super his, num. 9 Innocentium, & Hostiensem refert, & sequitur.

Ioannes de Anania ibidem num. 6. in fine, ex Innocentio, & Hostiensi, tenet etiam, Christum fuisse omnium Regem.

Nicolaus de Tedeschis, vulgò, Abbas Panormitanus, ibidem num. 10. postquam retulisset Innocentij, & Hostiensis sententiam, idem sentit de Dominio Christi.

Idem Panormitanus in cap. Nouit. de Iudic. num. 12. affirmat, Christum vtramque potestatem in seculo exercuisse; videlicet, spiritualem, & temporalem. Et respectu temporalis, de qua nunc agimus, vers. Item Christus, ita habet: [Item Christus vtramque potestatem in hoc seculo exercuit, quando voluit, &c.]

Eamdem sententiam rursus profitentur Canonistæ in cap. Quoniam. 10. distinct. & in cap. Cùm ad verum. 96. distinct. vbi Hugutio Episcopus Ferrariensis, primarius decretorum Gratiani Interpres: Ioannes de Fantuccijs Archidiaconus, & alij. Et distinctè, & seriatim procedendo, & ab antiquioribus inchoando, ita tenuerunt.

Glossa in dicto cap. Quoniam, in verbo: Sic actibus, & in cap. Cùm ad verum, in verbo: Propeijs, de hac materia clarè loquuta, affirmat, Christum quædam gessisse tamquam Imperatorem; quædam verò tamquam Sacerdotem.] Vnde proculdubiò præsupponit, Christum fuisse Regem, seu Imperatorem, & dominatorem omnium.

Præpositus in dicto cap. Quoniam, n. 4. in fine notab. primo, ex glossa notat, qualiter Christus exercuit potestatem Regiam, & Sacerdotalem: & ibi remittit lectorem ad glossam in c. Cùm ad verum in verbo: Vsurpauit. 96. distinct. quo loco idem Præpositus num. 3. in secunda ratione, circa medium, vers. Cùm enim Christo, disertè affirmat, [Christum totius mundi Dominum esse, & omne temporale Regnum, & spirituale ad eũ fuisse deuolutum.] & paulò post in responsione ad quintum argumentum: vers. Nam Christus, ait: [Christum multa de ista temporalitate omisisse, quæ iure suæ potestatis potuisset facere: quod propositis exemplis ostendit.

Geminianus in dicto cap. Quoniam, n. 3. notab. primo, similiter ex eadem glossa notat, Christum exercuisse potestatem Regiam, & Sacerdotalem, & similiter remittit Lectorem ad dictum cap. Cùm ad verum.

Cùm supradictis Doctoribus, in diuersis alijs locis, consenserunt alij Doctores, & Canonistæ magnæ auctoritatis, videlicet:

Petrus Bertrandus Episcopus Eduensis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, tractatu continente altercationem super iurisdictione inter ipsum, & Petrum de Cugneriis, in prima responsione Prælatorum ad articulos laicorum, num. 26. vbi sic scribit [Secundò etiam probo ex nouo Testamento: Christus enim non solùm secundùm Diuinam naturam, secundùm quam omnia ex nihilo creauit, & per consequens erat Dominus omnium: immò etiam secundùm humanam, habuit vtramque potestatem: ipse enim fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: sicut dicitur in Psalmo, vt deducit Apostolus ad Hebræos: Qui habebat, & in vestimento, & in femore scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Apoc. 19. Per vestimentum autem, & femur, intelligitur humanitas, quæ iungebatur Diuinitati, sicut vestis vestito. Ipse etiam de se ipso dicebat, Matth. vlt. Data est mihi potestas omnis in cœlo, & in terra, & ad Hebr. 1. dicitur: Quem constituit hæredem vniuersorum, & in Psal. 8. deducit Apostolus ad Hebr. 2. Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper, & pecora campi. In eo autem, quòd omnia subiecit, nihil exclusit non subiectum ei: sicut dicit Apostolus ibidem. Ex quo patet, quòd quantum ad naturam, in qua erat mi-

nor Angelis, hoc est, secundum humanam, omnia erant ei subdita. Hoc etiam patet ad Philippen. 2. vbi dicit: Humiliauit semetipsum: propter quod exaltauit illum, &c. & sequitur: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ecce patet, quòd secundùm naturam, secundum quam humiliatus est, exaltatus est: quia sibi flectitur omne genu. Hoc etiam dicit Beatus Petrus Act. 10. cap. quòd ipse constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Et loquitur de natura, quam Deus suscitauit tertia die, sicut patet ibidem. Tota etiam sacra Scriptura hoc clamat.] Hæc Cardinalis Bertrandus.

Rodericus sanctus Episcopus Zamorensis in libro de Origine, & differentia Principatus Imperialis, & Regalis, part. 1. conclus. 2. fol. 20. pag. 1. vers. Ideo factum est: affirmat, factum esse vnum Regnum totius Orbis in persona Domini nostri Iesu Christi; Et rursus eadem part. 1. fol. 38. circa finem, ait: [Christum esse verum Dominum iurisdictionis, & dominij totius Orbis,] & p. 2. fol. 80. cum docuisset, nullum Papam posse constituere se habere minorem potestatem, quam sibi fuerit à Christo collata, concludit in hæc verba: [Hoc eodem Christo disponente, qui est Sacerdos, & Rex in æternum secundùm ordinem Melchisedech: Rex Regum, & Dominus Dominantium, cuius potestas à nullo potest auferri, nec minui.] Hæc Rodericus.

Ludouicus à Paramo Archidiaconus Legionensis, & Inquisitor hæreticæ prauitatis in regno Siciliæ, lib. 3. de Origine, & progressu Officij sanctæ Inquisitionis, quæst. 1. opinione 4. num. 79. & sequen. licèt prater, Christum Saluatorem nostrum actu, & vsu non fuisse Regem, habitu tamen, & iure, affirmat, verum fuisse Regem; & in progressu disputationis eisdem Diuinis testimonijs confirmat eam sententiam, quibus supra roborata fuit.

In supradictorum numerum referri potest Martinus Nauarrus in cap. Nouit. de Iudic. notabili 3. num. 8. & 9. vbi Christum, tamquam hominem, dixit fuisse verum Regem in temporalibus; Nam licèt hic Auctor in hoc articulo parum sibi aliquando constare videatur, nihilominùs in eodem notabili 3. num. 67. in hanc affirmatiuam sententiam inclinat; dum verè infert, errare Antonium de Rosellis, probare conantem, Christo Saluatori nostro, quatenùs erat homo, nullam potestatem secularem fuisse, atque ideo Petro nullam mandasse: ait enim ibi Nauarrus, contra Antonium de Rosellis extare omnia illa, quæ ipse supra allegauit num. 8. & 9. in octauo fundamento prioris, & communis opinionis; pro qua allegat constitutionem Papæ Ioannis XXII. incip. Cùm inter nonnullos, vbi tamquam hæretica declaratur opinio affirmans, Christum, & Apostolos nihil habuisse in communi, nec in particulari.

Sed an Nauarrus hanc, vel illam tenuerit opinionem, parum refert; cùm Regnum Christi, auctoritate ipsius, nec constituatur, nec destituatur.

§. II.

Sententia Auditorum Rotæ de eodem Regno Christi.

DVodecim viri Rotæ Auditores Romæ litibus iudicandis ex omnibus ferè Nationibus præfecti, genere probati, vtriusque Iuris peritia insignes, virtute constantes, iustitia, & æquitate conspicui; quorum munus est, omnibus ad sanctam Sedem confluentibus, pro iure controuersis in causis dirimendo, æqua lance intrepidè iustitiam ministrare; cum superioribus seculis rogarentur dicere, quid sentirent circà consuetudinem Anglicanam? cuius vigore, vel Rex Henricus Primus, vel Rex Henricus eius nominis secundus ad annos ferè Domini 1160. iurisdictionem habere prætendebat in Clericos solutos in actionibus ciuilibus, etiam personalibus merè, vel criminalibus, vbi ciuiliter agebatur; cum multis rationibus eam prætensionem exclusisset, tamdem his verbis concluserunt: [Nec obstat etiam, si dicatur, quòd Papa non potuit Clerum Anglicanum priuilegiare in præiudicium Regis Angliæ, cui omnis, antequam Christus veniret, iurisdictio competebat: quia istud priuilegium, & hæc libertas concessa est Clericis à Christo, in quem omne Imperium fuit transmissum, & in temporalibus, & spiritualibus, iuxta notata in cap. Nouit. de Iudic. & per Innocentium, de Voto, & voti redempt. cap. Quod super his, & de Foro compet. cap. Licet.] Hactenus Auditores Rotæ decis. 840. aliàs 10. de consuetudine in antiquis, incip. [Vtrum valeat consuetudo Anglicana,] num. 4. circa finem, vers. Nec obstat etiam, si dicatur.

§. III.

Sententia Legistarum de Regno Christi.

CVm Canonistis senserunt insignes Iuris ciuilis Interpretes, quos vulgus Legistas vocat; de multis paucos nobiliores, & vetustiores referemus hoc loco.

Oldradus Regnum Christi super temporalibus constanter asseruit, in hæc verba: [Et factum est Regnum huius mundi Domini Dei nostri, & Christi Filij eius, & regnat in secula. Apoc. 11. Sibi enim data omnia est potestas in cœlo, & in terra. Matth. vlt. cap. vt impleatur illud Ezechiel 37. Faciam eos in gentem vnam, & erit vnus Rex omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes.] Hæc Oldradus Consil. 69. incipien. Consueuit dubitari, num. 3. vers. Et factum est.

Ioannes Faber in eamdem sententiam sic scribit: [Sed de Papa non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis, & in temporalibus, & in spiritualibus; vt plenè probat Hostiensis in cap. Per venerabilem, & Innocentius in docto cap. super verbo: Non recognoscit, quod aliter probari potest: nam cùm Papa sit Vicarius Domini, cuius est terra, & plenitudo eius, &c. & qui est Princeps Principum, & Rex Regum, secundùm Apostolum

ftolum in principio,& cui data eft omnis poteftas: Matth.28. ridiculum effet dicere,quin in omnibus temporalibus haberet fuperioritatem, & poteftatem, ra. qu.r. cap. Præcipimus.] Hæc Faber in l. Cunctos populos. C. de Summ. Trin. & Fid. Cathol. num. ro.

Bartolus de eodem articulo rectè fenfit, in hæc verba: [Inhærendo opinioni S.Matris Ecclefiæ, primò fuit Imperium Babylonis: fecundò fuit Imperium Perfarum, & Medorum: tertiò fuit Imperium Græcorum: quartò fuit Imperium Romanorum: vltimò, adueniente Chrifto, iftud Romanum Imperium cœpit effe Chrifti Imperium, & ideo apud Chrifti Vicarium eft vterque gladius, fcilicet, fpiritualis, & temporalis. Chrifrus enim eft lapis abfciffus fine manibus: cuius Regnum non diffipabitur, de quo prophetauit Daniel cap. 2. vbi hæc omnia Imperia defcribuntur expreffa. Dic ergo, quòd ante Chriftum Imperium Romanorum dependebat ab eo folo, & Imperator rectè dicebatur, quòd Dominus mundi effet, & quod omnia fua funt: poft Chriftum verò omne Imperium eft apud Chriftum, & eius Vicarium, & transfertur per Papam in Principem fecularem, vt extra de elect. cap. Venerabilem.] Hactenus Bartolus in gloffa fuper Extrauagan. incip. Ad reprimendum, in principio,in verbo: Totius Orbis. Vnde appofitè idem Bartolus in l. r.ƒ. Præfides, num. 3. & 4.ff. de Requir. reis. retulit,Dantem Aligerium Florentinum fuiffe, quafi de hærefi condemnatum: quia tenebat, Imperium non dependere ab Ecclefia.

Iacobus Aluarotus Patauinus fuper Fœudis tit. Quis dicatur Dux, Comes, vel Marchio? num. 6. eamdem fententiam amplexus, ait:[Adueniente Chrifto, iftud Romanum Imperium incœpit effe Chrifti Imperium: & ideò apud Papam Chrifti Vicarium eft vterque gladius, fcilicet, fpiritualis, & temporalis.] Hæc Aluarotus, qui paulò poft num. 7. addit hæc verba: [Poft verò aduentum Chrifti, Imperium fuit apud Chriftum; & eius Vicarium, fcilicet, Papam. Vnde videmus, quòd hodie Imperium transfertur per Papam in Principem fæcularem, extra de Electiòn. in cap. Venerabilem:] Hac Aluarotus.

Ioannes Baptifta Ferrettus Vicentinus Iuris vtriufque Interpres, In Chrifto fuiffe Sacerdotalem, & Regalem poteftatem confitetur his verbis; [In Chrifto fuit Sacerdotalis, & Regalis poreftas:] iuxta Pfalm.23. Domini eft terra, &c. & in cap. 1. 5. Licèt de Sacra vnctione, & Pfalm. 44. [Vnxit te Deus oleo lætitiæ;] & Pfalm. 71. [Deus iudicium tuum regi da;] & Pfalm. 2. [Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam;] & ad Hebræos 1. & Pfalm. 44. [Thronus tuus Deus in feculum fæculi: virga æquitatis, virga regni tui:] cap. Legimus:93. diftinct. & Sacerdos fuit, ad Hebræos 7.& Pfalm. 109. [Tu es Sacerdos in æternum, &c.] Hactenus Ferrettus in Repetitione cap. Canonum ftatuta num. 14. de Conftit. vbi ftatim addit; [Idem fentiendum de Petro, & eius fucceffloribus;] & num.15. adiungit: [Chriftum iurifdictionalia exercuiffe.]

C A P. XIII.

Rationibus tandem demonftrari, Chriftum fuiffe Regem, & Dominum vniuerfalem omnium rerum creatarum.

Quamuis ex fupradictis efficaciter fit probatum, Chriftum Dominum noftrum, etiam tamquam hominem, verè fuiffe Regem, & Dominum directum omnium rerum creatarum; libuit tamen ampliùs hoc loco idem rationibus demonftrare: & initio, apertioris doctrinæ gratia, indicare fontes, vnde hæc petantur; ne quis putet hæc à nobis effe recenter excogitata: quæ tametfi excogitata forent, fi firmitate, & veritate nitantur, non deberent reprehendi.

Primùm ergo de hoc articulo differunt Patres Græci, & Latini, fupra cap. 8. relati, & cæteri Theologi, quos cap.9. enumerauimus.

Item fanctus Bernardus lib. 3. de Confiderationè ad Eugenium cap. r. vbi ex tribus titulis Chrifto competere dominium cenfuit; videlicèt, iure creationis, & meritò redemptionis, & dono Patris.

Sanctus Thomas 3. par. quæft. 59. art. 3. vbi Iudiciariam potentatem, quæ confequitur Regiam dignitatem, dixit conpetere homini Chrifto, ob quadruplicem titulum: videlicèt, & propter Diuinam perfonam, & propter Capitis dignitatem, & propter plenitudinem gratiæ habitualis, & etiam ex meritò: vt, fcilicet, fecundùm Dei iuftitiam Iudex effet, qui pro Dei iuftitia pugnauit, & vicit & iniuftè iudicatus eft.

Ioannes Baconus in Prologo lib. 4. Sententiar. quæft.11. art.r.2. & 3.

Beatus Ioannes de Capiftràno Tract. de Auctoritate Papæ par.2. fecundæ partis principalis num.186. 187. 188. & 189.

Guillelmus de Cremona Francifcanus facræ Theologiæ Doctor Parifienfis, & Epifcopus Papienfis, Tract. de Iure Monarchiæ, Concluf. 6.

Alphonfus Toftadus Epifcopus Abulenfis,cap.25. fuper Matthæum, quæft.327.

Alphonfus Mendoza ex Ordine Eremitarum fancti Auguftini, in Relectione de Vniuerfali Chrifti Regno, ac Dominio.

Francifcus Zumel Decanus Academiæ Salmanticenfis, ex Ordine Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, in Defenfione pro Sancta Romana Ecclefia, ad S. D. N. Paulum Papam Quintum.

Paulus Comitulus Perufinus, Theologus ex Societate Iefu, in Confutatione libri feptem Theologorum, Tract.r.

Luyfius Legionenfis Theologiæ Doctor, & Diuinorum librorum primus apud Salmanticenfes Interpres, fuper Pfalm.2. Propofitione 4. & 5.

Et alij, quos breuitatis gratia omittendos cenfuimus: allegabuntur tamen, cùm opus fuerit, in difcurfu huius demonftrationis.

Pri-

Prima ergo ratio validissima, & efficacissima deducitur ex titulo donationis Christo bene merenti factæ ab æterno Patre, ab instanti suæ conceptionis. Et quia non sufficit allegare titulum, nisi probetur: Baldus & Alexander in l. cùm de in rem verso ff. de Vsur. tit. donationis hic probatur primò ex Constitutione Ioannis XXII. supra relata in cap. 6.

Secundò, ex testibus fide dignis, videlicèt, sanctis Græcis, & Latinis: ex multis aliquot breuiter recensebuntur.

Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymorum Catechesi 10. ibi: [Omnia mihi tradita sunt, & seruo benè, non defraudoque Patrem dantem.]

Et Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus ex Psal. 2. ibi: [Christus, vt Deus est, omnia, quæ Patris sunt, hæreditario iure possidet; quia enim carni, & sanguini communicauit, accidit, vt donationis quoque nomen hic locum haberet.]

Sanctus Basilius super Psalm. 2. ibi: [Verùm cùm natura, vt Deus, sit omnium Dominus, vt homo tamen horum dominium à Patre accepit.]

Sanctus Athanasius in Sermone contra Arianos, ibi: [Vt autem gratia indemptibilis esset, firmaque hominibus custodiretur, ea de causa hanc donationem, vt propriam, sibi arrogat.

Gregorius Nyssenus Oratione 2. de Resurrectione, circa finem, ibi: [Nam quæ naturaliter habebat tamquam Deus, hæc dicitur accipere tamquam homo certo consilio factus.

Sanctus Gregorius Magnus Psal. 5. Pœniten. [Iudicium suum regi Deus Pater dedit, quando Dei Filius carnis humanæ substantiam assumpsit.]

Seuerus relatus à sancto Thoma in Catena super Matthæum cap. 28. circa finem; [Diuinitas carni contulit, quòd semper ipse Filius Dei cùm Patre possedit.

Sanctus Bernardus lib. 3. de Consideratione ad Eugenium cap. 1. ibi; [Et erit omnis terra possessio eius; Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & meritò redemptionis, & dono Patris.] Horum Patrum testimonia supra cap. 8. fuerunt integra relata.

De dominio, & potestate æterni Patris dantis dubitari non potest; quia [Domini est terra, & plenitudo eius;] Psalm. 23. de voluntate, minùs. Sanctus Paulus ad Hebræos cap. 1. [Quem constituit hæredem vniuersorum,] & rursus cap. 2. [Omnia subiecit sub pedibus eius.] Merita filij donatarij sunt clarissima. Titulus ergo donationis sufficienter probatur, & cessat omninò difficultas; quoniam quando cùm titulo donationis concurrit exercitium in donatario, vt in Christo, qui plures actus Dominantis exercuit, vt capite sequenti copiosè ostenditur; & diutina recognitio, & præstatio seruitutis, vt in vniuersali Ecclesia Christum, vt Dominum, recognoscente, & ei debita obsequia præstante, tunc etiam in dubio censetur præcessisse donatio. Baldus in cap. 1. §. fin. si inter Dominum, & vassallum lis oriatur, & in l. Si certis, C. de Pactis, Bartolus, & Alexander in dicta l. Cùm de in rem verso, ff. de vsur. & cæteri communiter.

Secunda ratio: Christo homini competit Iudiciaria potestas, & Regia dignitas, & omnipotentia propter Diuinam personam, cui Hypostaticè fuit vnita natura humana: nam propter illam Hypostaticam vnionem Diuinitatis ad carnem, & humanam naturam, quàm persona Verbi perfectissimè statim assumpsit, complera responsione Matris Virginis Matris, dicentis: [Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.] Lucæ cap. 1. consecutus fuit Christus homo Regnum, & vniuersale Dominium directum omnium rerum creatarum. Hæc ratio est S. Thomæ 3. par. quæst. 13. art. 1. ad primum, & art. 2. ad primum, & quæst. 59. art. 3. in corpore articuli, ibi; [Et propter Diuinam personam, & Ioannis Baconi in Prologo lib. 4. Sententiar. quæst. 11. art. 2. & B. Ioannis de Capistrano tract. de Author. Papæ par. 2. secundæ partis principalis num. 188. vers. Præmissa autem; vbi explicat declarationem Ioannis XXII. contra Michaelem de Cesena. Nam ex ipsa vnione ad Verbum Dei accepit homo Christus iudiciariam potestatem, quæ consequitur Regiam dignitatem; vt affirmauit ibidem S. Thomas, & rursus art. 4. in responsione ad primum argumentum, secundùm illud Prouerb. 20. [Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.] Regiam ergo dignitatem Christus habet ex hoc ipso, quòd est Vnigenitus Dei Filius; iuxtà illud Lucæ cap. 1. [Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.

Tertia ratio deducitur ex Capitis dignitate; siue ex eo, quòd Christus est Caput nostrum, vnde etiam iudiciaria, & Regia potestas conuenit Christo; propter quòd dicitur Ioan. 1. [Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis;] & [De plenitudine eius omnes accepimus;] quod pertinet ad rationem Capitis. Hæc ratio est sancti Thomæ 3. part. quæst. 59. art. 3. in corpore articuli, ibi: [Et propter Capitis dignitatem.] Quòd vt intelligatur apertiùs, notanda sunt, quæ idem Sanctus tradit eadem par. 3. quæst. 59. art. 2. quo loco, explicando illa verba Ioannis cap. 5. [Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est;] omissa humiliter sancti Chrysostomi interpretatione, ex sancto Augustino loquitur in hæc verba; [Propter quod Augustinus auctoritatem prædictam Euangelij, sic dicit esse intelligendam. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est; non quidem propter conditionem naturæ; quia omnes homines huiusmodi potestatem haberent; (vt Chrysostomus obijcit) sed hoc pertinet ad gratiam Capitis, quàm Christus in humana natura accepit. Competit autem Christo hoc modo, secundùm humanam naturam, Iudiciaria potestas, propter tria. Primò quidem propter conuenientiam, & affinitatem ipsius ad homines; sicut enim Deus, per causas medias, tamquàm propinquiores effectibus, operatur; ita iudi-

iudicat per hominem Christum homines, vt sit suauis iudicium hominibus. Vnde Apostolus dicit Hebr. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius. Secundò, quia in finali iudicio (vt Augustinus dicit super Ioannem) erit resurrectio corporum mortuorum, quæ suscitat Deus per Filium hominis, sicut per eumdem Christum suscitat animas, in quantùm est Filius Dei. Tertiò, quia, vt Augustinus dicit in lib. de verbis Domini, rectum erat, vt iudicandi viderent iudicem: iudicandi autem erant boni, & mali; restabat, vt in iudicio forma serui, & bonis, & malis ostenderetur; forma Dei solis bonis seruaretur. Hæc S. Thomas.

Quarta ratio; Iudiciaria, & Regia potestas debetur homini Christo, propter gratiam habitualem; idest, propter donum Diuinum gratuitum ei durabiliter datum: dicitur enim ad Corinth. 1. cap. 2. [Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.] Vnde cùm Christus habuerit gratiæ plenitudinem, vt notum est, consequenter ex hac gratia conuenit illi Iudiciaria, & Regia potestas. Hæc ratio est S. Thomæ par. 3. q. 59. art. 3. in corpore articuli, ibi: [Et propter plenitudinem gratiæ habitualis. [Quod rursus idem Sanctus eadem quæstione, art. 4. probaturus, omnes res humanas ad Iudiciariam, & Regiam Christi potestatem, non solùm secundùm naturam Diuinam, sed etiam secundùm naturam humanam, pertinere, clariùs, & copiosiùs explicat in hæc verba: [Dicendum, quòd si de Christo loquamur, secundùm Diuinam naturam, manifestum est, quòd omne iudicium Patris pertinet ad Filium; sicut enim Pater facit omnia Verbo suo, ita & omnia iudicat Verbo suo. Si verò loquamur de Christo, secundùm naturam humanam, sic etiam manifestũ est, quòd omnes res humanæ subdũtur eius iudicio. Et hoc manifestum est, primò quidem, si consideremus habitudinem animæ Christi ad verbum Dei: si enim spiritualis iudicat omnia, vt dicitur 1. ad Corinth. 2. in quantùm mens eius Verbo Dei inhæret, multò magis anima Christi, quæ est plena veritate Verbi Dei, super omnia iudicium habet.] Hæc S. Thomas.

Quinta ratio: Iudiciaria, & Regia potestas conuenit homini Christo, ex merito mortis eius: quia, vt dicitur Rom. 14. [In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur; & ideò super omnes habet iudicium: propter quod & Apostolus ibi subdit, Quòd omnes stabimus ante tribunal Christi, & Daniel 7. dicitur, Quòd dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei.] Hæc ratio est sancti Thomæ, non collecta, sed ex ipsiusmet verbis præcisè desumpta, part. 3. quæst. 59. art. 4. in corpore articuli, versic. [Secundò apparet idem;] & ex articulo præcedente tertio, videlicèt, eiusdem quæstionis, in corpore articuli, vers. [Et tamen etiam.] vbi sic scribit: Et tamen etiam ex merito eam obtinuit, vt, scilicèt, secundùm Dei iustitiam Iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit, & vicit, & iniustè iudicatus est. Vnde ipse dicit Apoc. 3. Ego vici, & sedi in throno Patris mei. In throno autem, intelligitur iudiciaria potestas, secundùm illud psalm. 9. Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.] Hæc sanctus Thomas. Quo loco Bartholomæus Medina notauit veritatem hanc, quòd Christus ex meritis obtinuerit iudiciariam potestatem, demonstrari apertè ex duobus testimonijs sacræ Scripturæ. Primò ex illo psal. 2. [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos.] Nam ex eo, quod dicit: [Postula:] significat, Christum meritis, & orationibus eam potestatem obtinuisse. Secundò ex illo ad Rom. 14. [In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur.] Quo testimonio vsus est S. Thomas art. 4. quoniam enim Filius Dei Christus exinaniuit se, formam serui accipiens, propter seruos, qui peccaturant, factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis: ideò donatum est illi à Deo, vt sit Dominus, & Iudex viuorum, & mortuorum; hoc est, omnium hominum. Qua autem ratione Christus Dominus mereri potuerit, luculenter explicat sanctus Thomas lib. 3. Sententiarum, distinct. 18. quæst. 1. art. 2. 3. & 4. & sequen.

Sextam rationem ex merito redemptionis deduxit S. Bernardus lib. 3. de Consideratione cap. 1. ibi: [Ex merito redemptionis,] quam superioribus seculis Guilielmus de Cremona Doctor Parisiensis, & Episcopus Papiensis Tract. de Iure Monarchiæ, Concl. 6. latè prosecutus fuit, in hæc verba: [Christus verus Deus, totius humani generis fuit, & est vniuersalis Monarcha verus. Probatur conclusio: quoniam Christus verus Deus redemit à morte ex passione, & morte sua, totum genus humanum: igitur totius generis humani ipse est verus, & vniuersalis Monarcha. Antecedens patet; quoniam peccata nostra ipse tulit super lignum crucis, cuius liuore sanati sumus; & Isaias, qui hoc prophetando apertè loquitur, 53. cap. sic dicit: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; & nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes enim nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? Illud etiam antecedens apud Catholicum est magis euidens cum sua conclusione, quam factum euidenter deducere aliquam probationem. Et consequentia patet, quoniam ex beneficio creationis arguitur, ex parte creantis, dominium respectu rei creatæ.

Igitur

Igitur ex parte redimentis à morte, sponte, & liberè, & cum propria morte, sequitur,modo consimili, respectu redempti dominium ex parte redimentis. Pro eius robore facie dictum B. Gregorij in benedictione Cerei Paschalis. Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.] Hæc Guilielmus.

Eamdem rationem agnouit, & latè prosecutus fuit Alphonsus Tostadus cap. 25. super Matthæum quæst. 327. & præsertim in §. [Sed circa hoc considerandum,] vbi probat, quòd Christus in quantùm homo,ex eo,quòd pro hominibus sanguinem fudit, & mortuus fuit Dominus omnium hominum. Et Lysius Legionensis super psalm. 2. vers. [Ego autem constitutus sum Rex.] Propositione 4. Quod efficaciter probatur ex diuinis eloquijs ad Roman. cap. 14. [Mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur.] & 1. ad Corinth. cap. 6. [Empti enim estis prætio magno.] Et rursus prima Petri cap. 1. [Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.] Et in Act. Apostolorum cap. 20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Et corroboratur, quoniam qui legitimo titulo aliquem seruum acquirit, & illius, & bonorum eius, verum, & perfectum dominium acquirit cùm quidquid acquirit seruus, Domino acquirat.l. Placet. ff. de Acquir. hæred. l.Etiam inuitis ff. de Acquir.rer. dominio,§.1. &§.Itē vobis, & toto t. Instit.Per quas personas oob. acquir. Sed Christus legitimo iure habet nos tamquam seruos: cùm sanguine suo nos emerit, & redemerit, tam respectu animæ,quàm corporis, vt liberi essemus à morte æterna, & à potestate diaboli, cui eramus obnoxij; ergo habet perfectum ius dominatiuum, quantùm ad animas, & corpora, & consequenter quantùm ad omnia bona nostra. Vnde penitùs consequitur, vt sit omnium rerum Dominus absolutus.

Nec dicatur, ex hoc titulo redemptionis solùm probari, Christum post resurrectionem fuisse Regem, & Dominum: quia cùm ab instanti suæ conceptionis opus redemptionis nostræ acceptauerit, & perfectè, & abundanter, & efficaciter adimpleuerit, protinùs, hoc etiam intuitu, acquisiuit rerum omnium perfectum, & directum dominium.

Septima ratio est: Christus quatenùs hic homo ex gratia vnionis, est Filius Dei naturalis: vel hic Christus, quatenùs est subsistens in natura humana, per gratiam vnionis, est Filius Dei naturalis, non adoptiuus; vnde, etiam in quantùm hic homo, non potuit non habere dominium directum, & supremum super totum Orbem, nedum respectu spiritualium, sed etiam respectu rerum creatarum, & temporalium:quia non potuit,etiam in quantum hic homo, non esse Filius Dei naturalis, quem, vt dixit sanctus Paulus ad Hebræos cap. 1. [Deus constituit hæredem vniuersorum.] Vnde ipsemet Christus de se ipso loquens apud Matthæum cap. 28. hoc ipsum confirmat, dicens: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Quibus verbis omnia complexus est,iuxta illud apud Ioan.c.11. [Omnia dedit ei Pater in manus.]

Quòd autem Christus, etiam in quantùm hic homo, sit Filius Dei naturalis, non licet in dubium reuocare: tum ex Synodo Francofordiensi ad Mœnum habita, temporibus Adriani Papæ Primi, & Caroli Magni, anno regni eius 26. contra Elipandum, impiè asserentem, Christum Dei Filium adoptiuum; Christum non adoptiuum, sed naturalem Filium Dei definiente: tum ex vera, & Catholica sententia S. Thomæ part. 3. quæst. 16. art. 10. & quæst. 23. art. 4. & quæst. 24. art. 2.Hic ergo Christus non Filius Dei adoptiuus, sed naturalis, qui vt verus est Deus, ita est verus homo, ex gratia vnionis, verus est etiam & directus omnium rerum Dominus. Hanc rationem subministrauerunt nobis duo Viri docti, & Catholici, videlicèt, Franciscus Zumel Decanus Academiæ Salmanticensis, ex Ordine B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, in Defensione pro Sancta Romana Ecclesia, ad S.D.N.Paulum Quintum, in Responsione ad argumenta Aduersariorum, pag. 74. & Paulus Comitolus Perusinus de Religione Societatis Iesu, in confutatione libelli septem Theologorum, pag. 51. & sequen. in prima ratione.

Octaua ratio deducitur ex generali missione Apostolorum, facta per Christum ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, vt habetur apud Marcum cap. vltimo, quod manifestè arguit potestatiuam, & dominatiuam iurisdictionem super omne genus humanum, vt prudenter considerauit Guilielmus de Cremona Episcopus Papiensis, in hæc verba: [Christus benedictus ad totum genus humanum Apostolos misit, & Prædicatores pro salute ipsorum, & tamquam superioritatis potestatem habens; igitur fuit verus, & est totius generis humani Dominus, & Monarcha. Consequentia patet, viso clarè consequente, quod non est minùs manifestum, consideratis verbis Iesu Christi auctoritatiuè dicentis: Prædicate Euangelium omni creaturæ: id est, omni homini: sequitur non minùs auctoritatiua potestas: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur: quod arguere videtur generalem super omnes homines auctoritatiuam potestatem; hoc notat declaratio Prophetiæ Danielis de lapide sine manibus absciso de monte, notante vniuersale Dominium Iesu Christi,sicut superiùs tactum est, & vsque in finem seculi duraturum, ipsomet Iesu Christo dicente: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.] Hactenùs Guilielmus de Cremona Tract. de Iure Monarchiæ, Conclus.6. ratione 5. quam rationem amplexus etiam fuit Paulus Comitolus Perusinus in confutatione libri septem Theologorum, pag. 55. vers. [Decimaquarta taggione,] quam quibusdam breuiter additis, visum est amplius illustrare.

Ferre leges, actus est maximæ iurisdictionis, & dominatiuæ potestatis; cùm in Legislatore potissimùm requiratur auctoritas. S. Thomas 1.2. quæst. 96. art. 4. quem refert, & sequitur Felinus in cap. Ecclesiæ

Sanctæ Mariæ num. 39. de Constitut. nec immeritò, quoniam in vnoquoque actu ad illius validitatem necessaria est legitima potestas, cap. Cùm super, de Offic. deleg. l. Cùm te, vbi Baldus, nu. 2. cap. de Donat. ante nupt. dec. consil. 198. num. 3. Sed Apostoli, Christo iubente, constituebant leges obligantes omnes recipientes verbum Dei, sub quocumque mundi Principatu, & Imperio viuentes, vt constat ex multis noui Testamenti locis, & signanter ex actibus Apostolorum cap. 15. ibi: [Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, &c.] Ergo Christus directam iurisdictionem habebat super omnes homines, & super omnia Regna, & super omnia Imperia. Quod adhuc clariùs patet ex eisdem Actibus Apostolorum cap. 16. in principio, vbi cùm de Pauli, & Timothei peregrinatione, & prædicatione ageret S. Lucas; addit hæc verba: [Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quę erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Hierosolymis.] Hęc ibi. Quibus verbis efficacissimus, & potentissimus dominatus Iesu Christi explicatur in terris, cùm & per Apostolos suos leges conderet, & eas vbique terrarum custodiri mandaret.

Dogmatum autem appellatione, & Symbolum Apostolorum, in quo Fidei Catholicę regulę continentur, & reliquas leges Ecclesiasticas, ad Politiam ecclesiasticam constituendam, & conseruandam, quales in Canonibus Apostolorum conspiciuntur, meritò intelligimus: cùm dogmatis appellatione, decreta etiam à prudentibus hominibus condita veniant l. Nam & Demosthenes ff. de Legib. ibi: [*dogma de andropon phronimon*, (id est, Decretum hominum prudentum.] Quare rectè in Actibus Apostolorum cap. 16. glossa interlinearis, dogmata, id est, pręcepta, interpretatur.

Nonam rationem præbet excelsum nomen Iesu Christi, de quo sanctus Paulus ad Philippenses capit. 2. vbi cùm præmisisset, Christum semetipsum exinanisse, & humiliasse semetipsum, factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis, statim subiunxit: [Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.] Hæc sanctus Paulus.

Sanctus Augustinus lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 2. contra Maximinum Arianum, de hoc ipso nomine, & auctoritate sancti Pauli disserens, verè scribit, in hæc verba: [Homini ergo donauit ista, non Deo. Neque enim cùm in forma Dei esset, non excelsus erat, aut non ei genua flectebant cœlestia, terrena, & inferna. Sed cùm dicitur: Propter quod eum exaltauit, satis apparet, propter quid exaltauerit, id est, propter obedientiam vsque ad mortem crucis. In qua ergo forma crucifixus est, ipsa exaltata est; ipsi donatum est nomen, quod est super omne nomen; vt cùm ipsa forma serui nominetur, Filius vnigenitus Dei intelligatur.] Hactenus sanctus Augustinus, quem refert, & sequitur Magister Sententiarum lib. 3. distinct. 18. §. Nec tantùm gloriam. Vnde rursus infertur, homini Christo, tamquam Domino, deberi honorificentiam, quæ tamquam Deo ante incarnationem debebatur: & amplius eius imperio subijci Angelos, Homines, & Dæmones. Hæc ratio reuera est sancti Augustini, præcitato loco: ex eius enim dictis non coactè infertur, sed apertè est Glossæ interlinearis, cuius magna est auctoritas; nam prædicto loco apud sanctum Paulum, super verbo: [flectatur,] ait: [Imperio eius subijci fateamur Angelos, Homines, Dæmones.] Est etiam Luysij Legionensis super Psalm. 2. vers. [Ego autem constitutus sum Rex.] Propositione 4. Eamdemque formauit Paulus Comitolus Perusinus, in Consutatione libri septem Theologorum, pag. 54. vers. Duodecima raggione.

Decima, & postrema ratio est, quam subministrat certissimum ius hæreditarium, quo iure Christus verus Dei Filius, non adoptiuus, sed naturalis; non ingratus, sed obediens, non immeritus, sed cum maximis meritis à Patre constitutus hæres vniuersorum; vt ait sanctus Paulus ad Hebr. cap. 1. omnium bonorum Patris nedum meruit ius, & possessionem accipere, verùm etiam accepit. Sanctus Petrus in Actibus Apostolor. cap. 2. [Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum.] Sanctus Paulus ad Hebr. cap. 2. [Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum.] Idem sanctus Paulus epist. 1. ad Corinth. cap. 15. [Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia.] Alia diuinarum literarum testimonia huc spectantia, retulimus supra cap. 4. Vnde euidenter concluditur, Christum, nedum solo titulo, & nomine, constitutum fuisse Patris hæredem, sed prætereà eiusdem hæreditatis, id est, rerum omnium creatarum actuale dominium accepisse, quod ipse Christus ore proprio confirmans, apud Matthæum cap. 28. ait: [Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra.] non quòd post resurrectionem tantùm dominium, & potestatem acceperit, sed quòd tunc id manifestatum fuerit, vt interpretatur ibidem sanctus Thomas; & luculenter Magister Sententiarum lib. 3. distinct. 18. §. Nec tantùm gloriam; vbi ait: [Tropum esse in sacra Scriptura crebeerimum, quo dicitur res fieri, quando innotescit.]

Hac eadem ratione, ad probandum vniuersale Christi Dominium, & Monarchatum, vsus fuit superioribus seculis Guillielmus de Cremona Episcopus Papiensis Tract. de Iure Monarchiæ, conclus. 6. ratione 4. incip. quartò hoc arguo auctoritate Apostoli; & hoc seculo Paulus Comitolus Perusinus in confutatione libri septem Theologorum, pag. 56. vers. 17. Nessun figliuolo è dal suo padre esseredato.

Plures rationes commemorari potuissent, sed supradictis solis insistere placuit, quia sunt efficaces, & conclusionem propositam proculdubiò firmiter probantes.

CAP.

CAP. XIV.

Christum Regem, in terris agentem, multos Regiæ dominationis, siue Iudiciariæ potestatis actus sæpè, cùm oportuit, exercuisse.

QVi negant Christi Regnum, & vniuersale Dominium, quos paulò post confutabimus, ea etiam ratione suam sententiam probare conantur, quòd Christus numquam vsus fuit Regni iure, aut Dominio; & ideo vanam, & otiosam esse potestatem, quæ ad actum numquam reducatur.

Cæterùm veritas, sacris Literis consormis, contrarium affirmare compellit; videlicet, Christum, in terris agentem, Ciuilem, & temporalem iurisdictionem, & actus Regiæ dominationis, siue iudiciariæ potestatis exercuisse. Quod vt clariùs pateat, virga illa ferrea Psalm.2. homini Christo tributa, ibi: [Reges eos in virga ferrea,] per quam significatur efficacissima eius potestas, & iurisdictio, distinguenda est, in virgam, siue iurisdictionem disciplinæ; & virgam, seu iurisdictionem coactiuam imperij, & potestatis; sicut antiqui Patres distinxerunt, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 7. Eusebius Cæsariensis, & Arnobius super Psal. 2. & sanctus Augustinus Homil. 2. in Apocal. & Primasius lib. 1. Commentar. in Apocalyps.

Et cæteris nunc breuitatis causa omissis, de hac duplici iurisdictione insignis est locus Clementis Alexandrini præcitato loco, in hæc verba: [Tale nobis prædicit nomen salutaris Pædagogi: Propterea ei virgam adiungit Prophetia, virgam disciplinæ, Imperij, & potestatis, vt quibus verbum suadens, & admonens non medetur, eis minæ medeantur. Quibus autem non medentur minæ, eis virga medebitur. Quibus verò virga non medetur, eos ignis depascit: Egredietur, inquit, virga de radice Iesse: vide Pædagogi curam, sapientiam, & potestatem. Non secundùm opinionem, inquit, iudicabit, neque secundùm loquelam arguet; sed iudicabit humili iudicium, & arguet peccatores terræ; & per Dauid Psalm.117. Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. A Domino enim castigari, & tamquam à Pædagogo erudiri, est à morte liberari; & dicit per eumdem Prophetam, Psalm.2. In virga ferrea pasces eos. Ea motus quoque Apostolus in epist.ad Corinthios 1.4.Quid vultis, inquit, in virga, veniam ad vos, an in dilectione, & spiritu lenitatis? Sed etiam, Virgam potentiæ emittet Dominus ex Sion: dicit per alium Prophetam, Psalm. 109. Pædagogica autem hæc virga tua, & baculus tuus me consolata sunt, Psalm. 22. dixit aliquis alius. Hæc est Pædagogi potestas, veneranda, & grauis; consolatoria, & salutaris.] Hactenus Clemens Alexandrinus, ex versione Gentiani Herueti.

§. I.

Christum iurisdictionem disciplinæ, & potestatis coactiuæ exercuisse.

HAc iurisdictionis distinctione proposita, non est difficile demonstrare, Christum, vtramque, dum inter homines versatetur, exercuisse. De iurisdictione doctrinæ dubitari non potest; cum ex sacrosanctis Euangeliorum libris constet, Christum triennio prædicasse populo Israelitico: salutaria monita, & præcepta ei dedisse, & veritatis viam aperuisse, quæ adeo clara, & parentia sunt, vt, sine sacri Euangelij, & Fidei Catholicæ violatione, negari non possint. Quod neque Euangelistæ prætermiserunt, nam signanter sanctus Lucas loquens de iurisdictione, & potestate Christi in doctrina prædicanda, cap.4. sic scripsit: [Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis, & stupebant in doctrina eius; quia in potestate erat sermo ipsius;] & sanctus Marcus cap.1. similiter dixit: [Et stupebant super doctrina eius, erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.] Hæc sanctus Marcus, & meritò stupebant, tum quia Diuina quædam maiestatis species in Christo docente resplendebat, & verba vitæ habebat, tum quia magnum est munus, & officium prædicandi, & docendi, (quod multa facilè suadent, sed in primis illud, quòd Apostoli Euangelium toti mundo annunciaturi, à Christo Domino potestatem acceperunt. Marci cap. vltimo, & cap.Cùm ex iniuncto, de Hæret.) quod cùm Christus iure proprio exercuerit, valde ostendit insignem eius iurisdictionem in prædicatione doctrinæ; & maximè ad effectum, nonam Rempublicam Christianam efformandi contra diabolicas potestates, & Principes terrenos, qui cæca errorum caligine tenebantur obsessi.

De iurisdictione coactina, siue imperatiua hominis Christi, frequentia occurrunt exempla, quibus fit manifestum, omnes mundi creaturas eius imperio fuisse subiectas, & eius maiestatem, & dominatiuam potestatem agnouisse. Cùm Marci cap.1.& Matth.cap.4. dicitur, accessisse Angelos, & Christo ministrasse; exhibitio ministerij, & eiusdem ministerij susceptio, actualem subiectionem manifestè arguit. Quod eleganter docuit sanctus Cyrillus Archiepiscopus Ierosolymorum, Catechesi 10. in hæc verba: [Angelorum est Dominus, sicut habes in Euangelijs: Tunc recessit ab illo Diabolus, & Angeli accesserunt, & ministrabant ipsi, quod est officium seruitutis. Cùm ex Virgine nasci debebat, ministrabat tunc Gabriel, propriam dignitatem esse reputans, ipsi ministrare. Cùm Ægyptum ire debebat, vt manufacta Ægypti dissolueret, rursus Angelus in somnis apparuit Ioseph. Crucifixo illo, & resurgente, Angelus annunciat, & dicit mulieribus: (quam bonus minister) Ite, inquit, & dicite Discipulis eius, quòd surrexit Dominus, & præcedet

cedet vos in Galilæam. Ecce prædixi vobis, quasi diceret: Non sum transgressus illius mandatum; testor, illum dixisse vobis, vt si neglexeritis, non contra me fiat indignatio, sed aduersùs negligentes.] Hæc Cyrillus.

Dæmonibus imperasse Christum, & eius coactiuæ potestati coactos obediuisse, sæpè sacrorum Euangeliorum testimonia demonstrant, cùm Matth. cap. 4. Sathan Dominum tentaret, & se ab eo adorari petulanter postularet; Christus Rex ei imperatiuè respondit, dicens: [Vade Sathana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum Diabolus.] Hactenus ibi. Vnde patet, imperio Regis Christi obediuisse potentissimam creaturam.

Adhuc idem manifestiùs ostenditur ex Marco cap. 1. & Luc. cap. 4. cùm Dæmonem de corpore obsessi expulit, in hæc verba: [Et in Synagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei: & increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cùm proiecisset illum Dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilque illum nocuit. Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate, & virtute imperat immundis Spiritibus, & exeunt?] Hactenus sanctus Lucas.

Sanctus Marcus loco illius verbi: [& increpauit,] quo vsus est Lucas, his vsus est; [& comminatus est ei Iesus.]

Præterea apud eumdem Matthæum c. 8. & Marcum cap. 5. & Lucam cap. 8. Christi Regis Imperium, & dæmones, & greges porcorum senserunt. Nam apud Matthæum his verbis scriptum extat: [Et cùm venissent transfretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes, quid nobis, & tibi Iesu Filij Dei? venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.] Hactenus ibi.

Hoc Dominicæ potestatis euidentissimum exemplum est; tum quia dæmonibus imperauit, & illi coactè obediuernnt: tum quoniam dæmones in porcos immissi, eos perdiderunt, & consequenter porcorum Dominos Rex Christus priuauit, vt notauit Franciscus Cardinalis Toletus super Lucam c. 12. annotatione 26. in fine.

Huiusmodi Imperij, & potestatis Christi Regis, plurima in Euangelijs extant exempla: vnde constat ipsum, & dæmonibus imperasse, & coactos dæmones ei obediuisse.

Imperauit quoque Rex Christus homo nedum Angelis, & dæmonibus, sed elementis, quæ eius imperatiuæ potentiæ, & Regiæ potestati paruerunt. Apud Matthæum cap. 28. cùm dormiente Iesu, magna excitata tempestate, nauicula operiretur fluctibus, discipuli eum suscitauerunt, deprecantes, vt saluaret eos, & mox subdit Euangelista hæc verba: [Et dicit eis Iesus, quid timidi estis modicæ fidei tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?] Hactenus sanctus Matthæus.

Imperauit quoque, & maledixit arboribus, & ad Imperium eius aruerunt. Nam apud Matthæum Christus fici arbori maledixit, & continuò ficulnea arefacta fuit, in quo actu potestas, & exercitium potestatis Christi apparuit; vt notauit Franciscus Cardinalis Toletus super Lucam cap. 12. annotatione 26. in fine.

Morbi quoque Imperium Christi sæpè senserunt: cùm de corporibus ægrotorum recedere iuberentur, & ægroti sanarentur. Matthæi cap. 28. Christus Rex omnes malè habentes curauit, filium centurionis iamiam morientem sanauit. Marci cap. 5. ad contactum vestimentorum eius curata est mulier, quæ per duodecim annos profluuium sanguinis passa fuerat, febres eo imperante, sæpè recesserunt, ceterarum curationum Christi Regis Imperio factarum, in Euangelio ingens est numerus.

Quam verò circa hæc potestatem Rex Christus Apostolis impertiuit, docuit Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus in libro de recta in Dominum Nostrum Iesum Christum fide, quem Theodosio Imperatori direxit, in fine, in hæc verba: [Et opere ipso verbis suis fidem faciens, peccata remisit, potestatemque contra immundos Spiritus Apostolis impertiuit, quo nimirum, & illos eijciant, & omnem præterea ægritudinem, & languorem in populo curent. In nomine enim Iesu Christi Nazareni, claudus, qui ad speciosam portam sedebat, sanatus est. Pari modo Aeneas cum diutissimè ægrotauisset, conualuit, & morbum penè immedicabilem euasit: cùm magnus ille Petrus hac eum oratione compellaret: Aenea, sanet te Dominus Iesus.] Hactenus Cyrillus, & habetur in Actis Concilijs Ephesini.

Denique mortui Christi Regis Imperio ad vitam reuocati fuerunt. Nam Marci c. 5. filiam cuiusdam de Archisynagogis mortuam suscitauit Luc. cap 7. ante portam ciuitatis Naim, adolescentem viduæ filium, qui ad sepulturam deferebatur, & vitæ, & matri restituit. Ioann. cap. 11. Lazarum quatriduanum insigni miraculo, reuocauit ad vitam.

Hæc cùm certæ sint, & exploratæ veritatis, & egregiæ potestatis Regiæ super omnem creaturam exercitium demonstrent, mirum est, negare, Christum in homines illud suæ potestatis Imperium exercuisse, quod super omnes alias creaturas exercuit, sed tenera ex sequentibus exercuisse constabit.

De

§. II.

De eo, quod scriptum est, Christum, ementes, & vendentes, de templo eiecisse.

DOctores ergo Catholici, ad hoc probandum, illud præ ceteris producunt exemplum, seu coactiuæ iurisdictionis actum quo Christus bis vendentes, & ementes eiecit de templo: primum apud Ioann. cap. 2. num.13. & 14. his verbis. Et ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et bis qui columbas vendebant, dixit; Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.] Hæc sanctus Ioannes.

Secundò apud Matthæum cap.21. in hæc verba: [Et intrauit Iesus in Templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas nummulariorum, & Cathedras vendentium columbas euertit, & dicit eis, scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.] Hæc sanctus Matthęus cum quo concordant sancti Marcus cap. 11. & Lucas cap.19.

Dixi, Christum Regem, bis nobilem hunc, & egregium coactiuæ iurisdictionis actum exercuisse, quod ex serie historiæ Euangelicæ verè collegerunt Doctores, & signanter Augustinus, & Euthymius, & apertissimè sanctus Chrysostomus homilia 22. in cap. 2. Ioannis his verbis. [Euangelistæ non inuicem discordantes, sed demonstrantes, quod bis eos Christus eiecerit, non eodem tempore.] Hæc ille. Vnde prudenter Alfonsus Tostadus super cap.21. Matthæi quæst.73. obseruauit, actum de quo sanctus Ioannes, gestum fuisse plusquam duobus annis ante mortem Christi: actum verò, de quo sanctus Matthæus, & alij Euangelistæ, gestum quinto die ante mortem Christi.

Ex his exemplis, & actibus, insignes Doctores superioribus seculis affirmauerunt, Christum gladium, & auctoritatem temporalem, tamquam Regem, exercuisse: videlicet Glossa in cap. Quoniam in verbo. [Sic actibus] distinct. 10. & in cap. Cùm ad verum in verbo. Proprijs distinct. 96. his verbis: [Proprijs] id est, Imperij, & Sacerdotij, vel proprijs, quò ad Christum, quædam enim fecit tamquam Imperator, cùm vendentes, & ementes flagellando, de Templo eiecit 1.q.3. Ex multis, & cap. Vendentes.] Hactenus Glossa.

Et in eisdem terminis, cùm quæstio seriò tractaretur contra perturbantes Ecclesiæ libertatem, eodem exemplo, eamdem veritatem docuit Guilielmus de Cremona tract. de Reprobatione errorum Marsilij de Padua. quæst.5. artic. 1. cuius verba sunt. [Dominus etiam noster ementes, & vendentes proiecit de Templo, quod spectabat ad gladium, & auctoritatem temporalem.] Hoc declaratur per illud, quod habetur in decretis; vbi de tali eiectione, Papa loquens, dicit. Illud quoque in eodem facto sollicitè considerate, quia per totum textum sancti Euangelij nusquam inuenitur, Dominum tanta seueritate, tam districta censura iustitiæ peccantes corripuisse: cùm non solùm eloquio increpans, verùm etiam facto flagello de funiculis verberans, omnes eliminauit de Templo. Modò constat, quod verberare sic, est actus temporalis potestatis. Quam auctoritatem dedit Petro Vicario suo, & suis per consequens successoribus.] Hactenus Guilielm. de Cremona. Textus autem, quem ex decretis allegat habetur 1. quæst. 3. cap. Ex multis & est Alexandri II. Vnde iste actus iurisdictionis coactiuæ concludentius probatur,

Petrus Cardinalis Bertrandus, postquam dixisset, Christum Regem, parum aut quasi nihil, vsum fuisse Iurisdictione temporali; addidit hæc verba. [Et ideò parum, quia quando fecit flagellum de funiculis, & eiecit ementes, & vendentes de Templo, & nummulariorum mensas euertit; videtur fuisse vsus potestate, seu iurisdictione temporali. Vnde, & Iudæi dixerunt ei: Dic nobis in qua potestate hoc facis?] Hæc ille in tract. de Orig. Iurisdictionum, quæst.3. num.38.

Durandus Episcopus Meldensis tract. de Iurisdict. Ecclesiast. quæst.3. in responsione ad 3. argumentum vers. [Quamuis parum,] eodem exemplo vsus, docet similiter, Christum, temporalem iurisdictionem exercuisse.

Sanctus Ioannes de Capistrano tract. de auctoritate Papæ, part.2. secundæ partis principalis num.88. & 89. easdem Glossas sequutus; pariter asseruit, Christum aliquam gessisse tamquam Imperatorem, vt cùm eiecit de Templo ementes, & vendentes eap. Accusatio 2. quæst.7. additque, & probat, Christum pluries se gessisse pro Rege, & Imperatore.

M. Fr. Laurentius de Ayala, tract. de Politia, & Immunit. Eccles. par.2. probatione 7. pagin. 118. vbi egregiè rem ponderauit.

Ioannes Cardinalis de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib.2.cap.47. in responsione ad secundum argumentum, circa finem vers. Tum tertiò etiam, eiusdem coactinæ iurisdictionis exercitum, eodem exemplo vsus, asseruit, in hæc verba. [Tertiò etiam iurisdictionem coactiuam exercuit, cùm Christus, vendentes de Templo, & ementes violenter eiecit, vt legitur Matthæi 21. & Ioannis 2.] Hæc ille, & paulò antea dixerat, falsum esse, quod Christus iurisdictionem coactiuam nequaquam exercuerit.

Ioannes Antonius Cardinalis Alexandrinus, vulgò Præpositus, In cap. Quoniam distinct.10. notab. 1. ex Glossa notat, Christum exercuisse potestatem Regiam, & rursus idem Præpositus, eodem exemplo, & auctoricate vsus, idem in Christo Rege iurisdictionis coactiuæ exercitium agnouit in cap. Cùm ad verum distinct.96. non procul à fine, vers. Et quò ad Christum.

Panormitanus in cap. Nouit, de Iudic. postquam num. 11. vers. [Et vt habeas aliqua,] docuisset, duplicem esse in Ecclesia pote-

potestatem, vnam spiritualem, alteram verò temporalem; paulò post num. 12. vers. [Item Christus,] concludit in hæc verba: [Item Christus vtramque potestatem in hoc seculo exercuit, quando voluit: vnde flagello facto de funiculo, eiecit vendentes, & ementes de Templo, cathedras vendentium columbas euertit, & mensas nummulariorum: vt habetur Matth. 21. Mar. 11. & 1. quæst. 3. Ex multis.] Hactenus ille.

Ioannes de Imola in dicto cap. Nouit. de Iudic. num. 20. Christum, vtrumque gladium habuisse, demonstrat: & per idem exemplum docet, eum temporalem exercuisse iurisdictionem.

Et meritò Doctores supradicti ita senserunt, tum quia ementes, & vendentes, & nummularij quoque laici esse videbantur, tamen Christus Rex, quia immunitatem Templi violabant, acriter coercuit.

Nemo hoc exemplum contemnat, aut contemnendum putet, cùm à tot illustribus Doctoribus asseratur, & veritati conueniat, & à sancto Hieronymo inter præcipua, & mirabilia Christi facta reponatur, in hæc verba. [Plerique arbitrantur, maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex vtero, lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita sit Patris quod transfiguratus in monte, gloriam ostenderit triumphantis. Mihi autem omnia signa, quæ fecit hoc videtur mirabilius esse: quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantùm vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis, & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra destrui sua, potuerit, ad vnius flagelli verbera, tantam eijcere multitudinem, mensasque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus.] Hactenus sanctus Hieronymus super Matthæum cap. 21. super illis verbis. [Videntes autem Principes Sacerdotum.] Hoc ipsum ex sancto Hieronymo prudenter etiam ponderauit sanctus Ioannes à Capistrano tract. de auctorit. Papæ part. 2. 2. part. principalis num. 94. vers. [Cùm igitur intrasset in Templum.]

§. III.

De eo, quod Christus mulierem, de adulterio accusatam, absoluit.

Alterum huius Regiæ potestatis exemplum clarè etiam apparet apud Ioannem cap. 8. cùm mulierem in adulterio deprehensam, & ad se adductam, Rex Christus absoluit. Primò enim adulterij crimen grauissimum erat, nempè morte dignum; nam Leuitici cap. 20. vterque, id est, adulter, & adultera, vltimo supplicio affici iubebantur. Secundò adultera laica erat, & tamen Christus, vt ait Nicolaus de Lyra, à culpa, & pœna eam absoluit. Quo iudicio proculdubio Christus Dominus demonstrauit, se Regiam habere potestatem, & supra legem fuisse, & esse Mosaicam, cùm adulteram absoluerit, quam consequenter potuerat condemnare, eius est enim absoluere, cuius est condemnare, cap. Verbum Dei, de pœnitent. distinct. 1. Cagnolus in l. nemo qui condemnare num. 2. ff. de Reg. iuris. Nam in materia iurisdictionis hæc à pari procedunt. Hunc etiam actum notauit Franciscus Cardinalis Toletus super Lucam cap. 12. annotatione 26. in fine.

Iam verò quam copiosa fuerit Christi Regis absolutio, luculenter docuit ibi S. Th. lect. 1. in fin his verbis: [Absoluit autem eam à culpa, non imponendo ei aliquam pœnam, quia cùm absoluendo exteriùs, iustificaret interiùs, bene potuit eam adeò immutare interiùs per sufficientem contritionem de peccatis, vt ab omni pœna immunis efficeretur Nec tamen trahendum est in consuetudinem, vt aliquis, exemplo Domini, absque confessione, & pœnæ inflictione, quemquam absoluat, quia Christus excellentiam habuit in Sacramento, & potuit conferre effectum sine Sacramento, quod nullus purus homo potest.] Hactenus sanctus Thomas.

§. IV.

De eo, quod Christus, Pascha sibi apud quemdam parari, præcepit.

Ad eiusdem Dominicæ potestatis exercitium demonstrandum, facilè referri possunt exempla ex Euangelio petita, quibus Christus sibi exiberi præcipiebat illa, quibus pro temporum occasione, indigebat. Apud Marcum cap. 14. & Lucam cap. 22. Petrum, & Ioannem misit Dominus, vt pararent ei manducare Pascha in domo, quam demonstrauerunt, & eisdem discipulis ordinanit, vt dicerent Domino domus nomine suo, quod in eius domo volebat parari sibi Pascha, sic enim apud Lucam scriptum extat: [Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum, & Ioannem dicens. Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt; Vbi vis paremus? Et dixit ad eos; Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus. Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt, Pascha.] Hactenus sanctus Lucas.

Siue iste Dominus domus fuerit aliquis discipulus Christi occultus, vt vtrobique, id est, apud Marcum, & apud Lucam, Nicolaus de Lyra putauit, siue fuerit quispiam alius discipulis ignotus, certum est, iussisse Christum Regem, vt in domo sua sibi comedere Pascha pararet, qui non solùm locum, sed agnum quoque erat exhibiturus, vt apud Mateum Nicolaus de Lyra censuit; quod clarum indicium est Dominicæ potestatis.

Et ex hoc loco Victor Antiochenus colligebat, Christum, omnium domicilijs, tamquam

quam proprijs, ratione Excellentissimi dominij, quod omnium rerum habebat, vsum fuisse. Imperatiua autem potestas Domini maximè ostenditur in illis verbis: [Dicit tibi magister,] quasi diceret, iubet, imperat, præcipit.

Quod si Dominus illius domus, sicut discipulis erat ignotus, Christo Regi fuisset parum familiaris, maius est Dominici Imperij & potestatis indicium; cùm & illius hospitis mentem flectere potuerit, & illius bonis liberè vsus fuerit.

§. V.

De eo, quòd Christus iussit pullum asinæ dissolui, & ad se adduci.

AD idem argumentum probandum, censetur factum Christi Regis apud Matthæum cap. 21. & Marcum cap. 11. & Lucam cap. 19. vbi præcepit duobus discipulis, vt irent in castellum, & pullum asinæ ligatum quem inuenirent, super quo nemo vmquam sedetat, soluerent, & ad se adducerent. Neque enim dubitari potest, quin Dominicæ potestatis Imperium exercuerit, quoniam non ordinauit discipulis, vt pullum à Domino eius peterent, sed vt soluerent, & ad se adducerent, illud adijciens, vt si quis prohibere vellet, ci responderent. [Quia Dominus his opus habet,] & verè quidem Dominus, quia à tempore Diuinæ Incarnationis, Rex etiam vt homo, constitutus omnium rerum creaturam, & creandarum absolutum, perfectum, plenumque dominium fuerat assecutus, cuius exercitium istis factis clarissimè demonstrauit.

Hunc actum, ad eumdem effectum probandi actualem iurisdictionem, ponderauit sanctus Ioannes de Capistrano tract. de authorit. Papæ pat. 2. secundæ partis principalis num. 94. & Prophetico Vaticinio roborauit, sicut à diuo Matthæo ponderatum fuit cap. 21.

Diodorus, & Gennadius huc referunt Vaticinium Iacob Patriarchæ apud Genesim cap. 49. cùm dixit: [Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam;] vt ibi obseruauit Aloysius Lipomanus.

Demùm Ioannes XXII. in Constitutione incip. Quia vir reprobus, contra Michaelem de Cæsena, ex hoc etiam Christi actu, eius Dominium probauit, vt constat ex verbis eiusdem Constitutionis, supra capitulo 6. relatis.

§. VI.

Christum, tamquam Regem Regum, à Magis fuisse adoratum.

SVpradictis accedit insignis ille actus de adoratione Magorum, quem ad hoc propositum, præter alios, considerauit etiam sanctus Ioannes de Capistrano, in hæc verba: [Nos autem dicimus, Christum se pluries gessisse pro Rege, vel Imperatore, & Pontifice. Primò namque tamquam Rex Regum, & sic tamquam Imperator, adoratus est à Regibus Magis, qui venerunt ab Oriente, quærentes, vbi natus est Rex Iudæorum? quem, sub micantis, & fulgidissimæ stellæ signo mirabili, præcognouerant esse natum: cui reperto, nedùm tamquam Regi aurum exhibent, pro corona; verùm etiam tamquam Pontifici thus afferunt, cum myrrha, pro perpetua incorruptione seruanda, vt satis habetur Matthæi 2.] Hactenus Ioannes de Capistrano tract. de authorit. Papæ pat. 2. secundæ partis principalis num. 89.

§. VII.

De eo, quòd Christus corona de spinis fuit coronatus, & chlamyde coccinea circumdatus.

AD docendum, Christum Regem, actiones regias, dùm viueret, exercuisse, Glossa hunc etiam actum ponderauit, quòd coronam de spinis portauit, quod est signum Regni. Glossa in cap. Cùm ad verum, in verb. proprijs, distin. 96. per Textum in capit. duo sunt, 12. quæst. 1. Quod non fuit inepte notatum: Signum enim Regni esse coronam, exploratum est; & Reges coronis, siue diademate, ornari solitos, non est ignotum, quod ex prophanis Auctoribus copiosè posset ostendi, nisi aliud breuitas postularet. Sed vt de moribus Iudæorum aliquid huc spectans repræsentetur, in eorum Regum assumptione multæ ceremoniæ obseruabantur, quas recenset Alphonsus Tostadus lib. 4. Regum cap. 9. qu. 14. Inter eas vna erat, vt super caput Regis diadema, quod erat insigne Regni, poneretur.

Et quamquam certum sit, Iudæos, eorumque ministros, vt maiore crueiatu, & ludibrio Saluatorem afficerent, spineam coronam eius capiti imposuisse, & alia Regia insignia addidisse, vt vno consensu testantur Euangelistæ. Matthæus cap. 27. num. 28. & 29. ibi: [Et milites exeuntes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo antè eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum.]

Et Marcus cap. 15. num. 16. & sequent. ibi: [Milites autem duxerunt eum in atrium Prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eum: Aue Rex Iudæorum?]

Et Ioannes cap. 19. num. 1. & sequent. [Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum.]

Licèt, inquam, Iudæi, eorumque ministri, vt maiori ludibrio Christum afficerent, ista Regia insignia, & coronam in primis, de spinis tamen, addiderint, nihilominus Diuina sapientia altiùs aliquid per ista significare vole-

volebat, videlicet, præter alia, & Regiam Christi dignitatem, & victoriæ triumphum, quem de hoste victo reportauerat.

Sanctus Athanasius in sermone de passione, & cruce Domini, egregiè id docet, in hæc verba: [Cùm exueretur Dominus, eò ipso inuisibiliter erigebatur de Diabolo trophæum, & quò illud manifestum fieret, narratur à Ioanne indutus fuisse purpura. A Matthæo verò, & Marco chlamyde coccinea, coronamque illi ex spinis super caput esse positam, & calamum in manus datum, & ità cùm eum produxissent, genibus flexis adorasse. Miraculum nouum, & incredibile, & magnæ, sine dubio, victoriæ insigne; quem enim, vt hominem condemnauerant, eum mortuum deinde, vt Deum adorauerunt; & quem aspernabantur, vt vilem, & contemptibilem, eum confitebantur Regem, cui tunicam, & vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt; & quem ignorantes contumelijs afficiebant, cum Prophetam, etiam nolentes, appellauerunt: & quem per ludibrium, subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addidetunt ornamenta, coccineam chlamydem, & coronam spineam, & calamum.] Hactenus sanctus Athanasius.

Si quis plura de corona, & coronatione Domini Nostri Iesu Christi nosse desiderat, legat, quæ doctè, & piè tradunt Alphonsus Palæotus Archiepiscopus Bononiensis in historia admiranda de Iesu Christi stigmatibus sacræ Syndoni impressis, & ibidem copiosiùs Daniel Mallonius in elucidationibus cap. 12. & 13. & 14.

Plura ad idem argumentum recenseri possent, quæ breuitatis causa omituntur; ea tamen copiosè commemorauit sanctus Ioannes de Capistrano in tract. de auctorit. Papæ par. 2. secundæ partis principalis nom. 88. & multis seqq.

Prædicta verò omnia ex eo facilè comprobantur, quòd cùm Christus, vt habetur apud Esaiam cap. 33. fuerit, & sit, [Dominus noster, Iudex noster, & Legifer noster;] & actus, qui inde proficiscuntur, absque iurisdictione coactiua, seu imperatiua, non videantur posse exerceri: ideò fateri oportet, ipsum, vigore talis potestatis, & prædicta fecisse, & maiora facere potuisse, vt obseruauit etiam Ioannes Cardinalis de Turrecremata in Summa de Ecclesia libro 2. cap. 47. in responsione ad secundam obiectionem.

CAP. XV.

Stabilita veritate de Regno, & vniuersali Dominio Christi, suo ordine respondetur argumentis Aduersariorum, quæ hic in aliquot capita distinguuntur.

VT supradicta veritas de Regno, & vniuersali Dominio Christi constanter stabilita, firmius consistat, superest respondere argumentis Aduersariorum, qui tenuibus rationibus victi, contrariæ sententiæ consenserunt.

Cæterùm, quia nisi distinctè procederetur, magna futura esset perturbatio, & doctrina redderetur, vel ad intelligendum difficilis, vel ad retinendum memoria difficilior, ideo veluti in classes quasdam omnia redegimus, & ad nouem potissimùm capita coarctauimus, videlicet:

Ad testimonia ex sacris Literis Veteris Testamenti petita.

Ad auctoritates ex Nouo Testamento deductas.

Ad dicta quorumdam sanctorum Patrum, & Doctorum, qui vnum confitentes Regnum, alterum non negauerunt.

Ad Auctorum quorumdam damnatorum illegitimas assertiones.

Ad Ioannis Parisiensis libellum, Dantis Aligerij Monarchiam, & Antonij de Rosellis opinionem.

Ad Doctorum aliquot Christianorum ex Iudaismo tamen conuersorum opinationem.

Ad Doctorum paucorum Christianorum natiuorum opinionem.

Ad Historias, & præsertim illam, quam ex Hegesippo recensec Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15. incipien. Cùm Domitianus.

Et demùm ad rationes.

Quibus suo ordine dissolutis, gloria Regni Christi super temporalibus clariùs resplendebit, & cunctis omninò, & præsertim Mundi Principibus fiet placidior, & amabilior: cùm Christus suum hoc temporale Regnum non inuideat hominibus, sed illud potiùs eis liberalissimè largiatur, habereque permittat, seruata tamen ei fide, & gratitudine, qua donatarij erga donatores iure tenentur obstricti, & vt iuxta leges donantis, Regna, & Imperia regant, & moderentur.

CAP. XVI.

Testimonia quædam ex Veteri Testamento petita non obsistere Christi Regno, & vniuersali eius Dominio super temporalibus.

QVi negant Regnum, & vniuersale Dominium Christi super temporalibus, & Veteris, & Noui Testamenti testimonijs id persuadere conantur; quibus singulatim respondere decreuimus, vt omnis difficultatis nebula dissipata, clariùs veritas elucescat; & nostro more seruato, à Veteris Testamenti Vaticinijs docetur initium.

§. I.

Ex Vaticinio Ieremiæ de Rege Iechonia.

IN primis Aduersarij objiciunt Vaticinium Ieremiæ cap. 22. vbi sic scriptum extat: [Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum Iecho-

Iechoniam sterilem; virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.] Hactenus Propheta. Vnde mox inferunt, Christum non fuisse Regem, nec successisse in Regno Dauid, & consequenter non fuisse Regem vniuersalem, quod clariùs deduci prætendunt, ex illa interpretatione verbi [sterilem,] cuius loco Vatablus, & alij Linguæ sanctæ Periti, transtulerunt, [orbum,] vbi dictio Hebræa significat eum, qui liberos suos condidit in sepulchro, neque moriens prolem reliquit: ac si Propheta dixisset, qui quamvis sit habiturus liberos, nullos tamen sit relicturus, qui Regiam dignitatem sint consecuturi: sepeliet enim eos, antequam decedat, quod deinde apertiùs aiunt declarari.

Hoc argumento vsi sunt quidam recentiores Theologi, Dominicus Sotus lib. 4. sententiarum dist. 25. quæst. 2. artic. 1. conclus. 3. vers. Quod autem alij fingunt. Thomas Vualdensis lib. 2. doctrinalis fidei artic. 3. cap. 76. incipien. Christus. Bartholomæus de Medina apud sanctum Thomam par. 3. quæst. 59. super artic. 4. conclus. 3. versic. Christus Dominus. Et Dominicus Bagnes apud eumdem sanctum Thomam 2. 2. quæst. 62. in præambulo de Dominio quæst. 4. paulò post princip. versic. Primò quidem se offert testimonium Ieremiæ, quibus locis affirmauerunt, Christum Dominum nullum ius humanum, seu hæreditarium habuisse ad temporale Regnum Iudæorum, ex familia Dauid.

Hoc argumentum, quod prædicti Doctores multùm vrgere arbitrantur, rectè intellectum, parùm vrget, & iam antè mille annos ei respondit sanctus Hieronymus apud Ieremiam cap. 22. in fine super vers. Terra, terra, terra, vbi quæstionem format, his verbis: [Et oritur quæstio, quomodo stare possit Prophetia: de stirpe eius nullum esse generatum, qui sederit super thronum Dauid, nec Princeps fuerit vltra in Iuda? cùm Dominus, atque Saluator de huius natus sit semine; super cuius ortu loquitur Gabriel ad Mariam, Luc. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*; ipse erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit super domum Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis. Possumus ergo hoc dicere, quoniam illud, quod deest in LXX. videlicet (in diebus eius non prosperabitur, siue non crescet) ignorantibus fecerit quæstionem. LXX. transtulerunt: Scribe virum istum abdicatum hominem, quia non crescet de semine eius vir, qui sedeat super thronum Dauid Princeps vltra in Iuda, quod in Hebraico bis positum est, quod putantes, qui ab initio scripserunt, in Græcis libris additum, subtraxerunt.] Hæc Hieronymus, qui statim subdit hæc verba: [Respondeamus igitur, quòd in diebus Iechoniæ, non successerit ei vir, qui sederit super thronum eius, sed multò post tempore de semine eius natus sit, qui solium eius obtinuerit.] Hæc Hieronymus: Qui nedum non excludit Regnum Christi super Iudæam, sed potiùs astruit. Cum sancto Hieronymo sentit Eusebius Cæsariensis libro 7. de demonstratione Euangelica cap. 1. demonstratione 3. vbi explicans illud Esaiæ cap. 9. [Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit,] affirmat, Regnum Iudæorum ex stirpe Dauid peruenisse vsque ad Iechoniam, & ad captiuitatem Babylonicam: post illam autem captiuitatem, nullum ex stirpe Dauid sedisse vsque ad Christum Dominum, in hæc verba: [Ab eo tempore, quo populus in Babylonem captiuus ductus est, vsque ad Romanorum, & Tyberij Imperium prolata, prouectaque sunt: nullus enim ex genere Dauid, hoc toto intermedio tempore, in Hebraicæ gentis Regia sede videtur sedisse, vsque ad Christi aduentum. Vbi verò Dominus, & Saluator noster Iesus Christus, qui de semine Dauid ortus est, in totum Orbem Rex denunciatus est, tamquam ea, quæ de terra, & ruina instaurata sit, ipsa illa sedes Dauid, per Diuinum Saluatoris nostri Regnum, erecta est, & permanebit in æternum, veluti Sol in conspectu Dei, illius lucis radijs, quam doctrina illius præsefert, totum Orbem terrarum illustrans.] Hactenus Eusebius. Cuius sententiam refert, & sequitur Leo Castrus in Commentarijs in Esaiam cap. 9. vers. super solium Dauid, in princip.

In eamdem sententiam consentire videtur Euthymius, super Psalm. 71. vers. 1. in hæc verba: [Potest, & Christus secundùm humanitatem appellari Rex; veluti qui de tribu erat Regia, & Regis filius, tamquam filius Dauid. Liber enim inquit, generationis Iesu Christi, filij Dauid.] Hactenus Euthymius.

Eamdem solutionem de Regno Christi Iudaico, superioribus seculis assignauerunt aliquot insignes Doctores: in quibus sunt Ioannes Baconus, qui floruit sub Clemente Papa VI. ad annos D. 1350. & Riccardus Radulphus Archiepis. Armachanus, qui claruit sub Innocentio Papa Quarto ad annos Dom. 1370. & quidam alij paulò post referendi.

Nam Ioannes Baconus in Prologo lib. 4. Sententiarum quæst. 1. artic. 2. Conclusione 2. vers. Nec est intelligendum iure diuino, & iure hæreditario humano, competere Christo sceptrum, affirmat his verbis: [Competit ergo sceptrum Christo de iure hæreditario, & iure diuino in æternum. Nam (vt supra dictum est) nato Christo Deo forti de Virgine, dedit ei Deus solium Dauid in æternum, seu sceptrum, & à Deo, est esse hæres à iure diuino. Item Psal. 44. Dauid dicit; Speciosus forma præ filijs hominum; procede, & regnasequitur; Sedes tua Deus in sæculum sæculi. Ecce Deus dat sibi ius in æternum. Competit etiam sibi iure humano; descenderat enim ius regni Dauid per Salomonem, per lineam descendentem, vsque ad Ioseph; nam Ioseph non solùm fuit popularis homo de tribu Iuda, sed etiam de domo Dauid Regia. Matth. 1. & Lucæ 2. Sed Deus voluit, approbauit, quòd ipsi, quibus ius dederat, quòd etiam iure adoptionis filij per eos adoptati, summi hæredes succederent, verbi gratia, Deus dedit hæreditatem Isaac, Iacob, & serius generationi filij, in illa debuerat successisse Esau, & tamen Isaac adoptauit in hæredem secundò genitum. Genes. 25. & abstulit ab Esau, dicens; Maior seruiet minori, & Isaac hæc post

post hoc approbauit. Genes 28. Dominum tuum illum constitui. Similiter de voluntate Dei dedit Iacob sceptrum Iuda Iudæ, & abstulit Ruben. Genes. 29. Igitur eadem ratione, cùm dedit Filio Virginis solium Dauid. Esaiæ. 9. & solium Dauid ad Ioseph per lineam descendentem venit, Ioseph in filium adoptauit notoriè; nam curam Christi notoriè egit, traducendo matrem eius, tamquam legitimam vxorem eius in Bethlem, quando peperit Christum: demùm in Ægyptum ducendo, & in Nazareth reducendo. Igitur patet, quod sceptrum Dauid iure humano Christo competit; immò non solùm fuit Rex Iuda, sed totius vniuersi Orbis, iure donationis Paternæ, in Psal. 2. postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, & in alio Psal. 71. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes Gentes seruient ei.] Hactenus Baconos, qui rursus in Prologo lib. 4. Sentent. quæst. 11. multis rationibus docet, Christum & ratione meriti, & ratione vnionis Hypostaticæ, secundùm quòd est eadem persona cum Verbo Dei, & ratione Iudiciariæ potestatis habere plenum ius dispositorium, & liberum Dominium omnium rerum humanarum, ad disponendum de illis, & ad distribuendum illas, & ad eas de persona in personam transferendum.

Riccardus Radulphus Archiepiscopus Armachanus, lib. 4. in question. Armeniorum cap. 16. Baconum secutus eamdem sententiam, & solutionem profitetur, his verbis: [Sic igitur mihi videtur, saluo iudicio meliori Christus Rex Iudeorum fuisse; quia, scilicet, ad matrem eius, quæ de domo Dauid erat, non dubium (quia alias Christus ipse, non habens Patrem carnalem, filius dauid non fuisset, nec germen eius, contra scripturam Ieremiæ 23. & 33.) regalis dignitas successione hæreditaria fuerat deuoluta, iuxta legem datam Numer 27. & vltimo capitulis, de filiabus Saphat, sub hac forma, Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas, scilicet, quòd si ei fratres non fuerint, dabit hæreditatem fratribus patris eius, si autem nec patruos habuerit, dabitur his, qui ei proximi sunt. Ita quòd Christus hæres carnalis Matris, ac progenitorum eius Rex Iudæorum, verè dici potuit, quamuis ipse iure illo, quò ad temporalia, vti noluerit, sicut superiora, quæ adduxi, ostendunt.] Hactenus Armachanus.

Idem in effectu concludunt Paulus Burgensis apud Mathæum cap. 1. Additione 2. Conclusione 3. vers. Secunda verò pars Conclusionis, & Alfonsus Tostadus super eumdem Matthæum, cap. 21. quæst. 30. incip. Quæritur cùm hic Matthæus, paulò post medium, vers. dixit autem Rex tuus, & Ioannes Arboreus Lauduoensis lib. 3. Theosophiæ cap 5. vbi latè probat, quòd quamuis Christus fuerit Rex Iudæorum, non tamen Regiam, fluxo honore, dignitatem exercuit, quòd libenter amplectimur.

Ex his patet, nec posse, nec debere vocari figmentum, quod de Regno Iudæorum homini Christo, iure hæreditario competere, tam graues Doctores affirmauerunt, contra quam asseruit Sotus lib. 4. Senten. distinct. 25. quæst. 2. art. 1. Conclusione 3. vers. quod autem alij fingunt, quos si ille vidisset, vt erat humilis, religiosus, & pius, non fuisset eos dedignatus.

Nec esse opinionem Iudeorum, aut Iudaizantium, vt putauit Dominicus Bagnes apud S. Thomam 2. 2. quæst. 62. in Præambulo de Dominio Christi, quæst. 4. Conclus. 1. cùm & à magnis viris asseratur, & grauibus auctoritatibus nitatur.

Supradictis accedunt multa, quæ Diuino Ieremiæ Vaticinio accommodantur. Primò, regnauit quidem Christus super thronum Dauid, ex semine Iechoniæ, sed non accepit Regnum modo humano, aliorum Principum, & Regum more.

Rursus accepit omninò Christus Regnum Dauid patris sui: sed non in diebus Iechoniæ, vt habet Prophetia Ieremiæ.

Præterea, licèt ratione hæreditariæ successionis in Regno Iudæorum, ista alicuius difficultatis nebula inuoluerentur, aliundè tamen clarescunt, cùm Christus multis alijs titulis, & rationibus, quas supra ex sententia Sanctorum, & grauissimorum Doctorum recensuimus, Rex, & vniuersalis Dominus fuerit constitutus: in quibus primùm locum obtinet titulus donationis ab æterno Patre habitus, sicut agnouerunt Cyrillus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Magnus, Beroardus, & alij ibi allegati.

§. II.

Ex lib. 1. Machabæorum cap. 14. non excludi Regnum Christi super Iudæam.

Quidam etiam ex eò contendunt, non competere Christo Regnum Iudæorum iure hæreditariæ successionis, quia cùm, tempore Machabæorum, Regnum Iudæorum cessasset, & Ducatus extinctus esset, seu translatus à tribu Iuda, totus Iudæorum populus, ex communi consensu, constituit sibi Ducem, & summum Sacerdotem Simonem Machabæum; vt in eo, & posteritate eius, ea dignitas perpetuò maneret. Nam lib. 1. Machabæorum cap. 14. num. 41. & seqq. ita scriptum extat. [Et quia Iudæi, & Sacerdotes eorum consenserunt eum (Simonem Machabæum) esse Ducem suum, & summum Sacerdotem in æternum, &c.] Cùm ergo translata esset omnino dignitas Regia à domo Iuda, non potuit legitima successione, & hæreditario iure ad Virginem peruenire.

Sed non est difficile respondere. Et primò fatemur, defecisse quidem tunc Reges ex progenie Dauid, & ideo Iudæos, & Sacerdotes, qui tunc erant, Simonem Machabæum Ducem suum, & summum Sacerdotem in æternum constituisse. Sed dicimus, non defuisse descendentes ex semine Dauidis, & cùm statim addatur; [Donec surgat Propheta fidelis.] Satis significanter ostenditur, futuro Regi Christo ius Regium, & coronam reser-

reseruari: vnde tantùm abest, vt ex eo loco negetur Regnum Christi, vt firmius potiùs stabiliatur.

Respondetur etiam secundò, sicut paulò antea dictum fuit, quòd tametsi iure hæreditario non fuerit Iudææ Regnum Christo delatum, iure tamen Paternæ donationis fuisse collatum, negari non posse.

§. III.

Prophetiam Ezechielis non repugnare Christi Regno temporali super Iudæam.

Vaticinio Ieremiæ, initio huius capitis relato, similis est Prophetia Ezechielis cap. 21. cuius verba sunt; Tu autem profane, impiè dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita, Hæc dicit Dominus Deus; Aufer cidarim, tolle coronam; nonne hæc est, quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam; & hoc non factum est donec veniret cuius est iudicium, & tradam ei.] Hæc ibi. Quo loco S.Hieronymus ait; [Nemini dubium esse, illis verbis significari Sedechiam, in quo regum Israel de stirpe Dauid imperium finitum est; propter quem, inquit, Sacerdotium, & Regnum interijt populi Iudæorum. Cidaris enim insigne Pontificis est; corona, hoc est, diadema, Regis indicium.] Hæc Hieronymus. Vnde similiter inferri videtur, nullo successionis iure Regnum Iudæorum adChristum peruenire potuisse.

Sed respoudo videtur clara, id enim locum habuit vsque ad aduentum Christi; quod sanctus Hieronymus ibidem significantiùs docuit, in hæc verba; [Sed donec veniat Christus, cuius est iudicium; & eradat ei Pater Regnum, & Sacerdotium, vel Ecclesiam de Gentibus congregatam. Ioan.5. Non enim iudicat Pater quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, & in alio loco. Psal.71. Deus, ait, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iste est, cui repositum est Imperium, & Sacerdotium sempiternum; de quo loquebatur, & Iacob; Genes.49. Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est & ipse erit expectatio Gentium.] Hactenus sanctus Hieronymus. Ex cuius verbis cessat responsio Barrholomæi de Medina, in expositione ad Sanctum Thomam par.3.quæst.59. artic.4.Concl.3.vers. Nec his dictis aduersatur. Quia eius dictis aduersatur, & prædicta Iacob Prophetia, Genes.49. & hæc sancti Hieronymi doctrina.

Placet hoc loco breuiter animaduertere, viro docto Leoni Castro in Comment. in Esaiam cap. 9 super illis verbis; [Super solium Dauid,] paulò post principium, vers. Tamen quod Eusebius. Displicuisse dictum S.Hieronymi, initio huius §.relatum, affirmantis, propter impietatem regis Sedechiæ, Sacerdotium, & Regnum Iudæorum interijsse; nam pace tanti Sancti, sibi non satis probatur: non enim perijt Sacerdotium, nam post captiuitatem Babylonicam fuisse Sacerdotes, certa res est, sicut certum est, à captiuitate Babylonica, vsque ad tempora Christi non fuisse reges de stirpe Dauid, quia postquam regnum ad Romanos translatum est, rex ab illis constitutus extitit Herodes, cuius tempore venit Christus.

Nec refert, quòd cidaris insigne Pontificis sit, quia etiam est insigne Regium, vt patet ex illis Quinti Curtij verbis lib.3. de rebus gestis Alexandri Magni, [Cidarim Regum capitis vocant insigne.] Reges ergo in Iudæa de stirpe Dauid, vsque ad Christum fuisse sublatos, certa res est, sed Pontifices, & Sacerdotes non fuisse sublatos, certa quoque res est. Pontifices enim Proreges erant, & penès ipsos Regia potestas residebat, quamuis Regia corona deficeret.

§. IV.

Alia insuper Testamenti veteris testimonia à quibusdam ponderata, vt de solo spirituali Christi Regno loquantur, eorum sententiam non probare.

Cvm multis veteris Testamenti Vaticinijs, & præsertim supra cap.3. relatis, testatum appareat, Christum Redemptorem, apertè vocari Regem: Esaiæ cap.33. Dominus Rex noster. Ieremiæ cap. 23. [Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.] Zachariæ cap.9. [Ecce Rex tuus venit.] Psalmo 2. [Ego autem constitutus sum Rex ab eo,] & Psalm. 44.[Dico ego opera mea Regi,] id est, vt interpretatur Euthymius: [Profero Prophetias Christo Regi, quas de eo, afflatus Spiritu pronuncio.] & Psalm.71.[Deus iudicium tuum regi da.] Interdum etiam appellari Dominatorem. Esaiæ cap.16. [Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ. Michææ c.5. [Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel.] & Malachiæ cap.3. [Et statim veniet ad templum suum Dominator.]

Hæc enim Vaticinia de Christo Redemptore intelligi, nullus Catholicus potest in dubium reuocare: & cum proculdubiò patenter probent Regnum & Dominium Christi temporale: ideo quidam Theologi, præsertim recentiores, quibus placuit Regiam dignitatem, & Dominationem terrenam homini Christo negare, aliò confugientes, dicere cœperunt, ista testimonia, & si quæ sunt similia, accipienda esse de Regno eius spirituali; per quod Christus spiritualiter Rex constitutus est in nobis; vt expulso maligno Principe de cordibus nostris, regnet ipse in interiore homine secundùm spiritum, secundùm fidem, secundùm donationes gratiarum, & largitiones virtutum, & ædificationes morum, ad salutem animarum nostrarum: vt iam non regnet peccarum in nostro mortali corpore; nec seruiamus immunditiæ, ad iniquitatem, sed potius iustitiæ, in sanctificationem. Dicunt enim, quòd quoties cumque in sacris Litteris fit mentio de Re-

gno Christi, semper adiungitur aliquid, quo intelligamus spiritualitatem, & æternitatem Regni illius, non autem temporalitatem, & sæcularitatem regnandi; quia Christus in hoc sæculo nullam talem potestatem, aut Dominium accepit.

Vnde inquiunt, quòd cùm Zachariæ 9. dicitur: [Ecce Rex tuus venit.] protinùs additur; [iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam.] vbi non solùm vsum Regni, sed etiam Dominium, & proprietatem rerum, videtur Propheta Christo denegare: & cum dicitur: iustus, & saluator, clariùs explicatur spiritualitas Regni Messiæ.

Rursus cùm Psalm.2. dicitur: [Ego autem constitutus sum Rex ab eo.] statim subsequitur: [super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius,] quibus verbis insinuatur qualitas Regiæ potestatis Christi: videlicet, ad prædicandum spirituale forum Dei.

Item cùm Psalm.44. Propheta dicit; [Intende, prospere, procede, & regna.] statim describitur ratio, & modus regnandi, videlicet, [Propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam.] vbi officium Christi in prædicatione veritatis in exemplo mansuetudinis, in virtute redemptionis, quæ nominæ iustitiæ intelligenda est, describitur.

Præterea, cùm Ieremiæ cap.23. Propheta dicit. [Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra,] vt intelligatur, quale iudicium factùrus erat in terra, mox subiungitur: [In illa die saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster,] quod testimonium non potest intelligi de salute temporali regni Iuda, cum illud non videatur fuisse reparatum per aduentum Christi.

Similiter cùm Esaiæ cap. 9. scribitur: Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo, & vsque in sempiternum.] non potest intelligi sessio, confirmatio, aut corroboratio sæcularis, & temporalis, sed omnino spiritualis.

Supradictis pauci quidam Theologi recentiores addunt quædam alia diuina Oracula ex nouo Testamento, quale est illud, [Regnum meum non est de hoc mundo, & illud; [Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.] De quibus paulò post in particulari, tractabitur, ne, congerie super congeriem addita, veritas obruatur.

Ex supradicta interpretatione quidam, Christo vero Regi, & Domino nostro Regnum & coronam Regni temporalis ademerunt, quos suo loco singulariter recensebimus, & confutabimus, qui tamersi latissimum campum præbuerint, ad disputandum de altissimis mysterijs prædictorum diuinorum Vaticiniorum, nos, longa disputatione prætermissa, breuiter respondebimus.

Primò, quòd cùm prædicta diuina Oracula vtrumque Regnum sint comprehendere apta, non decet, illa ad vnum tantùm Regnum spirituale coarctare; nam generaliter prolata, regulariter, generaliter sunt intelligenda. lib. 1. §. generaliter ff. de Legat. præstan. vbi Glossa, & Doctores.

Secundò, quòd tamersi prædicta diuina Vaticinia comprehendant Regnum Christi spirituale, quale paulò antea explicauimus, per quod regnat in animis fidelium, per fidem, gratiam, & virtutes, quod nullus Catholicus iure negabit: non tamen excludunt Regnum, & Dominium temporale, quod ab instanti suæ conceptionis accepit, ex donatione æterni Patris: quo Christus quatenus homo, Dominium, & potestatem accepit omnium rerum creatarum directè quidem, & absolutè: licèt eo Dominio temporaliter non fuerit vsus: vt sæpe dictum fuit, & paulò post etiam copiosiùs explicabitur. Christus enim non solùm habuit plenissimam potestatem in spiritualibus ad fundandam Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo; & ad leges ferendas, & ad instituenda Sacramenta, & ad Ministros Ecclesiasticos ordinandos, à quibus spiritualia, & Ecclesiastica administrarentur, & ad cetera omnia condenda, quæ ad finem supernaturalem assequendum expedire iudicauerat, sed etiam Dominium, & potestatem accepit omnium rerum temporalium, & vniuersi Orbis, cuius Rex, Caput, & Dominus fuerat constitutus, vt temporalia ipsa, iustè, & legitimè disposita, & gubernata, ad illum ipsum finem supernaturalem conducerent, & dirigerentur: propterea enim ea omnia Christo homini subiecit æternus Pater, vt à Christi imperio, nutùque dependerent.

Tertiò respondemus, istam prædictorum Theologorum recentiorum interpretationem eo potissimum nomine formidandam, quia repugnat testimonijs, & auctoritati Partum Græcorum, & Latinorum, quos supra recensuimus: qui, temporalia quoquo omnia Christi Dominio, & Regno fuisse subiecta, profitentur.

Quartò responderur, mirabile videri, quòd in ceteris ferè omnibus sacræ Scripturę locis, à primo cap. Genesis, vsque ad vltimum Apocalypsis verbum, nomen Regis, & Dominatoris, quasi semper significet proprium, & verum Regem, & Dominatorem, etiam temporale Dominium habentem, & in prædictis Vaticinijs de Christo præcisè loquentibus, & eum Regem appellantibus, ad diminutionem, & denegationem Regiæ potestatis eius, restrictè, & limitatè accipi pro eò, qui solùm fuerit, & sit Rex spiritualis. Hoc argumento vsus Alfonsus mendoza Augustinianus, in Relectione de vniuersali Christi Dominio, ac Regno §.13. vers. Mirabile profectò est, copiosè mihi, istorum Dominorum Theologorum opinioni satisfecisse, videtur.

Postremò ista sententia, quæ Christo Domino negat Regiam dignitatem, & Dominium omnium rerum temporalium, eo potissimùm nomine videtur formidanda, & ideo diligentissimè præcauenda, quòd non alijs argumentis muniatur, quàm illis, quibus tempore Ioannis XXII. Fratricelli, & eorum Auctores contra Pontificias Constitutiones vtebantur; vt mox singulatim demonstrabitur.

CAP.

CAP. XVII.

Noui Testamenti auctoritate à recentioribus quibusdam deductas contra Regnum, & vniuersale Dominium Christi, eorum sententiam potiùs oppugnare.

RVrsus quidam Theologi, præsertim recentiores, contra Christi Regnum & vniuersale Dominium temporale, de nouoTestamento aliquot auctoritates produxerunt, videlicet, ex Matth. cap. 21. [Hosanna filio Dauid.

Et ex eodem Matth. cap. 8. ibi: [Vulpes foueas habent.

Et rursus ex illa sententia Saluatoris, apud eumdem Matthæum cap. 19. [Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.

Item ex Ioanne cap. 18. [Regnum meum non est de hoc mundo.]

Præterea ex S.Paulo 2. ad Corinth. c. 8. [Christus propter nos egenus factus est.]

Demum ex eodem Paulo ad Ephesios cap. 1. ibi: [Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali.]

Eas nos singulariter, suo ordine, & sine contentione simpliciter, sola veritate inspecta, expendemus, & demonstrabimus, longè ab eo proposito distare, ad quod producuntur.

§. I.

De eo, quòd scriptum est apud Matthæum, cap. 21. Hosanna filio Dauid.

BArtolomæus de Medina apud S.Thomam parte 3. quæst. 59. artic. 4. Conclus. 4. vers. [Et populus Iudæorum. sic scribit, Populus Iudæorum, vt honorificentiùs, & excellentius reciperet Christum Ierusalem ingredientem, clamabat, dicens, Hosanna filio Dauid: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. Veniebat ergo Saluator, & Rector in spiritualibus, salutem facere populum suum à peccatis eorum Hæc ille.]

Huius auctoritatis occasione, disputanda erat quæstio, iam olim in primis Ecclesiæ sæculis agitata? Quid significet, [Hosanna filio Dauid.] nisi de illa plura iam disseruissent sanctus Hieronym. apud eumdem Matthæum. cap. 21. vers. Turbæ autem, quæ præcedebant, & Epistola 145. ad Damasum Papam incip. Multi super hoc sermone; & Eusebius lib. 9. de Demonstratione Euangelica, cap. 18. & alij, ex quorum sententijs breuiter indicatis patebit, ex ea Regnum, & Dominium, Christi super temporalibus, non negari, sed probari potiùs, & firmiùs roborari.

Sanctus Hieronymus apud Matthæum, præcitato loco, putat, [Hosanna, Hebraicum esse verbum, & significare, quòd aduentus Christi salus mundi sit. Vndè & sequitur: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Saluatore quoque id ipsum in Euangelio comprobante. Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepistis, alius veniet in nomine suo, & recipietis eum. Nec non quod iungitur, Hosanna, id est, salus in excelsis, perspicuè ostenditur, quòd aduentus Christi, non tantùm hominum salus, sed totius mundi sit, terrena iungens cælestibus vt omne genu ei flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.] Hæc Sanctus Hieronymus, qui aduentum Christi salutem allaturum mundo affirmat, sed non negat Christo terrenorum Dominium, immò potiùs illud ei videtur tribuere, ex allegata Pauli auctoritate, vt omne genu ei flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, cum sancto Hieronymo sentit ibidem Venerabilis Beda.

Idem Hieronymus in præcitata epistola 145. post relatas interpretum sacræ Scripturæ versiones, ad explanandi compendium veniens, vers. [Sed quoniam hæ minutiæ. affirmat, De centesimo decimoseptimo Psalmo, qui manifestè de Christo prophetat, & in Synagogis Iudæorum creberrimè legebatur, vnde & populis notior erat, hos versus esse assumptos, quòd ille qui repromittebatur de genere Dauid, venerit saluaturus Israel. Vnde & Euangelistarum scriptura commemorat, Pharisæos, & Scribas super hoc indignatione commotos, quòd viderent populum, Psalmi prophetiam super Christo intelligere completam, & clamantes pueros Hosanna filio Dauid, dixisse eis Audis quid isti loquuntur, & Iesum respondisse, Numquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, centesimum decimum septimum Psalmum, octaui Psalmi asserrione; firmantem.] Hæc Hieronymus. Qui rursus in fine epistolæ, ex Septuaginta interpretibus. [O Domine hosiah. saluifica] interpretatur, & rursus ex Euangelio Matth. Hebreo sermone conscripto, vbi posuit, [Hosanna berama: idest, Hosanna in excelsis.] quod Saluatore nascente, salus in cælum vsque, idest, etiam ad excelsa peruenenerit, pace facta non solum in terra, sed, & in cœlo. Atque hæc est Hieronymi sententia ex qua constat, populum precatum salutem, non negasse Christi Regnum, & Dominium super res humanas.

Sanctus Hilarius in Commentar. in Matthæum, Canon. 21. paulò post principium, supee illis verbis. [Turba autem, & præcedens, & consequens elamabat. Hosanna filio Dauid Benedictus qui venit in nomine Domini, sic scripsit: Sed crucifigendum, quomodo turba collaudat, aut quomodo odium meruit ex fauore? Verùm laudationis verba, redemptionis in eo exprimunt potestatem, nam Hosanna: Hebraico sermone, significatur redemptio domus Dauid. Deinde Dauid filium nuncupant. in quo agnoscerent regni æterni hæreditatem. Postremò Benedictum in nomine Domini venientem, confitentur.] Hæc Hilarius. qui breuibus

verbis totum explicat mysterium.

Sed quòd attinet ad significationem verbi: Hosanna, quod Hebraico sermone significet, redemptionem domus Dauid non placuit Sancto Hieronymo, qui in principio præallegatæ epistolæ 145. expresè meminit Hilarianæ interpretationis, quam tamen non probat. Vnde sumpta occasione, Desiderius Erasmus, merita Ecclesiæ censura notatus, in Annotationibus ad Matth. cap. 21. irreuerenter prosequitur Hilarium, quem tamen meritò defendit Leo Castrus in Commentar. ad Esaiam cap. 9. vers. Super solium Dauid, cùm eius sententia veterum Doctorum auctoritate muniatur. Sensit quidem Hilarius pueros illos apud Mattheum acclamatione illa. [Hosanna filio Dauid,] petiuisse, vt hoc regnum Dauid, quod, post captiuitatem Babylonicam, esse desierat vsque ad Christum, Christus ipse restitueret domui Dauid, ita vt, [Hosanna filio Dauid.] idem esset, quod. redemptio domus Dauid, quasi dicerent pueri, [Restitue, obsecro, domui Dauid solium Regni.]

Eamdem interpretationem indicasse videtur Origenes, in eumdem locum Matthæi cap. 21. Tract. 14. in hæc verba. [Non aliud dicebant, qui præcedebant, aliud autem, qui sequebantur: sed omnes clamabant simul consona voce, humanam quidem Christi dispensationem laudantes, in eo, quod dicebant, Hosanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, restitutionem autem eius in Sancta, in eo, quod dicebant, Hosanna in excelsis. Hæc Origenes.

Sed apertiùs eamdem interpretationem, de redemptione domus Dauid, professus est Sanctus Ambrosius lib. 9. Commentar. in Lucam, cap. 1. super illis verbis, Et cùm appropinquaret, vbi sic scribit. Turba agnoscit Deum. Regem appellat, Prophetiam repetit. Hosanna filio Dauid, hoc est, redemptorem domus Dauid, expectatum quoque secundùm carnem Dauid filium venisse declarat, & hoc turbæ illum post exiguum crucifixura momentum. Verè memorabile Diuina operationis insigne, vt aduersum se testimonium extorqueatur inuitis. Hæc Sanctus Ambrosius.

Euthymius quoque eumdem sensum huius loci expressit his verbis: [Existimabant pueri, cùm dicerent. Hosanna, quod erigeretur ab eo abiectus thronus Dauid, quod quid aliud est, quàm petebant ab eo, vt domum Dauid redimeret. Hæc Euthymius.

Irenæus lib. 4. aduersùs hæreses cap. 24. Christum Ierosolymam introeuntem. agnitum, & susceptum fuisse tamquam Regem, profitentur his verbis. [Et propter hoc, Ierosolymam introeunte eo, omnes, qui erant in via, Dauid in Dolore animæ cognouerunt suum Regem: & substrauerunt ei vestimenta, & ramis viridibus adornauerunt viam, cum magna lætitia, & exultatione clamantes & dicentes. Hosanna filio Dauid, Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.] Hæc Ireuæus.

Doctores autem præcitati; omninò loquuntur consentanea Historiæ Euangelicæ: de qua agitur, quam conformiter narrauerunt quatuor Euangelistæ, Matthæus c. 21. Marcus cap. 11. qui post illa verba. [Benedictus, qui venit in nomine Domini.] addit hæc à Matthæo omissa, Benedictum, quod venit regnum patris nostri Dauid. & Lucas cap. 19. qui omissa voce, Hosanna, refert turbas, dicentes, Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, & Ioannes cap. 12. qui similiter scribit eos, qui processerant obuiam Iesu, clamasse his verbis. [Hosanna Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

Turbas verò intellexisse, & protulisse ista de solo regno, & rege spirituali, difficulter persuadebit Medina, præsertim cùm tunc res notissima esset apud Hebræos, & fama creberrima prædicaret: instaurationem regni Dauid expectari à Rege Messia, & illum eo tempore fuisse venturum, sicut à Prophetis fuerat prænunciatum: vt copiosè probat Paulus de Heredia, lib. 6. contra Iudæos capit. 13. incipien. Postquam probauimus Christum.

Ex his infertur, prudenter recentiores quosdam Doctores, in quibus est Ioannes Maldonatus in Matth. cap. 21. num. 9. super illis verbis. Hosanna filio Dauid, censuisse hæc verba ad Deum, tamquam ad personam agentem, ad Christum autem: tamquam ad patientem, referri oportere, precabatur enim turba Deum: vt nouum Regem, ciu desideratum, seruaret, ac prosperaret, sicut Psalm. 44. de Rege Christo loquens Dauid prophetauerat, Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissimè, intende, prosperè procede & regna. Solemus enim nouis Regibus, regnum ineuntibus, aut vrbes regias introeuntibus, fausta precantes, acclamare. Viuat Rex quod, & Iudæos solitos fuisse facere, multis exemplis compertum est, lib. 1. Regum, cap. 10. in creatione Regis Saul, à populo acclamatum est Viuat Rex.

Lib. 3. Regum cap. 1. similiter omnis populus læta acclamatione dixit. Viuat Rex Salomon.

Et lib. 4. Regum cap. 11. postquam Ioas filius Ochozie vnctus, & diademate coronatus fuit, qui aderant, plaudentes manu dixerunt: Viuat Rex.

Quod ergo turba clamaret, Hosanna perinde videtur esse, ac si dixisset; Viuat Rex Quòd autem ramos præferret, consuetudine triumphantium, & lætantium. fecisse videtur: solebant enim Iudæi, sicut, & ceteræ Gentes, cùm læta canebant, & victorias de hostibus reportabant: ramos arborum ferre sic Simon summus Sacerdus cùm vrbem Ierusalem comprehendit lib. 1. Machabæorum, cap. 13. victores in eam intrauerunt cum laude, & ramis palmarum.

Hæc autem fausta, & læta in fauorem Christi Regis acclamatio, non cæco, & inconsiderato impetu, sed Diuino potiùs instinctu, ac motu, contigisse videtur; vt omnes intelligerent: in Christo tunc fuisse impletum, quod de futuro Messia longè antea Dauidica Prophetia Psal. 117. fuerat prænunciatum.

Et nullo pacto inde excludi Regnum temporale, licèt spirituale, diuinum, & æternum præsignetur, quod faciliùs intelligitur

ex

ex totius Historiæ Euangelicæ seriè, in qua tres Euangelistæ conueniunt. Matth. cap. 21. & Marcus cap. 11. & Lucas cap. 19.

Et narrantes aliquot Regiæ dominationis actus patentissimos, paulò antea cap. 14. explicatos, apertiùs ostendimus, videlicet, Christum misisse duos discipulos in proximum castellum, vt asinam alligatam, & pullum eum ea soluerent, & ad se adducerent quibus iniunxit, vt dominis dicentibus, Quid soluitis? aut prohibentibus, responderent: Quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Iste enim actus, Dominium terrenarum rerum penes Christum extitisse, non obscurè indicat.

Alter actus est grauissimus quidem ille, & patentissimus, quia tamquam Rex, publicis acclamationibus exceptus, & salutatus, & copioso, & honorifico comitatu in ciuitatem, & templum deductus fuit; quem honorem non modò non respuit, verùm etiam probauit, & defendit: cum Pharisæis monentibus, vt increparet discipulos suos, responderit: [Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.]

Tertius denique Regiæ, & Imperatoriæ dominationis, & iurisdictionis actus valde resplenduit, quia ingressus in Templum, cœpit eijcere vendentes, & ementes in illo, & mensas nummulariorum euertit. Quod maximum fuisse Regię dominationis exemplum, insignes Doctores à nobis supra relati, tradiderunt.

§. II.

De illo Domini dicto apud Matth. cap 8. Vulpes foueas habent, &c. *vnde prætenditur excludi Christi dominium.*

REfert sanctus Matthæus cap. 8. breuiter eiusmodi factum, his verbis: [Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magister; sequar te quocumque ieris, & dicit ei Iesus. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.] Hæc Matthæus. Idem narrat Ioannes cap. 9. omisso solùm nomine, Scriba.

Ex hac Domini responsione Dominicus Bagnes, apud S. Thomam 2. 2. q. 62. in præambulo de dominio Christi. quæst. 4. paulò post principium. §. Primò quidem se offert, vers. Et denique quomodo verum erit: inferre nititur, quòd Christus nullius rei temporalis Dominus erat, nec supra omnes res humanas temporaliter Rex fuerat constitutus.

Nuper etiam Guilielmus quidam Barclaius, tract. de potestate Papæ in Principes Christianos, c. 1. ex eadem auctoritate aufere à Christo omne Regnum, & dominiū temporale.

Quòd attinet ad germanum huius sententiæ intellectum placet ibi expositio sancti Hieronymi, vers. Et accedens vnus, (quem sequitur sanctus Thomas ibidem, vers. Vulpes foueas habent,) dicentis, Christum Dominum ad intentionem respondisse: nam Scriba ille sequi volebat, sed lucrum intendebat. Vnde Dominus contra hoc allegans paupertatem, respondit: [Vulpes foueas habent.] Hoc sanctus Hieronymus pulchrè docet, his verbis: [Ostenditur autem nobis, & ob hoc Scribam repudiatum, quòd signorum videns magnitudinem, sequi voluerit Saluatorem; vt lucra ex operum miraculis quæreret, hoc idem desiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat. Talis ergo fides, iuxta sententiam Domini, condemnatur, & dicitur ei: quid me propter diuitias, & sęculi lucra cupis sequi: cùm tantæ sim paupertatis, vt ne hospitiolum quidem habeam, & non meo vtar recto?] Hæc S. Hieronymus.

Beda, Theophylactus, Rupertus Abbas, Dionysius Carthusianus, Hugo Cardinalis, Alfonsus Tostadus, Nicolaus de Lyra, & cæteri communiter, eodem loco literalem sancti Hieronymi secuti sententiam, Christi paupertatem referentes, & admirantes, affirmant, Christum Dominum, nec proprium quidem domicilium habuisse. Vnde, qui Christi Regnum, & vniuersale Dominium negant, concludi putant, Iesum nullius rei temporalis proprietatem habuisse.

Pro resolutione primò aduertendum est, eos, qui tempore Ioannis XXII. asserebant, Christum, & eius Apostolos nihil habuisse, quales in primis fuerunt Michael de Cesena, Guilielmus Okam, & alij Magistri Fraticellorum, quorum sententiam, tamquam erroneam, & hæreticam Ioannes XXII. in Constitutione incip. [Cùm inter nonnullos,] condemnauit, eisdem prorsus argumentis vsos fuisse, vt constat, tum ex Constitutionibus Apostolicis eiusdem Ioānis XXII. incip. [Ad conditorem canonū, & Cùm inter nonnullos, &. Quia quorumdā,] tum ex Aluaro Pelagio, lib. 2. de planctu Ecclesiæ, cap. 57. § Sed contra hoc, tum ex Ioanne Villano lib. 10. Historiæ, cap. 70. incip. *Appresso il Lunedì*. vers. *Anche hauea detto che Christo*. & ex Directorio Inquisitorum, part. 2. quæst. 17. & ex Ioanne Cardinale Turrecremata in Summa de Ecclesia, lib. 2. cap. 112. & ex S. Antonino in Summa, part. 4. tit. 12. cap. 4. §. 23. & ex Francisco Cardinale Zabarella in Clement. Exiui, §. Proinde vers. Sextò inducitur, & ex alijs eiusdem temporis Scriptoribus; & illis præsertim, qui eos errores confutauerunt.

Rursus absurdum, eos, qui negabant Christi Regnum, & Dominium in temporalibus, hac eadem auctoritate fuisse vsos; signanter autem Guilielmus Okam in Defensorio paupertatis, ab Ecclesia damnato; quod ille audaciter, & impiè ausus fuit scribere contra Ioannem XXII. eodem testimonio vsus, in secundo errore, ex multis, quos Papam asseruisse mentiebatur, Christi Dominium negauit, vt paulò post copiosè demonstrabitur, cap. 20. §. 9. Quare sæpe miratus sum, viros quosdam Catholicos nostri sæculi, eadem amplexos argumenta, in istam partem declinasse; quos tamen eo nomine libenter excuso, quòd ista vetus controuersia eos latuit.

His præmissis, fatemur primò, Christum nec hospitiolum, aut domum habuisse, seu possedisse: sed asserimus, non inde inferri, cum, rerum proprietate, & dominio caruisse; quia vulgaris est regula, aperto iure firmata, Possessionem nihil habere commune cum proprietate, l. Naturaliter, §. Nihil

hil commune, ff. de Acquit. poſſeſſ. Prædi-cta autem Chriſti verba, de poſſeſſione, non autem de Dominio, aut proprietate, accipienda eſſe, facilè ſuadent præcedentia illa, videlcet: [Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos.] Nemo verò, vel mediocriter litteratus, dixerit, foueas, aut nidos, iure proprietatis, vel Dominij, ab illis animantibus haberi.

Secundò dicimus, Chriſtum Dominum de facto non habuiſſe domum, aut tectum, vbi caput reclinaret, habuiſſe tamen de iure, ob eas rationes, quas ſupra latè recenſuimus: propter quas, tamquam verus, & directus Dominus, licitè potuit quibuſcumque, quorumcumque rebus, pro arbitrio vti, licèt ſpontè, & liberè vti noluerit.

Tertiò dicimus, Card. Zabarellam, præcitato loco, in terminis huic argumento Fraticellorum, reſpondiſſe, in hæc verba: [Ad illud, Vulpes foueas habent, &c. dic, quòd non probat, niſi quòd Redemptor non habuit propriam domum: ſed non per hoc infertur, quòd non habuerit aliqua propria: vt dicitur in Extrauagan. Cùm inter nonnullos. Nam loculos habuit. Ioan. 12. & licèt illi, qui tenent, vſum facti ſimplicem pertinere ad ſummam perfectionem, dicant, quòd habuit ſolùm quò ad vſum facti ſimplicem, vt conſeruaret ad caſum deficientium neceſſariorum: contrarium tamen voluit Nicolaus Tertius in Clemen. Exiui, §. Porrò, vbi dicit, quòd in hoc Chriſtus aſſumpſit perſonas infirmorum.] Hactenus Zabarella, qui ex ſancto Thoma 2. 2. quæſt. 184. artic. 7. verè aſſerit, hoc non diſſonare Religioni, immò conſonare.

§. III.

Ex illa ſententia Saluatoris apud Matthæum cap. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende, &c. *non excluditur Dominium Chriſti.*

TErtio contra ſententiam affirmantem Regnum, & Dominium Chriſti vniuerſale, adducitur reſponſio Saluatoris, apud eumdem Matthæum cap. 19. qui adoleſcenti interroganti, quid facere deberet, vt vitam æternam poſſideret, reſpondit primò: vt ſeruaret mandata, & rurſus eidem aſſerenti, ſe mandata ſeruaſſe, replicauit: [Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me.

Ex hac reſponſione Saluatoris Bartholomæus de Medina, apud ſanctum Thomam 3. part. quæſt. 59. artic. 4. concluſ. 4. intulit, Chriſtum apertiſſimè docuiſſe, ad perfectionem Euangelicam pertinere, nihil proprium poſſidere; additque, propterea concluſionem 4. ſibi videri certam; videlicet, Chriſtum Dominum, ſecundùm quòd homo eſt, non habuiſſe Dominium temporale ſupra totum Orbem.

Hoc eodem argumento, ex eadem auctoritate petito, ſuperioribus ſæculis vtebantur Fratricelli, quos damnauit Eccleſia, aſſerentes, Chriſtum, & eius Apoſtolos nihil in proprio habuiſſe, vel communi, vt conſtat ex Aluaro Pelagio lib. 2. de Planctu Eccleſiæ cap. 7. §. Sed contra hoc, paulò poſt principium, verſ. Quia vt ſcribitur Matth. 19. & ex Guilielmo de Cremona Epiſcopo Papienſi, Tract. de Iure Monarchiæ, concluſ. 6. §. Sed contra concluſionem, verſ. Secundò per illud Matth. 19. & ex Ioanne Villano lib. 10. Hiſtor. cap. 70. verſ. *Anche hauea detto che Chriſto*, & ex alijs eius temporis Scriptoribus.

Quod licèt ſufficere videretur ad effectum, vt in hoc articulo, hoc argumentum, tamquam formidabile, ſit fugiendum, nihilominùs placuit fuſiùs reſpondere cum ſancto Thoma 2. 2. qu. 184. artic. 7. vbi in forma propoſuit, & ſoluit idem argumentum, in hæc verba; [Ad primum dicendum, quòd abrenunciatio propriarum facultatum dupliciter conſiderari poteſt; Vno modo ſecundùm quòd eſt in actu, & ſic in ea non conſiſtit eſſentialiter perfectio, ſed eſt quoddam perfectionis inſtrumentum, ſicut ſupra dictum eſt, & ideo nihil prohibet, ſtatum perfectionis eſſe ſine abrenunciatione propriorum; ſicut etiam dicendum eſt de alijs exterioribus obſeruantijs. Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm præparationem; vt, ſcilicet, homo ſit paratus, ſi fuerit opus, omnia dimittere, vel diſtribuere. Et hoc pertinet directè ad perfectionem. Vnde Auguſtinus dicit in libro de quæſtion. Euang. Oſtendit Dominus filios ſapientiæ intelligere, nec in abſtinendo, nec in manducando eſſe iuſtitiam; ſed in æquanimitate tolerandi inopiam. Vnde & Apoſtolus dicit: Scio & abundare, & penuriam pati. Ad hoc autem maximè tenentur Epiſcopi, quòd omnia ſua, pro honore Dei, & ſalute ſui gregis, contemnant, cùm opus fuerit; vel pauperibus ſui gregis largiendo, vel rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinendo.] Hactenus ſanctus Thomas; à quo non debuit recedere diſcipulus ſuus; præſertim cùm doctrina ſancti Thomæ, & magna ratione, & firma veritate muniatur.

Quamobrem Alfonſus Mendoza in Relectione de Vniuerſali Chriſti Dominio, §. 24. ad tertiam rationem, verſ. Et quidem hac in parte, poſtquam hunc eumdem locum ſancti Thomæ adduxiſſet, meritò vehementer Thomiſtas, qui vel non legerunt, aut non intellexerunt, aut penitus neglexerunt ſanctum Thomam expreſsè hic profitentem, poſſe aliquem eſſe in ſtatu perfectionis conſtitutum, ſine eo, quòd abrenunciet rerum dominium, & proprietatem, dummodo ſit paratus, cùm opus fuerit, vel eas pauperibus largiri, vel aliàs, cum gaudio, earum ſuſtinere iacturam. Quòd ſi in Epiſcopis cum illa animi præparatione, quam ſanctus Thomas commemorat, poteſt ſtatus perfectionis conſiſtere; multò magis in Chriſto, omnis ſanctitatis, & perfectionis fonte, eadem Euangelica perfectio, ſimul cum vera proprietate, & abſoluto, & perfecto Dominio rerum omnium, permanebit.

Conſuluit Chriſtus adoleſcenti, deſideranti vitam æternam, vt ſi perfectus eſſe vellet, cunctis ſe opibus ſpoliaret, & ſic rende-

ret ad perfectionem; & meritò, quia facilè, affectu terrenarum rerum, poterat à via perfectionis deflectere, sed is timor, & ea à recto itinere aberratio, omnino à Christo Domino aberant, qui cùm nec peccasset vmquam, nec peccare potuisset, nullum terrenarum rerum Dominium, aut proprietas, eum poterant à perfectione retardare. Atque hinc consequitur, perfectam paupertatem, cum rerum Dominio, & proprietate consistere posse.

Guilielmus de Cremona Episcopus Papiensis, tract. de Iure Monarchiæ, conclus. 6. §. Pro quorum satisfactione, ad hoc argumentum, quod ex sententia hæreticorum illius sæculi, in terminis formauerat, vers. Secundò aduertendum, in hæc verba respondit: [Secundò aduertendum est, quòd abiectio mundanorum, quantùm ad homines spontè, & liberè acceptata propter Christum, magnam perfectionem arguit ex parte renunciantis; quoniam parùm videtur de mundanis curare, & multorum de Christo, & facillimè talis potest sequi Christum, relictis mundialibus, vt dictum est, iuxta sententiam Ieremiæ: Cursor leuis explicans vias suas. Hunc statum docuit Christus, ostendens perfectionem istam inter homines, cùm non est vsus proprio, vel communi, licèt omnium esset Dominus. Libet tamen animus, & superior his, retinendo prædicta, & ipsorum affectionem dimittendo, ad quàm principaliter Christus inuitauit, in casu, quo Christum liberè sequeretur. Addidit tamen Christus: & da pauperibus, præcipit ergo affectum dandi: vel homini loquebatur, & sibi similibus: quibus illa poterant esse occasio retrahendi à sequela Christi. Nullum autem retractiuum hæc habere possunt à perfectissimo ordine respectu immensæ bonitatis Diuinæ, & voluntatis Iesu Christi. Et per hanc declarationem satisfit Decretali Domini Nicolai, cum illo textu; Si vis perfectus esse, &c. Hactenus Guillelmus.

§. IV.

Dictum Christi apud Ioannem cap. 18. dicentis Pilato: Regnum meum non est de hoc mundo; non excludere temporale Christi Regnum, sed potiùs confirmare.

QVarto loco Auctores negatiuæ sententiæ, potissimùm vtuntur notissima Domini nostri Iesu Christi ad Pilatum responsione, dicentis: [Regnum meum non est de hoc mundo.] Vnde recentiores Theologi Dominicus Sotus lib. 4. Sententiarum dist. 25. q. 2. art. 1. Conclusione 4. vers. Quartò etiam euidentiùs. Bartholomæus de Medina, apud S. Thomam par. 3. quæst. 59. art. 4. Conclusione 4. & Dominicus Bagnes, ad S. Thomam 2. 2. quæst. 62. in Præambulo de Dominio Christi quæst. 4. paulò post principium §. Primò quidem se offert; & quidam alij colligunt, Christum non habuisse Regnum, aut Dominium temporale.

Pro faciliori intelligentia dicendorum, obseruanda primò est Historia Euangelica, quàm narrat sanctus Ioannes cap. 18. Cùm Iudæi instantissimè peterent à Pontio Pilato, vt Christum interficeret, & Pilatus id facere recusaret; quia prætensa crimina, contra Christum intentata, nullo modo erant probata; & illi nihilominùs vrgerent; Euangelista factum subsequutum narrat, in hæc verba: [Introiuit ergo iterum in Prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus; Numquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi; quid fecisti? Respondit Iesus; Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Hactenus Euangelista.

Rursus obseruandum est, ex hoc responso minùs legitimè intellecto, superioribus sæculis, omnes Ecclesiæ hostes, contra Regnum Christi, & anctoritatem Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ potestatem, impia arma sumpsisse: sic enim argumentabantur: Cùm Christus, Ecclesiæ Caput, nullum habuerit Regnum, nullam coactiuam iurisdictionem exercuerit, sed solo munere spirituali contentus fuerit; neque Romanus Pontifex, neque tota Ecclesia, eiusue Prælati, aliquod temporale possidere, aut iurisdictionem aliquam coactiuam habere, aut exercere possunt. Nam tempore Ioannis XII. Marsilius de Padua, & Ioannes de Iaoduno hoc potissimùm argumento, ex hac Diuina auctoritate dolosè vsurpato, & omnia temporalia Romano Pontifici, & Ecclesiæ, & omnem coactiuam auctoritatem detrahebant: vt illius temporis Scriptores testantur, & proximo superiori sæculo affirmauit etiam Albertus Pighius lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 1. §. Quòd autem Christus ab officio Principatus. Quamobrem propter hunc, & alios errores, Ioannes Vigesimussecundus eos, tamquàm hæreticos, condemnauit, per Constitutionem incipien. Licèt iuxta doctrinam Apostoli.

Ioannes quoque Parisiensis, qui eodem sæculo vixit, & prædictis erroribus multum fauit; tract. de Potestate Regia, & Papali cap. 8. ex hac potissimùm auctoritate Christi, dicentis: [Regnum meum non est de hoc mundo;] concludere conabatur, Papam non habere iurisdictionem à Christo in bonis laicorum, quia Christus eam non habuit.

Ex hoc eodem loco perperam traducto, Hæretici, Ludouici Bauari deceptores obijciebant Papæ Ioanni Vigesimosecundo quòd errauerat, asserendo, Christum cùm Apostolis proprium in communi possedisse. Quòd fuit vnum de præcipuis capitulis delictorum contentorum in Sententia, quam Bauarus anno 1328. Romæ in platea sancti Petri, sacrilego, & hæreticali ausu, contra Ioannem Vigesimumsecundū pronunciauit, vt constat ex Histo-

Historia Ioannis Villani, lib. 10, cap. 70. incip. Appresso il Lunedì; vers. Et appresso trouarolo in altri graui peccati di resia.

Guillelmus etiam Okam Anglus, in Defensorio paupertatis damnato, contra Ioannem XXII. errore primo ex eodem testimonio, minùs syncerè intellecto, contra Papam perfidè argumentabatur.

Ioannes Wicleff, natione Anglus, Diabolico spiritu deceptus, ex eodem argumento dogmatizabat, contra Scripturam sacram esse, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones; & quòd ditare Clerum, est contra regulam Christi; & quòd propterea Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia; sed hunc Ioannem pestiferum Dogmatistam, Concilium Constantiense ad annum Domini 1418. Sess. 8. iusto iudicio condemnauit; & eam condemnationem Martinus Papa Quintus Sess. 45. approbauit, vt constat ex eius literis Apostolicis, incip. Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines.

Proximo superiori sæculo Martinus Lutherus, Ioannes Brencius, Petrus Martyr, Ioannes Caluinus, quale hinc venenum contra auctoritatem Romani Pontificis, & Ecclesiæ hauserint, & Diabolo instigante euomuerint, notius est, quàm vt pluribus explicare oporteat.

Antonius de Rosellis Ecclesiasticæ iurisdictioni, & Christi Dominio plus infensus, quàm Christianum deceat, tract. de Potestate Imperatoris, & Papæ, paulò post principium. §. Sed quòd Christus, ex eodem potissimùm loco argumentatur, Christum, se, & suos discipulos, seculari, & ciuili Dominio terrenorum, humanaque coercione penitùs spoliasse. [Vnde, inquit, sequitur, quòd si non fuit in Christo, nec in Petro, & successoribus.]

Vt autem ostendamus, istos à vero Scripturæ sensu aberrasse; quid, de legitimo intellectu istius loci, senserint Catholici Doctores, eorum verba fideliter referendo, sine contentione demonstrabimus. Et reuera communis, vera, & recepta interpretatio est, Christum non negasse se esse Regem: sed asseruisse, se non habuisse regnum à mundo, more aliorum Regum; nam à vetustioribus exordiendo.

Sanctus Epiphanius, qui quarto Ecclesiæ sæculo claruit, in Panario contra 29. Sectam, siue hæresim Nazaræorum, sic scripsit: [Nam Regnum ipsius non est de terra, velut dixit in Euangelio ad Pontium Pilatum: Regnum meum non est de hoc mundo. Hæc Epiphanius.

Sanctus Thomas, apud Ioannem cap. 18, Lect. 6. §. Hic ponitur responsio Christi; ex sancto Chrysostomo similiter exponit, sic: [Regnum meum; idest, potestas mea, & auctoritas, qua rex sum; non est de hoc mundo: idest, non habet originem ex causis mundanis, & electione hominum, sed aliunde, scilicet, ab ipso Patre;] & paulò post eamdem Lect. 6. § Scilicet, quia non quærit; idem sanctus Thomas super illis verbis: Regnum non est hinc;] sic habet; [Idest, non habet principium de hoc mundo; est tamen hic, quia vbique est.] Hæc sanctus Thomas.

Durandus Episcopus Meldensis, qui eodem sæculo, idest, tempore Ioannis XXII. ad annos Domini 1320. floruit, cùm Marsiliana hæresis contra Ecclesiasticam libertatem grassabatur: tract. de iurisdict. Eccl. quæst. 3. paulò ante finem, in Responsione ad tertium argumentum, similiter sic scribit; [Quod autem dixit, Christus, coram Pilato; Regnum meum non est de hoc mundo; non negauit propter hoc se esse Regem; immò postea expressè concessit. Nam cùm Pilatus dixisset ei; Ergo Rex es tu? respondit; Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego enim in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati; nec dicit; Regnum meum non est in hoc mundo; cum regnum eius sit in Cœlo, & in terra; sed dicit; Regnum meum non est de hoc mundo, quia nec electione mundana, nec successione humana fuit Rex; sed vnione beata. Hactenus Durandus.

Petrus Cardinalis Bertrandus tract. de Origine Iurisdict. quæst. 3. num. 37. vers. Quod autem dixit, similiter scribit, in hæc verba [Quod autem dixit coram Pilato; Regnum meum non est de hoc mundo, non negauit propter hoc se esse Regem; immò postea expressè concessit, & confessus fuit. Nam cùm Pilatus dixisset ei; Ergo Rex es tu? respondit; Tu dicis, quia Rex sum ego; Ego enim in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Nec dixit; Regnum meum non est in hoc mundo, cùm regnum eius sit in Cœlo, & in terra; sed dixit, Regnum meum non est de hoc mundo, quia nec electione mundana, nec successione humana fuit Rex, sed vnione beata.] Hæc Bertrandus.

Guillelmus de Cremona Episcopus Papiensis, tract. de Iure Monarchiæ Conclusione 6. ad idem argumentum, quod paulò antea cùm alijs ex sententia errantium proposuerat. §. Pro quorum satisfactione, in hæc verba respondit. [Pro quorum satisfactione est aduertendum, quòd Christus Monarchatum suum, etiam quantùm ad conditionem humanitatis, non habuit ab electione humana, sed à Deo ipsum sibi iustè conferente; iuxtà rationes pro Conclusione adductas. Vnde ipse erat Monarcha, & Rex mundi, & erat Rex hic, & in mundo isto; sed non erat regnum suum de hoc mundo, nec hinc. Nam non regnabat, nec monarchizabat more mundanorum Regum; ideò dixit; non est de hoc mundo regnum meum, nec hinc. Habebat enim Dominium, & iurisdictionem, quàm retinebat, & qua vtebatur, cùm volebat, & cùm non volebat, non vtebatur.] Hæc Guillelmus.

Ioannes Baconus Carmelita, Theologiæ, & sacrorum Canonum peritus, qui eodem sæculo vixit, in Prologo lib. 4. Sentent. quæst. 1. art. 2. vers. Nec obstat, subtili, & vera interpretatione idem argumentum soluit, dicens, Christum non negasse, ius Dominij ad se pertinere; sed ostendisse, de iure vsusfructus non curasse; in hæc verba: [Non obstat; Regnum meum non est de hoc mundo. Hoc enim non dicit, abnegando ius Dominij; sed ostendendo, se non curare de iure vsusfructus; id est, non curauit exequi ius suum in perceptione rerum, seu fructuum mundi. Et ideò cùm agebatur coram Pilato contra eum, super

super vsurpatione regni Iudæorum, concessit se esse Regem; sed negauit se curate de temporali vtili commodo eius, addens; non esse hinc sicque intellexit Pilatus responsionem; nam replicauit. Ergo Rex es tu? & Christus concessit sic; Tu dicis, quia Rex sum ego; & addit Christus causam, quare concessit se esse Regem; Quia ad hoc veni in hunc mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Pilatus igitur hanc veritatem concipiens, scripsit verum titulum eius, dicens; Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, nec propter clamorem populi voluit delere. Hæc Ioannes Baconus.

Sanctus Antoninus in Summa par. 4. tit. 12. cap. 4. §. 17. circa finem, cùm retulisset argumentum Fratricellorum, ex eodem responso petitum: videlicèt, [Regnum meum non est de hoc mundo;] & aliud simile ex sancto Augustino, statim subdit hæc verba. [Ad quæ respondetur, quòd Christus etsi Dominium habuit, non tamen vsus est eo; quia non vixit vt Rex, sed vt pauper, propter exemplum nostrum; vt induceret ad vitandum honores, & huiusmodi; & sic regnum suum non fuit de hoc mundo, quia non mundani vsus. Sed quòd Rex fuerit, ipse ait Pilato. Tu dicis, quia Rex sum ego. Et Zachariæ 9. Ecce Rex tuus venit tibi. Et in Psalmo 2. Ego constitutus sum Rex ab eo. Ipsi ergo sunt hæretici, qui pertinaciter impugnant hanc veritatem.] Hactenus sanctus Antoninus.

Ioannes Antonius de sancto Georgio, vulgò Præpositus, in cap. Cùm ad verùm 96. distinct. paulò ante finem, post responsionem ad 9. argumentum, ita scribit. Dum autem dixit: Regnum meum non est de hoc mundo, intelligo pari modo, id est, non ex electione humana, nec successione humana, vel aliter: Regnum meum, idest, fideles mei iuxta illud Apocalypsis 5. Fecisti nos Deo nostro regnum; non est de hoc mundo, scilicet, per effectum, & imitationem; sed erepti sumus à tenebris mundi, per gratiæ suæ collationem, vel aliter, Regnum meum, idest, potestas mea, vel auctoritas, non est de hoc mundo, idest, ex causis mundanis, sed ab ipso Patre. Daniel. 7. Potestas eius, quæ non auferetur: & Regnum eius, quod non corrumpetur. Ideò subijcit inferiùs: Regnum meum non est hinc, idest, principium non habet ex hoc mundo: non tamen per prædicta negauit, se Regem; sed dixit, se Regem, & plusquam Regem mundanum.] Hæc præpositus, qui non manet in secunda interpretatione, de regno spirituali, sed in vltima, de regno temporali; per regulam: Quòd quando Dnũs recenset plures opiniones, & nullam reprobat, vltimo loco relatam censetur amplecti.

Albertus Pighius Campensis, lib. 5. Hierarch. Ecclef. cap. 1. cùm retulisset argumenta Marsilij Patauini, quibus omnem iurisdictionem, & auctoritatem Ecclesiasticam coactiuam labefactare nitebatur: & in primis hoc ipsum, quòd ex illis Christi verbis desumitur: [Regnum meum non est de hoc mundo,] recensuisset: deinde cap 3. copiosè respondens, luculenter ostendit, inde nullo: pacto colligi, quòd hæreticus prætendebat quinimmò claré constare, Christum, etiam vt hominem, verè fuisse Regem Regum, & Dominum Dominantium, seu Principem Regum terræ.

Accedat Thomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Sixti insignis Theologi auctoritas, qui in ientaculis noui Testamenti, quæ in fine eiusdem Caietani Summæ circumferri solent, ientaculo 1. quæst. 3. copiosè de hoc ipso loco disserens, sic scriptum reliquit: [Ad secundùm autem de verbis illis: Regnum meum non est de hoc mundo, dicitur, quòd aliud est iustificationi causæ suæ studere, vt euadatur sententia, & aliud est iustificare causam suam, quantùm sufficit, ad tollendam apparentem occasionem scandali.

Dominus Iesus coram Pilato non studebat iustificationi causæ suæ, vt non damnaretur, qui ad hoc venerat, vt morte turpissima afficeretur: sed quoniam ex hoc ipso, quòd se ipsum affirmauerat Christum, ac per hoc Regem, nonnulla occasio poterat apparere Pilato Gentili cogitandi, quòd Dominus Iesus aspirasset ad regnum Iudæorum; & ideò prædicaret populo: ideò Dominus Iesus hanc, quæ apparere poterat, scandali occasionem tollere curauit, distinguendo regnum Messiæ, seu suum, à regno aliorum Regum, penes causam, & effectum. Penes causam quidem: quia regnum eius non est de hoc mundo, non dixit, non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo, regnum enim aliorum, est de hoc mundo. Nam est, aut à natura; & hoc, vel vt regnum patrisfamilias, qui naturaliter est Rex in domo sua: vt in principio mundi erat: Vel, vt regnum eorum, qui nascuntur Reges hæreditario iure: vt filij, & hæredes Regum: Aut ab intellectu adiuto arte, vel industria: vt sunt ij, qui vigentes ingenio, industria multa se ad regnum prouehunt: Aut à potentia: vt tyranni: Aut à voluntate: vt sunt ij, qui per electionem ad regnum perueniunt. Regnum omnium horum, est de hoc mundo: quia ab ijs, quæ huius mundi sunt, causatur: sed regnum Christi non est ex hoc mundo: vtpote ex nulla huiusmodi causarum veniens; sed, vt Apostolus promulgauit. Factus est obediens vsque ad mortem Crucis; propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et propterea Dominus dixit Pilato; Regnum meum non est de hoc mundo. Et manifestauit hoc ex effectu; quia si ex mundo esset regnum meum; ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Si quærerem regnare, fecissem, vt ministri mei, sequaces mei decertassent, & adhuc decertarent, vt non traderet voluntati Iudæorum; quod tam longè fuit, vt nullus vnquam, nec Ioseph ab Arimathia, nec Nicodemus, nec Lazarus, nec quispiam, vnico etiam verbo, certauerit pro Iesu, pendente eius causa coram Pilato. Itaque ex hoc effectu percipere facilè potes, Pilate, quòd regnum meum non est de hoc mundo; quòd non quæro populum auertere, vt Regem me habeant. Et ex hac Domini sententia, in tantùm apparentia scandali in mente Pilati sublata est, vt exierit ad Iudæos, dicens, se nullam causam mortis inuenire in eo.] Hactenus Caietanus.

Magister Fr. Laurentius de Ayala, Benedictinus, tract. de Politia, & Inmun. Eccles. par.4. cap.17. à §.5. vsque ad finem, dum de eadem Domini responsione seriò dissereret, eamdem Catholicam interpretationem, & copiosè, & luculenter docuit; & signanter §.16. hæc adiecit, his verbis; [Id tamen perspicuè hanc Christi Domini arguit summam potestatem, quia si illa non fuisset in eo sanè paupertas, & illius demissio, non videbatur tam commendanda, & tanta digna admiratione, quantùm fuit. Si enim nihil habebat, nihil esset eius voluntati non dominandi gloriosiùs attribuendum; attamen quia habuit, & noluit, admirabilis extitit: sese verum esse Deum docens, & super Angelos, & homines Regem, & Dominum, & interim exemplum humilitatis nobis relinquendo, vt illius semper vestigia consectemur,] Hactenus ille.

Demùm hanc Catholicam interpretationem confirmat Ioannes XXII. in sæpè allegata Constit. incip. [Quia vir reprobus.] cuius fragmentum huc spectans retulimus supra capit. 6. qui ex eodem Christi responso, contra Michaelem de Cesena, Regnum Christi super temporalibus intulit, his verbis: [Hoc etiam Saluator noster confessus fuit Ioan. 18. Cùm enim Pilatus interrogaret eum, vtrùm esset Rex Iudæorum? respondit ei: Regnum meum non est de hoc mundo, ex quo Pilatus concludens, dixit: Ergo Rex es tu? & post respondit: Regnum meum non est hinc; non dixit, non est hic; sed non est hinc, quasi diceret: Regnum meum à mundo non habeo, sicut nec habebat, immo à Deo, sicut Angelus eius Genitrici prædixerat Lucæ 1. dicens: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, &c.] Hactenus Ioannes Papa.

Hæc considerasse oportuit recentiores Theologos, & præsertim de Schola S.Thomæ, quem Regni Christi habent constantem assertorem: vt cauerent ab illis argumentis, quibus in eodem articulo vsus fuisse apparet hæreticos proscriptos, & iusto iudicio Ecclesiæ condemnatos.

§. V.

Quo sensu sit accipienda auctoritas sancti Pauli, asserentis, Christum pro nobis factum egenum: & alia sacræ Scripturæ similia testimonia.

QVinto commemoratur auctoritas sancti Pauli 2. ad Corinth. cap. 8. vbi sic scriptum extat: [Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cùm esset diues: vt illius inopia vos diuites essetis.] Hæc Paulus.

Ex hoc loco Dominicus Bagnes apud sanctum Thomam 2. 2. qu. 62. in Præambulo de Dominio Christi, qu.4. §.Primò quidem se offert, vers. Præterea quomodo verificabitur; intulit, quòd si Christus fuisset Dominus temporalis totius mundi, non fuisset verè pauper, sed ditissimus omnium hominum.

Pro responsione satis esset primò, indicare, Guilielmum Okam in sæpè allegato damnato Defensorio paupertatis, contra Ioannem XXII. errore secundo, in principio, ex eadem Pauli auctoritate minùs sincerè accepta, idem Christi Regnum, & Dominium rerum temporalium, in hæc verba negasse: Item Apostolus 2. Corinth. 8. [Scio, inquie, gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues: vt illius inopia nos diuites essemus, & in hoc consilium do, & in Psalmo in persona Christi dicitur: Ego verò egenus, & pauper sum; vbi Glossa dicit: Egenus fuit Christus, quia pauper, idest, sibi insufficiens, & in alio Psalmo: Ego autem mendicus sum, & pauper; vbi Glossa dicit, Christus, secundùm quod homo, mendicus fuit; & mendicus est, qui ab alio petit, & pauper, qui sibi non sufficit.] Hactenus Okam.

Secundò dicimus, rationem ex hac auctoritate petitam, ad Christi Regnum negandum, inualidam esse: cùm solùm concludat, Christum Dei Filium, propter nos, fuisse factum pauperem voluntarium: non quòd dominium rerum creatarum à se abdicauerit; sed quia vsufructu, & commoditate dominij vti noluerit. Hæc sanctus Hieronymus eodem loco, apud sanctum Paulum, indicasse videtur, his verbis: [Non ignoratis, Dei Filium propter vos pauperem factum, qui vniuersorum erat Conditor, & Dominus: vt eius exemplo bonis cælestibus ditaremini. Si ergo ille propter vos temporalia vniuersa contempsit, quantò magis vos dare debetis parua non vestra, immo sua ei reddere.] Hæc sanctus Hieronymus. Ex quo patet, hæc temporalia, quæ possidemus, Christi esse, & cum ea propter eius amorem damus, non nostra donare, sed, quæ sua sunt, ei reddere.

Sanctus Chrysostomus homilia 17. in Epistolam 2. sancti Pauli ad Corinth. & ibidem sanctus Thomas, lectione 2. Theophylactus, Beda, Dionysius Carthusianus, Petrus Lombardus, & cæteri communiter Doctores, & sæpè sanctus Augustinus, & signanter sermone 110. de tempore, incip. [Cantauimus Domino.] cùm in hoc valdè commendent Domini nostri Iesu Christi gratiam, & charitatem, quòd cùm diues esset, cum alijs pœnalitatibus nostris nedum paupertatem, sed egestatem etiam assumpserit: vt nos ditaret: non dicunt, ipsum diuitias suas amisisse, nec rerum vniuersarum dominio renunciasse. Petri Lombardi verba huc spectantia referre placuit, qui sic habet: [Nota, quòd non ait, pauper factus est, cùm diues fuisset; sed cùm diues esset. Paupertatem enim assumpsit, & diuitias non amisit.] Hæc ille.

Sanctus Thomas, præcitato loco apud Paulum, verè, & prudenter more suo ait, diuinitùs dixisse Paulum: [Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia quicquid Filius Dei pœnalitatum nostrarum assumpsit, totum gratiæ est imputandum, quia nec præuentus alicuius bonitate, nec alicuius virtute coactus, nec inductus sua necessitate.] Hæc ille, qui paulò post explicans causam, quare voluerit Dei Filius egenus fieri, subdit, id factum: [& propter exemplum, & propter sacramentum. Propter exemplum quidem, quia si Christus dilexit paupertatem, & nos exemplo

plo suo eam diligere debemus. Propter sacramentum autem; quia omnia, quæ Christus egit, vel sustinuit, fuit propter nos.]

Sed vt breuiter concludamus, super hoc articulo, de Christi paupertate propter nos voluntariè assumpta, declarationem habemus Ioannis XXII. contra Michaelem de Cesena, qui simili etiam argumento vtebatur: verba Apostolica sic habent: [Sed dicit iste hæreticus, quòd hoc est contra sacram Scripturam, quæ in plerisque locis dixit, Christum fuisse pauperem, & egenum. Ad quod dicendum, quòd dici non debet esse contra sacram Scripturam, quod in tot locis sacra scriptura testatur apertè; sed è contra meritò potest dici, quòd dicere contrarium, est dicere contra sacram Scripturam, & mendaces reddere tot Prophetas, Angelum, ac Apostolos, ac ipsum Dominum nostrum; qui tamen Veritas est, & Vita. Ad illud autem, quod dicitur, quòd Scriptura sacra ipsum fuisse pauperem, & egenum, in plerisque locis testatur, est dicendum: quod carentia dominij non fecit eum pauperem, & egenum, sed potiùs carentia perceptionis fructus, & obuentionis rerum, quarum Dominus erat. Nudum enim dominium, separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei, habentem non facit diuitem: cùm sit inutile reputandum. Vnde habens tale dominium, potest egenus, & pauper meritò reputari. Quod patet ad sensum: si enim Rex Franciæ, non renunciando Regno, se absentaret à Regno, & post lapsum alicuius temporis incognitus rediret ad illud, si se pro Rege non gereret, nec aliqua emolumenta perciperet dicti regni, sed in domo regia reciperet, vt vnus alius, ex gratia, necessaria vitæ suæ: talis vtique, licèt Rex esset, & Dominus, posset mendicus meritò, & pauper reputari. Hinc est, quòd Apostolus ad Galatas 4. dicit: quòd hæres, quamdiù est paruulus, non differt à seruo, cùm tamen sit omnium Dominus: sic Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium, quoad perceptionem fructuum regni, & rerum temporalium, nisi in valde paucis, pro Rege, & Domino se non gessit. Propter quod meritò pauper dici potuit voluntarius, & egenus: non propter dominij carentiam, siue regni, sed propterea, quòd se eorum fructibus, & prouentibus non iuuabat.] Hactenus Ioannes XXII. in præclara illa Constitutione contra Michaelem de Cesena, incipien. [Quia vir reprobus Michael.]

§. VI.

Altera sancti Pauli auctoritas ad Ephesios cap. 1. quomodo sit intelligenda respectu Regni Christi.

Sexto ex eodem Paulo ad Ephesios c. 1. sic scribente: [Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo.] Medina, apud eumdem S. Thomam par. 3. qu. 59. art. 4. conclus. 4. dixit, [Non esse existimandum, Christum habuisse Regnum temporale.]

Sed infirma penitùs est illatio, libenter enim fatemur cum Ecclesia Catholica, Iesum Christum Dei Filium Dominum nostrum, non induisse nostram mortalitatem, aut nostras pœnalitates assumpsisse, vt diuitias temporales nobis conferret; sed, vt diuitias spirituales inæstimabiles, quas numquam amisit, nobis largiretur: vt præ cæteris eleganter docuit sanctus Chrysostomus Orat. 1. in cap. 1. sancti Pauli ad Ephesios; vbi S. Thomas, & idem S. Thomas super epist. 2. ad Corinth. c. 8. lectione 2.

Sed inde nullo pacto negatur Regnum Christi, & Dominium eius vniuersale super omnem creaturam; de quo negando, eo loco non cogitasse Paulum; satis apertè indicat ibidem sanctus Chrysostomus; quem scimus in doctrina sancti Pauli valde fuisse versatum: cùm dicat, Paulum notare differentiam inter benedictionem Iudaicam, quæ non erat spiritualis; & benedictionem, quam nobis contulit Christus, quæ est spiritualis.

CAP. XVIII.

Ex testimonijs quorumdam sanctorum Patrum, & Doctorum Latinorum, & Græcorum non probari, Christum Dominum solùm habuisse Regnum spirituale.

Iuxta seriem supra cap. 15. propositam, respondere iam oportet dictis, & sententijs aliquot sanctorum Patrum, & aliorum Doctorum, dicentium, Christi Regnum fuisse, & esse spirituale, & supramundanum. Vnde instruunt Aduersarij, non fuisse temporale: nec Christum dominium terrenum vniuersorum habuisse. Et quoniam ad omnes eadem ferè solutio accommodatur, omnium dicta simul primò commemorabuntur, & ab antiquioribus exordiendo.

Tertullianus in libro aduersùs Iudæos cap. 9. paulò post principium, aliud regni genus, quàm temporale, & alium modum regni, ac dominij, videlicet spiritualem, Christum habiturum, indicare videtur, his verbis: [Ante est enim inspicias ætatis demonstrationem, an virum iam Christum exhibere ista æras possit, nedum Imperatorem; scilicet vagitu ac arma esset conuocaturus infans; & signum belli, non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de muro: sed de nutricis, & gerulæ suæ dorso, siue collo, hostem designaturus: atque ita Damascum, & Samariam pro mammis subacturus.] Hæc Tertullianus.

Sanctus Augustinus lib. 17. de Ciuitate Dei sic scripsit: [Populi ergo Israel personam figuratè gerebat homo iste, Saul, qui populus regnum fuerat amissurus, Christo Iesu Domino nostro, per nouum Testamentum, non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo.] Hæc Augustinus.

Idem Augustinus in Euangelium Ioannis Tract. 115. incip. [Quid Pilatus dixerit Christo, vers. Regnum, inquit; sic habet: Quod est enim eius Regnum, nisi credentes in eum? quibus dicit: De mundo non estis; sicut & ego

& ego non sum de mundo.] Hæc ibi.

Sanctus Ambrosius lib.3.in Euangelium Lucæ cap.3. longè post principium, vers. Tameo ipsum Regem, sic habet: [Tamen ipsum Regem, secundùm honorem sæculi, oon accipimus Christum. Quomodo ergo, ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam? Ps.131. Quomodo & Angelus de eo dicit, quòd dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum?Luc.1. Quomodo ergo regnare promittitur, nec ostenditur? Aut quomodo ex semine Iechoniæ nullus regnaturus dicitur per Prophetam? Si enim Christus regnauit, ex semine autem Iechoniæ Christus est, Propheta mentitus est, mentita sunt & Oracula. Sed illic futuros ex semine Iechoniæ posteros non negatur; & ideò de semine eius est Christus: & quòd regnauit Christus, non contra Prophetiam est. Non enim sæculari honore regnauit; nec in Iechoniæ sedibus sedit, sed regnauit in sede Dauid.] Hæc Ambrosius. Qui mox fusa oratione difficultatem prosecutus, docet, Regnum Christi alterius esse rationis, quàm fuerit aliorum Regum prædecessorum; & concludit his verbis: In abruptum disputationis venimus: hæremus in vado, & quodam veritatis naufragio fluctuamus. Excitemus igitur Christum, ipsum interrogemus, Ipse respondeat. Interrogemus Scripturas, inueniemus, quia Regnum Domini non est de hoc mundo. Ipse enim dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Ioan. 18. Qui dicit, non esse de hoc mundo regnum suum, ostendit esse supra mundum. Ita & erat regnum eius, & non erat: non erat in sæculo, erat supra sæculum.] Hactenus Ambrosius.

Sanctus Hieronymus in Ieremiam c. 22. super illis versiis: [Terra, terra, terra; sic habet: Potest autem & sic solui: non sedebit quidem super thronum Dauid vir, & homo: sed sedebit Deus: regnumque eius non erit terrenum, & breue, vt fuit Dauid, sed perpetuum, atque cæleste; dicente Scriptura: Regnabit super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Luc. 1. Hæc Hieronymus.

Ruffinus Aquileiensis in Psalm. 2. super vers. Super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius; sic habet: [Per Sion sancta Ecclesia intelligitur, quam montem sanctum appellat, propter eminentiam, & firmitatem. Super hanc ergo Ecclesiam vnigenitus Dei Patris Rex constitutus est, non ve terreno regoee imperio, sed cælesti: ait enim in quodam loco: Regnum meum non est de hoc mundo. Ioann. 18. Ergo est supra mundum: & cùm eum voluissent rapere in Regem, vt temporaliter regnaret in illis, aufugit, & terrenum imperium respuit. Ioann. 6. Ergo Christus spiritualiter Rex constitutus est in nobis, vt expulso maligno Principe de cordibus nostris, Ephes.3 regnet ipse in interiore homine, secundùm spiritum, secundùm donationes gratiarum, & largitiones virtutum, & ædificationes morum, ad salutem animarum nostrarum: vt iam non regnet peccatum in nostro mortali corpore; nec seruiamus immunditiæ ad iniquitatem; sed potiùs iustitiæ in sanctificationem. Rom. 6. Sic ergo Christus in nobis regnare desiderat, vt ab immundis spiritibus, & vitiis nos defendat: vt virtutibus, & sacris operibus nos muniat: sic in nobis regnare appetit, vt ad cæleste Regnum suo nos regimine ducere possit.] Hactenus Ruffinus.

Beda in Euangelium Luc. capit. 1. super illis verbis: [Et regnabit in domo Iacob in æternum: ita scribit: & Esaias ait: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super Solium Dauid, & super Regnum eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia. Non dixit, in acquisitione, gloriæ, gazarumque terrestrium; non in victoria Gentium plurimarum, vrbiumque debellatione superbarum; sed in iudicio, & iustitia. Per hæc enim Regnum Christi, & in singulis quibusque fidelibus, & in vniuersa per Orbem multiplicatur pariter, & confirmatur Ecclesia. Domum namque Iacob totam Ecclesiam dicit, quæ vel de bona radice nata, vel cùm oleaster esset, merito tamen fidei in bonam est inserta oliuam.] Hactenus Beda.

Sanctus Bernardus Homil. 4. super Missus est, similiter loquitur in hæc verba: [Dabit ergo ei Dominus Deus sedem Dauid Patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam; non terrenam, sed cælestem.] Hæc Bernardus.

De Græcis etiam Doctoribus, ad idem propositum quædam testimonia commemorantur, in quibus sunt Athanasius, Chrysostomus, Basilius, Theophylactus, Eutymius.

Sanctus Athanasius in Sermone de Annunciatione, & Incarnatione, seu de Sanctissima Deipara, circa finem, ita scribit: [Rimantur omnia hæretici, sese inuicem adhortantes, & fallaciosè quærunt, an acceperit thronum Dauidis Patris sui, & regnauerit super domum Iacob in æternum? & num ista subsecuta sint post Incarnationem eius? Quibus ita respondemus, non obiter, sed cum quadam obseruatione, verba ista attendenda esse, cùm Angelus dicit: Et dabit illi Dominus sedem Dauidis; neque enim addidit, vt confirmaret, aut corroboraret, sed simpliciter loquutus est, dabit. Et iam hinc ex vi eorum, quæ ex hoc verbo colliguntur, quærenda dubij istius solutio est; cò quòd, dabit, pronunciauerit, vt transferret hunc thronum. Quemadmodum & ipse Christus interpretatur ad Iudæos loquens: Idcircò auferetur Regnum à vobis, & dabitur genti facienti fructus eius. Ergo capiens Christus thronum Dauidis, transtulit illum, & dedit sanctis Christianorum Regibus; vt conuerteret eos ad domum Iacob: qua tradita in opprobrium, & direptionem, regnabit in Christianis in æternum, & regni eius non erit finis. Non enim populo illi alij residui sunt Prophetæ, secundùm visiones Danielis; sed hunc solum Messiam esse prædicant, & Regem agnoscunt, perseuerantem vsque ad secundum sui ipsius aduentum: quo tempore cùm venerit, manebit Rex in sæcula, & regni eius non erit finis. Siquidem genitus ex Virgine, & consummatis omnibus, quæ ad negotium mortis, & Crucis pertinebant, post Resurrectionem ad suos aiebat: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Ecce iam inde regnare incœpit, & prædicatur Christianorum Rex; quemadmodum in exordio precum sua-

suarum se inuicem adhortantes, atque in cœtum conuocantes, clamare solent: Venite adoremus, & procidamus coram Christo Rege nostro, & illud itidem: Is qui venturus est, in magno suo, & illustri aduentu permanebit, regnans in æternum, & regni eius non erit finis.] Hæc Athanasius.

Sanctus Chrysostomus Homilia 6. in caput sancti Matthæi 2. in principio, sic habet: [Quonam etiam pacto Magi ex stella illa, Iudæorum Regem illum esse dicerent, cùm certè non istius regni ille Rex esset, sicut etiam Pilato ipse respondit: Regnum: inquit, meum non est de hoc mundo? nihil quippe tale monstrauit, quale mundi huius Reges habere conspicimus. Neque enim hastatas ille, atque clypeatas ostendit militum cateruas; non equos regalibus phaleris insignes; non currus auro, ostroque fulgentes. Non enim istum, nec alium quempiam similem, circa se habuit ornatum: sed vilem hanc protsùs vitam egit, ac pauperem: duodecim tantummodò homines, eosque despicabiles, secum circumducendo.] Hæc Chrysostomus.

Sanctus Basilius, quem allegat S. Thomas in Aurea Catena in Lucam cap. 1. super illis verbis: [Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius;] sic habet: [Non autem in materiali sede Dauid. sedit Dominus, translato Iudaico Regno ad Herodem: sed sedem appellat Dauid, in qua resedit Dominus, indissolubile regnum.] Hæc ibi.

Theophylactus in Lucam cap. 1. super eisdem verbis: [Et dabit illi Dominus sedem Dauid;] scribit in hæc verba: [Audiens verò thronum, vel sedem Dauid, ne putes sensibile quoddam regnum, sed diuinum, quo regnauit super omnes Gentes, per diuinam prædicationem;] & paulò post: [Vides, quomodo dicatur, sedere super sedem Dauid: nam sicut Dauid sensibile regnum suscepit, ita & Dominus spirituale.] Hactenus Theophylactus.

Eutymius Psalm. 2. super illo vers. Super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius: ita scribit: [A monte, qui dicitur Sion, totam Iudæam significauit: & sensus talis est. Ego Rex constitutus sum, vt doceam Euangelica mandata: præceptum Domini appellans hæc mandata: vt vnam atque eamdem esse sibi cum Patre voluntatem ostenderet.] Hæc Eutymius.

CAP. XIX.

Declarantur testimonia sanctorum Patrum, & Doctorum superiori Capite relata: & soluitur argumentum Aduersariorum inde petitum contra Regnum Christi, & eius vniuersale Dominium.

EX serie eorumdem testimoniorum constat, Auctores eorum affirmare, Christum non obtinuisse Regnum temporale, more aliorum Regnum, & Principum terrenorum: id enim apertè contestantur:

Tertullianus ibi: [Nec ex equo, vel de muto.

Et sanctus Ambrosius ibi: [Ipsum Regem secundùm honorem sæculi, non accipimus Christum.]

Et sanctus Hieronymus ibi: Regnum eius non erit terrenum, & breue.]

Et clarius Beda ibi: [Non dixit, in acquisitione gloriæ, gazarumque terrestrium, non in victora Gentium plurimarum, vrbiumque debellatione superbarum.]

Et sanctus Bernardus ibi: [Non temporalem.

Et sanctus Athanasius ibi: [Ergo capiens Christus thronum Dauidis, transtulit illum.] Nam transferendo solium regni de gente ad gentem, & donando solium Dauidis sanctis Christianorum Regibus, verè Dominus iure Regni fuit, & Vigore Regiæ dominationis, & Regnum transtulit, & donauit.

Et sanctus Chrysostomus apertissimè eamdem sententiam docuit, affirmando, [Christum non regnasse cum hastatis, & clypeatis militum cateruis; neque cum equis phaleratis, aut curribus auro fulgentibus.]

Et sanctus Basilius ibi: [Non in materiali sede.

Et Theophylactus ibi: [Ne putes sensibile quoddam regnum.

Hæc enim nos, & libenter amplectimur, & constanter docemus, Christum Dominum temporaliter non regnasse, sicut carnales Iudæi, Messiam temporaliter regnaturum, perperam arbitrantur: non quia non potuit, vt dixit sanctus Thomas, sæpè allegatus, pat. 3. quæst. 59. art. 4. sed quia noluit. Si quis igitur ex Aduersarijs existimet, nos ita temporaliter regnantem affirmare Christum, deponat talem cogitationem, quia non affirmamus, Regem Christum à loco, & tempore dependentem, & à ministris robur accipientem: in quo cum Patribus supra relatis omnino consentimus. Sed dicimus, Christum vniuersorum, eo modo, quem in superioribus explicauimus: quod non negant supradicti Patres, & Doctores, & hæc sit prima vera, & constans solutio.

Secundò respondemus, sanctum Augustinum, Ruffinum, & fortassis alios, qui Regnum Christi videntur in spiritualibus constituisse, non negare Regnum, & Dominium eius vniuersale super temporalibus.

Nam quod attinet ad Augustinum, certum est, eum, Christum asseruisse Regem, & Dominum temporalium fuisse: vt constat ex eius patentibus dictis, relatis supra cap. 8. vbi multorum aliorum auctoritates in eamdem sententiam recensuimus, quibus hæc minimè aduersantur.

Et cum simul duo hæc regna in Christo consistere posset, ex in conclusione, & assertione vnius, non licet arguere ad exclusionem alterius, nec à contrario sensu argumentari. Licèt enim argumentum à contrario sensu Legis, vel Canonis, sit frequens, & validum lib. 1. §. Huius rei ff. de Offic. eius, cui mandata est iurisdict. l. Qui testamento. §. Mulier. ff. de Testib. cap. Cùm Apostolica. De His quæ fiunt à Prælat. sine consen. capitul.

cap.

cap. Cùm vitium. de Regular. regulariter tamen non habet locum in dictis Doctorum: sicut nec in depositionibus testium. cap. Quod dicitur. Verbor. signif. vbi notant Panormitanus, & Antonius de Butrio, nec quando consequeretur sensus contrarius alicui Legi, vel Canoni: cap. Significasti, de foro competen. vbi Glossa super verbo, Clerici tamen. circa medium vers. Sed ibi non habet locum à contrario sensu. Ioanne Andr. in cap. Publicato num. 18. vers. Et si dicatur. De elect. In casu proposito præter testimonia veteris, & noui Testamenti, initio huius libri relata, adsunt multorum Doctorum testimonia in eundem finem claré tendentia.

Rursus dicimus, nec credibile, nec verisimile esse, supradictos Patres, aut alios Doctores prudentia, pietate, & doctrina decoratus, Iesu Christi potentissimi Regis Dominium, & Regnum ad spirituale tantùm restringere, seu coarctare voluisse. Nam si tale solùm est, quale Aduersarij prætendunt, & explicuit Ruffinus, Psal. 2. superiori Capitulo relatus, videlicet, [Christum spiritualiter Regem constitutum fuisse, quia expulso maligno spiritu de cordibus nostris, regnat ipse in interiore homine, secundùm spiritum, secundùm donationem gratiarum, & largitiones virtutum, & ædificationes morum, ad salutem animarum nostrarum] cùm respectu infidelium, aut non credentium exiguus sit credentium numerus, valde breuibus, & angustis limitibus Christi Regnum continetur. Quod tamen nec admittunt testimonia diuinarum Scripturarum, supra relata, nec recta ratio suadet. Vt autem vere sit Rex Regum, & Dominus Dominantium, necesse est fateri ipsum, & spirituum, & corporum esse Dominum: præsertim cùm ad dignitatem Christi pertineat, vt qui omnium Iudex futurus erat omnium pariter Dominus, & Rex constitueretur, vt ex sancto Thoma parte 3. quæst. 59. art. 4. & Alfonso Tollado super Matthæum, cap. 25. quæst. 327. prudenter, & veré explicat Alfonsus Mendoza in Relectione Theologica de Vniuersali Christi Regno, & Dominio, §. 18.

CAP. XX.

Licèt ex dictis Auctorum quorumdam damnatorum, Regnum, & Dominium Christi negantium, sententia negatiua non probetur: quia sunt damnati: eis tamen singulatim respondetur; vt clarius, in re grauissima, veritas elucescat.

SVpra cap. 15. in quarta serie eorum, qui bus respondere promisimus, posuimus illegitimas assertiones Auctorum quorumdam damnatorum, quorum venena indicanda sunt, nè incauté hausta noceant. Apertioris autem doctrinæ gratia, ab antiquioribus exordiemur, qui ex hoc fundamento, magnum de Ecclesia splendorem subtrahere conati sunt: neque enim est nouum, aut inusitatum, ad auferendam, vel diminuendam Romani Pontificis, & Ecclesiæ Catholicę auctoritatem, Caput ipsum Christum omnium Dominum, impetere, & coronam de capite eius primò velle detrahere.

Omissis ergo antiquis hæreticis, videlicet, Cerinthianis, qui à Cerintho eorum magistrato edocti, insanam de Christi Regno hæresim induxerunt, affirmantes, post resurrectionem, terrenum futurum Christi Regnum: & carnem tum primas obtinentem, denuò cupiditatibus, & voluptatibus in Ierusalem inseruituram: quos Dionysius Alexandrinus confutauit: vt scribit Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiast. cap. 22. & lib. 7. cap. 20. & Nicephorus lib. 3. cap. 14.

Item omissis Tyrannis, & Principibus in Christianos sæuientibus, quibus & Ecclesiæ, & ministrorum eius auctoritas ludibrio erat; ab illis potissimùm disputationis ducemus initium, qui à nobis superioribus sęculis exierunt: In quo numero in primis ponuntur, Arnaldus de Brixia: Hermannus Italus: Petrus Ioannis: Michael de Cesena: Henricus de Ceua: Fratricelli, seu Fratres de paupere vita: Petrus de Corbario: Gullielmus Okam: Henricus de Chalem: Bonagratia de Pergamo: Marsilius de Menandrino Paduanus, Ioannes de Ianduno: Ioannes Wicleff Anglus: Ioannes Husz: Hieronymus de Praga: Martinus Lutherus: Ioannes Caluinus: Philippus Melanchthon: & alij deploratæ insaniæ homines: qui, quasi ex composito, eadem dogmata contra Christi Regnum mutuò accipientes, ad successores transmiserunt, vt mox patebit. Vnde grauiter ecclesiasticæ hierarchiæ nocuerunt.

§. I.

De Arnaldo de Brixia.

TEmpore Innocentij Papæ II. ad annos Domini 1136. Arnaldus quidam de Brixia, quem alij Arnoldum appellant, hoc potissimùm argumento vsus, pessimum in Ecclesia Schisma concitauit; vt constat ex sancto Bernardo epistola 195. ad Episcopum Constantiensem incip. [Si sciret pater familias,] cuius verba sunt: [Arnaldus inimicus Crucis Christi, seminator discordiæ, fabricator Schismatum, turbator pacis, vnitatis diuisor,] & pauló post: [Videbitis hominem aperté insurgere in Clerum, fretum tyrannide militari; insurgere in ipsos Episcopos, & in omnem passim ecclesiasticum ordinem desæuire.] Hæc Bernardus.

Guntherus etiam Ligurinus, Poeta sui sęculi non vulgaris, lib. 3. de gestis Federici Primi, eiusdem hæretici sermonem ad concitandum Shisma contra Ecclesiam, & Ecclesiasticas personas, accommodatum, ex eodem fonte petitum luculenter docet, his versibus:

Cuius origo mali, tantaque voraginis auctor
Extitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Pestifero, tenui, nutriuit Gallia sumptu,
Edocuitque diu. Tandem natalibus oris
Reddi-

Redditus, assumpta sapientis eronte, diserto
Fallebat sermone rudes; Clerumque procaci
Insectans odio, Monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipsumque graui corrodere lingua,
Audebat Papam, sceleratque Dogmata vulgò
Diffundens, varijs implebat vocibus aures;
Nil proprium Cleri, fundos, & pradia nulla
Iure sequi Monachos, nulli fiscalia iura
Pontificum, nulli cura popularis honorem
Abbatum, sacras referens concedere Leges.
Omnia Principibus terrenis subdita; tantùm
Committenda viris popularibus, atque regenda.
Illis primitias, & quæ deuotio plebis
Offerat, & decimas castos in corporis vsus,
Non ad luxuriam, siue oblectamina carnis,
Concedens, mollesque cibos, cultusque nitorem,
Illicitosque iocos, lasciuaque gaudia Cleri.
Pontificum fastus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitùs mores, Monachosque superbos.
Veraque multa quidem, nisi tempora nostra fideles
Respuerent monitus, falsis admixta monebat.

Hæc breuiter recensere placuit, vt intelligatur, opinionem auferentem Christo vniversale dominium, aptam esse, ad concitandum Schisma contra Ecclesiam, & personas ecclesiasticas: asserendo enim, nullius rei dominium Christum habuisse, nec aliquid possedisse, facile infertur, faciliusque imperitis plebibus persuadetur, iniustè ab Ecclesijs, & personis ecclesiasticis bona temporalia possideri: ideoque iustè ab illis auferri posse. Hinc Arnaldus intra Ecclesiam, contra Ecclesiam crudele Schisma mouebat: & propterea iusto Ecclesiæ iudicio fuit condemnatus ab Innocentio II. vt testatur idem sanctus Bernardus epistola 196. ad Guidonem Legatum incip. [Arnaldus de Brixia.] Eam condemnationem in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio II. anno Christi 1139. fuisse factam, testatur Cæsar Cardinalis Baronius tom. 12. Annalium ecclesiasticorum sub anno Christi 1139. Ideoque mox Arnaldus ab omnibus catholicis Prouincijs vitari cœpit. Vnde sanctus Bernardus in prædicta epistola ad Guidonem Legatum sic scripsit: [Arnaldus de Brixia, cuius conuersatio mel, & doctrina venenum; cui caput columbæ, cauda scorpionis est; quem Brixia euomuit; Roma exhorruit; Francia repulit; Germania abominatur; Italia non vult recipere.] Hæc Bernardus.

Hinc etiam Doctores, in Catalogo hæreticorum Arnaldum, & Arnaldistas eius sectatores, posuerunt: glossa notabilis in cap. Maiores, in verbo, Sed auctore, vers. Nam damnato Arnaldo, 24. quest. 1. Bernardus Lutzemburgus in Catalogo hæreticorum l. 2. in verbo Arnaldus Brixianus. Gabriel Prateolus lib. 1. de Vitis, & sectis hæreticorum, cap. 68. in verbo Arnaldistę. Qui referunt, Arnaldistas singulis annis in processu in die cœnę Domini legi consueto, excommunicari.

Demùm postea Arnaldistę vtroque iure fuere damnati Canonico, videlicèt, in cap. Excommunicamus, l. 2. de Hęret. & Ciuili, in Authen. Catharos, c. de Heret. & hęc pro responsione sufficiant.

§. II.

De Hermano Italo.

POst centum quinquaginta annos ab Arnaldo de Brixia, Hermannus quidam Italus, eiusdem Arnaldi sepultum iam Dogma suscitans, renouauit, & in Fratricellorum miserabilem Congregationem transfudit: quoniam vt Bernardus Lutzemburgus in Catalogo Hęreticorum lib. 2. in verbo, Hermannus Italus. Et Gabriel Prateolus lib. 8. de Vitis, & sectis hęreticorum, cap. 11. affirmant, Hermannus ille hęresis Fratricellorum Auctor fuit. Fratricelli autem hunc potissimùm errorem profitebantur: Quòd Dominus Iesus Christus, in quantùm fuit homo, & eius Apostoli, nihil habuerunt in proprio, nec etiam in communi: vt constat ex primo errore Fratricellorum, quem recensèt cum alijs Eymericus in Directorio Inquisitorum, part. 2. quæst. 15. num. 3. & Guido Carmelita in Summa de hæresibus tit. de erroribus Beguinorum, errore 1. & nos paulò inferiùs in hoc eodem capite, §. 6. referemus.

Quantæ autem auctoritatis sit iste Hermannus, ad negatiuam sententiam persuadendam, factum subsecutum demonstrat. Cùm insigni esset hypocrisi, & fucatæ specie sanctitatis, post obitum, corpus eius, apud Ferrariam sepultum, iam viginti annis pro Sancto colebatur: Sed Bonifacius Papa VIII. ad annum circiter 130. habita de homine diligenti inquisitione, exhumari, & exuri fecit: vt Lutzemburgus, & Prateolus præcitatis locis testantur; adduntque per hoc hæresim ipsam exterminari non potuisse: & ob id homines illius Sectæ dicere solitos, nec Bonifacium, nec quemquam illius successorem, & præsertim Ioannem XXII. iure, & ordine creatum esse Pontificem. Vnde, & clam conuenticulis initis, summis Pontificibus aduersari cœperunt: quamquam, more hæreticorum, magis luxuriæ, & libidinis blandimenta sequi viderentur, quàm Iuris Pontificij quatere fundamenta. Hæc verò audacia magis in successoribus creuit, vt Historiæ proximè referendæ demonstrant.

Obseruatio pro sacro Ordine Sancti Francisci.

CVm in subsequentibus §§. relaturi simus multos de Seraphico Ordine S. Francisci, qui tempore præsertim Ioannis XXII. multorum errorum quasi turbinibus, & procellis Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ tranquillitatem turbare tentauerint;

rogamus lectorem, ne ipse turbatus contra tam sanctum, & celebrem in Ecclesiam Ordinem, vel leuem animo concipiat suspicionem. Vaticinatus fuerat sanctus Pater Franciscus, scapham suæ Religionis tribulationum flatibus commouendam; sed Christo Rege opem ferente, tempestates sedandas, & concupitam tranquillitatem suis fratribus restituendam. Vtrumque contigisse, euentus subsecutus demonstrauit: nam tametsi Auctores Fraticellorum, & impia eorumdem congregatio, eorum procellis agitata, contra Christi Ecclesiam aliquando pugnauerit; tamdem acie paucorum errantium impugnata, & expugnata, Religio Franciscana antiquam, & optatam pacem recuperauit. In quo illud planè fuit mirabile, vt eodem tempore, quo Shismatica paucorum acies bellum Ecclesiæ inferebat, cæteri de eadem Religione summopere eidem Ecclesiæ opitularentur; multi verò insigni sanctitatis splendore, & præclaro Martyrio eidem Ecclesiæ prælucerent: vt etiam Canonizationis honore meruerint decorari; vt illius seculi testantur Annales, & indicat non obscurè sanctus Antoninus part. 3. Historiali, tit. 24. cap. 9. §. 15.

§. III.

De Petro Ioannis.

PEtrus Ioannis de Ordine Fratrum Minorum Biterensis Diœcesis, ex oppido Ciriaco nuncupato, tempore Clementis Papæ V. ad annos Domini 1310. in quibusdam Apostillis, quas super Mattheum, & Epistolas Canonicas, & Apocalypsim ordinauit, & signanter in quodam Tractatu de Mendicitate, grauissimos errores docuit, quos recensent Guido Carmelita in Summa aduersus hæres. tit. de Hæresibus Abbatis Ioachim, & Petri Ioannis, & Nicolaus Eymericus in Direct. Inquisitorum, part. 2. quæst. 9. & alij mox referendi. Quod attinet ad articulum, de quo differimus, ille, Euangelicam vitam esse dicebat, nihil habere in proprio, nec in communi. Quamobrem Ecclesiam Romanam diuitijs affluentem damnabat; & Romanum Pontificem Antichristum appellabat. Nicolaus Eymericus, præcitato loco, id docet his verbis: [Aduertendum tamen priùs est, quòd infra per totum, per Babyloniam meretricem magnam, Ierusalem vniuersalem Romanam Ecclesiam militantem, quam nos & verè vocamus Sanctam, Catholicam, & Apostolicam.

Per Ecclesiam carnalem, intelligit idem, scilicèt, vniuersalem Romanam Ecclesiam.

Per bestiam, intelligit idem.

Per Synagogam Satanæ, intelligit idem.

Per mysticum Antichristum, intelligit Papam, seu Pontificem Romanum.

Per Angelum consignatum, intelligit Beatum Franciscum.

Per Christi militiam, intelligit Begardos, seu eorum hæresibus, & erroribus credentes.

Per Euangelicam vitam, seu Regulam, intelligit nihil habere, nec in proprio, nec in communi, nec ius, seu dominium in rebus habere donandi, vendendi, seu ex illis acquirendi, vel aliàs alienandi: sed habere in eis simplicem vsum facti.

Per Ecclesiam spiritualem, intelligit idem, scilicèt, eius erroribus credentes.] Hactenùs Eymericus.

Huius Petri Ioannis errores, vnà cùm prædictis eius Apostillis, Ioannes XXII. de multorum consilio Magistrorum in Theologia, condemnauit: vt testatur idem Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitorum, part. 2. q. 9. in principio, vers. Idem Dominus. Addit Lutzemburgus in Catalogo Hæreticorum lib. 3. in verbo: Petrus Ioannis, eum, de mandato Clementis Sexti, exhumatum fuisse, & hæreticum post mortem declaratum, & ossa eius combusta.

Gabriel Prateolus libro 14. de vitis, & sectis Hæreticorum cap. 20. idem factum affirmat, iussu Celestini Tertij, circa annum Domini 1199. in quo manifestè decipitur, vt ostendi in directorio Inquisitorum par. 2. super quæst. 9. commentario 34. vers. fuit Petrus Ioannis. Et eadem par. super quæst. 26. comment. 51. obseruaui, ab eodem Ioanne XXII. istum Petrum Ioannis condemnatum, præmissa diligenti informatione, post prædictas eius apostillas prohibitas, iussum fuisse exhumari, & publicè concremari. Ac talem quidem iste habuit exitum, qui solus sufficeret, ad sententiam eius, contra Dominium Iesu Christi, detestandam.

§. IV.

De Michaele de Cæsena.

SVprædictorum doctrinam, & errores detestabiles secutus, & forsan nouos addens, Michael de Cæsena, valdè Fraticellorum Sectam auxit, & confirmauit. Iste enim Sectator Petri Ioannis, tempore Ioannis XXII. potissimùm emergens, circa annum Domini 1318. auctoritate, qua pollebat, (erat enim Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum) magnas cum suis Sectatoribus, videlicet, Fraticellis in Ecclesia Tragœdias excitauit: hypocrisi vetò, & simulata sanctitate larnatus, tam rebellem erexit animum, vt omne Dominium, & Regnum temporale Christo adimere fuerit conatus, & omnem Romano Pontifici obedientiam denegauerit. Propter eius graues culpas, & excessus, Ioannes XXII. illum Generalatus officio priuauit, idque anno 1328. vt testatur sanctus Antoninus par. 3. historiali tit. 24. cap. 9. §. 15. vers. Magna pars; & postea, qua non resipuit, quinimmò crimina criminibus addens, Pharaonis instar, cor suū in via nequitiæ indurauit, idem Ioann. XXII. hæreticum declarauit, & omnes eius errores copiosè reprobauit in peculiari Constitutione contra eum, anno 1330. edita, cuius initium est Quia vir reprobus Michael de Cæsena, in qua particulariter explicuit, Christi Regnum, & Dominium rerum omnium temporalium vniuersale, ab instanti suæ conceptionis, ex donatione Patris, vt supra cap. 6. demonstrauimus.

Quod, denegato Christi Regno, paulò obscuriùs dixerant supradicti Fratricellorum Auctores, apertiùs Michael iste de Cæsena, tur-

turbulentus Apostata, declarauit: ideòque in prædicta Constitutione Ioannes XXII. magis specificè & clare, quàm in aliis, eum reprobauit.

Huius Michaelis perfidia, &, contra veritatem, & Sedem Apostolicam, dolus, licèt ex multis eius actionibus sæpè patuerint: ex eo tamen potissimùm demonstrantur, quod cùm anno 1322. benè nouisset, iussu Papæ quæstionem in Romana Curia agitari super eo: Verum asserere, Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in communi, esset hæreticum? ipse, cum suis complicibus in Capitulo generali Perusij coacto, Sedis Apostolicæ iudicium præueniendo, eodem anno 1322. pridie nonas Iunij, non esse hæreticum, sed sanum, Catholicum, & fidele declarauit: vt constat ex antiquis eiusdem sæculi monumentis. Quod decretum cum magna pernicie multorum Religiosorum sanctissimi Ordinis sancti Francisci, hodie etiam legitur in libro prætitulato: Firmamenta trium Ordinum beatissimi Patris Francisci parte 4. fol. 180. pag. 2. col. 2. licèt de multis codicibus, pia Superiorum diligentia, meritò sit deletum.

Dixi, hunc Michaelem fraudulenter in hoc Capitulari Decreto Sedis Apostolicæ iudicium præuenisse: quia cùm probè nouisset, multos viros doctos Theologos, & sacrorum Canonum, præsertim peritos, iussu Io. XXII. seriò de hoc ipso articulo agere; vt deinde grauissimo eiusdem sanctæ Sedis iudicio, quæstio definiretur, sicut reuera anno mox sequenti 1323. definita fuit, in Constitutione incip. Cùm inter nonnullos, in qua Papa declarauit, erroneam, & hæreticam opinionem, asserentem, Christum, & eius Apostolos nihil habuisse, & in his, quæ habuerunt, nullum ius eis fuisse: audax, vafer, & plusquam temerarius hic Michael, contrarium præueniendo, decreuit, & falsò asseruit, sic iam per Ecclesiam determinatum fuisse.

Rursus dixi, Michaelem istum de Cesena ad id decernendum conuenisse cum complicibus suis, qui Guilielmus Angliæ Okam intelligitur: & Henricus, scilicet, de Chalem, qui fuerunt potissimi Fratricellorum fautores, & defensores, vt paulò post ostendetur.

Demùm ista hominis fraudulenta deceptio, eò tendebat, vt per Decretum Capitulare, in omnes Orbis partes transmissum, declarationi Apostolicæ, mox edendæ, & publicandæ, aditus præcluderetur. Quod de magnorum Hæresiarcharum, & perduellium Ecclesiç Hęreticorum officina processit: sic enim sæpè consueuerunt, & consuescunt facere, qui suas opiniones condemnandas ab Ecclesia formidant.

Hæc paulò fusiùs, quàm institutæ disputationis cursus fortassis postularet, obseruanda putaui: quoniam noui, viros graues, & doctos, etiam de sanctissima Religione Franciscana, isto Michaelis de Cæsena Decreto deceptos, adhuc de isto articulo dubitare: quem tamen Ioannes XXII. irrefragabili definitione, contra eumdem Michaelem, & Fratricellos declarauit.

De huius Michaelis nefaria audacia, memoria extat in illius seculi, & huius controuersiæ annalibus. Interim videndi Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitorum parte 2. quæst. 9. num. 5. tit. de Erroribus Michaelis de Cæsena, vbi dixi, commentar. 34. & qu. 15. num. 2. Et sanctus Antoninus par. 3. histor. tit. 24. cap. 9. §. 15. Et Ioannes Villanus lib. 10. histor. cap. 15.

§. V.

Inter Constitutionem Nicolai Papæ III. incip. Exijt, qui seminat, *& Constitutionem Ioannis XXII. incip.* Cùm inter nonnullos, *nullam esse repugnantiam; nec Papam Ioannem, contra quàm docuerat Nicolaus, aliquid definiuisse.*

CVm ad hunc locum ventum esset, in quo de certamine Fratricellorum contra Romanos Pontifices seriò agendum erat, contendentibus pertinaciter Fratricellis, Ioannem XXII. malè sensisse de paupertate Christi, & Apostolorum, & contra sacras Literas, & definitionem Nicolai determinasse; quem propterea non erubuerunt, Hæreticum, verbis, & scriptis proclamare, Illustriss. & Reuerendiss. Dominus Ferdinandus Cardinalis sancti Eusebij, qui nostros hos labores zelo verè Christiano legere fuerat dignatus, prudenter monuit, operæpretium fore, si breuiter duas has Romanorum Pontificum Decretales, vero, & Catholico sensu proposito, conciliaremus: præsertim cùm non desint adhuc, qui eodem cum Fratricellis cœno volutentur, vt sancti Officij Inquisitionis praxis, & experientia sæpè demonstrant.

Primò itaque obseruandum est, Nicolaum siue Tertium, siue Quartum, vt obseruaui in Directorio Inquisitorum par. 2. q. 17. commentario 42. in prædicta Constitutione [Exijt, qui seminat;] vbi plurimas dubitationes super Regula sancti Francisci declarauit; cùm de paupertate ageret, sic pronunciasse: [Dicimus, quòd abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum, non tam in speciali, quàm etiam in communi propter Deum, meritoria est, & sancta; quam & Christus, vitam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit; quamque primi Fundatores Militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè viuere, per doctrinæ, & vitæ exempla in eos deriuarunt.] Hactenus ibi.

Ioannes autem XXII. in prædicta Constitutione incip. [Cùm inter nonnullos,] ità definiuit: [Cùm inter nonnullos viros Scholasticos sæpè contingat, in dubium reuocari: Vtrum pertinaciter affirmare, Redemptorem nostrum, ac Dominum Iesum Christum, eiusque Apostolos, in speciali non habuisse aliqua, nec in communi etiam, hæreticum sit censendum; diuersa, & aduersa etiam sentientibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, (cùm Scripturæ sacræ, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamque Scripturam sacram, per quam vtique fidei Orthodoxę pro-

Probantur articuli, quò ad præmissa fermentum apertè supponat continere mendacij, ac per consequens, quantùm in ea est, eius in totum fidem euacuans, fidem Catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam, & incertam;) deinceps erroneam fore censendam, & hæreticam, de Fratrum nostrorum consilio, hoc perpetuo declaramus Edicto.] Hactenus Ioannes XXII.

Rursus obseruandum, Fratricellos ità obstinatè Ioanni XXII. & eius Apostolicæ definitioni restitisse, vt multi (vt ex dicendis patebit) comburi se potiùs passi fuerint, quàm humiliter voluerint agnoscere veritatem.

Postremò illud breuiter etiam præfandum, superioribus seculis, viros grauissimos, & doctissimos hanc oppositionem sustulisse, & duas prædictas Constitutiones fideliter, & feliciter conciliasse, videlicet:

Benedictum XII. dùm esset Cardinalis, vt testatur Eymericus in Direct. Inquisitorum par. 2. qu. 17. in princip.

Sanctum Antoninum in Summa parte 4. tit. 12. cap. 4. §. 23.

Ioannem Cardinalem de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 112. ad decimam obiectionem.

Et Melchiorem Canum libro 6. de Locis Theologicis cap. 8. ad sextum argumentum. Vbi Ioannem de Turrecremata refert, & sequitur.

Summa autem veræ solutionis est, Nicolaum, & Ioannem inter se non pugnare: immò declarationem, seu definitionem vtriusque summè inter se conuenire: quoniam Christus, vt ea serie Euangeliorum, & sanctorum Patrum expositionibus colligitur, duas paupertates ordinauit, congruentes diuersis statibus perfectorum.

Primam competentem illis, qui prædicaturi mittendi erant in Iudæam, ad annunciandum Regis aduentum, & hæc paupertas nihil proprium habere permittebat, nec in communi, nec in speciali; & de hac accipitur illud Matthæi 5. [Nolite possidere aurum, nec argentum, &c.] quo loco ait sanctus Hieronymus, ideò hæc Dominum præcepisse, ne causa lucri potiùs, quàm salutis, prædicare viderentur.

Altera fuit paupertas competens illis, qui fixi erant mansuri in congregatione; cuius proprium est nihil habere in particulari, benè tamen in communi: de hac Actuum cap. 4. scribitur: [Multitudinis autem Credentium erat cor vnum, & anima vna: Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia;] hæc ibi. Vtramque hanc paupertatem Christus habuit: quodam enim tempore primam tenuit, nihil penitùs habens, nec in particulari, nec in communi, sed illis vescebatur, quæ sibi piè à pijs offerebantur, qui ipsum sequebantur: de quo Lucæ cap. 8. exemplum extat. Secundam paupertatem approbauit verbo, & exemplo. Lucæ cap. 22. cùm diait: [Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calciamentis, numquid aliquid defuit vobis?] Et paulò post: [Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram, &c.] Iam hæc secunda paupertas, quæ aliquid in communi possidere permittit, non repugnat perfectioni Euangelicæ: vt grauiter etiam docuit, & copiosè Diuus Thomas 2. 2. qu. 188. artic. 7. Primam ergo paupertatem intuitus Nicolaus, Christum omnia abdicasse, & in communi, & in particulari asseruit. Sed & præterea concedit, Christum aliqua in communi habuisse aliquando; siquidem in dicta Constitutione (Exijt,) subiungit: [Nec his quisquam putet obsistere, quòd interdum Christus dicitur loculos habuisse, &c.] Secundam respiciens Papa Ioannes, Scripturæ sacræ repugnare, decreuit, & hæreticum esse dixit, asserere, Christum, & Apostolos nihil in communi, aut in particulari possedisse: hæc summa est veræ solutionis.

Quia verò res grauissima est, & dignissima, vt perfectè, & copiosè intelligatur, placuit hoc loco integram recensere Ioannis Cardinalis de Turrecremata expositionem, seu conciliationem, quam præcitato loco scripsit, in hæc verba:

[Ad decimam obiectionem, quæ sumitur ex declarationibus Ioannis XXII. quæ videntur contrariæ declarationi factæ per Dominum Nicolaum Tertium, respondetur, quòd in veritate non opponuntur, immò declaratio Ioannis XXII. optimè stat simul cum determinatione Nicolai. Pro quo notandum, quòd diligenter perscrutati textum Euangeliorum, cum expositionibus sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum, duas paupertates legimus Christum ordinasse, congruentes diuersis exercitijs perfectorum. Vnam, videlicet, & primam pro illis, qui prædicaturi mittendi erant in Iudæam, ad annunciandum aduentum Regis, quæ est, nihil proprium habere sub cælo, nec in speciali, nec in communi, de qua Dominus, mittens Discipulos ad prædicandum, Matth. 10. dicit sic: Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis vestris, non peram, nec duas tunicas, nec calciamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo, hæc ibi. Hoc autem Christus præcepit, vt ait Hieronym. in Gloss. ne causa lucri, & non causa salutis, prædicare viderentur. Item Gloss. super illud: Dignus est enim operarius, &c. dicit sic; Ecce quare præcepit, nihil ferre, quia omnia debentur eis. Et Glossa Lucæ 10. dicit: Ecce, qui saccum, & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concessit. De Christo etiam dicitur Matth. 8. Filius hominis non habet, vbi caput reclinet. Vbi Glossa, inquit Hieronymi: Quid me propter lucra seculi vis sequi, cùm ita pauper sim, vt nec hospitiolum quidem habeam, nec meo vtar tecto?

Secunda paupertas est pro illis, qui fixi erant mansuri in congregatione; & ista est, nihil habere in proprio, sed bene in communi; de qua Act. 4. sic dicitur: Multitudinis autem credentium, erat cor vnum, & anima vna; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant eis omnia communia. Vbi Glossa Bedæ pulchrè ita ait: Qui ita viuunt, vt sint omnia communia in domo, Cœnobitæ vocantur, quæ vita tantò felicior, quantò statum futuri seculi imitatur, vbi omnia communia, quia Deus est omnia in omnibus: hæc ibi. Ergo Christus, volens vtramque approbare paupertatem, aliquando tenuit primam, nihil penitùs habens, nec in speciali,

nec

nec in communi; viuens tantùm ex his, quæ deuotæ fœminæ sequentes eum, administrabant ei, & Apostolis, vt habetur Luc. 8. super quo verbo ita dicit Glossa, & creditur esse Bedæ: Antiquus mos erat Iudæorum: nec ducebant in culpam, vt mulieres sua substantia pascerent, & vestirent Doctores: quia verò in Gentibus hoc poterat facere scandalum, Paulus memorat, se abstinuisse. Ministrabant ergo Domino carnalia, cuius metebant spiritualia, vt formam darer Prædicatoribus, quia victu, & vestitu debent esse contenti. Hæc Glossa.

Secundam autem paupertatem approbauit aliquando & verbo, & exemplo. Verbo, vnde Luc. 22. inquit Apostolis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calciamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram, &c. vbi Glossa Interlin. dicit: In hoc quoque nobis datur exemplum, vt nonnumquam, causa instante, de nostri propositi rigore, sine culpa, intermittere possimus. Ex qua Glossa manifestum accipitur argumentum, quòd illud præceptum Matth. 10. de non portando aurum, & argentum, &c. super quo fit dispensatio, non pertinet essentialiter ad perfectionem vitæ spiritualis, quia in tali non haberet locum dispensatio, quod multùm militare videtur contra Fratricellos.

Præterea, etiam Christus exemplo firmauit præfatam paupertatem, habens loculos, in quibus seruabantur ea, quæ ei dabantur, ad sui, & suorum necessitates sublenandas, de quibus Ioannis 13. vbi sic habetur: Christus dicit Iudæ: Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerat, & quidam putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut vt egenis aliquid daret. Super quo dicit beatus Augustinus super Ioannem, & habetur in cap. Habebat 12. quæst. 1. Habebat ergo, & Dominus loculos, à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus & alijs indigentibus tribuebat. Tunc primum Ecclesiæ pecuniæ forma est instituta: vt intelligeremus, quod præcepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruaretur à sanctis: sed ne Deo propter ista seruiatur, & propter inopiæ timorem, iustitia deseratur. Hæc Augustinus. Item idem Augustinus, & habetur in cap. templum eadem causa, & quæst. Exemplum Domini accipite conuersantis in terra; quare habuit loculos, cui Angeli ministrabant, nisi quia ipsius Ecclesia loculos habitura erat? Non potest autem dici quod hic paupertatis modus perfectis non conueniat: tamquam habere aliqua in communi deroget Euangelicæ perfectioni: patet, tamen eo, quod Christus perfectissimus, & Apostoli eius sanctissimi eam obseruauerunt, & obseruandam Ecclesiæ reliquerunt: iuxta iam dicta beati Augustini: Tum patet, ex communi obseruantia omnium sanctarum Religionum, Basilij, Augustini, Benedicti: quæ omnes aliqua habent in communi: Tum patet, ex declaratione, quam Gregorius IX. in quadam Decretali sua facit. Extra de excess. prælat. cap. Nimis iniqua, vbi expressè asserit, Fratres Prædicatores, & minores, in altissima paupertate, Christo pauperi famulari & tamen constat, ipsos Prædicatores habere aliquid in communi; etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum regulæ, & statui non repugnat; Hoc etiam Alexander Quartus in condemnatione libelli, contra statum Prædicatorum, & Minorum, videtur sensisse, in quo, loquendo de dictis Fratribus, ita subiunxit. Cùm insuper ijdem Fratres omnia propter Deum reliquerint; exilia vitæ subsidia mendicantes, ipsum Christum imitentur pauperem, perfectionem Euangelicam amplexando, propter quod euidenter patet, eos non solum in statu saluandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ Religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Euangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. Hæc ibi. Vbi quidem expressè dicit, Prædicatores Christum pauperem imitari, ipsiusque perfectionem Euangelicam amplexari; & in statu existere perfectorum; quod ipsius Religionis obseruantia, perfectionis Euangelicæ tenet formam. Et tamen constat; ipsos habere posse, quoad proprietatem, aliqua iuxta eorum regulam in communi. Et ita patet, quod habere aliquid in communi; non derogat perfectioni Euangelicæ. Quod etiam sanctus Thomas determinat in 2. 2. quæst. 188. art. 7. inducens illud Prosperi de vita contemplatiua, & habetur in cap. expedit facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni, & infrà: Quo facto satis ostenditur, & propria debere, propter perfectionem, contemni, & sine impedimento perfectionis, posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profectò communes, possideri. Attentu ergo quod Christus has duas paupertates, & vtrasque Euangelicæ perfectionis, diuersis temporibus docuit verbo, & firmauit exemplo, patet, quod declaratio Ioannis XXII. non contradicit declarationi Domini Nicolai Tertij: sed stant benè simul, ad diuersa tempora dicta eorum referendo; vno enim tempore Christus, & Apostoli nihil habuerunt in speciali, nec in communi, à mulieribus, quæ Christum sequebantur, necessaria sumentes, vt dicit Dominus Nicolaus Papa: Alio verò tempore habuerunt in communi aliqua, vt puta loculos: sicut Dominus Ioannes Papa XXII. Et ita patet, quid dicendum sit breuiter ad dictam obiectionem, in quantum spectat ad præsentem locum.

Quod verò secundò loco de eodem Ioannis verbo inducitur, quòd reuocauerit quod Nicolaus determinauit: dicimus, quòd non est verum, quod Dominus Nicolaus dixerat: videlicet, quòd Fratres Minores, in rebus oblatis eis, nihil iuris, & dominij habent, nisi solùm simplicem vsum fructuum, denudatum ab omni iure, & dominio, atque proprietate, tam in speciali, quam in communi; debere intelligi, in rebus, in quibus vsus potest separari à dominio, & proprietate sicut sunt res immobiles, & multæ mobiles, non autem in rebus, quæ vsu consumuntur, & declarat, quòd Dominus Nicolaus intelligit, quòd Fratres Minores, in rebus, quibus vtuntur, habent ius vtendi. Et certè, absque præiudicio Domini Nicolai, Dominus

sans Ioannes XXII. potuit hoc declarare. Tùm quia Dominus Nicolaus in sua constitutione expressè dicit, quòd in dubijs, quæ circa determinata per eum occurrent, habeant dicti Fratres recurrere ad Sedem Apostolicam, per eam declarandis. Tum etiam, quia Papa declarat Euangelium, sicut et iuramento, &c. Sicut ergo Romanus Pontifex, absque præiudicio Saluatoris, declarauit, quòd præceptum de non iurando, non se extendat, vt prohibeat in omni casu iurare: immò damnat hæreticos, qui dicunt, quòd non liceat omninò iurare: sic potuit magis Dominus Ioannes dictum Domini Nicolai declarare, videlicet, quod Christus, & Apostoli, & Fratres Minores habentes iustum vsum, habent ius vtendi. Et de bonis collatis Fratribus Minoribus, intelligitur Dominus Nicolaus, dominium sibi, & Romanæ Ecclesiæ recepisse, quo ad omnes res illas, in quibus potest separari vsus à dominio, quales non sunt res necessariæ ad vitam, & quæ vsu consumuntur. Tum etiam quia, vt Dominus Ioannes XXII. dicit, id non pertinet ad fidem specialiter, quid, & qualiter Fratres Minores habebant: istud enim non pertinent ad fidem, & in talibus, quæ non sunt de necessitate fidei, & bonorum morum generaliter, successor renouare, & mutare potest, quæ statuit prædecessor, prout visum sibi fuerit expedire: cùm in his par in parem habeat Imperium.

Illam insuper paupertatem, qua Christus noluit, vt pauper, cùm Apostolis habere immobilia, nec multa mobilia in communi, commendat Dominus Nicolaus; non illam, quæ excludit ius vtendi, & iustum vsum, nec illam, quæ priuat habere iure, & dominio res vsu consumptibiles, cùm sit impossibilis, & in hac ratione fundant se Doctores, eam sancti, quam Scholastici, quare pro pecunia mutuata, aut alia re, cuius est eius consumptio, vsura licitè accipi non potest: sicut merces pro domo, vel re alia non consumptibili locata, potest licitè recipi: vt ostendit sanctus Thomas in 2.2. quæst. 78. art. 1. & patet etiam huiusmodi sententia, ex sententia beati Chrysostomi super Matth. & habetur in cap. Eijciens distinct. 88. & hoc de ista materia tantum dictum sit pro præsenti, quia forsan aliàs in alijs scriptis nostris plenior sermo habebitur.] Hactenus Turrecremata.

§. VI.

De Henrico de Ceua.

EOdem tempore Henricus de Ceua, quem alij de Sena vocant, sub Ioanne XXII. ad annos 1315. supradictorum amplexus errores, sectam Fratricellorum multiplicauit. Scribit Eymericus in Directorio Inquisitorum par. 2. quæst. 16. Hunc Henricum in partibus Tusciæ, & Siciliæ, à peruersa Fratricellorum congregatione Ministrum Generalem fuisse electum. Quia verò similiter, contra Romanam Ecclesiam, grauissimos disseminabat errores, & in primis illum, fingentem duas Ecclesias: Vnam carnalem, diuitijs pressam, affluentem diuitijs, sceleribus maculatam, cui Romanum Præsulem, aliosque inferiores Prælatos dominari asserebat: Aliam spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua Ipsos solos, eorumque complices contineri affirmabat: Ideò Ioannes XXII. Pontificatus sui anno 2. id est, anno 1318. huius Henrici de Ceua errores Auinione condemnauit, constitutione quadam incipien. [Gloriosam Ecclesiam,] cuius fragmentum refert Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitorum par. 2. quæst. 16. Nos verò integram recensuimus in Directorio Inquisitorum inter literas Apostolicas, pro Officio sanctissimæ Inquisitionis. In qua etiam Papa, contra Henricum de Ceua, mandatum de capiendo decreuit, & omnia per ipsum gesta, irrita denunciauit. Inde etiam patet euidenter, istos errores contra Regnum Christi, & eius Militantem Ecclesiam, in Christi paupertate non bene intellecta fundatos, non corroborare sententiam, Christi Regnum negantem; sed diligenter potiùs esse præcauendos.

§. VII.

De Fratricellis, seu Fratribus de paupere vita.

FRatricelli, quos Ioannes XXII. in constitutione incip. sancta Romana tit. de Relig. domib. vocat etiam, Fratres de paupere vita, Bizocos, siue Begulnos, à proximè supradictis Magistris Arnaldo, Hermanno, Petro Ioannis, Michaele de Cesena, & Henrico de Ceua edocti, multos errores contra Catholicam Ecclesiam Romanam, sub Ioanne præsertim XXII. euomuerunt: licèt eorum initia, vel ad Bonifacij Papæ VIII. vel ad Clementis V. tempora sint referenda: vt indicauimus in Directorio Inquisitorum parte 2. quæst. 15. vbi ab Eymerico quinquaginta quinque errores recensentur, ex quibus, qui ad negandum Regnum, & dominium Christi pertinent, sunt infrascripti.

Primus error, & hæresis est: Quod Dominus Iesus Christus, in quantùm fuit homo & eius Apostoli, nihil habuerunt in proprio, nec etiam in communi, quia fuerunt perfecti pauperes in hoc mundo.

Secundus error, & hæresis est: Quod dicunt, hanc esse perfectam Euangelicam paupertatem, videlicet, nihil habere in proprio nec in communi.

[Tertius error, & hæresis est: Quòd habere aliquid in communi, diminuit de perfectione Euangelicæ paupertatis.]

[Quartus error, & hæresis est: Quòd Apostoli, sine diminutione perfectionis eorum, & sine peccato, non potuerunt habere aliquid nec in proprio, nec in communi.]

Contra hos Fratricellos, qui circa Christi, & Apostolorum paupertatem falsa Dogmata profitebantur, Ioannes XXII. cuius tempore istorum Secta multum creuerat, & inualuerat, aliquot Constitutiones edidit.

Primam Auenione 2. Idus Nouembris, Pontificatus sui anno 7. id est, anno 1323. incip. [Cùm inter nonnullos.] & in hac condemnauit, tamquam erroneam, & hæreticam opi-

opinionem asserentem, Christum, & eius discipulos nihil babuisse, & in his quæ habnerunt, nullum ius eis competiuisse.

Secundam incip. [Ad conditorem Canonum.] datam paulò post Auenione, eodem anno 1323. sexto Idus Decembris, & in hac declarauit multos articulos circa panpertarem in Regula sancti Francisci; & illum in primis, quòd in rebus vsu consumptibilibus, non sit dare simplicem vsum facti: cùm in talibus rebus dominium ab vsu non possit separari.

Et sic ea data patet, quòd istę duę Constitutiones, tit. de verbor. signif. non videntur bene collocatæ; cùm prius poni debuisset illa, quæ incip. [Cùm inter nonnullos.] quàm illa, quæ incip. [Ad conditorem Canonum.]

Tertiam Constitutionem incip. [Quia quorumdam mentes.] edidit idem Ioannes XXII. Auenione, quarto Idus Nouembris, Pontificatus sui anno nono, id est, anno 1325. & in hac reprobatur audacia Fratricellorum, impugnantium duas præcedentes Constitutiones, & tamquam hæretici, & Romanæ Ecclesiæ rebelles declarantur.

Istæ tres Constitutiones habentur impressæ inter Extrauagantes Ioannis XXII. tit. de verbor. signif.

Et quia Michael de Cesena Fratricellorum coryphæus, dictas Constitutiones impugnauit, & in eis, hæreticali audacia, multos errores, & hæreses dixit contineri, quos vbique publicabat: contra ipsum, & eius errores Ioannes XXII. quartam Constitutionem edidit, incip. [Quia vir reprobus Michael de Cesena.] datam Auenione 16. Calendas Decembris, Pontificatus sui anno 14. id est, anno Domini 1330. quæ fuit Auenione publicata, & affixa, seu suspensa in valuis Maioris Ecclesię Auenionen. vt constat ea fine eiusdem Constitutionis, cuius meminerunt Doctores allegati supra cap. 6. §. 1.

Fratricellorum doctrinam, & errores, Doctores eiusdem seculi, & alij deinceps Catholici grauiter confutauerunt, & in Iodicibus, seu Cathalogis hæreticorum, vnà cum Auctoribus recensuerunt, videlicet, Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitorum, par. 2. quæst. 15. 16. & 17. vbi ego multa notaui.

Sanctus Antoninus in Summa par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. & rursus eadem par. 4. tit. 12. cap. 4. §. 17.

Franciscus Cardinalis Zabarella in Clemen. Exiui, §. Proinde, quæst. 1. num. 11. Vbi refert, & soluit rationes, quibus Fratricelli suos errores defendere conabantur.

Bernardus Lutzemburgus in Cathalogo hæreticorum lib. 2. in verb. Fratricelli.

Gabriel Prateolus lib. 6. de Vitis, & Sectis Hæreticorum cap. 13. in verb. Fratricelli.

Nicolaus Sanderus libro 7. de Visibili Monarchia Ecclesiæ, sub anno Domini 1316. & 1317.

Paulus Æmilius Veronensis lib. 8. de Gestis Francorum in Carolo Quarto Pulchro 48. Rege Francorum, non procul à fine: vbi eos vocat Fraterculos: & alij quos longum forsassis esset recensere.

Illud verò mirabile, vel potiùs lachrymabile est, Fratricellos tam tenaciter suis erroribus adhæsisse, vt profiterentur, se doctrinam suam editis miraculis confirmaturos: in qua vanitate, & veterum, & recentiorum hæreticorum imitabantur exempla. Cæterum, vt inquit sanctus Antoninus in Summa par. 4. tit. 10. cap. 7. §. 5. vers. Hæc pestis; quem refert, & sequitur Bernardus Lutzemburgus in verb. Fratricelli, non ostenderunt aliud miraculum vllo tempore, nisi incinerationem corporum ex igne.

Demum ipsimet Fratricellorum fautores, contra altissimam paupertatem, quam contra Romanum Pontificem, & Romanam Ecclesiam prædicabant, officia, quæ paupertati repugnant, intrepidè exercebant: vt docet Ioannes XXII. in Constitutione incip. [Nuper in Consistorio publico, in hæc verba: Sanè quia sicut fama notoria publica, & facti euidentia in illis partibus manifestat, Michael, & Gulielmus Okam, & Bonagratia suptadicti, nec non & Henricus de Ghalem, dicti Ordinis, cuius perfectio inter alia potest percipi, quia Ludouici de Bauaria, se pro Imperatore gerentis, de diuersis damnati hæresibus, Cancellarij officium diutius gerere non expauit: quod quidem officium quantùm professioni illorum, qui se nihil habere asserunt in proprio, vel communi, seque Christum pauperem nudi sequi, congruat, potest promptè prudens quilibet iudicare.] Hæc ibi.

§. VIII.

De Petro de Corbario Antipapa.

Petri de Corbario auctoritas non potest negatiuæ sententiæ veritatis præsidium exhibere: cùm ille insigni sacrilegio, Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Catholicæ læserit maiestatem: cùm à Ludouico de Bauaria, pro Imperatore se gerente, Romæ die 12. Maij anno 1328. publicè in platea sancti Petri in Antipapam se ordinari, seu potiùs deordinari permiserit; & Nicolaum V. vocari: vt præ cæteris singulariter docent, sanctus Antoninus in Summa par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. & Ioannes Villanus lib. 10. Histor. cap. 73. incip. Negl'anni di Christo.

Et præsertim cùm postquam resipuit, omnes suos, & Fraticellorum errores bis abiurauerit; primum Pisis, coram Simone Archiepiscopo Pisano, & Gulielmo Episcopo Locano, & Magistro Raymundo Stephani Clerico Papalis Cameræ, & Apostolico Nuncio: & rursus Auenione 8. Idus Septembris anno 1330. vt constat ex formula abiurationis, quam recenset Frater Nicolaus Cardinalis de Aragonia in Regesto Ecclesiastico M.S. folio 137. vbi licèt clementer, & misericorditer fuerit susceptus, in decenti tamen custodia, ad cauthelam, fuit detentus, vt probaretur, an ambularet in tenebris, vel in luce; & quamvis tractaretur, vt familiaris, nihilominus, vt hostis custodiebatur, vt scribitur in fine eiusdem abiurationis, atque in ea custodia, seu carcere finiuisse vitam, affirmat sanctus Antoninus in præcitato loco in Sum-

Summa par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. paulò post principium, vers. Iste Petrus de Corbario, & Nicolaus Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia Ecclesiæ, sub anno 1317. tit. de Ludouici Bauari iusta excommunicatione, & nephario Schismate. Et Ioannes Villanus lib. 10. histor. cap. 164. incip. Nel detto anno, videl. 1330. vbi narrat, opera Pisanorum fuisse comprehensum Petrum Antipapam, & per Bonifacium quemdam Pisanum Comitem, duabus Triremibus Auenionem ad Pontificem Maximum fuisse ductum; quam historiam breuiter etiam indicat Paulus Æmilius Veronensis libro 8. de gestis Francorum, in Philippo VI. Valesio 49. Rege Franciæ, non procul à fine vers. Bellum in Bauarum à Pontifice Maximo decretum.

Demùm illud etiam hoc loco obseruatione, & propalatione dignum occurrit, quòd in prædicta formula abiurationis Petri de Corbario contra eius, & cæterorum Fratricellorum opinionem, de altissima paupertate, continetur, videlicet, multa illicita eum contra sacros Canones fecisse, vt, mediocribus saltem diuitijs abundaret, quod his verbis abiurando confessus fuit: [Tallias quoque in Ecclesijs imposui, tam in Vrbe, quàm alibi: pro quibus, calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus alijs ipsas Ecclesias spoliaui. Fideles insuper Prælatos, & alios Clericos in dignitatibus, & alijs beneficijs Ecclesiasticis constitutos, suis priuaui honoribus, & beneficijs, alios in illis præficiendo, vel Hæreticos, vel Schismaticos, vel eorum fautores, & plerumque non absque simoniaca prauitate.] Hæc ibi.

Et paulò post contra propriam hæresim asserentem, Papam non habere gladium temporalem, addit Petrus, se vtroque gladio vsum fuisse contra eos, qui Interdictum Papale seruabant, in hæc verba: [Et contra seruantes Interdicta, per vos, vel Legatos, seu Officiales vestros, alios, promulgata, vtroque scilicet, spirituali, & temporali gladio procedere non expaui.] Hæc ille.

§. IX.

De Guilielmo Okam, Henrico de Chalem, & Bonagratia de Pergamo.

INter defensores Fratricellorum nemo magis acriter, impiè, & intemperanter contra Papam, præsertim Ioannem XXII. & Romanam Ecclesiam, & Christi Regnum, & Dominium, videtur debacchatus, quàm Guilielmus Okam Anglus, cui adhærebant Henricus de Chalem, & Bonagratia de Pergamo conuersus, omnes falsi Fratres de Ordine sancti Francisci. Nam postquam Ioannes XXII. anno 1323. per Constitutionem incipien. Cùm inter nonnullos, condemnauisset hæresim asserentem, Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in speciali, nec etiam in communi; & illam, quæ falsò asserit, Christo, & eius Discipulis, in his, quæ ipsos sacra Scriptura habuisse testatur, nullum ius ipsis vtendi competiuisse, nec illa vendendi, aut donandi ius habuisse; & per Constitutionem incip. Quia vir reprobus, editam contra Michaelem de Cæsena, errorem negantem Christi Regnum, & vniuersale Dominium reprobasset: Guilielmus Okam eis contradixit, & in libello, quem defensorium paupertatis Christi, & Fratrum Minorum prætitulauit, decem errores audax notare præsumpsit. Cæteris omissis, duos tantùm, qui maximè ad hoc institutum spectant, recensebimus.

Dixerat Papa Ioannes in prædicta Constitutione contra Michaelem edita, post multa Diuina testimonia de Christo Rege ponderata, hæc verba: [Et ideò cùm Rex, & Dominus fuerit Christus factus, in quantùm crucifixus, & crucifixus fuerit in quantùm homo, sequitur quòd Regnum, & Dominium, tamquam homini sibi Deus concessit.] Hęc Pontifex. In quibus verbis errasse Papam, mentitur Okam, his verbis: [Primus error est, quòd Dominus noster Iesus, in quantùm homo viator mortalis, immò in quantùm crucifixus, fuit verus Rex in temporalibus, habens verum vniuersale Regnum, & Dominium omnium rerum temporalium huius Mundi. Qui error, Scripturæ sacræ, & sanctorum Doctorum, & Patrum doctrinæ contradicit apertè. Quòd autem Scripturæ contradicit, patet per illud, quod legitur Ioannis 18. Christum dixisse Pilato: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnum meum, Ministri mei vtrique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc. Et Ioannis 6. Ergo cùm cognouisset, quòd venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem; solus ergo vitauit Regnum, & regnare in temporalibus secundùm hoc. Et Lucæ 12. Vbi cuidam de turba dicenti sibi: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem: respondit dicens: Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? constat ergo, quòd ad Regem, tamquam ad ordinarium iudicem spectat, de hæreditatum diuisionibus indicare, & cogere ad easdem. Ergo non regnauit temporaliter: aliter falsum dixisset, quòd non pertinebat ad eum. Et sic articulus iste contradicit textui.] Hactenus ibi Okam; qui mox ad idem probandum addit aliquot Sanctorum testimonia truncata, & perperam intellecta.

Rursus cùm in eadem Decretali Pontifex conclusisset in hæc verba: [Præmissa autem, scilicet Regnum, & vniuersale Dominium habuit Iesus, in quantùm Deus ab æterno, eo ipso, quod Deus Pater genuit eum & in quantùm homo, ex tempore, scilicet, ab instanti conceptionis suæ, ex Dei donatione.] Hæc Papa. Impius Okam in prædicto Defensorio secundum errorem collegit, in hæc verba: [Secundus error est; Christus, in quantùm homo mortalis, fuit Dominus habens proprietatem, & dominium omnium rerum temporalium. Qui quidem error, siue articulus sacræ Scripturæ, sanctis Doctoribus & determinationi Ecclesiæ contradicit. Quod autem sacræ Scripturæ contradicit patet: nam Lucæ 9. dicit Dominus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis

minis non habet vbi caput suum reclinet. Vbi Glos. Hieronymi in persona Christi ait; Quid me propter diuitias, & lucra seculi vis sequi, cùm sim cantæ paupertatis; vt nec hospitiolum, quod meum sit habeam, tectoque vtar alieno? Et Chrysostomus super eodem: Aspice qualiter paupertatem, quàm Dominus docuerat, per opera demonstrat. Non erat ei mensa, non candelabrum, nec domus, nec quiquam talium. Item Apostolus 2. Corinth. 8. Scitis, inquit, gratiam Domini Nostri Iesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia, nos diuites essemus, & in hoc consilium do. Et in Psalm. in persona Christi dicitur: ego verò egenus, & pauper sum. Vbi glos. dicit; Egenus fuit Christus, quia pauper, id est, sibi insufficiens, & in alio Psalm. Ego autem mendicus sum, & pauper, vbi glos. dicit: Christus, secundùm quod homo mendicus fuit, & mendicus est, qui ab alio petit, & pauper qui sibi non sufficit. Hæc Glossa.] Hactenus Okam.

Ioannes quoque XXII. in constitutione incip. nuper in Consistorio publico. Guilielmum, Henricum, & Bonagratiam, prædictos; hunc ipsum articulum impugnasse, affirmat his verbis: [Et quia prædicti Guilielmus, Henricus, & Bonagratia, velut defensores diuersarum hæresum, sed illarum præcipuè, quæ asserunt, quod Christus, & discipuli nihil habuerunt in proprio, vel communi, nisi tantùm simplicem vsum facti, & illius, quæ asserit, quod ad Imperatorem pertinet, Papam deponere, & alium subrogare, vehementer de hæresi sunt suspecti.] Hæc ibi.

Ex prædictis duo potissimum obseruanda occurunt: Primum, cæcitate percussum Okam, virum alioquin eo seculo in Phylosophicis, & Theologicis versatum, superbia hæreticali tumidum, Sedis Apostolicæ decreta non veritum confutare, & Papam Christi Vicarium, exemplo sacrilego, maledictis, & iniurijs afficere; quo facto grauissimo se scelere maculauit, cùm valde sacrilegum, & impium sit, Romano Pontifici iniuriam facere vt docent communiter Patres, & Romani Pontifices Hadrianus II. in Synodo Romana allocutione 3. apud Synodum VIII. Constantinopolitanam actione 7.

Et Nicolaus in epistola ad Michaelem Imperatorem prope finem.

Et Gregorius VII. lib. 4. Regesti epist. 2. & epist. 24. refert Antonius Augustinus, in Epitome Iuris Pontificij veteris lib. 1. tit. 18. de pœnis, quibus afficiuntur, qui Pontifici Maximo iniuriam faciunt, aut eius præcepta contemnunt.

Alterum, Ocham ad suos errores, fraudes, & sacrilegia persuadenda, frequentibus sacrarum literarum testimonijs vti, adulterina tamen interpretatione fucatis, quod de omnium hæreticorum officina accepit. Hæresiarchæ enim, eorumque discipuli, sub Diuinæ legis vmbraculis, errores suos semper occultare, & persuadere consueuerunt. Quod primi Ecclesiæ Doctores frequenter admonuerunt, & præ cæteris Tertullianus in lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, & de scripturis agere, & de scripturis suadere.

Et Vincentius Lyrinensis, in libro aduersùs profanas hęresum nouationes, cap. 35. Fucata autem, & adulterina interpretatione, traduxisse Okam diuina Testimonia, quibus vtitur ad persuadendos duos suos errores, copiosè demonstrauimus supra cap. 17. quæ propterea non oportuit hoc loco iterum repetere.

Sed iam ad Okam reuertamur; cuius errores Henricus de Chalcm, & Bonagratia de Pergamo, indiuidui eius comites, amplectebantur, & pertinaciter defendebant. Vnde quamuis, grauibus eorum manifestis excessibus exigentibus, ad grauiores potuisset in absentia pœnas procedi; nihilominùs vocati ad Romanam Curiam, quæ tunc Auinione residebat, accesserunt, & licèt iurassent, inde non recedere; furtiuè tamen, vnà cum Michaele de Cesena, fugam arripientes, ad Petrum de Corbario Antipapam, & Ludouicum de Bauaria, in Cathedra pestilentiæ sedentem, confugerunt. Quamobrem ipsi, & quilibet eorum præsente multitudine copiosa, per edictum peremptorium publicum citati fuerunt, vt infra certum terminum, in edicto assignatum, personaliter comparerent, sententiam, si ferri posset commodè, audituri. Hæc copiosiùs continentur in processu, seu edicto Ioannis XXII. contra istos homines publicato, anno 1331. incip. Nuper in Consistorio publico, relato in fine Directorij Inquisitorum, inter literas Apostolicas, pro Officio sanctissimæ Inquisitionis, vbi signanter continentur hæc verba: [Non intendentes, propter prædictæ citationis edictum, nos astringere, quin contra dictos Guilielmum Okam, & Bonagratiam, quos aliàs per edictum peremptorium publicum citauimus, vt certo termino diu elapso, comparerent coram nobis personaliter, sententiam audituri: ac propter eorum contumaciam fuerunt excommunicationis vinculo innodati; interim valeamus procedere, prout suadebit iustitia, & viderimus expedire: eisdem expressiùs intimantes, quòd siue venerint, siue non venerint contra ipsos in dicto termino, vel quoties nobis visum fuerit, absque citatione alia, ad præmissa procedemus, prout rationis fuerit, & viderimus expedire.] Hæc ibi.

De eadem Guilielmi Okam fuga, ad Ludouicum Bauarum, scribunt Ioannes Trithemius in Chronico, sub anno 1333. & in libro vnico, de Scriptoribus Ecclesiasticis, in verbo: Guilielmus Okam, & Nicolaus Sanderus lib. 7. de Visibili Monarchia Ecclesiæ, sub anno 1317. & Gilbertus Genebrardus in Chronographia, lib. 4. sub anno Christi 1327. vbi hunc Guilielmum vocat Imperatoris stipendiarum, & meritò, quia, vt ait Trithemius præcitato loco in Chronico, confugiens Okam excommunicatus ad prætensum Imperatorem, æque excommunicatum, eius defensionem implorando, dixit: [Imperator iustissime, tu me armis defende: ego te scripturis defendere, contra iniurias Papæ, & possum, & volo.] Additque vtroque loco Trithemius, Okam apud Ludouicum mansisse, vsque ad diem mortis suæ, & multa horrenda contra eumdem Papam scripsisse: quod testantur etiam præcitatis locis Sandarus,

rus, & Genebrardus, & Paulus Æmilius Veronensis lib. 8. de Gestis Francorum, in Carolo Quarto, cognomento Pulchro, 48. Francorum Rege. Quæ cùm reuera ita se habuerint, mirati sæpe sumus, Sanderum, præcitato loco, vers. Licèt autem iste Occamus, & nuper eum secutum Petrum Maturum in Adnotationibus ad Historiam sancti Antonini, part. 3. tit. 21. cap. 5. §. 2. circa finem, vers. Guilielmus Occamus, ausos fuisse, hunc hominem excusare, dicendo: [quòd licèt Okam contra Papam Ioannem scripserit; tamen sine omni controuersia, velut contra hominem; non autem velut contra Ecclesiæ Romanæ fidem, auctoritatemue scripsit: cùm in Prologo libelli, quem scripsit de Sacramento Altaris, fidem suam de Romana Ecclesia apertissimè confiteatur, cùm dixit: De illo altissimo Sacramento aliqua breuia conscripturus, protestor, me nihil asserturum, nisi quod Romana tenet, & docet Ecclesia.] Hæc Sanderus, & Maturus, quorum sententiam non facilè admittendam censeo; tum quia fortassis, vt verisimile est, non viderunt prædictas Apostolicas constitutiones contra Fratricellos, & eorum Defensores, tum quia si ita hæreticantes excusare liceret, facilè, non tuto exemplo, quælibet errantium personæ defendi possent,

Nec refert, quòd Trithemius, præcitato loco de Scriptoribus Ecclesiasticis, in verbo: Guilielmus Okam, dicat, eum tamdem in morte absolutum, & in Conuentu sui Ordinis in Norica prouincia, quæ nunc Bauaria appellatur, fuisse sepultum, quia cùm grauissima hominis scelera noscamus, pœnitentiam autem ignoremus, iudicio Ecclesiæ obtemperandum est, non diuinandum.

Iam parùm vrget argumentum deductum ex prologo libelli de Sacramento Altaris, & eius protestatione, quia ignotum ipsis, an illum scripserit antea, vel postquam ad hostes Ecclesiæ transiuit, & exploratum est, eum acerrimum hæreticorum fuisse defensorem, & auctoritatis Ecclesiasticæ impugnatorem.

Demum quidquid sit de persona, verum in fine vitæ pœnituerit, necne, in specie opus eius nonaginta dierum, item Dialogi, & scripta omnia contra Ioannem XXII. in quibus grauissimos errores euomuit, auctoritate Romanæ Ecclesiæ meritò fuerunt interdicta in Indice Librorum prohibitorum, in verbo: Guilielmi Okam,

§. X.

Ioannem XXII. summum Romæ Ecclesiæ Pontificem sapienter fecisse, Fratricellorum errores, sicut expediebat, condemnando; vt Ecclesiæ Hierarchiam conseruaret, quam illi penitus euertere nitebantur.

CVm Fratricellorum excessus vehementer augerentur, & graues in Ecclesiam inducerent discordias, & ex negato Christi Regno, & Dominio, quod acriter impugnabant, audacter inferrent, non posse Roman. Pontifices Christi Vicarios proprium aliquid possidere; cum illud nec habuerit, nec possiderit Christus verus Episcopus: pariterque; inferrent, nec Papam, nec Catholicæ Ecclesiæ Prælatos aliquam coactiuam iurisdictionem exercere posse; falsò affirmantes, Christum illam non exercuisse: vnde consequebatur, vt duas configerent Ecclesias: Vnam carnalem, diuitijs affluentem, sceleribus tamen maculatam, cui Romanus Pontifex præsideret: Alteram spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli, eorumque complices continerentur: Hunc enim, & alios grauissimos errores, ex eodem cœno deductos, vbique docebant, & Monarchiam Ecclesiasticam, diuinitùs compositam, euertebant: Ideò Ioannes XXII. multis editis constitutionibus, constanter, vt oportuit, omnes istos errores cum suis Auctoribus condemnauit; illum, videlicet, fingentem duas Ecclesias, anno 1318. per constitutionem incipien. Gloriosam Ecclesiam, alios autem, negantes Dominium Christi, & Apostolorum, per alias constitutiones incipien. [Cum inter nonnullos. Ad conditorem canonum. Quia quorumdam. Quia vir reprobus,] editas anno 1323. & aliquot sequen. quarum potente virtute, erroribus extirpatis, Ecclesia optatæ tranquillitati, & paci fuit tandem restituta. Aliter enim grassanti morbo quis potuisset adhibere remedium? Cùm hæreticorum familiaris consuetudo sit, curare, vt dogmata sua absque impedimento liberè peruagentur, & publicentur, & semel recepta tenaciter retineantur. Quamobrem illud in Ecclesia præceptum diuinitus receptum, & retentum est, vt quamprimùm alicubi hæresis, aut noua, & ideo suspecta, doctrina orta est, non dissimuletur malum; sed ne latiùs serpat, multosque contaminet, vel potiùs interimat, celeriter, prouideatur.

Sic Fabianus Papa, Nouati hæresi exorta, ne incautos deciperet, & ex dissimulatione, & tolerantia, altiùs iactis radicibus, incrementum susciperet, postea difficulter summouendum, epistola prima ad omnes vbique Catholicæ Ecclesiæ ministros, eos vehementer hortatur, vt caueant ab omnibus, qui alteram fidem, & doctrinam tenent, quàm Apostoli, successores eorum tenuerunt, & docuerunt: [Ne, quod absit, inquit, post eum, Nouatum, abeuntes, in laqueum Satanæ cadatis, & compedibus eius tentamini.]

Ad eumdem modum Damasus Papa, & cæteri Episcopi Romæ congregati, cùm, relatione Gallicanorum, & Venetorum Episcoporum, quosdam hæresibus fauere cognouissent: Episcopos in Illyrico constitutos admonent, vt non solùm malum cauere debeant, sed etiam contra ea reluctari, quæ gesta sunt imperitia, aut simplicitate quorumdam prauis interpretationibus deceptorum. Damasus epistola 3. incipien. Credimus sanctam Fidem,

Et meritò hæc tam diligens præcautio adhibenda est: quoniam ex patientia, & tolerantia ingentes in Ecclesia Tragœdiæ excitari solent, quæ postea difficilè componuntur. Multis hęc Sanctorum testimonijs comprobatur.

pro-

probari potuissent, quibus omissis, satisfaciat nunc huic proposito sanctus Hieronymus in epist. ad Galatas cap.5. in principio, super illis verbis: Modicum fermentum, vers. Scintilla res parua est. Vbi post alia, ob non compressum Arium in principio, totum Orbem conflagrasse tradit his verbis: [Scintilla res parua est, & penè dum cernitur, non videtur: sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui, quamuis paruus ignis inuenerit, mænia, vrbes, latissimos saltus, regionesque consumit. Fermentum quoque, cuius ad aliam partem: in Euangelio Parabola temperata est, res modica videtur, & nihil; sed cùm farinæ conspersum totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne quod mixtum est. Ita, & doctrina peruersa ab vno incipiens, vix duos, aut tres primùm in exordio reperit auditores; sed paulatim, vt cancer serpit in corpore; & iuxta vulgare Prouerbium, Vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur, & scintilla statim, vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicina semouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum; ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum Orbem eius flamma populata est.] Hæc sanctus Hieronymus.

In casu proposito, si quamprimum, vel in Petro Ioannis, vel in alijs Fratricellorum primis Auctoribus, malum exoriri cœpit, celeriter fuisset occursum, & exorientis draconis caput vtroque gladio (si oportuisset) amputatum, nec pacificum Ecclesiæ statum, perturbassent nouatores, nec Romanum Pontificem in tot augustias coniecissent.

Ex his meritò videtur inferri, excessisse Franciscum Cardinalem Zabarellam, in Clementina. Exiui, §. proinde, num. 11. de Verb. significat. dicendo: Vtile esse, quod Ecclesia Romana liberè de dogmate Fratricellorum disputari permitteret; cum ex assertione dicente, Christum non habuisse proprium: non possit inferri aliquid contra Romanæ Ecclesiæ proprietatem. Nam vt ex prædictis constat, grauissimi errores inde contra Ecclesiam attebantur.

Et similiter, proximo superiori sæculo excessisse Dominicum Sotum, lib. 4. de Iustit. & iure, quæst.1. art.1. concl. 2. vers. Præterea egomet, nimis liberè affirmando, Ioannem XXII. abdicando tale dominium, non fecisse legitimè, sed in odium forsan Okam, & aliorum sui ordinis: quia ei fuernnt infensissimi, & quæ de Romano Pontifice indignè dicuntur.

§. XI.

De Marsilio de Menandrino Paduano, & Ioanne de Ianduno.

AD classem negantium Regnum Christi, & vniuersale Dominium referendi sunt Marsilius de Padua, (quem Zabarella in cap. Venerabilem, §. vetum, num.6. de Elect. vocat Marsilium de Men andrino, & in Clemen. Exiui, §. Proinde, num. 11. de Verbor. significat. appellat Marsilium de Menandrino,) & Ioannes de Ianduno: quos supra cap.17.§.4. acriter impugnasse Christi Regnum, docuimus, ex ea potissimùm Christi responsione perperam intellecta, apud Ioannem, cap.18. [Regnum meum non est de hoc mundo.] Ceterum, quanta sit istius hominis auctoritas, vel ad istud, vel ad aliud dogma persuadendum, eius gesta breuiter hic indicanda facilè demonstrant.

Cùm anno 1313. Henricus Imperator, eius nominis Septimus in Italia prope Senas Obijsset: Principes Germaniæ, qui eum comitabantur, in Germaniam reuersi sunt, & conuenientibus Electoribus, anno mox sequenti 1314. infeliciter vnius loco, duo Imperatores emerserunt: videlicet, Federicus Dux Austriæ, & Ludouicus Dux Bauariæ. Vnde cum magno totius Ecclesiæ damno, ingens Schisma concitatum fuit. Et quoniam tunc, longa Sedis Apostolicæ vacatione, potuit eius, qui legitimè electus fuerat, persona examinari, & approbari, iuxta Canonicas Sanctiones, in cap. Venerabilem de Electione, inter Feidericum, & Ludouicum contentione vehementer crescente, Schisma maius incremen tum suscepit. Anno verò 1316. tamdem post longam duorum annorum, Sedis Apostolicæ vacationem, Ioannes XXII. Romanus Pontifex electus, nullum de prætensis Imperatoribus voluit confirmare: quia in electione alterius fraudem interuenisse intellexerat. Nam licèt Ludouicus, tamquam à maiori parte electus, prætenderet, se præferendum; quia ex septem Electoribus, quatuor in se consensisse producebat: Feidericus contra, falsitatem Procuratoris Marchionis Brandeburgensis opponebat; qui cùm in mandato procuratorio Marchionis detulisset scriptum nomen Feiderici, illo abraso, Ludouici nomen supposuit, & se propterea præferendum acriter contendebat. Itaque Ioannes Papa, in tanta incertitudine, meritò à confirmatione, & approbatione abstinuit. Vehementer tamen hortabatur electos, vt non in armis, sed in sua iustitia confidentes, iudicio Sedis Apostolicæ, vt debebant, se humiliter submitterent. Sed Ludouicus, contra quem vehementior falsitatis suspicio extabat, magnorum Principum fauore, & præsidio munitus, noluit obtemperare: cuncta verò superbè gerens contra Romanum Pontificem rebellem animum erexit: & cùm nondum esset Apostolico iudicio approbatus, & Imperium administrare, & iura Imperij exercere præsumpsit; &, quod longe omnem impietatem superat, rebellibus Ecclesiæ Romanę fautorem se, & defensorem exhibuit. Interim tamen sæpè paternè admonebatur à Papa; vt ab administratione, & fautoria desisteret, & gesta reuocaret: quod quia facere contempsit, anno 1324. diuersi processus fuerunt contra ipsum decreti: & demum anno 1325. à Sede Apostolica, per alium processum, fuit Regno, & Imperio priuatus.

Cæterum cùm non resipisceret Ludouicus, nec Romano Pontifici, vt debebat obtemperaret, Ecclesiæ status periculoso tumultu, in Italia præsertim, & Germania, premebatur.

Ludouicus verò, vt Principibus, & toti Orbi Christiano persuaderet, se bono iure munitum, Papalibus præceptis non obtemperare, patronos quærebat: quos & stipendijs, & largitionibus, vt prætensiones suas tuerentur, alliciebat, & inuitabat. Quamobrem ingens, & adulatorum, & falsorum Prophetarum turba frequenter vndiq; ad ipsum confluebat: & quoniam à denegato Christi Regno, & Dominio vniuersali, & à iurisdictione ipsius Christi coactiua, quam numquam Christum exercuisse deceptores Ludouici affirmabant, validum argumentum falsò deduci arbitrabantur; ideo tunc potissimùm ad ipsum cucurrerunt agmina Fratricellorum in primis verò eorum præcipui Magistri, & fautores, Michael de Cesena: Guilielmus Okam: Bonagratia, de Pergamo: Henricus de Chalem: & alia funestorum hominum procella, quorum errores, iusto Sedis Apostolicæ iudicio, Ioannes XXII. condemnauerat: de quibus paulò antea dictum est.

Eidem præterea Ludouico adhæserunt Dantes Aligerius Florentinus, de quo paulò post dicemus; & iste Marsilius Paduanus, & indiuiduus eius comes Ioannes de Ianduno. Quia verò Marsilius tunc egregij Doctoris Theologi nomen sibi comparauerat, & magna auctoritate pollebat, Bauaro persuasit, Papam potestate coactiua carere, eamque penès Imperatorem esse, etiam quò ad spiritualia, & multos alios impios, & hæreticales errores suggessit: quos vnà cum Auctore, sedes Apostolica condemnauit.

Franciscus Cardinalis Zabatella, qui floruit ad annos 1440. in cap. Venerabilem de Elect. §. Verum. num. 6. vers. De superioritate de hoc Marsilio potissimùm loquens, id indicauit his verbis: [De superioritate etiam Papæ ad Imperatorem multi se vexaut: aliqui in ostendendo, quòd Imperator subsit Papæ: aliqui, quòd è conuersò: vel quòd saltem Imperium immediatè sit à Deo. Et hoc vltimum tenet Dantes in libro, quem facit de Monarchia, & Marsilius de Menandrino de Padua: non is, qui latè scripsit in Medicina, sed alius egregius Doctor sacræ Paginæ. Iste namque adhæsit Bauaro, contra quem processit Ecclesia: & iste edidit duos libros, in quibus nititur ostendere, quòd potestas coactiua, idest, per quam vi, & armis possit aliquis cogi, non potest esse apud Papam, sed est apud Imperatorem, etiam, quò ad spiritualia. Sed quidquid scribatur, receptum est à Catholicis, & diu obseruatum, id quod Canones asserunt, scilicet, Imperatorem esse inferiorem Papa.] Hactenus Zabarella.

Cùm itaque Marsilius, & Iandunus, Ludouico fauentes, eodem Ludouico fauente, dogmatizarent, Christum [illegible] Cæsaris exactoribus [illegible] tributum, & omnia Ecclesiæ temporalia Imperatori subesse, & Christum in Ecclesia nullum caput reliquisse, & ad Imperatorem pertinere, Papam instituere, destituere, & punire, & Ecclesiam nullum hominem punitione coactiua punire posse, nisi ex concessione Imperatoris: Papa eosdem Marsilium, & Iandunum à viris pijs, & doctis priùs monitos, & resipiscere nolentes eorumque errores prouida Constitutione incip. Licet iuxta doctrinam Apostoli condemnauit ann. 1328. simulque istorum dogmatum Auctores Hæresiarchas declarauit.

Quamobrem meritò deinde Doctores Catholici Marsilium in Catalogo Hæreticorum recensuerunt. Aluarus Pelagius, lib. 1. de planctu Ecclesiæ cap. 68. vbi tum vocat Hæresiarcham nouellum.

Bernardus Lutzemburgus in Catalogo Hæreticorum. lib. 2. in verbo. Marsilius Paduanus.

Albertus Pighius lib. 5. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 1.

Gabriel Prateolus lib. 11. de Vitis, & Sectis Hæreticorum. cap. 17. in verbo. Marsilius Paduanus, vbi est obseruandum, Prateolum insigniter fuisse deceptum circa tempus, quo eum vixisse scribit: cùm posuerit, extitisse sub Paschali Secundo Romano Pontifice, circa ann. Dom. 1117. cùm reuera vixerit & hæreses protulerit tempore Ioannis Vigesimisecundi ad annos Domini 1320. & seq.

§. XII.

De Ioanne Vvicleff, & Ioanne Husz Vvicleffi discipulo.

Ex eadem officina memoratorum hæreticorum, ob denegatum Christi Regnum, & Dominium, graues hæreses contra Ecclesiam hauserunt, & haustas euomuerunt Ioannes Wicleff Anglus, & Ioannes Husz Bohemus Wicleffi discipulus.

De Ioanne Vvicleff, & eius exortu Ioannes Nyder hæreticæ prauitatis olim constans Inquisitor sic scribit: [Viuebat in Anglia, infra sexaginta annos quidam sæcularis Sacerdos Artium professor, acer ingenio, & eloquentia lepidus, sed errore, scriptis, & vita nedum hæreticus, sed Hæresiarcha, Ioannes Vuicleff dictus; qui in suis libellulis in Anglico, & Latino, doctrina noua, Rempublicam, tàm sæcularium, quam Ecclesiasticorum subuertere molitus est. Huius articulis quot pro tunc, & postea, & modo occulti sunt, & facti sunt hæretici in Anglia, norunt, qui ibi steterunt. Horum venenum meo tempore quidam Bohemus, in Constantiensi Concilio generali incineratus, Magister Artium Hieronymus, videlicet, in Anglia studens, auide hausit, & libris, & voce propria in capitali ciuitate Bohemiæ in Vniuersitate Pragensi postmodum copiosè effudit.] Hactenus Nyder, qui breui verborum compendio, ingentem malorum molem indicauit. Nam Vvicleff primùm Angliam hæresibus impleuit: deinde verò Hieronymus de Praga eius discipulus Bohemiam hæreticali cœno fœdauit. Quales autem fuerint Vuicleffi articuli huc spectantes, Concilium Constantiense, Sessione 8. (vbi tenor articulorum eius recensetur) demonstrauit his verbis.

Contra Scripturam sacram est, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones.

Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, pos- sess-

fessionatis habitualiter delinquentibus: idest, ex habitu, non solùm actu, delinquentibus.

Ditare Clerum est contra Regulam Christi.

Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus, sunt haeretici, eò quòd possessiones habent: consentientes eis omnes, videlicet, Domini saeculares, & ceteri Laici.

Imperator, & Domini saeculares sunt seducti à Diabolo, vt Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi paenituerunt de hoc, quòd habuerunt possessiones.

Hos, & alios articulos, numero quadragintaquinque, Ioannes Vvicleff, cum magno Christianae Reipublicae detrimento, docuit; ex quibus aliquot in Anglia primùm damnati sunt; vt scribit Nicolaus Sanderus lib.7.de Visibili Monarchia Ecclesiae, sub anno 1378.sed postea Concilium Constantiense Sess.8.anno Domini 1415.copiosiorem edidit condemnationem.

Tunc autem complures viri docti Angli, Fidei zelo accensi, qui eadem ferè Vvicleffi aetate vixerunt, contra Vvicleffi haereses scripserunt; nempe Ioannes Kyningam: Strodus: Richardus Larimham: Guilielmus Bertho: Ioannes Gascoym: Simon Sothray: Thomas Ascebora: Thomas Vinterton: Richardus Maydeston: Gualterus Dysse: Robertus Humalecon: Ionnes Tyssington: Ioannes Maronis: Ioannes Marek: Guilielmus Vouforдus: & deinde copiosè ad annos Domini 1410. Thomas Vvaldensis, etiam Anglus, Carmelita: & anno 1416. Andreas de Broda Doctor Pragensis, natione Bohemus: & Alfonsus de Castro Hispanus in Opere aduersùs haereses, diuersis locis, prout se offerebat occasio; & alij in libris Controuersiarum aducrsùs haereticos.

Eos quoque recensuerunt Bernardus Lutzemburgus in Catalogo Haereticorum, l.3. in verbo: Vvicleffitae.

Et Gabriel Prateolus, lib.9.de Vitis, & Sectis Haereticorum cap.19.

Et Nicolaus Sanderus lib.7.de Visibili Monarchia Ecclesiae, sub anno Domini 1378. in Vrbano Sexto titul. de Vvicleffi haeresibus.

Ioannes Husz, Vvicleffi discipulus, ex eodem coeno prodiens, contra Ecclesiam, & personas Ecclesiasticas, easdem feculentas haereses praedicauit, quibus etiam alios triginta articulos de suis adiecit; vt scribit Nicolaus Sanderus lib.7. de Visibili Monarchia Ecclesiae, sub ann. Dom.1415. Ab hoc perfidia Hussitarum ortum habuit, quae & regnum Bohemiae occupauit, & omnem penè Germaniam conturbauit: vt scribit Aeneas Siluius, postea Pius II. in Historia Bohemica, cap.35. Nam cùm vir quidam genere nobilis, ex domo, quam Putridi piscis vocant, apud Oxonium Angliae ciuitatem, literis operam dans, libros Ioannis Vvicleffi offendisset; in quibus multa contra Clerum volumina continebatur, tamquam pretiosum thesaurum patriae suę intulit: eos verò libros Ioanni Husz, homini obscuro loco nato, sed acri ingenio, & lingua disertа praedito, & peregrinas opiniones amanti commodauit, vnde ille breui tempore vniuersum ferè Bohemiae regnum foedauit, vt praecitato loco copiosè refert Aeneas Siluius. [Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna, praedicabat,] & vt Vvicleffi magistri auctoritatem commendaret, omnes eius articulos defendebat, & perperam fuisse condemnatos, ore sacrilego affirmabat: vt habetur in Concilio Constantiensi. Sess.8.in tenore articulorum Ioannis Husy artic.25.in haec verba: [Condemnatio (inquit Ioannes Husz) quadragintaquinque Articulorum Ioannis Vvicleff, per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & malè facta, & ficta est causa per eos allegata: videlicet, ex eò, quòd nullus eorum sit Catholicus; sed quilibet eorum, aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.] Haec ibi.

Cùm verò Ioannes Husz, & Hieronymus de Praga graues illas haereses disseminarent, placuit Concilio Constantiensi vtrumque vocare: moniti, vt resipiscerent, pertinaces permanserunt: ideoque Ioannes Husz primùm traditus fuit Curiae saeculari, vt constat ex Concilio Constantiensi Sess.15.

Deinde verò Hieronymus de Praga, ann. 1416. vt constat ex eodem Concilio sess. 21.refert Aeneas Siluius in Historia Bohemica cap.36. vbi errores recenset, quos etiam breuiter retulerunt Bernardus Lutzemburgus in Catalogo haereticorum lib.2.in verbo; Hussitae, & Nicolaus Sanderus lib. 7.de Visibili Monarchia Ecclesiae, sub anno 1415.& Ioannes Cardinalis Turrecremata in Summa de Ecclesia lib.4.parte 2.cap.38. & Gabriel Prateolus lib.8.de Vitis, & sectis haereticorum, cap.21.in verbo: Hussitae, quae omnia latissimè duodecim integris libris prosequutus est Ioannes Cochlaeus de Historia Hussitarum.

§. XIII.

De Martino Luthero, & alijs Superioris saeculi haereticis, Regni Christi impugnatoribus.

PRoximo superiori saeculo, quam horribiles Tragedias excitauerint contra Ecclesiam, quae est Regnum Christi, & contra Romanum Pontificem eius visibile Caput, Martinus Lutherus, & alij eiusdem farinae, seu veriùs furfuris homines, ex eo potissimùm ducto argumento, quòd nec Ecclesia, nec viri Ecclesiastici, possessiones, aut agros possidere debeant, quia nec Apostoli, nec alij Ecclesiae primores, qui Apostolis successerunt, diuitias vllas possederunt, quia pauperes fuerunt, nihil penitus possidentes, notius est, quàm vt pluribus explicari oporteat. Equidem Lutherus Principibus persuasit, vt bona Ecclesiastica diriperent: quod in multis Germaniae superioris, & Galliae oppidis factum esse per suos sectatores, superioris saeculi abundè testantur Annales.

CAP.

CAP. XXI.

De Ioanne Parisiensi, Dante Aligerio Florentino, Antonio de Rosellis, & Augustino Triumpho de Ancona à calumnijs vindicato.

CVm hos Auctores non inuenerimus, pari censura eum proximè adductis, notatos, dispari loco collocandos censuimus; & vt de singulis certius iudicium proferatur, singulorum dogmata, ex eorum dictis, & libris fideliter priùs recensenda sunt.

§. I.

De Ioanne Parisiensi.

ALbericus de Rosate in l.Cunctos populos. num.20.C.de Summa Trinit.& fid. Cathol.post recensitam opinionem Dantis de Florentia, in libello de Necessitate Monarchiæ, vbi in tertia quæstione Dantes conclusit, Imperialem dignitatem, & potestatem immediatè esse à solo Deo, & quòd ex sola electione competat Imperatori administratio; infert in hæc verba: [Hoc etiam diffusè, & subtiliter probat,& tenet Magister Ioannes Parisiensis, in libello de Potestate Papali, & Imperiali, cap.7.& pluribus Capitibus sequentibus.] Hæc ibi.

Idem Albericus in l.Bene à Zenone n.19. C. de Quadrien.præscript.respondendo ad secundum argumentum de dependentia Imperij à Papa,sic habet: [Non obstat secundùm: quia verum esset, vbi Imperium haberet dependentiam à Papa: sed istud negatur: & dicitur, quòd immediatè à solo Deo,] & paucis interiectis, addit ibidem Albericus hæc verba: [Et hoc valde benè probatur per Magistrum Ioannem Parisiensem, in libro,quem composuit, de potestate Papali, & Imperiali cap.4.vbi quæris: Quid fuerit prius, Regnum, vel Sacerdotium? ex quo libello opinio prædicta mirabiliter, benè, & subtiliter probatur: & ad contraria respondetur.] Hactenus Albericus.

Ex quo patet, hunc Ioannem Parisiensem istam tenuisse sententiam, quam etiam series totius Tractatus benè demonstrat. Eam verò deducebat ex negato Dominio Christi in temporalibus, dicens: [Quòd si non habuit Christus, nec habuit Papa: nec aliquid potuit dare Imperatori: vt necessariò fateri oporteret, Imperialem potestatem à solo Deo immediatè deriuari.] Nam Ioannes hic prædicto libello, c.8. in fine, his verbis conclusit: [Ex quibus patet, quòd cùm Christus, vt homo, non habuerit Dominium in temporalibus, quòd Sacerdos quicumque,vt Christi Vicarius,non habet in eis potestatem à Christo; cùm eis non contulerit, quod ipse non habuit in seipso; dicente in Ioanne: Amen, amen dico vobis: Non est seruus maior domino suo: neque Apostolus maior eo, qui misit illum, & Matth. 10. dicitur: Non est discipulus supra Magistrū neq; seruus supra dominum.] Hæc Albericus à deceptis Magistris errorū deceptus.

Sed respondetur primò, istam sententiam esse contra veram, & communem opinionem Doctorum affirmantium, potestatem sæcularem non esse immediatè à Deo tributam Principibus sæcularibus: sed mediante hominum ministerio ipsis quæsitam; videlicet, vel per electionem; vel per hæreditariam successionem; vel per donationem, vel iure iusti belli. Sic conformiter rectè sapientes Theologi, & Canonistæ docuerunt.

Petrus Cardinalis Bertrandus Tract.de Origine Iurisdictionum. quæst. 2. num. 10. vers. [Et differt hæc potestas quantùm ad suam primam originem.

Et Durandus Episcopus Meldensis, Tract. de Iurisdictione Ecclesiastica, quæst. 2. circa finem. §. Differt hæc potestas.

Et Ioannes Cardinalis de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 1. capit. 90. incip. Otiosa necessitate, paulò post principium. vers. Secundò potestas spiritualis.

Et Ioannes Driedonius lib.1.de Libertate Christiana cap.15.

Et Alfonsus de Castro lib.1.de Potestate legis pœnalis, paulò post principium, vers. Est alia potestas laica.

Et copiosè Panormitanus in cap.Nouit. de Iudic.num.12.vers.Sed hæc potestas, vbi expressè docet sæcularem potestatem non deriuari in Principem sæcularem immediatè à Deo.

Idem tenet, & latè probat Ioannes Antonius Cardinalis Alexandrinus, vulgò Præpositus, in cap. Cùm ad verum. num.2. in responsione ad secundum argumentum 96. distinct.

Idem Præpositus in cap. Duo sunt 96. distinct. num.3.

Immò Baldus in lib.1.C.de Sum. Trinit. num.12. Imperium immediatè a populo processisse, confitetur: de quo est textus expressus in §. Sed, & quod Principi Instit.de Iure natural.Gent.& Ciuil.ibi [Populus ei, & in eum omne imperium, & potestatem concessit.

Demum initio huius sæculi, eamdem hanc sententiam, & verè, & latè docuit Mag. Fr.Laurentius de Ayala, Ordinis S.Benedicti, Tract.de Politia, & immun.Eccl.par.4.cap.2. & multis seqq.

Secundò respondetur, istam opinionem, à prædicto fonte procedentem, valde commouisse Ludouicum Bauarum ab Ecclesia excommunicatum, ad edendam Constitutionem Schismaticam: quam recitat Albericus in dicta l.Bene à Zenone num.16. vers. Licèt iura, & aliquot sequen.quam publicauit Coloniæ, per quam Schismaticus schismaticè declarauit, Imperialem dignitatem, & potestatem esse immediatè à solo Deo: & Imperatorem ex sola electione esse verum Regem, & Imperatorem Romanorum censendum.

Tertiò respondetur, propositionem asserentem, Principes sæculares habere immediatè à Deo summam potestatem; esse falsam temerariam, Schismatis inductiuam, erroneam

in fi-

in fide, & seminarium insignium errorum, quos Ecclesiasticæ auctoritatis hostes inde nectere consueuerunt: vt latè probauit idem Ayala paulò ante relatus.

Neque obstare iura Canonica, & Ciuilia, quibus olim Marsilius de Padua, & alij hæretici vtebantur, in cap. Si Impera. 96. distinct. & in cap. Quæsitum 23. quæst. 4. & in Maiorit. & obed. & in l. Deprecatio vers. Ego quidem mundi Dominus ff. ad legem Rhodiam, de iactu, & in Authent. de Instrumentorum cautione. §. Qui igitur. Quibus quandoque dicitur: Imperium diuinitus constitutum: quandoque à solo Deo esse: quandoque, à cælesti Maiestate habere gladij potestatem, vt in l. 1. in principio C. de Vet. iure enuclean.

Quoniam, omissa super hoc articulo longissima responsione, quam ad singula infra adhibuit Rodericus Sancius Episcopus Zamorensis, in lib. de Origine, & differentia Principatus Imperialis, & Regalis. par. 1. fol. 36. §. Quo sensu Imperium est à Deo. breuiter respondemus; ideo Imperatores, Principes, & Reges dici à Deo constitutos, vel à Deo habere potestatem: quoniam Imperia, Principatus, & Regna legitimè constituta fuerunt, secundùm rectam rationem, quam Deus hominibus indidit: vt verè docuit Durandus Episcopus Meldensis Tract. de Iurisd. Eccles. quæst. 1. & Petrus Cardinalis Betrandus Tract. de Origine Iurisdictionorum, quæst. 1.

§. II.

De dante Aligerio Florentino.

AD Dantem Aligerium facilior erit responsio; si primùm, quid de hac materia senserit, fuerit intellectum. Franciscus Cardinalis Zabarella in cap. venerabilem. de Elect. §. Verum num. 6. vers. De superioritate etiam Papæ. sic scribit de opinione Dantis. [De superioritate etiam Papæ ad Imperatorem, multi se vexant: aliqui in ostendendo, quod Imperator subsit Papæ: aliqui quòd è conuersò: vel quòd saltem Imperium immediatè sit à Deo: & hoc vltimum tenet Dantes in libro, quem fecit de Monarchia, & Marsilius de Menandrino de Padua.] Hæc Zabarella.

Albericus de Rosate in l. Cunctos populos. num. 20. Cod. de Summa Trinitate, & Fide Catholica, versic. Tertio an auctoritas. Eandem sententiam attribuit Danti in hæc verba: [Tertio, an auctoritas Monarchiæ dependeat à Deo immediatè, vel ab alio Ministro, seu Vicario. Quod ex sola electione competat sibi administratio tantùm, Innocen. in dicto. cap. Venerabilem, de Elect. argumen. Gloss. Quod sicut, ibi: vel suam auctoritatem habet ex electione, & hoc idem tenet Dominus Dantes in solutione prædictæ vltimæ quæstionis. Hæc Albericus.

Idem Albericus in l. Bene à Zenone. C. de Quadrien. Præscript. Præscript. num. 19. vers. Et hoc valde bene, & Licet hoc communiret. Eandem opinionem tribuit Danti in prædicto libro de Monarchia, prætitulato,

Bartolus in l. 1. §. Præsides, num. 3. & 4. ff. de Requir. reis, occasione quæstionis, ibi per eum excitatæ. An vnus Iudex, vel Princeps possit citare alium in territorio alterius, refert opinionem Dantis in hæc verba: [Et hoc prone tenemus illam opinionem, quam tenuit Dantes, prout illam comperi in vno libro quem fecit, qui vocatur Monarchia, in quo libro disputauit tres quæstiones, quarum vna fuit. An Imperium dependeat ab Ecclesia? & tenuit, quòd non: sed post mortem suam, quasi propter hoc fuit damnatus de hæresi. Nam Ecclesia tenet, quòd Imperium dependeat ab Ecclesia, pulcherrimis rationibus, quas omitto.] Hæc Bartolus.

Sanctus Antonius par. 3. Historiali. tit. 21. cap. 5. §. 2. cuius titulus est: [Dantes Poeta Florentinus, & eius errores.] notat errores: quos dixit in Comœdia vulgari sermone conscripta: & in libro, quem prætitulauit, Monarchiæ, dicit: [Illum fuisse in tres partes distinctum: inquarum prima probat Monarchiam, id est, regimen per vnum principalem hominem, esse optimum regimen, & mundo necessarium: In secundà ostendit, talem Monarchiam non perfectè fuisse in Monarchia Assyriorum, nec aliorum succedentium, sed in Romano Imperio: In tertia verò parte vult probare, sed malè, ita Monarchiam esse in Imperio Romano, & Rege Romanorum, quòd nullam dependentiam habeat à Papa, sed à solo Deo: nisi solùm in pertinentibus ad forum animarum, non in temporalibus. Et in hoc errauit cùm potestas Imperialis, & regimen subalternetur Papali, vt minor maiori: sicut, & Luna signans Imperium, illuminatur à Sole signante Vicarium Christi vt lumine maiori. Quod colligitur distinct. 96. cap. Duo sunt. Vnde, & vtrumque gladium Papam habere, frequenter disputando concluditur.] Hactenus sanctus Antoninus. Ex quo clariùs, quàm ex prædictis, constat, duos errores tenuisse Dantem, haustos ab illo fœtido fonte, de quo multi tempore Ioannis XXII. in Schismate Bauarico lethaliter biberunt: Vnum, quòd potestas Imperialis à solo Deo dependeret; quem cæteri tunc errantes, & Bauaro adulantes profitebantur: Alterum, quòd Imperium non tenebatur recognoscere Papam in temporalibus, sed tantùm in spiritualibus. Vnde auferebat à Papa potestatem super temporalibus, quod est hæreticum: sicut iam tunc clarè per tres Pontifices diffinitum extabat; videlicet, per Stephanum Secundum in cap. Omnes 22. distinct. per Gregorium Nonum in Epistola ad Germanum Patriarcham Constantinopololitanum, & per Bonifacium Octauum in Constitutione incip. Vnam sanctam. tit. de Maiorit. & obedien. quod verè agnouit hoc loco sanctus Antoninus, asserendo, errasse Dantem. Meritò itaque Bartolus, post mortem, eum fuisse quasi de hæresi damnatum, affirmat: quia iam tunc prodierant Pontificiæ Constitutiones, huiusmodi propositiones condemnantes: vt iure propterea Dantis Monarchia in Indice Librorum prohibitorum fuerit collocata.

Illud

Illud hoc loco breuiter adiungam, quod notauit Præpositus in cap. Cùm ad verum. 96. dist. in Responsione ad quintum Argumentum; nempe, hunc Dantem in sua illa periculosa Monarchia dixisse, non esse credendum Decretalibus, de primatu Papæ supra Imperatorem loquentibus; Quod est, inquit, contra Innocentium in cap. Licèt ex suscepto, de Foro competen, & Archidiaconum in cap. 1. distinct. 10. & contra textum in cap. 1. distinct. 10. & contra textum in cap. Si ad Scripturas, distinct. 9. & alios sacros Canones, ibidem à Præposito allegatos.

Muniebat Dantes suam opinationem eisdem argumentis, quibus alijs errantes vtebantur; & in primis vulgato illo Christi responso ad Pilatum: Regnum meum non est de hoc mundo, vt constat ex illius Monarchia lib. 3. prope finem. vers. Item illud; quo planè testimonio, vt supra ostendimus, contrarium pro veritate patenter comprobatur.

§. III.

De Antonio de Rossellis.

AD Antonium de Rosellis Tract. de Potestate Imperatoris, & Papæ. Respondetur primò, nullum Catholicum eius auctoritate moneri debere; vt teneat contra Regnum & Dominium Christi vniuersale super temporalibus; cùm ipse, post relata argumenta, pro veritate in §. Hæc sunt, confiteatur, contrariam sententiam esse communem plurimorum Doctorum sacræ Theologiæ, & excellentissimorum Doctorum Decretorum; doleatque; in ea fuisse maximæ sapientiæ Bartolum in Extrauaganti: Ad reprimendum in principio, in verbo totius Orbis.

Secundo respondetur, Antonij de Rosellis Aretini tract. de potestate Imperatoris, & Papæ, & de Concilijs, in Indice Librorum prohibitorum recenseri meritò interdictos, donec expurgentur, quia reuera multis scatent erroribus, & ideo ex similibus Auctoribus periculosa argumenta petuntur; præsertim cùm Antonius iste non alia, quàm contra Ecclesiam, hostilia induat arma.

§. IV.

De Augustino de Triumpho de Ancona à calumnijs vindicato.

CVm in quibusdam Voluminibus Iuris Canonici, Lugduni præsertim impressis anno 1553. in quadam Additione posita in principio Constitutionis Ioannis XXII. incip. Cùm inter nonnullos, tit. de Verb. signif. referret Auctor, quisquis ille sit, Guilielmum Okam, & Michaelem de Cesena, audaci animositate ausos contra Papam rebellem ceruicem erigere, & eam constitutionem impugnare; addit, Michaelem habuisse fautores, non solùm sectam suam, sed aliorum quoque Mendicantium; inter quos recenset Augustinum de Ancona in libro de potestate Ecclesiastica, quæst. 78. & sequen. cuius additionis auctoritate ductus, superioribus annis, idem affirmaui in Commentarijs ad Directorium Inquisitorum, lib. 2. Commentat. 31. super q. 15. de Hæresibus Beguardorum, & Beguinorum.

Ceterùm, quia postea te diligentiùs considerata, aliter eam se habere deprehendi, & sententiam mutaui, & publicè professus sum in Notula, meo nomine edita, & præfixa eidem quæstioni 78. in impressione Romana eiusdem summæ, anno 1582. vbi animaduerti, nusquam cum Fratricellis sensisse Augustinum de Ancona; immò verò ab illorum errore procul abfuisse. Docuit quidem ille Iesum Christum statum paupertatis assumpsisse; sed eam paupertatem non fuisse coactam, & necessariam; sed voluntariam, habentem, scilicet, annexam rerum temporalium abdicationem, & ad nostræ imitationis congruentem, & mendicum fuisse, non negat; cùm sacris literis affirmerit, Christum egenum fuisse; vt supra competentibus locis explicauimus; sed nusquam negat, eum fuisse Regem, & rerum omnium proprietatem habuisse: cùm eius Regalem dignitatem agnouerit in eadem Summa, quæst. 1. artic. 7. quem meritò proptereà nos supra cap. 9. §. 2. inter Assertores Regni Christi, ex venerabili Religione Augustiniana recensuimus.

Non licet ergo, ex dictis in prædicta quæst. 78. virum doctum ad classem Fratricellorum referre. Similiter non licet, id affirmare, ex traditis in quæst. 79. vbi egit de Christi proprietate: nam articulo primo verè ait, Christum non habuisse proprium, quod opponitur fraternæ charitati, quod est auarorum: nec quod opponitur vitæ communitati, quod est laicorum; sed non ait, illud non habuisse, aut habere non potuisse, iure domini, sibi multis rationibus competentis.

Rursùs articulo 2. apertè censet, Christum in communi cum Apostolis habuisse non diuitias naturales, qualia sunt prædia, domus, armenta, & similia; quod Regni Christi assertores libenter profitentur: habuisse tamen diuitias artificiales, quæ numismate mensurari possunt. Nam Ioannes cap. 13. testatur, loculos habuisse Iudam; vnde in cap. Habebat, 12. quæst. 1. ex sancto Augustino retulit Gratianus hæc verba: [Habebat Dominus loculos: & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat.]

Addit rursùs Augustinus Triumphus, Christum condescendentem necessitatibus infirmorum, habuisse sumptus: quod etiam affirmauerunt sanctus Augustinus in libro de Opere Monachorum, & super Psal. 103. Concione 3. veri. Producens fœnum iumentis, & sanctus Thomas Opusculo 19. incip. [Ecce inimici tui sonnerunt,] quod est conforme Papalibus Constitutionibus Nicolai Quarti, in cap. exijt. §. Porrò, de verb. signif. lib. 6. & Ioannis XXII. in Constitutione incip. [Quia quorumdam,] eodem tit. Iam quo modo is loquendi modus intelligi debeat, explicat Caietanus 2. 2. quæst. 188. artic. 7. & Turrecremata in cap. Exemplum, 12. quæst. 1.

Prætereà, cùm artic. 3. eiusdem quæstionis 79. quærit: Vtrùm Christus res sibi oblatas

tas posset conuertere in proprium vsum? verè affirmat, in suum vsum, & discipulorum conuertisse, & cætera pauperibus erogasse.

Demùm cùm art.4. concludit, Christum habuisse vsum rerum sibi concessarum, & dominium vsus; per dominium vsus intellexit dominium verum, & reale rerum vsu consumptibilium, quas habuit Christus; quarum rerum dominium, cum ad differentiam dominij rerum immobilium: tum etiam, quia sit inseparabile omninò à rebus ipsis vsu consumptibilibus, & cum eisdem vsu etiam consumatur: vt docuit Ioannes XXII. in Constitutione incip. [Quia quorumdam,] & in alia incip. [Ad conditorem Canonum,] tit. de verb. signif. ideò vocatur non dominium rei, sed dominium vsus, vt præter Augustinum de Ancona præclaro loco, docet Turrecremata in cad. Exemplum, 12. qu. 1. num. 10. Inde apparet, Augustinum, iuxtà prædictas Ioannis XXII. Constitutiones, non solùm sensisse, Christum rerum oblatarum habuisse vsum, sed etiam expresse docuisse, cum habuisse simul earum vsum, & dominium etiam verum; quod appellat dominium vsus.

Ex quibus constat, procul omninò ab erroribus Fratricellorum eum abfuisse: nec fas esse, aliter sentire de egregio Doctore, qui pro defendenda Pontificia auctoritate, & potestate, quam eo sæculo Fratricelli, & eorum Auctores impiè euertere conabantur, sub Ioanne XXII. Opus illud scripsit. Demum numquam verè demonstrabitur illum sensisse, Iesum Christum pauperem vitam egisse (quod nemo Catholicus negauit vnquam) rerum dominio, & proprietate caruisse.

CAP. XXII.

Doctoribus quibusdam Christianis, ex Iudaismo conuersis, & præcipuè Paulo Burgensi, & Hieronymo de Sanctafide, breuiter etiam respondetur.

Aliquot Doctores Christiani, ex Iudaismo conuersi, Regnum Christi spirituale esse tenuerunt: in his sunt Paulus de sancta Maria, vulgò Paulus Burgensis, in Dialogo, cui titulum fecit, Scrutinium Scripturarum. distinct. 7. vbi cap. 1. nititur ostendere, quòd per visionem Danielis cap. 2. de illa statua, quam vidit Nabuchodonosor, intelligitur, quòd per Christum erat extirpanda Idololatria de Regnis principalibus mundi. In capit. 2. respondet tacitæ obiectioni: cur adhuc non appareat Idololatria omninò extirpata? In tertio conatur ostendere, quòd visio statuæ applicatur primo Christi aduentui; visio autem de bestijs applicatur secundo. In quarto rursùs prosequitur susceptum propositum; quòd licet cultus Idolorum, post passionem Christi, in quibusdam partibus mundi permanserit; tamen totus simul intelligitur amoueri, per lapidis percussionem sine manibus abscissi. Et postquam in sequentibus Capitulis alia huc spectantia tradidisset, cap. 7. concludit in hæc verba: [Regnum Ecclesiæ, seu Regnum Christi, non est regnum mundanum, seu terrenum: sicut Regnum Romanum, aut aliud de ceteris Regnis huius mundi. Vnde & Christus expresse dicit Ioannis 18. Regnum meum non est de hoc mundo, quæ quidem auctoritas sola sufficit, ad cogendum Fideles, vt ponant differentiam substantialem inter Regnum Ecclesiæ, & cetera regna supradicta. in hoc, scilicet, quòd cetera regna sunt terrena, seu mundana, vel temporalia; Regnum verò Christi, & Ecclesiæ suæ non est mundanum, sed cæleste, vel spirituale, seu diuinum: vnde & communiter in sacris literis nostris vocatur, Regnum Cœlorum, & Regnum Dei, & huiusmodi.] Hactenus Paulus Burgensis.

Pro responsione primùm animaduertendum putamus, Iudæos, quibus Christi Regis aduentus diuinitùs fuerat promissus, communiter putauisse, eum temporaliter, more aliorum Regum, cum regio ornatu, & satellitio temporali regnaturum: quod maximè credidisse Herodianos, Auctor est S. Epiphanius in Panario, lib. 1. tom. 1. contra Herodianos, hæresi 20. in hæc verba: [Post hanc, & has Sectas rursùs septima hæresis erat, Herodianorum appellata, nihil autem habebant hi diuersum: sed toti sunt Iudæi vani, ac hypocritæ. Verùm Herodem putabant hi Christum Dominum, qui in omnibus Scripturis; Legeque, ac Prophetis expectatur: & ob ipsum decepti, Herodem iactabant; inducti ex dicto hoc, vnà cum hoc, quo etiam, in gratiam eius, qui tunc Rex erat, inaniter gloriabantur: Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux ex femoribus ipsius, donec veniret, cui reseruatur: aut velut alia Exemplaria habent: donec veniret, cui restant, quæ reseruantur ipsi.] Hæc Epiphanius. Christiani autem ex Iudaismo conuersi, fortè vt procul ab hoc errore abesse viderentur, Christi Regnum spirituale futurum censuerunt.

Rursùs dicimus, eos, qui verè affirmant Christi Regnum, & Dominium vniuersale super temporalibus, non negare spirituale, quod in eradicanda de toto mundo, per Euangelij prædicationem, Idolatria, & noua lege Euangelica constituenda consistit: sed verè, & constanter asserere, Christum simul fuisse Dominum proprietatis totius Orbis, veriùs, ac perfectiùs, quàm villi vnquam Imperatores, Reges, & Principes fuerint. Christum autem non regnasse temporaliter, libenter confitemur: sed addimus, id non contigisse, quia iure regnare non potuit; sed quia noluit: vt sæpè reperiuimus ex sancto Thoma parte 3. quæst. 59. artic. 4. ad primum argumentum.

Præterea respondemus, quòd si Paulus Burgensis solùm posuit in Christo Regnum spirituale priuatiuè quoad temporale, re vera fuit hallucinatus, ex nota illa Ioannis auctoritate, illegitima interpretatione accepta: [Regnum meum non est de hoc mundo.] Vt paulò antea capitulo 17. §. 4. copiosè docuimus.

Asserimus præterea cauendum Burgensem; cùm ex sua illa opinatione in prædicta distinct. 7. periculosa dogmata inferat: nam cap. 8. affirmat, mundanam, seu temporalem potestatem, quæ est in Papa, & in Ecclesia, non esse essentialem, sed merè accidentalem, & cap. 9. nimis audacter pronunciat, Eccle-

siam

siam habuisse suum esse perfectum, scilicet, spirituale, tempore Apostolorum, & aliorum Discipulorum, antequam temporalem potestatem à Cæsare accepisset. Nam primum aperte falsum est: tum quia Christus vtriusque potestatis iura tradidit Petro, & eius successoribus, cap. Omnes, distinct. 22. ibi. [Qui Christus Beato æternæ vitæ Clauigero terreni simul, & cælestis Imperij iura commisit.] Hæc ibi; quibus verbis nullum istius distinctionis, immò potiùs contrarium, decretum continetur: [tum quia Papa vtriusque potestatis apicem tenet; scilicet, spiritualis, & sæcularis.] Sanctus Thomas lib. 2. Sententiar. distinct. 44. in vltimis verbis: quem alij communiter sequuntur; & signanter Ioannes Cardinalis de Turrecremata, in cap. cùm ad verum 96. distinct. num. 4. vers. Ex quibus omnibus patet. Quibus verbis ista inconstans, & infirma, immò verò falsa, & erronea imaginatio Burgensis, de accidentalitate respectu potestatis sæcularis, euidenter excluditur.

Habet ergo Papa, & Ecclesia propriè, substantialiter, & intrinsecè vtriusque potestatis iura: licèt non eodem modo, sed longè perfectiori, quàm terreni Principes sæcularem potestatem habent; quod præcitato loco Turrecremata eleganter tradidit in hæc verba: [Ex quibus omnibus patet, quòd Romanus Pontifex apicem habeat potestatis, tam spiritualis, quàm temporalis; licèt temporalis non in omnibus, neque secundùm eumdem modum, secundùm quem habetur à Principe sæculari: sed modo digniori, superiori, & perfectiori. Non enim sic habet temporalem, vt exerceat regulariter opera illius immediatè; nisi in casibus supra expressis, & in Iure declaratis, vt in Glos. supr cap. licèt, de foro compet. sed agit opera eius meliori modo, scilicet, imperando, dirigendo, & regulando, & ad suum finem operibus eius vtendo.] Hæc Turrecremata.

Et licèt Ecclesia primis sæculis, propter Principes Tyrannos, non potuerit iura sæcularis potestatis liberè exercere: non tamen caruit iure sibi competente, & in hoc deceptus fuit Burgensis, qui putauit, accidentaliter obuenisse Ecclesiæ, ob factum Constantini Imperatoris; quod tamen longè antea in persona sancti Petri realiter à Christo acceperat.

Alterum verò, de perfecto esse spirituali Ecclesiæ, tempore Apostolorum, & aliorum Discipulorum, antequam temporalem potestatem à Cæsare accepisset, explicatione, & censura indiget. Nam si intelligat Burgensis, perfectionem non posse consistere cum diuitijs, errat: quia, vt verè censuit sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 184. art. 7. in renunciatione propriarum facultatum in actu non consistit essentialiter perfectio; cùm sit quoddam perfectionis instrumentum; & ideò nihil prohibet, statum perfectionis esse sine renunciatione propriorum, vt copiosiùs ostendimus supra cap. 17. §. 3. Quod si in priuatis verum est, multò magis habebit locum in Ecclesia, quæ errare non potest. Hoc autem dogma multam affinitatem habet cum aliquot articulis Ioannis Wicleff, paulò antea relatis, cap. 20. §. 12. quos Concil. Constantiense, sess. 8. condemnauit.

Quod autem ait, Ecclesiam à Cæsare accepisse potestatem; si intelligat, eam acquisiuisse, quæ iure sibi non competebat, vt series disputationis huius Auctoris videtur indicare, falsum planè est: cùm vtramque diuinitùs sanctus Petrus à Christo Domino acceperit, & ad successores Romanos Pontifices transmiserit; quod multis sacrarum Constitutionum capitulis constitutum est, vt supra c. 21. §. 2. cùm ageremus de Dante Aligerio, breuiter indicauimus, deinceps libro 2. copiosiùs tradituri.

Demùm dicimus, Burgensem (si sensit Regnum Christi solùm fuisse spirituale) in ista sententia inconstantem fuisse, quia super Matthæum cap. 1. Addit. 2. conclus. 3. vers. Secunda verò pars, & Regiam Christi dignitatem, etiam temporalem, & successionem ipsius Christi hominis in Regno vniuersali supra omnem creaturam, admisit, & probauit in hæc verba: [Secunda verò pars Conclusionis probatur; nam Prophetæ, per modum successionis ipsius Dauid, Christo Regiam dignitatem attribuebant. Isaiæ, 9. cap. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, quæ quidem verba, & similia, licèt non de Sede, seu Regno temporali principaliter intelligantur, prout verba Isaiæ denotant, ibidem dicentis: sedebit in æternum; nec enim concedendum est, quòd in regno temporali Dauidico Iechonias, à quo Christus descendit, habuit successorem; prophetante Ieremia 22. de ipso Iechonia: Non erit de semine eius, qui sedeat super thronum Dauid; cum hoc tamen stat, quòd, secundùm intellectum minùs principalem, seu figuratiuum, quem totus populus in communi principaliter intendebat, de Regia dignitate, etiam temporali, quæ Christo debebatur per successionem Dauid, talia verba intelliguntur; per quod significabatur successio ipsius Christi hominis in Regno vniuersali supra omnem creaturam, iuxtà illud: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Matth. 28. Ratio autem huius figuratiuæ loqutionis, seu duplicis intellectus, talis est: Nam sicut nostra cognitio de imperfecto ad perfectum naturaliter procedit, vt tactum est, sic eo modo naturale est nobis, ex cognitione corporalium, in spiritualium cognitionem deuenire: Inuisibilia enim Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ad Roman. 1. cap. Quod non solùm habet locum in puris naturalibus, sed etiam in supernaturalibus: vt in mysterijs Ecclesiæ, præcipuè in Sacramentis, quibus sacra inuisibilia, per signa visibilia traduntur. Et ideò, ex diuina præordinatione, vt populus de sensibilibus ad insensibilia connaturali modo reduceretur, Christum, quem constituit hæredem vniuersorum, etiam in Regia dignitate temporali, vt legitimum ipsius Dauid successorem fecit: sic vt ius hæreditarium in ipso regno eidem pertineret, ex tali successione. Quam quidem successionem temporalem contemporanei Christi diligenter attendebant: vt testatur sacra Historia. Nam Apostoli, qui fuerunt super cæteros de mysterijs Christi eruditi, etiam post Resurrectionem, quando iam ipsius gloria erat eis magis manifesta, ab eo quærebant: Si in hoc tempore restituturus es

Re-

Regnum Israel? Act. 1. Quod intelligitur ad litteram, de Regno temporali, credentes talem restitutionem ad Christum pertinuisse: nec Christus pro tunc istum intellectum figuratiuum, seu minùs principalem ab eis exclusit expressè: vt ibidem patet. Fortiùs ergo sentiendum est de cæteris, qui Regnum Dei ignorabant. Cùm igitur successio in Regia dignitate temporali, ad illum etiam, qui, secundùm famam publicam, esset filius, pertineret, vt in primo præsupposito: non ad illum tantùm, qui, secundùm veram generationem naturalem, tantummodò descendit, sequitur quòd Prophetæ testantes, ipsum fore legitimum successorem in Regno Dauid temporali, consequenter præmonstrabant ipsum, secundùm famam publicam, à Dauid descensurum; quod est intentum.] Hactenus Paulus Burgensis.

Hieronymus de Sancta fide, quondam Iudæus, postea ad fidem conuersus, & Benedicti XIII. in sua obedientia nuncupati Medicus, lib. 1. contra perfidiam Iudaicam, c. 11. eamdem sententiam obiter tamen professus, Regnum Christi non esse de hoc mundo, sed eius potestatem merè spiritualem, asseruit. Cęterùm quoniam ex Christi paupertate in primo aduentu ita sentire videtur, non indiget alia responsione, quàm in principio huius Capitis indicata: quæ accommodabitur etiam alijs, si qui sunt de Iudæis facti Christiani, qui eamdem negatiuam sententiam amplectantur.

CAP. XXIII.

Paucis quibusdam Doctoribus Catholicis, ex Christianis antiquis oriundis, qui prætenduntur, Christi Regnum super temporalibus negare, respondetur.

IVxtà ordinem supra cap. 15. indicatum, respondendum est iam Doctoribus Catholicis idem Christi Regnum, & vniuersale Dominium negantibus. Ad quos omnes, primò vnico verbo dicimus, quòd si supradicta, quæ pro sententia affirmatiua deducta sunt, vidissent; aut visa paulò exactiùs, vt in ea eam graui oportebat, considerassent; ab ea procul dubiò assetenda abstinuissent.

Hoc ita constituto, singuli expendendi sunt, eo præsertim nomine, quia in hac classe quidam recensentur, qui negatiuam sententiam minimè afferuerunt.

Ab Alphonso Mendoza, in Relectione de Vniuersali Christi Regno, & Dominio, §. 9. infrascripti commemorantur.

Hermas Letmatius, lib. 7. de Instaur. Religione, cap. 9.

Thomas Waldensis, lib. 2. Doctrinalis fidei, art. 3. cap. 76. & 77.

Ioannes Driedonius, lib. 3. de Dogmatibus sacræ Scripturæ, Tract. 2. cap. 4.

Cornelius Iansenius in Concordia Euangelica, cap. 3. & 141.

Fiuus Hadrianus, lib. 5. Flagelli contra Iudæos, cap. 5. & 6.

Alphonsus Tostadus Episcopus Abulensis, super lib. Numer. cap. 24. qu. 11. & super Matthæum, cap. 20. qu. 63. & super capit. 21. quæst. 30.

Alphonsus de Castro, lib. 3. Aduersùs hæreses, verb. Beatitudo, hæresi tertia.

Sixtus Senensis, lib. 7. Bibliothecæ sanctæ, hæresi 8. super Epistolam ad Hebræos.

Franciscus de Christo, lib. 3. Sententiarum, dist. 4. de Regno Christi, quæst. 6.

Iacobus Naelantus Tractatione 4. Theologica, tit. de Augustissimo Regno Christi.

Idem autem Mendoza, postquam hos Doctores recensuisset, statim adiungit; quosdam verò tacitè, ac latenter id tradere. Sed iam suo ordine singulis respondeamus.

§. I.

Ad Hermam Letmatium.

HErmas Letmatius, lib. 7. de instauranda Religione, cap. 9. non tractat expressè hunc articulum de Regno Christi: sed solùm nititur ostendere, Christum, sæcularem iuris administrationem sæpiùs oblatam, respuisse: quòd neque nos negamus; sed inde non infertur, eum non habuisse dominium, nec sæcularem administrationem exercere potuisse: vt sæpè supra repetitum est.

Rursùs, quamuis de Regno, & Dominio Christi Hermas hic fuisset loquutus, adhuc nullo modo ei esset credendum: quoniam vtitur eisdem Euangeliorum testimonijs, sinistra interpretatione intellectis, quibus olim seductores, & initio etiam huius sæculi Theologi quidam, & Iurisperiti minùs cautè vsi fuerunt: videlicet, ex illo Lucæ cap. 12. vbi rogatus Dominus à quodam de turba, vt diceret fratri suo, vt diuideret secum hæreditatem: Iesus dixit illi: [Homo quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?] Nam legitimus intellectus est, Christum non id dixisse, quia negaret, se habere potestatem omnium; sed ne implicaretur partis, qui magna veneraт perfecturus: præsertim cùm homo ille ad Iudices Ordinarios loci recurrere potuisset; quorum erat, talia immediatè exequi. Sic in terminis, ex sententia S. Ambrosij, respondit Ioannes Cardinalis Turrecremata in Summa de Ecclesia, lib. 2. cap. 116. ad secundum argumentum: vers. Ad probationes. Eamdem solutionem, & diuini Oraculi legitimam intelligentiam esse, dixerunt Petrus Cardinalis Bertrandus Tract. de Origine Iurisd. quæst. 3. num. 37. vers. Et ideò, & Durandus Episcopus Meldensis Tract. de Iurisdictione Ecclesiastica quæst. 3. in solutione ad tertium argumentum vers. Et ideò parui pendit. Quibus locis illustres isti Doctores conformiter responderunt, ideò noluisse Christum subire illud iudicium diuisionis hæreditatis, quoniam homo ille ad minores Iudices recurrere poterat, Franciscus Cardinalis Toletus super Lucam, cap. 12. Annot. 26. in fine, de hac eadem auctoritate disserens, affirmauit, non defuisse potestatem in Christo: sed potestatis exercitium assumebatur non pro voluntate, & arbitrio petentium, sed sua.

Rursus Hermas ex Ioanne cap. 8. producit exemplum de muliere in adulterio deprehensa, quàm Dominus, inquit, non condemnauit. Hoc exemplum minùs aptè commemoratur, cum ex eo Regia auctoritas Christi euidenter probetur, vt supra cap. 14. §. 3. docuimus, & debuit Hermas non solùm dicere quòd Christus ibi mulierem peccatricē non condemnauit, sed addere, quòd absoluit; sicut expressè eā Dominus absoluit, & absolutam dimisit à graui adulterij crimine, cui in lege Mosayca, Leuitici cap. 20. pœna mortis erat imposita.

Tertiò loco idem Hermas ex Ioanne c. 6. aliam proponit auctoritatem de facto Christi [Qui cùm cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent Regem, fugit iterum in montem solus.] Sed animaduertendum, ex hoc facto, fucata interpretatione declarato; olim Schismaticos idem argumentum nexuisse, in quo etiam Antonius de Rosellis Tract. de Potestate Imperatoris, & Papæ 5. Sed quòd Christus. num. 4. vers. Quòd etiam Christus, & num. 5. vers. Fugit Christus. principale contra Ecclesię auctoritatem constituit fundamentum.

Ceterum verus intellectus, & germana interpretatio grauissimorum Auctorum falsum commentum excludens, veritatem pro affirmatiua sententia Regni Christi facilè ostendit. Nam sanctus Thomas super eodem loco Ioannis cap. 6. ita scribit. [Sed cum ipse sit verè Rex, quare fugit? ad quod triplex ratio assignatur, Vna, quia derogasset dignitati eius, si regnum ab homine recepisset, quia sic Rex erat: vt eius participatione omnes reges essent. Prouerb. 8. Per me reges regnant. Alia ratio, quia præiudicasset suæ doctrinæ, si claritatem, aut robur ab hominibus accepisset, sic enim operabatur, & docebat: vt totum virtuti Diuinæ ascriberetur, & non fauori humano: supra 5. Claritatem ab hominibus non accipio. Tertia ratio est, vt erudiret nos, mundanas dignitates contemnere.] Hactenus Sanctus Thomas.

Eamdem interpretationem vno consensu amplexi sunt Petrus Cardinalis Bertrandus, Tract. de Origine Iurisdict. quæst. 3. ad tertiam rationem num. 37. vers. Fugit etiam.

Et Augustinus de Ancona in Summa de Potestate Ecclesiastica quæst. 1. artic. 7. ad tertium argumentum.

Et Durandus Tractatu de iurisdictione Ecclesiastica. quæst. 3. post medium, vers. Fugit etiam.

Et Ioannes Cardinalis de Turrecremata in Summa de Potestate Ecclesiastica lib. 2. cap. 116. ad secundum argumentum, vers. Ad secundam probationem.

Et Præpositus in cap. Cùm ad verum 96. distinct. num. 4. ad nonum argumentum vers. Et dum dicitur, quòd ipse fugie.

Vltimo loco Hermas ex eodem Ioanne cap. 18. vbi Christus Dominus respondens Pilato, dixit. [Regnum meum non est de hoc mundo. [deducit vulgare argumentum, ad quod paulò antea cap. 17. §. 4. copiosè responsum fuit.

§. II.

Ad Thomam Vualdensem.

THomas Waldensis lib. 2. Doctrinalis fidei, artic. 3. cap. 76. & 77. apertè negatiuam profitetur sententiam: sed leuibus nititur fundamentis, & partim accuratè expendit Doctorum auctoritates, nec eum vidisse primarias à nobis initio huius libri recensitas, series disputationis eius indicat. Demum eùm cap. 77. valde hæreat illi auctoritati. Regnum meum non est de hoc mundo, cuius legitimam explicationem supra copiosè tradidimus, non video quantam fidem illi liceat adhibere.

§. III.

Ad Ioannem Driedonium.

IOannes Driedonius lib. 3. de Ecclesiasticis Scripturis, & Dogmatibus tract. 3. cap. 3. de Gemino aduentu Christi, paulò post medium, vers. Ex his iam consideratis, ex obiectione carnalium Iudæorum contra Christi aduentum; putantium multa illum temporaliter operaturum; quæ nondum Iudæis videntur fuisse adimpleta, non obscurè victus, ita confugit ad spirituale Christi Regnum asserendum. vt non omninò temporale negasse videatur.

Quod de spirituali Christi Regno profert; & probat Driedonius, asserendo, Ecclesiam Regnum Christi dici libenter amplectimur, & profitemur, sed non negamus temporale Dominium, quod iure, & verè negari non potest.

§. IV.

Ad Cornelium Iansenium.

COrnelius Iansenius Episcopus Gandauensis cap. 3 Commentar. in Concordiam Euangelicam, super illis verbis, Dabit illi Dominus, quamuis affirmet, Regnum Messiæ dici sedem, & regnum Dauid, non quod temporale esset, sensibile; & terrenum, sed quod in regno Dauidis fuerit adumbratum, & paulò post addat, Christum regnaturum primum super Iudæos credentes, deinde verò etiam super Gentes, non tamen negat Dominium temporale, quin potiùs illud adstruere videtur in hæc, verba. [Ita & Christus, quamuis, omninò omnibus dominetur, secundùm quòd homo etiam modò, Data est enim, inquit, mihi omnis potestas in cælo, & in terra, & dominaturus sit omnibus perfectissimè, cum subiecerit illi Pater omnes inimicos sub pedibus eius, tamen dicitur hic regnaturus in domo Iacob, quòd fidelea esset affecturus ab omnibus Tyrannis, quodque hi soli sponte illius se regno submitterent, & cum eo felicitatis regni eius participes essent.] Hæc Iansenius.

Sensit ergo, Christum omnium fuisse Domi-

Dominum, & verè Regem, licet regalis solij possessionem non obtinuerit; vt idem Iansenius indicat ibidem, vers. Veruntamen regalis solij possessionem, nec aliud asserit in eadem Concordia cap. 143. super illis verbis. [Tunc crucifigunt eum eo. Itaque delendus est Iansenius de Catalogo negantium Christi Dominium, & collocandus in seriè affirmantium, sicut verè à nobis collocatus fuit supra cap. 9. §. 5.

§. V.

Ad Finum Hadrianum.

AD Finum Hadrianum, qui in Flagello contra Iudæos lib. cap. 6. Regnum Messiæ asseruit esse spirituale, breuiter respondetur, illum ita se sensisse, sed nota illa responsione Domini, minùs sincerè intellecta apud Ioaonem cap. 18. [Regnum meum noo est de hoc mundo, visum fuisse.

Et eum tandem eodem cap. 6. non procul à fine, doctrinam Pauli Burgensis à nobis paulò antea animaduersam, de accessoria, & accidentali potestate Papæ, & Ecclesiæ super temporalibus, amplexus fuerit idem quod de Burgensis doctrina iudicium fecimus, de huius Hadriani sententia faciendum putamus.

§. VI.

Ad Alphonsum Tostadum.

AD Alphonsum Tostadum super num. cap. 24. quæst. 11. incip. Alio modo potest exponi, & super Matth. cap. 20. quæstio. 63. incip. Sed quare honorem, & super eumdem Matthæum cap. 21, quæst. 30. incip. Quæritur cùm hic Matthæus, respondetur, in prima allegatione nihil contineri; quod ad hunc articulum pertineat. cum Tostadus ibi solùm doceat, eam Prophetiam mixtim de Christo, & Dauid intelligi posse.

In secunda allegatione solùm interpretatur, cur mater Iacobi, & Ioannis, maximum honorem à Christo petendo pro filijs suis, dixerit, [Dic, vt sedeant hi duo filij mei.

Demum in tertia allegatione potius confirmat sententiam affirmatiuam, dum exponendo illa verba, [Ecce Rex tuus venit, loquitur in hæc verba, Dixit autem Rex tuus quia de Messia loquebatur, qui Rex erat, de semine enim Regali Dauid erat, & cui promissum erat, quòd regnaret. Lucæ 1. & Ierem. 23. Dixit autem, tuus non quasi solùm gentis Iudæorum Rex esset: quia non erat futurus Rex carnaliter, id est, temporaliter sicut Dauid, & Salomon, qui præesset solùm genti Iudæorum; sed est Rex omnis terræ Deus.

Hactenus Tostadus, qui non negat temporale Christi Dominium tametsi fateatur, ipsum non fuisse sessurum Regem temporaliter, sicut sedernot Dauid ac Salomon, qui exiguo tempore regnantes, morte intercedente, reges esse desieruot.

Relictis ergo his locis, recurrendum est ad eumdem Tostadum; qui cum ex professo apud eumdem Matthæum cap. 25. quæst. 327 articulum disputaret, in Christo, secundum humanam naturam, auctoritatem Dominij esse probanit, & propterea supra cap. 9. §. 5. meritò Tostadum recensuimus inter Doctores, qui affirmatiuam sententiam profitentur.

§. VII.

Ad Alphonsum de Castro.

AD Alphonsum de Castro, lib. 3. aduersùs Hæreses in verbo Beatitudo Hæresi vers. Rursum Gabriel Angelus affirmantem aduersus Origenem, beatitudinem esse perpetuam, & ad id propositum allegantem illud, quòd Lucæ cap. 1. Angelus dixit ad Beatam Virginem: [Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis, & dicentem, domum illam Iacob esse gloriam cælestem, breuiter respondemus, verum docere Alphonsum. & nos cum illo sentire, sed eum nullo pacto Regnum Christi, & vniuersale Dominium negare.

§. VIII.

Ad Sixtum Senensem.

AD Sixtum Senensem lib. 7. Bibliothecæ sanctæ, de epistola sancti Pauli ad Hebræos, Hæresi 8. in dilutione obiectorum, ou. 3. dicentem. [Restat ergo, vt hæc coopleta sint; io Christo filio Dauidis secundùm carnem: cuius domus, hoc est, coetus fidelium, in sempiternum fuit, eritque fidelis, cuius Regnum, hoc est, Ecclesia Christianorum, in perpetuum est, iuxta Danielis sententiam. Potestas eius potestas æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur.] Hæc ille, dicimus, Catholicam tradere veritatem & nos cum illo sentire libenter profitemur, sed nihil inde consequi: quod vniuersali Christi Regis Dominio sit aduersum, quia in coetu ipso fidelium, idest, in ipsa Catholica Romana Ecclesia, quam thronus, seu solium Dauidis præfigurauit, quod Christus perfectius erexit: quàm sub Dauide regnante fuerit, vtraque potestas spiritualis, & temporalis constituta, vtraque stabilita fuit, Christus enim cùm Ecclesiam fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, beato æternæ vitæ Clauigero terreni simul, & cælestis imperij iura commisit, vt testatur Nicolaus Papa in cap. Omnes 22. distinct.

§. IX.

Ad Franciscum à Christo.

AD Franciscum à Christo Lusitanum, in Commentarijs super lib. 3. Senten. distinct. 4. quæst. 6. Conclusione priori; asserentem. Regnum Christi non fuisse temporale, sed spirituale, ad saluandas animas diuinitùs comparatum, respondetur, eius sententiam; eo potissimùm nomine præcauendam,

dam, quod eam munierit eisdem auctoritatibus, minùs candidè intellectis, quibus, qui contra Ecclesiam pugnauerunt, & adhuc pugnare non desistunt, errores suos persuadere conabantur. Nam iste Franciscus à Christo, à Christi temporali Regno discedens, illa commemorat testimonia, quorum vera intelligentia paulò antea fuit copiosè tradita, videlicet, Luc. cap. 12. [Quis me constituit Iudicem, & deuisorem inter vos.] & Ioannis cap. 18. [Regnum meum non est de hoc mundo.

§. X.

Ad Iacobum Naclantum.

AD Iacobum Naclantum in Enarratione de Augustissimo Regno Iesu Christi Saluatoris nostri dicitur, quòd licèt ipse in principio vers. Quia Regnum Christi, ad animas prædictum Christi Regnum coarctauerit, nihilominùs paulò post, vers. Ergo absolutis quatuor; &c. confitetur, etiam in Natiuitate Christum factum Regem, & Christum ab Angelis pastoribus dictum & à Magis vti Regem adoratum, & à Pilato tamquam Regem scriptum, & crucifixum, Regnum tamen non possedisse. quod nos etiam confiremur; Neque enim ita asserimus Christum Regem, vt sæpe monuimus, vt eum more Regum temporalium sedisse dicamus, non quia non potuit: sed quia noluit.

Et quamquam Naclantus apertè negatiuam sententiam profiteretur, adhuc parum vrgeret eius auctoritas, cùm nullis validis fulcimentis munita videatur, & tam in hac, quam in alijs Tractationibus, quid concludere velit, sæpe vix intelligatur.

Hactenus suo ordine responsum est Doctoribus, quos Alphonsus Mendoza in relectione de vniuersali Christi Regno §.9. commemorauit, vnde constat, paucos negatiuam sententiam tenuisse.

Alios paucos tamen hic consulto omisimus, vel quoniam in huius libri discursu à competentibus locis nominatim cum sua censura recensuimus, vel quia ex seriè dictorum, qualis eorum doctrina foret, perspicuè poterat apparere, cùm non alijs armis, quàm iam sæpe victis, & fractis certauerint.

CAP. XXIV.

Historiam, quàm ex Hegesippo recenset Eusebius Cæsariensis, non officere Regno Christi super temporalibus.

COnsequenter iuxta seriem sup. cap. 15. indicatam, respondendum est ei historiæ, quàm ex Hegesippo recenset Eusebius Cæsariensis lib.3 Historię Ecclesiast. cap.15. in hæc verba. [Cùm Domitianus ipse omnes Dauidis stirpe, & familia proseminatos è medio penitùs tolli iussisset: vetus fama est, Iudæ posteros (hunc fratrem Saluatoris secundùm carnem fuisse liquet) vtpote qui non à Dauide solùm suum genus, sed etiam ab ipso Christo sanguinis coniunctionem ducerent, à quibusdam sectarum Iudaicarum sautoribus in iudicium esse vocatos. Quæ quidem Hegesippus quoque ad verbum explicat hoc modo: Alij ex genere Domini Saluatoris orti, nepotes Iudæ (qui frater illius secundùm carnem dicebatur) adhuc erant superstites: quorum nomina maleuoli detulerunt, tamquàm ex stirpe Dauidica genus suum deriuantium. Istos verò quidam nomine Iocatus ad Cæsarem Domitianum deduxit. Hic enim de aduentu Christi, vt Herodes iam olim, metu erat non exiguo perculsus. Qui cùm ab illis rogasset: Vtrum essent ex genere Dauidis procreati: ita tem se habere, planè confessi sunt. Tandem ei ab ipsis sciscitanti, quot & quantas haberent possessiones, & quantam pecuniarum summam? vterque responsum dedit, solùm nouem millia denariorum sibi suppetere, & dimidiatam tantummodò partem ad singulos ipsorum spectare; istasque facultates non in argento se possidere, dicebant: sed in censu agrorum, qui solùm continebant iugera triginta nouem, ex quorum fructibus se non modò vectigalia pensitare, sed etiam suam ipsorum vitam in eisdem labore, & industria colendis, sustentare asseruerunt. Suas deindè manus, quæ pro ipsis laborum suorum testimonium dicerent, ostendere cœperunt: corporis item duritiam, & callum ab opera assidua, & diligentia contractum, qui in eorum manibus, tamquam vestigia laborum susceptorum impresserat, demonstrare. Rogati etiam, vt de Christo, & Regno eius, quodnam esset, & quando, quoue loco existeret, rationem redderent: illud non mundanum, & terrestre esse, sed cœleste, & Angelicum: quod in ipsa sæculi consummatione declarandum foret, quando Dominus cùm gloria, & maiestate è cœlo descendens, de viuis, & mortuis esset sententiam dicturus, & cuique mercedem, secundùm opera, & vitæ officia, redditurus. Vnde Domitianum nihil mali contra eos decreuisse; sed tamquam abiectos, & simplices aspernatum, liberos illos quidem dimisisse; atque adeò destitisse à persecutione, quàm ex decreto contra Ecclesiam instituerat. Istos ita periculo, & crimine solutos, deinceps, tum quòd testes Domini erant, tùm quòd eius stirpe generati putabantur, Ecclesijs præfuisse: & pace iam in Ecclesia constituta, ad Traiani vsque tempora vitam propagasse. Hactenus Hegesippus. Eodem accedit Tertullianus, qui talem Domitiani facit mentionem: Tentauerat, & Domitianus, portio Neronis, de crudelitate: sed quia & homo, facilè cœptum repressit: restitutis etiam; quos relegauerat.] Hactenus Eusebius. Eumdem locum, & historiam recenset etiam Nicephorus lib.3. histor. Ecclesiast. cap. 10.

Auctoritas Tertulliani, ab Eusebio hic allegata, habetur in Apologetico aduersus Gentes cap. 5. §. Consulite Commentarios vestros. Eiusdem historiæ meminit Paulus Orosius lib. 7. cap. 10. in fine.

Ad hoc argumentum ex prædictis patet responsio, & præsertim ex deductis supra cap. 17. §. 4. cùm responderetur ad illud Domini,

mini, Ioannis 18. [Regnum meum non est de hoc mondo. Nam propter hoc non negauit, se esse Regem: verè enim Rex erat, licèt non ex causis mundanis, sed ex Diuina, & cœlesti.

Rursùs Regnum eius non fuit mundanum, & terrestre: quia non regnauit temporaliter more Regum terrenorum. Descendentes ergo ex progenie Dauid, & ex genere Saluatoris, prædictis consentanea sentientes, verè, & prudenter Domitiano responderunt, Iesu Christi Regnum non esse mundanum, sed cœleste, & Angelicum, in qua responsione illam iam dubitationem exuerant, super qua Act. cap. 1. post Resurrectionem: [Qui conuenerant interrogabant eum dicentes: Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel?] multi enim de Discipulis Christi (vt ibi scribit Nicolaus de Lyra) de Regno eius adhuc carnaliter sentiebant: videlicet, nondum recepta Spiritus sancti gratia, æstimantes, ipsum temporaliter regnaturum. Propter quod filij Zebedæi petierunt, vt vnus ad dexteram eius sederet, alius ad sinistram. Matthæi cap. 20. Et Regnum Israel temporale, quod ablatum erat à Iudæis, per Romanos statim restituendum.] Hæc Nicolaus.

Demùm ex supradicta historia illud colligitur euidenter, opinionem de Regno Christi temporali, non esse nouum Catholicorum inuentum, sed iam olim ortam ex radice ipsius veritatis, cùm ipso Christo, & nascentis Ecclesiæ primordijs emanasse, & à Christianis cùm fidei lacte haustam, perpetua seculorum serie in Ecclesia fuisse retentam.

CAP. XXV.

Rationibus tamdem, quibus prætenditur suaderi, Christi Regnum non esse temporale, respondetur.

TAmdem, iuxta eamdem seriem supra cap. 15. indicatam, respondendum est ad rationes, quibus contrariæ sententiæ assertores eam persuadere conantur.

Prima ergo ratio deducitur à vitando absurdo, seù affinitate cùm sententia Iudæorum, præsertim recentiorum, contrahenda, qui profitentur, sicut multi quoque olim profitebantur, Christum, Regem temporalem, & rerum Dominum, cùm visibili pompa, & Regio apparato regnaturum. Quæ opinio adeò in illo populo innaluerat, vt apud Matthæum cap. 20. Mater filiorum Zebedæi à dextris, & sinistris eius in Regno sessionem pro filijs peterit, & Act. Apostol. cap. 1. multi ex Discipulis in eadem opinione persisteotes, eum interrogauerint, an in tempore illo restituturus esset Regnum Israel?

Hæc ratio, ex sententia Aduersariorum, repræsentatur primo loco ab Alphonso Mendoza in Relectione de Vniuersali Christi Regno, & Dominio §. 10.

Sed respondemus primò, nos longè à Iudæorum opinione distare: quoniam illi Vaticinia Prophetarum de duplici Christi aduentu imperitè permiscentes, & quæ vnius sunt, alteri tribuentes, decepti putauerunt, Regem Messiam temporaliter regnaturum.

Nos contra asserimus, Christum Dominum vitam egisse pauperem, & despicabilem; sed ius Regni, & Dominij vniuersalis proprietatem habuisse, & assumptum in Cœlum non dimisisse.

Hæc vt commodiùs intelligantur, obseruandum breuiter est, secundùm Catholicam veritatem, duplicem esse Messiæ aduentum,

Vnum cum paupertate, & humilitate ad redimendum, siue ad saluandum; de quo prophetauit Zacharias cap. 9. in hæc verba: [Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.] Hæc ibi.

Hanc prophetiam in hoc primo aduentu fuisse adimpletam, quando Christus, tota populi comitante caterua, ingressus fuit Ierusalem, testantur Euangelistæ Matthæus c. 21. & Ioannes cap. 12.

Alterum Messiæ aduentum cum gloria, & maiestate, ad iudicandum; de quo Daniel. cap. 7. prophetauit, in hæc verba: [Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cùm nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit; & in conspectu eius obtulerunt eum; & dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & Regnum eius quod non corrumpetur. Hæc ibi.

Hunc duplicem aduentum Domini nostri Iesu Christi, præter natiuos Christianos Catholicos, qui de hac veritate non dubitant, testantur antiqui Rabbini in lege periti; quos latè recensent, tùm alij Rabbini, tùm Doctores Christiani: in quibus sunt Rabbi Samuel tract. ad Isaac Rabbinum Synagogæ, quæ est in Subiulmeta cap. 9. & 10. & 11. Hieronymus de Sancta fide lib. 1. contra perfidiam Iudaicam cap. 11. & 12. Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 5. c. 1. & cap. 15. Petrus Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 1. Christophorus de sancto Antonio, in libro prætitulato: Triumphus Christi Iesu contra Infideles tit. 6. qui est de duplici Christi aduentu, qui cæteris copiosiùs hanc materiam dilucidauit; & alij, quos longum esset recensere: qui & copiosè referunt, & declarant Prophetias de hoc duplici Christi aduentu, & confutant deliria Iudæorum; qui cum hæc vel non intellexerint, vel distinguere noluerint, in errores grauissimos inciderunt; qualis est ille de duobus Messijs, quos recentiores Iudæi finxerunt; quem latè, præ ceteris, confutauerunt Petrus Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 2. & Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 5. cap. 1. & 15.

Ex prædictis consequitur, eos, qui de Christi Regno, & Dominio vniuersali affirmatiuam sententiam amplectuntur, nullo pacto sentire cùm Iudæis, præsertim recentioribus; ad quos, re diligenter inspecta, proximiùs accedere videntur, qui, considerata Christi humilitate, & paupertate in primo aduentu, ei negant Regnum, & Dominium rerum omnium creatarum.

Secundò respondemus, affirmatiuam sen-

sententiam aptissimam, & commodissimam esse, ad Iudæos conuertendos, qui tùm ex multis alijs argumentis, solubilibus tamen, tùm etiam ex hoc à conuersione retrahuntur, quòd Rex Messias, quem ipsi expectant, non potuerit esse ille pauper Christus, quem nos credimus verùm esse Regem Messiam in lege promissum; cùm diuinis Oraculis adhærentes verè affirmemus, sub illa paupertate, & humilitate, ad redimendum genus humanum, in primo aduentu voluntariè suscepta, iura regnorum omnium, & Dominium totius Orbis in Christo verè extitisse, & latuisse: & post eius Ascensionem in cœlum, & prædicationem Euangelij, in conuersione Gentium, & Regum, & Principum per Triumphos Catholicæ Ecclesiæ euidenter patuisse: vt paulò post demonstrabitur.

Secundam rationem deducunt Aduersarij ex fine, quem per mysterium Incarnationis Christus Dominus intendebat; videlicèt, humani generis redemptionem; affirmantes, ad eum finem, potiùs rerum temporalium abdicationem, & priuationem Dominij conducere, quàm iura Regnorum, & Principatuum terrenorum. Sic Dominicus Sotus lib. 4. Sentent. distinct. 25. quæst. 2. art. 1. conclus. 3. vers. Secundò id plena ratione, & Dominicus Bagnes apud sanctum Thomam 2. 2. quæst. 62. in Præambulo de Dominio Christi quæst. 4. §. Tertio loco.

Sed respondetur primò, istam rationem iam superioribus sæculis ab impugnatoribus Pontificiæ, & Ecclesiasticæ auctoritatis fuisse propositam, & à Catholicis Doctoribus solutam: vt constat ex antiquis, & signanter ex sancto Antonino in Summa par. 4. tit. 12. cap. 4. §. 17.

Secundò respondetur, Christo Regi ab instanti suæ conceptionis, secundùm naturam humanam, ad eius splendorem, honorificentiam, & decorem debuisse communicari omne illud, quòd nec repugnat fini Incarnationis, nec importat imperfectionem, sed potiùs dignitatem, & perfectionem: quòd admittunt Aduersarij, & tradunt nostræ sententiæ assertores, & præ cæteris sanctus Antoninus in his terminis in Summa par. 4. tit. 12. cap. 4. §. 17. vers. Secundò idem probatur.

Et meritò, quia Christus, qui est caput totius Ecclesiæ, iuxta illud Pauli ad Ephes. cap. 1. [Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, & explicat sanctus Thomas par. 3. quæst. 8. art. 1. & qui est caput hominum, & quantùm ad animas, & quantùm ad corpora: idem sanctus Thomas par. 3. quæst. 8. art. 2. eius sacratissima humanitas verbo Dei coniuncta, omnem perfectionem, & vim influendi in homines, & quantùm ad animas, & quantùm ad corpora, habere debebat: sed principaliter quantùm ad animas, secundariò autem quantùm ad corpora: vt præcitato loco docuit sanctus Thomas. Dominium autem omnium rerum inferiorum communicatum Adæ Primo parenti in statu innocentiæ, Genes. cap. 1. ibi. [Replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.] Non continet imperfectionem, sed potiùs excellentem quamdam, & præclaram dignitatem, quæ humanæ creaturæ conuenire potest; vt notum est, & tradunt vbique Doctores de Imperatoria maiestate, & Regia dignitate tractantes. Christo ergo Regi communicari debuit, immò verò ab instanti suæ conceptionis communicatum fuisse, supra copiosè ostendimus. Nam tribus istis concurrentibus, videlicèt, quòd importet perfectionem, & quòd importet dignitatem, & quòd non repugnet fini Incarnationis, magis communicari debuit homini Christo quidquid cuicumque dari, conferri, aut communicari potest.

Nec refert, quòd quandoque aliqui Principantes dominijs, & regnis abutantur; vsum, videlicèt, & exercitium eorum ad res illicitas traducendo: quia prætérquamquòd id non efficit dominium ipsum, sed iniquitas Dominantium: cùm de Christo Rege tale quid cogitare nefas sit, & blasphemia intolerabilis: nec proprietas dominij, nec iura regnorum potuerunt in Christo repugnare fini Incarnationis: immò verò valdè conduxerunt: cùm Rex, & Dominus Christus contemnendi temporalia nobis exemplum reliquerit.

Tertiam rationem deducunt impugnantes Christi Regnum super temporalibus, ex natura perfectæ paupertatis, quàm affirmant consistere, non solùm in abdicando rerum vsu, sed etiam in repellendo dominio, & proprietate: & Christum id docuisse apud Matthæum, cap. 8. [Vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.] Et rursùs apud eumdem Matth. cap. 19. [Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, & sequere me.] Et apud Ioan. cap. 18. [Regnum meum non est de hoc mundo.] Et apud sanctum Paulum 2. ad Corinth. cap. 8. [Christus propter nos egenus factus est.] Quo vltimo testimonio vtitur Dominicus Bagnes, ad idem institutum; apud sanctum Thomam 2. 2. quæst. 62. in Præambulo de Dominio Christi quæst. 4. §. Tertio loco vers. Secunda ratio est.

Sed dicimus primò, hoc vetus esse argumentum impugnantium Regnum Christi; vt constat ex supradictis, & ex sancto Antonino in Summa par. 4. tit. 12. cap. 4. §. 17.

Rursùs admonemus, ad has omnes auctoritates supra cap. 17. §. 2. 3. 4. & 5. copiosè fuisse responsum. Vnde patet, inde non probari negatiuam sententiam: quia licèt Christus Regni vsu caruerit, non caruit Regni, & Dominij iure.

Tertiò respondemus, minùs verum esse assumptum: cùm ex S. Thoma communiter recepto 2. 2. quæst. 184. art. 7. ad primum argumentum, constet, posse aliquem esse in statu perfectionis constitutum, sine eo, quòd rerum proprietati renunciet: dummodò paratus sit, eas, cùm opus fuerit, erogare. Quòd si cæteri priuati homines, mortales, & peccatores, retento rerum dominio, & proprietate, cùm prædicta animi præparatione, in statu perfectionis esse possunt: quis pius dubitabit, Christum, cum eiusdem Regni, & Dominij proprietate, in statu perfectionis esse potuisse?

se? nec esse necessarium, omnem rerum proprietatem ei detrahere, vt in apice, siue summitate perfectionis Euangelicæ collocetur? præsertim cùm nec Regni iure, nec Dominij proprietate malè vti potuerit; nec vsu Regni, si illud administrare voluisset, abuti.

Sanctus Antoninus in Summa, parte 4. tit. 12. cap. 4. §. 17. ad idem argumentum his verbis respondit: [Ad argumentum primum respondetur, quòd licet renunciare dominio rerum in proprio sit instrumentum accommodum ad perfectionem, tamen hoc est in illis, in quibus habere dominium talium rerum, est natum inducere amorem recurrum ad temporalia, vel nimiam sollicitudinem, & elationem: sed in quibus habere dominium in proprio, non est natum inducere talia, in his habere dominium non derogat perfectioni. Alioquin cum Deus habeat dominium omnium, hoc diceret in eo imperfectionem; quod est absurdum. Modo, Christus ab initio suæ conceptionis fuit comprehensor, secundùm animam: licèt viator secundùm corpus: & ideò possidere quantumcumque temporalia, non poterant in eo inducere amorem recurrum: vel distrahi per hæc ab ijs, quæ sunt Dei. Sciendum igitur, quòd Christus in mundum veniens, paupertatem assumpsit: non in benè viuendi subsidium: quia non egebat, cum impeccabilis esset: sed solùm in imitationis exemplum, propter nos, qui nati sumus inordinatè affici ad temporalia, & sollicitari, & eleuari in superbiam ex eis. Et quia exemplum magis ostenditur in vsu, quàm in dominio: ideò Christus quantùm ad vsum, paupertatem perfectioni conuenientissimam ostendit: licèt quantùm ad dominium esset Dominus omnium.] Hactenus sanctus Antoninus.

Quarta ratio petitur à vulgato illo Axiomate: Frustra est potestas, siue facultas, quæ numquam reducitur ad actum. Vnde cùm Christus quamdiu inter homines vixit, nullam Regiam temporalem iurisdictionem, aut ciuilem potestatem exercenerit, non est verisimile, eam habuisse: ne vana, & otiosa, & inutilis redderetur. Sic Sotus lib. 4. Sentent. distinct. 25. quæst. 2. art. 1. Conclusione 3. vers. Tertiò arguitur. Et Dominicus Bagnes prætitato loco, apud S. Thomam 2. 2. quæst. 62. in Præambulo de Dominio Christi quæst. 4. §. Tertiò loco vers. Tertia ratio.

Sed respondetur primò, hoc quoque argumentum antiquorum esse, qui Regnum Christi impugnare consueuerunt; cui iam S. Antoninus in Summa. part. 3. tit. 12. cap. 4. §. 17. respondit in hæc verba: [Ad secundum respondetur, quòd potentia non est frustra: quando ex causa non reducitur in actum, sicut in homine, qui votum castitatis emisit, potentia gubernandi non est frustra: sicut etiam in Deo, qui potest de homine facere vitulum, non est illa potentia frustra: licèt numquam reducatur ad actum. Quia ergo Christus venit ad dandum nobis perfectionis exemplum: ideo, eùm exemplum maximè ex vsu ostendatur, noluit dominio tali infuso vti; & ideo non sequitur, quòd in eo frustra fuerit tale dominium. Et tamen fortè aliquando vsus fuit tali dominio: vt cùm dixit Matth. 21. Ite in castellum, soluite asinam, &c. Dominus his opus habet.] Hactenùs S. Antoninus.

Secundò respondetur, falsum omninò esse, Christum in terris agentem, nullos regiæ iurisdictionis actus exercuisse. Quia veritas fateri compellit, eum, quando voluit, & expedire iudicauit, Regios, & Imperatorios actus potenter exercuisse: vt supra c. 14. copiosè docuimus.

Quintam rationem representant Aduersarij dicentes, quòd si Christus esset constitutus Rex, & Iudex temporalis, teneretur consequenter gubernare mundum in temporalibus, secundùm leges naturales, & humanas: sed nihil tale gessit, nec ministros creauit, qui ius dicerent, imò tyrannidem permisit multorum Regum; ergo non habuit tale officium, & potestatem talem; alioquin non esset bonus Rex temporalis, & Iudex.

Hanc rationem, inter alias supra adductas, cumulauit etiam Dominicus Bagnes apud S. Thomam, 2. 2 quæst. 62. in Præambulo de dominio Christi, quæst. 4. §. Tertio loco, vers. Quarta ratio, quæ videtur aliena à proprio quæstionis statu: quia non quæritur, vtrum Christus temporaliter, & more regio, Regnum administrauerit? quoniam ingenuè fatemur cum S. Thoma part. 3. quæst. 59. art. 4. ad primum argumentum, Christum in terris viuentem, terrenum Regnum temporaliter administrare noluisse: sed dicimus, eum ab instanti suæ conceptionis rerum omnium creatarum, & Regnum, & perfectissimum dominium adeptum fuisse. Neque istius Doctoris sententiam probari ex illa Domini responsione, apud Lucam cap. 12. recusantis iudicare super diuisione hæreditatis inter duos fratres; quia aliam sensum admittit; quem explicauimus supra cap. 23. §. primo.

Deinque pro responsione intelligat lector, quæ in terminis docuit Albertus Pighius lib. 5. de Hierarchia Ecclesiastica c. 3. paulò post principium, versic. Non venit Christus, vbi verè ait, non venisse Christum, vt hic inter nos, more huius seculi, esset Prætor, Consul, Rex, Imperator: nec discipulos suos docuisse, vt eiusmodi Magistratuum officia exercerent: quia non venit hic temporaliter regnare, aut imperare.

CAP. XXVI.

An Christus, Rex, & Dominus in aduentu suo Monarchias destruxerit, & reprobauerit, vel potiùs in melius commutauerit, & perfecerit?

HÆc quæstio meritò videtur hoc loco dirimenda. Nam cùm hactenus firmatum fuerit, Christum esse Regem totius Orbis, & perfectum, & absolutum rerum omnium dominium habere, rationabiliter dubitatur, an Principes gentium priuauerit dominio rerum, quas possidebant.

In hac quæstione tres sunt opiniones. Vna dicit, Christum in aduentu suo destruxisse, & reprobasse Monarchias, & omne domi-

nium ab Infidelibus subſtraxiſſe, & ad Fideles tranſtuliſſe.

Secunda affirmat, Chriſtum non abſtuliſſe, ſed approbaſſe Imperium.

Tertia aſſerit, Chriſtum circa Monarchias, & dominia rerum non innouaſſe aliquid, ſed meliùs inſtituiſſe.

Primam opinionem ſequuntur graues Doctores in quibus ſunt:

Oldradus conſ. 69, incip. Conſueuit dubitari, num. 3. verſ. Imò per Chriſtum, cuius verba ſunt: [Imò per Chriſtum omnes Monarchiæ fuerunt deſtructæ, & etiam reprobatæ. Ipſe enim eſt ille lapis ſine manibus abſciſſus, qui ſtatuam percuſſit pedibus, & contriuit, per qua ſtatuã illę quatuor Monarchiæ figurantur; ſcilicèt, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum; vt habetur, Daniel. 2. cap. Et eſt notandum, quòd tam percuſſit in pedibus; quia ſicut pes eſt vltima pars corporis, ſic Romanorum Monarchia fuit vltima. Vnde illam videtur ſpecialiùs reprobaſſe, & meritò; quia omnes Monarchię per violentiam, & vſurpationem inceperunt. Dignum enim fuit, vt propter iniuſtitias ſuas, Regnum de gente in gentem transferretur. Eccleſ. cap. 10.] Hæc Oldradus.

Canoniſtæ etiam in cap. Quod ſuper his, de voto, & voti redem. idem profitentur, & ſignanter Henricus Cardinal. Hoſtienſis, num. 26. verſ. Mihi tamen videtur, in hęc verba: [Mihi tamen videtur, quòd in aduentu Chriſti omnis honor, & omnis Principatus, & omne dominium, & iuriſdictio de iure ex cauſa iuſta. & per illum, qui ſupremam mundum habet, nec errare poteſt, omni Infideli ſubtracta fuerint, & ad Fideles tranſlata. Quòd hoc iuſta cauſa fuerit, probatur Eccleſ. 10. Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & contumelias, & diuerſos dolos. Quòd hoc factum ſit, comprobatur ſupra de Conſtit. Tranſlat. & hoc in perſonam Chriſti filij Dei viui: qui non ſolùm Sacerdos fuit, ſed & Rex. Lucæ 1.] Hæc Hoſtienſis.

Ioannes Andr. ibidem num. 13. verſ. Hoſtienſi tamen videtur, eiſdem verbis refert, & ſequitur eius ſententiam.

Petrus de Ancharrano in dicto c. Quod ſuper his. num. 17. verſ. Hoſtienſis dicit, eius refert verba, & ſententiam amplectitur.

Franciſcus Cardinalis Zabarella ibidem num. 6. quæſt. 11. eamdem profitetur ſententiam, quam tribuit Innocentio. Sed ſuſpicor in lectura eſſe mendum: vt pro Hoſtienſe, mendosè ſubſtitutus fuerit Innocentius: vt patet ex verſ. ſequenti, videlicet: Ex hoc infert Hoſtienſis.

Antonius de Butrio ibidem num. 9. verſ. Ad huiuſmodi euidentiam, eamdem Hoſtienſis ſententiam amplectitur.

Ioannes de Anania ibidem num. 6. verſ. Hoſtienſis dubitat, breuiter illius ſententia commemorata, ab ea non recedit.

Ioannes de Lignano in Tractatu, quem de Monarchia, ordinauit, relato ab Ægydio Bellamera in c. Solitæ, n. 10. de Maiorit. & ob ed. non videtur ab hac ſententi a alienus.

Præpoſitus in cap. Cùm ad verum, 96. diſtinct. num. 3. in ſeptima ratione circa medium verſ. Aut vult Imperator, apertè affirmat, & probat eamdem ſententiam his verbis: [Cùm enim Chriſto adueniente, qui totius mundi Dominus eſt, omne temporale regnum, & ſpirituale ad eum deuolutum fuit: ceſſauit regnum in Auguſto, & alijs vſurpatoribus, qui Orbem occupabant; & ipſe Chriſtus fuit verus Rex, & Pontifex.] Hæc Præpoſitus.

Ioannes de Cirier Tractatu de Primogenitura lib. 2. quæſt. 12. num. 7. ex Iacobo Aluaroto notat, poſt Chriſti aduentum, Imperium fuiſſe apud Chriſtum, & eius Vicarium, ſcilicèt, Papam; ita quòd non dependet immediatè ab ipſo Deo, cùm transferatur per Papam in Principem ſecularem: cap. Venerabilem, de Electìon.

Sed reuerà hæc ſententia Hoſtienſis, & cæterorum, qui eam amplectuntur, improbabilis eſt, & non nititur certo aliquo fundamento: nec firmiter probatur, Chriſtum reprobaſſe Monarchias, nec Infideles iure humano, quod habebant, priuaſſe; nam infidelitas non eſt impedimentum, quominùs aliquis habeat verum dominium ciuile, ſiue humanum. Hic Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 10. cuius ratio eſt: quia Infidelitas nec tollit Ius naturale, nec ius gentium: ſed dominia ſunt à iure gentium: ergo non auferuntur per infidelitatem. S. Thomæ ſententiam ſequuntur communiter Theologi, & ſignanter ibi Dominicus Bagnes, concluſ. 5. & Petrus de Aragon, concluſ. 2. vbi ad id probandum, inducunt ſacrarum Literarum exempla.

Definitio Concilij Conſtantienſis Seſſ. 8. contra 15. articulum Ioannis Wicleff, & Seſſione 15. contra 30. articulum Ioannis Hoſz, qui dicebant nullum eſſe Dominum ciuilem, nec Prælatum, nec Epiſcopum, dum eſt in peccato mortali: valde improbat prædictam ſententiam, quam in indiuiduo reprobauit Bartholomæus de las Caſas Epiſcopus Chiapenſis in explicatione quæſtionis: Verùm ſubditi alterius ditioni ſubijci poſſint? §. 3. num. 10. vbi dixit, Hoſtienſem in hoc maximè erraſſe contra rationem, & etiam contra ius naturale, & diuinum: & hunc eſſe errorem pernicioſiſſimum, & contra ſacram Scripturam, & doctrinam omnium Sanctorum, & etiam pijſſimam Eccleſiæ conſuetudinem: & aditum præbere mille rapinis, bellis Iniuſtis, homicidijs innumeris, & omni generi peccatorum. Hæc præcitato loco Bartholomæus de las Caſas.

Profectò negari non poteſt, quin ſententia Hoſtienſis magnorum peccatorum, rapinarum, & homicidiorum præbeat incentiuum: nam ſi Duces belli, vel milites ſibi perſuaſerint, omnia bona Infidelium, Chriſti auctoritate, fuiſſe ad Fideles tranſlata, vt ea rapiant; nihil Inhumanum, aut iniuſtum committere verebuntur.

Secunda opinio affirmat Imperia fuiſſe à Chriſto approbata, cùm dixit apud Matthæum cap. 22. [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.]

Hanc opinionem tenuit Baldus in legi, Cunctos populos, cap. de Sum. Trinit. & Fide Cathol. paulò poſt principium, num. 10. verſ. Secundò dixi, in hæc verba: [Secundò dixi, quòd Imperium eſt à Deo approbatiuè: Chriſtus enim approbauit Imperium, dum dixit:

dixit: Imago Cæsaris reddatur Cæsari; vt habetur in Euangelio: nisi enim approbasset illam imaginem, illa non esset Cæsaris, nec deberet restitui iniusto, & violento creditori; quia violentus possessor non fuisset defensus à Deo in impropria possessione.] Hactenùs Baldus.

Sed Oldradus præcitato Cons. 69. incip. Consueuit dubitari, num. 4. vbi refert, aliquos hanc opinionem tenuisse, ibidem eam confutat, in hæc verba: [Nec iubet ei reddi omnia, sed quæ sua sunt. Si ergo dicit omnia sua, probet: relatiuum enim quæ restringit: argumento c. de Summ. Trinit. & Fide Cathol. 1. ibi, Quos clementiæ nostræ, & ideò cùm Iudæi tentantes interrogarent eum, si liceret dare censum Cæsari? primò voluit videre numisma; & cùm interrogasset: cuius est hæc imago, & superscriptio? & ipsi respondissent Cæsaris, tunc dixit reddite quæ sunt Cęsari; & quæ sunt Dei, Deo. Imaginem enim suam iussit sibi reddi, vt habeatur eodem c. & fortè vt scandalum euitaret; sicut propter scandalum vitandum, ipse soluit tributum. Matth. 17. & 28. quęst. 1. cap. Iam nunc, per quod satis colligitur Monarchiam, & dominium ipsum, Imperatorem per violentiam, & tyrannidem obtinere.] Hæc Oldradus.

Hęc Oldradi responsio non videtur contemnenda: cùm Tertullianus in libro de Idololatria, cap. 15. vers. Reddenda sunt, ad prędictam Domini sententiam, eamdem interpretationem assignauerit his verbis: [Reddenda sunt Cæsari, quæ sunt Cæsaris; benè quòd apposuit; & quæ sunt Dei, Deo. Quæ ergo sunt Cæsaris? scilicèt, de quibus tunc consultatio mouebatur, præstandus ne esset census Cæsari, an non? Ideò & monetam ostendi sibi Dominus postulauit: & de imagine cuius esset, requisiuit, & cùm audiuisset, Cæsaris: Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo; id est, imaginem Cæsaris, Cæsari, quæ in nummo est; & imaginem Dei, Deo quæ in homine est: vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum; alioquin, quid erit Dei, si omnia Cæsaris?] Hæc Tertullianus.

Cùm hæc secunda opinio nullo firmo fundamento muniatur, reijcienda est; Christus enim per illam responsionem non confirmauit Imperia, Monarchias, vel Principatus; nec alio modo approbauit, quàm eo, qui mox explicabitur.

Tertia opinio asserit, Christum Regem nostrum, & dum inter mortales ageret, & post eius gloriosam Ascensionem in Cælum, nihil innouasse circa statum Monarchiarum; sed eas permisisse, vt post prædicatum Euangelium, meliùs instituerentur.

Hanc opinionem, quæ vera, & certa est, tenuit S. Chrysostomus Homilia 23. super Epistolam S. Pauli ad Romanos cap. 13. in principio, his verbis: [Facit autem hoc ideò, vt ostendat, Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt politias euertat; sed vt ad meliùs instituat.] Hæc Chrysostomus.

Sanctus Augustinus super Ioannem, tract. 115. incip. Quid Pilatus, eamdem asseruisse videtur, his verbis: [Audite ergo Iudæi, & Gentes; audi Circumcisio, audi Præputium, audite omnia Regna terrena; non impedio dominationem vestram in hoc mundo.] Hęc Augustinus.

Sanctus Thomas lib. 3. de Regimine Principum cap. 16. eamdem sententiam asserit in hæc verba; & hinc est, quòd Rex noster Christus Principes seculi permisit dominari, & eo viuente, & eo moriente, ad tempus; quousque videlicèt, suum Regnum esset perfectum, & ordinatum in suis fidelibus operationibus virtuosis, & eorum sanguine laureatum.] Hæc sanctus Thomas.

Albertus Pighius lib. 5. de Hierarchia Ecclesiastica, cap. 3. paulò post principium, supradictis consentanea tradens, sanctum Chrysostomum sequutus, sic scribit; [Non venit Christus, vt hic inter nos huius seculi more esset Prætor, Consul, Rex, Imperator; ergo discipulis suis omnibus interdixit eiusmodi Magistratuum officia? non venit hic temporaliter regnare, aut imperare, nec impedire, aut sibi vendicare huius mundi dominationem; vt Augustinus, & Catholica fides palàm confitetur, non priuare mundum sua illa prouidentia, & prælatione, vt Chrysostomus.] Hæc Pighius.

Idem paulò post eodem libro 5. cap. 7. non procul ab initio, clariùs de eodem argumento sic habet; [Neque enim dicimus, Christi religionem quemquam priuare suo iure; non absoluere filios à patria potestate; seruos à subiectione, & seruitute, quam debent Dominis; subditos à superiorum suorum, & ciuilium Magistratuum obedientia debita.] Hæc ille.

Vrgebat autem prædictis locis Pighius, Marsilium de Padua; qui propterea Regnum super temporalibus, & vniuersale dominium Christo auferre conabatur.

Demùm iuxta hanc sententiam accipiendum est illud, quod in Festo Epiphaniæ canit Ecclesia.

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.

Hic est enim legitimus sensus huius Hymni; nam ille, quem initio huius seculi quidam Ecclesiasticæ auctoritatis violatores tradiderunt; vt inde probarent, nec Regnum, nec alicuius rei temporalis dominium habuisse Christum, adulterinus est, & iure præcauendus. Quòd autem Sedulius Hymni auctor hunc sensum respuerit, & nostrum docuerit, ostendit Iodocus Clictouæus, in Elucidatorio Ecclesiastico, lib. 1. super hoc ipso Hymno, in hæc verba: [Non est tibi ò Herodes, iusta, ob Christi aduentum, timendi causa, nam non venit ipse, vt auferat tibi regnum tuum temporale; quemadmodum suspicaris, & formidas; cùm ipse æterna, & cælestia regna suis elargiatur.] Hæc Clictouæus; ex quo nihil prorsus legitimè expiscari licet; vnde Christi Regnum super temporalibus euertatur.

CAP. XXVII.

Qua cenfura notanda fit opinio negans Chrifti Regnum, & vniuerfale Dominium:

HÆc cenfura ab illis potiffimùm Au-ctoribus petenda eft, qui vel fęculo Ioannis XXII. ad annos 1320. contra tunc graffantes hęrefes, quibus Chrifti dominium negabatur, & Regnum euertebatur, & confequenter Romani Pontificis auctoritas, & iurifdictio coactiua de Republica Chriftiana expellebatur, fcripferunt: vel ab illis, qui eidem fęculo fuerunt proximiores.

Ne quis autem arbitretur, nos, qui affirmatiuam fententiam profitemur, acriori cenfura, quam oportet, negatiuam notare, fimplicem folùm relationem facientes, illorum de hac re dicta fideliter recenfebimus: illud in primis animaduertentes, eos appellatione iurifdictionis, fine auctoritatis temporalis, Regnum, & dominium Chrifti fuper temporalibus intelligere, infpecta occafione, & materia, quam tractabant, & perfonis contra quas fcribebant: erant enim potiffimùm Marfilius de Padua; Ioannes de Ianduno, Michael de Cefena; Petrus de Corbario; Guilielmus Okam, & horum fautores, & fectatores; qui, vt fupra latè oftenfum fuit, eo potiffimum nomine Chrifto Domino coronam Regni detrahebant, & dominium rerum omnium creatarum auferebant, & omne exercitium fuper rebus, & negotijs temporalibus, fiue ciuilem iurifdictionem denegabant: vt inferrent, Romanum Pontificem Chrifti Vicarium nullam habere coactiuam poteftatem.

Petrus Cardinalis Bertrandus, qui anno 1329. vt fcribit Papyrius Maffonus lib. 4. Annalium, in Philippo VI. Franciæ Rege, contra Petrum Cunerium, Immunitatem Ecclefiafticam hoftiliter deuaftare conantem, conftanter certauit, & vicit; Tract. de Origine Iurifdictionum, quæft. 3. num. 35. negatiuam fententiam verbo Chrifti contradicere afferuit, in hæc verba: [Ad tertiam rationem de Chrifto, qui abiecit à fe, vt dicunt, omnem iurifdictionem temporalem, dicendum eft, quòd qui dicit, Chriftum non habuiffe omnem poteftatem fęcularem, feu temporalem, & fpiritualem, contradicit eius verbo, Matth. vlt. cap. vbi legitur, Chriftum dixiffe: Data eft mihi omnis poteftas in cælo, & in terra. Et Apocalypfis primo dicitur, Princeps Regum terræ.] Hactenus Bertrandus.

Durandus Epifcopus Meldenfis Tractat. de Origine Iurifdictionum, quæft. 3. in refponfione ad tertiam rationem, eamdem negatiuam fententiam, dixit Euangelio contradicere, his verbis: [Ad tertiam rationem, de Chrifto, qui abiecit à fe, vt dicunt, iurifdictionem temporalem: dicendum eft, quòd qui dicit, Chriftum non habuiffe omnem poteftatem, fpiritualem, & temporalem, contradicit Euangelio Matthæi vlt. vbi legitur Chriftum dixiffe: Data eft mihi omnis poteftas in cælo, & in terra. Et Apocalypfis primo dicitur, Princeps Regum terræ.] Hæc Durandus.

Sanctus Antoninus in fumma par. 4. titul. 12. capit. 4. §. 17. poftquam latè probauiffet primam Conclufionem afferentem, Chriftum ab inftanti fuæ conceptionis habuiffe Dominium omnium rerum contra fratricellos, primò eam opinionem apertè falfam, paulò verò poft hæreticam cenfere videtur, his verbis: [Ex prædictis patet, falfiffimum effe, quod dicunt ifti Fratricelli in quodam fuo libello, qui incipit: Vniuerfis, fcilicet, in primo cap. Quòd Chriftus, in quantùm homo, non habuit Dominium omnium temporalium, nec fuit verus Rex, fed in quantùm Deus, & in quantùm, homo habuit Dominium fpirituale Ecclefiæ, non temporale. Et quia Ioannes XXII. determinauit contrarium, prout eft veritas: fcilicet, quòd, etiam in quantùm homo, habet Dominium omnium: quod probatum eft: & fuit verus Rex: dicunt effe hæreticum: quia determinauit contra veritatem Scripturæ, dicentis Ioannis 18. Regnum meum non eft de hoc mundo. Et beatus Auguftinus in Sermone de Epiphania, quòd Chriftus non venerat, vt regnum terrenum perciperet, fed vt cæleftè donaret: & fimilia: Ad quæ refpondetur, quòd Chriftus, vt dictum eft fupra, etfi Dominium habuit, non tamen vfus eft eo: quia non vixit, vt Rex, fed vt pauper, propter exemplum noftrum: vt induceret ad vitandum honores, & huiufmodi: Et fic Regnum fuum non fuit de hoc mundo, quia non mundani vfus. Sed quod Rex fuerit ipfe ait Pilato: Tu dicis, quia Rex fum ego. Et Zachariæ 9. Ecce Rex tuus venit tibi, & in Pfalm. 2. Ego conftitutus fum Rex ab eo. ipfi ergo funt hæretici, qui pertinaciter impugnant hanc veritatem: in fecundo capitulo illius peftiferi libelli dicunt, quòd non habuit Dominium omnium in quantùm homo. Sed oftenfum eft, hoc effe falfum: quia vtique habuit, & fi non fic vfus: quia non vt dominus, fed vt pauper vixit.] Hæc fanctus Antoninus.

Beatus Ioannes de Capiftrano Tract. de auctoritate Papæ, par. 2. fecundæ partis principalis, numero 186. affirmat, Ioannem XXII. edidiffe conftitutionem Decretalem, quæ incip. [Quia vir reprobus.] contra Michaelem de Cefena, qui negatiuam fententiam profitebatur: verba Capiftrani fic habent: [Ioannes XXII. in fua Extrauaganti Decretali, quæ incipit: Quia vir reprobus Michael de Cefena, quæ de directò hac de caufa condita fuit, vt monftraretur exprefsè, Chriftum habuiffe Dominium rerum temporalium.] Hæc Capiftranus, qui poftquam, ad idem probandum, Veteris, & Noui Teftamenti Diuina teftimonia induxiffet, tandem num. 188. verfic. Præmiffa autem, recenfet diffinitionem Papæ, quam nos fupra cap. 6. retulimus.

Gulielmus de Cremona Epifcopus Papienfis Tract. de Iure Monarchiæ, conclufi. 6. negantes Chriftum fuiffe Dominum, & nihil in proprio habuifse, confequenter eius negare iurifdictionem, affirmat, in hæc verba: [Ex his aduertant apertè dicentes, Chriftum, & eius Apoftolos nihil in proprio habuifse,

vel

vel communi: quoniam tales videntur agere verbo contra summum Monarcham, & sibi negare iurisdictionem suam: quod non libenter toleraret etiam paruus dominus in dominio suo.] Hec ille.

Ioannes Cardinalis de Turrecremata in Summa de Ecclesia, lib. 2. cap. 47. respondens ad secundum argumentum aduersariorum, & signanter Guillelmi Okam, quod posuerat paulò ante cap. 45. videlicet, Papam non habere maiorem iurisdictionem coactiuam, quàm habuerit Christus, cuius est Vicarius: Christum autem, quatenus hominem mortalem, non habuisse iurisdictionem coactiuam; tum quia talis iurisdictio sine diuitijs, aut sine adiutorio diuitias habentium, exerceri non potest, quas Christus non habuit: tum quia Christo teste, [Ministrare venit, non ministrari:] ergo non venit coactiuam iurisdictionem exercere: ergo eam non habuit: & consequenter eius Vicarius non habuit, respondet his verbis: [Ad secundum respondetur, negando minorem tamquam falsam, immò hæreticam: cum de Christo dicatur Isa. 33. Ipse Dominus noster, Iudex noster, Legifer noster, & Rex noster: quæ, absque iurisdictione coactiua, non videntur posse prædicari de Christo. Cæterum ipse Christus ait Matthæi vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Præterea quomodo iurisdictionem coactiuam dedisset Apostolis: Matthæi 18. dicens: Quæcumque alligaueritis, &c. nisi ipse habuisset? Et ad probationem, cùm primò dicitur, quòd iurisdictio coactiua sine diuitijs exerceri non potest: respondetur, quòd hoc sit falsum, & stultè dictum: sicut manifestum est de iurisdictione coactiua spirituali, quæ exercetur conuenientissimè à quolibet Prælato: quantumcumque diuitijs careat, quicquid sit de iurisdictione seculari coactiua, quę armorum potentia quandoque executioni mandatur.] Hæc Turrecremata. Qui rursus lib. 2. capitulo 116. respondens ad idem, vel simile prorsus argumentum, quod paulò antea capit. 115. secundo loco proposuerat, videlicet: [Vicarius non habet maiorem plenitudinem potestatis, quàm habuit homo Christus: sed Christus non habuit, nec habere voluit huiusmodi potestatem siue Dominium in temporalibus: ergo nec eius Vicarius, &c.] ita respondet: [Ad secundam obiectionem, in qua dicitur, quòd Christus non habuit potestatem, nec Dominium: respondetur, quòd falsum est: quoniam qui dicit, Christum non habuisse potestatem temporalem, & spiritualem, sicut etiam dicit Dominus Ioannes XXII. in Decretali illa, Quia vir reprobus, contradicit sacræ Scripturæ in multis locis: sed maximè illi Matthæi vlt. vbi legitur Christus dixisse: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Et Apocalypsis primo dicitur, Princeps Regum terræ, & ad Hæbreos 1. dicitur, quod sumptum est de Psalm. 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum, vbi dicit Glos. Ecce potestas Christi ostenditur: vt enim in opere Domini nihil excipitur: ita nec à Christi potestate.] Hæc Glos. Hactenus Turrecremata.

Henricus Henriquez in Summa Theologiæ Moralis, lib. vlt. de fine hominis, capitulo 25. num. 1. postquam docuisset, Christum habuisse Dominium, & proprietatem in radice: sicut multi Patres ex Scriptura colligunt: subdit hæc verba: [Quod autem negant alij, Christum habuisse vllum dominium, etiam post Resurrectionem, falsùm est.] Hæc ille.

Luysius Legionensis, Doctor Theologiæ, & Diuinorum librorum primus apud Salmaticenses proximo superiori seculo interpres, in Lectura super Psalm. 2. Dauidis, postquam latè probasset plenissimum Christi Dominium, propositione 5. sic scripsit: [Quod ita verum existimo, vt credam contrarium esse errori proximum, & speciem blasphemiæ.] Hæc ille, cuius integra verba recensuimus supra cap. 9. §. 2. vers. Luysius Legionensis.

Itaque meritò displicet Dominici Bagnes sententia apud sanctum Thomam 2. 2. quæst. 62. in Præambulo de Dominio Christi, quæst. 4. Conclus. 2. dicentis: [Vtramque sententiam, videlicet, affirmantem, vel negantem, Christum fuisse Regem, & Dominum temporalem vniuersi, secundùm quòd homo, ex commissione, & traditione Patris; posse salua fide sustineri, & absque periculo sanę doctrinæ.] Quia ex prædictis patet, sustineri non posse: & eo præsertim nomine, quia Ioannes XXII. in prædicta Constitutione incipien. Quia vir reprobus, contra Michaelem de Cesena, eam expressè reprobauit. Quam Constitutionem viri docti, & sancti, superioribus seculis agnouerunt contra Fraticellos, & eorum errores, & contra impias blasphemias Michaelis de Cesena: quas per eam Constitutionem condemnata fuisse scimus.

CAP. XXVIII.

Regnum Christi esse æternum; duraturum nedum vsque ad finem mundi, sed post eius consummationem in sæcula sæculorum.

Refert Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymorum Catechesi 15. paulò ante finem, vers. Quòd si fortè, hæresim dicentem, Christi Regnum finem habiturum; & quemdam in Galatia dixisse, post finem mundi huius Christum non regnaturum, sed istam hæresim apertè damnant sacrarum Literarum testimonia, & Vaticinia, Psalm. 88. [Vsque in æternum præparabo semen tuum: & ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam. Et ponam in seculum seculi semen eius: & thronum eius sicut dies cæli.]

Et rursus Psalmo 144. [Regnum tuum, Regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem.]

Esaiæ cap. 9. [Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & institia, amodo, & vsque in sempiternum.]

Et rursus Esaiæ cap. 60. [Non occidet

vltra

vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.]

Danielis cap. 2. [In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur. Et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.]

Item Danielis cap. 7. [Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.]

Et Amos cap. 9. [In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius, & ea, quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.]

Et Michææ cap. 4. [Et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc, nunc, & vsque in æternum.]

Et Lucæ capit. 1. Archangelus Gabriel, cùm de Incarnatione Filij Dei lætum ad Mariam nuncium attulisset, & magnum futurum, & Regnum eius in æternum duraturum prænunciauit his verbis: [Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Hæc ibi.

Sapienter ergo Cyrillus, initio huius capitis citatus, contrariam assertionem tamquam hæresim condemnauit, his verbis: [Quòd si fortè aliquem audieris dicentem, quòd finem habet Christi Regnum: oderis hanc Draconis hæresim: est autem, & aliud eius caput, quod nuper in Galatia succreuit. Ausus est quidam dicere, quòd post finem mundi huius non regnabit Christus: & ausus est dicere, quòd Verbum exiens, ipse rursus in Patrem resoluetur; estne adhuc, qui ausit talia blasphemare de illo? non enim audiuit Dominum dicentem: Filius meus in seculum; non audiuit Gabrielem dicentem: Et regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis. Considera igitur, quod dicitur. Homines hæretici nunc ista contra Christum docent: & Gabriel Archangelus de perpetua Saluatoris perseuerantia docuit: cui potiùs credis? nonne Gabrieli? Accipe testimonium aliud Danielis, qui dicit: Videbam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli sicut Filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum coram illo: & datus est ipsi honor, & principatus, & regnum, & omnes tribus, & linguæ seruient ipsi. Potestas eius, potestas æterna, quæ non pertransibit: & regnum eius non corrumpetur. Hæc arripe, atque his potiùs crede, quàm hæresibus, quas à te reijcere debes: manifestissima enim audisti de infinito Christi Regno: Habes & aliud huic proximum, de lapide exciso de monte sine manibus, qui est Christus secundum carnem; & regnum eius alteri non relinquetur. Et Dauid alicubi dicit: Sedes tua Deus in seculum seculi; alicubi verò: Initio tu Domine terram fundasti, &c. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Quæ Paulus de Filio interpretatus est.] Hæc Cyrillus.

In re tam aperta non est opus plura commemorare. Si quis de hoc articulo plura scire desiderat, adeat eos, qui contra Infideles, & potissimùm Iudæos, scripserunt; & præsertim Finum Hadrianum, Paulum Heredìam, Hieronymum de Sanctafide, Porchettum de Saluaticis, Petrum Galatinum, Christophorum de sancto Antonio in Triumpho Christi Iesu contra Infideles, Antonium Mariorarium lib. 5. Consonantiæ Iesu Christi, & Prophetarum, & alios.

Denique intelligat, inter multas differentias, quibus Christi Regis Regnum à regno Dauidis secernitur, hanc esse præcipuam, Quòd Christi Regnum sit æternum, & numquam desiturum: Dauidis autem regnum fuerit breue, cùm vltra quadraginta annos in persona eius non durauerit, & post Dauidis mortem, multis sæpè interruptum cladibus, tandem tempore Herodis omninò defecerit.

Altera differentia est, quia perpetuitas regni Dauidi promissa Psal. 131. tribus potissimùm rebus à Regni Christi perpetuitate differebat.

Primùm, quòd illa non de sola persona Dauidis, sed de ipso, eiusque successoribus intelligebatur.

Secundò, quia continuatio illa regni Dauidis non nisi vsque ad aduentum Christi, cuius vmbra erat, protendebatur.

Tertiò, quoniam Dauidi non absolutè, sed cum conditione, perpetuum regnum promissum fuisse videtur, Psalm. 131. [Si custodierint filij tui testamentum meum: & testimonia mea hæc, quæ docebo eos. Et filij eorum vsque in seculum: sedebunt super sedem tuam.] Christo autem, qui non poterat non seruare testamentum Dei, absolute, & sine vlla conditione, sempiternum regnum promissum est.

CAP. XXIX.

Vaticinium Esaiæ, & Archangeli Gabrielis de Rege Messia sessuro in solio Dauid, & regnaturo in domo Iacob, in Christo homine Rege, & eius Ecclesia fuisse completum.

De Rege Messia Christo Domino prophetans Esaias cap. 9. dixit: [Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit.] Quod septuaginta Interpretes transtulerunt: [Super thronum, & regnum eius.] Et Gabriel Lucæ cap. 1. [Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum.] Quod in Christo Rege, & in Ecclesia Catholica fuisse completum, affirmant omnes Sancti, & Catholici Doctores, etiam ex Iudaismo conuersi, & Rabbini quoque aliquot primarij in Synagoga, veritate compulsi, idem asseruerunt, ex magno cumulo insigniores recensebuntur.

Et quia ex antiquis Patribus hunc articulum luculenter explanauit sanctus Epiphanius in Panario contra hæreses lib. 1. tom. 2. hæresi 29. contra Nazaræos, ab illo exordiri visum

visum est. Proponit ille primam difficultatem: cùm Deus, cuius promissio est intransmutabilis, eum iuramento promiserit Dauidi, Psalm.131. quod de fructu ventris sui poneret super sedem suam; quòd & prædictum Esaiæ, & Archangeli Gabrielis Vaticinium clariùs ostendunt, meritò inquiritur, quomodo Christus in suo aduentu regnum Dauidis instaurauerit, vel Regiæ domui Dauidis restituerit, vel in ea sederit? cùm ex illo tempore, nulla instauratio facta, nullum solium erectum, nulli reges de sanguine, & progenie Dauid, vel in regno Iudææ, vel in toto Orbe terrarum successisse videantur. Hanc difficultatem Epiphanius præcitato loco, his verbis proposuit: [Fortassis autem dixerit aliquis: Si Christus genitus est ex semine Dauid secundùm carnem, hoc est, ex sancta Virgine Maria, qua ratione super sedem Dauid non sedet? Venerunt enim, inquit Euangelium, vt vngerent ipsum in Regem: quo cognito, secessit, & occultatus est in Ephraim ciuitate deserti. Cùm igitur peruenerimus nos ad locum huius dicti, & interrogati simus de hoc testimonio, ac proposito: Qua ratione carnaliter impletum non est in Saluatore, vt sedeat super thronum, ac sedem Dauid? (quidem enim putauerunt, hoc impletum non esse) rem ipsam, velut se habet, referemus: nulla enim dictio sanctæ Dei Scripturæ intercidit.] Hæc sanctus Epiphanius; qui nonnullis interiectis verbis, solutionem adhibuit, in hæc verba: [Thronus igitur Dauid, & Regia sedes, est Sacerdotium in sancta Ecclesia: quam dignitatem Regiam,simulque Pontificiam simul coniunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno Dauid, non deficiente in æternum. Illic enim per successionem durauit thronus Dauid vsque ad ipsum Christum, non deficientibus Principibus ex Iuda, donec venit, cui restabant, quæ reseruabantur ipsi; & ipse expectatio Gentium, inquit. Defuerunt enim in Christi aduentu Principes per successionem ex Iuda; qui vsque ad Christum præsiderunt. Intercidit enim ordo, & cessauit, quando ipse natus est in Bethlehem Iudæ, tempore Alexandri, qui erat de genere Sacerdotali, ac Regio. A quo Alexandro intercidit hæc sors, à temporibus ipsius, & Saalinæ, quæ etiam Alexandra appellatur, in temporibus Herodis Regis, & Augusti Romanorum Imperatoris. Hic Alexander vnus ex vnctis, & Præsidibus existens, etiam diadema sibi ipsi imposuit. Coniunctis enim duabus tribubus, Regia, & Sacerdotali, Iuda inquam, & Aaron, & tota tribu Leui; sic Reges, ac Sacerdotes fiebant. Nihil enim ex ænigmatis sanctæ Scripturæ aberrauit. Tunc verò deinceps Rex alienigena Herodes,& non ampliùs successores Dauid diadema imponebant, translapsa Regia sede in Christo ad Ecclesiam: & à domo quidem carnali Iuda, & Israel, Regia dignitas translata est: firmiter autem sedet thronus in sancta Dei Ecclesia in æternum: ex duplici origine dignitatem habens, Regia, ac Sacerdotali; & Regiam quidem à Domino nostro Iesu Christo, iuxta duos modos: & quia est ex semine Dauid regis secundùm carnem; & quia ipse est Rex maior à seculo secundùm Deitatem, Sacerdotalem verò, quia ipse est Pontifex, & Pontificum Præfectus: constituto statim Iacobo fratre appellato & Apostolo Episcopo.] Hactenus Epiphanius; qui post pauca, rursus rem magis explicans, subdit hæc verba: [Sacerdos itaque est, velut dixi, Dominus noster Iesus Christus in æternum,secundùm ordinem Melchisadech; simulque Rex, iuxta ordinem ex supernis; vt transferat Sacerdotium simul cum Lege. Ex semine verò Dauid, propter Mariam, sedens in throno in æternum, & regni eius non erit finis. Oportebat enim ipsum nunc transferre ordinem, tum Sacerdotij, tum Regni. Nam regnum ipsius non est de terra, velut dixit in Euangelio ad Pontium Pilatum: Regnum meum non est ex hoc mundo. Nam cùm Christus omnia impleat per ænigmata, argumenta de ipso proposita ad aliquam vsque mensuram peruenerunt. Non enim venit, vt regni progressum acciperet, qui semper regnat. Largitus est autem sub se constitutis regnum: vt ne diceretur, à paruis ad maiora procedere: manet enim thronus ipsius, & regni eius non erit finis: & sedet super thronum Dauid: ita vt regnum Dauid, vnà cum Pontificatu transtulerit, ac largitus sit seruis suis; hoc est Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ.] Hactenus Epiphanius.

Quòd per aduentum Saluatoris nostri Iesu Christi sedes Dauid instaurata sit, & per Regnum Christi erecta, similiter docet Eusebius Cæsariensis lib.7. de Demonstr. Euangelica cap.1.Demonstrat.3. his verbis: [Ab eo tempore,quo populus in Babylonem captiuus ductus est, vsque ad Romanorum, & Tiberij Imperium prolata, proue&aque sunt: nullus enim ex genere Dauid hoc toto intermedio tempore in Hebraicæ gentis Regia sede videtur sedisse, vsque ad Christi aduentum. Vbi verò Dominus, & Saluator noster Iesus Christus, qui de semine Dauid ortus est, in totum Orbem Rex denunciatus est: tamquam ea quæ de terra, & ruina instaurata sit ipsa illa sedes Dauid, per diuinum Saluatoris nostri Regnū erecta est, & permanebit in æternum, veluti Sol in conspectu Dei, illius lucis radijs, quam doctrina illius præsefert, totum Orbem terrarum illustrans.] Hæc Eusebius.

Eamdem veritatem summo consensu, post Christi aduentum, docuerunt Patres, & Doctores Catholici; affirmantes, in Rege Christo, & Ecclesia Catholica Dauidis thronum constitisse, & eius Regnum erectum, & firmatum fuisse: tum super Psalm.2. vers. [Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.] tum super cap.1. Lucæ vers. [Et dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius.] tum alibi.

Et quoniam ex his, quæ super dicto Psalm.2. docent, cætera lumen accipiunt, inde exordiri visum est.

Sanctus Hieronymus in Psalmum 2. qui est de Christo Rege ab æterno Patre constituto, vt supra cap.3. latè probauimus, ita scribit: [Super Sion, idest, super Ecclesiam montem sanctum eius. Mons est Ecclesia, vel ipse Christus: vt illud, Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.]

Idem Hieronymus in Amos cap.9. vers. [In

[In die illa.] in fine sic ait: [Nos autem qui non occidentem literam, sed spiritum sequimur viuificantem, iam in Ecclesia conuincimus expleta.]

Idem in Michæam cap.4. super illis verbis: [Et erit in nouissimo dierum.] postquam latè docuisset, montem domus Domini, de quo vaticinabatur ibi Michæas, esse Christum, ad quem populi, & gentes plurimæ festinabant: totus, scilicet, Orbis in eum credens, ait primò; [Ascensione opus est, vt quis ad Christum valeat peruenire: & ad Domum Dei Iacob, Ecclesiam, quæ est domus Dei, columna, & firmamentum veritatis.] Et paucis interiectis dicit secundò: [Ac primò quidem, iuxta literam, antequam nasceretur nobis puer, cuius principatus in humero eius, totus Orbis plenus erat sanguine: populi contra populos, reges contra reges, gentes dimicabant aduersus gentes: denique etiam ipsa Romana Respublica bellis lacerabatur ciuilibus; Cinna, & Octauio, & Carbone pugnantibus; Sylla, & Mario, Antonio, & Catilina, Cæsare, & Cneo Pompeio, Augusto, & Bruto, & eodem Augusto, & Antonio: in quorum prælijs vniuersa sanguinem regna fuderunt. Postquam autem ad Imperium Christi, singulare Imperium Roma sortita est, Apostolorum itineri peruius factus est Orbis, & apertæ sunt eis portæ vrbium, & ad prædicationem vnius Dei singulare Imperium constitutum est.] Hactenus Hieronymus; qui apertissimè docet, Christi Imperium singulare ad Imperium Christi Romam fuisse sortitam: de quo paulò post aptiùs dicetur.

Sanctus Augustinus: [Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum ipsius; ex ex persona ipsius Domini nostri Iesu Christi ista manifesta sunt. Sion autem si speculationem, vt quidam interpretantur, significat, nihil magis quàm Ecclesiam debemus accipere: vbi quotidie intentio erigitur speculandæ claritatis Dei; sicut Apostolus dicit: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes. Ergo iste sensus est: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Ecclesiam sanctam eius: quam montem appellat, propter eminentiam, & firmitatem. Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Ego, scilicet, cuius vincula illi dirumpere, & iugum meditabantur abijcere. Prædicans præceptum ipsius. Quis hoc non sentiat, cùm quotidie factitetur?] Hæc Augustinus.

Ruffinus: [Ego autem constitutus sum Rex ab eo, subaudi, à Patre meo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Ego inquam, cuius vincula illi dirumpere, & iugum meditabantur abijcere. Per Sion, quæ speculatio dicitur, sancta Ecclesia intelligitur: cuius intentio quotidie ad speculandam claritatem Dei erigitur sicut Apostolus dicit: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes. Quam Ecclesiam montem sanctum appellat, propter eminentiam, & firmitatem. Super hanc ergo Ecclesiam Vnigenitus Dei Patris Rex constitutus est, non vt terreno regnet Imperio, sed cœlesti.] Hæc Ruffinus.

Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis: [constitutus sum Rex ab eo] Patre [super Sion montem sanctum eius:] idest, super Ecclesiam de Iudæis, quæ dicitur mons sanctus, quia priùs recepit radios fidei, vt montes priùs suscipiunt radios Solis, secundùm illud: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Prædicans præceptum eius; idest, Euangelium, vel illud spirituale præceptum, de quo mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: & non tantùm Rex est super Iudæos, sed & super Gentes: de quibus probat auctoritate Patris, quia dubium erat: & hoc est, verè etiam super Gentes sum Rex.] Hæc Petrus Lombardus.

Sanctus Thomas: [Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Sciendum est autem, quod constitutus est Rex à Deo in Ierusalem, & sua prædicatione reduxit populum, quasi dicat, illi sic faciunt, sed intentum suum habere non possunt: quia sum constitutus, id est, stabilitus Rex super Sion, id est, super populum Iudæorum, qui erat in Ierusalem, cuius arx est Sion. [ab eo] scilicet, à Deo psalm.117. Dominus mihi adiutor; non timebo quid faciat mihi homo Iob.17. Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. [sum autem constitutus Rex super Sion montem sanctum eius] non propter me, sed vt regam populum, secundùm legem Dei, & ideò dicit, [prædicans præceptum eius.] Misticè autem constitutus est Rex: secundùm illud, Ierem.23. Regnabit Rex, & sapiens erit, &c. [Sion] idest, Ecclesiam Iudæorum, quæ dicitur, mons sanctus, quia priùs recepit radios solis Matth.15. Non sum missus nisi ad oues, & cap.2. Regum 19. An ignoro, me hodie Regem factum super Israel? [Prædicans præceptum;] idest, Euangelium; vel illud speciale præceptum, de quo dicitur Ioannis 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, & eiusdem 15. Hoc est præceptum meum, &c. Hoc autem præceptum personaliter prædicauit Iudæis, in persona, scilicet, propria Matth.4. Circuibat Iesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni Roman.5. Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, &c.] Hactenus sanctus Thomas.

Hugo de sancto Charo Cardin. Ordinis Prædicat. [super Sion,] id est, super primitiuam Ecclesiam de Iudæis: Sion dico montem sanctum eius: quia primò radios suscepit fidei primitiua Ecclesia de Iudæis, vel [super Sion montem sanctum eius] id est, super vniuersalem sanctam Ecclesiam, quæ mons dicitur, propter eminentiam virtutum. De constitutione huius Regis, Ierem. 23. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, &c.] Hæc Hugo.

Michael Ayguanus Bononiensis Ordinis Carmelitarum, qui hactenus sub nomine Auctoris incogniti, in lucem prodierat.] Et aduerte, quod quamuis Christus omnium Rex, & Dominus esset, quia Rex Regum, &c. tamen Regiam suam potestatem primò ostendit in Ecclesia ex Iudæis, quam ex gentibus quæ per montem Sion intelligitur, secundùm Glos. Quia Ecclesia Iudæorum priùs recepit radios

radios fidei, vt montes priùs suscipiunt radios solis. Vnde, & Iudæis primò prædicauit: Non sum missus nisi ad oues, &c. tamquam primis subditis eius, & hoc est, quod dicit. Ego autem constitutus sum, &c. prædicans præceptum eius.] Hæc Ayguanus.

Ludolphus Chartus [Ego autem] cuius vincula dirumpere, & iugum abijcere illi meditabantur, [constitutus sum Rex] secundùm humanitatem [ab eo] scilicet, à Deo Patre [super Sion montem sanctum eius,] idest, super Ecclesiam de Iudæis, quæ radios fidei primo recepit, sicut mons: quia ad eos principalitet Christus missus fuit. Ecclesiam Sion montem sanctum appellat, quia Deum, seu Dei gloriam speculatur: & quia alta in virtutibus, & firma. [prædicans præceptum eius.] idest, doctrinam Euangelij: Ego quidem per me in Iudæa: per Apostolos verò in omni terra.] Hæc Ludolphus.

Item Ioannes Card. de Turrecremata: [Ego Christus constitutus sum à Deo Patre Rex cui obediendum [super Sion] Ecclesiam Iudæorum, prædicans in ea legem eius. Non tantùm super Sion, & super Iudæos Rex sum constitutus, sed etiam super omnes gentes dominium habeo, tam iure hæreditario, quàm meritorio. Hæreditario quidem, quoniam Dominus Pater meus, qui vniuersorum Dominus est, dixit ad me, Filius meus naturalis singularis, & consubstantialis es tu, ego æternaliter genui te. Iure autem meritorio super omnes gentes dominium habeo, quoniam Dominus Deus Pater dixit ad me: Postula à me, &c.] Hæc Turrecremata.

Iacobus Perez de Valentia Episcopus Constantinopolitanus: [Ego autem constitutus sum Rex. Quasi dicat: ego veni in primo aduentu cum charitate, & humilitate, & prædicaui in ciuitate Ierusalem voluntatem Patris mei: ferendo legem Euangelicam in monte Sion, impleui figuram de Agno Paschali, & institui Sacramentum Eucharistiæ, & probaui per scripturas, & miracula, me fuisse Messiam in lege promissum, & noluistis me recipere: immò me occidistis. Et iterum prædicaui legem meam Euangelicam per Apostolos, & Doctores, & vocaui vos per Prædicatores, & noluistis venire. Sed vos videtis nunc, qualiter ego sum missus à Patre, & qualiter sum constitutus Rex super Sion montem sanctum eius, idest super totam Ecclesiam toto Orbe diffusam, & non solùm militantem sed etiam triumphantem, quia data est mihi potestas in cœlo, & in terra. Nam sicut fui prædicans præceptum, & legem eius super Sion terrenam, à quo sumit exordium, & vocata est Ierusalem, & Sion tota Ecclesia toto Orbe diffusa, ita data est mihi potestas in cœlo, & in terra, & in Ierusalem militanti, & triumphanti.] Hæc Iacobus Perez.

Dionysius Carthusianus. [Super Sion montem sanctum eius: id est, super populum Israel, illum præsertim, qui credidit, qui dicitur mons, propter legis sublimitatem, & gratiam electionis. Omnes quippe Prophetæ Messiam appellant Regem Israel. Vel per Sion, quod interpretatur speculatio, intelligenda est Ecclesia militans, id est, populus Christianus Christum contemplans, & eius lege, fide ac gratia sublimatus, præ ceteris Gentibus, sicut mons eleuatur super circumiacentes terræ partes, prædicans præceptum eius:] id est, legem Euangelicam docens, primò per me ipsum, deinde per Apostolos Spiritu sancto repletos.] Hæc Dionysius Carthusianus.

Cornelius Iansenius Episcopus Gandauensis [Super Sion montem sanctum eius: Quatenus hic Psalmus ad Christum pertinet, per Sion, hoc loco, sicut & alijs plerisque Scripturæ locis, Ecclesia fidelium, super quos peculiariter Christus regnat, intelligitur, quæ hoc nomine sæpè vocatur, tum quod Regnum Christi præfiguratum fuit in Regno Dauidis qui sibi regiam Diuino nutu delegit in Sion: tum quod Regnum Christi cœperit in Sion, atque ipsa terrena Ierusalē, iuxta illud Isaiæ 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem: tum etiam, quod nominis significatio rectè quadret in Ecclesiam Christi, significat enim Sion, speculationem, vel speculam quod benè competit ei, cuius conuersatio tota est in cœlis.] Hæc Iansenius.

Gilbertus Genebardus: [Sion: erat autem Sion mons Ierusalem bijugus, in cuius vno colle erat arx Dauidis, in altero Templum. Vtroque enim Magistratu, Ecclesiastico, & Politico Ecclesia continetur, munitur, & viget.] Hæc Genebrardus.

Idem est sensus illorum verborum, quæ Gabriel Archangelus dixit Beatissimæ Mariæ Lucæ cap. 1. [Et dabit illi Dominus Deus Sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.] Vt communiter interpretantur sancti, & Catholici Doctores, Basilius, Chrysostomus, Beda, Bernardus homilia 4. super [Missus.] Sanctus Thomas, Hugo Cardinalis, & alij quos consulto omittimus nominatim recensere: cùm communis interpretatio sit, Christo Regi datam Sedem Dauidis Patris eius eo modo, quo explicatum est, vt regnet in Ecclesia militante, donec mundus durabit, & in triumphante in secula seculorum, vtraque enim dicitur Sedes Dauid, quia significata per illam.

Supradictis accedunt Alfonsus Tostadus super num. cap. 24. quæst. 10. & super Matth. cap. 21. quæst. 30.

Albertus Piphius lib. 5. Hierarch. Eccles. cap. 3. & 7.

Petrus Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 25. 26. & 27.

Hieronymus de Sanctafide lib. 1. cap. 10. & 11. contra perfidiam Iudæorum.

Latè Iacobus Viterbiensis Augustianus tract. 1. de Regimine Christiano ad Bonifacium Papam Octauum cap. 1. & multis sequentibus.

Antonius Marinarius lib. 1. de Consonantijs Iesu Christi, & Prophetarum cap. incip. Accedit ad hæc.

Thomas Stapletonus lib. 1. & 2. de Magnitudine Romanæ Ecclesiæ.

Leo Castrus in Esaiam cap. 9. vers. Super solium Dauid 5. Sed vt ad rem ipsam, vbi concludit, Sedem Apostolicam, esse Regnum Dauid.

Et Ioannes Driedonius lib. 3. de Ecclesiasticis Scripturis, & Dogmatibus tract. 3. cap. 3. de Gemino aduentu Christi. Vbi respondens carnalium Iudæorum obiectioni, contra Christi aduentum asserentium, ea quæ præ-

prænunciantur sub aduentu Messiæ futura, non fuisse completa: cùm in diebus Messiæ prædiceretur futura abundantia pacis, & quod ipse auferret bella, vsque in fines terræ, & quod ad eum confluerent omnes Gentes, & dominaturus esset à mari vsque ad mare, & quod Regnum Messiæ contereret, & comminueret quattuor Regna sibi inuicem succedentia, videlicet, Assyriorum, Chaldæorum, Græcorum, & Romanorum, cùm iniquam huic obiectioni respondeat, verè affirmat, ista ex parte fuisse adimpleta, cùm Regnum eius, quod est Ecclesia, creuerit, & in omnem terram dilatatum fuerit, dum Christus in omni loco, & gente per Spiritum suum cœlitus in Apostolos missum, Ecclesiæ suæ Gentes subiecerit, & Idolorum cultum aboleuerit.

CAP. XXX.

Sedem, & Thronum principalem Christi Regis, esse Romam; in qua sanctus Petrus, & eius successores Romani Pontifices solium semper habere consueuerunt.

SAnctum Petrum Dei voluntate, & iussu Romam venisse, ibique Sedem Episcopalem, soliumque fixisse, vt inde tamquam Præfectus generalis vniuersalem gubernaret Ecclesiam, veteres Ecclesiæ Patres, & Doctores Catholici verè, & constanter docuerunt.

Sanctus Marcellus Papa, & Martyr, eius nominis primus, qui ad annos Domini 304. Romanæ præsidebat Ecclesiæ, epistola prima ad Episcopos per Antiochenam Prouinciam constitutos ita scribit. [Ipse enim Petrus caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & reliqua: eius enim Sedes primitus apud vos fuit, quæ postea (iubente Domino) Romam translata est, cui (adminiculante gratia Diuina) hodierna præsidemus die.] Hæc ille.

Sanctus Leo Magnus Pontifex Romanus anno Domini 450. Sermone primo in Natali Apostolorum Petri, & Pauli, postquam nobis Omnipotentis Dei misericordiam commendasset: qua filium suum hominem factum misit in mundum, vt genus redimeret humanum, Romanumque Regnum præparasset, vt postquam fidem Catholicam recepisset, per illud, quod vniuerso imperabat Orbi, ad omnes populos prædicatio Euangelij perueniret generalis, Petrum ad hanc Imperij arcem Diuinitùs destinatum docet his verbis: [Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium Gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.] Et paulò post, sermone ad Petrum conuerso, subiungit; [Iam populos, qui ex Circumcisione crediderant, erudieras: iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras: iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quò te Diuinis præordinationibus anteibant & honor potestatis, & gloria passionis.] Hæc ille.

Sanctus Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus in Apologia de fuga sua, Petrum, & Paulum, Diuinitùs monitos, venisse Romam profitetur his verbis: [Petrus quoque; qui ob metum Iudæorum in latebris se habuit, & Paulus Apostolus in sporta demissus & ita fugiens, cùm audiuissent, oportere se Romæ martyrium subire, non abiecerunt eam profectionem, sed potiùs cum gaudio abierunt.] Hæc Athanasius.

Sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis tom. 5. in Concione de Basilicis non tradendis hæreticis, cùm narrasset historiam tradentem, quod quamuis Petrus cupidus esset passionis, tamen contemplatione populi precantis, vt ad instituendum, & confirmandum populum se reseruaret, inflexus, cœpit recedere, subdit hæc verba: [Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Vrbemque ingredi, ait; Domine quò vadis? respondit Christus: Venio Romam iterum crucifigi, intellexit Petrus, ad suam crucem Diuinum pertinere responsum; Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque spontè remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.] Hęc Ambrosius. Vnde infertur, volente, & iubente Domino, Petrum & venisse Romam, & in ea martyrium pertulisse.

Sanctus Hieronymus in Michæam cap. 4. super illis verbis: [Et erit in nouissimo dierum,] vers. Ac primum quidem. Imperio Christi Romæ constitisse Imperium, & Apostolorum prędicationi Orbem patuisse, docet in hæc verba: [Postquam autem ad Imperium Christi, singulare Imperium Roma sortita est: Apostolorum itineri peruius factus est Orbis, & apertæ sunt eis portæ vrbium, & ad prædicationem vnius Dei, singulare Imperium constitutum est.] Hęc Hieronymus.

Hęc autem Imperij constitutio Romæ procul dubio per Petrum instituta est.

Huc omninò spectat Prophetia Danielis cap. 2. quam ibi præ ceteris interpretatur sanctus Hieronymus, vbi post quatuor Regna, siue Monarchias, Babyloniorum, Medorum, seu Persarum, Macedonum, seu Gręcorum, & Romanorum, suscitaturus erat Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur, Quod comminuet, inquit Daniel, & consummet vniuersa Regna hęc, & ipsum stabit in æternum, quia de monte abscissus lapis sine manibus comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Per lapidem autem sine manibus excissum, omnes Catholici Doctores intellexerunt Christum Saluatorem sine humano semine conceptum, & de Virgine natum, qui contritis omnibus Regnis factus est mons magnus, seditque in solio Ro-

mano

mano, vt mox apertiùs explicabitur.

Hegesippus libro 3. cap. 2. de excidio Hierosolymitano eamdem narrans historiam, quam pauló antea ex sancto Ambrosio recitauimus, in eamdem prorsus consentit sententiam.

Eusebius Cæsariensis libro 2. histor. Ecclesiast. cap. 13. singulari prouidentia Dei sanctum Petrum, quasi manuductum Romam, profitetur his verbis: [Sub ipso Claudij Imperio, benigna, & propitia Dei, totius huius vniuersitatis Rectoris, erga humanum genus prouidentia fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem, facilè Principem, Petrum Romam versus, ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit.] Hæc Eusebius.

Nicephorus Callistus lib. 2. cap. 14. histor. Ecclesiast. postquam docuisset Simonis Magi imposturas, & incantationes, quibus Romanos dementauerat, subiungit, ad eas dissoluendas, & veritatem prædicandam, Diuina prouidentia sanctum Petrum, Apostolorum Principem Romam fuisse directum, in hæc verba: [Sed enim non diu illi Simoni Mago fraude ea vti concessum est: nàm sub eodem Claudij Imperio, quæ omnia sapienter, propter summum in genus humanum amorem, dirigit prouidentia, quasi antesignanum, & insuperabilem, atque inuictum fidei propugnatorem; qui virtutis, ardorisque gratia primas inter Apostolos Diuiniùs est consecutus, Petrum, perinde atque contra feram agrestem, & perniciosam, excitauit. Is non secus, atque fortis, & generosus Dei Dux, Diuinis instructus armis, Occidentalibus, ex Oriente super cæleste perferr lumen; arcanum, scilicet, de Christo mysterium, & Regnum Cælorum læto promulgat nuncio. Atque ad hunc modum cùm in Occidente Euangelica reluceret lucerna, licèt Simon ipse vnà cum fraude, & seductione sua, confestim extinctus euanuit.] Hactenus Nicephorus.

Contigit autem Petri aduentus in Vrbem, ex sententia Eusebij, anno Christi 44. alij sub anno 45. eum venisse dicunt.

Et quoniam aduentus ille sancti Petri in Vrbem, Diuina prouidentia ordinatus, vniuerso Orbi, & toti Catholicæ Ecclesiæ celeberrimus futurus erat: cùm inde in vniuersa Regna, salus, & veritas denuncianda fuisset; propterea anniuersaria celebritate antiquitùs celebrari consueuit: qui quidem pristinus vsus non in Vrbe tantùm, sed & in vniuerso Christiano Orbe in annos singulos repetitus; licèt alicubi prætermissus; sed Pauli Papæ Quarti diplomate restitutus, in hodiernum vsque diem sanctissimè perseuerat; & de Cathedra sancti Petri Apostoli, qua primùm Romæ sedit, die 18. Ianuarij festum celebratur, vt constat ex Martyrologio Romano, & ex alijs, quæ venerabilis Beda, Vsuardus, Ado, & alij conscripserunt.

Verè animaduertit Cæsar Cardinalis Baronius cùm in Annalibus Ecclesiasticis to. 1. anno Iesu Christi 45. tùm in Notationibus ad Martyrologium Romanum die 18. Ianuarij, super vers. Cathedra sancti Petri; in aliquibus antiquioribus Breuiarijs, de Romanæ Cathedræ celebritate, hac die positum haberi officium Ecclesiasticum, vbi & hæc Oratio descripta legitur:

[Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili Sacramento, Apostolo tuo Petro Principatum Romanæ Vrbis tribuisti; vnde se Euangelica veritas per tota Mundi Regna diffunderet: præsta quæsumus, vt quod in Orbem terrarum eius prædicatione manauit, vniuersitas Christianæ deuotionis sequatur.] Hæc ibi.

In vetustissimo libro Sacramentorum sancti Gregorij Papæ I. 8. Kalen. Martij, de Cathedra sancti Petri in Roma celebratur Officium, in quo hæc contenta recitari solebat Oratio:

[Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili Sacramento Apostoli tui Petri Principatum in Romani nominis arce posuisti: præsta, vt quod in Orbem terrarum eius prædicatione inchoauit, Christianæ deuotionis sequatur vniuersitas.]
Hæc ibi.

Quibus consentiens sanctus Prosper in libro de Ingratis cap. 8. Romam Solium Petri vocat, hoc carmine:

Ergo Petri Solium Romam, & Carthaginis altæ
Concilium repetant humiles.

De Cathedra Petri Episcopali Romæ collocata, & ei collata, grauissima, & certissima extant sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum testimonia, quæ breuitatis causa consultò prætermittuntur à nobis, aliò properantibus.

Quod ex Optato Mileuitano Afro lib. 2. contra Parmenianum, commemorari solet, illustre planè est, ait enim: [Negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus: vnde & Cephas appellatus est. In qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur: ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam Schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus.] Hæc Optatus.

CAP. XXXI.

Rabbinorum quoque testimonijs probari, Regi Messiæ Christo Romanum Imperium fuisse subijciendum.

De Commentarijs, & Traditionibus Rabbinorum antiquorum deducta testimonia eamdem comprobant veritatem; videlicet, Romam ipsam, & Romanorum Imperium Domino Iesu vero Messiæ subijci debuisse. Apud Esaiam cap. 26. Vaticinium extat, his verbis:

In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda:
Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.
Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem.
Vetus error abijt, seruabis pacem, pacem, quia in te sperauimus.
Sperastis in Domino in seculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.
Quia incuruabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit.
Humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem.
Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.
Hæc ibi.

Quod Vaticinium, siue Prophetiam, Rabbi Salomon ita interpretatur: [Vrbs fortitudinis erit nobis Iesus, idest Saluator, siue saluatio.] Et infra: [Vrbem sublimem humiliabit, idest, Romam, & Italiam, Humiliabit inquam eam vsque ad terram: calcabit eam pes pedum pauperis, idest Regis Messiæ: de quo dictum est Zachariæ 9. cap. Pauper, & equitans super asinam, gressus egenorum, idest, Israel.] Hæc Glossa Rabbi Salomonis, quam fideliter refert Petrus Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 27. vbi verè affirmat, [tunc pedem pedum pauperis, idest, Regis Messiæ, Romam, atque Italiam vsque ad terram humiliasse, cùm sublimitas Romani Imperij, Cælum penè tangens, iugo Christianæ fidei humiliter collum submisit, vsque ad pauperum, & humilium vices Christi gerentium pedum oscula. Tunc autem gressus egenorum, idest, Israel, iuxta Rabbi Salomonis Glossam, Romam ipsam calcauit; cùm ad prædicationem Apostolorum Christi Petri, & Pauli, idololatriæ cultum, voluptatesque, ac delicias, quas Christiana Religio respuit, prorsus dimittendo, sese Christo subiecit; & tunc certè potissimùm, cùm Constantinus Romanorum Imperator. Orbisque Monarcha, Baptismi Sacramento suscepto, à lepra mundatus, sanitateque Diuinitùs recuperata, ipsum Iesum Christum, Mundi Redemptorem, ac Saluatorem, verum Regem Regum, atque vnicum Cœli, & terræ Dominum esse cognoscens, sponte seipsum, vniuersumque Romanum Imperium eidem subiecit.] Hæc Galatinus.

Numer. cap. 24. Balaam vaticinatus legitur, his verbis: [Venient in trieribus de Italia: superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos: & ad extremū etiam ipsi peribunt.] Hæc Prophetia declarat, exercitus Romanorum nauigijs vectos, ad expugnandos Reges Orientales accessisse: & contra Assyrios, immò contra omnes gentes Asianas, maiori ex parte, multa bella gessisse, easque expugnasse, & sibi subiecisse, vt Romanorum historiæ testantur: Hebræos etiam superasse, & tempore Vespasiani, & Titi expugnasse, & multis cladibus afflixisse. Demùm Romanos, & per bella ipsis illata, & per mutuas ciuiles discordias debilitatos perijsse. Quod Rabbi Salomon affirmauit, futurum per legem Messiam, vt Alphonsus Tostadus refert ibidem, præsertim quæst. 10. vbi verba illa: [De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias Ciuitatis:] ait, intelligi de Messia: & appellatione, [Ciuitatis,] intelligi Ciuitatem Romanam, etiam testimonio Hebræorum, Nàm Rabbi Salomon dixit, quòd Messias destruet reliquias Ciuitatis, idest, Vrbis Romæ, & consequenter totius Imperij. Vrbem enim Romam subiecit sibi Christus, & dominatus est illi, quia fecit illam sedem Vicarii sui Petri, & tempore Constantini Imperatoris potentiùs facta fuerit Ecclesiæ patrimonium. Hæc latiùs prosequitur iaidem Tostadus.

Abdiæ cap. 1. in fine ità prophetatum extat: [Et ascendent Saluatores in montem Sion, iudicare montem Esau, & erit Domino Regnum.] Hæc ibi. Quo loco Rabbi Ionathan vertit: [Et ascendent Seruatores ex monte Sion, ad iudicandam arcem magnam Esau, hoc est, Vrbem Romam.] Rabbi etiam Salomon: [Montem Esau,] Romam interpretatur, vt constat ex Nicolao de Lyra, qui ibidem totam hanc Prophetiam interpretatur, his verbis:

[Ascendent Saluatores. Idest Petrus, & Paulus, qui dicuntur Saluatores participatiuè: eo quòd fuat præcipui Apostoli.]

[In montem Sion. Idest, in Ecclesiam, quæ mons Sion dicitur, Esaiæ cap. 2. & Hebr. 12.]

[Iudicare montem Esau. Idest, Romam, vt dicit Rabbi Salomo: quia apparentes Constantino, & eum arguentes de persequutione Christianorum, induxerunt eum, ad defensionem Christianorum, & ædificationem Ecclesiarum per Romanum Imperium.]

[Et erit Domino Regnum. Quia Romam caput Mundi dimisit Vicario Christi, transferens Sedem Imperij Constantinopolim.] Hactenus Nicolaus.

Christophorus de sancto Antonio Ordinis sancti Francisci in Scripturis sacris apprimè versatus, in libro prætitulato, Triumphus Christi Iesu contra Infideles tit. 7. Quòd Christus Rex Messias iam venit, & quòd verus Christus fuit Iesus Nazarenus Dominus noster. Allegatione 22. incip. Vigesimosecundò principaliter. Conditione 81. ex eadem Abdiæ Prophetia eamdem veritatem probando, sic scribit: [Conditio 81. est, quòd Roma futura erat Regnum Deo in aduentu Christi.] Abdiæ 1. in fine, vbi sic scribitur: [Et ascendent Saluatores in montem Sion, iudicare montem Esau: & erit Domino Regnum. Vt implementum huius auctoritatis constet, præmitto vnum suppositum: quòd hæc auctoritas, etiam secundùm Hebræos, intelligitur de tempore Christi, vt refert Nicolaus. Secundò præmitto suppositum, quòd, ly Esau, intelligit Rabbi Salomo Romam, quem sequitur Nicolaus. Nàm omnes, qui populum Dei persequuntur, appellantur ab Hebræis Esau, & Edom: eò quia Esau persecutus est Iacob: vt ait Hieronymus in prologo huius Prophetiæ, & etiam Nicolaus, & constat in pluribus Glossis Hebræorum. Et quia tunc Roma erat cōtraria populo Dei, Propheta appellat eam, montem Esau. His suppositis. Ex ista auctoritate habemus, quòd in monte Sion ascensuri erant Saluatores, iudicare Romam, quæ futura erat Regnum Deo. Consonat huic Numer. 24. vbi de Christo sic scriptum est: Orietur stella

ex

ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio eius: ly, Idumæa, quæ erat futura possessio Christi, Roma intelligitur, secundùm Nicolaum ibi, vt solent intelligere Hebrei: quam auctoritatem latiùs declaro super isto Titulo, & Allegatione, in Conditione 13. Hoc autem impletum constat in Iesu Nazareno Deo nostro; quia Petrus, & Paulus Apostoli Christi, (qui dicuntur Saluatores nostri participatiuè) ascenderunt in montem Sion, idest, in Ecclesiam Militantem, quæ dicitur Sion: vt dixi in Titulo, de Duplici aduentu, dùm allego Psalm. 49. Iudicare montem Esau, idest, Romam: & fecerunt ibi Regnum Deo, scilicet, Iesu Christo Deo, & homini, vt erat prophetatum in dicta Prophetia Abdiæ. Nàm ibi habuit Petrus Apostolus Sedem vsque in diem mortis suæ: ibi ipse, & Paulus Apostolus prædicauerunt, martyrio coronati sunt: ibi successores Petri, & Iesu Christi Vicarij semper habuerunt Sedem Pontificalem vsque ad tempus Constantini Imperatoris; quo tempore tota Ciuitas Romana fuit conuersa ad Christum, & donata ipsi Ecclesiæ, vt ibi esset Regnum, & caput Regni Christi, & Roma esset possessio eius, vt in duabus Prophetijs erat prophetatum, vt hæc patent in historijs, & legendis Petri, & Pauli, & beati Siluestri, & aliorum Romanorum Pontificum: & vt ipsa euidentia notorij permanentis oculis omnium implementum ostendit.] Hactenus ille.

Licèt in libris Talmudistarum grauissimi errores, & blasphemiæ contineantur: nihilominus sæpè Talmudistæ in suis Glossis, & Traditionibus quædam referunt, quæ ad hanc veritatem patefaciendam etiam conducunt; & talis est historia, quæ narratur in Sanhedrin, cap. Col Israel, quam inde recitat Hieronymus de Sanctafide lib. 1. cap. 11. contra impietatem, & perfidiam Iudaicam, his verbis: [Rabbi Osua filius Leui reperit Eliam, & Rabbi Simeon filium Ioaij, stantem ad portas Paradisi, dixitque ei Rabbi Osua: Ibo ego ad gloriam Paradisi, dicunt ei, Ito, si Dominus iste voluerit. Dixit Rabbi Osua, Sic duos homines videbam, sed voces trium audiebam. Glossat Rabbi Salomon, quòd gloria Dei cum illis erat ibi. Dixit eis Rabbi Osua, Et quando veniet Messias? Dicunt ei, Vade, & quære ab ipso eodem. Qui ait, Vbi reperiam eum? Dicunt ei, Ad portam Romæ. Et ille, Quæ sunt eius signa? Responderunt, Reperies eum inter pauperes, & vulneribus passionatum; sicut Esaias cap. 53. ait: Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit, & nos reputauimus eum quasi leprosum, percussum à Deo, & humiliatum. Iuit ergo ad eum, dixitque illi, Domine quando venies? Qui ait: Hodie. Post aliquot verò dies reuersus est Rabbi Osua ad Eliam, dixitque illi: Mentitus est mihi Messias; me enim ab eodem quærente, Quando venire deberet, respondit mihi, Hodie. Cui Elias respondens ait, Verum dixit tibi, Nam, Hodie si vocem eius audieritis.] Hactenus historia: ex qua Hieronymus de Sanctafide præcitato loco quatuor colligit conclusiones in hæc verba: [Ab hac auctoritate ego extraho quatuor conclusiones.]

Prima est, Quòd à tempore huius Doctoris Rabbi Osua, quo fuit, hodie sunt plures quàm mille ducenti anni, iàm Messias natus erat.

Secunda, Quòd sessio principalis Messiæ, & eius thronus principalis sit in Roma.

Tertia, Quòd licèt primus eius aduentus fuerit in illo tempore, à quo fluxerunt anni 1412. cum toto hoc tempore adhuc quotidiè venire non cessat, ad illos videlicet, qui ad doctrinam eius, & fidem conuertuntur.

Quarta est, Quòd eius conuersatio fuit cum paupertate, & humilitate.

Hæc Hieronymus de Sanctafide quondam Iudæus; sed deinde ad Christianismum conuersus, & Benedicti XIII. in sua Obedientia nuncupati Medicus, ad annos Domini 1410.

CAP. XXXII.

Constantini Imperatoris cessionem in Ecclesiam Romanam, non sine miraculo fuisse prouisam.

Similiter cùm Cap. 30. & 31. Doctorum testimonia recitantes sæpè dixerimus, Romam, iuxtà Prophetarum Vaticinia, Christo se subiecisse, & eius Imperium agnouisse; idque tunc potissimùm factum, quando Constantinus Imperator à lepra mundatus, se ei subiecit, & Romanum consignauit Imperium, ne quis (id figmentum esse arbitretur, vt cum Laurentio Valla, in hoc ab Ecclesia proscripto, sine solido fundamento arbitrati sunt superiori seculo Nouatores, & alij rerum nouarum cupidi amatores,) intelligat eam Constantini cessionem, Diuina prouidentia, non sine miraculo factam fuisse: quam constanter asseruerunt præ cæteris quatuor sanctissimi Romani Pontifices, Leo IX. Gregorius VII. Innocentius III. & Nicolaus III.; & duo Concilia Generalia, Viennense, & Constantiense.

Leo IX. anno 1050. in epistola aduersus inauditas præsumptiones Michaelis Constantinopolitani, & Leonis Acridani Episcoporum, Prouerb. 21. cap. 12. his verbis: [At quoniam attestante Salomone, cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud, tantùm apicem dignitatis in beato Petro, & eius Vicarijs prudentissimus terrenæ Monarchiæ Princeps Constantinus, intima consideratione reueritus, cunctos vsque in finem seculi successuros, eidem Apostolo in Romana Sede Pontifices, per beatum Siluestrum non solùm Imperiali potestate, & dignitate, verùm etiam infulis, & ministris adornauit Imperialibus: valdè indignum fore arbitratus, terreno Imperio subdi, quos Diuina Maiestas præfecit cælesti.] Hæc sanctus Leo.

Gregorius VII. anno 1075. lib. 9. Registi post Epistolam tertiam incip. Prudentiæ vestræ in formula iuramenti Henrici regis singulariter contineri voluit, quæ Constantinus, & Carolus sancto Petro dederunt, in hæc verba: [Ab hac hora, & deinceps fidelis ero per rectam fidem Beato Petro Apostolo, eius-

eiusque Vicario Papæ Gregorio, qui nunc in carne viuit: & quodcumque mihi ipse Papa præceperit, sub his, videlicet, verbis: Per veram obedientiam; fideliter (sicut oportet Christianum) obseruabo. De ordinatione verò Ecclesiarum, & de terris, vel censu, quæ Constantinus Imperator, vel Carolus sancto dederunt, & de omnibus Ecclesijs, vel prædijs, quæ Apostolicæ Sedi ab aliquibus viris, vel mulieribus, aliquo tempore sunt oblata, vel concessa, & in mea sunt, vel fuerint potestate, ita conueniam cum Papa, vt periculum sacrilegij, & perditionem animæ meæ non incurram.] Hæc ibi. Perindè autem est dicere: Ita conueniam cum Papa, vt periculum sacrilegij, & perditionem animæ meæ non incurram: ac iurare, Se eas concessiones, & oblationes non violaturum.

Innocentius Tertius anno 1210. Sermone 1. in festo sancti Siluestri Pontificis Maximi apertiùs idem declarauit, his verbis: [Vir Constantinus egregius Imperator ex reuelatione Diuina per Beatum Siluestrum à lepra in Baptismo mundatus, Vrbem pariter, & Senatum cum hominibus, & dignitatibus suis, & omne regnum Occidentis ei tradidit, & dimisit, secedens, & ipse Byzantium, & regnum sibi retinens Orientis.] Hæc Innocentius.

Nicolaus Papa Tertius anno 1278. in cap. Fundamenta. §. Ne autem de elect. lib. 6. in hæc verba: [Ne autem ipsa Mater Ecclesia in Congregatione, & pastura fidelium temporalibus careret auxilijs; quin potiùs Ipsis adiuta, spiritualibus semper proficeret incrementis; non absque miraculo factum esse * concipitur; vt occasionaliter Constantini Monarchæ à Deo pronisa, sed curata Baptismalibus fomentis infirmitas, quamdam quasi adijceret ipsi Ecclesiæ firmitatem; qui quarto die sui Baptismatis, vnà cum omnibus Satrapis, & vniuerso Senatu, Optimatibus etiam, & cuncto populo, in persona Beati Siluestri, sibi Romanam concedendo Vrbem relinquens, ab eo, & successoribus eius, per Pragmaticum Constitutum disponendam esse (decernens in ipsa Vrbe vtriusque potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus) declararet; non iustum arbitrans, vt vbi Sacerdotij principatum, & Christianæ Religionis Caput Imperator cœlestis instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem; quin magis ipsa Petri Sedes in Romano iam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur. Nec vlli subesset homini, quę ore Diuino cunctis dignoscitur esse prælata.] Hæc Nicolaus.

Prædictis Romanorum Pontificum declarationibus accedunt prædicta duo Concilia generalia, Viennense, & Constantiense. In Viennensi sub Clemente V. anno 1313. relato in Clemen. 1. de Iureiur. §. Porrò præter iuramenta, verſ. eidem etiam hæc sunt verba ex iuramento Henrici Imperatoris: [Eidem etiam adijciens iuramento, quòd manutenere semper, atque seruaret priuilegia omnia per prædecessores suos Reges, ac Imperatores Romanos præfatæ Romanæ, & alijs quibuslibet Ecclesijs quocumque concessa tempore, & continentiæ cuiuscumque, ipsaque omnia, & specialiter, ac præcipuè per Claræ memoriæ Constantinum, Carolum, Henricum, Othonem Quartum, Fridericum Secundum, atque Rodulphum prædecessores ipsius, super concessione, recognitione, aduocatione, quietatione, & libera dimissione terrarum, & Prouinciarum Romanæ Ecclesiæ vbilibet positarum, quarum etiam multas nominatim expressit: Sedi Apostolicæ, Romanisque Pontificibus, super quocumque tenore concessa, recognouit, confirmauit, & ex certa scientia innouauit, ac etiam de nouo concessit. Et terras ipsas, atque Prouincias recognouit ad ius, & proprietatem ipsius Ecclesiæ plenissimè pertinere: easque nihilominùs ex abundanti de nouo Ecclesiæ sæpè factæ donauit: sub prædicto se obligans iuramento, quòd ipsas aliquamue ipsarum partem nullo vmquam tempore occuparet, seu quantùm in eo esset, ab alio permitteret occupari.] Hæc ibi.

In Constantiensi, anno 1415. Seſſ. 8. dum condemnatur articulus 33. Ioannis Wicleffi, asserentis: [Quòd Siluester Papa, & Constantinus Imperator errauerunt, Ecclesiam dotando, duo potissimùm apertiùs indicantur. Primum, cum hæreticum non reuocasse in dubium factum Constantini, Ecclesiam dotantis; nec Siluestri dotem acceptantis. Alterum Patres eamdem dotationem tamquam veram, & legitimam agnouisse; sed hæretici hominis assertionem cùm suæ prauitatis, & censuræ qualitate respuisse.

Cætera ad hunc articulum spectantia, latè in peculiari libro de Vera Constantini cessione tradidimus. Interim pauca hæc, ponderosa tamen, sufficere putauimus, ad ostendendum, verum asseruisse Doctores Christianos, & Rabbinos cum eis consentientes, affirmando, sessionem, thronum, seu solium principale Mesiæ Regis Iesu Christi Domini nostri Romæ fuisse diuinitùs collocatum, & Regiam Dauidis sedem nobiliùs instauratam, feliciùs, & latiùs, & totius Romæ, quàm Ierusalem in arce Sion constitisse.

CAP. XXXIII.

Regnum Christi in Ecclesia maximè admirabile, insigniter visibile, & aspectabile fuisse, & esse; primùm in Christo Domino eiusdem Ecclesiæ Capite, & Gubernatore.

Tametsi ex supradictis apertè constet, Christi Regnum maximè visibile, & aspectabile esse; neque in sola spiritualitate consistere, quamuis ad spiritualia potissimùm referatur; nihilominùs apertioris doctrinæ gratia, & ad omnes difficultatum nebulas faciliùs depellendas, visum est adhuc, idem hoc loco singulariter declarare.

Siue ergo spectemus Christum verum Regem, & Catholicæ Ecclesiæ Dominum, ac Gubernatorem: siue Petrum Christi Domini Vicarium, & cæteros Domini Apostolos: siue

Roma-

Rumanos Pontifices Petti successures: siue sarrum Romanæ Ecclesiæ Senatum, & Senatores: siue Episcopos in diuersis Prouincijs, & Regnis, in singulis ciuitatibus constitutos; proculdubiò reperiemus, nedum ratione spiritualitatis, verùm etiam respectu potestatis, & Ciuilis iurisdictionis, Ecclesiæ regnum in eis, ac per eos, valdè resplenduisse, ac resplendrre.

In Christo Domino res uotior est, quàm vt pluribus explicare oporteat; cùm & in natiuitate, & in vita prædicando, & miracula operando, & legrs ferendo, & post mortem, & potentissimum se Dominatorem, & totius Orbis Saluatorem patentissimè exhibuerit, & manifestauerit.

In natiuitate quidem, quia eius præsentia, quæ visibilis tunc hominibus apparuit, vsque ad Gentes eius fama periata est, quod egregiè docuit sanctus Martyr Cyprianus de Stella, & Magis, in hæc verba: [Nato in Bethleem Saluarote, audita est in Ephrata eius in terris præsentia, & vsque ad syluas, camposque Gentium nouæ huius natiuitatis est fama porrecta. In Iudæa à Pastoribus, & Angelis primò sunt hæc gaudia celebrata: nec multò post Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari Stella luminis cœleste Numen nouis splendoribus indicauit.] Hactenus Cyprianus.

Et paulò copiosiùs sanctus Leo Papa. Sermone 1. in Solemnitate Epiphaniæ Domini nostri Iesu Christi, in hæc verba; [Ad omnium hominum spectat salutem, quòd infantia Mediatoris Dei, & hominum iam vniuerso declarabatur mundo; cùm adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamuis enim Israeliticam gentem, & ipsius gentis vnam familiam delegisset, de qua naturam vniuersæ humanitatis assumeret; noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis Stella nouæ claritatis apparuit, quæ, illustrior cæteris, pulchriorque syderibus, facilè in se intuentium oculos animosque conuerreret: vt confestim aduerteretur, non esse ociosum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitis signum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus.] Hæc Leo, qui mox Sermone 2. de Epiphania idem argumentum illustrius reddit his verbis:] Gaudete in Domino dilectissimi; iterum, dico, gaudete; quoniam breui interuallo temporis post solemnitatem Natiuitatis Christi, Festiuitas Derlarationis eius illuxit: & quem in illo die Virgo peperit, in hoc mundus agnouit. Verbum enim caro factum sic susceptionis nostræ temperauit exordia, vt natus Iesus, & credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus. Iam tunc ergo Cœli enarrauerunt gloriam Dei, & in omnem terram sonus veritatis exiuit: quando & pastoribus exercitus Angelorum Saluatoris editi annunciator apparuit, & Magos, ad eum adorandum, præuia stella perduxit: vt à Solis Ortu vsque ad Occasum veri Regis generatio coruscaret: cùm rerum fidem, & regna Orientis per Magos discerent, & Romanum Imperium non lateret. Nam & sæuitia Herodis volens primordia suspecti sibi Regis extinguere, huic dispensationi nesciens seruiebat: vt dum atroci intentus facinori, ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annunciatum cælitus Dominatoris Ortum insignior vbique fama loqueretur; quàm promptiorem ad narrandum, diligentioremque faciebat, & supernæ significationis nouitas, & cruentissimi persecutoris impietas. Tunc autem etiam Ægypto Saluator illatus est: vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur: & quæ nondum eiecerat ab animo superstitionem, iam hospitio reciperet veritatem.] Hactenus Leo.

De visibilibus, & maximè aspectabilibus Christi Regis Domini nostri in vita actionibus, ad fundandam Ecclesiam, & nouam legem ferendam, sacra quatuor Euangelia locupletissimum perhibent testimonium. Ipse enim, quando venit plenitudo temporis, missus à Patre, & pro redemptione generis humani de purissimis Mariæ Virginis sanguinibus conceptus in vtero, factus homo, venit ad Ierusalem, & ad Sion: vbi legem nouam, idest, Euangelicam docuit, & subsecuta operatione miraculorum confirmauit. Nam, & legrm nouam daturum fuisse Regem Messiam Christum, longè ante eius aduentum multis Oraculis Prophetarum fuerat prænunciatum: Esaia cap. 2. [Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.] Hæc ibi.

Et rursùs Esaiæ cap. 12. [Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: & dicetis in illa die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Notas facite in populis adinuentiones eius. Hæc ibi. Quæ verba Rabbi Ionathan sacræ Scripturæ Paraphrastes sic transtulit: [Et recipietis doctrinam nouam in gaudio ab electis Iusti.]

Item Esaiæ cap. 42. [Ecce seruus meus, suscipiam eum; iudicium Gentibus proferet; & legem eius insulæ expectabunt.]

Et Ieremiæ cap. 31. [Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: Post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.]

Et Ezechielis cap. 16. [Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ; & suscitabo tibi pactum sempiternum.]

Ex his enim, & alijs Oraculis Prophetarum, Messiam Regem Christum, nouam legem Euangelicam, Mosayca antiquata, vniuerso Orbi fuisse daturum, docuerunt vno consensu Doctores Christiani: & illi præsertim, qui Iudæorum deliria, & imposturas confutauerunt: in quibus sunt Hieronymus de Sanctafide, de Iudæo factus Christianus lib. 1. cap. 9. contra perfidiam Iudaicam.

Christophorus de sancto Antonio in præclaro Opere prætitulato, triumphus Christi Iesu contra Infideles, tit. 10. [Quod in aduentu Christi Regis Messiæ futura erat noua lex, & lex Moysi, & ceremoniæ cessare deberent.]

Finus Hadrianus in Flagello contra Iudæos lib. 4. cap. 21. & multis seq.

Et Petrus Galatinus lib. 10. de Arcanis Catholicæ veritatis contra perfidiam Iudæorum cap. 1.

Neque de hac re est ampliùs dubitationi relictus locus, cum ex Esaiæ cap. 33. constet, Regem Messiam Christum Dominum, vocatum Iudicem nostrum, & Dominum, Legiferum nostrum, & ex sancto Paulo ad Romanos cap. 1. didicerimus, Christum dedisse Euangelium; quod antea Deus promiserat per Prophetas. Notum est autem, ferre leges, actum esse supremæ potestatis, & Imperatiuæ, Ciuilis iurisdictionis, vt supra suo loco docuimus, & tradit nominatim Ioannes Cardinalis deTurrecremata in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 47. incip. Improbato errore.

Post mortem, & Resurrectionem, Regem Messiam Christum Dominum visibiliter, & potenter ad fundandam Ecclesiam præcepta dedisse. Euangeliorum testantur eloquia. Apud Matthæum cap. 28. postquam dixisset Dominus. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; subiunxit; Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos, seruare omnia, quæcumque, mandaui vobis.] Et apud Marcum cap. 16. de amplissima, & suprema eius potestate luculentum extat testimonium, cùm scriptum sit ita: [Et dixit eis (Dominus) Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui verò non crediderit condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis; serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, Super ægros manus imponent: & benè habebunt. Hæc ibi.

Egregium profectò admirabilis; & valdè aspectabilis Catholicæ Ecclesię toto Orbe diffundendæ principium, & maximè potestatis euidentissimum argumentum, cùm Christus Regia: & Imperatiua maximè potestate, nulla vel perita, vel obtentia à terrenis Principibus facultate, in eorum Prouincias, Regna, Imperia, ciuitates, & oppida Apostolos suos, quasi de latere Legatos, miserit, vt abolito falsorum Deorum cultu. & Idololatria extirpata: nouam legē Euangelicam prædicarent, & noua Dogmata custodienda traderent, & quæcumque mandauit ipse. seruare præciperent.

CAP. XXXIV.

In Petro Christi Vicario, & reliquis Domini Apostolis Ecclesiæ initia insigniter spectabilia fuisse.

POstquam Dominus in cælum ascendit Apostoli mandata eius seruantes, & arduo se ac difficili operi accingentes fundandæ Ecclesię vnanimiter, constanter, & feruidè studuerunt, & repleti Spiritu sancto, in die Pentecostes accepto dono linguarum. varijs linguis loqui cœperunt, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, & cùm multitudo hominum conuenisset, audiuissetque vnusquisque lingua sua illos loquentes; stupebant omnes, & mirabantur, dicentes. [Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus Parthi, & Medi, & Aelamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam. Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam; Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen. & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.] Hæc Lucas. Act. cap. 2. Gentes autem illæ, quæ Apostolos suis linguis loquentes audiebant, primos Euangelicę prædicationis fructus collegerunt. Quoniam verò quidam Apostolos, tamquam ebrios, irridebant, Petrus omnium Magister, & Princeps, leuata voce, aperuit veritatem, & allegata Ioelis Prophetia, ita futurum docuit & animo intrepido Iesum Nazarenum prædicando, vniuersos hortabatur, ad agendum pœnitentiam, & qui recipiebant sermonem eius baptizabantur: & tam erat mirabilis, & efficax sermo. vt in illa Pentecostes die circiter tria millia ad Christi fidem conuersa fuerint, vt testatur sanctus Lucas Act. Apost. cap. 2. Referebatur quidem hoc Christi Regnum ad salutem potissimum animarum, vt in cordibus Credentium regnaret Christus: sed ipsi Credentes homines erant, & legibus Euangelicis viuentes, mandatis Domini obediebant, & ad obediendum, postquam semel receperant fidem, per mandata Domini, & Apostolorum Dogmata, cis prorsus conformia, obligabantur.

Potestas insuper, & iurisdictio Petri, etiam Ciuilis in puniendis delictis, in ipso Ecclesiæ principio valdè emicuit, nam cùm Ananias. & Sapphira vxor eius vendidissene agrum, & de pretio agri fraudassent, Petrus fallentes, & mendaces peccatores extinxit. Vnde factus est timor magnus super omnes Actu. cap. 5.

Quanta fuerit eiusdem Petri potestas in dirimendis controuersijs, quæ circa credenda exoriebantur, apertè constat ex eisdem Apostol. Act. cap. 15. vbi cùm qui conuersi fuerant de hæresi Pharisæorum, contenderent cum Euangelio seruandam esse legem Moysi & Apostoli, & Seniores super hoc conuenissent,

sent, & magna propterea fieret conquisitio: surgens Petrus quæstionem diuinitùs declarauit, & eius declarationi obtemperauit omnis multitudo.

Sed illud planè mirabile: & valdè aspectabile Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, nam Apostoli diuinitus inspirati, sicut à Domino acceperant, antequam in Orbis Prouincias proficiscerentur, Euangelium prædicaturi, Symbolum ordinauerunt, quod nunc Catholica Romana retinet Ecclesia, vt vbiq; prædicantes, eamdem omnino fidem populis denunciarent, vt conformiter testantur Patres Græci, & Latini, Clemens I. epist. 1. Irenæus lib. 1. cap. 2. aduersus Hæreses, sanctus Ambrosius Sermone 38. sanctus Hieronymus epist. 61. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani, cap. 9. Ruffinus in Expositione Symboli, sanctus Augustinus Sermone 181. de Tempore sanctus Leo Papa epist. 13. ad Pulcheriam Augustam, Beda in Commentarijs Esdræ lib. 2. & alij quos longum esset recensere.

Præceptis credendorum, quæ in Symbolo diuino continebantur, accedebant Dogmata. de quibus sanctus Lucas Actu. cap. 16 loquitur, dicens, Cùm autem pertransirent ciuitates (Paulus, Silas, & Timotheus) tradebant eis custodire Dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis: & Senioribus, qui erant Ierosolymis.]

Qualia autem ista Dogmata essent, ex Canonibus Apostolorum, & ex Constitutionibus Apostolicis Clementis Romani colligere licet. Ac talia quidem in primis erant Vt ab omni cultu Idolorum, & falsorum Deorum abstinerent. A peccatis cauerent, Auaritiam, quæ est Idolorum seruitus, euitarent. Vt contumeliam non referrent. Neque inimicos offenderent: sed eos potius diligerent, & pro eis deprecarentur: Vt à lectione Librorum Gentilium abstinentes, lectioni sacrorum Librorum vacarent, Vt viri vxores diligerent, & vxores viros, & castitatem coniugalem seruarent: Vt filios in Domini timore educarent: Vt peccata sua frequenter confiterentur; & iniunctam recipe-rent, & humiliter peragerent pœnitentiam. Hæc & plura eiusmodi, quæ à Patribus primi illius sæculi recensentur, Apostoli præscribebant Fidelibus conuersis seruanda, sicut à Domino in mandatis acceperant. Quibus sic Ierosolymis constitutis, Apostoli profecti sunt ad prædicandum. Quas autem Prouincias vnusquisque sortitus sit, breuiter in Collectaneis, & floribus Bedæ Presbyteri tom. 3. continetur his verbis. [Apostoli Christi, prædicatores fidei. & Doctores Gentium, certis locis in mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit; Andreas Achaiam: Iacobus Hispaniam; Thomas Indiam; Ioannes Asiam: Matthæus Macedoniam: Philippus Galliam; Bartholomæus Lycaoniam: Simon Zelotes Ægyptum: Matthias Iudæam Iacobus Frater Domini Ierosolymam. Paulo cum cæteris Apostolis nulla sors propria traditur, quia in omnibus Gentibus Magister, & Prædicator eligitur.] Hæc ibi.

Quilibet verò Apostolus in Prouincia sibi ad prædicandum decreta, vt legem Euangelicam in ea constitueret, & stabiliret; quid fecerit, quot miracula; Diuina virtute fuerit operatus, quot mirabilia ediderit, quot Ecclesias, & loca sacra erexerit; operosum est, immò vero impossibile oratione complecti. Illud tamen certissimum, & exploratissimum est; eos non solùm infimos de plebe, sed maiores: & nobiles quoque, ac Principes, & Reges interdum ad fidem Christianam sic conuertisse, vt abnegata impietate & nefario Dæmonum cultu abdicato, Christi rebelles antea voluntates: postea obedientes obtulerint, & se suaque omnia sponte subiecerint, suoque exemplo, ad eamdem legem Diuinam recipiendam, subditos suos suauiter traxerint.

De Apostolorum vita, peregrinationibus, prædicationibus, & miraculis, multa Sanctorum, & clarorum virorum monumenta extant. De Petro eorum Principe, qui valdè difficilem ad conuertendum suscepit prouinciam, satis est recensere, quod de ipsius aduentu Romam sanctus Leo Sermone 1. in Natali Apostolorum Petri, & Pauli mirabundus scripsit, in hæc verba. [Ad hanc ergo Vrbem tu beatissimè Petre Apostole venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, siluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior, quàm cùm supra mare gradereris; ingrederis. Nec mundi dominam times Romam, qui in Cayphæ domo expaueras sacerdotis ancillam. Numquid aut iudicio Pilati, aut sæuitia Iudæorum minor erat vti in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris, nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos. Hunc autem intrepidæ charitatis affectum iam tunc profectò conceperas, quando professio tui amoris in Dominum trinæ interrogationis est solidata mysterio. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est, quàm vt pascendis eius, quem diligeres, ouibus cibum, quo ipse eras opimatus, impenderes. Augebant quoque fiduciam suam tot signa miraculorum, tot dona charismatum, atque experimenta virtutum. Iam populos, qui ex Circumcisione crediderant, erudieras; iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta fundauerat, iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouectu operis, aut de spatio tuę ignarus ætatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te Diuinis præordinationibus anteibant & honor potestatis, & gloria passionis.] Hactenus S. Leo.

Ab hoc Principe Apostolorum Petro, Romanæ Ecclesię Præfecto, in toto Occidente Ecclesiæ institutæ sunt, & formatæ, vt docuit] Innocentius Papa Primus epistola 29. ad Decentium Episcopum Eugubinum: in hæc verba. [Quis enim nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari nec superinduci. aut introduci aliquid quod

aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum, præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint Sacerdotes.] Hæc Innocentius, & refertur in cap. Quis nesciat distinct. 11.

Ab hac ergo Romana Vrbe Beatus Petrus, ad quam restituturus regnum Dauid & solium, ac thronum erecturus, Diuinis præordinationibus fuerat destinatus, ad prædicandum Euangelium: vt Gentes: errorum caligine depulsa, verum Deum, & Iesum Christum Regem, humani generis Redemptorem agnoscerent, fideles discipulos transmittebat, errantes, & lapsos ad viam rectam reuocabat, Euangelio resistentes arguebat: in quibus actionibus continuò occupatus, terrestria regna visibiliter, & maximè aspectabiliter ad cæleste regnum præparabat, & transmittebat.

CAP. XXXV.

In Romanis Pontificibus, sancti Petri successoribus, Regnum Christi in Ecclesia cum magna virtute, & potestate, egregiè semper emicuisse, & aspettabile fuisse, & esse.

IN Romanis Pontificibus, Petri successoribus, Iesu Christi Regis visibile Regnum semper emicuisse, notius est, quàm vt multis explicare oporteat. Primùm enim visibilis illa, & continuata successio, vsque in præsentem diem, maius aliquid, & excellentius significat, quàm quod humana industria fabricare poterat. In omnibus enim mundi regnnibus, Principum terrenorum interruptæ sunt successiones; regna, vel deperdita, vel collapsa, vel de gente in gentem translata conspiciuntur: in Ecclesia etiam militante, in multis Christiani orbis Prouincijs Episcopi Romano Pontifice inferiores sæpe defecerunt, atque deficiunt; sed in Romano Solio, in Throno Dauid, in Sede diuinitus promissa, ac prænunciata, in qua primus Apostolus Petrus supremus totius Ecclesiæ Catholicæ Pontifex, Pastor, & Rector sedit, nusquam defecerunt legitimi Successores, neque vsque ad finem sæculi deficient.

Hanc in Romana Sede successionem certam, visibilem, atque perspicuam, hæreticis, & cæteris hostibus veritatis, sempee Patres, & Doctores insignes, tamquam firmissimum murum obiecerunt. Irenæus aduersùs hæres lib.3.cap.3.

Cyprianus Martyr lib.1. Epist. 6. incipien. Pro tua religiosa diligentia, aliàs Ep.77. iuxta editionem Pamelij.

Epiphanius in Panario contra hæreses. hæresi 27. contra Carpocratitas.

Sanctus Augustinus contra Epistolam Fundamenti, cap.4. vbi ait: [Tenet me (in Ecclesia) ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.] Hæc Augustinus.

Idem in Psalmo contra partem Donati. tom.7. & Epist. 165. tom.2.

Optatus Mileuitanus, lib.2. ad Parmenianum de schismate Donatistarum, paulò post principium vers. Igitur negare non potes, scire te in Vrbe Roma.

Latè ex professo Tertullianus in lib. de Præscriptionibus, aduersùs hæreticos, cap.32. incip. Cetrum si quæ audent, & alij, qui aduersùs hæreses contra Ecclesiam Romanam caput erigentes, diuersis temporibus, & sæculis scripserunt.

Neque verò silens, aut muta fuit hæc Petri, & Romanorum Pontificum in Ecclesia auctoritas, & potestas: sed Diuina quadam auctoritate munita, seu iurisdictionis apicem semper demonstrauit. Nam primum per vniuersum Orbem Episcopos ordinauerunt, qui, & fidem Catholicam docerent, & contra impugnatores defenderent, & Ecclesiasticam disciplinam munirent, & collapsam restituerent. Rursus sæpè in Principibus sæculi creandis, & lapsis ad Ecclesiam conciliandis, & noxijs, ac rebellibus coercendis, magna semper auctoritate vsi fuerunt: vt copiosè, & verè docuerunt Doctores Catolici, qui de Romanorum Pontificum auctoritate, & potestate contra Ecclesiæ rebelles, vel aliter errantes, scripserunt: & nos libro sequenti de Generali Romani Pontificis Vicariatu, & Præfectura demonstrabimus.

CAP. XXXVI.

In sacro Romanæ Ecclesiæ Senatu, & eius Senatoribus, egregiè semper Christi Regnum corruscasse.

ECclesiam suum habere Senatum, testatur sanctus Hieronymus in Esaiam cap.3. qui in ea numquam planè defuit, cùm ab eius exordio, primi Romani Boneifices, Romano Cleto, tamquam Senatu quodam Augusto, & sancto vsi fuerint. Quanta autem grauitate, & auctoritate excelluerit, constat ex Historijs, & antiquitatibus Ecclesiasticis. Huius enim Senatus Ecclesiæ Proceres, vacante Sede, alias Ecclesias in officio continuerunt; vacillantes roborauerunt: aberrantes in viam reduxerunt: rebus dubijs fidem dederunt; & missis etiam per totum Orbem literis, officia pietatis, & constantiæ maxima exercuerunt: vt patet ex multis antiquitatis monumentis; & potissimùm ex varijs Martyris Cypriani Epistolis, & signanter tertia incip. Didicimus, & 31. incip. Quamquam benè sibi conscius.

Intellexerat Clerus Romanus à Clementio Hypodiacono, secessisse Cyprianũ in persecutione; pro suo itaque zelo fidei, Clerum Carthaginiensem officij sui admonet, ac instruit, quid circa lapsos, interea dum aberat illo-

illorum Episcopus Cyprianus, fieri oporteret in ea calamitate, & pressura: hoc in primis tunc illustris Romanus Clerus admonuit, his verbis: [Nolumus ergo, fratres dilectissimi, vos mercenarios inuenire, sed bonos pastores: cùm sciatis, tum non minimum periculum incumbere, si non hortati fueritis fratres nostros stare in fide immobiles, ne præceps iens ad Idololatriam, funditus eradicetur fraternitas: nec enim hoc solùm verbis vos hortamur; sed discere poteritis à pluribus à nobis ad vos venientibus, quoniam ea omnia, nos, Deo adiuuante, & fecimus, & facimus, cum omni sollicitudine, & periculo sæculari; ante oculos plus habentes timorem Dei, & pœnas perpetuas, quàm timorem hominum, & breuem iniuriam, non deserentes fraternitatem, & hortantes eos, stare in fide, & paratos esse debere iure cum Domino; sed & ascendentes, ad hoc, quod compellebantur, reuocauimus.] Hactenus Clerus Romanus.

Cum autem dicit: [Sed & ascendentes, ad hoc, quod compellebantur, reuocauimus,] significat, Clerum Romanum constanter, vetuisse, aut procurasse, ne Christiani, Idolis sacrificaturi, in Capitolium ascenderent: sicut frequenter facere compellebantur, vt constat ex multis sacris Canonibus vetustissimi Concilij Ancyrani.

Constabat potissimùm Clerus Romanus Presbyteris: quamquam in Concilio Romano habito sub Siluestro Papa I. tempore Constantini Augusti, Diaconi Cardinarij mentio reperiatur; quem textus in Canone Præsul. 2. quæst. 5. Diaconum Cardinalem Vrbis Romæ vocat.

Labentibus autem temporibus, vt Romanus Senatus maiori in pretio esset, Senator esque peculiari titulo decorarentur; & Cardinales vocari, & à titulis Ecclesiarum, & Martyrum memorijs, quibus præerant, nominari cœperunt: quod vsque in hodiernum diem constanter obseruarum est.

Et quoniam hic sacer Senatus, siue Cardinalium Collegium, magnis rebus præerat, viros semper grauissimos, & omni scientiarum genere florentissimos, plurimos etiam scriptis monumentis illustres, & rerum agendarum prudentia solertissimos, & pietate, ac virtute celeberrimos, & sanctitate vitæ conspicuos, ac filios etiam, aut fratres, aut nepotes Regum, & magnorum Principum, complexum fuit.

Horum opera, & ad Legationes amplissimas toto Orbe obeundas: & ad pacem inter Principes Christianos, bellis se mutuis conficientes, componendam: & ad perpetuarum decernendarum consilia: & ad causas omnes, ac difficultates decidendas siue ad forum conscientiæ, siue externum illæ referantur, felicissimè vtitur Romanus Pontifex Petri successor.

Fit etiam interdum, vt à potentissimis Regibus, ac Principibus, & Regnorum, & Prouinciarum gubernacula, Vicaria potestate, regenda, Summo consentiente Pontifice, assumantur, & meritò: credunt enim Principes, eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide, & grauitate, ad huius officij magnitudinem adhibentur, sapienter pro luce dignitatis suæ, gubernaturos. L. 1. ff. de Off. Præf. Prat.

Quibus autem potissimùm actionibus incumbere debeant Romanæ Ecclesiæ Senatores, Concilium generale Lateranense sub Leone Decimo. Sessione 9. tit. de Reformat. Curiæ. §. Et quoniam docuit his verbis: [Et quoniam ad Cardinales maximè spectat operum optimorum cura; pro viribus laborabunt scire, quæ Regiones hæresibus, erroribusque, ac superstitionibus, contra veram, & Orthodoxam fidem infectæ sint: & vbi Diuinorum mandatorum Ecclesiastica deficiat disciplina: quique Reges, ac Principes, seu populi bellis infestentur, vel infestari timeant. Hæc, & huiusmodi, scire, ac Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti, referre operam dabunt; vt opportuna, & salutaria talibus malis, ac pestibus remedia, vigilanti studio excogitari valeant.] Hactenus Concilium.

Cùm verò egregia ista munera quibus incumbere Cardinales oportet, considerasset nouissimum generale Concilium Tridentinum; ob idque probè nouisset, lectissimis viris, & virtute præclaris, ad gubernandam Ecclesiam, Romanum Pontificem indigere: primùm Sess. 24. de Reformat. cap. 1. ex omnibus Christianitatis Nationibus, quantùm commodè fieri poterit, assumendos, & lectissimos Cardinales asciscendos commemorauit; tum Sess. 25. de Reformat. cap. 1. hæc verba subiecit: [Cardinalium consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem cùm vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos conuertant.] Hactenus Concilium.

Hæc de tanto Senatu, tantisque Senatoribus, prout instituti ratio postulabat, breuiter indicauimus, potiùs, quàm docuimus: nam singula huc spectantia explicare laboriosi est operis. Sed hoc argumentum præclari viri amplexi, iustis voluminibus docuerunt Cardinalium originem, præstantiam, eruditionem, & cæteras virtutes cum sanctitate coniunctas; vnde etiam multi in Sanctorum Catalogum, maturo studio præcedente referri, meruerunt: vt necesse sit fateri, hunc sacrum Senatum, omni tempore, in Ecclesia Romana per totum Orbem diffusa, valde aspectabilem, & admirabilem fuisse, & esse.

CAP. XXXVII.

In Archiepiscopis, & Episcopis Ecclesiæ Catholicæ eiusdem Christi Regni gloriam, & potestatem mirabiliter fulgere.

CVm Romani Pontifices per seipsos, populos Christianos, in singulis Prouincijs habitantes, regere non valerent, Episcopi in singulis ciuitatibus diuina auctoritate fuerunt constituti, quorum maxima dignitas, & celsitudo ex eo potissimùm deprehenditur, quòd decedentibus Apostolis,

lis, qui, iubente Domino, in toto Orbe dispersi Euangelium prædicauerunt, in locum eorum successernot: vt restatut Anacletus Epist. 2. & 3. cap. 2. Isidorus lib. 2. de Ecclesiasticis Officijs cap. 5. §. In nouo autem testamento. Rabanus lib. 1. cap. 4. de Institutione Clericorum, & nouissimè Concilium Tridentinum. Sess. 23. in principio cap. 4. incip. Quoniam verò in Sacramento. vers. Proinde sacrosancta Synodus.

Et quoniam in locum Apostolorum successerunt, ipsis propterea animarum curandarum sollicitudo potissimùm commissa est qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis, infatigabiliter supplicant Deo, ac velut quidam Aaron, incensum contriti cordis, & humilitati spiritus offerentes, placatus Deus auertit iram futuræ animaduersionis à populo.

Quanta autem sit Episcoporum auctoritas in Ecclesia, & quàm venerabile eorum ministerium, luculenter docuit sanctus Prosper lib. 2. de Vita contemplatiua. cap. 2. in hæc verba Qui per Dei gratiam fiunt Diuinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, prauæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & malè sibi conscijs etiam ipso visu terribiles: vindices oppressorum, patres in fide Catholica regeneratorum, Prędicatores cęlestium primi * phalanges inuisibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus, ampliùs fuget Ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo Credentium. Ipsi ianuæ ciuitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum. Ipsi ianitores, quibus claues datæ sunt Regni cælorum. Ipsi etiam dispensatores Regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus, & officia singulorum:] Hactenus Prosper. Et ex Prospero Concilium Parisiense, sub Ludouico, & Lothario, anno 829. lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 9. & Carolus Magnus in Capitularibus lib. 5. capit. 163. incip. Præcipimus, atque iubemus.

* al. præliātes, alias etiam præliatores.

His prorsus consentanea sunt, quæ in libro de Dignitate Sacerdotali tom. 4. scribit sanctus Ambrosius his verbis: [Honor Fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cùm videas Regum colla, & principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant se communiri.] Hæc Ambrosius. Et ex Ambrosio Gregorius Septimus lib. 8. Regesti Epist. 21. incip. Quod ad perferendos labores. Ad Herimetensem Metensem Episcopum.

Et ne tanti honoris, & dignitatis sublimitas otiosa redderetur, & vacua, multa ad Episcoporum officium ex sacris Canonibus nouimus pertinere: vnde, & potestas eorum, & iurisdictio intelligatur. Ad eos enim pertinet templorum Dei consecratio, Chrismatis benedictio; & sacrorum Ordinum institutio. Concilium Toletanum 8. capit. 7.

Scripturas sacras legere, percurrere, Canones; exempla Sanctorum imitari: vigilijs, ieiunijs, orationibus incumbere; cum fratribus pacem habere: nec quemquam de membris suis discerpere: nullum damnare, nisi comprobatum, nullum excommunicare, nisi discussum. Sanctus Isidorus lib. 2. de Officijs Ecclesiasticis cap. 5. vers. Cuius præ cæteris speciale officium est. Rabanus lib. 1. c. 4. de institutione Clericorum.

Oues suas agnoscere: pro his sacrificium offerre, verbique diuini prędicatione pascere: pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, capit. Ephesijs 43. distinct. cap. Sicut vir §. Episcopum 7. quæst. 1. cap. qui Episcopatum 8. quæst. 1. cap. Gloria Episcopi 12. quæst. 2. Concil. Tridentin. Sess. 23. de Reformat cap. 1. & sæpe aliàs.

Et quamquam sæpe admoneantur Episcopi, muneris sui esse, vt non sint dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo: cap. Quid autem. 45. distinct. cap. Finali. 94. distinct. c. Esto subiectus 95. distinct. Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 1. de Reformat. non prohibentur tamen iudicare causas, dirimere controuersias, & iuxta sacros Canones punire nocentes, quod ad iurisdictionem pertinet Ciuilem, & coactiuam. Quod iam. & ab Apostolis constitutum nouimus ex sacris eorum Canonibus, & à multis Romanis Pontificibus constitutum. Interim videndus Gelasius Papa Primus Epistola 11. ad Dardanos incip. Valdè mirati sumus. Et Gregorius Septimus Ecclesiasticæ auctoritatis constantissimus propugnator, in multis Regesti Epistolis: & Antonius Augustinus in Epitome Iuris Pontificij veteris lib. 4. tit. 62. vbi sacros Canones huc spectantes recenset; quæ omnia nos hic consultò omittimus, lib. 2. eopinse recenseri. Hæc enim summatim hoc loco retulimus, vt ostenderemus, Regnum Christi, in Ecclesia Catholica, non in sola spiritualitate consistere: sed maximè fuisse, & esse visibile, & aspectabile in Rege Christo, in Romanis Pontificibus Christi Vicarijs, in Ecclesiæ Senatu, & in Catholicæ Ecclesiæ Episcopis.

CAP. XXXVIII.

In hoc Regno Christi, pios, & Catholicos Reges, & Principes sæculares mirabiliter fulgere, & eidem Christi Regno bonos singularia beneficia conferre.

IN hoc latè patentissimo Christi Regno, & in toto Orbe terrarum in Ecclesia diffuso, Principum, & Regum sæcularium auctoritatem, dignitatem, & gloriosas Catholicas actiones fulgere, notum est Vaticinia

nia Prophetarum consideranti. Prænunciatum enim sæpe fuerat, Gentes omnes, & Gentilium populos in Christi aduentu, & post Christi aduentum, per Apostolorum prædicationem suscepturos fidem, & ad Ecclesiæ ouile venturos: quoniam autem, & frequenter & potenter id Dauid prophetauit, eius potissimùm Vaticinia placuit recensere. Psal. 17.

Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi.

Et paulò post vers. 50.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine; & nomini tuo Psalmum dicam.

Et rursus Psal. 21. vers. 32.

Annunciabitur Domino generatio ventura; & annunciabunt cæli iustitiam eius, populo, qui nascetur; quem fecit Dominus.

Et Psalm. 46

Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Subiecit populos nobis: & Gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam: speciem Iacob, quem dilexit.

Et eodem Psalm. vers. 9.

Regnabit Deus super Gentes.

Et Psalm. 85. vers. 9.

Omnes Gentes, quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Et Psalm. 97. vers. 2.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ: & veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ: salutare Dei nostri.

Et Psalm. 106. vers. 2. & 3.

Dicant, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici; & de regionibus congregauit eos.

A solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari.

His omnibus, & similibus Vaticinijs conformiter prænunciatur, & asseritur vocatio Gentium ad Christi fidem, quæ in Ecclesia agnituræ erant Regem Christum, & ei obedituræ, & eius legem fideliter, & constanter obseruaturæ; vt Patres, & Doctores Christiani docuerunt in libris de vocatione Gentium, & potissimùm illi, qui pro aduentu Messiæ in Lege promissi, contra Iudæos certauerunt.

Iam quòd Reges etiam, & Principes, terra, marique potentes, in eodem Christi Regno, eum essent adoraturi, singulari Dauidis, & Esaiæ Vaticinio apertissimè demonstratur.

Dauidis Psalmo 71. (qui reuera de Christo Messia Rege prænunciatus fuit: vt supra cap. 3. §. 10. ostendimus (vers. 11. & 12. ita scriptum extat.

Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent Reges Arabum, & Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes Reges: omnes Gentes seruient ei.

Hoc enim ita propriè conuenit Christo Regi, vt neque Salomoni, neque alij cuiquam, vlla ratione congruere possit.

Esaiæ Vaticinium c. 49. in fine de Regibus, & Reginis Christum adoraturis, & in eius Regno commoraturis, clarissimum, & patentissimum extat, in hæc verba: [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui spectant eum.]

Chaldęus Paraphrastes idem Vaticinium his verbis concepit: [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce reuelabo in populis potentiam meam, & super omnia regna leuabo vexillum meum; & afferent filios tuos in lecticis, & filias tuas in humeris portabunt: & erunt Reges nutritij tui, & Reginæ eorum ministrabunt tibi. Proni in terram curuabuntur, vt deprecentur te; & puluerem pedum tuorum lingent: & scietis, quia non confundentur iusti, qui sperant in salutem meam.] Hactenus ibi.

Hoc Vaticinium de Ecclesia Dei intelligendum, docuerunt communiter Patres, & Doctores, & signanter S. Augustinus in libro de Vnitate Ecclesiæ, cap. 7. & apud eumdem Esaiam sanctus Hieronimus Glossa interlinealis: Nicolaus de Lyra: Leo Castrus: & Didacus Aluarez Archiepiscopus Tranensis, & qui Iudæorum deliria confutauerunt: & præsertim Finus Hadrianus in Flagello aduersus Iudęos, lib. 6. cap. 89. incip. De vocatione Gentium, vers. Item ipse Esaias.

Quod autem in eodem Vaticinio dicitur de signo, de Cruce intelligendum est, vt interpretatur ibi Glossa interlinealis.

Regnum autem appellatione sanctus Augustinus, præcitato libro de Vnitate Ecclesię cap. 7. Reges terræ intellexit: qui cùm primo persequerentur Ecclesiam, postea adiuerunt eam; vt longè antea prædictum fuerat: illa autem Vaticinij verba: [Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.] ex alia Versione ita refert: [Et erunt Reges educatores vestri: quæ autem principales sunt, nutrices vestræ. Super terram declinantes faciem deprecabuntur te, & vestigia pedum tuorum elingent: & scies, quoniam ego Dominus nec erubesces.] Hæc sanctus Augustinus.

Quo respiciens Nicolaus de Lyra super illis verbis: [Et erunt Reges nutritij tui prudenter censuit, id impletum in multis Regibus, & Reginis, qui fidem Catholicam susci-pientes, pascebant pauperes fideles.]

Nec mirum, quòd Reges, & Reginæ, seu Principes feminæ non erubescendo nutrientes fideles, eosque pascentes quasi in sinu, & vlnis portent, cùm Christus Dominus, verus, & potentissimus Rex eosdem nutrierit, & super humeros portauerit, ipso attestante super Oseam cap. 11. [Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis: & nescierunt, quod curarem eos.]

Iam illud, quod de adoratione continet Va-

Vaticinium, manifestè in Ecclesia videmus impletum: & in solio Christi, in quo Romanus Pontifex Christi vicarius residet, cùm illum Reges, & Principes catholici humiliter venerentur, & proponi pedes deosculentur; vt suo loco commodiùs explicabitur.

Illud autem obseruatione dignum, & huic instituto accomodatum prætetire non licet; quod refert Leo Castrus in Commentarijs ad Esaiam, cap. 49. super illis verbis, [Et adhuc dicent in auribus tuis.] olim Reges cùm adirent Episcoporum synodum, toto corpore ante Episcopos procumbere, & terram deosculari solitos: neque prius se attollere humo, quam illis suis sedibus surgerent, & illos brachijs attollerent, & sella regia pro dignitate collocarent: cui addo, quòd in Concilio Toletano Quarto, in principio, de religiosissimo Sisenando Hispaniæ Rege scriptum extat in hæc verba: [Hic quippe Sisenandus Rex dum in basilica beatissimæ, & sanctæ confessoris Leocadiæ, omnium nostrorum pariter iam coetus adesset, tali pro merito fidei suæ, cum magnificentissimis viris ingressus, primum coram Sacerdotibus Dei humo prostratus, cum lacrymis, & gemitibus pro se interueniendum Domino postulauit: deinde religiosa prosequutione synodum exhortatus est, vt paternorum decretorum memores, ad conseruanda in nobis iura Ecclesiastica studium præberemus, & illa corrigere, quæ dum per negligentiam in vsum venerunt, contra Ecclesiasticos mores licentiam sibi de vsurpatione fecerunt.] Hactenus ibi.

Multis autem modis Reges, & Principes Catholici sunt in Regno Christi Ecclesia præfulgentes: ex quibus, ne suscepti instituti metas transgrediamur, aliquot breuiter recensebimus.

Primò illa eximia dignitate sunt decorati, quia hic mundus inferior, eorum etiam regitur potestate: vt duo summi Romani Pontifices, Gelasius, & Gregorius VII. docuerunt his verbis: [Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Gelasius I. Epist. 10. ad Anastasium Augustum. incip. [Famuli vestræ pietatis. Gregorius VII. lib. 8. Regesti Epist. 21. incip. Quod ad perferendos labores. Refertur in cap. Duo sunt 96. distinct.

Nequis autem falleretur, sibi persuadendo, æqualiter hanc vtrisque tributam potestatem, vterque Papa præcitatis locis subiunxit [In quibus tantò grauius pondus est Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus omnium Diuino redituri sunt examine rationem.] Et paucis interpositis: [Nostri itaque iotet hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.]

Rursus in eo etiam maximè Principum terrenorum in hoc Regno Christi fulget auctoritas, & maiestas: quod Catholicæ Ecclesiæ eorum matri opportuna subministrant auxilia: vt fides Catholica per totum terrarum Orbem propagetur. In Constantino Magno, qui priùs Catholicam fidem patenter fuit adeptus, res nulla prolixa indiget probatione. Nam postquam ille salutaribus sacri Baptismi vndis fuit ablutus, & per totum Orbem fides, prædicari, & Ecclesiæ erigi, & templa in honorem Idorum erecta, claudi cœperunt cap. Futuram Ecclesiam. 12. quæst. 1.

Sanctus Leo Magnus Romanus Pontifex Sermone 1. in Natiuitate Petri, & Pauli, eo consilio Romanum fuisse præparatum Imperium, vt eo suscipiente Catholicam fidem, ad ceteras gentes prædicatio Euangelij perueniret, docet his verbis: [Vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum Diuina prouidentia præparauit: cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum vndique Gentium vicina, & contigua esset vniuersitas. Disposito namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur Imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.] Hactenus sanctus Leo.

De ceteris Catholicis Principibus, similia studia colentibus, quos similis pietas, studium clarissimos intra Regnum Christi reddiderunt, idem est iudicium.

De Catholicis Hispaniæ Regibus notum est, & clarissimum propagandæ fidei studium, & exemplum. In vtramque Indiam Orientalem, & Occidentalem Christi signum portauerunt: Crucem adorari, Euangelium prædicari, & Idololatriam, qua miseræ gentes ante Dæmonis obcæcatæ tenebantur, extirpari, nullis parcentes sumptibus curauerunt; & quotidie indefesso studio curant: vt verè, iuxta Isaiæ Vaticinium, Hispaniæ Catholici Reges, multorum populorum nutritij, & educatores affirmari possint.

Illud ampliùs Principes, & Reges Christianos facit illustres, & conspicuos in Ecclesia Dei, vt Ecclesiam matrem suam pacatam in pace conseruent: & ab hostibus eam perturbantibus, aut hostiliter persequentibus liberent: Id enim maximè ad officium Christianorum Regum pertinere, docuit Nicolaus Papa eius nominis primus in Responsis ad Consulta Bulgarorum, cap. 18. his verbis: [Cùm pertineat hoc ad Reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacata, & sine diminutione velint seruari matrem suam Ecclesiam, vnde spiritualiter nati sunt.] Hæc Nicolaus. Loquebatur autem de Christianis Apostatis coercendis, qui cùm legem Christianam respuissent, Ecclesiam infestabant.

Solent sæpè homines insolentes, & superbi, mites Ecclesiæ contemnere vltiones: idcòque vt Ecclesiastica disciplina salua sit, & integra conseruetur, seueriores Principum sæcularium leges aduocantur: vt constituit Concilium Lateranense sub Alexandro III. cap. 27. in hæc verba: [Sicut ait Beatus Leo, licèt Ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta iudicio, cruentas non efficiat vltiones, Catholicorum tamen Principum Constitutionibus adiuuatur, vt sæpè quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt euenire supplicium;] Hactenus Concilium. Atque in hoc etiam munere clarissimè lucet in Regno Christi Regia potestas.

Iam

Iam in eo officio singularis, & egregiè Regia dignitas resplendens maximè placet Deo, & à prudentibus, & pijs viris summis laudibus extollitur, & commendatur, vt per eam Ecclesiastica disciplina muniatur. Sanctus Isidorus, cuius opera multi Reges in Hispania salutares leges condiderunt, lib. 3. Sententiarum, quem alij de Summo bono inscripserunt. cap. 53. id luculenter docuit, his verbis: [Principes sęculi nonumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non praualet Sacerdos efficere, per doctrinę sermonem Potestas hoc * impleat per disciplinæ terrorem.]

* al. imperet.

Sæpe per Regnum terrenum cæleste Regnum proficit: vt qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur: ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non praualet, ceruicibus superborum Potestas principalis imponat, & vt * veneratione mereantur, virtute potestatis * impertiat.]

* al. venerationem mereantur.
* al. vt impertiant.

[Cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere, propter Ecclesiam: quàm à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ, per fideles Principes, siue soluatur: ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.] Hactenus Isidorus. Refertur apud Gratianum in cap. Principes 23. quæst. 5. & in Concilio Parisiensi sub Ludouico, & Lothario, anno 829. celebrato. lib. 2. cap. 2. & in Concilio Aquisgranen. par. 3. cap. 1.

Illud etiam Reges, & Principes sæculi intra Ecclesiam facit gloriosos, si omne malum curent dissipare: iuxta illud Prouerbiorum, cap. 20. [Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.] Hæc ibi.

Et quamquam Reges virtutes omnes complecti, & colere debeant, vt subiecti populi virtutibus floreant: quia [Regis ad exemplum totus componitur Orbis:] nihil tamen est, quod in Politica gubernatione clariorem faciat Regem intra Ecclesiam, quàm custodia iustitiæ: & propterea hęc Diuinitus commendatur, Sapientiæ cap. 1. [Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.] Et rursus eodem lib. Sapientiæ, cap. 6. grauia supplicia denunciantur Regibus, & Iudicibus, secundùm leges iustitiæ non iudicantibus, in hæc verba: [Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam, cum essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis, horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudcium durissimum ijs, qui præsunt, fiet.] Hæc ibi.

In quo autem Regis iustitia consistat, luculenter docuit Concilium Parisiense sub Ludouico, & Lothario, lib. 2. cap. 1. in hæc verba: [Iustitia verò Regis est, neminem iniustè per potentiam opprimere: sine acceptione personarum inter virum, & proximum suum iudicare: aduenis, & pupillis, & viduis defensorem esse: furta cohibere: adulteria punire: iniquos non exaltare: impudicos, & histriones non nutrire: impios de terra perdere: parricidas, & peierantes viuere non sinere: Ecclesias defendere: pauperes eleemosynis alere: iustos super regni negotia constituere: senes, & sapientes, & sobrios Consiliarios habere: Magorum, & Hariolorum, Pythonissarumque superstitionibus non intendere: iracundiam differre: patriam & fortiter, & iustè contra aduersarios defendere: per omnia in Deo viuere: prosperitatibus non eleuare animum: cuncta aduersa patienter ferre: fidem Catholicam in Deum habere: filios suos non sinere impiè agere: certis horis orationibus insistere: ante horas congruas non gustare cibum.] Hæc ibi.

Denique illa maxima, & clarissima gloria Reges, & Principes seculi in vniuerso Orbe præfulgent, qua fidem Catholicam defendentes, violatæ fidei Iudicibus, Episcopis, & Inquisitoribus, eorumque ministris opportuna præsidia conferunt: vt suo munere liberè fungentes, nullatenus eamdem fidem in Prouincijs, & Regnis, & Diœcesibus, quibus præsunt, violari permittant. Et meritò quidem: quoniam ab hæresibus ingentia mala, & pericula turmatim in Rempub. irruunt; quibus nisi celeriter aditus præcludatur, Reges ipsi, & Principes simul cum Regnis, in incredibiles calamitates præcipitantur.

Et sicut nihil est, quod maiorem infamiam Principibus irroget, quàm si fidem Catholicam violari permittant, aut si in ea defendenda sint negligentes; sic nihil est, quod maiorem laudem, aut gloriam eis concilicet, quàm Catholicæ fidei constans defensio, & diligens hæresis extirpatio, & grauis hæreticorum punitio.

Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Augusti magnam laudem in vniuerso Orbe Christiano consequuti sunt, proptet Catholicum Edictum, quo cauerunt; Vt cuncti populi in ea Religione versarentur, eamque fidem amplecterentur, quam Diuinus Petrus Apostolus Romanis eradiderat, l. 1. Cod. de Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Ob eamdem similiter causam, multi Catholici Imperatores, & Reges, præter gloriam, & laudem nullis seculis interituram, & felices exitus habuerunt, & successores, quales oprabant, in Regnis acceperunt, & (quòd cæteris præstat) æternam vitam cum Angelis post obitum sortiti fuerunt.

De Regibus Hispaniæ illud memorabile est, & sempiterna memoria dignum, quod sexto Concilio Toletano cap. 3. constitutum extat; Vt quisquis regni apicem sortiretur, non antea conscenderet Regiam Sedem, quàm, inter reliqua conditionum sacramenta, polliceretur, se non permissurum degere in Regno suo eum, qui non sit Catholicus; in hæc verba: [Illud autem prouida nobis cura, & valde est decernendum vigilanti solertia, ne eius: Regis Cinthilani: calor, & noster labor quandoque in posteris tepefactus liquescat.

ſcat. Quocirca conſonam cum eo, corde, & ore promulgamus Deo placituram ſententiam; ſimul cum ſuorum Optimatum, Illuſtriumque virorum conſenſu, ex deliberatione ſancimus: Vt quiſquis ſuccedentium temporum Regni ſortietur apicem, non ante conſcendat Regiam Sedem, quàm, inter reliqua conditionum, ſacramenta, pollicitus fuerit, hanc ſe Catholicam, non permiſſurum, eos violare fidem; ſed & nullatenus eorum perfidiæ fauens, vel quolibet neglectu, aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infidelitatis, aditum præbeat præuaricationis.] Hæc ibi.

Præſtiterunt hoc fidei ſacramentum Hiſpaniæ Reges.

Præſtitit Philippus eius nominis II. Valdoliti coram omni Hiſpania, retecto capite, magna cum religione, & reuerentia, in manibus Ferdinandi Valdeſij Archiepiſcopi Hiſpalenſis, generalis Inquiſitoris Hiſpaniæ; iurauitque, ſe non permiſſurum hæreticos in ſuis Regnis viuere, atque fauorem, ad eorum punitionem, Inquiſitoribus præſtaturum: vt verè teſtatur Iacobus Simancas in Euchiridio Iudicum violaræ Religionis, tit.21. de Principibus, num.6.

Nec minori pietate, religione, ac zelo Dominus meus Philippus III. Hiſpaniæ Rex, huius Philippi II. filius, regnorum, & paternæ pietatis hæres, Toleti die 5. Martij, anni Iubilęi 1600. cùm ab Inquiſitoribus publica Fidei Actio in platea de Zocodouer celebraretur, vniuerſa Hiſpania concurrente, & tantam Regis pietatem vehementer collaudante, in manibus Ferdinandi Niño de Gueuara S.R.E. Cardinalis, generalis Inquiſitoris Hiſpaniæ, de fide Catholica, quam Sancta Mater Eccleſia Apoſtolica Romana tenet, profitetur, & credit, conſtanter defendenda, conſeruanda, & augenda; & de perſequendis Hæreticis, & Apoſtatis, Eccleſiæ hoſtibus; & de præſtando fauore, & auxilio neceſſario, & opportuno ſanctæ Inquiſitionis Officio, eiuſque Miniſtris, ad perſequendos, & puniendos hæreticos, iuxtà ſacros Canones, ſine omiſſione, & perſonarum acceptatione, cuiuſcumque eſſet ſtatus, & qualitatis, retecto capite, poſitis ſuper venerabili ſigno Crucis, & libro Euangeliorum, manibus, idem clariſſimum, & pulcherrimum iuſiurandum iurauit.

CAP. XXXIX.

Recapitulatio eorum, quæ toto hoc Libro dicta ſunt, & commonitio, ſeu index in ſequenti Libro dicendorum.

CVm ex negato Regno, & Dominio Chriſti vniuerſali minùs legitimè intellecto, ingentes deriuentur errores, illud copiosè, & verè probauimus teſtimonijs ſacrarum literarum, & ſanctorum Patrum atteſtatione, & probatorum Theologorum ſententijs, & aliorum Doctorum, & argumentorum auctoritate, & rationibus. Iam quia fortaſſis deſiderio Lectorum non videremur ſatisfeciſſe, niſi oppoſitiones, quæ contra fieri poterant, dilueremus, id etiam pro virili præſtitimus; vt nullus dubitationi locus relinqueretur.

Quoniam verò Regnum Chriſti ſuper temporalibus ex eo videbatur in dubium reuocari, quòd vix in aduentu eius adimpletum appareret, quomodo Sedes Dauid, & Solium regni eius fuerint reſtituta, & erecta, iuxtà Vaticinium Eſaiæ cap.9. & Lucæ cap.1. ideò poſtremis iſtis Capitulis perſpicuè oſtendimus, illud in Chriſto homine Rege, & in eius Eccleſia fuiſſe completum; in qua Petrus Apoſtolus Chriſti Vicarius, ſuum, Chriſto ordinante, conſtituit Solium.

Ceterùm quoniam noſſe oportet, quanta fuerit Petri auctoritas, & poteſtas, ad vniuerſalem Eccleſiam ex hoc Romano Solio regendam, & gubernandam; ideò in altero Libro de hoc articulo accuratè differendum erit: in quo & veritas Catholica firmiter ſtabilietur, & Hæreticorum, & malè ſentientium machinæ; ipſo Chriſto Rege ſuum auxilium præſtante, & Beato Petro fauorabiliter patrocinante (vt piè confidimus, & ſperamus) diſſoluentur.


Epiſtolam Innocentij Papæ Tertij, quam ſupra Cap. V. promiſimus, hic integram imprimendam curauimus.

INNOCENTIVS III.

Caloioanni illuſtri Bulgarorum, & Blacorum Regi, eiuſque poſteris, ei tam in Regno, quàm in deuotione Sedis Apoſtolicæ ſucceſſuris in perpetuum.

REx Regum, & Dominus Dominantium Ieſus Chriſtus, Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, cui dedit omnia Pater in manu, pedibus eius ſubijciens vniuerſa; cuius eſt terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & omnes habitantes in eo: immò cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, Summum Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Romanæ Pontificem, quem in Beato Petro ſibi Vicarium ordinauit, ſuper Gentes, & Regna conſtituit; euellendi, deſtruendi, diſperdendi, & diſſipandi, & ædificandi, & plantandi ei conferens poteſtatem; loquens ad eum in Propheta, qui fuit de Sacerdotibus Anathoe: Ecce conſtitui te ſuper Gentes, & Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Vt autem id expreſſiùs demonſtraret, non per alium, ſed per ſeipſum, cùm pro hominibus carnem aſſumpſiſſet humanam, & calciamentum ſuum extendiſſet in Idumæam, vt ei Allophili ſubderentur; & oues ſuas, quæ de hoc ouili non erant, adduceret, & fieret vnum ouile, & vnus Paſtor; in ſe, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, vniuerſalis Eccleſiæ poſuit funda-

fundamentum, eiuſque Apoſtolorum Principi Petro Magiſterium contulit,& Primatum, dicens ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues Regni Cælorum. Vbi etiam conſequenter adiecit; Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Poſt paſſionem quoque ſuam, aſcenſurus in cælum, ouile ſuum, videlicet, Eccleſiam ei committens, & commendans in ouibus; dixit ei: Paſce oues meas, vocabulo tertiò repetito; per hoc patenter oſtendens, quòd ad eius ouile non pertinent oues illæ, quæ ſe commiſſas, & ſubiectas eſſe Beato Petro contumaciter denegarint, & eius noluerint erudiri doctrina, & Magiſterio ſubiacere. Siquidem Eccleſia eſt Arca illa, in qua paucæ animæ, pereuntibus cæteris in diluuio, ſunt ſaluatæ. Vnde ſicut omnes, quos Arca non cepit, in diluuio perierunt; ſic omnes, qui extrà Eccleſiam inuenti fuerint in Iudicio, damnabuntur. Arca enim Eccleſiam, Cathaclismus Iudicium, & Paſtorem Eccleſiæ Petrum Noe Rector Arcæ figurabat. Ille cum Domino legitur ambulaſſe, hic autem ſuper vndas maris, quod hunc mundum ſignificat, ad Dominum ſcribitur perueniſſe, In quo etiam expreſsè notatur, quòd Petro non ſpecialiter aliqua ſpecialis Eccleſia, ſed totus mundus commiſſus fuerit, & Eccleſia generalis. Nam ſicut aquæ multæ, ſunt populi multi: ſic mare magnum, & ſpatioſum, mundum ſignificat vniuerſum. Vnde vocatis cæteris in partem ſollicitudinis, hunc aſſumpſit Dominus in plenitudinem poteſtatis, cùm inquit ad eum: Tu vocaberis Cephas, quod Petrus interpretatur, & caput: vt Petrum Caput Eccleſiæ demonſtraret: qui ſicut vnguentum, quod à capite Aaron deſcendit in barbam, in membra diffunderet, vt nihil ſibi penitùs deperiret: quoniam in capite viget ſenſuum plenitudo, ad membra verò pars eorum aliqua deriuatur. Inſuper quærenti Petro, ſi quotiens peccaret in eum frater eius, dimitteret ei vſque ſepties? Dominus legitur reſpondiſſe: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Sanè cùm omne tempus ſeptem dierum numero concludatur, multiplicatus in ſe ſeptenarius, in hoc loco notat vniuerſorum vniuerſa peccata: cùm ſolus Petrus non ſolùm omnia, ſed & omnium poſſit crimina relaxare. Ipſi enim, & non alij dictum à Domino reperitur: Tu me ſequere; ideſt, in veri Paſtoris officio, & poteſtatis Eccleſiaſticę plenitudine imitare: quia eum in officio Vicarium ſibi ſubſtituit Dominus, & in Magiſterio ſucceſſorem: ſic hæreditatem, in cuius præclaris funes eius ceciderant, transferens in eumdem, vt alijs poſt eum, & ſub eo, quaſi partialia faceret de hæreditate legata. Cùm igitur, licèt immeriti, eius vices geramus in terris, qui dominatur in Regno hominum, & cui voluerit dabit illud: vtpotè per quem Reges regnant,& Principes dominantur: cùm Petro, & ſucceſſoribus eius, & Nobis in eo nouerimus eſſe dictum: Ego pro te rogaui, Petre: vt non deficiat fides tua: ſed tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos: cùm ex præcepto Domini, oues eius paſcere teneamur, populis Bulgarorum, & Blacorum, qui multo iam tempore ab vberibus matris ſuæ alienati fuerunt, in ſpiritualibus, & temporalibus paterna ſollicitudine prouidere volentes, eius auctoritate confiſi, per quem Samuel Dauid in Regem inunxit, Regem te ſtatuimus ſuper eos, & per dilectum filium L. tituli S. Crucis Presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, virum prouidum, & honeſtum, Nobis inter cæteros fratres noſtros acceptum, Sceptrum Regni, ac Regium tibi mittimus Diadema, eius quaſi noſtris tibi manibus imponendum: recipiendo à te iuratoriam cautionem, quòd nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ deuotus, & obediens permanebis, & cunctas terras; & gentes tuo ſubiectas Imperio in obedientia, & deuotione Sedis Apoſtolicæ conſeruabis. Ad petitionem inſuper Venerabilis fratris noſtri Blaſij Branduziberen. Epiſcopi, quem ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſti, publicam in Regno tuo cudendi monetam, tuo charactere inſignitam, liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam Fratri noſtro .... Archiepiſcopò Trinouitan. in terris, quibus imperas vniuerſis Priuilegium concedimus Primatiæ: qui, & ſucceſſores ipſius tuos in poſterum ſucceſſores, ſimul ab eis iuramento recepto, Apoſtolicæ Sedis auctoritate coronent, & in terra tua Primatus obtineant dignitatem, eiſque Metropolitani tam in Bulgariæ, quàm Blachiæ Prouincijs conſtituti ſubiaceant, & iuxtà formam Canonicam reuerentiam Primati debitam exhibeant, & honorem. Sic ergo, fili chariſſime, gratiam, quam Apoſtolica Sedes mater tua tibi facit, agnoſcas; ſic retribuas Nobis pro omnibus, quæ tribuimus ipſi tibi, ſic Regnum tuum in Apoſtolicæ Sedis ſubiectione, ac deuotione confirmes: vt cùm ſub Petro in illius petræ fuerit firmitate fundatum, de qua, inquit, Apoſtolus, Petra autem erat Chriſtus, nec pluuiarum imbres, nec impulſus ventorum, nec fluminum formidet incurſus. Tu quoque, præter auxilium Apoſtolicæ Sedis, quod iuxtà deuotionem tuam ſenties in præſenti, de temporali Regno ad Regnum peruenias ſempiternum. Decernimus ergo, vt nulli omninò, &c. hoc Priuilegium noſtræ Conſtitutionis, & conceſſionis infringere, vel ei, &c. Si quis autem,&c. Datum Anagn. per manus Ioannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subd. & Not. ſexto Kalendas Martij. Indictione ſeptima. Incarnat. Dominicæ Anno M.CC.III. Pontificatus verò D. Innocentij Papæ Tertij, Anno Septimo.



FRANCISCI SVAREZ

GRANATENSIS,

è Societate IESV,

Sacræ Theologiæ in celebri Conimbricensi Academia Primario Professori.

DEFENSIO FIDEI CATHOLICAE, & Apostolicæ aduersùs Anglicanæ Sectæ errores,

CVM RESPONSIONE

Ad Apologiam pro Iuramento Fidelitatis, & Præfationem monitoriam Serenissimi Iacobi Angliæ Regis.

Franciscus Suarez natione Hispanus, patria Granatensis, Nobilibus Parentibus natus die 5. Ianuarij anno 1548. Parentum cum esset primogenitus literis tamen addixit Salmanticæ adolescentiam, ingratis quidem vsque, vt videbatur Musis, ne vestigio quidem illius magni ingenij, & intelligentiæ, quam aliquando in his scientijs erat præstituturus apparente. In Societatem admissus Iesu in eadem Vrbe, quod nec facilè impetrauit, vbi tertium iàm in iure discendo curriculum egerat, ea quidem sui diffidentia versatus est in prioribus Philosophiæ studijs, vt ad aliud quodcumque opus inter Sodales faciendum destinari se mallet, exercitium sibi infeliciter susceptum auxiè, instanterque, ab his quorum curæ res erat deprecatus. Verum Martinus Gutterrius Collegij Salmanticensis Rector, eum bono iussit esse animo, & studia prosequi, promittens quodam veluti, seu præsagio, seu solatio, mirificè Ecclesiam Dei eum aliquando illustraturum, itaque præfinito à natura tempore prodere sensim vires animi latentes, tamquam à reterno quodam expergefactus, illumque hominem, in quem postea euasit, promittere cepit. Cuius rei argumentum quamprimum editum hoc fuit, nam post expositum Segouiæ Aristotelem, Pinciæque sacras literas Romam ingenti de se iam conceptæ spei responsurus consilio, & penè imperio prudentissimorum commigrauit. Vrbis eum professorem celebratissimum curia octo annis, atque adeo vniuersus Christianus Orbis, qui indè iura sacra petit suspexerunt; nec Patrium prius cogitauit, quam valetudo aduersa reditum imperasset. Reuersus Compluti, munus idem docendi octo alios annos Salmanticæque vno tantum exercuit. Quousque in Lusitaniam, eiusque Conimbricense Collegium Academia eum gratiæ loco postulante à Philippo II. Hispaniarum Rege ire iussus vota illius Lycei re ipsa expleuit; in transitu Doctor Eborensis Theologus plausu magno eius Scholæ renunciatus. Nam Primariæ impositus Theologiæ docendæ apud Conimbricenses Cathedræ vicennium integrum, hoc est ad exitum vsque vitæ charus omnibus, summèque ob sapientiam dignum se illo culmine, & ea se præbuit expectatum; Quotidie in scholis relectiones per

horam

horam integram memoriter dictare solitus erat; domi etiam exceptores non vnius commentarij, sed sæpè duorum, aut plurium recitatione lassabat, ea prædítus memoria, vt modestè se iactaret operum omnium tota vita factarum iacturam si contigisset facilè reparaturum. Ea autem erat legendi assiduitate, & commentandi, vt nullus dum tanta scripserit crederet potuisse aliquid legere, vel dum tanta legerit, potuisse aliquid scribere, facilè tamen eris credere scientibus ipsum duodecim integras horas quotidie studio insumpsisse, vltra Orationem, & Officium quæ numquam intermisit tamquam scholam meliorem, quod exemplum admirandum Vrbi non imitandum in sua Theologia Caramuel dum duodecim horas studenti Officium Diuinum dispensare videtur; Nos tamen vt ideam proponimus. In altissima Theologicarum rerum speculatione defixus nullo excitantium strepitu reuocari poterat, prandium differebat in noctem, vt interim meliore cibo se pasceret, sacris Scriptoribus sedulas aures præbens hominum omnium vitabat congressus. Sapientia quæ alios inflat ipsum humiliabat, sui contemptor honoris seruantissimus erat alieni, nulla inter disputandum acrimonia, nullus aculeus, nihil vt falsum absurdumque, quod contra suam doctrinam afferebatur, damnabat, & ea in scribendo, & disputando florebat modestia, vt catena velut aurea homines alligaret, inter quos præstantissimum Ludouicum de Ponte Societati conciliauit, dictus ob hoc ab Eminentiss. Cardinali de Noris totius Societatis, & doctior, & modestior. In Patribus euoluendis indefessus, & in ijs defendendis acerrimus ad speciem discordantes concordat, & totis neruis ab errore, vel minimo defendit, in B. Virginem efferuescens, primus ipse de cumulata supra omnes simul Cœlites reliquos Deiparæ gloria sententiam sparsit in vulgus. Quatuor iam & viginti doctissimorum Philosophiæ, Theologiæque voluminum vix aliquem, aut ne vix quidem eorum, qui ex operibus etiam nunc in his artibus durare pernoscuntur æqualem habuit. Cùm iam grauis ætate secessum spectaret, Olysipone mors illum intercepit, cùm inter Regios Senatores, & Pontificis Legatum gliscentem de iure dicendo controuersiam summa fœlicitate tranquillasset, qua de opera in rem Ecclesiæ narrata impigrè Paulus V. Pontifex Maximus proprijs illi literis gratias egit, & cùm libros suos de gratia typis mandare cogitasset, obijt septuagenarius die 25. Septembris anno 1617. mortuus stans, idest inter ipsa laborum discrimina, cuius mortem Lusitania integra, & Conimbria acerbè dirique flenit. Innumera essent elogia Suarez, quorum aliqua tantùm seligemus. Alphonsus à Castelbraneo celebris Conimbricensium Episcopus, cum ad opus defensionis fidei proloqueretur, & Suarez scriptiones vniuersim insigniter collaudaret, ipsum communem ætatis suæ Magistrum, & alterum Augustinum appellare consueuerat, & meritò quoniam intellectuali transmigratione mentem Augustini fecerat suam, de eo quippe scribit Cardinalis de Aguirre disp. 1. sect. 4. De sac. Theologia post citatam multam Suarez doctrinam. Hactenus Suarez solidè vt assolet, eruditè, ac pio affectu, & summa veneratione doctrinæ S. Augustini, cuius opera assiduè, & diligentissimè euoluere, atque introspicere curauit. Nec parciores in eius elogijs fuere alij sapientissimi Antistites, D. Ferdinandus Martines Mascaregnas Algarbiensium Præsul, postea supremus de fide in Lusitania Quæsitor, & D. Martinus Alphonsus à Mello Lameccensium Episcopus, Thomas Aquinas à S. Iosepho Carmelita Excalceatus in Differt. Historica Theolog. de Patriarchatu Eliç par. 2. sect. 3. Theologorum Societatis appellat verticem talem saltèm, vt si parem aliquem in his habuerit, at non meo quidem, & plurimorum aliorum iudicio superiorem, idque siue claritatem, quæ in eo potissima est, siue doctrinæ soliditatem, siue maximè polygraphiam spectes. Eminentissimus de Aguirre dum nominat Suarez semper addit egregium, eximium quem titulum Paulus V. datis ad eum quaternis literis Apostolicis inscripsit, alijque Theologi vocant, grauissimum, celeberrimum, &c. Libri autem sunt 25. & si addamus posthumum vnum 26. Primum, & Secundum Metaphysicarum Disputationum, cum Indice locupletissimo in 12. libros Metaphysicorum Aristotelis editi in Hispania, tum Genuæ 1608. fol. Venetijs 1610. Coloniæ 1620. Commentationum deinde ac Disputationum in Summam Theologiæ Diui Thomæ 19. volumina, quorum tria proximè sequentia respondent primæ parti Angelici Præceptoris, idest III. De Deo vno, & Trino, Moguntiæ typis Birkmannicij Lippij 1607. fol. IV. De Angelis lib. 8. ibidem 1621. V. De Opere sex dierum libri 5. Et de Anima lib. 6. Lugduni apud Iacobum Cardon, & Petrum Cabellat 1621. & ibid. anno 1635.

in fol. Cum titulo De Deo affectore Creaturarum omnium, sequuntur ad primam 2 partis. VI. De Vltimo fine hominis, ac beatitudine; De Voluntario, & inuoluntario; De Humanorum actuum bonitate, & malitia; De Passionibus, & habitibus; De Vitijs, atque peccatis, Lugduni apud Iacobum Cardon 1628. fol. Moguntiæ typis Birckmannici Hermanni Metesis 1629. VII. De Legibus, ac Deo Legislatore lib. 10. Conimbricæ 1613. fol. & Antuerpiæ apud Ioannem Keebersium eodem anno. VIII. De Diuina gratia continens tres partes 1. continet sex Prolegomena, & de necessitate Diuinæ gratiæ ad houesta opera libros duos, Lugd. 1609. in fol. Rursusque apud Cardon, & Cauellat 1620. IX. Pars 2. continens lib. 3. 4. & 5. De Auxilijs Diuinæ gratiæ in generali, & de Auxilio sufficienti, & efficaci, quæ tandem habita facultate Pontificia primum vidit lucem, Lugduni apud Borde, & Cauellat socios anno 1651. in fol. X. Pars 3. De Diuina gratia continens posteriores libros septem, De habitus gratia, sanctificatione hominis meritò, Lugduni 1609. & typis Cardon 1620. fol. Extat Tractatus Theologicus de Vera intelligentia auxilij efficacis, eiusque concordia cum libero arbitrio, opus posthumum, quem probatur esse Auctorem in Monitiuncula ad Auctorem, & in calce ponitur Defensio Suarez circa gratiam ægro oppresso à Sacerdote præsente collatam, Lugduni Philippi Bonde, Laur. Arnaud, & Cl. Rigaud 1655. XI. Opuscula varia Theologica, De Concursu, motione, & auxilio Dei, Lib. 3. De Scientia contingentium, Lib. 2. De Auxilio efficaci, Libertate Diuinæ voluntatis, Reuiuiscentia meritorum, & iustitia Dei, Matriti 1599. fol. Lugduni 1600. Moguntiæ 1612. fol. Lugduni 1611. in 4. 2. 2. interpretatur. XII. Opus de triplici virtute Theologica, Parisijs 1621. Ascaffenburgi 1622. XIII. De Religione 1. pars. De Natura Religionis, præceptis affirmatiuis, vitijsque oppositis. XIV. 2. Pars, De Religione, vbi de oratione, deuotione Horis Canonicis, iuramento, iuratione, & voto, Moguntiæ vt 1. pars, quæ etiam Venetijs, & hæc Lugduni 1610. XV. 3. pars, vbi de statu Religionis in genere, & de obligationibus, Moguntiæ 1625. fol. XVI. 4. pars, De Obligationibus ex regula, & subiectione Prælati, De Varietate Religionum, Moguntiæ 1626. 3. par. respondens. XVII. De Incarnatione Verbi 1592. postea auctus, & recognitus, Moguntiæ 1609. & Lugduni 1604. & 1608. XVIII. De Mysterijs Vitæ Christi, B. Virgine, Ioseph, Lugduni, ac Moguntiæ 1604. XIX. De Sacramentis 1. pars, vsque ad pœnitentiam, Lugduni 1604. & Moguntiæ 1610. fol. XX. De reliquis Sacramentis, Purgatorio, Suffragijs, & Indulgentijs, Lugduni 1604. fol. Moguntiæ eodem anno. Summa huius operis, Lugduni prodijt 1627. in 8. XXI. De Censuris in communi, & particulari, & irregularitate, Lugduni 1604. Moguntiæ 1606. fol. Præter hæc supra summam. XXII. Defensio Fidei Catholicæ aduersus Anglicos errores Conimbricæ 1613. fol. Moguntiæ 1619. vbi de Primatu Petri, Antichristo, &c. Omnia hæc excepto vno prodierunt 23. voluminibus comprehensa Lugduni, Coloniæque inedita sunt hactenus. XXIII. Consilia, & variæ quæstiones vno volumine. XXIV. Commentaria in Logicam, aliosque Aristotelis Libros.

LIBER TERTIVS.

DE SVMMI PONTIFICIS *supra temporales Reges excellentia, & Potestate.*



Hactenus ostensum est, In quas hæreses, grauesque errores, contempto Catholicæ fidei fundamento, Anglia tandem inciderit. Superest, vt de totius lapsus origine, id est, denegata Pontifici Summo debita obedientia, & vsurpato à temporali Rege falso nomine supremi capitis in spiritualibus sui Regni, disseramus. Hoc enim fuit totius schismaris initium, & de schismate ad hæresim peruentum est, vt supra vidimus. Non est autem necesse, iterum miseram & turpem causam commemorare, quæ tantæ mutationi, & horrendo schismati occasionem præbuit: nam historiæ veritas satis perspicuè in principio primi libri describitur, argumentum verò euidens, quod inde sumitur, mutationem illam Anglicanam non à Deo verò, sed à Principe tenebrarum ortam esse, satis etiam in eodem libro inculcarum manet, ideoque his, quæ ad præteritum factum spectant, omis-

omissis de iure Regis, & Pontificis, in hoc libro tractandum superest. Et quamuis de absoluta temporali Regis potestate, nulla lis, aut controuersia mota sit; sed solùm de illius ad Romanum Ponticem subordinatione, dependentia, ac debita obedientia: nihilominùs vt exactius res tota intelligatur, & Regi Angliæ pleniùs satisfaciamus (qui in præfatione sua conqueritur, Pontificem tantam in Reges potestatem iniquè vsurpasse, vt se posse contendat pro libito Regna mutare, dare, & auferre) ideò priùs quid de Regum temporalium munere, & iurisdictione fides doceat, posteà verò de Romani, Summique Pontificis Primatu, & potestate, quam pro ratione sui muneris in quosuis temporales Principes exercere valeat, differemus. Obseruato autem, pro vniuscuiusque loci opportunitate, ordine doctrinæ, simul errores varios ad hoc punctum pertinentes, quo sparsim Rex in Præfatione, & in Apologia profert, animaduertemus, & refutabimus, obiectionibusque quas indicat, satisfaciemus: ad alia verò multa, quæ in hoc puncto dici possent, non digrediemur.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm Principatus politicus legitimus, & à Deo sit.

POtest hoc loco referri antiquus error quorumdam Iudæorum, qui dicebant solùm Deum esse tamquam Principem, & Dominum recognoscendum, illi enim videntur, omnem Principatum humanum, ac subinde Regnum etiam politicum tamquam humanæ libertati contrarium respuisse. Ita refert Iosephus libro 18. de Antiquit. cap. 1. vbi auctorem huius erroris vocat Iudam Gaulanitam, fortasse enim ex origine hoc cognomen habebat: nam cap. 2. vocat Iudam Galilæum, fortè ex patria, libro autem 2. de bello Iudaic. cap. 2. vocat Simonem Galilæum, tamen in actibus Apostolorum cap. 5. illius videtur fieri mentio sub nomine Iudæ Galilæi, de quo dicitur. [In diebus professionis auertit populum post se, & ipse periit, & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt.] Cuius seditionis meminit etiam Ioseph. loco citato, & lib. 7. de bello Iudaic. cap. 29. & 31. & aliqui existimant hos esse Galilæos, [quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum,] vt refert Lucas cap. 13. & exponit ibi Oecumenius & Anastasius Nicenus qu. 67. in Scripturam. Et quoniam Christus Dominus Galilæus erat, & ex Galilæa discipulos congregauerat, ideò fortasse Iudæi calumniam illi huius erroris moliebantur, quando illum interrogauerunt, [licet ne, censum dare Cæsari, an non?] vt sensit Augustinus enarrans verba illa Psalmi 118. [Principes persequuti sunt me gratis,] & Hieronymus ad Titum 3. in principio.

Non constat autem mihi, an Iudas ille Galilæus de vniuersis hominibus, an de solis Iudæis sententiam suam protulerit; potuit enim specialiter de Iudæis sentire non potuisse ab Imperatoribus Ethnicis in subiectionem redigi, vel ad soluenda tributa cogi, neque debere illos vt Dominos recognoscere, quia populus ille sub peculiari Dei regimine susceptus erat. Et ideò fortasse posteà etiam Apostoli, & Christiani in principio de hoc errore suspecti fuerunt gentibus, vt ex Iustino Apolog. 2. & Clement. Alexandr. lib. 4. Stromat. accipi potest, & latiùs cap. 3. dicam. Quòd si Iudas ille absolutè de omnibus hominibus, & Principibus humanis loquutus est, fundari fortè potuit in naturali hominis dignitate. Nam homo factus ad imaginem Dei, sui iuris, solique Deo subditus creatus est, & ideò, non videtur posse iustè in alicuius hominis seruitutem, vel subiectionem redigi; ergo non potest vnus homo iustè compelli, vt alium tamquam Principem, & Dominum temporalem recognoscat; ac subinde Principatus politicus, qui hunc dominatum vsurpat, nec legitimus, nec à Deo est.

Nihilominus veritas Catholica est, politicum Principatum debito modo introductum, iustum, & legitimum esse. Dico, debito modo introductum, vt excludam potestatem per tyrannidem vsurpatam, quia de illa constat, esse violentiam iniquam, non veram, & iustam potestatem, cùm iusto titulo dominij careat; quis autem hic titulus iustus sit, capite sequenti attingam. Sic ergo explicata dicta resolutio habetur expressè in sacra Scriptura Prouerb. 29. [Rex iustus erigit terram, & iterum, Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.] Sapien. 6. [Rex sapiens stabilimentum populi est.] In his enim locis, & similibus apertè supponitur, temporales Reges esse veros, ac legitimos Principes, seu Dominos. Et ideò Petrus 1. canonic. cap. 2. præcipit, [subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tamquam præcellenti, &c.] Et infrà, [Regem honorificate.] & Paulus ad Roman. 13. [omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.] Et infrà, [Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam,] non tenetur autem aliquis propter conscientiam obedire, nisi legitimam potestatem ad præcipiendum habenti. Præterea ex Patribus docuerunt veritatem hanc Clemens lib. 4. constitut. cap. 12. dicens, [Estote subiecti omni Regi, & potestati in ijs, quæ Deo placent tamquam ministris Dei, & impiorum iudicibus.] Et vlteriùs, [Exhibete eis omnem metum debibitum, omne vectigal, omne tributum, &c.] Et concludit. [Hæc enim est Dei lex.] Idem habet lib. 7. cap. 17. & Basilius in Moralib. regul. 79. vbi etiam adducit illud ad Titum 3. [Admone illos, principatibus, & potestatibus subditos esse.] Hieronym. epistol. 4. post medium. Vbi exemplis etiam ex brutis animalibus sumptis id confirmat, dicens, [etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus Principes sunt, grues vnum sequuntur ordine literato, Imperator vnus, index vnus Prouinciæ, &c.] Et sumpsisse videtur ex Cypriano libro de Idolorum vanitate.

Atque ex his testimonijs colligi in primis potest ratio huius veritatis, quæ ex necessitate huius Principatus, & potestatis eius, & con-

consequenter ex fine illius, qui est conseruatio humanæ, ac ciuilis Reipublicæ sumitur. Homo enim natura sua propensus est ad ciuilem societatem, eaque ad conuenientem huius vitæ conseruationem maximè indiget, vt rectè Aristoteles docuit 1. Politicor. cap. 1. & 2. quod etiam à Deo esse sic ordinatum ad conciliandam inter homines concordiam, & charitatem, longo discursu expendit Chrysost. homil. 34. in 1. ad Corinth. Non potest autem communitas hominum sine iustitia, & pace conseruari, neque iustitia, & pax sine gubernatore, qui potestatem præcipiendi, & coercendi habeat, seruari possunt, ergo in humana ciuitate necessarius est Princeps politicus, qui illam in officio contineat. Propter quod dicitur Prouerb. 11. [Vbi non est gubernator, populus corruet.] Et Ecclesiast. 10. additur, [Væ tibi terra, cuius Rex puer est,] quia non satis est, habere Principem, nisi sit etiam aptus ad gubernandum. Et ideò in pœnam comminatur Deus Isai. 3. [Dabo pueros Principes eorum; & effœminati dominabuntur eis.] Cùm ergo humana natura non possit esse destituta medijs ad suam conseruationem necessarijs, dubitari non potest, quin ex natura rei, & attento iure, & iustitia naturali, possit esse Princeps politicus in ciuili societate habens in eam legitimam, & sufficientem potestatem. De quo discursu videri potest August. lib. propos. in epist. ad Roman. propos. 72. quem imitatur Anselm. Roman. 13. & ibidem Primas, & Laur. Iust. de Triumphali Christi agon. cap. 13.

Potestque idem declarari naturali exemplo corporis humani, quod sine capite conseruari non posset. Est enim humana respublica ad modum vnius corporis, quod sine varijs ministris, & ordinibus personarum, quæ sint instar plurium membrorum, subsistere non potest. Vnde multò minùs conseruari poterit sine Gubernatore, & Principe, ad quem totius corporis commune bonum procurare pertinear. Idem explicari potest exemplis ab arte (vt ita dicam) desumptis, vt est de naui, quam necesse est perire, si gubernator desit. Item de exercitu, si desit dux, & similibus. Atque huc etiam tendunt exempla ex alijs animantibus è Cypriano, & Hieronymo desupra. Quibus (quod notandum est) non solùm intendunt concludere, necessarium esse Principem in republica, sed etiam vnum tantùm esse debere. [Numquam enim Regni societas (dixit Cyprianus) aut cum fide cœpit, aut sine cruore desijt. Loquuntur autem de supremo Principatu, nam sub illo esse possunt plures gubernatores in diuersis Prouinciæ partibus, necesse est autem, vt omnes vni subordinentur, in quo sit suprema potestas. Nam si plures essent, nec inter se, nec alteri subordinati, fieri nullo modo posset, vt vnitas, seu concordia, & obedientia cum iustitia, & pace conseruarentur, vt per se satis notum est. Intelligendum verò etiam hoc est de vno Principe non quoad personam propriam, sed quoad potestatem, & consequenter quoad personam, aut veram, aut mysticam, seu politicam: nam ad regimen, & conseruationem ciuilis societatis humanæ non est absolutè necessarius vnus Monarcha (sunt enim alij modo regiminum sufficientes, licèt fortasse non ita perfecti, vt infrà attingemus) & ideo cùm de vno Principatu politico loquimur, vnum tribunal, seu potestatem vnam intelligimus, siue illa in vna naturali persona, siue in vno consilio, seu congregatione plurium tamquam in vna persona ficta, vt in vno capite existat.

Præter rationem sumptam ex fine, & ex necessitate huius potestatis, iustititiam eius ex illius origine ostendere necesse est. Propter quod addimus, Principem politicum potestatem suam à Deo ipso recipere. Quod etiam absolutè loquendo, de fide est, nam expresse Paulus pro ratione obedientiæ debitæ tali Principi, adiunxit: [Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt.] Et infrà, [Dei enim minister est,] & Prouerbior. 8. dicit diuina sapientia, [Per me Reges regnant,] & Sapien. 6. [Audite Reges, &c. quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo.] Et ita 3. Reg. 10. de Rege Salomone dicitur. [Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, & Daniel c. 2. ad Nabuchodonor dixit, Deus cœli Regnum & fortitudinem, & Imperium dedit tibi.] Et idem sumitur ex Ierem. 27. Eadem est communis doctrina Patrum exponentium prædicta loca Pauli, præsertim Chrysostom. homil. 23. & Orig. lib. 9. in epistol. ad Roman. & Oecumeni, ibidem, qui ait, [Quia æqualitas in omnibus seditiosa res erat, ideò Deus potestatem adiunxit.] Homil. in Psalm. 148. circa verba illa, [Reges terræ: omnes populi, Principes, & omnes iudices terræ, inter alia dicit, fuisse opus Dei prouidentiæ in eos, qui magistratus gerunt, & in eos, qui illis parent, vniuersum diuisisse,] Nazianzen. orat. 17. & Epiphanius contra Arcontic. & hæres. 40. vbi inter alia de potestate Principis ait, [Non aliunde est, sed ex Deo,] & Isidorus Pelusiota lib. 2. ep. 206. Imperium à Deo formatum, atque institutum dicit, & Theophylus Antiochen. lib. 1. ad Autolyc. [Deum, inquit, non Cæsarem adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum,] & infrà dixit, Regem, siue Cæsarem esse honorandum, & pro illo ad Deum esse orandum, [Nam Regnum ait, seu Imperium, rerumque administratio ipsi à Deo commissa, seu demandata est.] Idem latè docet Irenæus lib. 5. contra hæres. cap. 24. vbi loca Scripturæ, præsertim Pauli in hunc sensum exponit, & alias interpretationes refellit; & optimè Tertullian. lib. ad Scapulam cap. 2. [Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens, à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honore, & saluum esse velit.] Denique Augustinus lib. 5. de ciuitat. cap. 21. [Non tribuamus, inquit, dandi Regni, & Imperij potestatem, nisi Deo verò, &c.] Idemque confirmant Patres in priori assertione allegati, & alij, quos in sequenti capite referam.

Ratio huius assertionis multum pendet ex modo, quo credendum est, Deum dare huiusmodi Principatum, seu potestatem, quod sequenti capite tractandum est. Et ideò nunc breuiter probatur, primò quia omnia, quæ sunt de iure naturæ, sunt à Deo, vt auctore naturæ, sed Principatus politicus est iure naturæ.

tæ. Et ita hæc assertio fundatur in præcedente: nam cùm hic Principatus iustus, & legitimus sit, non potest non esse consentaneus iuri naturali, & cùm sit necessarius ad conseruationem humanæ societatis, quam ipsa humana natura appetit, etiam hoc titulo est ex iure naturali talem potestatem exigente, igitur sicut Deus, qui est auctor naturæ, est etiam auctor iuris naturalis, ita etiam est auctor huius primatus, & potestatis. Nam, vt Philosophus dixit, qui dat formam, dat ea, quæ consequuntur ad ipsam. Deinde potest eadem illatio fieri hoc modo, quia omne bonum dimanat à Deo vt à principali auctore, iuxta illud Iacobi 1. [Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est,] sed Principatus politicus est bonus, & honestū, vt ostensum est, ergo est à Deo. Denique hac ratione terreni Reges ministri Dei vocantur in scriptura, vt vidimus, ergo eorum potestas ministerialis est respectu Dei; ergo ipse est principalis auctor huius regiminis. Declaratur autem maximè ex potestate, quam Princeps politicus habet ad vindictam de malis sumendam, etiam illos vita priuando, fi oportuerit: nam hoc sine diuino nutu fieri non potuisset, cùm solus Deus sit Dominus vitæ hominis, & hoc significauit Paul. dicens, [Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.] Vnde etiam est illud Augustini lib. de natura boni contra Manichæos, [etiam nocentium potestas non est nisi à Deo, & citat illud per me Reges regnant,] & similia.

Atque hinc facilè patet responsio ad fundamentum contrarij erroris intellecti in posteriori sensu supra declarato, in quo est profitæ veritati Catholicæ contrarius. Quamuis enim homo liber creatus sit, non tamen sine capacitate, & aptitudine, vt iusta causa, & rationi consentanea possit alteri homini subijci, immò subiectio aliqua est homini naturalis, vel supposito aliquo pacto, vt est subiectio vxoris ad virum. Sic ergo, supposita societate ciuili, subiectio singularum personarum ad publicam potestatem, seu Principatum politicum naturalis est tamquam consentanea rectæ rationi naturali, & ad conneniemtem humanæ naturæ conseruationem necessaria. Et ideò neque conditioni hominis hæc subiectio repugnat, neque etiam in aliquam Dei iniuriam redundat, quia licet Princeps politicus in gradu suo sit Rex, legislator, & Dominus, longè tamen diuerso, & inferiori modo, quam Deus. Nam de homine solùm per participationem quandam tamquam de ministro Dei hæc dicuntur, soli autem Deo per essentiam, & principaliter conueniunt. Quod si error ille in priori sensu intelligitur, non opponitur assertioni Catholicæ à nobis propositæ, quia licet Iudaicus populus ex peculiari Dei priuilegio esset exemptus, ac iure Principibus Ethnicis subijci posset, nihilominus in ipsa Iudæorum republica legitimus Principatus politicus inueniri potuit, sicut re vera suis temporibus fuit, & similiter in alijs Regnis, & Prouincijs gentium esset idē Principatus, & in vnoquoq; Principe supremo esset similis potestas in populos sibi subiectos. Verumtamen etiam in illo sensu non habuit sententia illa fundamentum solidum, non vacat autem nunc, illud expendere, neque etiam examinare, an Iudæi iure, & legitimè, vel per iniuriam, & tyrannidem fuerint Romanis subiecti, & ad soluendum Imperatori tributum coacti, nam huiusmodi quæstiones nihil ad præsens institutum referunt.

CAP. II.

Vtrùm Principatus politicus immediatè à Deo sit, seu ex Diuina institutione.

Quæstio tractata in præcedenti capite, propter hanc, quam nunc propono, declarata est; in illa enim nulla est nobis contentio cum Rege Angliæ: sed necessariò præmittenda fuit, vt hæc possit intelligi. In qua Rex serenissimus non solùm nouo, & singulari modo opinatur, sed etiam acriter inuehitur in Cardinalem Bellarminum eo quòd asseruerit, [Non Regibus auctoritatem à Deo immediatè perinde, ac Pontificibus esse concessam.] Asserit ergo ipse, Regem non à populo, sed immediatè à Deo suam potestatem habere, suam verò sententiam quibusdam argumentis, & exemplis suadere conatur, quorum efficaciam in sequenti capite expendemus.

Sed quamquam controuersia hęc ad fidei dogmata directè non pertineat (nihil enim ex Diuina Scriptura, aut Patrum traditione in illa definitum ostendi potest) nihilominus diligenter tractanda, & explicanda est. Tùm quia potest esse occasio errandi in alijs dogmatibus. Tùm etiam, quia prædicta Regis sententia; prout ab ipso asseritur, & intenditur; noua, & singularis est, & ad exagerandam temporalem potestatem, & spiritualem extenuandam videtur inuenta. Tùm denique, quia sententiam illustrissimi Bellarmini antiquam, receptam, veram, ac necessariam esse censemus. Quod, vt ostendamus, declarare priùs oportet, quid sit, potestatem aliquam esse immediatè à Deo, seu (quod perinde est) Deum esse immediatam causam, & auctorem alicuius potestatis. In primis enim requiritur, vt Deus sit causa proxima, sua voluntate conferens talem potestatem. Non enim satis est, vt Deus tamquam prima causa, & vniuersalis potestatem tribuat: nàm licet illo etiam modo possit Deus aliquo modo dici immediatè efficere, vel donare, quidquid ab ipso tamquā à prima causa pendet, siue ratione proximæ virtutis, siue vt immediatum suppositum, vt Philosophi distinguunt: nihilominus hic modus immediatæ effectionis in præsenti non satis est. Quia nulla est potestas, quæ hoc modo non sit à Deo, vt à prima causa, ac proindè immediatè in illo genere: atque ita potestas etiam data immediatè ab hominibus à Rege, vel Pontifice, datur etiam à Deo vt prima causa immediatè influente in illum effectum, & in actum voluntatis creatæ, per quam proximè donatur. At verò talis potestas non dicitur simpliciter esse immediatè à Deo, sed solùm secundùm quid, nam proximè ab homine datur, & ab illo pendet. Tunc ergo dicitur potestas

testas absolutè data immediatè à Deo, quando solus Deus per voluntatem suam est causa proxima, & per se donans talem potestatem, & hoc modo in præsenti loquimur; alioqui friuola, & inutilis esset disputatio.

Immò vlterius duos modos distinguere oportet, quibus Deus potest, & solet immediatè, idest, sola sua potentia, & voluntate, aliquam potestatem conferre. Vnus modus est, dando potestatem, vt ex natura rei necessario connexam cum aliqua natura, quam Deus ipse condit, quod in Physicis facultatibus facilè potest considerari; nam Deus creando animam, dat illi immediatè intellectum, & voluntatem, quia licèt huiusmodi potentiæ ex anima ipsa naturaliter fluant, tamen quia solus Deus animam immediatè creat, dicitur etiam immediatè conferre potentias, quæ illam consequuntur. Idem ergo est seruata proportione in morali potestate, nam potestas patris in filium moralis est, & à Deo ipso, vt auctore ipsius naturæ, immediatè confertur, non vt peculiare donum à natura omninò distinctum, sed vt necessariò consequens illam, supposito generationis fundamento: sicut è contrario subiectio filij ad patrem naturalis est, & à Deo immediatè, non est peculiari institutione addita naturæ, sed vt necessariò consequens ad talem naturam rationalem sic productam. Alio modo datur à Deo immediatè potestas per se (vt ità dicam) & peculiari donatione, non vt necessariò connexa cum alicuius rei creatione: sed vt voluntariè à Deo superaddita alicui naturæ, vel personæ. Cuius modi possumus exempla quasi physica, & moralia adhibere; nam potestas proxima faciendi miracula quasi physica est, & tamen Deus illam immediatè confert, cui vult, non ex aliquo uebito, sed ex consilio voluntatis suæ. Potestas quoque iurisdictionis, Petro v. gr. data moralis fuit, & tamen Deus illam immediatè, directè, ac per se contulit. Ratio autem distinctionis non est alia, nisi quia potestates ipsæ possunt esse diuersarum rationum, vel ordinum, & Deus potens est ad operandum, & connaturali, & præter, vel supernaturali modo.

Quamobrem cùm Rex adstruat, Deum immediatè dare Regibus principatum, & potestatem temporalem, videndum est, an illa assertio aliquo ex prædictis modis vera esse possit. Priùs verò declarandum est subiectum, cui dicitur Deus immediatè dare hanc potestatem, & ad quod, vel quale regimen illam dare censeatur. Nam hæc potestas considerari potest, vel prout est, seu esse potest in toto corpore politico communitatis, seu ciuitatis humanæ, vel prout in his, aut illis membris eiusdem communitatis existit, vel existere potest. Item considerari potest eadem potestas, vel præcisè, & abstractè, vel ad certam speciem politicæ gubernationis determinata. Nam (vt est moralis doctrina Philosophis communis) triplex potest esse regimen reipublicę humanæ, monarchicum vnius Principis supremi, qui sit vna singularis persona, Aristocraticum vnius supremi consilij, seu tribunalis ex pluribus optimatibus coacti, & Democraticum, per totius populi suffragia, qui tres modi simplices sunt. ex illis autem possunt alij componi, qui vel duos illorum, vel etiam omnes participent, quæ gubernationes mistæ solent appellari. Potest igitur principatus politicus, vel per se, & præcisè considerari, vt potestas quædam suprema regendi ciuiliter rempublicam, abstrahendo ab hoc, vel illo modo regiminis tam simplici, quàm mixto, vel prout determinatus ad aliquam regiminis speciem ex his, quas numerauimus. Quibus sic propositis, & distinctis sine vlla prorsus ambiguitate, euidentique ratione statui potest quomodo Principatus politicus sit immediatè à Deo, & nihilominus Regibus, & Senatibus supremis non à Deo immediatè, sed ab hominibus commendatus sit.

Primò enim suprema potestas ciuilis per se spectata immediatè quidem data est à Deo hominibus in ciuitatem, seu perfectam communitatem politicam congregatis, non quidem ex peculiari, & quasi positiua institutione, vel donatione omninò distincta à productione talis naturæ, sed per naturalem consequutionem ex vi primæ creationis eius; ideòque ex vi talis donationis non est hęc potestas in vna persona, neque in peculari congregatione multarum, sed in toto perfecto populo, seu corpore communitatis. Hæc resolutio quoad omnes partes communis est, non solùm Theologorum, sed etiam Iurisperitorum, quos statim referam. Nunc ratione ostendo singulas partes. Primam quidem, & secundam, quia hæc potestas politica naturalis est: quia nulla etiam interueniente supernaturali reuelatione, aut fide, ex dictamine rationis naturalis agnosceretur hæc potestas in humana republica, vt illius conseruationi, & æquitati omninò necessaria: signum igitur est, esse in tali communitate vt proprietatem consequentem naturam, seu creationem, & naturalem ipsius institutionem. Nam si præter hanc esset necessaria specialis Dei donatio, & concessio non connexa cum natura, non posset sola naturali ratione de illa constare, sed opus esset, vt per reuelationem hominibus manifestaretur, vt de illa certi esse possent, quod tamen falsum est, vt ex dictis constat.

Quòd autem saltem hoc modo necessariò dicendum sit, hanc potestatem esse immediatè à Deo, facilè ex eisdem principijs concluditur, quia quæ consequuntur naturam, immediatè dantur à proprio, & immediato auctore eiusdem naturæ, vt declaraui; sed hæc potestas est proprietas quædam consequens humanam naturam, vt in vnum politicum corpus congregatam, vt etiam ostensum est; ergo datur immediatè à Deo, vt est auctor, & prouisor talis naturæ. Deinde probari hoc potest, quia hæc potestas est à Deo, vt capite precedenti probatum est, & respectu talis communitatis non intercedit medium (vt sic dicam) inter Deum, & ipsam, per quod tribuatur. Nam eo ipso, quod homines in corpus vnius ciuitatis, vel reipublicæ congregantur, sine interuentu alicuius creatæ voluntatis resultat in illa communitate talis potestas, cùm tanta necessitate, vt non possit per voluntatem humanam impediri; signum proinde est, esse immediatè à Deo, interueniente solùm illa naturali resultantia, seu consequutione ex natura, & dictamine rationis naturalis ostendentis potiùs, quàm eiusmodi potestatem exhibentis. Neque immediatam emanationem

huius

huius potestatis à Deo hoc modo declaratam, negauit vnquam Cardinalis Bellarminus, sed illam potiùs supposuit, quia non inter populum, & Deum medium posuit, sed inter Regem, & Deum voluit populum esse medium, per quod Rex talem accipit potestatem, quod longè diuersum est, vt iam declarabitur.

Atque hinc euidens etiam est (quod in vltima parte assertionis dicebamus) potestatem hanc præcisè spectatam, vt est ab auctore naturæ quasi per naturalem consequutionem, non esse in vna persona, neque in aliqua peculiari communitate, siue optimatum, siue quorumcumque ex populis, quia ex natura rei solùm est hæc potestas in communitate, quatenùs ad illius conseruationem necessaria est, & quatenus per dictamen rationis naturalis ostendi potest; sed ratio naturalis solùm ostendit, esse necessariam in tota communitate, & non in vna persona, vel Senatu; ergo prout est immediatè à Deo, solùm intelligitur esse in tota communitate, non in aliqua parte eius. Quod intelligo de parte communitatis non solùm indiuiduè, seu materialiter (vt sic dicam) designata, sed etiam formaliter, seu indeterminatè, aut vagè concepta, idest, non est immediatè in vna certa persona, v.g. Adamo, Iacobo, vel Philippo, neque etiam ex natura rei postulat esse in vna singulari persona, & idem est cum proportione de Senatu, siue spectetur materialiter vt constans ex talibus personis, siue formaliter, vt est congregatio ex tali, vel tanto personarum numero. Et ratio est manifesta, quia ex vi rationis naturalis nulla potest excogitari ratio, cur hæc potestas determinetur ad vnam personam, vel ad certum numerum personarum infra totam communitatem magis, quàm ad alium; ergo ex vi naturalis concessionis solùm est immediatè in communitate. Declaratur denique, quia ex vi solius rationis naturalis non determinatur Principatus politicus ad Monarchiam, vel Aristocratiam, simplicem, vel mistam, quia nulla est ratio, quæ definitum modum regiminis necessarium esse conuincat. Quod vsus ipse confirmat: nam propterea diuersæ Prouinciæ, vel Nationes diuersos etiam gubernationis modos elegerunt, & nulla illarum contra rationem naturalem, aut contra immediatam Dei institutionem operatur. Quare signum est, potestatem politicam non esse à Deo immediatè donatam vni personæ, Principi, Regi, aut Imperatori, alioqui illa esset monarchia immediatè à Deo constituta, vel vni, vel alicui particulari senatui, aut particulari congregationi paucorum Principum, alioqui illa esset Aristocratia à Deo immediatè instituta, idemque argumentum de quacumque mista gubernatione fieri poterit.

Dices: si hæc ratio efficax esset, etiam probaret, Deum non dedisse immediatè toti communitati hanc politicam potestatem, quia aliàs Democratia esset immediatè ex diuina institutione, sicut de Monarchia, & Aristrocratia nos inferebamus. At hoc non minùs est falsum, & absurdum in Democratia, quam in alijs speciebus regiminum, tum quia sicut ratio naturalis non determinat, vt necessariam, Monarchiam, vel Aristocratiam, ita nec Democratiam, immò multò minùs istam, quia omnium imperfectissima est, vt Aristoteles testatur, & est per se euidens. Tum etiam quia si illa institutio esset diuina, non posset per homines immutari. Respondetur, negando primam illationem, nam potiùs ex eo, quod hæc potestas non est data à Deo instituente Monarchiam, vel Aristocratiam, necessariò concluditur datam fuisse toti communitati, quia non relinquitur aliud subiectum humanum, vt sic dicam, cui dari potuerit. Ad alteram verò illationem, scilicet, hinc sequi, Democratiam esse diuina institutione, respondemus, si hoc intelligatur de institutione positiua, negandam esse consecutionem, si verò intelligatur de Institutione quasi naturali, sine vllo inconuenienti admitti posse, & debere. Est enim valdè notanda differentia inter has species politicæ gubernationis, nam Monarchia, & Aristocratia introduci non potuerunt sine positiua institutione diuina, vel humana, quia sola naturalis ratio inde sumpta non determinat aliquam ex dictis speciebus vt necessariam, sicut dixi; vnde cùm in humana natura per se spectata absque fide, seu reuelatione diuina non habeat locum positiua institutio, de illis speciebus necessariò concluditur, non esse immediatè à Deo. At verò Democratia esse posset absque institutione positiua, ex sola naturali institutione, seu dimanatione cum sola negatione nouæ, seu positiuæ institutionis, quia ipsa ratio naturalis dictat, potestatem politicam supremam naturaliter sequi ex humana communitate perfecta, & ex vi eiusdem rationis ad totam communitatem pertinere, nisi per nouam institutionem in alium transferatur, quia ex vi rationis neque alia determinatio locum habet, neque immutabilior postulatur.

Quo circa potestas hæc, prout à Deo immediatè datur communitati, iuxta modum loquendi Iurisperitorum, dici potest de iure naturali negatiuè, non positiuè, vel potiùs de iure naturali concedente, non simpliciter præcipiente. Quia nimirum ius naturale dat quidem per se, & immediatè hanc potestatem communitati, non tamen absolutè præcipit, vt in illa semper maneat; neque vt per illam talis potestas immediatè exerceatur, sed solùm quamdiù eadem communitas aliud non decreuit, vel etiam ab aliquo potestatem habente mutatio legitimè facta fuerit. Exemplum est de libertate hominis, quæ seruituti opponitur, est enim de iure naturali, quia ex vi solius naturalis iuris homo nascitur liber, nec potest sine legitimo aliquo titulo in seruitutem redigi, ius autem naturæ non præcipit, omnem hominem semper manere liberum, seu (quod perinde est) non simpliciter prohibet, hominem in seruitutem redigi, sed solùm, vt id non fiat, vel sine libero illius consensu; vel sine iusto titulo, & potestate. Sic ergo perfecta communitas ciuilis iure naturæ libera est, & nulli homini extra se subijcitur, tota verò ipsa habet in se potestatem, quæ si non mutaretur, Democratica esset, & nihilominus, vel ipsa volente, vel ab alio habente potestatem, & titulum iustum, potest tali potestate priuari & in aliquam personam, vel Senatum transferri.

Ex quibus tandem concluditur, nullum Re-

Regem, vel Monarcham habere, vel habuisse (secundum ordinariam legem) immediatè à Deo, vel ex diuina institutione politicum Principatum, sed mediatè humana voluntate, & institutione. Hoc est egregium Theologię axioma, non per irrisionem, vt Rex protulit sed verè, quia rectè intellectum verissimum est, & ad intelligendos fines, & limites ciuilis potestatis maximè necessarium. Non est autem nouum, aut à Cardinali Bellarmino inuentum, vt prædictus Rex illi attribuere videtur: nam multò antea illud docuit Cardinalis Caietanus in Apologia, seu tractatu 2. de auctorit. Papæ par. 2. cap. 10. & Castr. lib. 1. de leg. pœn. cap. 1. & Dried. lib. 1. de Libert. Christ. cap. 19. & Victor. in Relect. de potest. ciuil. num. 8. & sequentibus, & sumitur ex eodem in relect. 2. de potestat. Ecclesiast. conclus. 3. & ad 1. Soto lib. 4. de Iustit. quæst. 2. artic. 1. in discursu conclusionis 1. & latiùs quæst. 4. artic. 1. quos sequutus est Ludouic. Molina tract. 2. de instit. disputat. 18. Et insinuat D. Thom. 1. 2. quæst. 90. art. 3. & qu. 97. art. 3. & clariùs 2. 2. quæst. 10. artic. 10. Nec solùm à Theologis, sed etiam à Iurisperitis doctrina hæc tradita est communiter l. 3. ff. de constitut. Princip. & in l. 2. ff. de Origin. iuris, & ex Modernis, à Nauarro in cap. nouit. de iudicijs, notab. 3. præsertim num. 41. & 85. & 94. & num. 112. & sequentibus vsque ad 121. & num. 147. Couarruuias in Practicis quęstionibus cap. 1. num. 6. qui alios etiam referunt.

Prætereà sumi potest hæc veritas ex sanctis Patribus, primò, quia sæpè asserunt, hominem à Deo fuisse creatum ingenuum, & liberum, solùmque accepisse à Deo immediatè potestatem dominandi brutis animalibus, & inferioribus rebus; dominium autem hominum in homines per humanam voluntatem, propter peccatum, aut aduersitatem aliquam fuisse introductum. Quod tradidit Ambrosius ad Coloss. 3. in fine, & latiùs August. 19. de Ciuit. cap. 15. & lib. Quæstion. in Genes. quest. 153. & Gregorius lib. 21. Moral. cap. 10. aliàs 11. & in Pastorali par. 2. cap. 6. Quod enim illi de libertate vniuscuiusque hominis, & seruitute illi opposita dicunt, eadem ratione in persona mista, seu ficta vnius communitatis, seu ciuitatis humanæ verum habet. Nam prout à Deo immediatè regitur iure naturæ libera est, & sui iuris, quæ libertas non excludit, sed includit potius potestatem regendi se ipsam, & imperandi membris suis, excludit autem subiectionem ad alium hominem, quantum est ex vi solius naturalis iuris, quia nulli hominum dedit Deus immediatè talem potestatem; donec per institutionem, vel electionem humanam in aliquem transferatur. Deinde hoc egregiè confirmat sententia Augustini lib. 3. confess. cap. 8. dicentis: [Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis.] Nam per hæc verba significat, Regium principatum, & obedientiam illi debitam fundamentum habere in pacto societatis humanæ, ac subinde non esse ex immediata institutione Dei, nam humanum pactum humana contrahitur voluntate.

Et fortasse hoc pactum nomine [legis Regiæ] significatur in l. 1. ff. de constitution. Princip. vbi Vulpianus ait, ideò Principis placitum legis habere vigorem, [quia lege Regia, quæ de imperio eius lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium, & potestatem transtulerit.] Quæ verba probauit, & transcripsit Iustinianus Imperator in §. Sed & quod Principi, institut. de iure natur. gent. & ciuili: illa enim lex non dicitur Regia, quia ab aliquo Rege lata sit, sed quia de Imperio Regis lata est, vt in eadem l. 1. dicitur, vbi etiam significatur, constitutam esse a populo creante, & instituente Regis dignitatem, transferendo in illum suam potestatem, vt ibi etiam Glossæ, & Doctores exponunt. Non potuit autem illa lex ferri per modum solius præcepti, cum per illam populus se abdicauerit à suprema iuris dicendi potestate; ergo intelligi debet constituta per modum pacti, quo populus in Principem transtulit potestatem sub onere, & obligatione gerendi curam reipublicæ, & iustitiam administrandi, & Princeps tam potestatem, quàm conditionem acceptauit; ex quo pacto firma, & stabilis permansit lex Regia, seu de Regali potestate; non ergo immediatè à Deo, sed à populo Reges hanc habent potestatem. Vnde etiam dicitur in l. 2. §. Nouissimè, ff. de orig. iuris, [quia Senatus non omnes Prouincias probè regere poterat, constituto Principe, datum esse ei ius, vt quod constituisset, ratum esset.]

Ratio autem assertionis ex dictis facilè colligitur: nam illa potestas dicitur esse in aliquo immediatè à Deo, quæ vel per solam Dei voluntatem, vel ex vi solius rationis naturalis, aut alicuius Diuinæ institutionis ad illum peruenit, sed potestas, de qua tractamus, nullo ex his modis data est Regibus à Deo, loquendo secundùm ordinariam legem, quia nec per specialem voluntatem Dei immediatè data est (talis enim voluntas Dei nec reuelata, nec nota facta est hominibus) neque etiam solum ius naturale per se dictat, hanc potestatem debere esse in Regibus, vt ostensum est: institutio denique, seu determinatio, aut translatio huius potestatis ad Reges non à Deo immediatè facta est, vt ex vsu ipso constat. Item quia aliàs talis institutio immutabilis esset, & omnis mutatio in ea facta per homines fuisset iniqua; immò omnes Ciuitates, Regna, vel Respublicæ deberent eamdem institutionem seruare, quia non est maior ratio de vna, quam de alia, neque vna magis accepit ex Diuina reuelatione talem institutionem, quàm alia. Est ergo hæc humana institutio; quia per homines immediatè facta: ergo per homines immediatè datur potestas Regibus, quorum dignitas per illam institutionem creata est. Mediatè autem dicitur Deus dare hanc potestatem Regibus, tùm quia immediatè dedit illam populo, qui in Regem illam transtulit, tùm quia Deus huic etiam translationi proximè à populo factæ, consentit, & cooperatur tamquam prima, & vniuersalis causa, tùm denique quia illam approbat, & seruari vult. Sicut etiam lex humana immediatè quidem obligat ex voluntate Principis humani ferentis illam, mediatè verò etiam obligat ex vi voluntatis Dei volentis, vt legitimis Principibus obediatur, iuxta illud Petri: [Subiecti estote, &c. quia sic est voluntas Dei.]

Potest

Potest denique hoc exemplo dominij humani circa res inferiores declarari. Simpliciter enim loquendo, omnes res, quarum homines habent dominium ipsis à Deo donatæ sunt, non tamen eodem modo. Nam immediatè non dedit Deus (ordinariè loquor) alicui homini proprium, & peculiare dominium alicuius rei, sed immediatè omnia fecit communia, priuata autem dominia partim iure gentium, partim iure ciuili introducta sunt: & nihilominus illa etiam priuata dominia sunt mediatè à Deo; tùm quia ducunt originem ex prima donatione Dei, tùm etiam quia per suam generalem prouidentiam ad illa concurrit, tùm denique quia illa seruari vult, postquam sunt constituta. Sicque dixit Augustinus tract. 6. in Ioan. in fine, [Vnde quisque possidet, quod possidet, nonne iure humano? nam iure Diuino Domini est terra, & plenitudo eius,] iure tamen humano dicitur, [hæc villa mea est, hæc domus mea, hic seruus meus est.] Et infrà concludit: [Ipsa iura humana per Imperatores, & Reges seculi Deus distribuit generi humano.] Ita ergo proportione seruata, Deus est, qui distribuit Regna, & Principatus politicus, sed per homines, seu consensus populorum, vel aliam similem institutionem humanam.

Dicet verò fortasse aliquis, hoc discursu solùm probari, potestatem Regis non dari à Deo alicui personæ sine interuentu voluntatis, vel actionis humanæ, id tamen non satis esse, vt non detur immediatè à Deo, nam etiam dignitas Apostolica data est Matthiæ mediante actione aliorum Apostolorum, & nihilominus data illi est immediatè à Deo, & similiter Summus Pontifex à Cardinalibus eligitur, & tamen immediatè à Deo accipit potestatem. Et similiter qui succedit in maioratu per generationem à proximo parente, ius illud tandem consequitur, & nihilominus immediatè censetur habere illa bona à primo institutore maioratus, quia ex vi solius voluntatis eius, etiamsi proximus parens maximè nolit, maioratum consequitur. Sic ergo licèt temporales Reges per successionem dignitatem Regiam obtineant, a Deo immediatè illam recipiunt ex vi primæ institutionis.

Verumtamen hæc obiectio non eneruat, sed confirmat potiùs discursum factum, tùm quia exempla non sunt similia, tùm etiam quia non asseruimus, quamcumque interpositam homini voluntatem, vel actionem sufficere, vt potestatis donatio à Deo immediatè non sit, sed solùm id fuit dictum de peculiari mutatione, & translatione facta per nouam institutionem humanam. Duobus itaque modis potest actio, aut voluntas humana interuenire in collatione potestatis à Deo ipso ducentis originem, primò solùm designando, vel constituendo personam, quæ succedat in dignitate à Deo instituta eodem prorsus modo, quo instituta est, & sine auctoritate, vel potestate illam mutandi, augendi, vel minuendi. Atque hic modus quoad Pontificiam dignitatem seruatus est in lege veteri secundùm successionem carnalem: in lege autem noua fit per legitimam electionem, qua persona designatur. De hoc ergo modo successionis verum est, nihil obstare, quominùs potestas à Deo immediatè conferatur, & hoc tantùm probant exempla adducta. Et ratio est, quia semper confertur potestas ex vi primæ institutionis, & solius voluntatis Dei, cuius signum est, quia integrè, & immutabiliter, prout instituta est, confertur, & quia successio etiam in eadem potestate ab eadem institutione originem habet, ideò enim in lege veteri per generationem carnalem in Pontificatu succedebatur, quia ita à Deo ipso institutum erat, nunc autem designatio personæ alio, magisque spirituali modo fit, quia Ecclesiastica traditio docet, ita esse à Christo institutum, qui modum electionis, seu designationis personæ Vicario suo definiendum commisit.

Alio ergo modo potest fieri collatio potestatis ab homine per nouam donationem, vel institutionem vltra designationem personæ, & tunc etiam si talis potestas fundamentum habeat in aliqua priori donatione Diuina alteri facta, nihilominus collatio illa, quæ postea fit, simpliciter est de iure humano, & non Diuino, & immediatè ab homine, non à Deo. Exemplum est in seruitute, nam si aliquis homo se vendat in seruum alteri, seruitus illa simpliciter est de iure humano, & potestas, quam Dominus in seruum accipit ab ipso seruo immediatè data est per potestatem, & libertatem naturalem, quam ipse immediatè habuit ab auctore naturæ. Ita ergo est in præsenti de subiectione totius communitatis humanæ ad vnum Principem, nam immediatè procedit à voluntate communitatis, & ideò immediatè est ab homine, & de iure humano, licèt originem trahat à potestate naturali, quam eadem communitas supra seipsam à suo auctore accepit. Et ratio clara est, quia in his, & similibus casibus nec sufficit designatio personæ, neque est separabilis à donatione, vel contractu, aut quasi contractu humano, vt habeat effectum conferendi potestatem, quia sola naturalis ratio non inducit translationem potestatis ab vno homine in alium per solam designationem personæ sine consensu, & efficacia voluntatis eius, à quo potestas transferenda, seu conferenda est. Vnde intelligi non potest collatio potestatis, quæ à Deo immediatè fiat, media generatione, electione, aut simili designatione humana, nisi vbi successio est ex Diuina institutione positiua, potestas autem Regia non ex Diuina institutione positiua, sed solùm ex ratione naturali ducit originem, media libera voluntate humana, & ideò necessariò est ab homine immediatè conferente, & non tantùm personam designante.

Et hinc etiam oritur, (quod est clarum indicium huius veritatis) vt hæc Regia potestas non sit æqualis in omnibus Regibus, neque cum eisdem proprietatibus durationis, perpetuitatis, aut successionis, & similibus. In quibusdam enim potestas est simpliciter Monarchiæ, in alijs verò cum mistione Aristocratiæ, seu cum dependentia ab aliquo Senatu, etiam quoad suffragia decisiua, & interdum tantum in certis casibus, interdum in omnibus grauioribus, vel aliquando in multis, aliquando in paucioribus. Item quibusdam Regibus data est potestas non solùm personæ, sed etiam eius generationi (vt sic dicam) idest, vt possint ad filios, vel nepotes di-

gnitatem transferre: alijs verò interdum datur pro persona, & sine carnali successione, vt vno Rege mortuo, alter eligatur, sicut modò in Regno Poloniæ, & in ipso Imperio Romano fit; immò etiam posset Rex ad certum tempus eligi,si ita fuisset alicubi in principio introductum, quia ex natura rei hoc non repugnat. Ergo signum manifestum est, hanc esse immediatam institutionem humanam, & ideo recipere posse totam illam varietatem, quæ rationi non repugnet, & sub humano arbitrio cadere possit.

Atque hinc tandem fit, vt hæc Regia potestas, seu dominatio varijs modis obtineri possit, quos hic etiam aduotare oportet, vt pleniùs resolutio tradita intelligatur. Primus enim modus conferendi vni Principi hanc potestatem, in primæua institutione, est per voluntarium populi consensum. Hic autem consensus varijs modis intelligi potest, vnus est, vt paulatim, & quasi successiuè detur, prout successiuè populus augetur. Vt v.gr. in familia Adæ, vel Abrahæ, aut alia simili in principio obediebatur Adamo tamquam parenti, seu patrifamilias, & posteà crescente populo, potuit subiectio illa continuari, & consensus extendi ad obedientiam illi etiam vt Regi, quando communitas illa cœpit esse perfecta; & fortasse multa Regna (& in particulari primum Regnum Romanæ Ciuitatis) ita inceperunt. Et in hoc modo (si quis rectè consideret) Regia potestas, & communitas perfecta simul incipere possunt. Alius verò modus esse potest, quando communitas iam perfecta voluntariè Regem eligit, in quem suam transfert potestatem, qui est modus per se maximè conueniens, & rationi consentaneus. Postquam verò hæc translatio semel facta est firma, & perpetua, tunc non est vlteriùs necessaria noua electio, vel nouus populi consensus, sufficit enim ille, qui in primordio Regni datus est, vt ex vi illius eadem Regia dignitas, & potestas per successionem transferatur. Et hoc modo in Regnis successiuis Reges etiam dici possunt habere potestatem immediatè à populo, non per nouum consensum, sed ex vi antiqui; à parentibus enim habent filij eadem Regna in virtute primæ institutionis, magis quàm parentum voluntate, nam etiamsi pater nolit,primogenitus succedit in Regno,& ideò pater solùm se habet quasi applicans,seu constituens personam, in quam eadem potestas ex vi eiusdem primi contractus transferatur.

Preter hunc autem voluntarium modum solent interdum Prouinciæ, seu populi liberi inuoluntariè subijci Regibus per bellum: hoc autem contingit & iustè, & iniustè fieri. Quando ergo bellum iustum habuit titulum, tunc re vera priuatur populus potestate, quam habebat, & Princeps, qui contra illum præualuit, verum ius, & dominium talis Regni acquisiuit, quia supposita iustitia belli, illa est iusta pœna. Sicut capti in iusto bello priuantur libertate à natura concessa, & efficiuntur verè serui in pœnam iustam. Et ideò supra dixi, potestatem Regiam fundari in cõtractu, vel quasi contractu; nam iusta punitio delicti vicem contractus habet quoad effectum transferendi dominia, & potestates, idcòque æqualiter seruandus est. Sæpiùs verò contingit occupari aliquod Regnum per bellum iniustum, quo ferè modo clariora Orbis Imperia amplificata fuere, & tunc quidem in principio non acquiritur Regnum, nec vera potestas, cùm titulo iustitiæ desit, successu verò temporis contingit, vt populus liberè consentiat, vel vt à successoribus Regnum bona fide præscribatur, & tunc cessabit tyrannis, & incipiet verum dominium, & Regia potestas. Atque ita semper potestas hæc aliquo humano titulo, seu per voluntatem humanam immediatè obtinetur.

CAP. III.

Fundamentis, & obiectionibus Regis Angliæ contra doctrinam superioris capitis satisfit.

DVo videntur esse præcipua fundamenta Regis Iacobi, vt existimet, Reges non à populis, sed immediatè à Deo suam habere potestatem. Primum proponit, redarguendo Bellarminum, & quædam incommoda inferendo. Primum incommodum est, quia contraria sententia est, [Seditionum fundamentum, factiosis, ac rebellibus audissimè arripiendum.] Quia si Princeps à populo suam potestatem haberet, [posset populus in Principem insurgere, seque in libertatem vendicare, quandocumque ipsi videretur, omnium fretus eodem iure, & potestate, quàm in Regem transtulit. Præsertim cùm Bellarminus dicat populum numquam ita suam potestatem in Regem transferre, quin illam sibi in habitu retineat, vt in certis casibus etiam actu recipere possit.] Atque eodem modo inferre posset Rex, integrum esse subditis, potestatem Principis restringere, & leges eius abrogare, & alia similia facere, quæ superioris sunt potestatis. Nam si Rex à populo habet potestatem, ab illo semper pendet: ergo potestas populi superior est; ergo potest omnia, quæ intulimus efficere. Illa autem sunt absurda, nam seditionibus occasionem præbent, & Principum potestatem eneruant, vt seueritatem, vt integritatem iustitiæ seruare non valeant.

Respondemus, nullum ex his incommodis sequi ex resolutione, sententia vè proposita. Nam in primis negamus, ex ea occasionem rebellionum, aut seditionum contra legitimos Principes populo dari. Nam postquam populus suam potestatem in Regem transtulit, non potest iustè eadem potestate fretus suo arbitrio, seu quoties voluerit, se in libertatem vendicare. Nam si potestatem suam Regi concessit, quàm ille acceptauit, eo ipso Rex dominium acquisiuit; ergo quamuis Rex habuerit à populo illud dominium per donationem, vel contractum, non ideò licebit populo dominium illud Regis auferre, nec libertatem suam iterum vsurpare. Sicut particularis persona, quæ suæ libertati renunciauit, & se in seruum vendidit, aut donauit, non potest posteà suo arbitrio se à seruitute eximere. Idem ergo est de persona ficta, seu communitate, postquàm se alicui

cui Principi plenè subiecit. Item postquam populus suam potestatem Regi contulit, iam se illa priuauit; ergo non potest illa fretus iustè in Regem insurgere, quia nitetur potestati, quàm non habet, & ita non erit vsus iustus, sed vsurpatio potestatis.

Quod verò Bellarminus ex Nauarro dixit populum, numquam ita suam potestatem in Principem transferre, quin eam in habitu retineat, vt ea in certis casibus vti possit, neque contrarium est, neque fundamentum populis præbet ad se pro libito in libertatem vindicandum. Quia Bellarminus non simpliciter dixit, retinere populum potestatem in habitu, [ad quoscumque actus pro libito, & quoties velit exercendos,] sed cùm magna limitatione, & circumspectione dixit, [in certis casibus, &c.] Qui casus intelligendi sunt, vel iuxta conditiones prioris contractus, vel iuxta exigentiam naturalis iustitiæ, nam pacta, & conuenta iusta seruanda sunt. Et ideò si populus transtulit potestatem in Regem, reseruando eam sibi pro aliquibus grauioribus causis, aut negotijs, in eis licitè poterit illa vti, & ius suum conseruare. Oportebit autem, vt de tali iure, vel antiquis, & certis instrumentis, vel immemorabili consuetudine sufficienter constet. Et eadem ratione si Rex iustam suam potestatem in tyrannidem verteret, illa in manifestam ciuitatis perniciem abutendo, posset populus naturali potestate ad se defendendum vti, hac enim numquam se priuauit. Extra hos verò, & similes casus, numquam licèt populo à legitimo Rege sua potestate fretus deficere, & ita cessat omnis seditionis fundamentum, aut occasio.

Atque eadem ratione non licèt populo semel subiecto potestatem Regis magis restringere, quàm in prima translatione, seu conuentione restricta fuit, quia id non permittit lex illa iustitiæ, quæ docet, legitima pacta seruanda esse, & donationem absolutam semel validè factam reuocari non posse, neque in totum, neque ex parte, & maximè quando onerosa fuit. Imò nec leges Principis iustas potest populus sua potestate nixus abrogare, sed solùm tacito, vel expresso eiusdem Principis consensu fretus, vt D. Thomas suprà docuit, & nos alibi latiùs diximus. Vnde non est simpliciter verum, Regem pendere in sua potestate à populo, etiamsi ab ipso eam acceperit, quia poterit pendere in fieri, vt aiunt, & posteà non pendere in conseruari, si plenè, & absolutè illam accepit. Quocirca postquàm Rex legitimè constitutus est, supremam habet potestatem in his omnibus, ad quæ illam accepit, etiam si à populo illam habuerit, quia lex iustitiæ hoc exigit, vt declarauimus.

Secundò loco inducit Rex exempla Saulis, & Dauid, qui non à populo, vt Bellarminus contendit, sed à Deo immediatè Principatum acceperunt. Quod specialiter de Saule confirmat, quia per sortes nutu diuino electus est, quod dicit esse signum certum potestatis immediatè à Deo acceptæ. Quòd & suadet exemplo electionis Matthiæ, de quo inde scimus Apostolicam dignitatem immediatè à Deo accepisse, quia per sortes ad illam electus est, Actor 1. Respondemus, circa exemplum Saulis, & Dauid in vtramque partem disputari posse, an illi duo Reges à Deo, vel à populo immediatè acceperint potestatem: neutrum enim apertè ex Scriptura Sacra colligitur. Nam licèt ex eadem Scriptura certo constet, vtriusque personam diuino nutu, voluntate, ac reuelatione fuisse in Regem designatam, non tamen indè sequitur Deum etiam immediatè illis potestatem dedisse: hæc enim duo diuersa sunt, & ex vno non rectè aliud colligitur. Nam sicut Deus interdum concedit hominibus facultatem designandi personam, cui daturus est ipse immediatè potestatem; ita è conuerso Deus potuit sibi reseruare potestatem designandi personam, cui populus daret immediatè potestatem.

Atque ita in facto illorum Regum contigisse satis verisimiliter coniectat Cardinalis Bellarminus ex verbis Deuteronom. 17. [Cùm ingressus fueris terram, quàm Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaueris que in illa, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius gentis hominem facere, qui non sit frater tuus.] In quibus verbis duo tamquam distincta ponuntur, scilicet eligere eum, qui futurus est Rex, & constituere eum Regem, & illud priùs reseruat sibi Deus, secundum autem populo concedit, seu relinquit, vt patet ex illis verbis. [Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit,] & ex cap. 28. ibi, [Ducet te Dominus, & Regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras, &c.] Constituere autem Regem, non significat tantùm petere Regem, sicut posteà ille populus petijt. 1. Reg. 8. sed significat facere Regem. Tùm quia ita exponitur in dicto cap. 17. Deuteron. ibi, [Non poteris alterius gentis hominem Regem facere,] tum etiam, quia ibidem præcipitur populus constituere Regem eum, quem Deus elegisset: petitio autem Regis non poterat esse particularis personæ electæ à Deo, nam præcessit talem electionem; ergo illa Regis constitutio non erat nisi creatio Regis, & immediata collatio Regiæ dignitatis, ac potestatis; ergo electio personæ, quam Deus sibi reseruauit, nihil aliud erat, nisi personæ designatio. Supponitur ergo in illo loco, populum ex natura rei habere potestatem constituendi sibi Regem, non enim eam ibi peculiariter illi populo Deus concessit, sed supposuit tamquam communem alijs gentibus, & illum ea vti permisit, vel aliquando vsurum prædixit, sicut impletum est. 1. Reg. 8. & sequentibus; Et quamuis potestas etiam designandi personam naturaliter cuilibet populo conueniat, nihilominùs in peculiarem fauorem illius populi, vt aptior persona semper designaretur, potestatem eligendi personam sibi Deus reseruauit.

Ex illo ergo loco optima coniectura fit, ita obseruatum esse in creatione primi Regis illius populi, qui fuit Saul, quod etiam ex historia electionis eius colligi potest. Nam 1. Reg. 10. postquam sors cecidit super Saul, dixit Samuel ad populum, [Certè videtis, quem elegit Dominus,] quasi petens, & expectans

ctans populi consensum, & tunc clamauit populus dicens. [Viuat Rex.] Posteà verò Rege iam constituto, subiungitur, scripsisse Samuelem legem regni, &c. Neque refert, quòd priùs in eodem capite ante sortes missas dicitur, Samuelem vnxisse Saulem, [Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem (quia vt Bellarm. ait, & est probabile) non fuit illa collatio potestatis, aut regni traditio, sed certa promissio, & prædictio more prophetico futuri effectus, & veluti præparatio quædam animi Saulis ad futuram dignitatem. Quin potiùs quia post Dei electionem, & populi acclamationem, adhuc multi repugnabant, additur in cap. 11. Samuelem conuocasse iterum populum in Galgala ad innouandum regnum, & subditur, [Perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino.] Quibus verbis non significatur noua regni electio, sed fuit confirmatio prioris, vt firmior apud populum maneret, & vt omnium subditorum animi magis acquiescerent, omnisque diuisio, & dissensio tolleretur, vt rectè dixit Abulensis ibi quæst. 12. & 13. & confirmat Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 6. & addit, ibi inspectante tota multitudine iterum Samuelem vnxisse Saulem sacro oleo, quod tamen Scriptura non refert: inde verò intelligi potest, vnctionem similem non semper fuisse cùm regni traditione simul coniunctam, sed potuisse etiam esse signum vel iam factæ, vel futuræ.

Vnde eodem lib. 1. Regum cap. 16. simili modo secretè fuit vnctus Dauid à Samuele, cum promissione regni, quod posteà per multos annos pacificè possedit Saol, quod est apertum signum, per illam vnctionem non fuisse Dauidem factum Regem, sed in successorem regni designatum. Et ideò posteà lib. 2. cap. 2. iterum vnctus est à tribu Iuda, [vt regnaret super domum Iuda,] & ibi etiam refertur dixisse Dauid. [Licèt mortuus sit Dominus vester Saul, tamen me vnxit domus Iuda in Regem sibi,] significans promissionem Dei per populi consensum fuisse completam. Ideòque super alias tribus regnare non cæpit, donec vt refertur cap. 5. [Venerunt Seniores Israel ad Dauid in Hebron, & percussit cùm eis Rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino, vnxeruntque Dauid in Regem super Israel.

Est ergo probabilis hæc sententia, contra quam parum valet argumentum Regis de sortibus, nam electio per sortes speciali Dei prouidentia directas per se solum probat, designationem personæ à Deo ipso fuisse immediatè factam. Neque inde fit Matthiam per sortem electum non recepisse immediatè à Deo Apostolicam dignitatem, & potestatem. Quia licèt ex solo modo electionis per sortes id sufficienter non colligatur, ex qualitate, & excellentia talis dignitatis, & potestatis id colligitur. Erat enim dignitas Apostolica supernaturalis, & immediatè à Christo instituta, & ideò solus ipse poterat illam immediatè donare. Vnde quamuis Apostoli sine sortibus solùm Matthiam elegissent (quod facere potuissent, si illum digniorem esse certò cognouissent, vt frequentiùs Patres insinuant) nihilominùs ab ipso Christo immediatè accepisset dignitatem, & potestatem; ergo non ex sortibus, sed ex qualitate potestatis colligendum est, an immediatè à Deo conferatur.

Iuxta hanc ergo expositionem, illis locis, & exemplis potiùs confirmatur communis sententia tradita. Quia verò expositio illa de fide no nest, neque omninò necessaria, concedamus Regi, vt probabile, Saulem, & Dauid regnum, & potestatem immediatè à Deo accepisse, facilè enim poterit quisque, si velit, Scripturæ verba ad hunc sensum accommodare. Et de Dauid id aperte affirmat Soto lib. 4. de Iustit. q. 2. art. 1. & de vtroque Nauarrus dicto cap. Nouit. notabil. 3. n. 33. & 147. & idem sentit Abulens. supra. Nihilominùs hoc non solùm non obstat resolutioni positæ, sed potiùs inde non minùs efficaciter confirmari potest. Primò, quia exempla specialia parum valent ad inferendam vniuersalem regulam, imò solent esse exceptiones à regula, & ideò ex illis sumi solet argumentum, quod Iuristæ vocant ab speciali, ad inferendam regulam in contrarium. Deindè quia in eisdem locis supponitur manifestè, esse in populo libero potestatem constituendi sibi Regem, imò & eligendi, & designandi personam, cui ius regni tribuat, quod probant apertè testimonia Scripturæ, quæ supra ponderaui. Et ideò Deus peculiariter sibi reseruauit electionem personæ in Regem illius populi constituendæ, quia seclusa Dei reuelatione, & præcepto totum hoc erat in arbitrio populi constitutum. Igitur neque indè inferri potest generalis regula pro omnibus regnis, videlicèt, quod ad Deum pertinnetit, immediatè designare, aut eligere personam in throno regni constitutam, siue in initio talis regni, siue in eius progressu (aliàs ostendat Rex Angliæ, quando Deus peculiari reuelatione, aut singulari signo elegerit: vel ipsum, vel aliquem ex progenitoribus suis in Britanniæ Regem) neque etiam potest indè inferri, Deum ordinariè dare, aut dedisse Principatum Regibus temporalibus, etiam si fortasse in initio Israelitici regni propter specialem, quam assumpserat illius curam, semel atque iterum id fecerit. Quod tandem colligi etiam potest ex alia prohibitione facta illi populo dicto c. 17. Deuteron. [Non poteris alterius gentis hominem Regem facere:] illa enim prohibitio absque dubio non fuit naturalis, sed positiua. Constat enim, alias gentes, & nationes potuisse creare sibi Reges ex quacumque prouincia, vel natione, & in ipsis etiam Imperatoribus Romanis ita obseruatum esse sine vlla iniustitia, vel violatione iuris naturalis; fuit ergo illa prohibitio positiua, & specialis: ergo supposuit potestatem in illo populo creandi sibi Regem ex quacumque gente; nisi diuinitùs prohiberetur, & consequenter, ante illam prohibitionem in populo Israel, in alijs verò populis, quos illa prohibitio non pertinebat; semper hanc liberam potestatem fuisse, & per illam Regna incepisse, concluditur.

Tertiò possumus in Regis fauorem, eiusque sententiæ confirmationem vrgere loca Scripturæ, & Sanctorum, quibus supra probauimus; Reges esse ministros Dei, & ab ipso habere potestatem, nam in illis locis soli Deo tribui-

tribuitur huius potestatis donatio; ergo intelligenda sunt de Deo immediatè donante, quia hæc est purior, & simplicior interpretatio, nam quidquid illi additur, præter scripturam dicitur. Item minister alicuius ordinario, & meliori modo immediatè solet ab eo constitui, cuius est minister. Denique hac ratione nos dicimus, Pontificem habere potestatem suam immediatè à Deo, quia Christus ipse illam contulit, & ex vi illius primæ donationis ad alios transfertur, licèt per Ministerium, seu electionem hominum transferatur; ergo eadem ratione potestas regia erit immediatè à Deo.

Ad hæc verò in primis respondemus, ipsam regiam potestatem esse immediatè à Deo auctore naturæ, vt diximus. Quia verò non est per specialem reuelationem, seu donationem, sed per quamdam naturalem consecutionem, quam ratio naturalis ostendit, ideo immediatè solùm datur à Deo illi subiecto, in quo ex vi solius rationis naturalis inuenitur; hoc autem subiectum est populus ipse, & non aliqua persona eius, vt declaraui. Quia verò hanc eamdem potestatem populus in Regem transfert; ideo potestas regia dicitur esse data à Deo. Et præterea quia ipsamet Regis electio non fit sine diuina cooperatione, nec sine peculiari prouidentia eius. Quod egregiè declarauit Chrysost. homil. 23. in epist. ad Rom. vbi tractans verba illa: [Non est potestas, nisi à Deo,] sic inquit, [Quid dicis? omnis ergo Princeps à Deo constitutus est? Istud (inquit) non dico. Nec enim de quouis Principe mihi sermo nunc est, sed de ipsa re,] id est, de ipsa potestate. Vnde subiungit. [Quod enim Principatus sint, quodque hi quidem imperant, illi verò subiecti sunt, quodque non simpliciter, ac temerè cuncta ferantur, diuinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit. Non enim Princeps est, nisi à Deo, sed de re ipsa disserit, dicens: Non enim potestas est, nisi à Deo.] Vbi Theophylact. idem docet. Neque verò necessarium est; vt hæc omnia ita distinctè in Scriptura explicentur. Nam constat, varios effectus eisdem ferè verbis Deo in Scriptura attribui, & ex materia subiecta secundum rectam rationem colligendum esse modum, quo à Deo esse dicantur. Nam etiam dicitur sæpè Deus dare regna; propter specialem permissionem licèt per iniuriam, & seditionem vsurpentur, vt Rex ipse Angliæ de Ieroboam sentire videtur, & in alijs multò est certius, vt notauit Augustinus lib. 5. de Ciuit. c. 21. & Origen. Homil. in lib. Iudicum. Vt autem Reges dicantur ministri Dei, satis est, quòd ab illo habeant potestatem, licèt mediante populo, quia ille est modus maximè connaturalis, & optimus, qui intra latitudinem naturalis rationis cogitari potest.

Ad comparationem autem, seu æquiparationem, quæ in hoc fit inter Pontificem, & Reges, respondeo, esse rationem longè dissimilem. Nam in primis Pontificia Monarchia in vniuersam Ecclesiam ab ipso Deo immediatè est instituta, & præcepta, ita vt mutari non possit. Modus autem regiminis temporalis non est à Deo definitus, nec præceptus, sed hominum dispositioni hoc relictum est. Deinde spiritualis potestas numquam fuit in communitate totius Ecclesiæ, quia Christus non contulit eam corpori Ecclesiæ, sed capiti, seu Vicario suo, ideòque non potest Ecclesia in electione Pontificis concurrere tamquam dans potestatem, sed tamquam personam designans. Potestas autem ciuilis ex natura rei est in ipsa communitate, & per illam in hunc, vel illum Principem translata est, voluntate ipsius communitatis, eam (vt ita dicam) tamquam rem suam alteri donantis. Vnde etiam fit, vt spiritualis iurisdictio suprema Pontificia ita sit iure diuino collata, vt limitari non possit, nec minui, nec augeri etiam per vniuersalem Ecclesiæ consensum, imò nec per ipsiusmet Pontificis voluntatem. Quamdiu enim dignitatem retinet, non potest illam in se minuere, vel mutare. Potestas autem regia, vel cuiusuis supremi tribunalis temporalis potuit à principio maior, vel minor constitui, & successu temporum poterit mutari, aut minui, prout ad bonum commune expediens fuerit, per eum, qui ad hoc habuerit potestatem.

CAP. IV.

Vtrùm inter Christianos sit legitima potestas ciuilis, cui Christiani parere teneantur.

Qvamvis in quæstione hac non sit nobis cum aduersarijs controuersia, quia verò multi ex illis (vt audio, & vt Rex Angliæ in sua præfatione sæpè inculcat) Romanum Pontificem eius doctrinæ insimulant, quæ iura, & dominia Principibus debita euertat: quid de hac re, vel fides catholica statuat, vel sanior Doctorum sententia teneatur, explicandum existimaui, vt hoc etiam modo ad præcipuam controuersiam de Summi Pontificis primatu clarior, & aptior sternatur via. Duobus ergo modis existimatum est, & affirmatum, Christianos Reges non habere supremam potestatem ciuilem ad leges ferendas, & ius politicum. Vnus eorum fuit, qui dixerunt, in Ecclesia Christi non posse esse talem potestatem, neque vsum eius legitimum, quia Christiani nulli temporali dominio possunt esse subditi. Alius est, eorum qui licèt fateantur, esse in Ecclesia temporalem potestatem, negant tamen esse supremam in Regibus temporalibus, sed in solo Pontifice, à quo Regum potestas per concessionem, vel tolerantiam deriuatur. De hoc secundo puncto in capite sequenti dicemus, quia verò supponit primum, illud hic breuiter expediemus, quia etiam noui sectarij in illo non rectè sentiunt.

Multi ergo ex antiquis hæreticis, velut sequentes, aut imitantes Galilæorum errorem in cap. 1. relatum dixerunt; Christianos non esse subiectos Principibus temporalibus, præsertim Ethnicis. Quod aliqui solùm de perfectis Christianis, & maximè spiritualibus dixerunt, vt Beguardi; alij de omnibus iustis, alij de omnibus Christianis quos errores hic latius recensere superfluum duco. Hinc effutierunt Anabaptistæ, & alij similes Principatum politicum non esse Christianis

stianis licitum; præsertim in Christianos. Horum autem errorem diuersa cogitari possunt fundamenta. Primum, & peculiare respectu Principum Ethnicorum est, quia indignum, & periculosum est, infidelem dominari fidelibus, ideo enim Paulus monet, secunda ad Corinth. sexto. [Nolite iugum ducere cum infidelibus.] Et rationem varijs modis explicat, dicens: [Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras, quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli, qui autem consensus templo Dei cum idolis.] Cum ergo primatus politicus à Deo sit, non debet intelligi concessus contra ordinem debitum, & cum periculo fidei, nam quæ à Deo sunt, ordinatissima sunt, ergo eo ipso quod aliquis in Christo baptizatur, & fidem eius recipit, fit immunis ab Ethnicorum Principum subiectione. Et confirmari hoc potest ex verbis illis Matth. cap. decimo septimo, vbi cum Christus Petrum interrogasset, [Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis?] & Petrus respondisset, [ab alienis.] conclusit Dominus, [Ergo liberi sunt filij,] vtique à tributis, & consequenter etiam à potestate, nam hæc duo correlatiua sunt. Nomine autem filiorum, Christus omnes fratres suos, ac subinde omnes fideles comprehendit, [quia omnes sunt filij Regni illius, sub quo sunt omnia Regna terrena,] vt dixit Diuus August. libro primo Euangelicarum quæstionum, quæst. 23. Vel ab alio titulo illi eamdem libertatem participant, quia omnes sunt speciali, & excellenti modo de familia Christi, qui est filius naturalis, cùm autem filius liber esse dicitur, cum illo comprehenditur eius familia, vt dixit Lyran. in eum locum, quem alij imitantur, & sensit Hieronymus, dicens: [Ille pro nobis & crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus.] Quæ verba non possunt restringi, vt quidam volunt, ad solos Sacerdotes, vel Clericos: æquè enim illa duo coniunxit, [pro nobis & crucem sustinuit, & tributa reddidit.] Subijt autem crucem pro omnibus simpliciter, tam laicis, quam Clericis, ergo pro omnibus soluit tributa, ergo omnes à tributis soluendis temporalibus Regibus liberauit, ergo & ab illorum dominatu, & iurisdictione illos exemit; quia vna libertas aliam comitatur.

Secundum, & generalius fundamentum huius erroris est, quia Christiani liberi sunt etiam à potestate Christianorum Principum, quia hoc postulat Christiana libertas, quam in hoc sensu intelligunt, & maximè exaggerant Lutherus, & alij huius temporis sectarij ad hunc sensum detorquentes varias Scripturas, quibus abundè satisfecimus libro primo, de Legibus cap. decimo octauo, & decimo nono, & lib. tertio, cap. 31. & ideò illas nunc omittimus. Ex hoc autem principio, seu libertate Christiana sic intellecta rectè inferunt, in Principibus etiam Christianis non esse potestatem ciuilem, aut politicam in homines fideles, quia si isti non tenentur parere, illi non habent ius præcipiendi, quia hæc duo correlatiua sunt, & vno ablato, alterum auferri necesse est. Vnde inducunt etiam testimonia noui Testamenti, in quibus Christianis, & dominari, & subijci dicunt esse prohibitum. Nam de dominatu dicitur Luc. 22. [Reges gentium dominantur eorum, &c. Vos autem non sic,] vel vt Matthæus ait capite vigesimo. [Non ita erit inter vos,] vbi Diuus Chrysostomus homilia quinquagesima sexta, dixit Christum voluisse discrimen hoc inter Gentiles, & Christianos constituere. De subiectione autem ait Paulus prima ad Corinthios, capite septimo, [Nolite fieri serui hominum,] & indicat rationem, præmittens, Pretio empti estis, quasi dicat, indignum esse, redemptos à Christo terrenis subijci potestatibus.

Hæc verò sententia tota sine dubio hæretica est. Nam in primis Apostoli docuerunt fideles iam ad Christum conuersos, vt Regibus, & potestatibus obedirent, non tantùm propter vitandam pœnam, nec quia tunc resistere non poterant, nec solum propter scandalum vitandum, sed etiam, propter conscientiam, & quia ministri Dei sunt, vt ex Petro, & Paulo in capite primo probauimus. Loquebantur autem hi Apostoli eo tempore, quo Imperatores, & Reges, ac Præfecti eorum, seu potestates infideles erant; & idololatræ; ergo ex eorum doctrina habemus, Christianos esse subiectos Principibus etiam ethnicis, & consequenter veros Reges infideles potestatem habere in Christianos in suis terris degentes. Deinde ita intellexerunt illa loca, & docuerunt antiquissimi Patres, vt Diuus Chrysostomus, Ambrosius, Origenes, Epiphanius, & alij in capite primo allegati, & expressè Iustinus Apologia secunda, ad Antoninum Pium Imperatorem ethnicum, aliquantulum à principio, vbi exprofesso Christianos ab hac calumnia liberat, dicens, [Tributa verò, & census ijs, qui à vobis constituti sunt, vbique in primis conamur pendere, quemadmodum ab eo instituti sumus,] & affert verba Christi Matthæi vigesimo secundo. [Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, & concludit: Hinc Deum solum adoramus, vobis autem in alijs rebus læti seruimus, Regesque vos, & Principes hominum esse profitemur, rogamusque vt vos cum regali potestate sanam, bonamque mentem habere inueniamini.] In quibus verbis nomine omnium Christianorum profitetur, esse infideles veros Reges, & Principes Christianorum, vt homines sunt, & posse in eos habere potestatem, etiam si sanam mentem non habeant. Idem sensit Ignatius epistola 10. ad Smirnens, & Optatus libro tertio, contra Parmenian. vbi expressè dicit, [etiam, si talis esset Imperatòr, qui gentiliter viueret.] Possumus denique ad hoc afferre verba Ambros. lib. 4. in Luc. cap. 5. in fine, vbi expendens verba Christi Matth. 17. dicit, [Magnum quidem est, & spiritale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem Regis terreni putet esse soluendam,] vbi etiam alludit ad verba Pauli ad Roman. 13. Vnde manifestè loquitur de legitimo Rege, etiam si Christianus non sit, nam ita loquutus est Paulus, & Christus de Cæsare Imperatore ethnico loquebatur, & in eodem

sensu

sensu loquuntur alij Patres, quos statim referemus.

Rationem verò huius veritatis attigit D.Thom. 2. 2. qu. 10. art. 10. [Quia dominium, inquit, vel prælatio introducta sunt ex iure humano, distinctio autem fidelium, & infidelium est ex iure diuino. Ius autem diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione,] & ideò distinctio fidelium, & infidelium secundùm se considerata non tollit dominium, & prælationem infidelium supra fideles. Quæ ratio est optima, & potest in hunc modum explicari, nam quando subditi alicuius Regis gentilis conuertuntur ad fidem, non eximuntur ipso facto, aut ex vi iuris diuini à iurisdictione temporali sui legitimi Principis, quia non possunt auctoritate propria priuare alterum dominio, & iure suo, neque etiam, eis datum est, vt id faciant auctoritate Dei, quia hoc neque illis est reuelatum, nec ratio naturalis id dictat; immò contrarium docet Scriptura, recta etiam ratio. Tum quia non interueniente concessione diuina, illud esset, per se loquendo, contra iustitiam. Tum etiam, quia cederet in scandalum infidelium, & quamdam ignominiam Christianæ Religionis, cuius propagatio maximè posset illo modo impediri. Confirmatur, & explicatur exemplo de matrimonio inter fideles, quia non dissoluitur ipso facto per conuersionem, verbi gratia, vxoris ad fidem, sed adhuc manet vxor subdita viro infideli, quia retinet potestatem in ipsam, teste Diuo Paulo 1. ad Corinth. 7. vt latè explicat Diuus Augustinus libro primo de Adulterin. coniugijs in capite decimo octauo. Ratio autem est, quam Diuus Thomas tetigit, quia matrimonium inter infideles consistit iure naturæ, professio autem fidei per se non mutat ius naturæ, vel humanum contractum in illo fundatum. Quam rationem indicauit etiam Innocentius in capite. Gaudemus, de diuortijs. Ergo eadem ratione non amittitur legitima potestas ciuilis propter conuersionem subditorum ad fidem.

Est autem valde notandum circa doctrinam Diui Thomæ in citato loco, rationem factam solùm procedere, quando dominium, & potestas Principis ethnici præexistit ante fidem subditorum, in quo etiam casu videntur maximè procedere testimonia Petri, Pauli, & traditio Patrum; Vnde addit Diuus Thomas, si sermo sit de instituenda, vel tribuenda de nouo potestate infidelibus supra fideles, hoc nullo modo esse permittendum: [Cederet enim, inquit, hoc in scandalum, & fidei periculum,] nam subditi nisi sint magnæ virtutis, facilè sequuntur imperium Principis, & religionem, [Et similiter, ait, infideles contemnunt fidem, si fidelium defectus cognoscant.] Hæc verò doctrina intelligenda est, quando noua subiectio fidelium ad Principem infidelem ex fidelium consensu, & voluntate pendet; in eo enim casu procedunt efficaciter rationes Diui Thomæ, & testimonium Pauli, quod induxit 1. ad Corinth. 6. [Audet aliquis vestrum habens negotium aduersùs alterum iudicari apud iniquos (idest infideles ait Diuus Thomas) & non apud Sanctos] (idest fideles.) Vt paulò inferiùs ipsemet Apostolus declarat, dicens, [Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.] Si enim ad priuata etiam iudicia inter fideles non sunt infideles voluntariè in iudices eligendi, multo certè minùs potest aliqua Christiana plebs infidelem Principem sibi præficere, & ideò, vt Diuus Thomas ait, nullo modo id permittit Ecclesia.

At verò si contingeret, plebem fidelem inuoluntariè subijci denuò Principi infideli iusto titulo, tunc procederet, etiam assertio posita, & ratio facta. Vt verbi gratia; Si Rex gentilis iusto bello Ciuitatem Christianam occuparet, tunc verum dominium acquireret, nam hoc etiam est de iure gentium à naturali deriuatum, quod fides non tollit. Nec Ecclesia per se loquendo hoc impedit, quando Princeps infidelis Ethnicus est, & ipsi Ecclesiæ non subditus, prout modo loquimur. Idemque esset, si contingeret, Regem infidelem legitimo iure successionis Christianum populum Principi Christiano antea subiectum obtinere, quia tunc etiam subditorum non impedit acquisitionem dominij, nec pendet ex illius populi voluntate, sed necessariò venit ex aliqua priori, & iusta institutione. Hæc autem intelligenda per se sunt, Idest, præcauendo scandala, & pericula fidelium, quæ sequi etiam possunt ex subiectione fidelium ad antiquos Principes infideles, ideòque in vtroque casu si talia incommoda probabiliter timerentur, & vitari non possent nisi vel non ferendo, vel non acceptando talem Principem, fieri posset, & deberet, quia ius, & potestas ad id faciendum, Ecclesiæ non deest. Atque hac ratione generaliter dixit Diuus Thomas citato loco, posse Ecclesiam de Iure instituere, vt infideles priuentur dominio, & prælatione super fideles, qui transferuntur in filios Dei, quamuis propter vitandum scandalum Ecclesia non vtatur hac potestate circa Principes infideles, aliàs sibi non subditos.

Vnde vlteriùs considerandum est, aliquos infideles esse subditos Ecclesiæ temporaliter tantùm, vt sunt Iudæi habitantes in terris Principibus Christianis subiectis, & de illis infidelibus non agimus, quia non sunt supremi Principes, de quibus maximè nunc loquimur. Tamen de illis certum est, posse Ecclesiam, vel Christianos Principes illos ita gubernare in temporalibus, & maximè in his, quæ spectant ad libertatem, & securitatem fidelium: prout ad bonum fidei expedire iudicauerint, quod alterius considerationis est. Alij verò sunt infideles subditi Ecclesiæ spiritualiter, etiam si aliàs sint supremi Principes temporales, quales sunt hæretici baptizati, hui nomine Christiani sunt, re tamen vera sunt infideles, quia vera fide carent, subditi verò Ecclesiæ sunt ratione baptismi, & characteris? Et de his vera est dicta resolutio, non solùm propter vitandum periculum fidelium, sed etiam propter directam potestatem, quam habet Ecclesia ad puniendos hæreticos, etiam si Reges sint, vt infrà videbimus. Alij verò sunt fideles nullo modo subditi Ecclesiæ, neque temporaliter, neque spiritualiter, neque iure, neque facto. Et in his solùm procedit illa doctrina D. Thomæ de potestate indirecta, per quam potest Ecclesia suos fide-

les ſubditos à moralibus periculis, & occaſionibus amittendi fidem, liberare, ac defendere. Nam per ſe non habet Eccleſia iuriſdictionem in hos Reges infideles, iuxtà illud Pauli, 2. ad Corinth. 5. [De his, qui foris ſunt, nihil ad nos,] & ideò ſicut non poteſt illos ad fidem cogere, ita nec propter infidelitatis crimen eos punire, quapropter, neque hoc titolo poteſt illos priuare dominio, & iuriſdictiune, quam ſuper Chriſtianos habuerine. Solùm ergo id poteſt facere Eccleſia propter ſpiritualem gubernationem, & neceſſariam prouidentiam circa ſuos ſubditos fideles. Quòd autem hoc titulo poſſit, veriſſimum cenſeo, qui qui dat gubernandi poteſtatem, conſequenter tribuit quidquid ad illius conuenientem vſum neceſſarium eſt, vt in ſequentibus latiùs oſtendendum eſt.

Poteſtque in præſenti optimum argumentum ſumi ex doctrina recepta, & approbata ab Eccleſia, & ſumpta ex Paulo 1. ad Corinth. 7. dicente, coniugem priùs infidelem ad fidem conuerſum, ſi alter neque conuerti ad fidem velit, neque cohabitare ſine iniuria Creatoris, poſſe dimittere illum, & matrimonium diſſoluere; ergo eadem, vel maiori ratione data eſt poteſtas Eccleſiæ ad liberandum fideles à iugo infidelium quorumcumque, quando ex tali ſubiectione fides periclitatur, hic enim æquè vrget ratio Pauli dicentis; [Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, vel ſoror in huiuſmodi.] Quin potiùs notari poteſt in hoc diſcrimen, nam quia vinculum matrimonij indiſſolubile eſt natura ſua, & inter duas tantùm determinatas perſonas conſiſtit, vt illo titulo diſſolui poſſit, neceſſe eſt, vt in particulari de periculo coniugis fidelis conſtet: at poteſtas Regia in multitudinem hominum cadit, & de ſe non eſt adeò immutabilis, ideòque ſatis eſt generale, & commune periculum, in quo fideles Principibus infidelibus ſubditi moraliter loquendo, verſantur, vt Eccleſia poſſit omnes à tali ſubiectione liberare, etiam ſi de ſingulorum periculo in particulari non conſtet, quia leges morales, quæ in vniuerſali feruntur, conſiderant ea, quæ vt plurimùm eueniunt, etiam ſi in particulari ceſſare contingat. Nihilominùs tamen rarò Eccleſia vtitur hac poteſtate, & licitè id facit, etiam ſi fideles ſuos in aliquo periculo relinquat, quia vel non habet vires cum effectu, & fructu poteſtatem ſuam exequendi, vel quia maiora ſcandala probabiliter timet. Et nihilominùs tunc ſinguli fideles ſubditi licitè poterunt, vel fugere, vel alio medio vti ad euadendum periculum, ſi de illo moraliter conſtet, tum quia magis tenentur conſulere animæ ſuæ, quàm iuri alterius, tum etiam quia tunc à tali Principe iniuriam, & violentiam patiuntur, & ideò parere non tenentur.

Ex quibus vlteriùs certiſſimum, ac de fide eſt, in Eccleſia Chriſti eſſe Chriſtianos Principes, ac Reges, veram poteſtatem politicam, ſeu ciuilem habentes in ſubditos ſuos etiam Chriſtianos, & fideles. Hæc aſſertio non eſt ſub his terminis Fidelium, & Chriſtianorum Principum, in toto nouo Teſtamento expreſſa, fortaſſe, quia quo tempore ſcriptum eſt, nondum erant temporales Reges ad fidem conuerſi, & ita non occurrit occaſio de illis loquendi. Adducta tamen teſtimonia ſufficienter illam probant, tum ex ſimilitudine, vel certè ex maiori ratione, tum etiam quia verba Apoſtolorum valde indefinita, & vniuerſalia ſunt. Ait enim Petrus, [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti.] Et infrà. [Regem honorificate.] Et deinde præcipit ſeruis, ſubditos eſſe Dominis, non tantùm bonis, ſed etiam diſcolis; ergo idem à fortiori intelligit de omnibus fidelibus ſubditis Principibus, ſiue bonis, ſiue malis, non poſſunt autem dici boni Principes, niſi ſint fideles. Denique admonitio Pauli ad Titum, 3. [Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe,] quam latiùs tradit ad Rom. 13. non fuit ab eo data pro ſolo illo tempore primitiuæ Eccleſiæ, ſed vt perpetuò in ea duraret; ergo nunc etiam habet locum reſpectu Principum Chriſtianorum. Poteſtque idem confirmari teſtimonijs veteris Teſtamenti, quibus conſtat Principes fideles habuiſſe politicum regimen ſubditorum fidelium, quorum imperio iſti obedire tenebantur, vt de Moyſe, Ioſue, & alijs Iudicibus vſque ad Samuelem, & poſtea de Saule, Dauide, & ſucceſſoribus eorum colligitur ex Deuteron. 1. & 17. & ex libris Iudicum, & Regum, & 2. Paralipomen. 19. vbi etiam fit mentio inferiorum Iudicum, & magiſtratuum; ergo multò magis illa ſubordinatio, & ſubiectio ſeruanda eſt in lege gratiæ, quia non ſpectat ad ceremonialia legis veteris, & in generali loquendo, non pertinet ad propria iudicialia illius legis, ſed ad legem moralem iuris naturalis, vel immediatè, vel mediante aliquo iure humano, quæ iura in lege gratiæ durant, & perfectiùs obligant.

Dicet verò fortaſſe aliquis, hoc fundamentum rectè concludere ex hypotheſi, quòd in Eccleſia Chriſti ſint veri Reges, & Principes temporales verum dominium, & iuriſdictionem in Chriſtianos habentes: nam hoc poſito lex naturalis iuſtitiæ, & obedientiæ euidenter obligant ſubditos ad parendum. Aduerſarij autem, qui contrarium errorem defendunt, hoc principium negant, dicentes repugnare inſtitutioni Chriſti, & libertati Chriſtianæ, ſeu perfectioni legis gratiæ. Contra hoc verò probari poteſt illa ſuppoſitio ex perpetua Eccleſiæ traditione ab eo tempore, quo Imperatores, & Reges ad Chriſtum conuerti: & baptizati cæperunt, ſemper enim pro veris Regibus, & Principibus habiti ſunt, non minùs, imò perfectiùs, & excellentiùs, quàm antea eſſent. Hoc conſtat ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis Euſebij, & aliorum, præſertim de Conſtantino, Theodoſio, & ſimilibus. Item hoc ſæpè profitentur Concilia generalia, vt patet ex Nicæno Primo, cui Conſtantinus adfuit, & alijs. Prætereà Summi Pontifices ſcribentes ad Reges, & Principes Chriſtianos, illos vt veros Principes, & Dominos temporales recognoſcunt, vt patet ex multis Epiſtolis D. Leonis, & D. Gregorij, & ex alijs, quos capite ſequenti referemus. Nunc ſolùm notamus verba Symmachi Papæ, Apolog. ad Anaſtaſium Imperatorem, [Nos, inquit, poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates.] Concilium etiam Toletanum XII.

ca-

capit. primo sub excommunicatione declarauit, Eringium esse verum Regem Hispaniæ, & Concilium Meldense cap. decimo quinto, & decimo sexto, anathema fert in eos, qui Regiæ potestati contradicere præsumpserint, & loquitur de Regibus Christianis, & de illis, ait, habere potestatem à Deo, iuxta sententiam Apostoli, quam proinde etiam de Regibus Christianis intelligit.

Atque eodem modo intellexerunt Apostolica testimonia Chrysostomus, Ambrosius & alij Patres, & optimè D. Augustinus libro Quarundam propositionum in Epistola ad Romanos, proposition. 72. circa illa verba, [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit Rectissimè, inquit, admonet, nequis ex eo, quod à Domino in libertatem vocatus est factus Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere seruandum esse ordinem suum, vt potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, existimet, non se esse subdendum.] Et infrà, [Siquis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum; aut non esse exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant potestatibus, in magno errore versatur. Vbi loquitur Augustinus de suo tempore, quando in Ecclesia iam erant Principes Christiani, & ita verba Pauli accommodat ad omnes Principes pro tempore regnantes. Et verba illa Augustini mutuatus est Anselm. in Paul. & breuius Primasius Idemque Augustinus lib. 3. contra Cresson. cap. 51. declarat, quàm necessarium sit Regis officium etiam inter Christianos, & & quantò meliùs, & salubriùs per bonos, id est, pios & fideles Reges, quam per malos, & infideles exerceatur.

Preterea hoc confirmant honorifici tituli, quibus antiqui Patres ad fideles Principes scribunt, vt Cyrillus Alexandrinus, in lib. de recta fide ad Theodos. vbi priùs Christianissimum Regem illum appellat, & posteà ad eundem ait, [Vos estis summarum dignitatum fontes, & supra omnem eminentiam, humanæque felicitatis principium, ac origo.] Et infra, Tam pij, & præclari vestri Imperij summum præsidium est, Dominus noster Iesus Christus; nam per illum Reges regnant, &c.] Et infra se ostensurum promittit, [quòd gloriosa in Deum pietas Regijs honoribus immobile sit fundamentum.] Similia videri possunt in Ambrosio in Epistola ad Gratianum Augustum, quam ad libros de fide præmittit, vbi etiam illum vocat, Christianissimum Principem, & Principum Christianissimum.] Item in eiusdem concionibus in obitu Theodosij, & in obitu Valentiniani, & in varijs Epistolis ad sui temporis Imperatores Christianos. Idemque agnouit Gregorius Nazianz. Orat. 17. cuius verba optima inferius commodiori loco referam.

Addo præterea antiquius testimonium Martialis Episcopi Lemouicensis, qui prope tempora Apostolorum vixit, & Epist. 2. ad Tolosanos cap. 8. refert conuertisse ad fidem Principem quendam Galliæ, quem Regem appellat, eiusque fidem valde commendat, & addit, [Cui obedite debetis in omnibus, quia Princeps vobis à Deo est constitutus, &c. Notari etiam potest locus Tertulliani lib. de Idololatria cap. 15. vbi priùs ait, reddenda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & que sunt Dei Deo, sicut Christus docuit. Vnde posteà subinfert. Igitur quod attinet ad honores Regum, & Imperatorum satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere secundum Apostoli præceptum, subditos magistratibus, & Principibus, & potestatibus. Sed intra limites disciplinæ, quoadusque ab idololatria, separamur.] Vbi licèt loquatur de tempore Imperatorum gentilium, tamen generaliter doctrinam intelligit. Vnde cap. 17. addit, Christianos eo tempore potuisse ab Imperatoribus dignitatem, & ad ministrationem potestatis ciuilis accipere, dum modo sine vlla idololatriæ labe illam exercerent. Vnde tandem rectè scripsit Prosper in libr. Epigrammaton cap. 34. [Reddendum est quidquid mundi bene postulat ordo, Propositumque piæ non violat fidei. Mittibus, & Sanctis nulla est spernenda potestas, Æquum seruire est Regibus, & Dominis. Vt Christi famulis ad verum proficit honorem: Dilexisse bonos, & tolerasse malos.]

Ratione facile etiam persuaderi potest hæc veritas, quia Christianas fides, aut baptismus non facit aliquem incapacem Regiæ dignitatis, vel principatus, aut potestatis politicæ; ergo si quis ante fidem illam habebat, non amittet illam propter baptismum, aut fidem, si ad illam conuertatur: vel si iam Christianus per legitimam electionem, vel alio iusto titulo ad illam assumatur, verè illam acquirit, verusque Rex, Princeps, aut Magistratus constituitur; ergo subditi tiam fideles, & Christiani illi parere tenentur. Illationes quidem per se, & ex dictis euidentes sunt. Antecedentes autem probatur, quia vel illa incapacitas esset ex peculiari Christi institutione, vel ex natura rei, seu naturali aliqua repugn antia: nullum enim aliud fundamentum cogitari potest: verumque autem illorum omnino falsum est, & irrationabile.

De primo patet, tum quia nullibi legimus Christum prohibuisse fidelibus Regium principatum, vt facilè infra ostendetur fundamentis contrariæ sententiæ satisfaciendo. Tum etiam, quia potius de Christo, & de tempore gratiæ prædictum erat, Reges terræ fuisse in Christum credituros, ipsumque adoraturos, Psalmo 71. [Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, &c.] Vnde Psalmo secundo priùs dicitur adstitisse Reges terræ aduersus Christum, & posteà subditur.] Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicaris terram, seruite Domino in timore, &c.] Et Isaiæ 49. Erunt Reges nutritij tui vultu in terram demisso adorabunt te, & scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum.] Et cap. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui, &c. Neque dici, aut cogitari potest, Reges venientes ad Christi fidem eo ipso amittere regna, & Reges desinere, quia, vt Ecclesia canit, Non eripit mortalia, qui redat cælestia.] Neque alia fuisset, suauis, vel con-

conueniens prouidentia, nam si Reges ad Christum conuersi statim ab ipso priuarentur regnis iuste possessis, pauci profectò essent ita regnorum contemptores, qui Christiani fieri vellent. Non est ergo credibile, Christum, qui omnium ordinum homines ad se vocat, & sapienter, ac suauiter media ad illorum conuersionem apta disposuit, tam magnum impedimentum conuersioni Principum temporalium posuisse, talemue institutionem in Ecclesia sua reliquisse.

Maxime, quia neque ad Ecclesiæ splendorem, neque ad bonum temporale regimen, neque ad spiritualem perfectionem talis institutio pertinebat. Primum patet, quia multò magis illustrat Christi fidem, & Ecclesiam, quòd Imperatores, Reges, ac Principes terræ Christo, eiusque vicario subijciantur, & hoc sine dubio est, quod in supra positis promissionibus commendatur. Secundum etiam patet: nam ratio suprà facta de necessitate politici principatus ad conseruationem societatis humanæ non minus habet locum in Ecclesia Christi quam extra illam, quia etiam Christiani indigent communitate politica, in qua pax, & iustitia seruentur, & ad hoc etiam Christiani indigent directione, & coactione ciuili, vt per se notum est: ergo cùm Christus nec suam Ecclesiam in temporalibus malè gubernari voluerit, neque etiam miraculosè illam regere decreuerit, non debuit quasi connaturale regimen ab ipsa tollere, & consequenter nec Principatum politicum auferre. Tertia denique pars probatur, quia principatus politicus non est contra essentialem Ecclesiæ perfectionem, quæ in vera, & viua fide per charitatem operante consistit. Cum enim ille principatus sit iustitiæ, & rationi naturali consentaneus, non potest esse charitati contrarius. Neque etiam est contra perfectionem consiliorum, nam ad hanc non spectat, vt carentia temporalis dominij, aut iurisdictionis sub necessitate constituatur, sed solùm sub consilio liberæ voluntati relinquatur, iuxta illud, [Si vis perfectus esse, &c.] Atque ita perfectio euangelica, & efficacia gratiæ Christi in hoc potiùs ostenditur; quod multi Imperatores, & Principes voluntariè imperia, & regna abdicarunt.

Ex quibus satis probatum manet alterum membrũ, nimirum, Christianos non esse incapaces principatus politici ex natura rei, vel ex aliqua naturali repugnantia. Tum quia potiùs ostensum est ex natura rei esse hoc regimen necessarium Christianis, quibus multò etiam melius est, per Principes Christianos gubernari, quàm per non Christianos, vt obiter etiam ostensum est, satisque est per se notum; ergo potiùs ex natura rei necessarium fuit, Christianos esse capaces regnorum, & magistratuum temporalium. Tum etiam quia si esset aliqua repugnantia, vel esset cum libertate Christiana, vel cum fide. At libertas Christiana non consistit in exemptione à iustis legibus humanis, neq; in immunitate à iusta coactione, aut vindicta peccatorũ quando contra pacem, & iustitiam comittantur; sed consistit in exemptione, vel à lege Moysi, vel à timore seruili, seu, quod perindè est, consistit in libera seruitute ex amore, & charitate, cui humanum regimen non repugnat, sed potiùs illam iuuat, si adsit; si verò desit, illius defectum per coactionem supplet. Fidei etiam nihil repugnat prædicta potestas, vel subiectio illi respondens, quia vtraque est conformis rationi naturali, quæ non est fidei aduersa Quod certè satis confirmat Paulus in epist. ad Philemonem, in qua manifestè supponit, propter fidem, quam Philemon habebat, & Onesimus seruus eius susceperat, nec illi fuisse ablatum ius dominij, nec huic seruitutem esse ademptam; ergo à fortiori idem dicendum est de iurisdictione politica, & illi correspondente subiectione.

Ad primum ergo fundamentum contrarij erroris respondemus, verba illa Pauli [Nolite iugum ducere cum infidelibus,] ad literam intelligi de infidelibus, vt infideles sunt, id est, nolite cum infidelibus in proprijs eorum operibus, quæ vt infideles operantur, communicare. Et hunc sensum probant omnes rationes Pauli. Ex hac autem sententia solùm concluditur, fideles non debere obedire Principibus infidelibus, si aliquid contra fidem, aut contra veram religionem præcipiant. Atque in hunc modum intellexerunt ibi locum illum Ambros. Theodoret. & D. Thomas, & Augustinus lib. contra Donatistas post collationem cap 6. & 21. Hieronymus autem lib. 1. contra Iouinian. & epist. 11. ad Ageruchiam, per iugum intelligit matrimonium, sentiens, ibi prohiberi fœminæ Christianæ cum gentili contrahere. Sed sine dubio Apostolus ibi non loquitur specialiter de vinculo matrimonij, quia neque de illo mentio ibi fit, neque in toto illo contextu occurrit occasio de illo specialiter tractandi. Probabile sanè est, quod Chrysostomus ibi ait Homil. 6. admonere Paulum fideles generatim, vt nimiam consuetudinem, & familiaritatem cum infidelibus euitent, vtique propter periculum, ne in fide, aut moribus ab eis corrumpantur. In quo sensu non tradidit Paulus ibi nouum præceptum positiuum, sed explicat naturale, quo vnusquisque tenetur vitare periculum, ne in illo pereat. Atque hoc modo etiam respublica Christiana tenetur vitare Principem infidelem, & non acceptare illum, si ex ipsius consensu pendeat, vel etiam repellere, si ex illius imperio morale periculum euersionis timeatur, quod tamen non priuata, sed publica auctoritate facere debet quando alioqui Principis ius ad regnum legitimum habet. Atque ita, & seruatur debitus ordo, & vitatur periculum.

Ad locum Matth. 17. quoniam tractando de immunitate Ecclesiastica latiùs expendendus est, nunc breuiter dico, nomine filiorum non comprehendi ibi omnes iustos, quia Christus ad literam loquitur de filijs naturalibus, vt ex contextu, & ex omnium expositione constat. Ad Augustinum verò respondet D. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 6. ad primum, loquutum esse in sensu spirituali, & ita filios regni liberos esse à seruitute peccati, & à tributo, quod ratione illius pendere debebant. Quod non placet Caietano ibi, & ideò exponit, sub filijs regni sub quo subsunt regna terrena, intellexisse Augustinum non omnes iustos, sed eos, qui præ-

sunt

sunt quasi filij, vt sunt Episcopi, & alij Ecclesiastici. Veruntamen etiam isti filij naturales non sunt, & ideò sub nomine, & ratione filiorum (si modo verborum proprietati stetur) non comprehenduntur. Et ideò Iansenius putat, Augustinum esse loquutum de solo Christo, etiamsi in plurali de filijs loquatur, quia Christus Dominus generatim de filijs naturalibus loquebatur. Neque etiam comprehenduntur sub illa libertate omnes Christiani propter alium titulum, quod sint de Christi familia, vt satis explicuit Paulus ad Roman. 13. quia illi coniunctio cum Christo in eadem familia, id est Ecclesia: & valdè ampla, & generalis est, alterius ordinis, scilicet, spiritualis, quæ non tollit corporalem seruitutem, seu subiectionem, & consequenter nec tollit ordinem iustitiæ, qui ex illa nascitur. An verò ratione illius tituli immunitas illa ad omnes Ecclesiasticas personas extendatur ex vi verborum Christi, postea videbimus, & verba Hieronymi, quæ hoc attingere videntur, exponemus.

Ad aliud fundamentum iam responsum est, veram Christianam libertatem non excludere honestam subiectionem ad legitimos Pontifices temporales non solum Christianos, sed etiam infideles, vt ex doctrina Apostolorum satis declaratum est, & latiùs in dicto libro de Legibus. Ad verba demum Christi Domini respondemus. Christum non intendisse per illa tollere iustum Principatum inter Christianos, sed solùm eos docere ne gentilium Principum ambitionem, & tyrannidem imitentur. Et ideò non simpliciter de Regibus, sed cum determinatione dixit, [Reges gentium dominantur eorum,] vbi etiam verbum [dominandi] indicat nimium affectum & ambitiosum gubernandi modum, sicut Petrus 1. canon. cap. 5. dixit, [Non dominantes in clero.] Atque ita exposuit Chrysostom. Homil. 56. in Matthæum, & in alia breui narratione in Matth. cap. 20. Et ex occasione, in qua Dominus ad reprimendam discipulorum ambitionem, & de primatu contentionem, loquutus est, & ex verbis, quæ subiunxit, [Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, manifestissimè constat, Christum non exclusisse ordinem, & gradus maioris, & minoris, sed affectum discipulorum moderari voluisse.

Ad Paulum autem respondetur, cum ait, [Nolite fieri serui hominum, non loqui de ciuili subiectione; imò nec de seruitute pœnali, seu rigorosa, neutra enim repugnat, vel derogat pretio redemptionis Christi, nam ibidem paulò anteà dixerat, [Seruus vocatus es? non sit tibi curæ.] Immò addit, posse seruitutem præferri libertati, vtique propter humilitatem, vt cum Ambrosio, & Gregorio, D. Thomas exponit. Igitur, cùm ait, [Nolite fieri serui hominum,] intelligit de seruitute, qua homo Christo præfertur, seruiendo homini in ijs, quæ Dei seruituti opponuntur. Et quia hoc contrarium esset effectui redemptionis Christi, idcirco optimam rationem Paulus præmisit dicens, [Pretio empti estis.] Hoc ergo modo seruire hominibus alienum esse debeat à redemptis à Christo; subijci autem legitimis Principibus in ijs, quæ Deo non repugnant, non est indignum, sed potiùs debitum, iuxta eiusdem Redemptoris verba, [Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

CAP. V.

Verum Reges Christiani in ciuilibus, seu temporalibus supremam potestatem habeant, & quo iure?

POtestas aliqua tunc suprema dicitur, quando superiorem non recognoscit: nam vox illa, suprema, negationem superioris denotat, cui alter, qui supremam potestatem habere dicitur obedire teneatur. Intellitur autem de superiore in terris, seu humano: nam cum Deo nulla sit comparatio, quis enim humanus Princeps, nisi atheus, vel amens sit, diuinæ se subtrahere potestati, vel conari præsumat? excluditur ergo per negationem illam subiectio ad superiorem hominem mortalem. Potest autem illa negatio varijs modis sumi; & ideò vt quæstionis titulus intelligatur, & ab alijs quæstionibus, quæ hic esse possunt, discernatur, modum, ac sensum illius negationis declarare necesse est. Primò enim negare potest simpliciter omnem subiectionem ad superiorem hominem tam in spirituali materia, quàm in ciuili. Secundò potest negare subiectionem in eadem materia temporali, ac ciuili. Et quamuis in priori quæstione maxima sit dissensio inter nos, & Regem Angliæ, ipse enim nemini in terris subesse vult, etiam in spiritualibus, quod nos contra fidem, & obedientiam Christianam esse credimus, nihilominus quæstionem illam nunc non tractamus, quia non dum de spirituali potestate diximus, sine cuius cognitione illius resolutio intelligi nullo modo potest: ideoque in vltimam huius libri partem illam remittimus, & in præsenti illam potestatem temporalem supremam vocamus, quæ in eodem ordine, seu materia alteri subiecta non sit.

Deinde solet in præsenti distingui duplex subiectio, directa scilicet, & indirecta. Directa vocatur, quę est intra finē, & terminos eiusdē potestatis, indirecta, quę solùm nascitur ex directione ad finem alteriorem potestatem pertinentem. Propria enim potestas ciuilis de se solum directè ordinatur ad conuenientem statum, & temporalem felicitatem humanæ reipublicæ pro tempore vitæ præsentis, & ideò etiam potestas ipsa temporalis appellatur. Quamobrem tunc ciuilis potestas dicitur in suo ordine suprema, quando in eodem, & respectu sui finis ad illa fit vltima resolutio in sua sphæra, seu in tota communitate, quæ illi subest: ita vt à tali Principe supremo omnes inferiores magistratus, qui in tali communitate, vel in parte eius potestatem habent, pendeant, ipse verò Princeps summus nulli superiori in ordine ad eundem finem ciuilis gubernationis subordinetur. Quia verò felicitas temporalis, & ciuilis ad spiritualem, & æternam referenda est, ideò fieri potest, vt mate-

materia ipsa potestatis ciuilis aliter dirigenda, & gubernanda sit in ordine ad spirituale bonum, quàm sola ciuilis ratio postulare videatur. Et tunc quamuis temporalis Princeps, eiusque potestas in suis actibus directè non pendeat ab alia potestate eiusdem ordinis, & quæ eumdem finem tantùm respiciat, nihilominùs fieri potest, vt necesse sit, ipsum dirigi, adiuuari, vel corrigi in sua materia à superiori potestate gubernante homines in ordine ad excellentiorem finem, & æternum: & tunc illa dependentia vocatur indirecta, quia illa superior potestas circa temporalia non per se, aut propter se, sed quasi indirectè, & propter aliud interdum versatur.

Hinc fit, vt negatio illa subiectionis in temporalibus, quam prætogatiua supremæ potestatis temporalis includere creditur, in duos præterea sensus subdistinguenda sit. Potest enim negare, vel omnem subiectionem tam directam, quam indirectam, vel tantùm directam, & ita duplex alia suboritur quæstio. Prior est, an potestas Regis Christiani sit priori modo suprema, id est, nec directè, nec indirectè recognoscens superiorem in materia ciuili, & temporali; altera est, an posteriori saltem modo sit suprema, id est directum superiorem in temporalibus non recognoscens. Inter quas quæstiones tanta est diuersitas, vt prior ad dogmata fidei pertineat, & in illa ferè punctum totius controuersiæ inter nos, & Regem Angliæ versetur: posterior autem neque ad materiam fidei pertineat, nec in ea sit inter nos dissensio. Nihilominus tamen præsens quæstio non in priori sensu, neque in directa subiectione, vel potiùs exemptione accipienda est; quia (si attentè consideretur) ad quæstionem de spirituali potestate pertinet, quia indirecta illa subiectio solum ad spiritualem potestatem esse potest, vel (quod perinde est) si qua potestas excogitari potest, cui temporalis suprema indirectè subijciatur; sola spiritualis esse potest, vt de ipsa disputando videbimmus, ideoque in illum etiam locum hanc quæstionem reijcimus. Titulus ergo præsentis quæstionis solùm de suprema potestate, quæ in eodem ordine superiorem directè non recognoscat, intelligendus est. Nam licèt, vt dixi, in hoc puncto non sit nobis cum Rege contentio, quia tamen sæpe ipse de Catholicis conqueritur, quòd Christianorum Principum iurisdictionem, & obedientiam eis debitam abnegemus, ideò quæstionem illam non esse hoc loco prætermitendam censui, vt Regiam potestatem Christianorum Principum in his omnibus, quæ iure naturali consentanea sunt, sartam tectam iuxta catholicam doctrinam seruari, ex illius resolutione manifestum fiat.

Fuit itaque quorundam Catholicorum, præsertim Iurisperitorum sententia, in Ecclesia Christi non solùm spirituale regimen, sed etiam temporale esse monarchicum, ac proinde in vniuersa Ecclesia Catholica vnum tantùm esse supremum Principem temporalem habentem per se, & directè supremam potestatem ciuilem in vniuersam Ecclesiam, eumque esse Summum Pontificem ex Christi institutione. Vnde consequenter collegere, nullam rempublicam: nullumue Regem, aut Imperatorem habere supremam potestatem in temporalibus, quia non possunt esse duo suprema capita in eodem ordine: igitur si Pontifex habet supremam potestatem temporalem directè, ac per se, necesse est, vt in reliquis omnibus Principibus temporalibus non sit suprema potestas, quia nullus erit, qui superiorem in temporalibus non recognoscat. Immò aliqui etiam addunt, omnia iura regnorum, & dominia Petro collata esse tamquam Christi Vicario, & ita Romanum Pontificem in illo iure succedere, ideoque supremam potestatem ciuilem in habitu (vt ipsi loquuntur) solùm esse in Pontifice; quamuis per alios Reges ex tacita, vel expressa concessione illam administret. Ita loquuntur præcipui ex antiquis iuris Pontificij interpretibus, Glossa, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas. Panormitanus, Felinus, & Decius in capit. Nouit. de Iudicijs, & in capit. Causam quæst. 2. & in cap. per venerabilem. Qui fil. sint legitim. & in capit. Solitæ, de Maiorit., & obedien. & in capit. Quod super his, de Voto, & alij in capit. Quoniam, distinct. 10. & in capit. cum ad verum 96. distinct. & ex interpretibus iuris Cæsarei Barthol. Oldrad. Paulus de Castro, & alij, quos Nauarr. & Couarr. infra citandi referunt. Quibus accessit Diuus Antoninus tertia parte titul. 22. capitulo 5. §. 13. & 17. Aluarus Pelagius, & Augustinus de Ancona eum multis alijs à prædictis relati.

Fundantur primò in multis decretis Summorum Pontificum, qui hoc affirmare videntur, quæ infrà referemus, cum eorum mentem explicabimus. Secundò in vsu, & varijs effectibus ostendentibus hanc potestatem. Huiusmodi sunt transferre imperium à Græcis ad Germanos, & instituere modum eligendi Imperatorem, & confirmare illum, & interdum etiam deponere, qui omnes sunt actus superioris potestatis temporalis. Si autem Imperator non est supremus multò minùs alij Reges. Vnde interdum etiam reges fuerunt à Pontificibus depositi. Tertiò vt scripturas etiam ad hoc probandum inducant, supponunt, Christum habuisse directam potestatem non solùm spiritualem, sed etiam temporalem. Tum quia ipse dixit, [Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra,] tum etiam quia erat filius Dei naturalis. Vnde inferunt, vtramque potestatem Vicario suo æqualiter commisisse, tum quia ipse nihil distinxit, sed absolutè dixit Petro, [Pasce oues meas,] sub quo verbo [pascendi] nonminùs comprehenditur ciuile regimen, quam spirituale: nam de Dauid dicitur 2. Reg. 5. [Tibi dixit Dominus, Tu pasces populum meum Israel.] Tum etiam quia ad bonum Ecclesiæ regimen: eiusque vnitatem, & pacem ita expediebat. Vnde additur quartò naturalis ratio, quia in vno corpore tantùm esse debet vnum supremum caput, à quo omnes actiones vitæ, siue corpori, siue spiritui seruientes tanquam à primario fonte procedant, sed Ecclesia est vnum corpus mysticum, vt iam suprà declaratum est; ergo postulat vnum supremum gubernatorem in vtroque ordine; immò vtramque potestatem in

vna

vna persona; quia si in diuersis personis sint, infinite dissensiones, & lites orientur, quæ vix possunt humana diligentia, & ratione componi, vt experientia ipsa ostendit.

Nihilominus dicendum est, Reges Christianos habere potestatem ciuilem in suo ordine supremam, nullumque alium recognoscere directè superiorem intra eumdem temporalem, seu ciuilem ordinem, à quo in actibus suæ potestatis per se pendeant. Vnde fit non dari in Ecclesia vnum supremum Principem temporalem totius Ecclesiæ, seu omnium regnorum eius, sed tot esse, quot sunt regna, seu respublicæ supremæ. Hæc est magis recepta, & probata sententia inter Catholicos, quos statim referemus. Probatio autem prioris partis ex posteriori pendet: nam si non est vnum caput temporale, consequens necessariò est, vt sint multi Reges supremi, vt à nobis propositum est; nunc enim non intendimus in particulari expendere, an hic, vel ille Rex supremus sit, nec Principes ipsos temporales inter se conferre, id enim à præsenti instituto satis esset alienum.

Et ob eandem causam non tractamus nunc quæstionem illam, an Imperator sit superior iurisdictione in omnibus Christianorum prouincijs, & regnis, & consequenter sit supremus monarcha in vniuersa Ecclesia. Quia licet ad posteriorem partem assertionis posset pertinere, tamen nihil fere pertinet ad dogmata fidei explicanda, ideoque breuiter supponimus, Imperatorem non habere hoc dominium, aut supremam iurisdictionem temporalem in vniuersam Ecclesiam (quidquid Bartholus, & nonnulli alij Iurisperiti censeant) quia vel numquam illam habuit, vel licet habuisset, maiori ex parte illam amisit. Quòd autem numquam illam habuerit, probabilissimum est, quia neque supernaturali, aut extraordinario modo à Christo Domino, vel Romano Pontifice illam habuit, vt ex dicendis à fortiori constabit, neque etiam aliquo humano iure illam acquisiuit, quia numquam, vel per electionem, vel per iustum bellum vnus imperator totum orbem, vel totam Ecclesiam sibi subiecit. Vt enim demus, antiquos Imperatores Christianos fuisse legitimos Principes totius ditionis suæ, non tamen inde fit, fuisse etiam supremos Principes omnium Christianorum, quia extra illorum territorium multi populi potuerunt esse Christiani. Nam vt rectè dixit Prosper. lib. 2. de Vocat. gent. cap. 6 [Gratia Christiana non contenta est eosdem limites habere, quos Roma, multosque populos sceptro Crucis Christi subdidit, quos armis suis ipsa non domuit.] Vnde, & est illud, quod Leo Papa in ser. 1. Apostolorum, de Roma dixit, [vt latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena.] Accedit, illud ipsum Romanum Imperium in Orientale, & Occidentale fuisse diuisum, & deinde Occidentale Imperium (quod solum in Christianis permansit, orientali à paganis occupato) licet quoad dignitatem in vna persona duret, quoad iurisdictionem in multos principes, & Reges diuisum esse. Ex quibus licèt aliqui sint Imperatori subiecti, plures censentur legitimè exempti; iure præscriptionis, accedente simul populorum consensu, vel titulo iusti belli. Ac proinde præter Imperatorem plures esse Reges temporales ab illius iurisdictione omnino liberos, vt sunt Rex Hispaniæ, Galliæ, & Angliæ, nunc supponimus.

Solum ergo superest probanda assertio de Summo Pontifice, nam si ille non habet proprium dominium iurisdictionis temporalis supremæ in vniuersa regna Ecclesiæ, nullius alius fingi potest, qui talem primatum habeat, ac subinde plures erunt Reges temporales supremi. Quòd ergo Pontifex talem iurisdictionem temporalem in vniuersa Ecclesia non habeat, tenuerunt ex Theologis præcipuè Maior, Caietan. Victor. Soto, & Bellarminus, qui plures alios refert. Et ex Iurisperitis Couarruuias in Regul. Peccatum, 2. p. §. 9. num. 7. & Nauarr. in cap. Nouit, notab. 3. latissimè, & plures alios referendo n. 41. & Petrus Bertrand. tract. de Orig. iurisdict. quæst. 3. Et (quod caput est) ipsimet Pontifices Summi multis in locis hanc veritatem simpliciter recognoscunt.

Vnde illorum iuribus in primis probanda est assertio, Nicolaus enim Papa ad Albinum Archiepiscopum ita scribit, [Sancta Dei Ecclesia gladium non habet; nisi spiritualem,] nomine autem gladij significari solet in iure canonico potestas temporalis: ergo maximè id debet intelligi, & de directa potestate: & de iurisdictione, quam Sancta Ecclesia per se: & vt sic dicam ex intrinseca sua ratione habet. Nam in proprio territorio alio titulo comparato habere potest Ecclesia, seu Ecclesiasticus Prælatus gladium temporalem, sicut Romanus Pontifex in sua peculiari ditione illum habet. Præterea idem Nicolaus in epist. ad Michaelem Imperatorem sic ait: [Nec Imperatoria iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam Christus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit: &c.] Idem nobis tradidit Gelasius Papa, cùm epist. 10. ad Anastasium Imperatorem scribit: [duo esse, quibus principaliter mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas,] & Gregor. Papa I. lib. 2. indict. 11. epistol. 61. aliàs capit. 100. ad Mauritium Imperatorem ait, [Ad hoc potestas super homines Dominorum meorum pietati data est, vt terrestre regnum cælesti Regno famuletur,] & Ioannes Papa I. in epistola ad Iustinianum Imperatorem, quæ habetur in lib. Inter claros C. de Sacra Trinit. eius supremum principatum, & Regiam potestatem recognoscit.

Præterea Innoc. III. in cap. Nouit. de Iudicijs, apertè sentit Regem Francorum supremam habere iurisdictionem temporalem, quam Papa perturbare: aut minuere nolit: & ideò infrà dicit. [Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium,] apertè significans, ad se non pertinere vtique, directè, vt rectè Glossa, & Innoc. adnotarunt. Quod ampliùs declarat dum addit. [Nisi fortè iuri communi per speciale priuilegium: vel consuetudinem sit derogatum.] Nam per hanc exceptionem declarat, per ius diuinum non esse Iuri Regio derogatum. Idem præterea Innocentius in cap. per venerabilem. Qui fil. sint. legit. de

Rege

Rege Francorum expresse, dicit superiorem in temporalibus non recognoscere. Et de Apostolica Sede dicit, In patrimonio Beati Petri liberè (id est directè, & absolutè) posse disponere: In quo & summi Pontificis auctoritatem exercet, & summi Principis (vtique temporalis) exequitur potestatem,] planè sentiens, in alijs regnis non ita liberè posse circa temporalia disponere. Idem in cap. Solitæ, de Maiorat. & obedien. Imperatorem fatetur, [in temporalibus præcellere in ditione sua: & de Regali potestate dicit, in carnalibus præesse; & in cap. Causam. 2.] Qui fil. sint legitimi Alexander 3. expressè dicit, ad Regem, non ad Ecclesiam pertinere de temporalibus possessionibus iudicare, & loquitur in particulari de Rege Angliæ. Satis ergo constat, ipsosmet Romanos Pontifices numquam sibi huiusmodi potestatem arrogasse, quod ampliùs ex sequenti discursu constabit.

Secundò principaliter veritas hæc demonstratur, quia nullus potest iustus titulus assignari, quo directum dominium iurisdictionis temporalis in omnia Ecclesiæ regna summo Pontifici conueniat, ergo illam non habet, neque enim sine isto titulo obtineri potest. Assumptum probatur, quia vel ille titulus esset iuris diuini positiui, vel iuris humaui, manifestum est enim ex supra dictis, non posse immediatè ex iure naturali. Nam probatum est, ex immediato naturali iure solam communitatem humanam perfectam & politicè in corpus vnius reipublicæ congregatam habere supremam iurisdictionem temporalem in se ipsam. At congregatio Ecclesiæ licèt sit vnum corpus spirituale, mysticum Christi, & in hoc genere habeat fidei baptismatis, & capitis vnitatem, non tamen est vnica in ratione vnius politicè congregationis, sed in se continet varia regna, & respublicas, quæ in politico genere nullam inter se habent vnitatem, ergo ex vi iuris naturalis non est in tota communitate Ecclesiæ immediatè vna suprema iurisdictio temporalis, & vniuersalis supra totam Ecclesiam, sed tot sunt iurisdictiones temporales supremæ, quot sunt politicæ communitates, quæ non sunt membra vnius regni, seu reipublicæ ciuilis.

Et hinc non minori euidentia concluditur, talem potestatem non esse in aliquo Ecclesiastico Principe aliquo titulo humano, quo mediante potestas illa naturalis in ipsum translata fuerit. Quia hic titulus vel est electio, & consensus populorum, & hic in præsenti locum non habet, vt per se manifestum est, nunquam enim omnes populi Christiani propria voluntate, & consensu vni homini tanquam supremo Principi temporali se submiserunt. Vel est titulus iusti belli, & de hoc etiam clarum est non habere locum in aliquo Ecclesiastico Principe. Vel est titulus legitimæ successionis & hic etiam esse non potest præcisè sistendo in iure humano, quia supponit legitimum titulum, & dominium in prædecessore, & ita ascendendo necessariò sistendum est in aliquo; qui alio priori titulo humano tale dominium sine successione obtinuerit, qui non potest esse, nisi vel consensionis populorum, vel belli, quod aut à principio fuerit iustum, aut per tacitum consensum subditorum per legitimum tempus iustum fuerit factum, nihil autem istorum habet locum in aliquo Pontifice; cuiuscumque temporis, vel superioris seculi cogitetur. Vel denique hic titulus est alicuius donationis ab homine factæ. & de hoc ferè eadem est ratio: quæ de titulo successionis. Quia nemo potest donare, nisi quod habet, nullus autem Princeps etiam temporalis habuit vnquam supremam iurisdictionem temporalem directam in omnes prouincias, & regna Christiana, vt supra tetigi, ergo nullus est, qui Ecclesiæ, vel Pontifici talem donationem facere potuerit.

Quæ omnia rectè confirmant illa iura canonica, quæ tradunt Pontificem Romanum legitimum ius & temporale dominum habere Romani regni, seu patrimonij (quod vocant) Sancti Petri, per donationem à Constantino Imperatore factam, vt patet ex cap. Constantius 1. & 2. 96. dist. & ex cap. Fundamenta, de elect. in 6. & cap. Futuram. 12. qu. 1. Nam hinc apertè colligitur, titulo donationis solùm habere directè temporalem iurisdictionem in regnum, & ciuitates, quæ sunt de patrimonio Petri; sub quo patrimonio comprehendimus omnem ditionem temporalem, quam nunc possidet Romanus Pontifex, siue totius patrimonij donatio facta fuerit à Constantino, siue ab illo fuerit inchoata, & ab alijs Regib; & Principibus aucta.

Superest dicendum de titulo iuris diuini positiui, qui solùm potuit incipere per Christi Domini donationem. & perseuerare per legitimam successionem, Christo autem Domino nulla talis donatio facta est, & consequenter nulla potest esse in tali iurisdictione temporali legitima successio, ergo neque hoc titulo conuenit Pontifici huiusmodi iurisdictio. Quod autem Christus illam iurisdictionem non dederit Ecclesiæ, probatur in primis, quia si dedisset alicui, maximè Petro. vt nunc suppono ex his, quę inferiùs de primatu Romani Pontificis dicenda sunt. Petro autem non donasse satis colligitur ex Matthiæ 16. vbi ante illa verba. Quodcumq; ligaueris, & quodcumque solueris, præmittit Christus promissionem, [Tibi dabo claues regni cœlorum,] non ergo promisit Christus Petro claues regni terreni, ac proinde non promisit temporale dominium, vel iurisdictionem temporalem directam, sed spiritualem potestatem. Quocirca quod statim Christus addit. [Quodcumque ligaueris vel, Quodcumque solueris,] secundum potestatem, quam nomine clauium promiserat, sine dubio intelligendum est. Et similiter verbum [Pasce oues meas,] secundum eandem potestatem intelligendum est, nam ibi promissionem priùs factam Christus adimpleuit. In nullo autem alio loco indicauit Christus se dare temporale dominium, aut regnum proprium directum Petro, vel Ecclesiæ suæ, neque etiam Ecclesiastica traditio hoc ostendit sed potiùs oppositum, vt visum est, ergo nulla supernaturali via nobis constare potest de tali iurisdictione temporali, & directa Pontificis; ergo non potest cum fundamento illi attribui, cùm non nisi supernaturaliter possit illam habere.

De-

Deinde est optima coniectura, quia ipse Christus sibi in humanitate sua non assumpsit regnum terrenum, seu temporale, cum dominio, & iurisdictione temporali directa, qualis est in Imperatore, vel aliis Principibus humanis, ergo neque illam tribuit Vicario suo in terris. Antecedens supponimus ex his quæ in primo tomo 3. partis de Regno Christi diximus, & nunc breuiter ostenditur ex his, quæ Scriptura dicit de paupertate Christi Domini, vt est illud 2. ad Corinth. 8. [Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Vnde Ioannes 22. in Extrauagánt. Cum inter nonnullos: de Verbor. signifi. docens habuisse Christum, non obstante paupertate, quarundam paucarum, & vsualium rerum dominium, manifestè supponit, non accepisse regnorum dominium, vel aliarum rerum quarum proprietas homines diuites constituit. Et hoc significauit ipse Dominus, cum Matth. 8. & Luc. 9. dixit Filius hominis non habet, vbi caput reclinet. Et de temporali iurisdictione idem significauit Luc. 12. vbi cuidam petenti, [Dic fratri meo, vt mecum diuidat hæreditatem: respondit, Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos, quasi diceret, non assumpsisse illud iudicium, nec ad temporalem iurisdictionem exercendam in mundum venisse, vt rectè Ambros. Theophylact. & Eutym. adnotarunt.

Et hoc etiam confirmauit idemmet Dominus Ioan. 18. dicens, [Regnum meum non est de hoc mundo,] idest, non est temporale & terrenum, quale est regnum Cæsaris, vt ibi exponunt Cyrill. lib. 12. In Ioan. cap. 10 & sequentibus & Chrysost. Homil. 82. in Ioa. & optimè August. tract. 115. dicens, [Audite omnia regna terrena non impedio dominationem vestram in hoc mundo, regnum meum non est de hoc mundo.] Vnde omnes Patres docent assumpsisse Christum regnum spirituale quod veram paupertatem non excludit. Ideoque Zachar. 9. prædicitur venturus Saluator, qui esset Rex, & pauper quod in Christo impletum esse declarauit Mat th. cap. 21. & Ioannes cap. 12. & in Psalm. 2. de Christo dicitur, [Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius, & statim additur prædicans præceptum eius:] ad significandum regnum illud esse spirituale, non terrenum. Vnde Augustinus supra, montem illum; super quem Christus est Rex constitutus, non esse de hoc mundo, dixit [quia credentes in Christum, qui sunt regnum eius non sunt de hoc mundo.] Hilarius autem dixit, non esse Hierusalem terrestrem, sed cœlestem. Et hoc etiam modo prædictum est ab Angelo de Christo. [Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & statim subiungit, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis,] quia non temporale, sed spirituale futurum erat, vt adnotarunt Epiphan. hæres. 29. & Hieronymus letem. 22 & Zachar. 6. Ratio verò est quia temporale regnum non fuit Christo necessarium ad honorem; vel maiestatem suam, & ad exemplum, ac redemptionem nostram fuit magis expediens, vt illud non assumeret.

Atque hinc facilè probatur prior illatio quia Christus non contulit Vicario suo potestatem, quam non ipse assumpsit. Dices, quamuis Christus non habuerit temporale regnum caducum; & imperfectum, habuisse tamen etiam in humanitate sua propter gratiam vnionis dominium quoddam excellentius, per quod poterat sua voluntate vti quibuscumque rebus, vel regnis temporalibus & consequenter per illud etiam potuisse dare Vicario suo temporalia regna, & directam iurisdictionem temporalem. Respondemus non negari, quin id facere potuerit, sicut etiam potuit sibi assumere, sed colligimus, non dedisse, cum illud non assumpserit. quia non reliquit in terris, nisi Vicarium illius regni, quod ipse de facto assumpsit, quod regnum spirituale est; vt ostendimus, & perfectè quidem consumatur in gloria, in hoc verò mundo inchoatur in Ecclesia militante. Item quia Christus habuit perfectam spiritualem potestatem sine iurisdictione temporali directa, ergo etiam potuit communicare Vicario suo perfectam, seu sufficientem iurisdictionem spiritualem, sine altera directè temporali. Ac denique quia sicut fuit expediens, Christum ipsum non assumere temporalem iurisdictionem, ita etiam conueniens fuit, vt Vicario suo illam non communicaret, ne aut Reges terræ perturbaret, aut spiritualia secularibus miscere videretur.

Vnde possumus vltimò ratione argumentari, quia dominium temporale, cum iurisdictione directa, & ciuili in vniuersam Ecclesiam non erat necessaria ad spirituale regimen Ecclesiæ, vt per se manifestum est, neque etiam ad eumdem finem erat vtilis, imò potiùs magno impedimento esse potuisset; ergo non est verisimile à Christo fuisse datam. Minor probatur primò, quia temporale regimen est longè diuersum ab spirituali, & implicat homines negotijs secularibus, quæ maximè auertunt ab spiritualibus, propter quod dixit Paul. 2. ad Timoth. 2. [Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus;] ergo incredibile est, Christum Dominum coniunxisse has duas supremas, & vniuersales potestates in vno supremo Pontifice Ecclesiæ, cùm moraliter impossibile sit, vnum hominem sufficere vtrique ponderi vniuersalis gubernationis.

Dices, Hac ratione probaretur, Summum Pontificem, vel alios Episcopos non posse, nec debere esse simul temporales Principes. Respondetur, in primis verum esse, Christum Dominum id non instituisse, neque præcepisse, neque alicui ex suis ministris, seu Pastoribus temporalem Principatum dedisse, Et hoc probat discursus factus, & confirmant, quæ de Christi Domini regno diximus, quia ille nec totius Orbis, nec alicuius partis eius Principatum temporalem, aut seculare iudicium sumpsit, vnde nulli etiam Episcopo, vel Vicario suo illud communicauit. Quod ergo ipse de se dixit, [Quis me constituit iudicem inter vos,] in vnumquemque Episcopum conuenit. Quod etiam alijs testimonijs, & longo discursu ostendit Bernard. lib. 1. de Considerat. ad Eugenium cap 6. & lib. 2. cap. 6. Addo nihilominus, non prohibuisse Christum, ne Pontifex, aut Episcopus possit

possit esse simul temporalis dominus, quia nec talis prohibitio ostendi potest, vt suprà tactum est, & ex dicendis magis constabit: neque etiam sequitur ex ratione proposita, quia non est per se malum, eumdem esse Ecclesiasticum Pastorem, & Principem temporalem. Quin potiùs licèt temporalis cura nimis ampla, & vniuersalis non rectè conueniat cum spirituali sollicitudine, nihilominùs principatus aliquis temporalis moderatus potest non solùm esse licitus, sed etiam expediens ad Ecclesiæ splendorem, & auctoritatem conseruandam, & ad necessarios sumptus, & alios similes honestos fines, vt rectè dicitur in cap. Fundamenta de Elect. in 6. Et ideò Christus Dominus hoc non prohibuit, sed humanæ dispositioni recta ratione regulatæ, & pro temporum opportunitate id reliquit.

Aliter verò respondere possee rationi factæ, illa solum probari exercitium vtriusque iurisdictionis vniuersalis non debuisse simul eidem personæ committi, nihilominùs tamen in habitu potuisse vtramque iurisdictionem dari Pontifici, datamque esse ea lege, & conditione, vt spiritualem per se, temporalem verò per alios ordinariè exerceret. Sed hoc etiam facilè impugnatur, non solùm quia etiam illa iurisdictio in habitu nullo titulo, aut probabili modo ostenditur, vt probatum est, sed etiam, quia vel est impertinens, vel odiosa valdè. Aut enim qui illam habet, numquam per se ipsum vti illa debet, & sic erit otiosa, & inutilis, quia numquam poterit quis illa vti per alios, nisi prius per se illa vtatur, saltem illam delegando, vel ordinariam committendo. Si verò ad hunc vsum data dicatur, interrogo vlteriùs, an Pontifex v. g. committendo hanc iurisdictionem, illam omninò à se abdicet, & omnem illius curam protsùs relinquat, vel ita illum committit, vt semper maneat temporaliter superior, & cum potestate reuocandi commissionem, vel saltem limitandi eam, vel etiam sub arbitratu corrigendi, aut emendandi acta per illam. Si priori modo hæc iurisdictio in habitu cogitetur, est sine fructu, & otiosa. Quid enim refert, quòd Pontifex habeat hanc potestatem in habitu, si necessariò debuit illam dare alijs, per quos exerceretur, & postquàm dedit iam non potest actum superioris exercere in illo ordine? Imò potiùs sequitur, iam nunc illam non habere, & solùm fingitur aliquando habuisse, vt emanatio huius potestatis ad Principes seculares Pontifici attribuatur, quod inuidiæ satis plenum ducitur, odiosumque nimis, & aliàs est etiam sine fructu, & fundamento.

Si verò posteriori modo cogitetur hæc potestas ita in habitu, vt possit exire in actum, quando libuerit, vel quando oportuerit, sic augetur odium, & inuidia, quia iam Principes temporales non erunt supremi Reges, falsumque erit Sedulij carmen ab Ecclesia receptum, & celebratum satis, [Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia,] poteritque Pontifex pro libito suo regna temporalia auferre, vel mutare, & iudicia temporalium rerum, dispensationes, & similia sibi etiam ad libitum vindicare, saltem validè, nam licèt fortasse non benè faceret propter perturbationem ordinis, factum nihilominùs teneret, quia esset ex suprema iurisdictione, à qua inferior pendet. Hoc autem non solùm odiosum est, & Regum animos perturbare potest non sine causa; verum etiam est per se incredibile, quia est contra vniuersalem pacem Ecclesiæ, & contra vniuersalem, ac perpetuum vsum eius. Vnde etiam Iurisperiti, qui dicunt Summum Pontificem habere supremam iurisdictionem temporalem, id non admittunt, Imò in multis actibus iurisdictionis temporalis absolutè negant, posse Pontificem extra ditionem suam temporalem illos vsurpare, etiam validè, vt communiter tradunt Doctores in cap. Per venerabilem, Qui filij sint legitimi. Ac denique si hoc modo haberet Pontifex iurisdictionem temporalem totius Ecclesiæ, non minùs oporteret ipsum esse sollicitum de bono temporali regimine omnium regnorum Ecclesiæ, quàm de regimine spirituali omnium Episcopatuum: nam est eadem ratio, & obligatio, seruata proportione, & ita procedit ratio facta, quòd illa duplex sollicitudo vniuersalis humanas vires, & capacitatem motalitet excedat, sicque contra omnem rationem, & vsum.

Ex fundamentis contrariæ sententiæ primum, & secundùm procedunt tantùm de potestate indirecta. Et profectò multi ex auctoribus pro illa sententia relatis, de eadem tantùm superiori potestate loquuntur, vt in fine huius libri declarabimus. Tertium autem fundamentum procedit ex falso principio, quia Christus Dominus dominia temporalia non assumpsit, vt dictum est. Simili modo deficit quartum fundamentum, quia Ecclesia non est vna respublica temporalis, sicut est spiritualis, & ideò non indiget vna temporali potestate directè suprema, sed vna spirituali, quæ ad temporalia extendatur, vt infrà etiam videbimus.

CAP. VI.

Vtrum sit in Ecclesia Christi spiritualis potestas iurisdictionis externa, & quasi politica à temporali distincta?

DIximus hactenus de potestate temporali, vt constet, nullum Principem Christianum iure posse Catholicam Ecclesiam, vel doctrinam arguere, quòd debitam potestatem illi pro libito eripiat: nunc dicendum est de spirituali potestate, vt etiam ostendamus, quid Reges schismatici in hoc genere indebitè vsurpent, & in quibus rebus Ecclesiasticæ potestati contra diuinum ius obedire, & subijci recusent. Quia verò potestas Ecclesiastica multiplex est, ideò in titulo restringimus quæstionem ad potestatem iurisdictionis spiritualis, & externæ. Duplex enim distingui solet potestas Ecclesiastica, scilicet, ordinis, & iurisdictionis: ad hæc enim duo membra alia, quæ adnumerari solent, reducuntur, vt rectè Nauarr. adnotanit. De potestate ergo ordinis hic non tra-

tamus, non enim pertinet ad præsentem controuersiam, quia illa non est potestas superioris in subditos, sed est facultas quædam moralis ad cultum Dei religiosum ordinata, vel per oblationem sacrificij, vel per administrationem, aut dispensationem sacramentorum, quæ ad sanctificationem fidelium sunt instituta; vel denique per quascumque alias cæremonias, quæ ad ornatum sacrificij, aut sacramentorum, conuenienter, & ordinatè fieri debent. Vnde etiam Protestantes non omninò videntur hanc potestatem negare, quamuis ita illam interpretentur, vt nomine potiùs, quàm re illam confiteantur. Sed hoc in tractatu de Sacramentis examinandum est.

Potestas item iurisdictionis subdistinguitur in iurisdictionem interni fori pœnitentiæ, & externi fori Ecclesiastici. Prior proximè constituit sacerdotes superiores, & iudices in quodam diuino, & secreto foro, quod in sacramento pœnitentiæ exercetur. Et quamuis de hac etiam sit magna contentio hæreticorum huius temporis contra Ecclesiam Catholicam, illam nunc prætermittimus, quia neque Rex Iacobus illam attigit, neque ad exteriorem politiam etiam ecclesiasticam spectat. His ergo potestatibus omissis, sermo est de potestate iurisdictionis externæ datæ ad gubernandam Ecclesiam, quatenus est quædam spiritualis respublica, & Corpus Christi mysticum, quam spiritualem vocamus, vt à temporali eam distinguamus. Vnde iuxta intentionem nostram idem est quærere, an hæc iurisdictio sit, & an sit à temporali distincta.

In hac ergo quæstione fuit hæresis Marsilij Paduani, qui ferè ante quingentos annos inter alias hæreses dixit, Christum nullam iurisdictionem Ecclesiæ suæ, aut Episcopis, vel Romano Pontifici dedisse, vel in laicos, vel in clericos; vel ad præcipiendum, seu obligandum; vel ad cogendum, seu puniendum, sed solùm dedisse sacerdotibus potestatem ministrandi sacramenta, & prædicandi verbum Dei, & in reliquis omnibus dispositioni, & iurisdictioni temporalium Principum eos subiectos reliquisse. Ita errorem hunc referunt plures auctores, sed distinctiùs, quàm cæteri Albertus Pighius lib. 5. de Ecclesiast. Hierarch. Et in hoc errore videtur fuisse fundatus Henricus VIII. Rex Angliæ ad schisma contra Ecclesiam Romanam excitandum. Vt enim Pontifici obedientiam negaret, consequenter etiam negauit, se habere in terris superiorem eam in spiritualibus, quàm in temporalibus, & consequenter asseruit in suo regno se habere totam potestatem supremam, quæ in Ecclesia respectiuè esse potest. Idemque de quocumque Rege temporali Christiano censuisse videtur, quia non potuit maiorem rationem, aut titulum talis potestatis in se, quàm in alijs supremis Regibus inuenire: idque disertè, ac frequenter vel affirmat, vel supponit Rex Iacobus in sua ad Christianos Principes Præfatione.

Ex quo manifestè conuincuntur, non agnoscere in Ecclesia aliam potestatem iurisdictionis præter eam, quæ est in Regibus temporalibus, vel quæ ab illa manat, quia nullum alium titulum ad illam vsurpandam prætendere possunt. Vnde sicut suprà diximus, Regiam potestatem à populo ad Reges manasse, ita referunt Anglicanæ historiæ. Regem Henricum ex consensu regni in Parlamento hanc sibi arrogasse potestatem, idemque in simili conuentu fuisse in Eduardo proximo successore declaratum, posteàque in Elisabeta innouatum. Ergo signum est non aliter de hac potestate, quàm de politica sentire. Idemque satis ostendit Iacobus Rex, cùm iure hæreditario, & titulo carnalis successionis illam habere profiteatur. Neque ab hoc errore alienus fuit Caluinus, aut Lutherus, nam licèt Caluinus primatum Henrici non approbauerit, nihilominùs ex alio principio huiusmodi spiritualem potestatem negare cogitur. Ille enim cum Luthero, & alijs, omnes Christianos pares in sacerdotio faciunt, & distinctionem cleri à populo laico è medio tollunt, atque ita nullam potestatem specialem ponunt in Ecclesia ad gubernandam illam, præter eam, quæ est in magistratu politico, vel quæ in aliqua communitate ad seruandum rectum ordinem ex natura rei existit.

Fundamenta huius erroris diuersa sunt. Nam isti, quos vltimo loco retuli fundari potuerunt, quia crediderunt, in Ecclesia nullum esse verum, ac proprium sacrificium, & consequenter nec verùm, ac proprium Sacerdotium sed tantùm spirituale, ac metaphoricum quod omnibus Christianis commune est, de quibus dicitur 1. Petr. 2. [Et ipsi tamquam lapides viui super ædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.] Et infrà, [Vos autem genus electum regale Sacerdotium,] Marsilius autem licèt Sacerdotium non negauerit, & Clerum, seu Presbyteros à populo distinxerit, negauit tamen in Clero hierarchicum ordinem, dixitque omnes Presbyteros esse æquales Episcopis, & Episcopos Papæ; vnde intulit non habere inter se, vel respectu populi subiectionem aut prælationem, sed omnes dixit esse subiectos politico magistratui. Afferebatque illud Luc.22. [Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic,] quibus verbis arbitratus est, prohibitum esse Clericis omnem dominatum, seu iurisdictionem. Inducebatque alia testimonia Scripturæ, quæ à secularibus curis Clericos abstrahunt, vt est illud, [Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.] 2. ad Timot. 2. & illud. [Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.] 1. ad Corinth. 6. De Regibus autem Angliæ non mihi constat, quo alio fundamento nitantur, nisi quia detorquendo Scripturas ad alios sensus, negant, in eis esse fundatam spiritualem potestatem, & exagerant quod Scripturæ præcipiunt omnibus Christianis; Principibus, & Magistratibus temporalibus subesse. Vnde in hoc æquiparant Ecclesiam Christi Synagogæ, aut Reipublicæ fideli, quæ in lege naturæ esse poterat, in quibus putant: non fuisse aliam potestatem gubernatiuam præter eam, quæ vel Regibus data est in lege veteri, vel in alio statu ex natura rei esse poterat in tali communitate ordinata per fidem ad veri Dei cultum, & religionem, & à popu-

populo in Principes, vel (quod perinde est) ex consensu populi in primogenitos transferebatur, tanquam vna, & eadem potestas connaturalis.

Nihilominus veritas Catholica est, dari in Ecclesia spiritualem potestatem veræ, & propriæ iurisdictionis, per quam possit Christianus populus in ordine ad salutem animæ conuenienter gubernari. Hæc assertio de fide certa est, vt communi consensu Catholici docent, & probatur primò apertissimis Scripturæ testimonijs. Præcipua sunt illa duo, [Quodcunque ligaueris, &c.] Matth.16. & [Pasce oues meas,] Matth.21. quæ inferiùs ex professo tractanda sunt. Simile etiam est illud Matth. 18. [Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus,] & adiungit, [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt, & soluta in cœlo,] ligare enim, & soluere manifestè sunt actus iurisdictionis, & ibi non est tantùm sermo de iurisdictione in foro interno: seu secreto pœnitentiæ, vt per se constat, sed de iurisdictione temporali. Nam excommunicatio, de qua ibi sermo est, censura est Ecclesiastica, quam etiam ipse Rex Iacobus interdum spiritualem appellat, in præfatione. Sunt etiam expressa verba Pauli 2. Corinth.13. [Ideò hæc absens scribo vt non præsens duriùs agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in destructionem.] Potestas autem spiritualis erat, nam temporalis, vel Regia in Paulo non erat. Item ad eamdem potestatem pertinet, quod idem Apostolus, ait, Actor.20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit, sanguine suo,] vbi apertè dicit Episcopis datam esse à Deo potestatem regendi Ecclesiam, regimen autem, & gubernatio idem sunt. Vndè, nisi magna vis fiat verbis, de potestate iurisdictionis Apostolus loquitur, vt autem significet illud regimen esse spirituale, addit de Ecclesia, quem acquisiuit sanguine suo, non enim acquisiuit Christus suo sanguine temporale Regnum, sed spirituale.

Vnde optima ratione simul cum Scripturæ testimonijs potest hæc veritas confirmari Habemus enim ex Scripturis, Christo Deo homini promissum esse à Patre Regnum æternum iuxta illud Psalm.131. [De fructo ventris tui ponam super sedem tuam,] & Isai.9. [Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit.] Et addidit Angelus Luc.1. [Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius, regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.] Hoc autem Christi Regnum non in cœlo tantùm, sed in terra etiam tradendum, seu inchoandum promissum est, vt patet ex Daniel.7. [Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.] Et infra, [& dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient, potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius, quod non corrumpetur;] illum autem filium hominis esse Christum, qui in Euangelio sæpè filius hominis appellatur, omnes intelligunt, illiusque Regnum post alia Imperia fuisse in terra inchoandum, & perpetuò esse duraturum, eum illo loco, tum etiam Daniel. 2. apertè prædicitur, & concordat illud Ezechiel. 37. [Faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel, & Rex summus erit Dominus imperans, & non erunt vltra duæ gentes.] Quæ verba de Christo, & eius Ecclesia euidenter intelliguntur, vt ex toto contextu vsque ad finem capitis constat. Hoc autem Regnum Christi corporale, seu temporale non est, sed spirituale, & æternum, vt cap.4. diximus, & colligitur ex verbis eiusdem Ezechielis. [Saluos eos faciam de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt, &c.] & ex Ierem.23. [Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra, in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.] Et hoc ipsum confirmant alia testimonia ex scriptura, & Patribus dicto cap.4. adducta.

Ex quo vlteriùs concludimus hoc Regnum Christi non esse nisi Ecclesiam eius, in qua ipse spiritualiter regnat. Vt dixit Greg. lib.1. in 1. Reg. in vltimis verbis, & August. tract.115. in Ioan. [Quod est Regnum eius, nisi credentes in eum? Quibus dicit de mundo non estis.] Et infrà. [Vnde non ait, Regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo, nec dicit, non est hic, sed non est hinc. Hic est enim vsque ad finem seculi.] Ergo sicut Regnum spirituale est, ita per spiritualem potestatem Regi debet. Hoc autem Regnum perpetuum est, non solùm in cœlo, sed etiam in terra, quamdiu mundus durabit, vt ex Augustino retuli, & in libro etiam primo tractando de Ecclesia ostendi, ergo etiam potestas spiritualis ad regendum illud ita est à Christo huic Ecclesiæ concessa, vt in ea perpetuo duret, quia non potest Regnum sine potestate gubernatiee illi proportionata conseruari. Vnde rectè dixit Epiphan, hæres 29. [Thronus Dauid, & Regia sedes, est Sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem Regiam, simulque Pontificiam simul coniunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno Dauid non deficiente in æternum.] Et infrà. [A domo carnali Iuda, & Israel Regia dignitas translata est, firmiter autem sedet thronus in sancta Dei Ecclesia in æternum.]

Ad hanc autem rationem tacitè respondet Rex Iacobus in præfat. pag.57. his verbis. [Nec si Regna terrestria à Monarchis terrestribus regi debent, ideò Ecclesiam sequitur à terrestri quoque Monarcha debere gubernari.] Cur autem non sequatur, duas rationes indicat. Prior est, [Quia neque vnus est aliquis totius Orbis, Regnorumque omnium moderator, ac Monarcha.] Altera est, [quia Christus Ecclesiæ suæ Monarcha est, Christique vices explet, quem venturum promiserat Spiritus sanctus,] & hic illud adiungit, [Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.] Sed in his verbis attingit Rex, aliam quæstionem de Monarchia infra tractandam, quæ diuersa est à præsenti. Nunc enim solùm tractamus de spirituali potestate suprema ad regendum Regnum Christi, quod est Eccle-

sia,

ſia, neceſſaria, & hanc dicimus eſſe debere in ipſa Eccleſia, prout in terris verſatur, ſiue ſit in vna perſona, ſiue in multis, ſeu in congregatione ex illis compoſita, quod poſtea videbimus. Verba autem Regis eo tendunt, vt nulla ſit neceſſaria in hoc Regno Chriſti poteſtas, quæ vices Chriſti gerat, vt maximè patet ex poſteriori ratione, quam de munere Spiritus ſancti affert, ideoque hic prætermitti non potuerunt.

Circa primam ergo æquiparationem ſpiritualis Regni Eccleſiæ cum Regno terreno dicimus, ſi cum proportione fiat comparatio, non minùs eſſe neceſſarium, in Eccleſia ſupremum aliquem gubernatorem terreſtrem, id eſt viſibilem hominem, & mortalem quam ſit in Regno terreſtri. Quia Eccleſia Chriſti vniuerſa non minùs eſt vna, ſeu Regnum vnum in ſuo ordine, quam ſit Regnum quodlibet temporale in ſuo. Et licèt Eccleſia quoad finem, & præcipua media ſpirituale Regnum ſit, nihilominus, quoad perſonas ex quibus conſtat, etiam eſt terreſtris, & actiones, in quibus regi, vel dirigi, & corrigi debet, terreſtres etiam ſunt, id eſt, externæ, & ſenſibiles, & illis mediantibus, ſeruanda eſt pax, vnitas, religio, & cætera omnia, quæ ad conuenientem huius corporis gubernationem ſunt neceſſaria; ergò non minùs eſt in hoc Regno neceſſaria poteſtas ſuprema, quæ humano & ſenſibili modo membra eius, & actiones eorum in ordine ad æternam ſalutem dirigat, & gubernet. Et ideò rectè Bonifac. 2. epiſt. 1. & Gregor. lib. 4. epiſtolar. cap. 96. alias ep. 52. indict. 3. de eadem Eccleſia loquentes dixerunt. [Ad hoc diuinæ diſpenſationis prouiſio gradus diuerſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt vna concordiæ fieret ex diuerſitate contexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas poterat alia ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret.] Quia verò in hac graduum diuerſitate, & ordine in infinitum procedi non poteſt, nec in eis eſſe diuiſio, ideò neceſſe eſt, in aliquo ſupremo capite vniri, ſeu terminari, vnde ſubiungit Gregor. [Tunc vnum quodque ſalubriter impletur officium, cùm fuerit vnus, ad quem poſſit recurri, præpoſitus.] Quod profectò ſicut in vnaquaque congregatiune ſpirituali, ſeu Eccleſiaſtica, & in vnoquoque Epiſcopatu, vel particulari Eccleſia, ſeu Prouincia verum eſt, ita in vniuerſali Eccleſia multò maiori ratione eſt neceſſarium. Et ideò dixit Anaſtaſius Papa in Apologet. aduerſus Anaſtaſium Imperatorem, [Si omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quæ rebus eſt præſtituta diuinis,] quam nos nunc ſpiritualem poteſtatem vocamus. Optima ergo eſt illatio, quàm Rex improbat, ſi terrenum Regnum à terreſtre Monarcha regi debet, etiam Eccleſia ſuum Monarcham, ſeu ſupremum gubernatorem in terris habere, neceſſarium fuit.

Prior autem Regis ratio non ſolùm hoc non expugnat, ſeu potiùs comprobat, ſi alia diuerſitas inter Eccleſiam, & totum Orbem quoad Regna terrena conſideretur. Nam in vniuerſo Orbe terrarum non eſt vna tantùm Reſpublica, vel vnum temporale Regnum, ſed varia, & plurima, quæ inter ſe non componunt vnum politicum corpus, & ideò neque vnus Monarcha, neque (generalius loquendo) vna præfectura, vel vnum ſupremum tribunal politicum, & humanum pro toto vniuerſo eſſe oportuit. Immò neque moraliter, vel humano modo potuit. At verò Eccleſia Chriſti eſt vnum corpus myſticum perfectum, & vnum (vt ſic dicam) ſimplex Regnum per vniuerſum Orbem diffuſum, vt in lib. 1. tractando de Eccleſia Catholica dictum eſt. Et ideò vna ſuprema poteſtas, quæ toti illi præſit, neceſſaria eſt. Quo circa ſi ſupponamus Eccleſiæ regimen eſſe Monarchicum, vt infrà oſtendetur, comparatio eius cum temporali Regno non eſt cum vniuerſo Orbe facienda, ſed cùm ſingulis Orbis Regnis, ita vt ſicut vnumquodque Regnum temporale ab vno Monarcha terreno regitur, terreno, inquam, quoad perſonam, quoad Poteſtatem, quoad materiam, & proximum finem, ita totum Eccleſiæ Regnum ab vno regatur Monarcha, terreno quidem quoad perſonam, cœleſte, verò quoad poteſtatem, & materiam & proximum, ac principalem finem. Hac enim ratione Chriſti Eccleſia militans, licèt terrenum Regnum dici poſſit, propterea, quod ex mortalibus hominibus in terra degentibus conſtat, nihilominus in Scriptura ſæpe Regnum Cœlorum appellatur, & Chriſtus de illo dixit, [Regnum meum non eſt hinc,] Vbi Auguſtin. notat, non dixiſſe, non eſt hic, quia re vera in hoc mundo eſt, ſed non eſt hinc, quia licèt ſit in mundo, non eſt de mundo, ſed de Cœlo venit, ideòque tale Regnum gubernatore indiget terreſtri ſimul, & cœleſti.

Ad alteram rationem concedimus quidem, Chriſtum Dominum eſſe Principem Eccleſiæ ſuæ Monarcham. Ideòque quamdiu in terris deguit, & cùm Apoſtolis ſuis conuerſatus eſt, illam per ſe ipſum tamquam ſupremus illius Rex, & Pontifex gubernauit, Apoſtolos elegit, Sacerdotes, & Epiſcopos conſecrauit, & ad prædicandum miſit, eiſque diſcipulos adiunxit, & pro illius temporis, & ſtatus Eccleſiæ opportunitate cætera neceſſaria prouidit. Quia verò nunc eſt abſens ab Eccleſia militante quoad viſibilem præſentiam, ideò non poteſt ſicut antea, per ſe, ac proximè paſtoris munus Eccleſiæ præſtare, & idcirco ad compenſandam viſibilem præſentiam ſuam Vicarium, ſeu Præfectum prouidit, cui Eccleſiæ ſuæ regimen commiſit. Quod quidem non negat Rex Angliæ, ſed (quod mirabile eſt) ait, hunc Vicarium eſſe Spiritum ſanctum, quia ad dirigendos, & docendos Apoſtolos non Petrum, ait, ſed Spiritum ſanctum ſe relicturum Chriſtus pollicitus eſt. Sed hoc, vel non propriè, vel non verè neque ad rem, & cauſam, de qua tractamus dictum eſt. Scio quidem Tertullianum aliquando vocaſſe Spiritum ſanctum Chriſti Vicarium, libro de præſcriptionibus hæreticor. cap. 13. & 28. impropria tamen, & metaphorica loquutione, ſolùm quia Chriſtus dixit Ioann. 14. [Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis.] Et infrà. [Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis

vobis omnia, quæcumque dixero vobis.] Per quæ verba promittit Christus Spiritum sanctum, qui internam virturem illustrationem, & suggestionem per gratiam suam fidelibus conferat.

Hæc autem operario non potest Spiritui sancto attribui tamquam Vicario alterius, si proprietas verbi seruetur. Quia Vicarius propriè est alterius principalis auctoris minister, qui vices eius gerit, & eius potestate sibi commissa vtitur; at verò Spiritus interiùs docet, & inspirat tamquam principalis, & proxima causa gratiæ, & internæ virtutis, quomodò Paulus dixit: [Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.] Non potest ergo in proprietate sermonis Spiritus sanctus dici Vicarius Christi. Lato autem, & improprio modo Tertullianus ita loquutus est, quia Spiritus sanctus missus fuit, vt loco Christi Apostolos consolaretur, & doceret, vel explicaret multa, quæ pro temporis breuitate, & opportunitate Christus ipse vel tradere non potuerat, vel non oportuerat. Vnde dixit: [Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis;] ac si diceret, in me habebatis consolatorem, quamvis autem discedam, eo non carebitis, nam Pater alium dabit vobis, qui loco mei vos consoletur. Et in eodem sensu (vt Euthymius significat) dixit, de Spiritu sancto, [quem mittet Pater in nomine meo;] idest, vt ea perficiat, quæ Ego incœpi, suggerendo, & declarando vobis, quę docui, & addendo, quæ non potestis portare modo, & testimonium de me perhibendo. Hac ergo ratione dici aliquo modo potest Spiritus sanctus vices Christi gessisse, seu expleuisse, non per vicariam, aut ministerialem virtutem, quod inferioris esset, sed vt principalis causa perficiens, quod Christus absoluere in breui tempore vitæ suæ non potuit. Vnde hoc modo quicumque alteri in officio succedit, vel perficit, quod alter inchoauit, & perficere non potuit, dici potest vices eius supplere, etiamsi vicarius eius propriè non sit, nec per potestatem inferiorem, & participatam, & ab altero dependentem operetur.

Quòd si hoc tantùm modo Rex Angliæ intellexit, Spiritum sanctum vices Christi expleuisse, immeritò sentit, illam Spiritus sancti operationem sufficere ad externum, & hominibus accommodatum Ecclesiæ regimen, quia illa virtus, & operatio Spiritus sanctus inuisibilis est, & merè spiritualis, ac interna, homines autem indigent etiam externo, & visibili rectore. Deinde si ille inuisibilis influxus Spiritus sancti sufficiens esset pro Ecclesia visibili, non tantum Spiritus sanctus, sed etiam Christus ipse absens, & nunc nobis inuisibilis dici posset sui ipsius præsentis, seu visibilis Vicarius, quia de se etiam promisit: [Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi,] vtique inuisibili protectione, & auxilio, vt in superioribus explicaui. Præterea si Christus, quia est principalis Monarcha Ecclesiæ, illi non contulit rectorem visibilem, qui loco ipsius eam gubernaret, cur Rex Angliæ in sua præfatione, se, & alios Reges Vicarios Dei appellat? nam (iuxta suam opinionem, qua se credit esse caput Ecclesiæ in Regno suo, etiam in spiritualibus) necesse est, vt cum se appellat Vicarium Dei, intelligat, non solùm quoad Regnum temporale, sed etiam quoad Ecclesiam Britannicam; ergo repugnat sibi ipsi, cùm dicit Christum non reliquisse Vicarium sui præter Spiritum sanctum.

Denique falsum est, Christum non promisisse Petrum, qui alios dirigeret, aut doceret, non enim solùm promisit, sed etiam dedit, nam promittendo ei claues, & clauem regiminis, & clauem scientiæ promisit. Item quando illi dixit: [Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,] statim addidit: [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ac denique cùm illi dixit: [Pasce oues meas,] & doctrinam, & regimen, seu directionem manifestè comprehendit, vt infra videbimus. Et vltra hæc in multis alijs locis significauit Christus futuram esse in Ecclesia præfecturam spiritualem, & aliquem, vel aliquos ministros suos, qui tamquam proprij, & visibiles Vicarij vicem eius gerant. Ita intelligunt Patres illud Luc. 10. [Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.] Ambrosius ibidem, & Hylarius can. 27. in Matth. Idem colligit Chrysostomus lib. 2. de Sacerdot. ex Lucæ 12. Nam cùm Christus sub parabola patris-familias, qui vult magna vigilantia, & sollicitudine à suis subditis expectari, & obediri, declarasset, quomodo sit Domino seruiendum, Petrus eum interrogauit: [Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?] Respondit autem Christus: [Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens?] significans, Apostolos specialiter vocatos fuisse, vt essent tamquā præcipui serui, quibus aliorum cura demandanda erat; & præcipuè Petrum, qui super totam familiam Christi erat constituendus, non solùm ad communem vigilantiam, sed etiam ad specialem fidelitatem, & prudentiam obligari. Quam curam, & obligationem commemorabat Petrus, cùm dicebat: [Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum.] Et consonant verba Pauli 1. Corinth. 4. [Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei; hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis, quis inueniatur, &c.] Et cap. 3. dixerat: [Quid igitur est Apollo, quid verò Paulus? ministri eius, cui credidistis,] idest, Vicarij eius, & loco illius Ecclesiam regentes; & ad Roman. 13. temporalem Principem, vel Iudicem Dei ministrum appellauit.

Nam quod illud ministerium Apostolicum fuerit etiam cum potestate, & iurisdictione ad ferendum iudicium, satis declarat idem Paulus in fine dict. cap. 4. dicens; [Quid vultis? in virga veniam ad vos?] Et cap. 5. [Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est in nomine Domini Nostri Iesu Christi, &c. tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fiat, &c.] Et 2. ad Corinth. 13. [Si venero iterum, non parcam, &c.] Et expressè ad Hebræos 13. [Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis, ipsi enim peruigilant, &c.] Et 1. ad Timot. 5. [Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur.] Et ad Titum 1. [Oportet, Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, &c.] Et cap. 2. [Hæc loquere, & exhorta-

horta-

hortare, & argue cum omni imperio.] Denique huc spectant loca Pauli, in quibus describit vnitatem corporis Ecclesiæ, & varia membra eius, vt ad Roman.12. vbi inter alia ait: [Qui præest in sollicitudine;] & 1.ad Cor.12. & ad Ephes.4. vbi ponit,] Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.] Quem modum gubernationis dicit esse duraturum, [vsque ad consumationem Sanctorum:] idest, vsque ad Mundi finem, vt in superioribus explicatum est.

Atque ex his constat manifestè, hanc potestatem spiritualem esse omninò distinctam à temporali. Primò quidem, & principaliter in fine; nam temporalis potestas ordinatur ad seruandam reipublicæ pacem, & moralem honestatem, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 2. [Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.] Potestas autem Ecclesiastica ad æternam salutem consequendam ordinatur, iuxta illud Pauli ad Ephes.4. [Ad consumationem Sanctorum,&c.] Et illud ad Hebr.13. [Obedite Præpositis vestris, ipsi enim peruigilant tamquam rationem pro animabus vestris reddituri.] Alia differentia est in origine, quia potestas temporalis trahit originem à Deo auctore naturæ media ratione naturali, & ita per se spectata est de iure naturali: prout verò est in Rege, vel Senatu, est de iure humano: potestas autem Ecclesiastica est de iure Diuino positiuo, & speciali promissione, & concessione Christi: [Tibi dabo claues. Pasce oues meas. Sicut misit Me Pater, & Ego mitto vos.] Sicut enim huis, ad quem ordinatur hæc potestas, & actus, ac media, quæ illi subsunt, sunt supra naturam, & vires humanas, ita & potestatem ipsam habere originem supra ius naturæ, vel humanum necesse est. Et ideò tandem hæ potestates differunt tamquam materialis, & spiritualis, naturalis, & supernaturalis, terrestris, & cælestis. Atque ita explicant distinctionem hanc Gelasius Papa de vinculo anathematis, & Nicolaus I. in epistola ad Michaelem Imperatorem circa finem, dicens: [Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in Inferno demergi, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus.] Easdem differentias attingit Gregorius VII. libro 4. epistolarum epistola 2. ad Hedimanum, easque ex Anastasio Papa in epistola ad Anastasium Imperatorem; & Gregorius in Pastorali confirmat. Idem docet Symmachus in apologia contra eumdem Anastasium Imperatorem, dicens: [Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille humanarum rerum curam gerit, iste Diuinarum.] Et infrà: [Tu humana administras, ille tibi Diuina dispensat.] Idem Symmachus in Synodo Romana, & refertur latè in cap. Bene quidem dist. 96. & plura alia in duobus capitibus sequentibus referemus.

Neque huic doctrinæ Catholicæ obstant fundamenta aliorum errorum, quæ in alijs hæresibus fundantur, quas non possumus hoc loco ex professo refutare. In fundamento ergo primi erroris hæreticum est dicere, non esse in Ecclesia Christi verum, & visibile sacrificium, aut verum, & proprium Sacerdotium. Et similiter hæreticum est dicere, omnes Fideles esse in Sacerdotio æquales, quæ omnia alibi sunt à nobis disputata, & probata. Marsilius etiam Paduanus in fide errat, dùm supponit, omnes Clericos, seu Sacerdores, & Episcopos iure Diuino esse æquales. Nam quoad potestatem Ordinis ex institutione Christi Episcopus excedit Presbyterum, & Presbyter Diaconum, &c. vt in tract. de Sacramento Ordinis latè ostenditur. In potestate autem iurisdictionis est de Apostolis certissima differentia, quæ ex adductis testimonijs facilè colligi potest, & quoad Petrum, & successores eius latè in sequentibus ostendetur. Præterea, quod ait Christum prohibuisse Pontificibus temporaliter regnare, in primis omninò falsum est, & erroneum, vt cap.8. ostendemus. Deinde ad id, quod nunc agimus, nihil refert, quia etiamsi illud admitteretur; solùm inde posset inferri Episcopos, aut Pontifices per potestatem, quam habent, vt tales sunt, non temporaliter regnare, sed spiritualiter, quod nos omninò contendimus, cùm dicimus, potestatem illorum non temporalem esse, sed spiritualem.

Et hoc ad summum probat testimonium illud: [Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic;] (quod etiam Rex Angliæ non omisit) nam etiam in illo sensu non prohibet Christus Apostolis regnare, sed sic regnare sicut Reges gentium, idest, temporaliter, necesse autem est, vt spiritualiter regnent saltèm illi, qui supremam in illo ordine potestatem habent. Nisi velimus dicere, etiam Summum Pontificem non tam propriè regnare spiritualiter, quàm vice regnare, quia non tamquam supremus Rex, sed tamquam Vicarius summi Regis Ecclesiæ præest. Veritas autem est, non prohibuisse Dominum regnare, sed gubernare dominando personis, per elationem se illis præferendo, aut inhumaniter subditos tractando, vt dixit Gregor. in Pastoral. par.2. cap.6. qui verba Christi exponit per illa Ecclesiast. 32. [Ducem te constituerunt, aliàs, Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.] Et per illa 1. Petri 5. [Non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.] Et per illa Pauli 2. ad Corinth. 1. [Non quia dominemur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri.] Et similia habet Gregor. 36. Moral. cap.19. aliàs 21. & lib.1. Registri, & Bernard. lib. 2. de considerat. in principio. Et ita per hæc etiam responsum est ad fundamenta, quæ in hoc puncto attingit Rex Angliæ, ad alia verò, quæ obijcit contra primatum Pontificis, & contra verum sensum Scripturarum, quibus ille probatur, in sequentibus dicendum est.

CAP.

CAP. VII.

Potestatem regendi Ecclesiam in spiritualibus, seu Ecclesiasticis rebus, in temporalibus Regibus, seu Principibus non existere auctoritate probatur.

PRæter differentias inter potestatem spiritualem, & temporalem in præcedenti capite traditas intercedit alia, quam quia origo est, & præcipuum Anglicani schismatis fundamentum, in hoc caput examinandam reseruauimus, quatenus ex principijs positis in præcedenti capite manifestè concludatur. Consistit autem hoc discrimen in hoc, quòd potentia temporalis, & spiritualis per se non respiciunt easdem personas, quibus conuenire debeant, sed potiùs sunt subiecto separabiles, quod planè supponit distinctionem inter illas, & eam indicat. Duobus autem modis extremè contrarijs circa discrimen hoc errari potest. Primò, asserendo, potestates has non solùm esse distinctas, sed etiã esse adeò repugnantes, vt in eadem persona coniungi, Diuino iuri contrarium sit. Et ita videtur errasse Marsilius de Padua, quamquam ille vel spiritualem potestatem cum temporali confundat, vel non in quocumque subiecto, sed solùm in Sacerdotibus neget, posse simul conuenire. Veruntamen hic error hoc sensu intellectus fundamentum non habet, & in capite sequenti breuiter impugnabitur, quoniam ad præsens institutum parum refert. Alius ergo modus errandi est proprius Anglicanæ sectæ, cuius principium, & fundamentum est, potestatem spiritualem non separari à temporali, sed Regio sceptro esse annexam. Ita voluit Henricus VIII. quem successores eius Eduardus, & Elisabetha sequuti sunt, vt latè refert Sander. in tribus primis libris de Schismate Anglicano, vbi etiam varias leges ad huius potestatis amplificationem in illo Regno à dictis Principibus latas describit.

Denique in hoc errore persistit Rex Iacobus, vt ex factis eius satis constat, & in Præfatione sua sæpè profitetur, præsertim pag. 5. præfationis, dicens, [Nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credam.] Et in eodem sensu dicit pag. 2. de temporalibus Regibus, [quos Deus in altissimo dignitatis gradu quasi suos Vicarios, & Legatos ad exercenda iudicia in suo solio collocauit.] Et iterum ad Reges pag. 10. [Quos Deus præcipuus sibi in terris Vicarios in administratione iustitiæ esse iussit.] Et in eodem sensu dicit pag. 14. controuersiam, quam cum suis subditis Catholicis habet, non aliunde esse motam, [quàm ab ambitiosa Pontificum tyrannide, quam illi contra auctoritatem Scripturarum, contra Conciliorum, antiquorumque Patrum mentem, sibi in temporalia Regum iura iniustè vsurparunt.] Tandemque ibidem concludit, in hac Regum auctoritate asserenda (vtique in hoc sensu) totam suam Apologiam impendisse. Huius autem erroris fundamentum solum videtur esse, quia non agnoscit distinctionem inter potestatem spiritualem, & temporalem, & quia negat primatum Petri, & successorum eius, de quibus in sequentibus capitibus dicemus.

Veritas ergo catholica est, Reges temporales, vt tales sunt, seu ratione suæ iurisdictionis supremæ in Principatu politico nullam habere in Ecclesia spiritualem potestatem. Hæc assertio probari potest auctoritate Scripturæ duobus modis. Primò quia in testamento nouo hæc potestas promissa, & data est à Christo illis personis, qui Reges temporales non erant. Secundo quia non inuenitur data Regibus temporalibus, & ex vtroque capite tam sigillatim, quam simul sumpto rectè concluditur, non esse in Regibus temporalibus, quia non potest esse nisi in illis, quibus à Christo data est, & eorum legitimis successoribus. Prior pars sufficienter probatur testimonijs adductis capite præcedenti, quibus constat, Christum singulariter promisisse, & dedisse hanc potestatem Petro. Deindè aliunde etiam monstratur dedisse illam omnibus Apostolis Ioan. 20. quibus, & successoribus eorum nomine Ecclesiæ eam promiserat, Matth. 18. Alia etiam testimonia ostendunt, Paulum sæpè esse vsum hac potestate, eamque in Episcopis, & Ecclesiæ Præpositis inueniri, & ab eisdem exerceri, nullus autem istorum Rex erat, aut iurisdictionem temporalem administrabat. Vndè etiam sumitur efficacissimum argumentum: nam priùs quàm in Ecclesia essent Reges temporales, erant in Ecclesia Pastores eum vera iurisdictione spirituali ad regendam Ecclesiam, vt ex vsu eiusdem potestatis, & ex allegatis testimonijs manifestè colligitur, ergo potestas hæc de se non pendet ex Regia potestate, neque cum illa ex vi illius coniuncta est: nunc enim Reges temporales illam non habebant, neque ab eis illam receperant, qui legitimè illa vtebantur.

Et hinc etiam apertè probatur ex Scripturis (quod etiam capite superiori attigimus) hanc potestatem alterius esse originis, quam temporalem: nam temporalis potestas prout inuenitur in Rege, vel alia simili persona; vel proximè, vel per successionem, aut alium humanum titulum, prouenit à multitudine populi, qui suam auctoritatem Principi contulit, hæc autem potestas illam originem non habuit: nam in primitiua Ecclesia Apostoli illam habuerunt, non à populo Christiano, sed ab ipso Christo, & alijs Episcopis illam communicarunt auctoritate sua, & independenter à populo, vt patet ex illo Pauli ad Titum 1. [Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.] Et 1. ad Timot. 4. [Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem, &c.] Et cap. 5. ostendit fuisse cum iurisdictione Episcopali, dicens, [Aduersùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus, &c.] Cùm ergo ex præcedentibus capitibus constet, totam potestatem Regiam à populo proximè manasse, consequens profectò est, vt ex vi Regiæ potestatis nulla sit in Rege spiritualis iurisdictio, vel potestas.

Tan-

Tandem altera probatio ab auctoritate, quam vocant, negatiua Scripturæ, in præsenti efficax est ex eodem principio, & fundamento. Nam, vt rectè dixit Diuus Thom. par.1.qu.101.art.1. [In his, quæ sunt supra naturam soli auctoritati creditur,] & par.3. qu.1. art.3. [quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus diuinitùs reuelata sunt;] sed spiritualis potestas Ecclesiæ donum est superans naturam, & ex diuina voluntate, & institutione pendet tam vt sit, quàm vt in tali persona, vel per talem modum, aut successionem sit. Nulla est autem diuina reuelatio, vel auctoritas, quę ostendat, Christum potestatem hanc Regibus temporalibus dedisse; ergo vt Diuus Thomas supra dicit, [Vbi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ conditionem.] Quæ quidem conditio naturæ in præsenti est, vt temporalis Rex solum eam potestatem habeat, quam homines naturali ratione ducti illi conferre potuerunt, ac subinde nudam, ac præcisam habeat temporalem potestatem. Quòd autem diuina auctoritas maiori potestati Regum testimonium non præbeat, manifestum est. Nam in primis extra Scripturam aduersarij non admittunt verbum Dei, & quamuis admitterent, nulla est sacra, seu Apostolica traditio, quæ talem potestatem in Regibus indicet, sed contrarium potiùs, vt ex discursu huius capitis, & totius libri præsentis constabit. De Scriptura verò sufficienter id probamus postulando testimonium, vbi Christus hanc potestatem Regibus contulerit, quod sine dubio ostendi non poterit, neque in veteri, neque in nouo Testamento. Nam testimonia, quæ afferri solent, in quibus Regibus obedire præcipimur, friuola sunt, cùm nihil de noua potestate à Christo Regibus concessa contineant, sed illius tantum obligationis naturalis nos moneant, qua Regibus in his, quæ ad eorum iurisdictionem pertinent, præcipientibus obedire tenemur, vt latiùs inferius respondendo ad obiectiones declarabimus. Hic verò ponderari potest, Paulum, vbicunque Ecclesiasticam hierarchiam describit, eiusque fundamenta, structuram, ministeria, & gubernationes distinguit, numerare quidem Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores, Regum autem, & Imperatorum nullam facere mentionem, non quia illi non essent in Ecclesia futuri, sed quia quod ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ spectat, illi proprium gradum non constituunt, sed cum laico populo computantur, nec inter eos, qui ad ædificandum in rebus spiritualibus Christi corpus vsque ad consummationem Sanctorum positi sunt; sed inter eos, quid ædificandi sunt, & consummandi tantum recensentur. Denique expendi potest, quod Christus Dominus interrogatus, an liceret censum dare Cæsari, accuratè respondit, [Reddite quæ sunt Cœsaris Cœsari, & quæ sunt Dei Deo,] indicans profectò, Cœsari, idest, Imperatori, vel Regi solum illud esse reddendum, quod ex vi Cœsareæ, seu Regiæ potestatis debetur. Christus ergo vt grauiter Salmeron notauit, sicut potestatem Regiam non abstulit, ita neque illam auxit, neque peculiare ius pascendi oues suas ei commisit. Addit etiam Chrysost. homil.71.in Matth. [Cum audis reddenda esse Cœsari, quæ sua sunt, illa solum dici non dubita, quæ pietati, ac religioni nihil officiunt, nam quod fidei, ac virtuti obest, non Cœsaris, sed diaboli tributum, ac vectigal est.] Clarius Ambrosius in epistola 14. alias 33. ad Marcellinam Sororem, [Allegatur (ait) Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, sed si vis diuinitus imperare, esto Deo subditus, scriptum est. Quæ Dei Deo, quæ Cœsaris Cœsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia, publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.]

Tertiò probanda est assertio Pontificum, & iuris canonici testimonijs, quæ licet in propria causa dari videantur, maximam etiam in illa auctoritatem habent, tum propter clauem scientiæ, quam habent ad docendam Ecclesiam, tum etiam, quia certam, & immutatam Ecclesiæ traditionem ostendunt. Non enim soli moderni, sed etiam antiquissimi Pontifices, Sancti, & Martyres huic veritati testimonium præbuerunt. Primoque possemus afferre omnia, quæ de primatu Romanæ Ecclesiæ scripserunt, sed hæc posteà commemoranda sunt, & ideò nunc tantum ea afferemus, in quibus vtramque potestatem inter se conferunt, vel in quibus obedientiam etiam ab Imperatoribus, & Regibus exigunt, quod, si in principibus temporalibus esset suprema spiritualis potestas facere non possent. Huiusmodi est illud Anastasij II. Pontificis ad Anastasium Imperatorem. [Illud verò pecularius pro amore Imperij vestri, & beatitudine, quæ consequi poterit regnum pro Apostolico officio prædicamus, vt sicut decet, & Spiritus sanctus dictat, monitis nostris obedientia præbeatur.] Et infrà. [Hæc me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos tuos habens Domini in Euangelio verba: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit.] Et Gelasius Papa in epist. 10. ad eumdem Anastasium, eamdem potestatem sibi, & non Imperatori conuenire constantissimè docet, vbi inter alia habet illa verba: [Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, & cæt.] Et Symmachus Papa, ad eumdem Imperatorem. [Si Christianus Princeps es, qualiscumque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire.] Et infrà. [Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, &c.] Et infrà. [Si omnis potestas à Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta diuinis; defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te.] Vbi apertè negat potestatem spiritualem esse in Imperatore, sed in Pontifice, & postea subdit. [Omnes catholici Principes siue cum imperij gubernacula susceperunt, siue cum Apostolicæ Sedi nouos agnouerunt Præsules institutos, ad eam procinus sua scripta miserunt, vt se docerent, eius esse consortes.] Quod scripsit Symmachus ante mille centum annos, & vsque ad nostra tempora seruatum videmus.

Præterea hoc confirmat definitio eiusdem Symmachi Papę in Concilio Romano 3. [Non licere laicis, quamuis religiosis, vel potentibus in quacumque ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur.] Quæ ratio, & definitio in quacumque causa Ecclesiastica locum habet. Multa etiam ad hanc veritatem confirmandam congerit Gratian. dist. 96. Et præsertim eam late confirmant Nicolaus Papa in epist. ad Michaelem Imperatorem, vbi inter alia multa inquit. [Cùm ad verum ventum est, (idest, ad euangelicam veritatem) neque Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit, quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores, pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices, pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus legibus vterentur.] Idem tradit latè Gregorius VII. in epist. ad Herimannum Metensem Episcopum lib. 4. epist. 2. & in alia ad eumdem lib. 8. epist. 21. vbi dictis, & factis aliorum Pontificum, & Imperatorum, eamdem veritatem confirmat. Item Innocentius III. cap. Solitæ, Imperatorem ait, in temporalibus, Pontificem autem in spiritualibus antecellere. Et Bonifacius VIII. in Extrauag. vnic. de maiorit. & obed. dicit, in Ecclesia esse gladium spiritualem manu Sacerdotis exercendum, & gladium temporalem manu laicorum pro Ecclesia, & ad nutum, & patientiam Sacerdotis exequendum. Quod tacitè confirmat Clemens V. in Extrauag. Meruit, de Priuileg. licèt declaret, per Extrauagantem Bonifacij Regem, aut regnum Galliæ non magis esse subiectum Apostolicæ Sedi, quàm anteà esset. Denique hoc confirmat quod Gratian. dist. 63. cap. 1. refert ex Adriano Papa, [Vt laici Principes, vel Potentes non intersint Ecclesiasticis electionibus, quia in Ecclesiasticis rebus nullam habent potestatem.] Habeturque in Concilio Constantinopolitano 4. aliàs Synodo 8. cap. 22. vbi etiam cap. 12. non solum negatur Principibus temporalibus potestas creandi Episcopos, sed etiam deponendus dicitur, qui per eorum tyrannidem fuerit intrusus. Item in 7. Synodo cap. 3. irrita dicitur electio Episcopi à Principe temporali facta, refertur à Gratiano supradicta dist. 63. cap. Omnis. Sic etiam dixit Innocentius III. in cap. Ecclesiæ, de Constitut. [Laicis super Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis nulla esse attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.] Et similia habet in cap. Tua, 1. de Decimis. Quæ sumpta sunt ex Concil. 4. sub Symmacho III. Multaque alia iura canonica possent afferri, in quibus exemptio causarum Ecclesiasticarum à potestate laicorum præscribitur: in illis enim supponitur, non esse in Magistratibus temporalibus spiritualem potestatem, sed illa omnia in librum de immunitate Ecclesiastica reseruamus.

His testimonijs adiungi possunt aliorum Patrum sententiæ, qui licèt Summi Pontifices non fuerint, Episcopi tamen, Archiepiscopi, & Patriarchæ, aut Sancti Ecclesiæ Doctores, & in prioribus Ecclesiæ seculis fuerunt. Inter quos egregiè Chrys. Homil. 4. & 5. de Verbis Isaiæ inter alia multa dixit, [Quamquam admirandus videtur thronus Regius, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis.] Et homil. 88. in Matth. ad Diaconum dicit. [Maiorem illo (idest, seculari Principe) potestatem habes,] vtique in Ecclesiastica administratione. Idem plura in lib. 3. de Sacerdotio. Et Cyrillus Hierosolym. [Nonne, inquit, habet Ecclesia vitulum, & leonem simul pascentes sicut ad hodiernum vsque diem cernimus munda nos Principes regi, & institui ab Ecclesiasticis.] Vbi alludit ad locum Isaiæ. 95. [Lupus, & agnus pascentur simul, Leo, & bos comedent paleas,] & sub verbo pascendi duo illa includit, regi, & institui. Cyrillus etiam Alexand. in epist. 31. ad Ioann. & Synodum Antiochenam, & refertur in Synodo Ephesina tom. 5. cap. 9. in fine, vbi admonet Episcopos, vt audiant eos, qui alios de hæresi accusare volunt, ne apud extera tribunalia tumultuentur, & subdit. [Est autem multò meliùs, ac iustiùs, vt Ecclesiasticæ quæstiones in Ecclesijs agitentur, ac formentur, & non apud alios externos, quibus sanè huiusmodi causarum tractatio prorsus non conuenit.

Celebris etiam est sententia Nazianz. orat. 17. ad ciues graui timore perculsos, vbi postquàm ad subditos concionem habuerat, subiungit: [Quid autem vos Principes, & Præfecti? ad vos enim iam nostra se conuertit oratio. Et infrà. An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque lex Christi imperio meo, ac throno subijcit, imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius, nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere.] In quibus verbis illa præcipuè pondero. [Lex Christi subijcit.] Ex quibus constat iuxta sententiam Nazianzeni, institutionem hanc, & potestatum distinctionem diuinam esse, & ex lege Christi. Multaque similia ex eodem sumi possunt Orat. 1. quæ est Apologia pro absentia sua, & ex Orat. 27. circa finem. Optimè etiam Damascen. Orat. 1. de Imaginib. circa finem. [Neque enim, ait, piorum est Regum Ecclesiastica statuta conuellere. Et infrà. His de rebus statuere, atque decernere non ad Reges pertinet &c. [Et Orat. 2. parum à principio.] Regum, inquit, partes non sunt, vt Ecclesiæ leges præscribant;] quòd confirmat testimonijs Pauli 2. ad Corinth. 12, & ad Hebr. 13. suprà tractatis. Et apud Theodoretum lib. 4. Histor. cap. 16. est egregia sententia Eulogij Presbyteri, qui cum à præfecto Imperatoris Valentis hæretici moneretur;] Communica cum Imperatore. Ait Theodoretus, dissimulanter, sed valdè facete respondit. Numquid cum imperio est etiam sacerdotij dignitatem consecutus?] Cùmque Præfectus ironia cognita in iram prouocaretur, ipse iterum respondit, se habere Pastorem, cuius nutum sequeretur. Simile factum narrat Suidas verbo, Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus.

Cùm

Cùm enim Constantius in Conuentu Episcoporum præsideret, & multa præscriberet, alij annuentibus, ipse tacebat, cumque ab Imperatore interrogaretur, cur taceret, respondit.] Miror qui fiat, vt alijs curandis destinatus, alia tractes, quid cum rei militari, & reipublicæ præsis, Episcopis ea præscribas, quæ ad solos pertinent Episcopos.]

Ambrosius præterea in epist. superiùs allegata ad sororem Marcellinam 14. aliàs 33. expresse negat, Imperatorem in ea, quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Idemque latè, & constantissimè docet in Orat. seu concion. 1. contra Auxentium, vbi inter alia inquit, [Scitis & vos ipsi, quòd Imperatoribus soleam deferre, non cedere, supplicijs me libenter offerre, non metuere, quæ parantur. Et infrà. Respondi ego, quod sacerdotis est, quod Imperatoris est, faciat Imperator.] Et infra de Arianis, qui ab Imperatore petebant Ecclesiam, inquit. [Videte quantò peiores Ariani sunt, quàm Iudæi illi quærebant, vtrum soluendum putaret Cæsari ius tributi, isti Imperatori volunt dare ius Ecclesiæ. Et infrà. Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est; bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ita constanter exponimus. In Actis etiam Concil. Aquileiensis cum Palladius hæreticus damnationem Episcoporum fugiens ad præsentes laicos prouocaret, sic respondit Ambros. [Sacerdotes laicos iudicare debent, non laici de Sacerdotibus. Et infrà. Et si in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, vt videatur, qui Sacerdotium sibi vendicat, à laicis esse damnatus. Ac per hoc quoniam & in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant iudicare, eum pronuncio sacerdotio indignum.

Confirmat optimè veritatem hanc Athanasius referens priùs, & commendans verba Hosij ad Constantium in epist. ad solitariam vitam agentes, [Desine quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem iudicij, serua te in illam diem purum, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit; & quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu Thymiamatum, & sacrorum potestatem habes Imperator.] Et inferius sic ex propria sententia Scribit Athanasius. [Si istud est iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? sin contra ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis, quando à condito æuo auditum est, quando iudicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit?] Vocat autem titulo Episcopos, quos Constantius sua auctoritate creauerat, qui titulo tenus, vt infrà dicit, erant Episcopi, non veritate, quod mirùm in modum in Episcopos Anglicanos conuenit. Denique Augustin. in epist. 48. & 162. donatistas reprehendit, quòd in causa Ecclesiastica ab Episcoporum iudicio ad Constantinum Imperatorem appellare ausi fuerint, [Neque ausus est, inquit, Christianus Imperator sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicarit. Et infrà. Qua in re illos quemadmodum detestetur audistis.] Et quoniam Constantinus tandem hæreticorum importunitate victus sententiam dixit, eum tacitè excusat Augustin. dicens, [Eis ipse cessit, vt de illa causa post Episcopos iudicaret, à Sanctis Antistitibus posteà veniam petiturus, dum tamen illi, quod vlteriùs dicerent, non haberent, &c.] Et consonat quod eadem de causa refert Optatus Mileuitan. lib. 1. contra Parmenian. circa finem. [Donatus, inquit, appellandum esse ab Episcopis credidit,] ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit: [O rabida furoris audacia, sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.]

His addere possumus ipsorummet Imperatorum confessiones, seu testimonia. Iustinianus enim Imperator in Authent. [Quomodò oporteat Episcopos, &c. in principio sic ait, Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei à superna collata clementia, sacerdotium, & imperium: illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, aut diligentiam exhibens, ex vno, eodemque principio vtraque procedentia, humanam exornant vitam.] Intellexit ergo Iustinianus Imperator, non habere Imperatorem spiritualem potestatem circa res diuinas. Idemque sensisse Constantinum Magnum, qui iudicium inter Episcopos in Nicæno Concilio recusauit, agnoscens, & ad se non pertinere, dicens, [Deus vos constituit sacerdotes, & nobis à Deo dari estis iudices, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solum, de quo scriptum est, Deus stetit in synagoga Deorum in medio autem Deos diiudicat,] refert Ruffin. lib. 1. Histor. additæ ad Euseb. cap. 2. Et Adrian. Papa in epist. ad Michael. Imperatorem vbi etiam refert Theodosium in epist. ad Synodum Ephesinam scribentem, [illicitum est, eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.] Refert etiam Sozomenus lib. 6. histor. cap. 7. cum Episcopi quidam legatum ad Valentinianum Imperatorem mitterent, potestatem petentes ad conueniendum in Concilio pro rebus fidei, ipsum respondisse, [Sibi, qui vnus è laicorum numero erat, non licere se eiusmodi rebus interponere, quod etiam refert Nicephor. lib. 11. cap. 40. Atque de eodem Valentinian. refert Sozomenus lib. 6. histor. cap. 21. [piè admodum in Deum affectum fuisse adeò, vt neque sacerdotibus quidquam imperare, neque nouare aliquid in institutis Ecclesiæ, quod sibi deterius videretur, vel melius, omninò aggrederetur, nam quamuis esset optimus sane Imperator, & ad res agendas valdè accommodatus, tamen hæc suum iudicium longè superare existimauit.] Et in historia tripartita lib. 7. cap. 8. de eodem Valentinia-

uo refertur, cum Mediolani mortuo Auxentio hæretico, ordinari cuperet Episcopum Catholicum, ad Episcopos dixit, [Nostis apertè, eruditi quippe diuinis eloquijs, qualem oporteat esse Pontificem. Et infrà. Talem itaque in Pontificali constituite sede, cui & nos, qui gubernamus imperium syncere nostra capita submittamus, & eius monita, dum tamquam homines deliquerimus, necessario velut curantis medicamenta suscipiamus. Cumque Episcopi peterent, vt ipse decerneret tamquam pius, & sapiens, respondit ille, [Super vos est talis electio.] Extat præterea inter epistolas Innocentij 1. quædam Honorij Augusti ad Arcadium, in qua scribens in causa Chrysostomi, ait, [Cùm, siquid de causa religionis inter Antistites ageretur, Episcopale oportuerit esse iudicium, ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.] Et infrà. Rebus denique ipsis docetur, quid de his senserit diuina maiestas, &c.] Denique inter Acta octauę Synodi generalis refertur à Surio oratio Basilij Imperatoris, in qua piè admodum, & fideliter ad laicos loquitur. [De vobis quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo vobis licèt de Ecclesiasticis causis sermonem habere. Hæc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi, atque soluendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claues, non nostrum, qui pasci debemus, &c.] quæ latè, & sapienter, ac piè prosequitur.

CAP. VIII.

Eadem veritas rationibus confirmatur.

CVm Catholica veritas sufficienter auctoritate fundata sit, ratione ex eisdem principijs facilè potest demonstrari. Quia potestas regendi in nullo homine inueniri potest sine iusto titulo, ex quo principio suprà probauimus, in Pontifice non esse directam temporalem potestatem supremam; ex eodem ergo planè conuincitur, in temporali Rege non esse potestatem ad spirituale Regimen. Vnde qui primum libenter audiunt, necesse est, vt secundum admittant, nisi velint ad libitum voluntatis suæ sine ratione loqui: Quia multò minùs inuenitur iustus titulus spiritualis potestatis in temporali Principe, quàm temporalis potestatis in spirituali pastore. Assumptum autem principium probatur breuiter, quia vel titulus ille esset iuris naturalis, vel positiui diuini, vel humani; hæc autem omnia facilè ex dictis excluduntur. Nam de iure naturali esse non potest, tum quia potestas ipsa naturalis non est, vt iam est probatum, tum etiam quia nulla potestas dominandi, vel regendi alios est in particulari persona immediatè ex iure naturali, sed in communitate: hæc autem potestas spiritualis non est in communitate humana tamquam ab illa naturaliter fluens, neque prout est in particulari persona, proximè fundari potest in voluntate eiusdem communitatis, tamquam conferentis, seu transferentis in alium talem potestatem, quia est longè altioris ordinis: ergo non potest esse in Rege de iure naturali. Et eadem ratione conuincitur, non esse ex iure humano, quod in solo naturali fundetur, vel ab illo ducat originem, quale est ius gentium, vel ciuile, quia si ius ipsum naturale non attingit talem potestatem, multò minùs alia inferiora iura, quæ in illo fundantur.

De iure autem diuino res est manifesta ex dictis, quia tale ius auctoritate diuina probandum est: nulla est autem auctoritas, non solùm diuina, verùm nec probabilis humana, quæ tale ius Regibus datum esse ostendat. Imò licèt interdùm possit ratione suaderi, aliquid esse de iure diuino, oportet, vt ex principijs reuelatis sufficienter colligatur, vel saltem, vt supposita institutione Ecclesiæ, magis consentaneum diuinæ prouidentiæ ostendatur. Nihil autem horum in præsenti interuenit, quia nullum est reuelatum principium, ex quo talis potestas spiritualis in Regibus verisimiliter comprobetur, quin potiùs omnia principia reuelata illi dogmati repugnant vt ostensum est. Ac denique omnis ratio conuenientiæ prouidentiæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ ostendit, non debuisse cœlestem hanc potestatem temporalibus Regibus committi, tum quia temporalibus curis, & negotijs secularibus sunt implicatissimi, tum etiam quia literis sacris, & diuinæ scientiæ vacare non possunt, quæ tamen doctrina maximè necessaria est in Ecclesiasticis Pastoribus. Propter quod Paulus dicebat Timotheo, [Attende tibi, & doctrinæ.] Vbi etiam indicat aliam rationem, quia cùm hæc potestas ad spiritualem finem, & salutem animarum conferatur, requirit in eo, cui confertur, statum vitæ spiritualis, & perfectæ, vt possit non minùs verbo, & exemplo, quam potestate subditis prodesse. Reges autem temporales moraliter loquendo, & ex vi status hoc vitæ genus non habent, vel profitentur, & ideò ad hoc munus apti non erant. Denique ob hanc causam in Ecclesia Christi cum Regno non est per se coniunctum sacerdotium; non enim assumpti sunt Reges, vt pro hominibus constituantur in ijs, quæ sunt ad Deum: ergo eadem ratione neque regimini spirituali apti erant. Atque hinc consequenter excluditur omnis titulus fundatus in iure canonico, tum quia ius canonicum à iure positiuo diuino deriuatur, tum etiam quia rationes factæ non minùs in illo procedunt; tum denique quia ostensum est, ius canonicum tali Regum præsumptioni omninò repugnare. Atque hic discursus euidentior fiet vt ex capite sequenti, in quo quàm sint leuia, quæ Rex sui iuris adducit fundamenta, ostendemus.

Aliam rationem in hunc modum formare possumus, quia si potestas spiritualis esset in temporalibus Regibus, tot essent in Ecclesia supremi Principes spirituales, quot sunt supremi Principes temporales, quod & absurdum est, & principijs fidei multum repugnat. Consequutio manifesta est. Primò quia si potestas regendi Ecclesiam in spiritualibus intrinsecè coniuncta est cum potestate Regia; ergo non reducitur in superius principium infra Deum, neque ab alia mortali potestate pen-

pendet. Secundò, quia non est maior ratio, cur vnus Rex alteri in spiritualibus subdatur, quàm è contrario. Sed fortè Protestantes Anglicani, non solùm hoc concedunt, verùm etiam præcipuè intendunt. Neque existimant esse vllum inconueniens, quia non admittunt plura capita in spiritualibus totius Ecclesiæ vniuersalis, sed plurium particularium Ecclesiarum, quæ sunt in diuersis Regnis tamquam partes Ecclesiæ vniuersalis, atque ita similiter habere poterunt plura capita partialia. Quam verò hoc sit absurdum, & monstruosum in Ecclesia Christi militante in hoc Mundo, facilè intelliget, qui ea scripturis consideraverit, Ecclesiam Christi, esse vnum Corpus mysticum perfectissimè institutum. Nam tale Corpus requirit vnam supremam potestatem, quæ supra omnia membra eius efficaciam habeat, siue illa potestas sit in vna persona vera, siue in vna congregatione (quod postea videbimus) quia sine tali potestate non potest esse debita vnio, & conformitas inter membra talis corporis.

Dicent fortasse satis esse, quod omnes Ecclesiæ particulares in vno capite Christi vniantur. Sed contra hoc est, quia Ecclesia militans, vt est in hoc Mundo, est vnum spirituale Regnum, & Corpus mysticum perfectè vnum in suo genere; ergo requirit etiam in hoc Mundo vnum supremum Tribunal, sub quo gubernetur, aliàs non potest dici habere vnitatem, prout in hoc Mundo versatur. Quod declaratur à simili, nam plura Regna, quæ sub diuersis Regibus, aut Imperatoribus militant, non sunt vnum Regnum, vel Imperium, quia non habent vnum supremum regimen in terris, quamuis omnia vniantur in vno Rege Deo, qui est supremus Rex etiam temporalis omnium Regum. Vnde ex illa sententia sequitur apertè plures Ecclesias, quæ sunt in Mundo, non magis constituere vniuersalem Ecclesiam, quæ sit propriè vna, quàm plura temporalia Regna sine vna Respublica temporalis, vel vnum Imperium, aut Regnum. Et declaratur ampliùs alio exemplo accommodato; nam si in diuersis Prouincijs versentur duo exercitus Regis Hispaniæ, sub duobus Ducibus supremis, & inter se nullo modo subordinatis, non possunt dici esse vnus exercitus, etiam si in eodem Rege remotè vniantur, & ab eo alterius rationis influxum recipiant. Ita ergo dicendum esset de diuersis Regnis quatenus sunt Ecclesiæ distinctæ, si sub supremis Capitibus Ecclesiasticis militarent.

Accedit tandem, quòd vnitas Ecclesiæ sine vnitate fidei, & sacramentorum conseruari non potest: hæc autem vnitas fidei in diuersis Regnis, & Prouincijs conseruari non posset sine magno miraculo, si partes Ecclesiæ, & capita earum in terris essent inter se omninò diuisa, & sine subordinatione ad aliquam supremam potestatem, cui omnes in terris obedire teneantur. Nam hoc satis ostendit experientia, hinc enim orta sunt omnia schismata, & Ecclesiarum diuisiones. Et ratio est clara, quia si duo Reges temporales sunt supremi in spiritualibus, & vnus eligat in suo Regno talem modum Religionis, & alius alium; vnus vnam fidem sun indicio ex Scriptura sumat, alius contrariam, quomodo poterunt ad vnitatem reduci? Atque hinc eandem concluditur, moraliter fieri non posse, vt duæ Ecclesiæ supremæ, idest, non recognoscentes in spiritualibus superiorem in terris, sint vnitæ etiam in Christo, quia non vniuntur Christo, nisi per veram fidem, ac subinde per vnam, & eamdem fidem, quia vera fides non est, nisi vna, sed tales Ecclesiæ non possent in vna fide conseruari: vt ostensum est: ergo neque vnionem in Christo retinere possent.

Dices, discursum hunc eodem modo procedere de Episcopis, vel Apostolis, etiamsi in eis dicatur esse suprema potestas spiritualis. Respondeo, verum esse, etiam illos reducendos esse ad vnum supremum Caput, vt possit Ecclesiæ vnitas conseruari. Quod autem, & quale sit hoc Caput, infrà videbimus: nam ex vi prædicti discursus solùm sequitur debere esse vnum, siue illud sit vnus Episcopus, siue vna Episcoporum congregatio. Instabis: similiter ab Anglicanis dici posse, quòd licet Rex temporalis sit etiam in suo Regno supremus in spiritualibus, comparatione facta ad quamcumque aliam singularem personam: nihilominus possit ex omnibus Regibus Christianis Concilium, seu Conuentus congregari, in quo sit spiritualis potestas superior singulis Regibus, cuius auctoritate possit vnitas Ecclesiæ conseruari. A qua responsione non videtur alienus Rex Angliæ: nam & auctoritatem legitimi Concilij recognoscere videtur, quandoquidem primis quatuor Concilijs fidem adhibet, & quod iam in vsu non sine conqueritur, Regibusque potestatem illa congregandi, & non Pontifici conuenire contendit.

Verumtamen euasio hæc non solùm rem non expedit, sed potiùs magis inuoluit. Nam in primis si ante illius Concilij, vel Conuentus conuocationem nullus Rex habet superiorem in spiritualibus, quis habebit potestatem illud congregandi? nam si aliqui repugnent, nemo illos cogere poterit. Quòd si etiam Episcopi conuocandi sint, nullus Rex poterit Episcopos sibi non subditos ad conueniendum compellere, vel authenticè vocare: erit ergo res moraliter impossibilis, & ab Auctore Ecclesiæ insufficienter prouisa. Sicut in rebus politicis si ad disponendum ea, quæ ad bonum regimen totius vniuersi sunt necessaria, oporteret Reges omnes, & Principes supremos in temporalibus ad comitia conuenire, profectò impossibilis esset talis conuocatio, & ab omni prudente prouidentia aliena. Deinde quis futurus esset præsidens in tali Conuentu, nullus enim alteri cedere volet, cùm sit æquè supremus, & præsertim si agendum esset de rebus fidei, nam si in illis inter se dissentirent, vnusquisque potiùs suo spiritui, quàm aliorum opinionibus credendum putaret. Præsertim si vera esset Regis Angliæ regula, qua propriam vniuscuiusque scientiam pro fundamento suæ fidei omnibus Regibus proponit.

Præterquàm quod admisso illo monstruoso Conuentu, vel Concilio, si illud esset supra singulos Reges, iam nullus temporalis Rex esset supremus in spiritualibus, prout Rex Angliæ pertinaciter contendit. Et ideò existimo mentem illius non esse admittere potesta-

ſtatem alicuius Concilij tamquam ſuperiorem, ſed ſolùm deſtruire ad quamdam prudeutem conſultationem, & magis publicam rerum examinarionem. Ideò enim de ipſis Concilijs conſtanter non loquitur, ſed quæ vult, approbat, & quæ non plarrnt, reijcir, iudicem ſe illorum conſtiruens. Imò in quodam loco Præfationis ſuo arbitrio diſcernir inter connocandos ad Concilium generale, ſi nunc congregandum eſſet,

Tandem, ſi Reges ſupremi in temporalibus habent etiam in ſuis Regnis ſpiritualem poteſtatem ſupremam reſpectu aliorum Regum, nullum relinquitur fundamentum ad aſſerendum, congregationem talium Regum habere in Eccleſia poteſtatem ſupra toram ipſam, & ſupra omnes Principes eius. Quia ex ſola rei natura hoc non ſequitur, neque affirmari poteſt. Sicut in temporalibus, licèt congregatio Rrgum fieret, non haberet ſupremam iuriſdictionem ſupra ſingulos illorum, niſi ſponte vnuſquiſque renunciaret iuri ſuo, mutando priùs regimen, & ex pluribus Monarchijs vnam Ariſtocratiam conſtituendo, quod volunrarium eſſet, & cogitatione potiùs confictum, quàm in re ſubſiſtens. Idem ergo erit in poteſtate ſpirituali, ſi ex natura rei eſſet cum temporali coniuncta. Quòd ſi quis fingat, Chriſtum ex peculiari inſtitutione voluiſſe ſingulos Reges eſſe in ſpiritualibus ſubiectos ipſorum congregationi, oportet, vt veſtigium aliquod huius inſtitutionis oſtendat. Eò vel maximè quód omnia, quæ contra poteſtatem ſingulorum Regum diximus, æquè contra quamcumque multitudinem, ſeu congregationem illorum procedunt. Eſt ergo commentitia, & planè monſtruoſa hæc ſpiritualis poreſtas ſuprema temporalium Principum, quomodocumque fingatur, aut cogitetur.

Tertiam denique rationem ab incommodis conficere poſſumus: nam in primis ex tali poſitione ſequirur, poſſe Reges Chriſtianos, ſi velint, per ſe ipſos omnes actiones proprias Sacerdotum, & Epiſcoporum exercere, quales ſunt offerre Deo ſacrificium, vel (ſi hoc non admittunt) miniſtrare Sacramenta, ligare per excommunicationes, & cenſuras, & abſoluere ab eis, aut à peccatis, & alia, quæ ad publicum Dei cultum pertinent. Hæc autem inaudita ſunt in Eccleſia Chriſti; imò etiam in Iudæorum Synagoga dictum eſt Regi, [Non eſt officij tui Ozia, vt adoleas incenſum Domino,] & quia non ceſſauit, percuſſus eſt lepra. Quod non minùs habere locum in Rege Chriſtiano rectè docuit Chryſoſt. Homil. 5. de Verbis Iſaiæ. Et præterea ſi Rex temporalis eo ipſo, quòd eſt Rex, poteſt has actiones per ſe ipſum legirimè adminiſtrare, licebit etiam mulieri eaſdem per ſe exercere, nam eſt capax Regiæ poteſtatis, & eam illa, iuxtà Proteſtantium opinionem, camdem ſupremam poteſtatem ſpiritualem habet. At Paulus mulieres in Eccleſia nec loqui permittit, nedum actiones ſacras exercere, ſed iubet tacere, & ſubditas eſſe.

Poſſunt verò aduerſarij, diſtinguendo inter actiones, quæ poteſtatem ordinis requirunt, vel ſolam iuriſdictionem, reſpondere, poſſe Regem omnem actum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ per ſe exercere, & ad hoc habere ſupremam poteſtatem; idque ſatis eſſe, vt Primatum in ſpiritualibus habeat, etiamſi actiones alias, quæ poteſtatem ordinis requirunt, per ſe non valeat exercere. Sed hoc in primis alienum eſt ab inſtitutione Chriſti: nam ipſe per illos voluit Eccleſiam regi, quos principales miniſtros verbi Dei, & ſacramentorum eſſe voluit, nimirùm per Epiſcopos, in quibus poteſtas ordinis per excellentiam exiſtit. Deinde ſatis abſurdum eſt, vt ſupremus Eccleſiæ gubernator non poſſit exercere præcipuos actus tam ad diuinum cultum, quàm ad ſanctificationem fidelium ordinatos. In Rrpublica enim ciuili nihil efficere poſſunt inferiores magiſtratus in ordine ad finem ſuæ poteſtatis, quod non poſſit Rex, aut Imperator altiori poteſtate in ordine ad eumdem finem præſtare: ergo multò magis in Chriſtiana Republica, cùm poteſtas Eccleſiaſtica ſiue ordinis, ſiue iuriſdictionis ad ſpiritualem finem, & ſanctificationem animarum referatur: ita debuerunt illæ duæ poteſtates inter ſe ordinari, & inſtitui, vt in ſupremo Principe Eccleſiæ cum omni perfectione, & excellentia coniungerentur, ideòque nihil poſſit per inferiores fieri, quod non poſſit à ſuperiori, vel ſupremo perfici, quantum eſt ex vi poteſtatis.

Poſſumus etiam Proteſtantes ex ipſorum principijs conuincere. Nam apud illos poteſtas ordinis nihil eſt, niſi deputatio miniſtrorum à Rrge, vel Magiſtratu temporali facta. Nam ſi fortaſſe in Anglia, vt ferunt, aliæ cerrmoniæ in conſtituendis Miniſtris adhibentur, non reputantur neceſſariæ, nec à Chriſto inſtitutæ, ſed propter quemdam ornatum exteriorem humano arbitrio excogitatæ, aut ſeruatæ. Ergo ſine illis poſſet Rex miniſtros ad eaſdem actiones inſtituere; ergo multò magis poſſet per ſe ipſum omnes illas actiones exercere. Idemque Regina Eliſabetha ex vi eiuſdem dignitatis potuiſſet, eademque ratione fœminas poſſet in miniſtros Eccleſiæ ſuæ conſtituere. Quis enim credat fœminam poſſe eſſe caput Eccleſiæ, & non miniſtrum? Abſit autem ab Eccleſia Chriſti tam abſurda gubernatio, & hierarchia.

Quin potiùs ſi ſuprema ſpiritualis iuriſdictio temporalem conſequitur, & poteſtatem ordinis nullo modo poſtulat, profectò etiam in Rege Ethnico eſſe poterit ſupra omnem Eccleſiam ditionis ſuæ, quia tam perfectam poteſtatem iuriſdictionis habet, ſicut Rex Chriſtianus, & ex Scriptura non magis probari poteſt, ad vſum talis iuriſdictionis eſſe neceſſarium baptiſmum, quàm Epiſcopatum, ſeu clericalem ordinem. Et declaratur hoc ampliùs: nam in Eccleſia Romana, Conſtantinus v.g. priùs quàm ad fidem conuerteretur, habebat ſupremam poteſtatem temporalem: vel ergo iam etiam habebat ſpiritualem, & ſic admittitur inconueniens illatum, quo nihil poteſt eſſe abſurdius: vel ſi Conſtantinus illam non habebat, profectò apud Silueſtrum erat; ergo etiam poſt baptizatum Conſtantinum eamdem poteſtatem Silueſter retinuit, non Conſtantinus. Quis enim illam tranſmutationem, ſeu tranſlationem poteſtatis à Silueſtro in Conſtantinum effecerit? aut quo verbo Dei factum eſt, vt Conſtantinus per ſolum baptiſmum ex oue factus ſit Paſtor, &

ex

ex spirituali filio in supremum parentem, & gubernatorem transierit? Sunt profectò hæc incredibilia, & absurda. Quòd si Constantinus baptizatus solam potestatem temporalem retinuit, eamdem profectò solam ad posteros transmisit, eademque in alios Reges, vel Principes, qui nunc extant, diuisa est. Vel si qui sunt alij Reges postea facti Christiani, inde non trahentes originem, eadem ratio ad illos cum proportione applicari potest. Et similimodo, si post baptismum Constantini Siluester in suo Pontificatu cum eadem spirituali potestate perseuerauit, eadem ad successores vsque ad hodiernum diem peruenit. Idemque est cum proportione de Anglia, & de quocumque Christiano Regno.

Aliud etiam absurdum inferre possumus. Nam si eum potestate suprema temporali coniuncta est similis potestas spiritualis, cur non similiter in quolibet inferiori Magistratu, vel Principe temporali, etiam si superiorem recognoscat, non est coniuncta vtraque potestas cum debita proportione, & subordinatione ad superiorem? Est enim eadem ratio, neque ex vi iuris naturalis discrimen constitui potest. Et Scriptura non magis dat spiritualem potestatem supremis Principibus, quam inferioribus. Vbi autem Scriptura de obedientia Principibus temporalibus debita loquitur, generaliter tam de Regibus, quàm de alijs Magistratibus loquitur. Sic enim illud Pauli intelligitur, [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,] ad Roman. 13. vt magis Petrus exposuit dicens, [Siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tamquam ab eo missis.] 1. Petr. 2. Si autem hoc absurdum concedatur, totam Hierarchiam Ecclesiasticam quoad regimen externæ gubernationis euerti necesse est. Nam vbi Rex temporaliter creditur supremus gubernator in spiritualibus, eo ipso Summus Pontifex inde excluditur; ergo si Præfectus Regius vnius ciuitatis ibi etiam habet spiritualem præfecturam, excludendus consequenter erit Episcopus à spirituali regimine, quia non possunt esse duo capita eiusdem ordinis, seu iurisdictionis; ergo cum proportione, seu à fortiori excludentur omnes alij Præfecti, seu Ecclesiastici Gubernatores, & ita velit, nolit Rex Angliæ, in Puritanorum Anarchiam, quod attinet ad regimen Ecclesiasticum, incidemus.

Responderi potest, non esse eamdem rationem de supremo Rege, & inferioribus Magistratibus, quia Rex per se, & quasi ex necessitate habet vtramque potestatem coniunctam; inferiores verò à Rege habent suam potestatem, & ideò potest Rex sua voluntate illas potestates diuidere, & temporalem communicare Præfecto ciuili, spiritualem autem Episcopo. Sed in primis hoc totum non transcendit voluntatem, & institutionem humanam, quam Rex suo etiam arbitrio poterit mutare, sicut illam constituit; ergo potest totam Hierarchiam Ecclesiasticam euertere quoad Ecclesiæ regimen. Deinde Rex in sua opinione non consequenter loquitur, si hoc concedat, iam enim admittit potestates spiritualem, & temporalem esse distinctas, & subiecto separabiles, & per suam voluntatem separatas; cur ergo non erunt etiam separabiles, vel etiam separatæ in vtriusque ordinis capite, aut quo titulo ostendere potest, se vtramque potestatem habere?

Alia etiam ratione non potest hoc constare cum dictis Regis: nam ipse reprehendit Bellarminum eo, quòd negauerit, Episcopos immediatè à Deo suam potestatem accepisse: sentit ergo ipse, Episcopos immediatè à Deo iurisdictionẽ suam habere. Quomodo ergo potest nunc dicere, se illis dare iurisdictionem, & in voluntate sua esse positũ, illam non ipsis, sed suis Magistratibus temporalibus conferre? Nisi fortè se ipsum faciat iure etiam diuino superiorem. Deinde Rex Angliæ in eodem loco fatetur, se à Puritanis dissentire circa iurisdictionem Episcoporum, Puritani autem affirmant iurisdictionem Ecclesiasticam conferri à Magisteatu temporali; ergo si Rex dicit, se conferre iurisdictionem Episcopis, non differt à Puritanis in puncto iurisdictionem Episcupis, non difert à Puritanis in puncto iurisdictionis Episcopalis, quidquid de differentia in ordinis dignitate sentenciat. Vt ergo gubernatio Ecclesiæ per Episcopos, & non per temporales Magistratus firma, & stabilis sit, hanc institutionem esse diuinam, & iurisdictionem etiam Episcoporum à Christo descendere, siue mediante Papa, Bellarminus probabilius sentit, siue immediate, vt alij etiam Catholici probabiliter volunt. Ad præsentem enim causam non refert: nam quomodocunque sit à Christo per positiuam institutionem, non potest esse à temporali Rege, neque ab illo per se dependere, & consequenter non potest Regia potestas esse directè, ac per se supra Episcopalem, ac subinde neque suprema in latitudine Ecclesiasticę iurisdictionis. Quam repugnantiam in dictis, & opinionibus suis ductus, fortasse spiritu contradicendi Bellarmino, Rex non considerauit, cùm tamen satis clara sit, vt in sequenti capite iterum declarabimus.

CAP. IX.

Soluuntur aliqua obiectrones contra veritatem in superioribus capitibus probatam.

MVlta sunt, quibus Rex Angliæ suadere conatur, iusto titulo spiritualem potestatem, & supremi capitis, seu gubernatoris spiritualis nomen in regno suo sibi arrogare, & omnia, quæ adducit, obiectiones sunt contra veritatem à nobis probatam, quas, licèt difficiles non sint, prætermittere non possumus, vt omnibus satisfaciamus. Quia verò plures illarum ex factis Regum, vel Imperatorum sumuntur, & ad præsens punctum non pertinent, vt clariùs singulæ suis locis propositæ percipiantur, oportet hìc tres quæstiones distinguere. Vna est, quam nunc tractamus, an spiritualis potestas sit in Principe necessariò coniuncta cum potestate temporali. Altera est, supponendo, has potestates esse in diuersis personis, an sit vna altera superior, & quæ illa sit, de quo puncto à capite 21. dicturi sumus. Tertia est generalis quæstio de exemptione clericorum à

potestare temporali etiam in causis ciuilibus, criminalibus, & triburis, que sine dubio est longe diuersa ab alijs duabus & ex alijs principijs in libro sequenti tractanda. Igitur si quæ sunt exempla, aut facta Catholicorum Principum, quæ contra iurisdictionem Ecclesiasticam obijci aliquo modo possint ad quæstionem tertiam de immunitare clericorum maximè pertinet, vt ibi videbimus, & pauca etiã circa secundam quæstionem attingemus. In præsenti verò puncto vix credo, inuenietur ante Henricum VIII. exemplum Principis, vel solo nomine Christiani, licèt hæretici, qui ex vi propriæ, & innatæ potestatis actum iurisdictionis spiritualis vsurpare nedum supremam iurisdictionem, & primatum spiritualis potestatis sibi arrogarę tentauerit. Et ideò his exemplis omissis, breuiter alios titulos expendemus, quibus Rex ius suum firmare, aut apparenter defendere tentat.

Primus est, quia iure naturæ hæ duæ potestates coniunctæ sunt, Regia, & Sacerdotalis; ergo hoc ius naturæ manet integrum in lege gratiæ, quia gratia non destruit naturam, neque lex Christi data est ad tollendam legem naturæ, sed perficiendam. Assumptum probatur, quia ante legem Christi. & Moysi ius tantùm naturale obseruatum est; nam ideò tempus illud naturalis legis vocatur. In illo autem tempore ijdem erant Reges, & Sacerdotes, vt constat de Melchisedech, Abraham, Isac, Iacob, & generaliter ex recepta regula, quod eo tempore primogeniti, & regni hæredes erant simul Sacesdotes, vt sumitur ex Hieronym. epistol. 126. ad Euagri, & Ruperto lib. 5. in Genes. cap. 12. Vnde Paulus ad Hebre. 13. Esau prophanum vocat, eo quod primogenituram vendiderit, quæ sacra erat, ratione sacerdotij.

Hunc titulum non inuenio à Rege expresse positum, propter complementum autem doctrinæ, & quia Rex allegando in fauorem suum quædam testimonia noui testamenti, illum supponerè videtur, ommittendum, non duxi, quamuis re vera friuolus sit. Nam inprimis admissa illa antiquã consuetudine, quę non solùm inter fideles, sed etiam inter gentiles viguisse videtur, negamus, illam esse de iure naturali, id est lege naturali præceptam, licet mediante ratione, & voluntate humana à generalibus principijs iuris naturalis originem duxerit. Quia licet sacrificium sit aliquo modo de iure naturali, consequenter etiam sacerdotium, quod autem tali modo sit institutum, & his, vel illis personis attributum, non est iure naturæ præscriptum, sed iure aliquo positiuo definiri, necesse est. Et hoc modo ante legem Moysi, vel iure gentium, vel moribus populorum introductum est, vt dignitas sacerdotalis præcipua cum regali esset coniuncta. Qui mos sicut in lege veteri mutatus fuit, etiam in lege noua mutari potuit. Imò ita factum esse, & ad perfectionem legis gratiæ hoc pertinere, docuit Nicolaus Papa ad Nicolaum Imperatorem dicens. [Fuerunt hæc ante aduentum Christi, vt quidam typicè Reges simul, & sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedech fuisse, sacra prodit historia &c.] Et infra, [Sed cùm ad verum ventum est, eundem Regem, atque Pontificem vltra nec Imperator, nec Pontifex vsurpauit.]

Deinde si sermo sit de sacerdote quoad potestatem ordinis, manifesta est differentia, nam in lege naturæ non erat propria, & supernaturalis potestas ordinis, sed erat solùm ministerium sacrificandi, & intercedendi pro populo, ad quod poterat aliquis sua sponte, vel per consensum populi deputari, quia Deus eo tempore nihil in particulari de sacerdotio, vel sacrificio præscripserat, & sic Anacletus Papa epist. 2. negat Melchisedech, vel Abraham, vel alios illius temporis viros sacrificium obtulisse sacerdotali auctoritate, vtique à Deo peculiariter instituta. In lege autem veteri sicut determinauit Deus sacrificia, ita & sacerdotium, seu Pontificatum, absque interuentu populi, vel consensu eius. Quod etiam altiori, & excellentiori modo in noua lege Christus instituit. Si autem sit sermo de sacerdotio quoad potestatem iurisdictionis, supponit in primis illa obiectio vel falsum, vel valde incertum, nimirum, sacerdotem, vel Pontificem in lege naturę habuisse iurisdictionem spiritualem, quod vel falsum, vel incertum est. Quia talis potestas neque à Deo specialiter data est in illo statu, vt per se notum est, nec ex iure naturali potest hominibus conuenire quia potestas gubernatiua humana non trascendit ordinem humanum, & principaliter instituitur ad ordinandum homines adiuuicem, ita vt licet curam etiam habere possit diuini cultus, semper in modo, ac determinatione illius respiciat commune bonum reipublicæ humanæ, vt in simili dixit D. Tho. 1. 2. quæst. 99. art. 3. Quapropter non rectè fit comparatio inter legem naturæ, & gratiæ, quia in lege naturæ omnis potestas gubernatiua, sub temporali sufficienter comprehendebatur, nam illa eadem posset disponere de ijs, quæ pertinent ad cultum Dei, prout expediret communi bono humanæ reipublicæ, secus verò est in lege gratiæ, quæ est lex diuina, quæ principaliter ordinat homines ad Deum, & bonum ipsius reipublicę refert ad amicitiam hominum cum Deo. Ideòque sacerdotalis potestas in hac lege spiritualis est, & altioris ordinis, & non potest esse ab ipsis hominibus, vel eorum communitate, sed ab ipsomet Christo manare debuit, sicut de facto manauit, vt suprà ostensum est.

Dices, illud esse verum de hominibus tantùm, vt homines sunt, consideratis, sic enim manifestum est, in eis esse non posse nisi potestatem naturalem, secùs verò esse de hominibus Christianis, vt Christiani sunt. & vt componunt ciuitatem, non tantùm politicam, sed etiam Christianam. Nam sicut talis communitas fundatur in fide, & religione supernaturali, ita ex ea habet potestatem altioris ordinis connaturalem ipsi gratiæ ad disponendum ea, quæ spectant ad diuinum cultum consentaneè ad veram fidem, & amicitiam Dei; ergo talis censenda nunc est potestas ecclesiastica, & consequenter potuit à tota communitate Regi suo temporali conferri. Respondeo, antecedens potuisse habere locum, si Christus Dominus Ecclesiam suam, & regimen eius non instituisset peculiari modo, & longè excellentiori, quam

ex

ex sola rei natura possit esse in communitate hominum, etiam vt Christiani sunt. Nunc autem Christus sua peculiari institutione præuenit. (vt sic dicam) & sublimauit spirituale regimen Ecclesiæ. Primum instituendo illam, per modum vnius corporis mystici pec totum Orbem diffusi, in quo vnitas fidei, & concordia in substantiali ritu religionis ad Dei cultum, & sanctificationem hominum ordinato, conseruari posset; hoc autem sine suprema spirituali potestate fieri non posset: vt supra ostendi. Vniuersalis autem potestas supra vniuersum mundum non potuit ab ipsis hominibus vbique etiam dispersis procedere, debuit ergo esse à Christo. Item instituit Christus suam Ecclesiam, quæ in fide esset columna veritatis, & in moribus semper esset sancta, ideoque talem ei dedit potestatem spiritualem, vt per illam ad vtrumque finem rectè, & sine defectu substantiali posset dirigi, talis ergo potestas necessariò esse debet plus quàm humana. Denique ex sola rei natura, etiam si homines Ecclesiæ spectentur vt Christiani sunt, non esset necessarium regi per Episcopos, vel alios similes Pastores, quibus specialis cura animarum incumbat, nunc autem Ecclesia necessariò regi debet per Episcopos, & Sacerdotes, quorum institutio, & distinctio ex diuino iure sine dubitatione descendit; ergo potestas gubernatiua Ecclesiæ Christi in spiritualibus non est à populo Christiano etiam fide illuminato, sed est ab ipso Christo, vel immediatè, vel per participationem ab illo, cui Christus ipse immediatè illam communicauit.

Secunda obiectio sumitur ex aliquibus locis veteris testamenti, in quibus significatur, Pontifices legis veteris fuisse inferiores, & subiectos Regibus. Sed hanc obiectionem nunc omitto, quia quod ad præsentem locum spectat, manifestum est ex veteri testamento, pontificiam dignitatem, & potestatem regiam in diuersis fuisse personis, quod nunc autem tractamus. De comparatione autem harum potestatum infrà dicendum est, & ibi meliùs videbimus, an sit necessarium, eamdem habitudinem, seu relationem inferioris, & superioris habere, seu habuisse in vtraque lege, veteri scilicèt, & noua.

Est ergo tertia obiectio sumpta ex testimonijs noui Testamenti, in quibus præcipitur Christianis omnibus, Regibus temporalibus obedire, vt sunt in superioribus allegata, & à Rege accumulata in Apologia p.129. scilicèt, Roman. 13. 1. Petri 2. vbi Paulus præcipit orari pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, & illud Matth. 22. [Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.] & illud Ioan. 18. [Regnum meum non est de hoc Mundo,] & illud Luc. 12. [Quis me constituit Iudicem inter vos?] & illud Luc. 22. [Reges gentium dominantur eorum, &c.]

Sed nullum ex his testimonijs ad causam facit, & nonnulla illorum contra Regis intentionem probare possunt. Nam in primis in nullo illorum est sermo in particulari de spirituali potestate, neque in eis insinuatur, fuisse Regibus temporalibus concessam, aut quòd illis in materia talis potestatis præcipientibus obediendum sit. Cùm ergo Paulus inquit, [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,] generatìm loquitur de omnibus superioribus, vt ex tenore verborum constat. Vnde rectè intelligi possunt cum partitione accommoda, scilicèt, vnicuique in eo, quod superior est, obediendum esse ab ijs, qui ei sunt subiecti. Nam ita etiam inferiùs dicit, [Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui honorem, honorem; &c.] Est ergo generalis distributio singulis accommodanda iuxta mensuram potestatis, quæ autem hæc sit in singulis Potestatibus, ibi non explicatur. Demus autem ibi loqui Paulum in particulari de potestate temporali, de qua paulò post dicit, [Non sine causa gladium portat.] Quid aliud ex illo loco sic intellecto colligi potest, nisi obediendum esse Principibus temporalibus in his, quæ iustè, & rectè præcipiunt? quis autem hoc negat? aut quomodo inde colligi potest, etiam in spiritualibus, & ecclesiasticis esse illis parendum? Certè Paulus non tantùm de Principibus Christianis, sed etiam eo maximè tempore de Regibus ethnicis loquebatur, quibus tamquam Dominis temporalibus Christiani etiam obedire tenebantur, nec propterea prudens aliquis dicet, fuisse tunc illos capita Ecclesiarum in regnis suis. Omnia ergo, quæ ibi Paulus, & Petrus in sua epistola dicunt, ad eumdem sensum referuntur: nam vel intelliguntur respectiuè, vt vnicuique reddatur ius suum, vel obedientia debita, iuxta gradum potestatis suæ, vel si definitè de Dominis temporalibus intelligantur, etiam sunt in eorum foro, & materia intelligenda, prout ratio ipsa iustitiæ postulat, ibi enim Apostoli non condunt nouum ius, sed ius ipsum naturale obseruari præcipiunt. Simili enim modo seruos monent subditos esse Dominis, & mulieres subditas esse viris, &c.

Ad tertium autem testimonium fatemur, Paulum obsecrare, fieri orationes pro omnibus hominibus, & deindè in speciali addere, [pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus.] Quid verò hoc pertinet ad primatum spiritualem Regis temporalis? Numquid quia Reges in primo loco posuit, ideò dixit, illos esse capita Ecclesiarum in spiritualibus? Vana profectò est collectio, & longè aliam rationem reddit Chrysost. ibi Homil. 6. videlicèt, [ideò addidisse pro Regibus, quia neque tunc Reges Deum colebant, & multis postea tēporibus in infidelitate, quam per seriem successionis acceperant, persticerunt.] Et infrà. [Quoniam verò consequens esse cernebat, vt Christiani ad ista torpescerent, neque huiusmodi admitterent monita, siquidem pro gentili, & Sacramentorum tempore preces oporteret offerre, vide quid sequutus adiunxit, vt ex consideratione lucri admonitionem faciliùs, libentiùsque reciperent. Vt quietam (inquit) & tranquillam vitam agamus.] Ergo ex mente Chrysostomi non ideo designauit Reges, quia ipsi sint spiritualia capita Ecclesiarum, (quod maximè tunc esse non poterant, cùm essent gentiles) sed potiùs ne propter hanc causam fideles putarent, non esse pro eis publicè oran-

orandum. Neque Paulus dixit, [pro Regibus,] illam enim particulam, præcipuè, Rex de suo addidit, sed simpliciter loquutus est, ac si diceret, etiam Reges ethnicos sub omnibus comprehendi; nam licèt essent gentiles, orandum pro eis erat, vt ad fidem conuerterentur. Et hoc magis significauit Paulus in ratione quam subiunxit, [Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] Ac denique quamuis Paulus addidisset particulam, præcipuè, nihil referret, nam quia conuersio Regum, & difficilior erat, & ad commune bonum Ecclesiæ magis est necessaria, ideò etiam potuit specialiter, ac præcipuè commendari.

De verbis autem Christi [Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari] iam suprà ex mente Chrysostomi, Ambrosij, & Athanasij ostensum est, potiùs probare contrarium, scilicèt, Cæsari, id est, Regi temporali, reddenda esse, quæ sunt Cæsaris, id est temporalis potestatis, quæ præcisa responsio vim habet exclusiuæ, vt significauit Theophyl. dicens: [Iesus autem per hoc quod figuratum erat numisma imagine Cæsaris, persuadet illis debeti Cæsari, quæ eius sunt, hoc est, quæ habent eius imaginem, nam in corporalibus, & externis obediendum est Regi, in internis autem, & spiritualibus Deo,] vtique vel immediatè præcipienti, vel per Pastores suos iuxta verbum Pauli, [Obedite præpositis vestris, & subiacete eis,] ad Hebr. 13. de alijs etiam Christi verbis, [Regnum meum non est de hoc mundo,] dicimus etiam probare contrarium quod ex dictis non difficilè colligitur. Tria enim ex doctrina Augustini, & aliorum Patrum ex illis verbis adnotauimus, scilicèt, Christum habere Regnum, etiam in hoc Mundo, licèt non de hoc Mundo, vndè meritò colligimus, Reges huius Mundi, ex eo quod tales sint, non habere potestatem in Regno Christi, quatenùs altioris originis est, & non de hoc Mundo. Et pari consecutione inferimus, hoc regnum Christi non carere suis Gubernatoribus, qui licèt non sint Reges huius Mundi, idest temporales, sunt spirituales Pastores, & regale sacerdotium. Eademque ratio est de alijs verbis Christi, [Quis me constituit Iudicem, & diuisorem inter vos?] probant enim temporales causas per se non pertinere ad Christi regnum, seu Vicarium eius, vnde potiùs à contrario, seu à commutata proportione inferendum erat, causas spirituales ad temporalem Regem non pertinere. Denique idem dicimus de vltimis verbis, [Reges gentium dominantur eorum.] Nam Christus non addidit, Vos autem non gubernetis, vel non præcipiatis, aut corrigatis subditos, sed potiùs supponit, illos futuros fuisse Rectores, seu Pastores, & ideò dixit, [Vos autem non sic,] quasi supponendo regimen, & distinguendo illud à regno temporali, & modum diuersum in illo postulando, quem pluribus verbis declarauit Petrus priori epistol. cap. 5. vt in superioribus adnotatum est.

Quarta obiectio sumi potest ex nomine Vicarij Dei, quem Rex Angliæ cuiuis Regi temporali attribuit. Et ne videatur nouus loquendi modus, ante Iacobum illo vsus est Eduardus Rex Angliæ, vt ex suis legibus c. 19. relatum inuenio, qui tamen in numero Sanctorum ponitur. Possumusque idem confirmare auctoritate Augustini lib. Quæstionum veteris, & noui Testamenti p. 2. q. 91. vbi de Rege dicit, [Adoratur in terris quasi Vicarius Dei,] Eleutherius etiam in quadam epistola ad Lucium Britanniæ Regem, sic scripsisse fertur, [Suscepistis nuper miseratione diuina in regno Britanniæ legem, & fidem Christi, habetis vos in regno vestro vtramque paginam, ex illis Dei gratia per consilium regni vestri sumite legem, vos enim in regno vestro Vicarius estis.] Ergo præter hunc Vicarium non est alius necessarius, qui immediatè sub Deo sit, ac subindè in Rege est tota potestas Vicaria diuinæ potestatis, siue illa spiritualis sit, siue temporalis. Augereque possumus hanc obiectionem ex Isidoro lib. 3. Sententiar. seu de Summo bono cap. 49. dicente, [Dedit Deus Principibus præsulatum pro regimine populorum,] Præsulatus autem nomen est spiritualis potestatis: nam Præsul non dicitur, nisi qui spiritualibus præest.

Respondeo breuiter, consecutionem esse nullius momenti, quidquid de modo loquendi in antecedente sumpto sentiatur, de quo non est contendendum, quamuis ea, quæ pro illo allegantur apocrypha sint? Nam liber ille Quæstionum noui, & veteris Testamenti, iudicio omnium doctiorum, non est Augustini, quia nec stylus illius est, nec doctrina in multis locis est Augustiniana. Quamquam illa sententia benè explicata vera sit, Regem nimirùm, adorari, id est, coli, & venerari propter dignitatem, in qua Deum quodammodo repræsentat, cuius vicem gerit. Epistola etiam illa, quæ ex Eleutherio citatur, commentitia est, quia neque inter epistolas Pontificias, neque in tomis Conciliorũ, neque apud Catholicos auctores mentio illius inuenitur, sed ab aliquo hæretico conficta est, vt notauit Sander. lib. 5. de Claue Dauid. cap. 6. Et illamet verba, quæ ex illa referuntur, id satis ostendunt, est enim phrasis propria Nouatorum, & à Pontificibus Romanis prorsus aliena.

Non negamus autem posse Regem in bono, & sano sensu Vicarium Dei appellari: nam Paulus ad Rom. 14. Reges vocat Ministros Dei, quod perindè ferè est. Vndè Ambrosius ait, Principem [vicem Dei agere,] & ideò subiectionem esse illi seruandam. Idem autem est, vicem agere, quòd Vicarium esse. Hinc autem non rectè infertur, Reges esse Vicarios Dei in spiritualibus: nam Deus primarius Rex est, tam in regno temporali, quàm in spirituali Ecclesiæ, & in vtroque suos Vicarios posuit, in temporali, Reges, in spirituali, Episcopos, & præsertim Summum Pontificem. Vnde ex eo, quod Rex in vno regno Vicarius sit, malè infertur esse in vtroque. Nam etiam Reges gentiles, de quibus etiam Paulus loquebatur, sunt Ministri Dei, ac subindè Vicarij, non tamen in spiritualibus, sed in temporalibus tantùm. Idem ergo dicendum est de Regibus Christianis. Quamuis illi possint etiam dici peculiari titulo Vicarij Dei, ad defendendam Ecclesiam, & protegendum Prælatos, vt possint in pace, & cum fructu spiritualia ministrare. Et in hoc

sensu

sensu Sanctus Edaardus loquutus est. Isidorus autem lato quodam modo Præsulatum vocauit præfecturam, seu quameumque regendi potestatem, sicut etiam cap. 49. antecedente sub titulo de Prælatis ponit Reges, & quascumque sęculi potestates, non solùm fideles, sed etiam infideles. Vnde clarum est, non loqui de Prælatis in eo rigore, quo iam communi vsu vox illa pro Ecclesiastico Antistite sumitur, sed prout generaliter à verbo Præfero, deriuatur, & quemcumque superiorem, vel primarium Gubernatorem significare potest.

Quintò obijci possunt nonnulla Patrum testimonia, qui Regi, & Imperatori primatum tribuere solent. Sed ex his, quædam pertinent ad comparationem vtriusque iurisdictionis, quæ infrà, vt dixi, tractabuntur. Alia verò sunt huius loci propria, quia in eis videntur proprios actus spiritualis potestatis Regibus tribuere. Tales enim actus sunt, veritatem docere, errores depellere, & similes; & tamen Epiphan. hæres. 40. dicit, Reges datos esse, vt omnia ex Deo bene disponantur, & administrentur, [& ad bonam ordinationem terræ, vbi cædes, & pugnæ, ignorantiæque, ac doctrinæ bonæ, &c.] Significans hæc omnia cadere sub Regis curam. Et sic etiam Alcuin. in Præfat. ad libros de Trinit. ad Carolum dicit, Sapientiam illi datam esse, [vt regat, & doceat pia solicitudine subiectos.] Et infrà, ad illum pertinere ait, iusta decernere, rata præcipere, sancta admonere, vt quisque lætus cum perpetuæ salutis præcepto domum redeat.] Et infra subdit, [Principem populi Christiani cuncta scire, & prædicare, quæ Deo placent, necesse esse, notissimum est. Neque enim auenqnam magis decet, vel meliora nosse, vel plura, quàm Imperatorem, cuius doctrina omnibus prodesse debet subiectis, &c.] Quin potius Concilium Arelatense sub eodem Carolo Magno cap. vlt. post decreta omnia subiungit, [Hæc Domino Imperatori præsentanda decreuimus, poscentes eius clementiam, vt si quid hic minus est, eius prudentia suppleatur, si quid secus, quàm se ratio habet, eius iudicio emendetur, si quid rationabiliter taxatum, est eius adiutorio, diuina opitulante clementia perficiatur.] Addi etiam hic possent obiectiones ex Actibus congregādi generalia Concilia, vel præsidendi in illis; Item creandi, vel deponendi Pontifices, hi enim actus, & similes proprij sunt Ecclesiasticæ iurisdictionis; & tamen illos sępiùs exercuisse Imperatores, Rex Angliæ in sua Præfatione contendit.

Ad priorem partem respondeo, Patres numquam tribuere Regibus proprios actus iurisdictionis spiritualis, sed interdum per modum exhortationis, vel laudis, aut honoris illos excitare ad exercendos actus aliquos, qui sine iurisdictione exerceri possunt, vel ad procurandum, vt alij in Ecclesia cum fructu fiant per Pastores, à quibus legitimè exerceri possunt. Vnus ex illis actibus esse potest, curare, vt ignorantia ab Ecclesia tollatur, & vt bona, & sana doctrina conseruetur, & augeatur, de quo loquitur Epiphanius. Habetque locum etiam in politica republica intra limites suos, vt per se notum est, & sic pertinet ad Regem ex vi propriæ potestatis. Respectu verò Ecclesiæ, & quoad doctrinam fidei pertinere potest ad Regem, non quidem prædicando publicè per se ipsum, neque dando auctoritatem prædicandi, sed præbendo auxilium Catholicis Prælatis, & prædicatoribus, & sacrarum literarum studia fundando, suaque potestate seminatores malæ doctrinæ coercendo. Et hunc sensum declararunt Patres Concilij Turonensis sub Carolo Magno in principio: postquàm enim commendarunt pietatem, & sapientiam Imperatoris, subiungunt, [His igitur intentus, pios, ac religiosos Dei sacerdotes Ecclesiæ gubernacula in regno sibi diuina largitate collato tenentes saluberrimis exortationibus admonuit, vt operam darent, & actibus eminerent, quibus, & se bene operando, & sibi commissos verbis, & exemplis instruendo regerent.] Et idem supra indicat Alcuinus dicens, [Multa est omnibus fidelibus in vestra pietate gloriandi facultas, dum clementię vestrę sollicitudo sacerdotalem, vt decet, habet in prædicatione verbi Dei vigorem.

Reliqua verò, quæ retulimus laudis sunt, & honoris verba, nam etiam Imperator Christianus esse potest doctus, & benè instructus in sacra, & priuatim iuxta occurrentes occasiones potest veritatem docere. Simili etiam modo verba Patrum Concilij Arelatensis eo tendunt, vt protectionem, & adiutorium ad executionem suorū decretorum ab Imperatore petant, vt ex vltima clausula verborum constat, reliqua autē sunt verba modestiæ, & vrbanitatis, ex quibus nullum indicium, vel subiectionis in spiritualibus ex parte Concilij, vel spiritualis potestatis in Imperatore, sumi potest. Ad aliam etiam partem obiectionis vno verbo dicimus, illos actus propriè non esse Imperatoriæ potestatis: posse tamen, vel aliquando potuisse aliquam cooperationem, seu præparatoriam dispositionem, aut conditionem, quæ spiritualem potestatem non requirit, in eis exercere, vt in sequentibus latius declarabimus.

CAP. X.

Vtrum Christus Dominus supremam Ecclesiæ spiritualem potestatem Petro contulerit?

PRiùs quàm spiritualem potestatem cum temporali conferamus, ex qua præsens controuersia maximè pendet, inquirere oportet, an hæc potestas sit in Pontifice Romano, cum quo lis, & contentio tota Regis Angliæ versatur. Quia verò Romanus Pontifex non potest habere hanc potestatem, nisi per legitimam successionem, & successio ab origine, & institutione pendet, quæ à solo Christo fieri potuit, ideò de hac institutione prius videndum est. In quo puncto duæ quæstiones distingui possent, vna abstracta (vt sic dicam) seu generalis, an Christus in sua vniuersali Ecclesia Monarchicum regimen in ali-

aliqua persona, quæ vices eius gereret, reliquerit. Altera quæstio est contracta, seu particularis, an tali personæ, scilicet, Petro, Christus vices suas, & potestatem supra omnes fideles commiserit, simul tamen illas tractabimus, quia quod ad fidem, & auctoritatem attinet, non possumus meliùs ostendere institutionem, quam ex singulari Christi facto, & rationem illius ex generali causa institutionis posteà inuestigabimus.

Neque oportet in recensendis erroribus, qui in hac materia fuerunt, & nunc à Lutheranis, & Caluinistis cæterisque Protestantibus pertinaciter defenduntur, immorari, quia, & notissimi sunt, & nunc solum de Anglicana secta tractamus, cuius caput, & defensor, eiusdem Angliæ Rex sæpe in sua Præfatione contendit, Christum non dedisse Petro maiorem, quam cæteris Apostolis potestatem, & pag. 22. & 24. & præsertim 58. in alios sensus verba scripturæ detorquere conatur. Sed illius fundamenta postea expendemus, nunc priùs catholica veritas stabilienda est. Et quoniam quàm plurimi Catholici, & eruditissimi viri in hac veritate confirmanda diligentissimè laborarunt, operæpretium non erit, omnia, quæ illi dixerunt, transcribere, & in hunc locum congerere, sed pauca quædam, quæ iudicio nostro selectiora, & efficaciora videbuntur, ex illis mutuabimur, & qua potuerimus breuitate, & perspicuitate proponemus.

Dicimus ergo, Christum Dominum instituendo Ecclesiam suam militantem, priùs quàm quoad visibilem præsentiam corporalem eam relinqueret, illam Petro tamquam Vicario suo, ac supremo Pastori commendasse, ac subinde supremam spiritualem potestatem ad gubernandam illam ei contulisse. Conclusio est certa fide, quam præcipuè probabimus genuino illo testimonio, quo non solus Bellarminus, quem in hoc Rex Angliæ repræhendere ausus est; sed omnes Pontifices, & Patres eandem veritatem confirmarunt. Primum est illud Matth: 16. vbi Christo quærenti, [Quem dicunt homines esse filium hominis?] cum Petrus respondisset, [Tu es Christus filius Dei viui,] Christus dixit illi, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.] Hæc fuit Christi promissio, qui fallere non potest in promissis, & ideò dubitari non potest, quin postea impleuerit, quod tunc promisit. Videamus autem, cui promiserit, & quid promiserit: nam si hæc duo plenè, & fideliter intelligantur hoc solum testimonium ad assertionem confirmandam sufficit.

Primò ergo euidens est ex tenore verborum, promissionem esse factam Petro in sua propria persona, tot enim circumstantijs designata est, vt de hoc dubitari non possit. Primò enim Euangelista retulit Simonem Petrum confessionem diuinitatis Christi fecisse, Neque existimo vacare mysterio, quod Euangelista vtrumque nomen coniunxit Simon Petrus. Nam priùs Petrus vocabatur Simon, vt constat Ioan. 1. Vnde quia hoc erat quasi proprium, & primæuum nomen Petri, in negotio tam graui omitti non debuit, nomen autem Petri à Christo fuit illo impositum Ioann. 1. & hic adiunctum est, tum propter tollendam omnem ambiguitatem, quia alius etiam Apostolus Simon vocabatur, tum propter mysterium, quod statim Christus declarauit. Deinde addit Euangelista, Christum ad eumdem esse loquutum. Et vt hoc magis esset testatum, Christus iterum eodem nomine illum appellat, dicens, [Beatus es Simon,] & quia nomen Petri ad mysterium explicandum reseruabat, ne nomen Simonis videretur ambiguum, addidit aliam circumstantiam propriam illius personæ, dicens, [Bar Iona,] id est filius Ionæ, seu Ioannis, sicut idem dixerat Ioan. 1. [Tu es Simon filius Iona.] Nominauit autem Christus Simonem in dicto loco simul laudando illum, vt inde etiam intelligi posset; qualis esset promissio, & cui fieret: erat enim remuneratiua, & illi facienda erat; qui laudem in confessione meruerat. Sicut Hilarius ibi canon 26. dixit, [Et dignum planè confessio Petri præmium consequuta est, quia Dei filium in homine vidisset, & Hieronymus ibid. Testimonio de se Apostoli reddit vicem, Petrus dixerat, Tu es Christus filius Dei viui, mercedem recepit vera confessio, Beatus es Simon Bar Iona.] Volens ergo Christus non sola laude, sed etiam mirabili promissione Petrum remunerare, subiungit, [Et ego dico tibi,] vbi rectè Hieronym. [Quia tu mihi dixisti, Tu es Petrus, &c. & ego dico tibi, non sermone casso, & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.] Illa ergo particula tibi, eandem personam Simonis designat, ad illam ergo verba Christi diriguntur, illi ergo sic promissio. Maxim. Homil. 1. in Natali Petri, & Pauli, & Prosp. lib. 2. de Vocat. Gen. c. 28.

In verbis autem Christi considero, quædam esse tantùm affirmatiua per modum indicatiui, [Tu es Petrus,] alia prædicationem, & promissionem continentia, scilicet, [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo, &c.] Prima ergo affirmatio eò etiam tendere potuit, vt magis exprimeretur persona, de qua futura erat prædictio, & cui fiebat promissio. Commemorare ergo voluit Christus hunc Simonem esse illum, cui multò antea dixerat, [Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.] Simulque (vt existimo) indicare voluit Christus, quam ob causam nomen Petri Simoni imposuerit, nimirum, propter firmissimam, & immobilem fidem, quam recepturus erat, cuius primam, & insignem confessionem tunc effecit, & ideò audire meruit. [Tu es Petrus.] Vnde rectè Ambrosius serm. 6. de Varijs actionib. [Cùm vocaretur (inquit) Simon per hanc deuotionem vocatus est Petrus.] Immò addit, quia Christus est petra, [cum fideli Simone nomen suum communicasse.] Quod etiam attigit Chrisostom. Homil. 10. in Marcum. Optimè verò Cirill. lib. 2. in Ioann. cap. 12. adnotat, preuidisse Chri-

Christum futuram Petri fidem, & ideò illi dixisse vocaberis [Cephas, id est, Petrus, vocabulo ipso commode significans, quod in eo tamquam petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.] Denique addit Chrysost. Homil. in Psalm. 50. in prima eius parte paulo post principium, [propterea Petrum à Christo appellatum, quia saxea fide præditus erat.] Vbi etiam bis illum appellat [basim fidei,] & Homil.9.de Penit. [Cum Petrum dico, petram nomino indebilem, non se, crepidinem immobilem, &c.] significans. Christum vocasse Simonem Petrum propter immobilitatem, non quam in se, aut ex se haberet, sed quam in fide acceptutus erat, & ideò alibi [fidei petram firmam,& solidam,] illum appellat. Quæ omnia eleganter complexus est Leo Papa serm. de transfigur. cap.1. dicens de Petro. [Tantumque in hac fidei sublimitate complatuit, vt beatitudinis fœlicitate donatus, sacram inuiolabilis Petre acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi, & mortis legibus præualeret.]

Vnde vlterius clare intelligitur, quid designauerit Christus cum dixit, [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Nam sine dubio eumdem Petrum designauit, vt frequentius antiqui, & grauissimi Patres intellexerunt, & ex contextu apertè constat. Ideò enim Christus prius illi dixit, [Tu es Petrus,] vt ad eumdem statim diceret, super ipsum se ædificaturum Ecclesiam, & ad hoc munus illum per suam gratiam petram effecisse. Deinde ostensum est, illa verba cum sequentibus continere promissionem remuneratiuam; ergo eidem fit, qui propter bonam confessionem beatificatus est, & nomen Petri meruit; ergo idem per vocem, hanc Petram, designatur. Quod fiet euidentius si consideretur, Christum non esse vsum voce Petri,vel Petræ, tamquam diuersi generis. Vnde si Christi verba hoc modo Euangelista retulisset, [Tu es petra, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] nemo dubitaret, quin illæ particulæ. Tu, & hanc, eandem petram, atque adeo eandem personam disignarent; at Christus ita locutus est, & Matthæus etiam Hebraice, vel Siriace ita scripsit, nam in illis linguis vox fœminina, & masculina Petri, aut Petræ non distinguuntur, & ita vtroque loco habet Petra Syriaca versio, Græcus autem, & Latinus interpres personæ Petri, quia vir erat, masculinum nomen accomodarunt, fundamentum autem ædificij fœminino nomine petram appellarunt, quia in his linguis ita solet cum proprietate vocari.

Præterea per illud signum hoc, vel hanc, designari solet res singularis præsens, ibi autem non erat alia res nomine petræ significata, & cui iam nomen petræ tamquam proprium, & sine metaphora, esset impositum, nisi persona Petri; ergo illum sine dubio designauit Christus,dicens, [Super hanc petram] Nam vt omnis occasio errandi; imò & dubitandi tolleretur, præmisit, [Tu es Petrus, quasi præ oculis ponens, eum, quem designare volebat. Præterea cùm Christus proxime subiunxit. [Et tibi dabo claues regni cœlorum,] quis dubitet, per pronomen Tibi, Petrum designasse? & ad illum esse loquutum, cùm ad illum à principio sermonem suum direxit, & eodem tenore semper cum eodem fuerit loquutus? ergo etiam cùm dixit, [Et super hanc petram, de eadem persona loquutus est. Denique quia non est credibile, in tam claro, & continuo contextu Christum nunc ad Petrum loqui, deinde rem aliam per pronomen hanc, designare, & statim ad Petrum redire, Sic enim incerta, & ambigua esset tota sententia, & promissio, & superuacanea fuisset diligentia tot modis, & circumstantijs determinandi personam, cui promissio fiebat.

Atque ita intellexerunt hunc locum quoad hanc partem de persona, cui fit promissio, imprimis omnes Pontifices Romani, qui hoc punctum attigerunt, præsertim Clemens epist.1. ad Iacobum, & Anacletus ep.2. & 3. Leo suprà, & ser.2.& 3.in die assumptio. suæ, & epist. 89. cuius alia verba in sequentibus referemus, & multa ex Gregor. adduximus lib.1.cap.6. & plura congerit Gratianus in suo decreto dist.12.21.& 22.& in sequentibus plura referemus, in quibus Pontifices suum primatum non in humano, sed in diuino iure fundant, ob successionem Petri, ad quem Dominus promittendo, in hoc testimonio loquutus est.

Et eodem modo hæc verba intellexerunt alij Sancti Episcopi, & antiquissimi Doctores Ecclesiæ Cyprianus epist. 55. ad Cornelium, dicens, in Petro fundatam esse Ecclesiam. & eodem modo loquitur epist. 69. 71. & 73. & alijs locis, quæ supra lib. 1. c. 5. & 6. adnotauimus. Item Hilarius canon. 16. in Matth. vbi post verba supra citata. [Dignum planè confessio Petri præmium consequuta est, subiungit, O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, &c.] Idem habet lib.6. de Trinit.& Psalm.131. Ambros. lib.4. de Fide cap.3. [Habes,inquit, in Euangelio quod Petro dixit, Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, eidem autem supra dicenti, Tu es Christus filius Dei viui, respondit, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] Et subiungit verba valdè notanda; [Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? quem cùm petram dicit, Firmamentum Ecclesiæ indicauit.] Idem optimè Psalm. 40. circa finem, [Ipse, inquit, est Petrus, cui dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram,&c.] Et addit, [vbi Petrus, ibi Ecclesia.] Idem latè serm.6. supra citato, & serm.in Cathedram Sancti Petri,& serm.11. de Sanctis. Latè etiam August. serm. 29. de Sanctis, qui est quintus sanctorum Petri, & Pauli, [Solus inter Apostolos meruit audire, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum,] & multa similia habet in serm. 16. qui est de Cathedra Petri, & serm.49. de Verb. Dom. cap. 3. & lib. 2. de Baptism. cap.1. referens hæc verba Cypriani, [Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, adiungit. Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præminet, à poste-

posteriori Apostolo Paulo esse correctum, &c.]

Optimè etiam Pacianus epist.3.ad Symprouian. circa medium, [Ipso, inquit, referente Matthæo ad Petrum loquutus est Dominus, ad vnum, ideò, vt vnitatem fundaret ex vno, & statim refert verba super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] Supra etiam retuli Cyrillum Alexandrin. & Chrysostomum, quibus addi potest Cyrillus Hierosolymit. catechesi. 18. dicens, [Ordinauit Saluator nostram Sanctam Ecclesiam Christianam, de qua dixit Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meã.] Et Nazianz. orat. 26. [Vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat.] Item Basilius in cap. 2. Isaiæ, cùm dixisset Ecclesiam fuisse ædificatam in Prophetis, & Apostolis, subdit, [Quorum vnus erat Petrus, super quam petram pollicitus fuerat suam se ædificaturum Ecclesiam.] & lib. 2. contra Eunomium circa principium de Petro ait, [qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ commissam sibi ædificationem suscepit,] & Homil. 29. quæ est de Pœnitentia, [Petrus tertiò abnegauit, & collocatus est in fundamento,] Et infrà. [Petrus dixerat iam antea, & beatus pronunciatus fuerat, dixerat: Tu es filius Dei excelsi, & vicissim audierat, se esse petram, ita laudatus à Domino: licèt enim petra esset, non tamen petra erat vt Christus. Vt Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis petra, Petrus verò propter Petram. Axiomata namque sua Iesus largitur alijs: largitur autem ea, non euacuatus, sed nihilominùs habens. Lux est. Vos estis lux mundi, inquit, Sacerdos est, & facit sacerdotes. Ouis est, & dicit, Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Petra est, & petram facit. Quæ sua sunt, largitur seruis suis.] Similiter Epiphan. in Anchorato non longè à principio de Petro loquens sub nomine Principis Apostolorum subiungit, [Ipse autem Dominus constituit eum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, &c.]

His Patribus accedunt alij exponentes Matthæum, Theophylact. & Euthymius sequentes Chrysostomum, sed præcipuè Hieronymus, dicens [Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitum est nomen, ac secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei, Ædificabo Ecclesiam meam super te.] Non potuit sanè literalis sensus veriùs, aut clarius explicari. Vnde alijs locis sæpè dicit Ecclesiam Christi super Petrum fuisse fundatam, Dialog. 1. contra Pelagium, aliquantulum à principio & epist. 54. & 57. & lib. 1 contra Iouinian. prius Petrum Petram Christi, appellat, postea verò tacitè occurrens obiectioni, & rationem declarans, inquit [Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesię fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Vbi est attentè considerandum, Apostolos, & æqualitatem quandam, & caput nihilominus constituere. Aequalitas enim est in Apostolatu, in certitudine doctrinæ; super quam fortitudo Ecclesiæ solidatur, & in vniuersali clauium potestate, caput autem vnum, quod propter tollenda schismata positum est, auctoritatem, & iurisdictionem Petri in alios etiam Apostolos indicat, & perpetuitatem potestatis, sine qua concordia schismatibus contraria perpetua in Ecclesia esse non posset.

Similemque sententiam habet Leo Papa epist. 89. cap. 1. dicens: [Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortio indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret.] Denique apud alios Patres frequens est, vt Petrum hac ratione vocent Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, Petram Ecclesiæ, Pontificem Ecclesiæ primum. Vt videri potest in Isidoro lib. 2. de Offici. Ecclesiastic. cap. 5. & lib. de Vit. & mor. Sanctorum cap. 69. & alijs locis, quæ lib. 1. c. 6. indicauimus. Et Petri Chrysolog. serm. 107 Laurent. Iustinian. lib. de Obed. capit. 12. Tertull. sæpe antequam in hæresim incidisset, eisdem modis de Petro loquutus est, vt in lib. de Præscrip. cap. 22. & lib. de Monogamia cap. 8. A qua sententia etiam factus hæreticus non discessit, quamuis illam aliquo modo corruperit lib. de Pudicitia cap. 25. vt cap. 17. commodiùs animaduertemus.

Nemo igitur dubitare potest, quin Petro facta sit illa promissio. superest iam explicandum, quid illi promiserit. Duplex enim in verbis videtur esse promissio, vna de fundamento Ecclesiæ, alia, de potestate ligandi, & soluendi. existimo tamen, esse eandem, priùs per metaphoram, & posteà per verba magis propria explicatam. Cum ergo Christus dixit, fundaturum Ecclesiam super Petram promisit Petro, effecturum ipsum Ecclesiæ fundamentum adeo firmum, & immobile, vt & totam Ecclesię molem sustinere posset, & cum tanta firmitate, vt cadere nunquam, aut ruere posset. Hinc Ambrosius in dicto lib. 4. de Fide cap. 3. dicens in verbis supra allegatis. [cui propria auctoritate regnum dabat,] significat Christum ibi promisisse Petro regnum Ecclesiæ, & quia hoc Regnum, & fide constituitur, & perpetuum esse debet, ideo addit Ambrosius, potuisse etiam Christum firmare fidem Petri, & illum firmamentum Ecclesiæ constituere: indicans hoc totum in illis verbis fuisse Petro promissum. Quod etiam declarauit serm. 2. ex varijs, qui est de Cathedra Petri. dicens, Petro esse promissum, vt [tanquam saxum immobile totius orbis Christiani compagem, molemque contineat.] Et similia ferè habet Augustin. dicto serm. 16. de Sanctis Hieronymus

nymus verò dicto lib. 1. contra Iouinian.sentit ibi esse promissum Petro, futurum fuisse caput Apostolorum, Cyprianus autem cum Augustino dicto lib. 2. de Baptism. cap. 1. Primatum Ecclesiæ sentiunt, ibi esse Petro promissum: Chrysost. etiam Homil. 55. in Matthæ. dicit promissum esse Petro, fore Ecclesiæ Pastorem. Hæcque omnia in idem recidunt.

Ratio denique metaphoræ est, quia singularis aliqua dependentia Ecclesiæ à Petro per illam metaphoram significata est, quæ non potest in alio consistere, nisi quia danda erat Petro singularis potestas ad instruendã, & regendam Ecclesiam in fide, & moribus, à qua tam ædificatio, quam conseruatio Ecclesiæ perpetuò penderet. Vt si nauis dicatur fundata in aliqua persona, statim per metaphoram intelligitur pendere ab illa tanquam à gubernatore, & nauclero, & sic etiam regnum dicitur in Rege fundari, & è conuerso Rex dicitur fundamentum regni. Quocirca licet metaphora fundamenti, vel Petræ alios etiam possit habere vsus, & significationes, tamen accommodata ad hunc locum & has circumstantias, nulla præter hanc potest esse accommodata, & ideo Patres, & Ecclesia ita illam intellexerunt.

Vt verò rem apertiùs explicaret Christus addidit aliam metaphoram, & explicationem eius, dicens, [Tibi dabo claues Regni cœlorum.] solet enim nomine clauis potestas Regia, seu regendi significari, vt patet Isai. 22. [Dabo clauem domus Dauid super humerum eius] idest, Principatum seu Pontificatum, vel potestatem, de qua paulò antea dixerat, [Potestatem tuam dabo in manu eius.] Christus ergo promittens claues Regni cœlorum Petro, nihil aliud promisit, quã potestatem regendi Ecclesiam, quæ in terra est spirituale tendens ad regnum cœlorum consequendum, & ideò per potestatem quandam cœlestem gubernanda est. Quam potestatem per verba satis propria statim explicauit Christus dicens, Et quodcumque ligaueris super terram &c. his enim verbis expressè promisit Petro singularem potestatem ligandi, atque soluendi, quæ potestas non est alia nisi potestas leges ferendi, quæ homines ligent, seu obligent, vel etiam puniendi, aut censuras ferendi, aut similia contra imponendi. vel auferendi, vt patet, tum ex communi vsu talium verborum, tum ex similibus verbis Matth. 18. Quecumque ligaueritis, & cæt. Et ex alijs Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata & cæt. Ergo claues illæ non aliud per metaphoram significant, nisi potestatem spiritualem ad regendam Christi Ecclesiam in ordine ad Regnum cœlorum consequendum. Ex hoc ergo loco manifestè probatur primatus Petri, quamuis hæretici varijs obiectionibus, & euasionibus illum obscurare nitantur, quibus in sequenti capite respondebimus, ne veritatis positæ confirmationem intermittamus.

Omnia igitur, quæ de prædicta Christi promissione diximus, ex alijs Christi verbis Ioan. 21. maximè confirmantur, & ex vtroque loco simul sumpto, & inter se collato euidentissima fit veritatis testificatio. Nam quod Christus promiserat, ad Patrem ascensurus impleuit, dicens Petro, semel, & iterum, [Pasce agnos meos,] & tertio. [Pasce oues meas,] per quæ verba curam, & gubernationem totius Ecclesiæ illi commisit, & Vicarium suum illum constituit, & tunc planè claues regni cœlorum, & potestatem ligandi, atque soluendi proprio, & peculiari modo illi tribuit: sicque super humeros eius tamquam super firmum fundamentum, & saxum immobile Ecclesiæ ædificium imposuit. Quæ omnia facilè persuaderi possunt, si totum Christi factum; eiusque verba pura intentione, & mente considerentur. Priùs enim, quàm Christus Petrum Pontificem Summum crearet; ter illum interrogauit, [Simon Ioannis diligis me plus his? & diligis me? seu amas me?] per quod in primis significare voluit, aliquid magnum, & excellens, & sibi maximè charum voluisse Petro commendare, suam nimirum Ecclesiam, quam ipse maximè diligebat, pro qua seipsum tradidit, & Patrem, ac matrem reliquit, vt ostendit Paulus ad Ephes. 5. Deinde manifesto amore Petri erga ipsum dixit illi Christus, [Pasce oues meas.] Per quæ verba contendunt hæretici nullam potestatem esse datam Petro, sed solùm præceptum prædicandi verbum Dei, quod est animarum cibus. Sed est vana, & ridicula expositio, nam de missione ad prædicandum iam Christus dixerat Ioan. 20. [Sicut misit me Pater; & ego mitto vos,] & dicturus erat postea in discessu suo, [Euntes docete omnes gentes:] quid ergo necesse erat pro solo munere prædicationis tam singulariter cùm Petro agere, tantumque pondus verborum, & interrogationum præmittere?

Deinde, verbum pascendi eo modo, quo ibi à Christo vsurpatum est, non solum, significat actum (vt sic dicam) ministrandi cibos, sed etiam munus, & sollicitudinem procurandi omnia, quæ, & ad nutriendas oues & ad illas regendas, tuendas, & in vita conseruandas pertinent. Denique omnia, quæ sunt pastoralis muneris comprehendit. Perinde enim fuit, Petro dicere, Pasce, ac dicere Pastorem mearum omnium te relinquo. Bonus autem pastor, vt ipsemet Christus dixit Ioan. 10. [Intrat per ostium, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas: & ante eas vadit, & eum oues sequuntur, quia sciunt vocem eius. Et infrà. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, & vt ibidem significat, non se gerit sicut mercenarius, qui cum non sit pastor, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit; ergo ex Christi sententia ad manus Pastoris intrantis per ostiũ, id est, per ipsum met Christum, vt ipse explicuit, seu (quod idem est) ab ipso super gregem suum constituti, pertinent non solum cibum ministrare, sed etiam custodire, & regere, & omnia alia, quæ pastoralis cura requirit: non ergo solam verbi prædicationem, sed totam hanc curam gregis sui Christus Petro commendauit. Et sine dubio hæc est maximè vsitata significatio illius verbi in ea metaphora vsurpati, non solùm in communi loquendi modo, sed etiam in Scriptura Sacra, vt patet ex illo 1. Petri 5. [Pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, vbi pascere]

siue

sine dubio non significat tantùm prædicare: nam per solam concionem non solet fieri coactio, sed significat regimen, seu gubernationem, quæ interdum nimis violenta esse solet, & ideò subiungit, [Non dominantes in clesis.] Similiter. [Verbum prouidentes,] manifestè ostendit, Petrum esse loquutum de prouidentia,& solicitudine Pastoris in regendis, & custodiendis ouibus, & non de sola verbi prædicatione. Sic etiam 2. Reg.5. [Tu pasces populum meum Israel.]in cuius explicationem additur, [Tu eris dux super Israel, & cap.7. Numquid loquens loquutus sum ad vnam de tribubus Israel, cui præcepi, vt pasceret populum meum Israel,] quod statim declaratur per illa verba. [Ego tuli te de pascuis sequentem greges, vt esses dux super populum Israel.] Et de Christo dicitur Isai.40. Sicut pastor gregem suum pascet,] & infinita similia sunt in Prophetis; ergo hoc ipsum significauit Christus Petro, cum illi oues suas pascendas commisit.

Ac denique cum oues indefinite posuit omnes,absque dubio sine discrimine comprehendit, quia in similibus locutionibus indefinitus sermo æquiualet vniuersali, & quia nulla est maior ratio de his,quam de illis omnibus talia verba interpretandi. Immò; quia ibi nominatim distincti sunt agni, & oues Euthymius existimat, significatum esse, non solum imperfectos, sed etiam perfectos Petri curæ fuisse subiectos. Bernardus autem lib.2. de Considerat. ad Eugenium exponit, non solum communem plebem, sed etiam Prælatos, & Episcopos vsque ad ipsos etiam Apostolos Petro commendatos, & subiectos fuisse. Vnde sic ait cap.8. [Non modo ouium; sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor. Vnde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues; Si me amas Petre, pasce oues meas, Quas? illius, vel illius populos ciuitatis. aut regionis, aut certi Regni. Oues meas inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno pastore, secundum illud, vna est columba mea,formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas ibi perfectio.] Quibus verbis egregiè Bernardus prædictum sensum confirmauit, & locupletauit.

Neque noua est, aut recens hæc interpretatio, eodem enim modo veteres Patres dicta Christi verba intellexerunt. Nam Leo Papa serm.3. Assumptionis suæ in eamdem sententiam dixit, [De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, quamuis in populo Dei, multi Sacerdotes sint, multique pastores,omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus, Chrisost. homil.87. in Ioann. Quid tandem, ait, alijs omissis, de his duntaxat Petrum affatur? os erat Apostolorum, & Princeps, & & vertex ipsius cœtus, propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul vt ei ostenderet, iam sibi fiduciam habendam; tanquam enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit. Et infrà. Ter autem interrogat, & sæpè idem præcipit, vt demonstret, quanti ouium suarum curam faciat, & quod hoc maximum sit amoris argumentum. Cyrillus item lib.12. Ioan. cap.64. In singulis, inquit, confessionibus, variatis parumper verbis, audiuit rationalium ouium curam sibi esse habendam. Et similiter Augustin. tract. 123. Nec aliud toties audit à Petro, quàm se diligi, nec aliud toties commendat Petro, quàm suas oues pasci. Quid autem sit pascere oues Christi, paucis verbis in fine eiusdem tractatus declarat, dicens, debere eos vsque ad sanguinem pro veritate certare, quibus oues ipsas pascendas, regendasque committit.] Et serm.62.de Verb.Domini, explicans eadem verba, [Pasce oues meas. Pertineat (inquit) ad nos cura ad vos obedientia, ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis, &c.] vbi verbo, Pascendi, verbum obediendi. Opponit. Intellexit ergo, pastoralem curam non consistere tantum in docendo, sed etiam in regendo, & præcipiendo. & hanc esse commissam Petro super totam Ecclesiam.Sicut etiam dicit serm. 49.de Verb.Domini, [dicit Dominus Petro, in quo vno format Ecclesiam,Petre amas me? Respondet, amo, pasce oues meas.]

Et item Ambrosius serm. 48.de Tempore in feriam 3.Hebdomadæ sanctæ, eumdem locum tractans ait.[Qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit.] Et in dicto sermo 1. de Sanctis, seu de cathedra Petri, [Tamquam bonus Pastor (inquit) tuendum gregem accepit, vt qui sibi infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.] Vbi ad vtrumque testimonium alludit, & alterum cum altero coniungit. Et ad Gala.1.declarat, per verbum, pascendi, delegatam esse Petro curam Ecclesiarum, dicens de Paulo, [Dignum fuit, vt cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos,cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum. Deinde lib.10. in Lucam c.24. in fine. Dominus (inquit) non dubitabat, qui interrogabat non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in cœlum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat, sic enim habes, Simon Ioannis diligis me? vtique tu scis Domine, quia amo te, dicit ei Iesus, pasce agnos meos. Et infrà. Iam non agnos vt primò, nec ouiculas vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.] Et lib. 5.de Fide in Proœmio latè eundem locum in eodem sensu explicat, dicens, Petrum esse seruum illum prudentem, & fidelem, quem constituit Dominus super familiam suam.Idem ferè habet lib.de Dignitate sacerdotali cap. 2. Vtrumque verò testimonium optimè connectit Cyprian lib. de Vnit.Eccles. circa principium dicens [Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit, pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem

suam

suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater, &c. Et quorum remiseritis peccata, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Et infra. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur. Et infrà. Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit?

Denique veritatem hanc confirmant varia epitheta, quæ solent Patres Petro tribuere ad illud munus explicandum, & potestatem, quàm à Christo in dictis locis recepit. Sic enim vocatur, [Caput Apostolorum] à Hieronymo lib. 1. contra Iouinian. & Optat. lib. 2. & 7. contra Parmen. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 64. [Caput, & Principem;] & lib. 13. Thesaur. cap. 2. [Apicem Apostolorum] vocat. Dicitur etiam constitutus, [Pastor Pastorum,] ab Eusebio Emisseno in sermone de sancto Ioanne Euangel. & rationem reddit, [quia regit subditos, & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos, & oues in Ecclesia nihil est.] Vnde Isidor. de vita, & morte Sanctorum cap. 69. Petrum vocat [Pastorem humani Gregis.] Item Origen. lib. 5. in cap. 6. ad Roman. circa finem, ait, [Petro cùm summa rerum de pascendi ouibus traderetur, & super ipsum, velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitas exigitur.] Vocatur item Petrus [Christi Vicarius] in Concilio Nicæno can. 39. de quo canone plura dicemus inferiùs. Et Anselm. Matth. 16. illum vocat [Principalem Vicarium,] quia etiam alij Episcopi omnes, qui potestatem ligandi, & soluendi accipiunt, sunt modo suo Vicarij Christi, Petrus autem est principalis. Quem ob eamdem rationem ibi vocat [Principem Apostolorum,] quod est frequens in alijs Patribus. Et sic etiam frequenter dicunt, accepisse primatum Ecclesiæ, vt est apud Ambros. 2. ad Corinth. 12. & ad Galat. 2. & optimè Beda ex dictis verbis, [Pasce oues meas,] in homilia de vigilia Apostolorum Petri, & Pauli. Idemque voluit Chrysostomus homilia 80. ad populum, dicens: [Ei per totum terrarum Orbem Ecclesiæ præsidentiam traditam esse, seu Orbis terrarum curam ei esse demandatam,] vt ait homilia 87. in Ioanne. Vel [totius Ecclesiæ gubernacula suscepisse,] vt ait Damascenus orat. de Transfigurat. vbi ad Petrum ita de Ecclesia loquitur: [Hanc Christus suo ipse cruore comparauit, tibi autem vt fidissimo famulo in fidem tradidit.] Et infrà: [Qui te Cœlestis Regni Clauicularium instituit.] Et infra, dicit, voluisse Christum Petrum adesse suæ Transfigurationi, [vt Antistitem, qui totius Ecclesiæ gubernacula suscepisset.] Vnde tamdem dixit Ephrem sermone de Transfigurat. [Sicut vnus Moyses Hebræorum Princeps fuit, ita Petrum Ecclesiæ Christianorum fuisse Principem constitutum.] Et plura videri possunt in Gregor. homilia 21. in Euangel. & lib. 3. epistolarum epistola 3. aliàs cap. 67. & lib. 1. epist. 24.

Tamdem si velimus aliquam rationem huius Diuini consilij reddere, oportet, institutionem regiminis ab electione personæ separare. Electionis enim personæ nullam possumus propriam reddere causam præter Diuinum beneplacitum. Nam licèt Deus ea fide, & charitate Petrum disposuerit, quæ ad tale ministerium suscipiendum dignum illum redderet, vt ex verbis Matthæi, & Ioannis supra tractatis manifestum est; nihilominùs fides Petri non fuit prima ratio electionis eius, sed voluntas Dei, nam quia illum elegerat, ideò illum ita vocauit, vt cooperando vocationi Vicarius Christi fieri posset dignissimè. Institutionis autem primatus propria ratio fuit, quàm Cyprian. Leo Papa, & alij Patres tetigerunt, vnitas Ecclesiæ, & optimum regimen eius, quia si in Ecclesia non fuisset vnum caput, ad quod diuersa Ecclesiæ membra recurrerent, facilè per diuersa schismata rumperetur, vt etiam Anselmus supra rectè dixit.

Vt autem optimum esset regimen, oportuit caput hoc vnum esse Monarcham, nàm Monarchia forma regiminis est omnium optima, vt ex Patribus, Theologis, Philosophis, & Historijs eruditè ostendit Card. Bellarmin. lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 2. & sequentibus. Quòd si in alijs communitatibus, aut Regnis humanis hoc verum est, multò certè magis in regimine totius Ecclesiæ fuit necessarium, quia cùm respublica Ecclesiastica sit amplissima, & pro vniuerso Mundo sit instituta, non posset conuenienter per vnam potestatem supremam gubernari, nisi talis potestas in vno homine resideret. Nam si esset in congregatione multorum, non esset in Mundo talis potestas apta ad regendum, nisi quando tales personæ in vnum Concilium essent congregatæ. Quo modo ergo possec difficultatibus occurrentibus subueniri, quando talis congregatio deesset, vel à quo posset cum efficacia cogi, si nullum esset in Ecclesia caput, ad quod huiusmodi generalis prouidentia, & cura Ecclesiæ perpetuò pertineret? Profectò hæc ratio conuincit primatum Petri fuisse moraliter necessarium, eademque conuincit, fuisse illum Principatum non pro sola persona Petri, sed perpetuum, vt conuincunt etiam illa verba: [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] sicut in libro 1. latè probatum est, & sequentibus ampliùs confirmabitur.

CAP. XI.

Obiectionibus contra superioris capitis doctrinam satisfit.

CONtra primatum Petri intellectum in sensu à nobis superiori capite declarato, nonnulla in transcursu, & quasi obiter attingit Rex Iacobus, quibus satisfacere necesse est. Dicit enim ille in pag 60. suæ præfationis: [Verum quidem esse, Petrum, & ætatis, & temporis, quo à Christo vocatus est, ratione, vnum ex primarijs Apostolis fuisse, Principem ordine illorum duodecim, quos primos Christus elegit, & de tribus illis vnum, quos ordinis seruandi gratia cæteris præposuit.] Et pag. 59. doctrinam, quam Catholicam esse ostendimus, Nuperam, & Nouitiam vocare veritus non est. Quod apud me argumentum efficax est, Protestantes, vel sanctos Patres non legisse, vel Regem suum turpiter decepis-

pisse. Nam ex dictis luce clarius constat, doctrinam traditam de primatu Petri cum ipsa Ecclesia ortam esse, & in verbis Christi eo modo intellectis, quo ab antiquissimis Patribus exposita sunt, esse fundatam: nullus ergo, qui non ex industria fallere, & falli velit (quod de serenissimo Rege credendum non est) doctrinam hanc nuperam, aut nouitiam vocare potest. Loquutus est ergo ex deceptione, & veritatis ignoratione, non tamen probabili, vel quæ illum à graui lapsu, & culpa excuset, cùm possit facilè ignorantiam, & errorem depellere, si velit. Præterquamquòd si Petrum fatetur esse Principem duodecim Apostolorum, quid quæso, est, quod addit: [Principem ordine, aut ordinis seruandi gratia?] aut quis est iste ordo, vel in qua excellentia, aut dignitate personæ fundatus est? Omnis enim ordo, vt iustè,ac prudenter inter aliquas personas constituatur, fundamentum aliquod excellentiæ, seu excessus, aut inæqualitatis in eis requirit, quod constituendo ordini proportionatum, & accommodatum sit.

Si ergo Petrus nullam dignitatem, vel potestatem habet maiorem, quàm cæteri Apostoli, nec iurisdictionem in illos, secundùm quem ordinem Princeps illorum appellatur? Nam excessus ætatis, vel antiquitas vocationis, apud Deum parui momenti sunt, apud quem sicut non est personarum acceptio, ita neque est ætatum differentia: imò in conspectu illius sæpè sunt nouissimi primi,& primi nouissimi. Præsertim, quia non constat, Petrum fuisse seniorem cæteris Apostolis, aut ante omnes vocatum, cùm saltem Andreas illum præcesserit, vt de vocatione sumitur ex Ioannis 1. & de ætate probabile censet Epiphan. hæref. 15. Neque etiam fundari potest ille ordo in gradibus sanctitatis, nam hoc iudicium Deo reseruatum est, neque hactenus est nobis reuelatum,quis Apostolorum in vera Sanctitate apud Deum cæteris maior fuerit. Neque item satis est, quod Christus familiariùs cum illo egisset, & in nonnullis actibus, quibusdam alijs eum pretulisse videatur: nam hac ratione etiam Ioannes dici poterit Princeps ordine: imò, & Iacobus, nam fuit vnus ex illis tribus, quos in aliquibus negotijs Christus peculiares socios habere voluit. Præsertim quia sola illa peculiaris fauoris, aut amoris Christi ostésio non erat sufficiens fundamentum alicuius ordinis inter Apostolos permansuri post Christi discessum. Accedit, quòd Rex semper loquitur de ordine politico in Hierarchia Ecclesiastica, ad quam prætetitus ille fauor, seu beneuolentia parum referebat, neque prudens aliqua Paulum reputabit ordine minorem, quia ex illis tribus non erat, vel quia Christo in mortali corpore viuenti familiariter non adhæsit.

Denique eo modo, quo Petrus inter Apostolos Princeps censetur, non ab hominibus, sed à Christo, ac proinde iure diuino illum Principatum habuit; ergo si fuit Princeps ordine, necesse est, talem ordinem ab ipso Christo creatum, & institutum esse; At non legimus Christum in Ecclesia sua instituisse dignitates aliquas, quæ propter solum ordinem politicum specialem honorem, aut sedes primas in sedendo, aut loquendo sibi vendicent, sed legimus tantum, 1. ad Cor. 12. Christum posuisse in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertiò Doctores, alios Pastores, & Doctores, ac denique alias gratias, vel ministeria distribuisse: in his autem omnibus non potest dici Petrus Princeps inter Apostolos ratione ordinis. Vt ergo quod verum est, asseramus, cogitatio talis ordinis politici in Ecclesia Christi, vt ab ipso institutæ, nupera est, & nouitia, nam ordo ille inter Petrum, & alios Apostolos in superiori potestate ad regendum, & gubernandum tam illos, quam vniuersam Ecclesiam in perpetuum fundatus est. Et hoc docuit nos Christus, & legimus in antiquis Patribus, reliquæ verò adinuentiones, & nouitates humanæ sunt.

Sed in primis inuenitur Rex contra duplicem illam probationem primatus Petri ex locis illis. [Tu es Petrus, &c.& Pasce oues meas.] Et priùs quidem quasi Bellarminum irridens pag. 22. ait. [Nec posterius disputationis meæ caput alijs machinis adoritur, quàm illis Christi verbis: Pasce oues meas:& Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Posteà verò pag.24. [Sic (ait) nouum, & egregium, scilicet, sensum his Christi verbis affinxit, Pasce, &c. quasi hoc significarent, tolle, proscribe, abdica, Christianos Principes, atque Reges. Hisquoque quodcunque, solueris, &c.] Ac denique pag. 128. eò progreditur, [vt inuerecundam, ac impudentem vim, appellet, illam, quam sensui illorum duorum locorum Cardinalis attulit, vt ex eis supremam in temporalibus Pontificis potestatem supra Reges, ac Principes astrueret.] In his autem verbis nulla ratio, nullumvè testimonium objicitur, sed solùm conuicia, & Protestantium calumniæ, quibus Rex fidem adhibet, proferuntur, ideòque possemus facilè illa præterire; ne autem aliquem, ob rerum confusionem,& veritatis ignorationem, moueant, falsa à veris discernere, & rem totam explicare necessarium est.

Bellarminus ergo, & nos omnes, qui in hac causa vnum sumus, ex illis locis non probamus proximè, & immediatè primatum Petri in ciuilibus, seu temporalibus, sed in Ecclesiasticis, seu spiritualibus: an verò hæc potestas spiritualis ad temporalia extendatur, alia quæstio est tractanda, & decidenda, & authoritate Ecclesiasticæ traditionis, & vi rationis, ex priori fundamento supremæ spiritualis potestatis, prædictis testimonijs comprobato. At Rex ita refert Bellarmini probationem, ac si testimonijs illis Pontificem absolutum temporalem dominum regnorum omnium esse, & suo arbitrio posse illa dare, vel auferre probare voluerit, quòd à vera illius mente longissimè distat. Vnde in sua responsione modestè, prudenterque interrogat: [Vbi quæso expositionem illam tam inciuilem, & inuerecundam in libello meo vidisti?] Non igitur ipse affinxit sensum illum Christi verbis, qui nunquam in libris eius extat, sed qui te decepit (ò Rex) eum sensum sine vlla specie verisimilitudinis affinxit. Igitur sensus, quem Bellarminus illis testimonijs affinxit, idem est cum illo, quo Primatum Petri in spiritualibus probauimus, qui vere quidem egregius est, & non nouus, sed communi

muni Patrum antiquorum consensu probatus.

Ex hoc verò sensu per illationem, & necessariam consequutionem rectè potuit Bellarminus eisdem testimonijs conuincere Petri abdicandorum Regum potestatem, non quidem omnium arbitratu suo, [ita vt, ad libitum condonare, & adimere regna possit,] vt Rex pag. 23. loquitur, sed hæreticorum, & incorrigibilium, vel ad illorum dignum supplicium, vel ad suarum ouium necessariam defensionem, ac proinde non ex dominio absoluto, vel directa (vt vocant) potestate, sed ex indirecta. Non dicat ergo Rex Angliæ, verba, [Pasce oues meas,] ita à nobis exponi, ac significarent, [Tolle, proscribe, abdica Christianos Principes,] hoc enim nullus catholicus dixit. Si autem quod verum est, sincerè testatum cupit, dicimus, inter alia multa, quæ in illis verbis, & potestate per ea data continentur, etiam illud esse. [Tolle, proscribe, abdica hæreticos Reges,] qui emendari nolunt, & subditis suis in rebus ad fidem catholicam pertinentibus, perniciosi sunt. Hic autem sensus nullam vim verbis Christi affert, sed necessaria consecutione ex eis elicitur: nec est nouus, sed perpetua Ecclesiæ traditione comprobatus, neque ex illo directa potestas Petri in temporalibus, sed tantum indirecta colligitur, quam à suprema spirituali potestate separari non posse ostendimus.

Pergit autem Rex objiciendo contra expositionem illorum locorum, quatenus ad probandam singularem Petri spiritualem potestatem afferuntur. Et primo argumentari videtur ab authoritate Doctorum etiam Catholicorum, qui varijs modis loca illa sunt interpretati, vnde Bellarminum alloquutus pag. 58. ait. [Sed neque est inscius, quam rationem veteres afferant, cur sancto Petro potissimum oues pascere Christus mandauerit.] Deinde ipse approbare videtur expositionem dicentium, vtrumque scilicet, [Tibi dabo claues, & Pasce oues,] Petro quidem dictum esse, sed ad omnes pertinuisse Apostolos, quorum ipse personas sustinebat. Quod inde confirmat, quia alibi potestas clauium in plurali numero concessa est Matth. 18. [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.] Ex quibus verbis colligere vult, clauium potestatem non minus cæteris Apostolis, quam Petro fuisse collatam, ac proinde non habuisse primatum. Immò multi sunt ex Protestantibus, qui non solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ potestatem clauium collatam esse velint, quia in dicto loco Matth. 18. Christus dixerat, [Dic Ecclesiæ, si autem non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus,] & statim quasi rationem reddens subiungit. [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo:] signum ergo est, loquutum fuisse Christum ad Apostolos, vel discipulos, prout Ecclesiam repræsentabant, vel virtute continebant.

Sed quia hæc obiectio vtrumque testimonium inuoluit, & non est in vtroque eadem omninò ratio, sigillatim de illis dicere necesse est. Et in primis de verbis, [Pasce oues meas, non inuenio apud veteres Patres dissentientes, sententias, aut expositiones, neque circa personam, cui singulariter dictum est [Pasce,] neque circa significationem verbi [Pascendi,] neque circa personas nomine ouium, & agnorum comprehensas. Quamuis enim in exponendis his duabus vocibus vltimis sit aliqua varietas, an illæ duæ voces, [agni, & oues] easdem, vel diuersas personas significent, re tamen vera nulla discrepantia est, quæ ad præsentem causam referat. Omnes enim Catholici conueniunt totum Christi gregem, cunctasque oues fuisse Petro commissas, siue sub vtraque simul propter diuersas proprietates omnes significatæ fuerint. Et hinc necessario sequitur, verba illa ad solùm Petrum pertinuisse, eique non vt gerenti aliorum personam, sed propriissime, & speciatim propter singulare munus ipsi commissum, dicta fuisse. Quod ex communi consensu Patrum in præcedenti capite satis probatum est, & ex contextu ipso satis probari potest. Tum quia Christus interrogando Petrum, [Diligis me plus his,] satis distinxit illum à cæteris, vt tantùm cùm propria eius persona, non vt repræsentante cæteros, sed vt ab illis distincta, negotium transigeret. Tum etiam, quia sub nomine ouium alios Apostolos comprehendit, vt supra probatum est: ergo verbum [Pasce,] necessario dictum fuit Petro vt soli, seu vt Pastori sub aliqua ratione vnicè constituto; quia non poterant singuli Apostolorum simul esse Pastores eorumdem vniuersorum: Neque ipsorum aliquis factus est Pastor Petri, sicut Petrus cæterorum omnium est Pastor constitutus.

Neque aliquis veterum Patrum, vt dixi, aliter quoad hanc partem verba illa intellexit. Quamuis enim nonnulli Patres dicant, quod tunc Christus Petro dixit, cæteris etiam Episcopis, & Pastoribus Ecclesiæ dictum esse: intelligunt dictum esse in Petro tamquam in exemplari, & conuenire alijs secundùm conuenientem proportionem. Nam licèt solus Petrus sit vniuersalis Pastor Ecclesiæ constitutus, non excluduntur particulares Pastores, quorum singulis non omnes, sed quædam ex ouibus committuntur, iuxta illud, primæ Petri 5. [Pascite, qui in vobis est gregem Dei, vbi particula, qui in vobis est,] particularem gregem determinat, & Actor. 20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.] Sicut ergo alij Pastores ad partem sollicitudinis cùm Petro assumuntur, ita intelligere debent, sibi esse dictum, [Amas me? Pasce oues meas.] Non quia quando Christus similia ferè verba protulit, ad omnes particulares Pastores formaliter loquebatur, vel ad Petrum in persona omnium, sed quia virtus, & ratio verborum Christi in omnibus Pastoribus cum proportione locum habent. Non enim possunt esse rectè dispositi ad pascendum gregem Christi, nisi ipsum ament Christum. Et hoc sensu dixit August. libro de Agone Christiano. [Cùm Petro dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Pasce oues meas.]

Venio ad alium locum Matth. 16. in quo nonnulla maior est expositionum varietas,

præsertim quoad illa verba ; [Et super hanc petram :] nam interdum Patres exponunt, illam particulam, hanc designare fidem Christi Dei, & hominis, super quam dicunt, fundata esse Ecclesiam, vt indicat Chrysost. ibi homil. 55. & Hilarius. Frequenterque alij dicere solent, fidem esse fundamentum Ecclesiæ. Alij verò exponunt, Christum dicendo, [Super hanc petram,] se ipsum designasse, quia vt dicitur 1. ad Corinth. 3. [Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud, quod positum est, quod est Christus Iesus,] de quo cap. 10. dicitur, [Petra autem erat Christus.] Quam expositionem habet August. tract. 27. & 124. in Ioann. & serm. de Verbis Domini. Verumtamen nullus ex his Patribus, qui aliter hunc locum exposuit, negauit, Petrum esse peculiari modo petram, & fundamentum Ecclesiæ, vt supra de Hilario, & Chrysostomo, ostensum est, & idem est de Ambrosio, & alijs, qui solent pro expositione priori allegari. Nam eisdem locis, vtrumque dicunt, scilicet, & Petrum, & fidem Christi, seu confessionem eius esse fundamentum Ecclesiæ. Vtrumque enim sud diuersis rationibus verum est, quia Petrus tamquam Christi Vicarius, locum ipsius absentis tenens, Ecclesiæ fundamentum est, eaque suo modo post Christum sustinet. Fides autem dicitur fundamentum tamquam ratio fundandi (vt si dicam) nam propter fidem singularem Petrus factus est Ecclesiæ fundamentum, & per fidem constitutus est firma petra ad Ecclesiam fundandam accommodata. In hoc ergo sensu dicti Patres loquuti sunt, & Chrysostom. hom. 3. in psal. 50. rectè dixit, [Ob robur confessionis vocatus est Petrus, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.] Quod si non de fide Petri in specie, sed de fide in genere sermo sit, illa etiam dicitur fundamentum Ecclesiæ, quia est prima ratio, & quasi forma Ecclesiæ membra constituens, & vniens. Et hoc modo solent interdum illa verba per accommodationem, & in sensu mystico ad totam Ecclesiam, & singulos fideles applicari, vt fecit Origen. tract. 4. in Matth. Qui tamen non negat, in proprio, & literali sensu solum Petrum ibi esse à Christo nomine petræ significatum, & in fundamentum Ecclesiæ promissum, vt ex eodem constat homil. 5. in Exod.

Altera vero sententia Augustini, quod Petra sit Christus, quoad doctrinam per se spectatam verissima est, quoad sensum autem verborum Christi difficilè accomodari potest. Nihil enim veriùs dici potest, quam Christum esse lapidem angularem, & petram in qua principaliter Ecclesia fundata est. Immò solùm Christum per se, & virtute sua Ecclesiæ fundamentum esse. Quod verò in dicto loco Matth. de se fuerit Christus loquutus, aut dicendo, [Super hanc petram ;] se ipsum signauerit, re vera non potest literali, ac proprio verborum sensui accomodari, vt ex dictis in superiori capite manifestum est. Vnde vel expositio Augustini non vt literalis, sed vt mystica ab ipso est tradita, vel ad præcedentem expositionem reducenda est. De Christo enim loquitur vt est obiectum fidei, quam confessus est Petrus, & ita eo modo dicitur, per hanc petram, Christus indicari, quo fides, vtique vt ratio, propter quam Petrus factus est Ecclesiæ fundamentum. Sic autem loqui Augustinum de Christo ex eius verbis sumi potest. Nam lib. 1. retract. c. 21. sic ait, [Postea sic exposui, quòd à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. vt super hunc intelligeretur, quem confessus est, Petrus dicens, Tu es Christus, &c.] Adde, Augustinum proponere sensum illum non vt certum, sed vt probabilem, & ad illum motum fuisse ex diuersitate vocabuli Petri, & Petra, quæ in re nulla fuit, vt iam dixi. Denique Augustinus alium sensum non excludit, multoque minùs de veritate ipsius sententiæ dubitat, quod Petrus etiam fuerit Petra, in qua fundata sit Ecclesia, id enim sæpè docet in locis capite superiori allegatis, in dictoque cap. 21. lib. 1. retract. ait, sensum illum ore multorum cantari in versibus Beatissimi Ambrosij. [Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluuit.]

Denique, quod Rex obijcit de verbis, [Quæcumque ligaueris,] quod alibi in plurali dictum sit, [Quæcumque ligaueritis,] difficultatem non habet, nam certum est, & Petrum, & Apostolos potestatem ligandi, & soluendi recepisse, verumtamen ipsa verborum differentia ostendit, aliter Petro, aliter omnibus Apostolis potestatem illam fuisse promissam. Num Petro promissa est, vt ordinaria, & vniuersalis, ac perpetuò in Ecclesia permansura, alijs verò Apostolis data erat, vel solùm quasi delegata pro eorum personis, vel si consideretur vt in Episcopis eorum successoribus permansura erat, data est dependenter à Petro, & per Petrum, vt Leo Papa, Anselmus, & alij Patres supra allegati adnotarunt. Et ex circumstantijs vtriusque loci id manifestè colligitur, vt ex dictis in superiori capite satis constat. Sicut Ioan. 20. generaliter Petro, & alijs dixerat Christus, [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, & nihilominus cap. 21. specialiter dicit Petro, [Pasce oues meas.] vtique tamquam supremus Pastor, & omnibus etiam ipsis Apostolis superior.

Neque contra veritatem hanc obstant non nulla testimonia Augustini, quæ hic obijci solent, quia dicit, Petrum quando claues accepit, Ecclesiam significasse, intellegit enim significasse Ecclesiam, quia vt Ecclesiæ Princeps potestatem clauium accepit, non pro sua persona tantùm, sed vt in Christi Ecclesia, & in successoribus, & alijs Pontificibus, & Episcopis auditoribus suis perpetuò duraret. Et ita dixit tractat. 50. in Ioann. [Si hoc Petro tantùm (id est, pro sua tantùm persona) dictum est, non facit hoc Ecclesia,] quia nimirum cùm Petro potestas extincta fuisset. Vnde quia nunc Ecclesia etiam ligat, & soluit, infert: ergo [Petrus, quando claues accepit: vtique Ecclesiam sanctam significauit.] Quæ illatio nulla fuisset, si intellexisset ; Petrum repræsentasse Ecclesiam tamquam vices eius gerentem, quia id neque necessario sequitur, neque verum est. Cum neque Ecclesia hanc repræsentationem, seu delegationem Petro commiserit, nec Christus sua potestate illam fecerit, cum verbis suis illam non significauerit. Ergo intellexit Augustinus, Petrum Ecclesiam tunc repræsentasse ratione

tione sui Primatus, & Sedis, sic enim quod datur capiti propter corpus, censetur dari Ecclesiæ in suo capite, sicut quod datur Regi ad regendum, regno dari existimatur. Et sic dixit idem August. tract. 124. in Ioann. Petrum propter Primatum suum personam Ecclesiæ gessisse. Quod apertissimè explicat dicens. [Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claues Regni Cœlorum accipit in Petro.]

Denique hic etiam fuit modus loquendi Christi Matth. 18. [Dic Ecclesiæ,] id est Ecclesiæ Pastoribus, vt omnes exponunt, & res ipsa clamat, non enim potest peccatum fratris toti cætui Ecclesiæ denunciari, sed Pastores nomine Ecclesiæ significantur, quia Ecclesia est in Episcopo tamquam in capite. Simili ergo modo dicitur Petrus in dictis locis Ecclesiam repræsentasse. Et ita etiam solutum relinquitur, quod ex eodem loco Matth. obijciebatur, quia quod subiunxit Christus, [Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus,] simili modo Pastores Ecclesiæ intellexit, eisdem ergo, seu ratione illorum dixit. [Quicumque alligaueritis,] ibique in plurali loquutus est, quia peccata non erant denuncianda soli supremo Pastori, sed etiam cæteris, ideoque vt diximus, sine præiudicio singularis potestatis Petri illud dictum est. [Nam si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, numquam nisi Petrum dedit, quod alijs non negauit,] vt egregie Leo Papa, serm. 3. assump. suæ.

At verò contra responsionem hanc vrget Rex vlteriùs in hæc verba, [Quod ni esset (id est, si non Apostoli omnes, vel Petrus nomine omnium æquè à Christo claues accepisset) qui potuit, quæso, Paulus Corinthiorum Ecclesiæ auctor esse incestum illum excommunicandi, cùm spiritu suo? dicendum sanè fuerat cum spiritu Petri. Qui potuerunt omnes Apostoli censuris suis in nomine Christi vti nec vllibi eius Vicarij meminisse?] Verumtamen hæc coniectura parui momenti est. Nam in primis licèt Petro claues singulariter datæ sint, nihilominus etiam Paulo, & alijs Apostolis immediatè Christus contulit ligandi, & soluendi potestatem, & ideò rectè potuerunt censuras ferre in nomine, & virtute Christi, cuius erant proximi ministri, nulla Petri facta mentione. Deinde etiam si à Petro immediatè potestatem accepissent (sicut nunc Episcopi accipiunt, iuxta probabiliorem sententiam) non oporteret, inferenda excommunicationis sententia Vicarij Christi meminisse, sicut neque nunc Episcopi Catholici, licèt Episcopum Romanum, vt Christi Vicarium recognoscat, cum excommunicationis sententia ferunt, non dicunt in nomine vel virtute Papæ, sed vel simpliciter vtuntur sua ordinaria potestate, vel dicere etiam possunt in virtute Christi, vel per potestatem sibi à Christo concessam. Et ratio est, quia licet Petrus sit vniuersalis Pastor Ecclesiæ, non est tamen principalis auctor, & Dominus, sed illius Vicarius. Vnde etiam ipse Petrus, ferendo censuram, dicere poterat in nomine Domini Nostri Iesu Christi, idest, vice & auctoritate eius. Idem ergo facere possunt inferiores Prælati, quia licet mediante Petro tamquam dispensatore principaliter à Christo habent auctoritatem, & in virtute illius operantur. Sicut Prorex alicuius Regni, vel Prouinciæ sæpe auctoritatem à Rege accipit constituendi per ciuitates Gubernatores, & Magistratus, & nihilominus illi omnes in publicis sententijs, & præsertim quando gladio vtuntur, se auctoritate Regia, non Proregis id facere profitentur.

Nec tamen nego posse ministrum, vel Legatum Pontificis excommunicando, dicere, se id facere potestate à Pontifice accepta. Nam verum dicerent, & sine iniuria Christi: quia per illa verba non attribuitur effectus Pontifici vt principali causæ simpliciter, sed tantùm in genere ministri, seu Vicarij communicantis iurisdictionem suam. Quod secus fortasse esset si diceretur in nomine, aut virtute Petri, aut Papæ, quia hæc verba videntur significare auctoritatem principalis Domini, vt sensit D. Thom. 1. ad Corinth. 5. Et ideò talis modus loquendi non est in vsu. Alio verò, scilicet, auctoritate mihi à Papa concessa, vel alio simili vti solent interdum Ecclesiastici iudices, præsertim delegati. Dico tamen etiam illum modum loquendi non esse necessarium, neque vsitatum ab ordinarijs Pastoribus, vt sunt Episcopi, qui post acceptam potestatem ad modum causæ proximæ, suo iure vtuntur. In Apostolis vero, vt dixi, intercessit maior ratio, quia non à Petro, sed immediatè à Christo habuerunt auctoritatem. Vnde constat, meritò dixisse Paulum, & spiritu meo, nec debuisse, immò nec potuisse dicere, & spiritu Petri, tum propter rationem datam, quia Paulus non habebat potestatem à Petro, quia erat Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, vt ipse dicit ad Galat. 1. tum etiam quia ibi particula illa, & spiritu meo, non significat virtutem, seu potestatem operandi, sed conditionem necessariam ad iudicandum, nimirum notitiam sufficientem causæ, vt patet ex illis verbis, [Absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est:] nam in eodem sensu subiungit; [congregatis vobis, & meo spiritu,] id est, mea notitia, & spirituali præsentia. Hæc autem conditio non poterat attribui Petro, immò neque propriè Christo, quia est propria, & personalis conditio requisita ex parte ministri, præter quam requiritur auctoritas principalis Domini, ideoque Paulus addidit [cum virtute Domini nostri Iesu Christi.]

Tandem obijcit Rex indicia quædam directè contra Petri primatum. Vnum est, [quia in omnibus Apostolorum congressibus Petrum, vt è multis vnum, legimus inter illos consedisse,] vt in Concilio, cuius fit mentio Act. 15. Vbi etiam ad nuncios mittendos, solum dicitur, [Visum est Apostolis, & Presbyteris, totique Ecclesiæ mittere electos viros. Sed mirum (ait Rex) de Ecclesiæ capite silentium. Sic in eorum literis Apostolorum, seniorum, & fratrum fit mentio, de Petro, nec verbum.] Alterum indicium est, quia Paul. 1. ad Corinth. 1. æque reprehendit dicentes, [Ego sum Cephæ,] ac dicentes, [Ego sum Pauli, ego autem Apollo,] cum tamen si Cephas esset caput Ecclesiæ, damnandi potius essent, qui ab eo stabant, tanquam à fide

Catho-

Catholica recedentes ,& soli Petri sectatores habendi essent fideles. Tertium indicium est, quia Paulus ad Galat. 2. cum Petto tam parum comiter egit, vt illi noo se æquaret modo, sed etiam anteferret. Quartum indicium,licet per irrisionem positum,addit, quia Paulus xd Galat. 1. dicens, se profectum Hierosolymam,[vt Petrum viseret, & certis de rebus cum eo ageret, non addidit, co quoque se ad sacra pedum oscula esse profectum.]

Hæc verò, & similia digna non sunt,quæ contra rotius Ecclesiæ auctoritatem, & verba Christi saris expræssa pruponãtur, illis tamen satissacendum est, ne aliquid omisisse videamut. Ad primum iu primis dicimus, falsum esse quod sumitur, nam Actot. 1. refertur quidam Apostolorum congressus, & tamen oou solum Petrus tanquam caput primo loco ponitur, sed etiam ipse, tanquam caput, tutum cætum alloquutus est, & de creando duodecimo Apostolo loco Iudæ, decreuit, quod alij secuti sunt. Vbi rectè Chrys.Homilia. 3. inquit, [Quam est feruidus, quàm agnuscit creditum à Chtisto gregem, quàm in hoc choro Princeps est,]ergo teste Chrysostumo, quem alij sequuntur, in illo conuentu, Petrus vt superiot cæteris, & vniuersalem curam gerens proponitur. Quod etiam notauit Leo Papa IX. epist. ad Michaelem cap.16. dicens,ibi Petrum auctoritate sua vsum fuisse. Vnde oon sine causa fere sempet, vbi numerantut Apostoli, primo loco ponitut Petrua tanquam Dux, & Princeps cætetorum, quod non casu, neque ob aliam excellentiam, aut prærogatiuam factum esse, eruditè Bellarminus ostendit lib 1. de Summo Pontif. cap.18. Quocirca etiam in Hierosolymitano Concilio primus est, qui loquitur. & magna auctoritate suam sententiam profert, quod etiam ad primatum, & (vt sic dicam) ad præsidentiam eius in Concilio pertinuisse, multi adnotaruot. Vnde necessarium non fuit, posteà in decernenda legatotum missiune, vel in forma decteti specialem mentionem Petri facere, tum quia Petri, & senteutiæ eius iam facta sufficientet fuerat, tum etiam quia non specialiter nomine Petri,sed nomine totius Concilij epistola, & definitio scribebatnt. Addi etiam potest, in auctoritate, & spiritu non ertandi in fide habuisse tunc Apostolos quandam æqualitatem, & ideò quoad hoc omnes in primo otdioe positos fuisse.

Ad secundum iodicium respondemus, nihil ad præsentem cansam pertinere: nam vt notat Chrys. Otat. 3. iot. ad Corinth. Inter Corinthios [non erant schismata eo, quod in fide diffiderent, sed ex eo, quod humana contentione diuisa esset sententia.] Quod satis explicuit idem Paulus, tnm blande, & leniter eos obsecrando, [vt sint perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia,] tum explicando qualea essent contentiones, quia de priuatis magistris, aut baptizatoribus gloriabantut, & ab eis nominabantur, dicentes, [Ego sum Pauli,ego Apollo,ego Cephæ.] Posuit autem Paulus suum, & Petri,& Apollinis nomen, non quia reuera sub his nominibus diuisiones, & contentiones fierent, sed illa ponendo loco illorum, qui erant capita factionum, vel ne illos nominando magis exacerbaret, vel vt rem magis exaggetatet, nam si sub nominibus Principum Apostolorum nõ licebat, contentiones, & diuisiones facere, multò minius aliorũ nominibus. Cum ergo contentiones solum essent, quòd vnusquisque de proprio magistro, seu ministro gloriabatur, ac si melius ab eo esset baptizarus, aut instructus, non oportebat, vel damnare eos. qui à Cepha non nominabantur, vel eos laudare, qui de illius baptismo gloriabantur,sed illos tantum commendare, qui dicebant, [Ego sum Christi.] Quia neque illi, qui dicebant. [Ego sum Pauli, vel Apollo à Petro visibili capite in fide diffidebant,sed solum io speciali affectu, vel æstimarione baptismi, aut magistri sui: nec qui Cephæ se esse dicerent, in hoc essent tolerandi, quia licet Petrus esset visibile capue, non tamen vt Princeps supremus, sed vt Vicarius Principis, qui est solus Christus, à quo solo nominandi sunt Christiani. Nec per priuatos affectus etiam circa Petrum, & Paulum, diuidendus est Christus, seu Christianorum nomen, quia nec baptismus est melior, eo quòd à meliori ministro detur, neque similes contentiunes in Ecclesia mouendæ sunt.

De tertiu indicio sumpto ex facto Pauli resistentis Petro, dici possent multa, nisi nuper in lib. 9. de Legibus à nobis dicta fuissent, ideoque breuitet dico, etiam antiquos hæreticos inde sumpsisse argumentum contra dignitatem, vel potius contra doctinam Petri. Quibus vno verbo tespondet Tertullianus lib. de præscrip. hæret. dicens, [Cæterum si reprehensus est Perrus, conuersatiunis fuit vitium, non prædicationis.] Falsum ergo est, Paulum ant parum cumiter egisse cum Perro, aut illum sibi æquasse, nedum antetulisse. Quid enim? si Rex Angliæ minus consideratè, & cum scandalo suotum subditorum aliquid ageret, & aliquis familiaris, vel consiliarius suus eum monetet id non rectè fieri, vel esse iniustum, aut alijs esse offendiculo, ideò se Regi anteferret, aut illum, vt Regem non recognosceret? Minime verò, alioqui nunquã licebit subdito fraternè corripere Prælatum suum, aut illi cum debira reuerentia resistere, vt scandalum publicum tollatur, quod dici non potest. Igitur ex illo facto Pauli colligi non potest,se ante posuisse Petro in potestate, vel Prælatione: nam licet esset inferior, poterat illo charitatis officio vti. Et ita intellexit locum illum August. ep. 19. & D.Th. 2.2. q. 33. art. 4. ad 2.

Ad quartum de profectiooe Pauli ad videndum Petrum, Galat. 1. certè Hieron. ibi dicere non dubitauit, [ascendisse studio honoris Priori Apostolo deferendi.] Et Ambros. [Digna fuit,vt cuperet videre Petrum,qui primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.] Et alij etiam Patres ita sæpè loquuntur. Et quamvis fateamur, ex solo illo facto Pauli non colligi necessariò prelationem Petri,tamen suppositis alijs testimonijs dignitatem Petri commendantibus, magnum indicium inde sumitur, Paulum recognouisse Perrum vt caput suum, & vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, ideòque quamprimum commodè potuit, ascendisse Hierosolymam, inuisere illum, & debito prosequi honore. Nec dubitandum est,quin Paulus pro

humi-

humilitate sua pedes Petri osculari caperet, verumtamen, nec id modestia, & submissio Petri permisisset: nec denique necesse fuit, paulum eo loco referre modum honoris, ac reuerentiæ, quàm Petro exhibuit. De consuetudine autem venerandi Pontificem per pedū oscula, cui tacitè Rex Angliæ hic detrahere voluit: non est hic dicendi locus, legat cui placuerit Iosephum Stephanum opusc. de adorat. pedum in tom. 13. tractatuum.

CAP. XII.

An primatus Petri perpetuo, & per successionem in Ecclesia perseueret.

NOn desunt ex huius temporis Hæretici, qui non solùm absolutè negent Petrum, vel Pontificem Romanum esse totius Ecclesiæ Pastorem, Christive Vicarium, sed etiam ex hypothesi, licèt Petrus illam prærogatiuam habuisset, cùm illo extinctam fuisse dicant, vt hoc modo faciliùs in Pontifice Romano perseuerare abnegent. Vt ergo errorem hunc funditus euertamus, & per eosdem gradus ad veritatem intentam perueniamus, prius ostendemus hoc capite, Petrum non extraordinario iure, seu singulari, vel (vt sic dicam) vi tali priuilegio, sed iure ordinario, & ratione Ecclesiæ perpetuo duraturæ Vicarium Christi creatum fuisse, postea verò ad Romanum Pontificem in sequenti capite gradum faciemus.

Principio igitur statuimus, Primatum Petri non illi soli pro sua persona fuisse collatum, sed vt perpetuo in Ecclesia duraret in eo fuisse institutum. Hoc facilè probari potest ex dictis in duobus capitibus præcedentibus. Nam hac ratione postquam Christus dixit Petro: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] statim adiungit, [Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam;] promittens perpetuam Ecclesiæ durationem in Petro fundatam, tamquam in petra firmissima, & in perpetuò duratura, vt supra lib. 1. latè comprobatum est, & coofirmatum ex alia Christi promissione: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Et hac etiam ratione dixit Augustinus, vt præcedenti capite explicuimus, Petrum repræsentasse Ecclesiam, quando illi claues datæ sunt, quia non pro illius tantùm persona, sed pro illius Sede, vt perpetuò cum Ecclesia duraret, eamque regeret, suoque modo sustentaret, illi datæ sunt. Vnde sicut ex illis verbis: [Tu es Petrus, &c.] intulit Ambros. Psal. 40. ita nos inferre possumus, vbi Ecclesia, ibi Petrus, & quamdiu durat Ecclesia, tamdiu durat Petrus, quod etiam significauit idem Ambros. subiungens: [Vbi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna;] & ideò addidit: [Et portæ inferi non præualebunt ei.] Rectè quidem dixit, [vbi Ecclesia, ibi nulla mors,] quia, licèt singuli de Ecclesia moriantur, Ecclesia non moritur, & licèt Petrus defecerit, Sedes Petri non deficit.

Alia præterea verba Christi: [Pasce oues meas,] si eius intentio, & institutionis ratio prudenter considerentur, non minùs efficaciter dictam veritatem confirmant. Nam in primis ratio ex Patribus supra adducta, quòd Christus indefinitè Petro commendans oues suas, vniuersas oues illius curæ commisisse intelligitur, æquè in totius temporis, ac in cuiuscumque loci nuibus procedit, quia sicut futuræ erant oues Christi in diuersis locis, ita in diuersis temporibus, & in quolibet tempore oues indigebant supremo aliquo Pastore, sicut & in omni loco. Denique cùm Christus dixit, [Pasce oues meas,] certum est, non fuisse loquutum de solis ouibus, quæ iam tunc erant in ouile suum congregatæ, paucæ namque illæ erant, Christus autem futuræ Ecclesię suæ ex omnibus gentibus congregandæ prouidebat. Igitur non tantùm præsentes, sed etiam futuras oues suas Petro commendauit, cùmque limitationem temporum non adhibuerit, omnium temporum oues Petro commisit, sicut de loco diximus, vel de numero dici potest. Dicet aliquis, rectè hinc probari, commendatas fuisse Petro oues etiam futuras, dùm ipse viueret, non verò postea futuras. Quomodo enim futuras post se oues pascere posset? Respondetur, illud esse incredibile, quia aliàs non satis Christus ouibus suis prouidisset, cùm tamen non minorem curam gereret ouium post mortem Petri futurarum, quàm ipso viuente. Vnde rectè Chrysostom. homil. 55. in Matth. [Apertè, inquit, hic prædixit magnam eorum, qui crediturí & erant, & sunt, multitudinem fore, & sublimiora sapere ipsum facit, & Ecclesiæ Pastorem constituit.] Vtique futuræ ex omnibus, qui erant, & sunt credituri. Neque est difficile ad explicandum, quomodo Petrus post mortem suam potuerit pascere oues Christi in hoc Mundo relictas. Tum quia hinc intelligimus Christum non tantùm Petro in persona sua, sed Sedi Petri, seu Petro, vt continenti in se tamquam in semine, & fundamento omnes successores suos, oues suas commendasse. Tùm etiam, quia propter hanc causam ad Pastorale munus Petri pertinuit prouidere modum, quo sibi succederetur, vt oues Christi sine Petro Pastore non relinquerent, etiamsi persona Petri deficeret, & ita vsque hodie Petrus pascit oues Christi per successores suos.

Atque hoc confirmant optimè verba Christi Ioan. 10. [Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet, me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.] Nam ex illis colligimus, in Ecclesia Christi tam esse futurum semper vnum Pastorem, sicut vnum ouile, ac subinde Pastorem illum à Christo datum, & institutum duraturum esse, donec totum ouile Christi congregetur. Significauit etiam Christus in illis verbis, Pastorem vnum in Ecclesia sua necessarium esse propter ouilis vnitatem; hæc autem vnitas ouilis omni tempore seruanda erat, quia in omni tempore vna est Ecclesia; ergo & vnus Pastor à Christo constituens pro omni tempore datus est, non in eadem persona, sed in eodem throno, sicut Ecclesia vna est, non in eisdem personis, sed in eiusdem populi successione. Vnde Augustinus lib. de Pastoribus cap. 13. [Hic innenio, inquit, omnes Pastores bonos in vno pastore. Non enim verè boni Pastores desunt, sed in vno sunt. Multi sunt, qui diuisi sunt. Hic vnus prædicatur, quia vni-

vnitas commendatur. Neque enim verè modo ideò tacentur Pastores, quia non inuenit Dominus, cui commendet oues suas: tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit. Immò in ipso Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas.]

Sed dicent fortè Aduersarij, illum vnum Pastorem esse Christum, nam statim Augustinus addit: [Omnes boni Pastores in vno sunt, vnum sunt, illi pascunt, Christus pascit.] Respondetur, Christum quidem esse principalem Pastorem, in quo omnes alij Pastores simul etiam cum Petro nituntur, & vniuntur, nihilominus tamen etiam in terris, necessarium esse vnum Pastorem Christi Vicarium, in quo inferiores Pastores proximè vniantur, & nitantur. Quia sicut Ecclesia Militans visibilis est; ita Deus in ea posuit visibiles Pastores, & Doctores, cum quibus plebs vniri debet, & vt ipsi Pastores inter se vniantur, necessarius etiam est vnus Pastor visibilis, qui locum Christi absentis teneat. Vnde Augustinus supra subiungit: [Nam & ipsum Petrum, cui commendauit oues suas, quasi alter alteri vnum secum facere volebat, vt sic ei oues commendaret, vt esset ille caput, ille figuram corporis portaret, idest Ecclesiæ, & tamquam Sponsus, & Sponsa essent duo in carne vna.] Et sermone 29. de Sanctis cap. 2. in eodem sensu dixit: [In vno Petro figurabatur vnitas omnium Pastorum.]

Multo verò clarius, & copiosius Cyprianus lib. de vnit. Eccles. circa princip. [Vt vnitatem, inquit, manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.] Vbi manifestè institutionem, & dispositionem vnius Cathedræ, ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam institutæ, distinguit ab ipsomet Christo instituente. Et similiter præter Christum designat vnum alium Pastorem, in quo illa Cathedra, & institutio incepit, vt ab illo originem duceret, non vt cum illo finiretur. Vnde subiungit, [Exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur,] sentiens, tantùm durare cathedram illam, quantum Ecclesia durat. Et hoc ipsum multis alijs locis significauit idem Cyprianus, præsertim epistol. 40. [Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata.] Et epist. 55. vbi habet illam celebrem sententiam, [inde oriri hæreses, & schismata, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, neque vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.] Et similia ferè habet epistol. 69. ad Florentium, & epist. 73. ad Iubaianum, [Petro, inquit, primum Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, vt illud solueretur in Cœlis, quod ipse soluisset in terris.] Quem locum recognoscens Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 17. dicit, [Quia in typo vnitatis Petro Dominus dedit potestatem, manifestum est, quòd illa vnitas etiam vna columba perfecta sit dicta.] Ex ratione ergo illius institutionis manifestum est, non fuisse solùm specialem fauorem, vel gratiam personæ Petri factam, sed dispositionem regiminis perpetuò in Ecclesia duraturi.

Vnde etiam sumitur ratio moralis, in optima Ecclesiæ gubernatione fundata. Est enim Christus Dominus supremus Rex, quem dedit Deus caput supra omnem Ecclesiam, vt ad Ephes. 1. dicitur, id est, supra triumphantem, & militantem, quæ vna est, & vnum Corpus Christi, quasi ex illis duabus partibus constitutum, vt ibidem, & ad Coloss. 1. dicitur. Sunt ergo illæ duæ Ecclesiæ quasi duo regna partialia vnius integri regni Christi, ideoque ad ipsum tamquam ad proprium Regem pertinet vtriusque regni gubernatio. Fieri autem non poterat sine ingenti, & extraordinario miraculo, vt simul esset Christus visibiliter præsens in vtraque huius regni parte, & alioqui cœlestis locus post resurrectionem ratione status illi debitus erat, & ad fidem credentium non expediebat, vt inter eos Christus visibiliter permaneret, sicut ipse dixit, [Expedit vobis, vt ego vadam;] ideoque cœleste regnum per se ipsum nunc immediatè regit. Ergo cùm non possit eodem visibili modo partem hanc militantem sui regni gubernare, ad illius sapientiam pertinuit modum regiminis hominibus accommodatum in eo prouidere. Ergo sicut regnum hoc duraturum est, quamdiu mundus durauerit, ita modus regiminis eius non potest esse alius, nisi quem Christus instituit, & è conuerso institutio regiminis eius ita facta est, vt non minùs, quàm regnum ipsum sit duratura, alioqui imperfecta fuisset, & insufficiens. Fuit autem illa institutio monarchiæ in Petro, vt vidimus; ergo non tantùm pro Petro, sed etiam pro successoribus eius facta est. Quod his ferè verbis declarauit Cyprian. epist. 27. [Dominus noster Ecclesiæ suæ rationem disponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et infrà. Inde per temporum, & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur.] Vbi non solùm Pontificatus Romani, sed etiam omnium aliorum Episcoporum successionem ab illa primaria, & quasi radicali institutione deriuari significat, quod libro etiam de Vnit. Ecclesiast. latius prosequitur.

Denique non solùm Petro, sed etiam successoribus eius datam esse potestatem, & pastoralem curam, & ita primatum eius esse perpetuum, apertè declararet Leo Papa in serm. 2. de Assumpt. sua dicens, [Etsi multis Pastoribus curam suarum ouium delegauit, ipse tamen dilecti gregis custodiam non reliquit. De cuius principali, æternoque præsidio etiam Apostolicæ opis munimen accepimus, quod vtique ab opere suo non vacat, & firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassescit. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est, & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. Et infra. Manet ergo dispositio veritatis,] & cætera, quæ prosequitur. Et simili modo Chrysost. lib. 2.

de

de Sacerdot. vbi tractans locum Ioan. 21. Inter alia inquit, [Quanam de causa Christus sanguinem effudit suum? certè vt peudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Et adiungit. Iure igitur, ac meritò sic loquebatur Christus. Quisnam fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?] Et infrà dicit apertè, successores Petri ea nunc agere, [quæ cum Petrus ageret, inquit, illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere.] Similiter D. Augustin. lib. de Vtilit. credendi cap. 16. per successiones Episcoporum ab Apostolica sede hanc perpetuitatem declarat, & lib. 11. contra Faustum cap. 2. [Vides in hac re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot consensione firmatur.] Et eodem modo hanc veritatem declarant Optatus, Pacianus, & alij, quos in sequenti capite commodiùs referemus.

Sed obijcere possunt hæretici, quia alij Apostoli pro suis tantùm personis legationem, seu dignitatem Apostolicam acceperunt; ideoque post mortem non habuerunt in illa dignitate successores; ergo nec Petrus in suo Apostolatu successorem habuit, quia licèt inter Apostolos fuerit primus, & inter eos principatum aliquem, vel potestatem acceperit, propter seruandum ordinem, & concordiam; nihilominùs nulla maior ratio successionis in eo, quam in alijs reperitur. Respondetur, contrarium posse eodem argumento probari, nam in Apostolis duo considerari possunt à Christo Domino illis collata, scilicet, potestas ordinis, & dignitas Apostolica. Prior nihil aliud in eis fuit præter ordinationem suam, seu consecrationem Episcopalem, quæ ad fundamenta Ecclesiæ pertinet, & ideò cum illis extincta non est, sed in illa habent Episcopos successores, vt sentit Cyprianus lib. de Vnit. Ecclesiæ, & alijs epistolis citatis, August. enarrat in Psalm. 44. & Hieronymus epist. 85. ad Euagrium. Et ideò de hac potestate intelligendum est, quod ibidem ait, omnes Episcopos esse æquales. Posterior verò, idest Apostolica dignitas, multa includebat priuilegia, nimirum, potestatem immediatè à Christo delegatam ad prædicandum per vniuersum Orbem cum auctoritate, & speciali potestate ab ipso Christo concessa, iuxta illud, [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Item multas gratias, & prærogatiuas tali muneri acommodatas, vt fuerunt abundantia spiritus cum confirmatione in gratia, & in fide, cum quadam scientiæ plenitudine, ita vt in rebus fidei nec falli, nec fallere possent, vel docendo, vel scribendo, itemque vt præter donum linguarum, quod ad docendum habebant, haberent etiam directionem spiritus ad canonicè scribendum. In hac ergo dignitate verum est, Apostolos non habuisse successores, erat enim extraordinaria, & solùm pro initio disseminandi Euangelium, & plantandi Ecclesiam requisita, non verò ad ordinarium regimen eius necessaria.

Vnde etiam in hac parte, quoad multas ex dictis prærogatiuis Petro non succeditur. Præter hæc autem duo, aliquid singulare tributum est Petro, nimirum, ius supremi Pastoris, & Vicarij Christi in eius Ecclesia, simpliciter, & absolutè pro quocumque loco, & tempore spectata. Et in hoc non est comparandus Petrus cum cæteris Apostolis, aliàs nihil singulare accepisset, & ideò quoad hanc partem illatio est nullius momenti, & potiùs (vt dixi) oppositum inferre licèt ex singulari concessione, & ex ratione muneris. Potest autem in cæteris Apostolis peculiari modo auctoritas Episcopalis quoad iurisdictionem considerari, quatenùs ordinarium regimen, & sedem alicuius Ecclesiæ receperunt, sicut Iacobus frater Domini Hierosolymis constitutus est Episcopus, quod tamen de alijs non est certum, quamuis eadem ratione fieri potuerit. Quoad hanc ergo Episcopalem auctoritatem, quia ordinaria est in Ecclesia, etiam succeditur Apostolis, sicut Iacobo Simeon successit. Et ita quoad hoc potest aliqualiter admitti comparatio, longè tamen diuersa ratione, tum quia hæc ordinaria dignitas Episcopalis non est data alicui Apostolo extra Petrum, iure diuino, sed mediante Petro, vt de Iacobo refert Euseb. lib. 2. Histor. cap. 1. & de Ioanne Ephesi commorante verisimile fit ex Irenæo lib. 3. cap. 3. in fine, vt omittam, quæ de Andrea, Barnaba, & alijs historiæ referunt. Vbi ergo Apostoli vt proprij Episcopi particulares Ecclesias regebant, iurisdictio illa certis limitibus continebatur, & intra illos tantùm eis succedebatur, Petri autem iurisdictio, quam à Christo immedistè recepit, fuit vniuersalis pro tota Ecclesia, & ita fuit etiam illi proprium, in hac dignitate successorem habere.

CAP. XIII.

Romanum Episcopum verum Petri successorem esse, & in eo Petri potestatem perseuerare, ex diuina Scriptura credendum esse, ostenditur.

Svpponimus id, quod satis in superioribus probatum est, semper in Ecclesia requiri aliquem Petri in eius vniuersali regimine successorem, tunc verò addimus, illum in vnoquoque tempore vnum tantùm supremum Episcopum, vnamque personam esse posse. Quia ostensum est, Ecclesiasticam rempublicam, eiusque spirituale regimen ita semper conseruari debere, sicut à Christo est institutum, est autem monarchicum ex institutione Christi; ergo ita debet per successionem conseruari; ergo vnus tantùm simul, seu quouis tempore potest esse Petri successor, licèt per successionem in diuersis temporibus multiplicari, necessarium sit. Declaratur ampliùs, quia si plures Episcopi simul Petro succederent, tribus modis id posset intelligi.

Primò vt vnusquisque eorum succederet tantùm in parte pastoralis muneris, quasi principatum inter se diuidendo, ita vt totus quidem esset in omnibus simul, non tamen in singu-

singulis; neque in omnibus collectiuè, sed diuisus in singulis per partes. Et hunc modum asseruisse referuntur aliqui ex Protestantibus, allegantes illud Cypriani de Vnit. Eccles. [Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.] Verumtamen hoc nihil aliud est, quàm veram successionem in primatu Petri negare: nam eo ipso, quod primatus eo modo divideretur inter multos, nullus eorum esset vniuersalis pastor Ecclesiæ, sed tantum eius partis, quæ illi contingeret; ergo nullus eorum esset verus, & (vt sic dicam) adæquatus successor Petri, nullus enim esset supremus simpliciter, quem cæteri recognoscerent, quod habuit Petrus. Et consequenter nullus esset petra fundamentalis Ecclesiæ, & ad nullum eorum pertinerent verba Christi, [Pasce oues meas,] quatenus per illa omnes oues vni Pastori commendatæ sunt. Denique in nullo eorum vnitas Ecclesiæ seruaretur, sed potiùs in illis multis Ecclesia scinderetur, sicut Occidens, & Oriens in diuersa imperia diuisa fuerunt, quod quantum repugnet vnitati Ecclesiæ suprà ostensum est. Nec sensus verborum Cypriani est ille, quem Protestantes fingunt, cùm idemmet Cyprianus tum in eodem libro, tum alijs locis iam sæpe allegatis vnam cathedram maximè commendet, & vnum Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, sine quo eius vnitas subsistere non potest. Sensus ergo est, Episcopatum totius Ecclesiæ vnum esse sub illo tamen particulares esse Episcopos, qui in partem sollicitudinis vocantur, non vt supremi Pastores in suis diœcesibus, sed sub vno, qui supremus est. Quem sensum satis declarauit Cyprianus, subiungens, [Ecclesia quoque vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis.] Et post varia exempla sumpta ex multis radijs, ramis, vel fluminibus, qui vnitatem habent in origine, de vnitate Ecclesiæ ita concludit, [Vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa, quam matrem alibi in particulari designat, vt mox videbimus.

Secundò modo cogitari potest successio plurium simul in primatu Petri, non diuisim, sed collectiuè, & per modum vnius tribunalis, seu congregationis. Et hunc modum excogitare potuerunt, qui non obstante primatu Petri, dixerunt, generale Concilium esse suprà Papam. Quamquam illi forsasse dicere cogerentur, etiam tempore Petri, Apostolorum, vel Episcoporum Concilium fuisse supra Petrum, quia eadem est seruanda proportio, neque est maior ratio de vno tempore, quàm de alio; imò nec potest aliter doctrina subsistere, vt statim ostendam. Ita verò sentire de Petro, & de eius primatu non solùm fundatum non est in Euangelio, verùm etiam verbis Christi repugnat, vt constat ex his omnibus, quæ de primatu Petri diximus. Nam Christus Petro commendauit simpliciter oues suas, siue sigillatim singulas, siue simul totum earum gregem, & supra illum Petro tribuit potestatem, & ideò totius corporis Ecclesiæ fundamentum illum constituit. Ipsis autem ouibus, siue diuisim, siue simul toti gregi non solùm potestas supra Petrum data non est, verùm etiam neque vlla omninò potestas legitur immediatè à Christo collata. Sed de hoc aliàs, nunc enim satis à nobis probatum est, Petro simpliciter datam esse potestatem supra totam Ecclesiam, non pro eius persona tantùm, sed vt ei succederetur. Hoc ergo supposito, dicimus, successorem in ea potestate, quàm Petrus habuit, vnam tantùm personam esse posse, & non plurium congregationem, aliàs mutata fuisset Christi institutio, ex monarchica in Aristocraticam, quod esse non potest sine eiusdem Christi auctoritate, quæ reuelata non est, neque per Scripturam, neque per traditionem. Et deinde illa non esset successio, sed esset noua creatio, seu alterius regiminis institutio, cuius originem ostendere oporteret: nam Petri primatus ex vi primæ institutionis per solam successionem perseuerat, vt ostensum est. Denique abstrahendo à quæstione de comparatione Papæ, & Concilij, certum est, Petrum habuisse primatum in tota Ecclesia, quamdiu actu non erat congregatum Concilium, cuius congregatio ex voluntate Petri pendebat, cum solus ipse in tota Ecclesia esset superior; ergo successor etiam Petri in hac eadem potestate debet esse vna persona, vnum Episcopatum gerens, quidquid inde circa illius cum Concilio comparationem subsequatur, quod præsenti instituto nihil refert.

Tertiò tandem modo cogitari potest, habere Petrum simul, & pro eodem tempore plures successores, diuisim, & insolidum habentes integrum primatum, & vniuersalem curam pastoralem. Et hic modus à nullo etiam hæretico assertus, aut excogitatus est. Nam in primis repugnantiam inuoluit, quia si plures essent primi, nullus eorum esset positiuè primus, idest, superior omnibus, sed ad summum negatiuè, idest, non habens alium supra se; vtrumque autem repugnat. Quia ex priori membro sequitur, nullum eorum successisse Petro in primatu, quia Petrus positiuè fuit omnibus superior, & simpliciter fuit Pastor omnium ouium Christi extra ipsum, quod nullus illorum haberet. Ex altero verò membro, & vnitas Ecclesiæ destruitur, & corpus eius monstrosum fingitur, vtpotè habens simul duo capita æqualia, quæ nec pacem, nec concordiam inter se habere potuissent. Et ideò ipsa etiam natura vniuersa hanc Potentatuum multitudinem abhorret, vt dixit etiam Philosophus in fine Metaphysicæ, & meliùs Cyprianus de Idolor. vanit. & Athanasius contra Idola. Vnde ipsa etiam bruta animalia ducem vnum sequi solent, vt latè Hieronymus epistol. 4. Denique si alij Apostoli non habuerunt cum Petro similem æqualitatem, qui fingi potest, aliquem posteà fuisse Episcopum successori Petri iurisdictione æqualem? aut quæ fingi potest institutio, vel necessitas plurium simul in vnius potestatis adæquatè, & insolidum successionis? Est ergo certum Petri successorem vnam tantum personam, seu vnum Episcopum esse posse. Quo semel legitimè creato, vt rectè dixit Cyprian. epist. 52. [Quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, neque habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille fuerit, multum de se licet iactans, & sibi plurimum vindicans, prophanus est,

est, alienus est, fotis est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est.] Sit igitur constans in vna sede Episcopali, seu in vna Episcoporum serie successionem hanc constituendam esse.

Hinc ergo concludimus solum Romanum Episcopum esse verum successorem Petri, & potestatem Petro datam ad oues Christi pascendas, in illo perseuerare. Hæc assertio certa, & Catholica fide tenenda est, nam licèt expressè, & in proprijs terminis in Sacra Scriptura non legatur, in principijs in illa reuelatis virtute continetur, quod per Ecclesiam sufficienter declaratum est; imò quadam rerum euidentia, & experimento constat. Declaratur in primis, nam ex Scriptura habemus, Petro datum esse primatum Ecclesiæ, vt perpetuò in illa duraturum, vt satis probatum est. Hæc autem duratio, cùm non esset futura in vna, & eadem persona, necessariò futura erat per plurium personarum in eadem dignitate successionem, & hoc etiam sufficienter in Scriptura continetur, non per additionem aliquam, sed per legitimam eiusdem Scripturæ interpretationem. In qua autem Sede, vel Episcopatu relicta fuerit hæc successio, & personarum series in hac dignitate succedentium, Scriptura non retulit, quia historia canonica noui testamenti vsque ad mortem Petri non peruenit. Ideoque vt Ecclesiæ certò constet, in tali sede impleram esse, & hactenus impleri institutionem à Christo factam, & in Scriptura reuelatam, satis est, vt applicatio (vt sic dicam) illius institutionis, & dignitatis ad talem episcopatum per euidentem traditionem, & continuum, ac notissimum vsum eidem Ecclesiæ sufficientissimè proponatur.

Nam sicut in primo libro ex ratione, institutione, & fine Ecclesiæ Christi necessarium esse ostendimus, illam in indiuiduo, & in particulari esse visibilem, ita ex institutione, & fine muneris Vicarij Christi, necessarium est illum esse visibilem Ecclesiæ, in particulari, ac determinata sede, & successione. Quid enim prodesset Ecclesiæ confusè credere, esse in terris aliquem Episcopum, seu Episcopatum cum potestate, & munere Vicarij Christi, si in particulari non agnosceret, ac certò crederet, quisnam talis Episcopatus esset? aut quomodo possent oues suum Pastorem sequi, vel ad illum recurrere, vel vocem eius audire, & recognoscere, nisi in particulari talem Episcopum in tali sede, vel Episcopatu sedere crederent? Sicut ergo Ecclesia visibilis non tantùm fide humana, sed etiam diuina creditur esse vera Ecclesia, quia sensibilia signa, per quæ videtur, non sunt ratio credendi, sed proponunt vt euidenter credibile. illam esse veram Ecclesiam, quam Deus semper in Mundo esse futuram reuelauit: ita non solùm fide humana, sed etiam diuina credendum est, Romanum Pontificem esse caput visibile huius Ecclesiæ vice Christi, quia signa illa, quibus hoc caput ostendimus, faciunt credibile euidenter, illum esse, quem Christus ex vi suæ institutionis Vicarium suum constituit. Hoc ergo modo dicimus, assertionem positam esse de fide, & in Scriptura, Ecclesiæ traditione adiuncta, sufficienter contineri.

Superest, vt signa, & testimonia huius euidentis credibilitatis afferamus. Primumque, & quasi fundamentale sit, D. Petrum in Episcopatu Romano vltimo tempore vitæ suæ sedisse, ibique mortuum fuisse: nam hinc fit consequens, vt successores eius in eadem sede permanserint. Vt antecedens meliùs intelligatur, tria tempora, seu status in Petro post Christi ascensionem distinguere possumus. In primo præsedit vniuersali Ecclesiæ Christi sine determinatione ad propriam, & specialem curam alicuius particularis Episcopatus, nimirum per quinque, vel sex annos priùs quàm Antiochiæ sedem figeret, vt ex Eusebio in Chronico, & ex alijs antiquis historijs constat. In secundo sedit Petrus Antiochiæ ab vltimo Tiberij anno per septem annos. Quibus finitis secundo, vel, vt alij volunt, tertio Claudij anno, & quadragesimo quinto aduentus Christi Ecclesiam Romanam fundauit, ac sedem suam in eam transtulit, ibique vsque ad mortem sedit, quam in eadem vrbe Roma per Martyrium passus est.

Hinc ergo fit, successionem in Cathedra Petri non potuisse in Hierosolymitana, vel Antiochena Ecclesia contingere. Quia in priori numquam sedit, sed in ea Iacobum primum omnium sedere fecit, cui Simeon successit, vt diximus, & est in historijs notum. In posteriori autem non permansit, sed ad tempus tantum in ea sedit, & consequenter adhuc viuens, ibi successorem habuit, quem ipse sua auctoritate constituit, vel Euodium, vel Ignatium, de quo videri potest Turrianus in Constitutiones Clementis lib. 7. cap. 46. & Baron. in Martyrolog. die 1. Februarij. Successit autem Euodius Petro in particulari Episcopatu Antiocheno, non verò in primatu, seu Episcopatu vniuersali. Nam Antiochenam sedem, non à Christo immediatè, seu diuino iure, sed arbitrio suo, & humano iure Petrus sibi assumpserat, & ideò facilè potuit illam relinquere, & alteri tradere. Pontificiam autem dignitatem immediatè à Christo, & diuino iure habuit, idcoque quamdiu vixit, illam non reliquit, neque vt existimo, relinquere potuit, quia ex immediata electione, & collatione, ac præcepto ipsiusmet Christi Ecclesiã vniuersalem habuit sibi commendatam. Relinquitur ergo, vt in Romana Sede Petrus habuerit sui Pontificatus successorem, tum quia in nulla alia potest esse vestigium, vel ratio huius successionis, etiam si sit Alexandrina, quia numquam Petrus in ea sedit, vel Constantinopolitana, quæ viuente Petro fundata non fuit, tum etiam, quia Petrus in morte habere debuit successorem; ergo in Episcopatu, in quo mortuus est, scilicèt, Romano, illum habuit.

Non defuerunt nihilominus hæretici, qui vt vim huius argumenti fugerent, Petrum Romæ sedisse, aut in ea mortuum esse, negauerint. Sed superuacaneum duco, contra eos disputationem longiorem texere, tum quia neque Rex Angliæ hoc insinuat, neque vt opinor Protestantes Anglicani in hac sententia permanent, licèt fortasse aliquando illam tentauerint, tum etiam quia euasio illa nul-

nullum habet veritatis vestigium, neque probationem, cui respondere necesse sit. Aliunde verò Petrum Romæ fuisse, ipsiusmet verba indicant epist. 1. cap. 5. [Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta,] ibi enim nomine Babylonis Romam significari, omnes Catholici interpretes, & Doctores interpretati sunt, quos moderni ibi congerunt, & ideo eos referre non est necesse: nam inferiùs etiam tractando de Antichristo, aliquid de hoc puncto attingemus. Ac denique in eadem Roma Petrum vsque ad mortem Pontificatum gessisse, & ibi mortuum esse, omnes Patres antiqui, tam Græci, quam Latini, communi consensu tradiderunt, quos latè refert Sander. lib. 6. de Visibili Monarchia, cap. 10. & Bellarmin. lib. 2. de Romano Pontifice à principio per plura capita. Nunc sufficit nobis auctoritas Hieronymi lib. de Scriptorib. Ecclesiast. & ad Galat. 2. & Eusebij in Chronico, cuius ferè verba Hieronymus mutuatus est. & cum eis alij tam Latini, quàm Græci historici consentiunt. Præter testimonia ipsorummet Pontificum successorum Petri, quæ statim referemus.

Addunt denique nonnulli Catholici, licèt hæreticis daremus, Petrum non fuisse Romæ, nihilominùs potuisse Ponticem Romanum esse successorem Petri: nam potuit Petrus alibi existens, aut sedens, vel Romæ, vel alibi successorem sibi deligere. Quod quidem verè dictum est, & ex abundantia ad confusionem hæreticorum, procedit tamen solùm de possibili, seu de potestate. Vt autem de facto constet, multum refert quod Petrus Episcopus Romanus fuerit vsque ad mortem. Nam si Petrus alibi sedem habuisset vsque ad mortem, vt Romanus Episcopus in Pontificia Sede illi succederet, oporteret illam institutionem ostendere ex peculiari Petri ordinatione, quæ reuerà non extitit, quia non alibi, sed in Romana Sede, & vrbe mortuus est. Quo posito non fuit necessaria noua institutio, aut voluntas Petri, nam ex natura rei, supposita priori institutione diuina, qui in Romana Sede Petro successit, primatum etiam eius consequutus est, & ita per successionem ad reliquos Romanos Pontifices deriuatus est.

Aliter verò fugere possunt aduersarij, etiamsi vel inuiti, fateri cogantur, Petrum fuisse Episcopum Romanum vsque ad mortem, videlicet, indè solùm sequi, successorem Petri fuisse Episcopum Romanum, non tamen rectè inde colligi, eumdem successorem fuisse etiam totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopum, & Pastorem. Quia hæ duæ dignitates, seu Episcopatus distincti sunt, & separabiles: nam potest esse Pontifex Ecclesiæ vniuersalis, licèt non sit Episcopus alicuius Diœcesis particularis, sicut in Petro in initio sui Pontificatus vidimus. Potest præterea vniuersalis illa dignitas prius coniungi cum particulari Episcopatu, & posteà ab illo separari, sicut factum vidimus in Sede Antiochiæ, vbi Petrus habuit successurem in Antiocheno Episcopatu, qui non successit in Papatu; ergo potuit idem contingere in morte Petri, & Romano Episcopatu; quia in ipso etiam Petro coniunctio talis Episcopatus cum primatu non erat de iure diuino, sed humano, vtique ex voluntate Petri, & ita potuit facilè per mortem cessare. Imò eo ipso, quod successor Petri à Romana tantum, & non ab vniuersali Ecclesia electus est, videtur consequens, vt in particulari Episcopatu, non in vniuersali successerit.

Respondemus, non minùs certum esse, primum successorem Petri, & consequenter reliquos in Episcopatu Ecclesiæ Catholicæ, quàm in Episcopatu Romanæ Ecclesiæ successisse. Hoc probamus, quia vna tantùm persona semper Petro successit, vt ex historijs constat, & ex Patribus, quos capite sequenti referemus; ergo vel illa persona simul cum Episcopatu Romano primatum Ecclesiæ habuit, quod intendimus; vel primatus sine successione relictus est, & perijt; hoc autem posterius est impossibile, quia est contra ius diuinum, & contra promissionem Christi; ergo prius est omninò certum. Quocirca ex quo Petrus sedem suam Romæ collocauit, & Pontificalem dignitatem illi Episcopatui coniunxit (siue illa coniunctio fuerit ex diuina institutione, per speciale præceptum, ac reuelationem, vt aliqui volunt, siue fuerit ex humana voluntate Petri, licèt diuinitùs inspirata) eo ipso, quòd à Petro viuente mutata non est, rata mansit, ideòque qui Petro in Episcopatu suffectus est, illi in vtraque dignitate necessariò successit. Et quidquid sit de illa quæstione, quæ à Theologis disputatur, an possit Summus Pontifex separare primatum à Romana Sede, & illum, vel in alio Episcopatu collocare, vel ab omni particulari Episcopatu separatum relinquere, certum esse existimo, dum aliquis Summus Pontifex id non fecerit, non posse vniuersam Ecclesiam, vacante Papatu, id efficere, quia non potest inferior potestas mutare, quod per superiorem constitutum est, & quia sicut Petro soli datus est primatus pro ipso, & successoribus eius, ita ad solum illum, seu ad Summum Pontificem spectat determinare Sedem Pontificalem, & modum electionis, & successionis eius præscribere. Sic ergo cum Petrus suam sedem Romæ collocauerit, & in illam totum suum primatum, & potestatem contulerit, illamque institutionem viuens non mutauerit, non potuit posteà Ecclesia acephala per mortem Petri illam institutionem mutare; ideòque successor Petri in Episcopatu Romano ex necessitate simul in primatu successit.

Neque obstat, quòd illius successoris electio à Clero Romano, & non ab vniuersa Ecclesia facta fuerit, nam, vt dixi, determinare modum successionis non ad corpus Ecclesiæ, sed ad ipsum Petrum pertinebat, ideòque sicut voluit Petrus, Pontificatum in Sede Romana stabiliter collocare, ita etiam statuit, electionem successoris à Clero Romano fieri. Vel certè Petrus ipse Clementem sibi successorem designauit, vt auctor est ipse Clemens 1. ad Iacob. fratrem Domini, & l. 7. Constitution. cap. 45. licèt (vt probabilior sententia fert) ipse Lino, & Cleto priùs cessérit, & posteà illis successerit. Atque ita omnes illi in Pontificatu, simul cum Episcopatu Romano successerunt, eodemque modo successio ad omnes sequentes Episcopos Romanos deriuata est.

CAP.

CAP. XIV.

Romanum Pontificem successorem esse Petri, testimonijs Sanctorum Patrum ostenditur.

CVm ad confirmanda omnia fidei dogmata, magnam vim habeat Ecclesiastica traditio, maximam profectò in præsenti articulo habere debet, quia veluti in quodam facto, & rerum concursu, continuaque successione consistit. Ideòque necessarium duximus, omni testimoniorum genere veritatem hanc confirmare. Et primò vtemur testimonijs antiquorum Patrum, qui non solùm affirmant, Episcopos Romanos Petro in Pontificatu successisse, sed etiam inter præcipua fundamenta, & signa veræ, & Catholicę Ecclesiæ hanc enumerant successionem, vt in lib. 1. sæpè insinuatum est, & nunc breuiter recensebimus. Primo enim Irenæ. lib. 3. c. 3. sic inquit: [Quoniam valde longum est, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ indicantes, &c.] Et infrà. [Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.] Et posteà enumerat successores vsque ad Eleuterium. Et in illis verbis aduerto simpliciter dicere, [Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt,] & sine restrictione ad Romanam Ecclesiam, quia non poterat vna ab altera separari, & ideò de Romana Ecclesia præmisit. [Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.]

Secundò Augustinus contra epistolam Fundamenti cap. 4. inter certa indicia Catholicæ Ecclesiæ hoc ponit: [Ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit vsq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.] Et in psalmo contra partem Donati, [Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede. Et in ordine illo Patrum, quis cui successit videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.] Vbi clarissimè ostendit, successionem esse in ipsa Pontificali dignitate, quæ per petram significatur. Et ita lib. 2. contra Litter. Petilian. c. 51. eamdem dicit esse Cathedram Ecclesiæ Romanæ, & Cathedram, in qua tunc Anastasius sedebat. Ac denique epist. 165. successiones omnium Pontificum à Petro vsque ad Anastasium enumerat. Simili modo Optatus l. 2. contra Parmenian. [Videndum est, ait, qui, & vbi prior Cathedra sederit.] Et infrà, [Negare non potes, scire te, in vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur.] Vbi clarè loquitur de Cathedra Episcopali supra totam Ecclesiam. Vnde addit inferiùs; [Ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus (scilicet Ecclesiæ Catholicæ) sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c.] vsque ad Siricium.

Eamdem successionem accuratè refert Epiphan. hæres. 27. circa finem, & post illam subiungit: [Et ne quis miretur, quòd singula ita exactè recensemus, per hæc enim semper claritas ostenditur:] sentiens, ad claritatem veræ, & catholicæ doctrinæ necessariam esse huiusmodi successionem, eiusque notitiam, quia vt de Petro ipse dixit in Ancorato circa principium, [Hæc est Petra firma, super quam Ecclesia ædificata est, & portæ inferorum, quæ sunt hæreses, & hæresiarchæ, non valebunt aduersus illam. Iuxta enim omnem modum in ipso firmata est fides, qui accepit claues cœlorum, & soluit in terra, & ligat in cœlo.] Quam petram, & potestatem vsque ad sua tempora per successionem deducit, vt ostendat in ea esse firmatam fidem, contra quam hæreses non præualent. Eamdem Pontificum seriem descripsit versibus Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. vltim. vbi loquens de Apostolorum Discipulis, qui successere per ordinem, subiungit: [Ex quibus electum magnum, plebique probatum. Hac Cathedra Petrus, qua sederat ipse locatum, Maxima Roma Linum primùm considere iussit,] & cætera, quæ prosequitur vsque ad Thelesphorum, de cuius tempore dicit: [Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ composita à Petro cuius successor & ipse, iamque loco nono Cathedram suscepit Higinus.] Et posteą Pium, & Anicetum recenset. Et lib. de præscript. cap. 30. mentionem facit Eleuterij, qui post Anicetum, imò & post Soterum sedit. Sic enim ait, [Constat, catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec (supple, relegatus est Marcion) sub Episcopatu Eleuterij Benedicti.] Et cap. 36. [Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt,] vbi per totam doctrinam intelligo etiam firmitatem, & doctrinæ incorruptionem.

Denique Diuus etiam Hieronymus breuiter successionem hanc declarat lib. de Scriptorib. Ecclesiast. in Clement. Et sæpè Cyprian. agens de electione, & ordinatione Cornelij, præsertim epist. 45. ad Cornelium, vbi priùs Ecclesiam Romanam vocat, [Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem.] Posteà verò dicit; [Nunc Episcopatus tui & veritas pariter, & dignitas apertissima luce, & manifestissima, & firmissima comprobatione fundata est. Vt te, (sicut priùs dixerat) vniuersi collegæ nostri, & communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, pariter ac charitatem probarent firmiter, ac tenerent,] vbi clarè docet, Episcopum Romanum ritè electum ita esse Petri successorem, vt in illo vniuersalis fundetur, & vniatur Ecclesia, sicut in Petro fundata, & vnita fuit. Vnde loquens de eodem Cornelio ep. 52. ad Antonianum: [Factus est (inquit) Cornelius Episcopus, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret.]

carer.] Atque hi quidem Patres de ipsa successione Pontificum in sede, & dignitate Petri expressiùs loquuntur, sunt verò alij plurimi, qui dignitatem ipsam in Episcopo Romano recognoscunt, & exaggerant, quos infrà cap. 17. referemus.

CAP. XV.

Pontificem Romanum in dignitate, & potestate, ac Primatu Ecclesiæ successorem esse Petri eorumdem Pontificum auctoritate comprobatur.

QVamvis hoc probationis genus Protestantes parum moueat, vt infrà dicam, nihilominus illud omittendum non censui, tùm quia re vera est grauissimum, & pro Catholicis vtilissimum, multaque argumentorum genera in se complectitur; tùm etiam, quia Rex Iacobus in sua præfatione pag. 60. cùm dixisset, Petrum esse primum vel Principem Apostolorum ætate, vocatione, vel ad summum ordine, non potestate, subiungit: [Nec aliquid sibi amplius trecentis post Christum annis Romanæ Sedis Episcopus arrogauit.] Vt igitur testimonium hoc per errorem, & deceptionem à Rege datum esse conuincã, non solùm per trecentos, sed etiam per sexcentos, vel plures Christi annos discurram, & euidenter ostendam, Romanus Pontifices à principio nascentis Ecclesiæ, Primatum Ecclesiæ nõ tantùm quoad ordinem politicum, sed multò magis quoad superioris auctoritatem, & potestatem & Petro, & sibi arrogasse.

Vt autem verborum, & testimoniorum vis percipiatur, oportet aduertere, varios esse modos, quibus Pontifices suam dignitatem astruunt. Vnus est expressè in Petro declarando excellentiam potestatis, seque appellando successores Petri, & verba de Petro dicta, sibi applicando. Alius est, eos dignitatis titulos assumendo, qui nonnisi ratione talis Primatus eis conuenire possunt. Alius est, sibi attribuendo, vel reseruando actus supremæ iurisdictionis, & spiritualis potestatis supra totam Ecclesiam. Cùm enim existimari non possit, iniustè iurisdictionem vsurpare voluisse, supponunt, in illa Sede successionem in hac suprema dignitate conseruari. Vltimus denique est, ex professo pro hac veritate pugnando, & contra errores illi repugnantes disputando. Ex quibus loquendi, & probandi modis, & ex varijs actibus supremæ potestatis, quos Romani Pontifices semper exercuerunt, varia genera argumentorum ad confirmandam veritatem sumi possunt. Vt tamen perpetua Ecclesiæ traditio euidentiùs pateat, commodiùs visum est, seruato temporum ordine, quid singuli Pontifices in omnibus seculis de suo Primatu docuerint proponere.

Primò ergo Anacletus Papa epistola 1. Apostolicam Sedem esse dicit, super quàm Christus fundauit Ecclesiam, & ideò maiores causas ad ipsam pertinere; & epistola 2. [Ecclesiæ, inquit, gubernacula tenemus;] & epistola 3. ex professo hanc veritatem confirmat, & declarat, dicens, Romanam, & Apostolicam Ecclesiam ab ipso Saluatore primatum obtinuisse, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias. Secundò Euaristus epistola 1. [Romanum Episcopum Caput vocat, ad quod in dubijs recurrendum est.] Alexander I. epistola 1. vocat, [Apicem, & Caput.] Tertiò, Sixtus I. epist. 1. [Omnium Ecclesiarum Caput.] Quartò, Anicetus epistola vnica, [ad se pertinere, ait, terminare omnia Episcoporum iudicia.] Quintò, idem habet Eleutherius in sua epistola capitulo 2. Sextò, Victorius epistola 1. ad Theophilum dicens: [Contrarium agere, nihil aliud esse, quàm Apostolorum, successorumque ipsorum terminos transgredi, ac decreta violare.]

Zepherinus epistola 1. ex loco Matth. 16. vbi, caput totius Ecclesiæ vocat Romanam Ecclesiam, & ad eam cæteras Apostolica auctoritate instruere, pertinere dicit; & in fine: [Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes semper destruit errores.] Octauò, idem supponit Anterus ad Episcopos per Bæticam, & Toletanam Prouinciam constitutos, respondens ad eorum consultationem de mutatione Episcoporum, & prius per occasionem dixit: [Petrum, quem sanctum Magistrum nostrum, & Principem Apostolorum vocat,] de Antiochia vtilitatis causa translatum esse Romam. Idemque fieri posse declarat in alijs Episcopatibus Apostolica auctoritate; & subiungit: [Hæc vt petistis, licèt vobis incognita non sunt, tenenda mandamus.] Et in fine: [State itaque fratres, & tenete traditiones Apostolorum, & Apostolicæ Sedis. Nonò, Fabianus in epist. 1. Pontificiam auctoritatem statim ostendit, tùm in titulo ad omnes ministros vbique Catholicę Ecclesiæ; tùm in exordio Diuinis præceptis, & Apostolicis monemur institutis, vt pro cunctarum Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu. Vnde consequens est, debere vos scire, quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiæ, vt eius sequentes exempla, eius veri filij inueniamini, quæ vestra est mater vocata.] Vbi certè supponit appellationem hanc iam tunc fuisse vbique peruulgatam, & receptam. Idemque eodem modo colligitur ex epistola 2. quæ est ad omnes Orientis Episcopos, & ex epist. 3. ad Hilarium, vbi de se dicit: [Ob hoc Diuina gratia fuisse ad fastigium Sacerdotale prouectum, & in quadam Sacerdorum Dei specula constitutum ad prohibendum illicita, & docendum sequenda.] Et deinde seruandum ordinem Ecclesiasticis iudicijs præscribit: [Salua, inquit, in omnibus Apostolica auctoritate, vtique Romanæ Ecclesiæ.

Decimò, Cornelius epistola ad Cyprianum, quæ est 46. inter epistolas Cypriani, refert quosdam per ignorantiam deceptos schisma contra ipsum fecisse, postea verò, veritate agnita, resipuisse per verba sequentia, quæ illorum propria esse affirmat: [Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo omnipotente, & Christo Domino nostro scimus.] Et infrà: [Mens nostra semper in Catholica Ecclesia fuit, neque enim ignoramus, vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominum, quem confessi

fessi sumus; vnum Spiritum sanctum, vnum Episcopum in catholica Ecclesia esse debere.] Quàm confessionem ita ipse approbat, vt dicat, [ista eorum professione non mouetemur?] Et infrà: [Has literas existimo, te debere ad cæteras Ecclesias mittere.]

Vndecimò, Lucius in epistola ad Occidentales sic incipit: [Literas dilectionis vestræ, quas ad beati Petri Apostoli Sedem pro vestri causa negocij misistis, libenter suscepimus.] Et postea tamquam vniuersalis Pastor, respondet, & multa disponit.

Duodecimò, Sixtus II. in epistola 1. prius dicit, [se illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Christo est laudata confessio, & cuius fides nullum vnquam fallit, sed omnes hæreses destruit.] Postea verò subdit, licitum esse Episcopis ad Sedem Apostolicam appellare. [Cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum auctoritas reseruauit, quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit.]

Decimotertiò, similia habet Dionysius epistola 2. ad Seuerum Episcopum: [Ab initio, ait, tantam accepimus à beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem, auxiliante Domino vniuersali Ecclesiæ subuenire.] Et posteà Parochiarum diuisionem fieri præcipit, & normam ab ipso datam omnibus fieri notam. [Vt non specialis fiat, ait, sed generalis hæc præceptio.]

Decimoquartò, Felix epistola prima: [Maiores causas totius Ecclesiæ sibi reseruatas esse confirmat.]

Decimoquintò, Marcellus epistola 1. ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ sic incipit: [Solicitudinem omnium Ecclesiarum iuxtà Apostolum circumferentes, &c.] Quæ latè prosequitur, omnia supradicta confirmando, & addit: [Nullam Synodum legitimè fieri posse sine Romanæ Sedis auctoritate.] Atque hæc ad Regis asseuerationem confutandam sufficere possent: nàm Marcellus vsque ad annum Christi 310. superuixit, ad maiorem autem veritatis euidentiam saltem per alia tria subsequentia secula discurrendum est.

Decimo sexto, Eulebius Epistolam tertiam, sic incipit, [Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam Beati Petri Apostoli sacerdotio dicauit, nobisque viam monstrandam circa nos (propter vniuersalem curam, quæ nobis est propter vniuersalem curam, quæ nobis est propter priuilegium eiusdem Ecclesiæ) inuicem charitatis indulsit; &c. 17.] Melchiades in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, dicens, ad se pertinere de Episcopis iudicare, subdit, [Hos enim Dominus suo iudicio reseruauit, hocque priuiligium Beato clauigero Petro sua vice solummodo commisit. Quod eius iuste prærogatiuum succrescit sedi, futuris hæreditandum, atque tenendum temporibus, quoniam & inter Apostolos fuit quædam discretio potestatis, &c.] 18. Ex Syluestro afferre possumus canonum vltimum Romanæ Synodi sub illo constitutæ, qui sic habet, [Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudicabitur.] Et subscripserunt ducenti octuaginta quatuor Episcopi cum aliquibus præsbyteris, & ipse etiam Constantinus Augustus. 19. Marcus in epist. ad Athanasium, & Episcopos Ægypti, [Hæc, inquit est sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesia,] quam etiam esse dicit immaculatam in fide, quia promissio facta Petro in Romanis Pontificibus impletur 20. Iulius 1. epist. ad Orientales, Romanam sedem primam vocat, & ad illam pertinere dicit iura conuocandi Synodos, iudicandi Episcopos, & maiores causas ad se reseruandi, [quia omnibus prælata est non solùm canonum, & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce.] Quod etiam repetit in rescripto contra Orientales pro Athanasio.

Vigesimo primo. Liberius in rescripto ad Athanasium in principio auctoritatem dicit, se in Petro super vniuersam Ecclesiam accepisse 22. Felix 2. in rescripto ad Athanasium, & Ægyptios de Romana sede intelligit Christi verba, Matt. 16. 23. Damasus in epistol. 2. ad Episcopos Affricæ, priùs dicit, [Nos qui supra domum Domini, hoc est vniuersalem Ecclesiam Catholicam Episcopale suscepimus ministerium.] Deinde subiungit, [Scitis firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum, lucidissimum suorum sacerdotum, id est omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum.] Et subiungit statim verba Christi. Et inter epistolas huius Pontificis extat quædam ad ipsum, Aurelij Carthaginensis Episcopi postulantis ab ipso statuta, & decreta in Romana Sede à fine Petri vsque ad ipsum Damasum, [iuxta Apostolicæ, inquit, Sedis auctoritatem,] Quæ mittens Damasus ait epist. 5. [Ea te custodire optamus, & alijs prædicanda, ac publicanda mandamus, vt ab omnibus inuiolatè debita veneratione custodiantur, &c. 24.] Siricius epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, [Portamus, inquit, onera omnium; imò hæc portat in nobis Beatus Apostolus Petrus.] Et Epistola tertia ad vniuersos orthodoxos, [Nobis loqui necessitas imperauit, cui omnium Ecclesiarum cura est 25.] Anastasius cunctis Germanicis, & Burgundiæ regionis Episcopis sic scribit, [Exigit dilectio vestra ex auctoritate Sedis Apostolicæ vestris respondere consultis.] Et posteà sub hac verborum forma respondet. [Apostolica auctoritate mandamus.

Vigesimo sexto Innocentius primus varijs loquendi modis, & in multis epistolis hanc veritatem docet, & vniuersalem potestatem, quam in Euangelio fundat, præcipiendo, & decernendo exercet, quæ omnia hic referre, prolixum esset. Et ideò satis erit loca designare, scilicet, Epistola 1. ad Victricium 2. ad Exuperium 3. ad Innocentium, & ferè per omnes subsequentes, specialiter verò notanda est epistola 17. ad Archadium Imperatorem, in qua his verbis illum excommunicat. [Ego minimus, & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego, & reijcio te, & illam à perceptione immacu-

la-

latorum mysteriorum Christi Dei nostri, &c. quæ ibi prosequitur, potestate ligandi, & soluendi vtendo in omnes Episcopos,& Patriarchas; Notanda est etiam Epistola 27. ad Episcopos Macedoniæ:nam cùm Innocentius ab eis epistolas accepisset, [In eis, ait, multa posita esse peruidi, quæ stuporem mentibus nostris inducerent.] Et illa explicans dicit, [Quæ cùm sæpiùs repeti fecissem, aduerti, Sedi Apostolicæ (ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat) fieri iniuriam,cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur.] In epistola etiam 29. ad Decentium latè idem ostendit. Et optime in 31. & 32. ad Concilia Carthaginense, & Mileuitanum.

Vigesimo septimo Zosimus epistola 1. ad Hesichi. Episcoporum, [Miramur, ait, ad dilectionem tuā statuta Apostolicæ sedis non fuisse perlata.] Et infra, [Siquid auctoritati ruæ æstimas defuisse supplemus. Et infrà, [Sciet quisquis hoc postposita Paerum, & Apostolicæ Sedis auctoritate, neglexerit, à nobis districtiùs vindicandum. 28. Bonifacius Primus epistola 2. ad Episcopos Galliæ, de iudicijs Episcoporum in grauibus causis ita concludit, [Nostra necesse est auctoritate firmentur,] & Epistol. 3. ad Hilarium Episcopum ita scribit, [Metropolitanæ iure munitus,& præceptionibus nostris fretus accede, &c. 29.] Cœlestinus I. epist. 1. ad Episcopos prouinciarum Viennensis, & Narbonensis, [In specula, inquit, à Deo constituti.] Et infra [Circa longinqua spiritualis cura non deficit, sed se per omnia,qua nomen Dei prędicatur, extendit.] Et in Epist. 4. ad Ecclesiam Constantinopolitanam, de Athanasio loquens, inquit, [In hac sede quietem communionis inuenit, qua semper catholicis subnenitur.] Et Epist.5. ad Nestor. curam fidei, & omnium Ecclesiarum ad se dicit pertinere, idque ex cæteris eius epistolis aperte colligitur.

Trigesimo ex Leone Papa multa in superioribus adducta sunt, nam in omnibus fere epistolis se ostendit vniuersæ Ecclesiæ pastorem, vt epist.4. in initio, verbis etiam expressit, dicens, Diuinis præceptis, & Apostolicis monitis incitamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.] Notanda etiam est Epist. 47. ad Synodum Chalcedonensem, in qua cùm dixisset, voluntatem Imperatoris fuisse, vt congregaretur Concilium, addit, [Beatissimi Petri Apostoli iure,atque honore seruato, & infra dicit per suos Vicarios se in vniuersali Synodo præsidere. Et epist. 53. in qua reprehendit Anatolium Patriarham Constantinopolitanum, eo quod Alexandrinæ, & Antiochenæ Ecclesiæ præferri voluisset, quod in duabus sequentibus Epistolis repetit, & in posteriori, quæ est ad Pulcheriam Augustam,sic inquit,[Consensiones Episcoporum, sanctorum canonum, in Nicæna Synodo conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus,& per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.] Optima est etiam epist. 84. ad Anastium Thessalonicensem Episcopum, cui, vt ipse dicit,vices suas delegauerat, [vt curam ait quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares,] & in Epist. 89. ad Episcopos Viennensis prouinciæ ex professo declarat diuinam institutionem de Ecclesiastica monarchia in Petro, & eius successoribus Romanis Episcopis. Quam inter alia probat ex consuetudine consulendi eandem Sedem, appellandi ad illam, & quod ab illa fuerint retractata, vel confirmata iudicia, quam dignitatem diuinitus datam, se tueri dicit, non sua quærens, sed quæ sunt Christi. Idem optimè tractat in sermonibus de Assumptione sua præsertim in tertio.

Trigesimo primo idem profitetur Hilarius Papa epist. 3. ad Ascanium Episcopum, & in principio Concilij Romani sub ipso congregati 32. Idem supponit Simplicius epist. 1. 1. ad Zenonem Hispalensem Episcopum, cui Apostolicæ Sedis vices committit, & in epist. 2. ad Zenonem Imperatorem, quem filium vocat,& ad fidem tuendam excitat dicens inferius, [Perstat enim successoribus suis (id est Leonis Papæ) hæc, & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ouilis iniunxit, &c.] Et in epist. 5. ad Acatium habet illa verba notanda : [Quia sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nephas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, nouis assertionibus non indiget edoceri.] Et epist. 9. ad Zenonem Augustum Ecclesiarum, inquit omnium curam sustinens, &c.] Quod etiam ostendit in Epist. 13. ad eundem, vbi etiam in quodam canone Concilij Nicæni dispensat.

Trigesimo tertio,Magnus prætereа huius dignitatis defensor fuit Gelasius. 1. epist. 2. ad Episcopos Dardaniæ, & 6. ad Episcopos Lucaniæ cap. 11. & 27. & maximè in epist. 10. ad Anastasium Imperatorem, vbi veritatem hanc latè, confirmat, & quantum Pontifex Imperatorem, quem filium vocat, antecellat, declarat. Et in epist. 11. ad Dardanos testatur, Apostolicam Sedem omnes Synodos confirmare, & nullum Episcopum posse iudicium eius subterfugere,&c. Multaque similia habet in commonitorio ad Faustum, & in tomo de Vinculo anatematis, & maxime in decreto de Apocriphys scripturis in principio. 34. Anastasius 2. in epist ad Anastasium Augustum illum monet, vt suis mandatis obediat, quia sedes Petri ex ordinatione diuina in vniuersali Ecclesia tenet principatum 35. Idem latius ostendit Symmachus in Apologet. contra eundem Anastasium Augustum, ex quo multa in superioribus desumpsimus 36. Hormisda epist. 1. ad Anastasium Augustum iam aliquo modo correctum, eum laudat, dicens, [De orthodoxa concordia cogitatis Ecclesiæ in Beati Apostoli Petri reuerentia, diuina specialiter præcepta seruantes.] Et infrà, [Directis ad nos sacris affatibus, commemorationem Sancti Concilij facere pietas vestra dignata est. De qua re tunc plenissimum poteramus præbere responsum, dum causam congregationis nos volueritis euidenter agnoscere.] In quibus verbis satis ostendit decretum Concilij congregandi ad se, & causa cognitæ pertinere, de qua re plures epistolæ inter eosdem Pontificem, & Imperatorem videri possunt. Et similia habet idem Pontifex in ep. 22.

ad

ad Iustinum Imperatorem cum multis sequentibus.

Trigesimo septimo Bonifacius II. in epist. ad Eulalium Alexandrinum Episcopum in principio eamdem dignitatem, & fiduciam in potestate Petri ostendit. 38. Idem optimè Ioannes, 2. epist. 2. ad Iustinianum Imperatorem. 39. Vigilius Papa epist. t. c. 7. Sic ait, [Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Romana Ecclesia forma, & fundamentum sit Ecclesiarum, &c.] Idem sumitur ex epist. eiusdem 2. ad Iustinianum Augustum, quem filium appellat. Idem ex epist. 4. ad Aurelianum Episcopum, & in fragmento Theodori Episcopi Cæsareæ, & aliorum, & ex epist. 7. ad vniuersum populum Dei. 40. Pelagius I. in epist. 1. ad Vigilium in fine post confutationem cuiusdam erroris addit, [Det operam tua dilectio, vt omnibus Ecclesiæ filijs innotescat, &c.] & subiungit rationem, [Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes hæreses destruit.] Epist. etiam 3. optima est, & valde notanda pro his, quæ in sequentibus dicemus, & epist. 5. in dubitationibus circa vniuersales Synodos ad Sedem Apostolicam esse recurrendum. 41. Ioannes III. in epist. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ dicit, eos suis literis Apostolicis admonere, antecessorum suorum vestigia sequendo, & iterum versus finem. [Monente, inquit, Dominicæ vocis imperio, quo Beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, vt Christi oues, qui Christum amat, diligenter, & cum magna cura pascat, quoniam ipsius Sanctæ Sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus, ipsius amore cohortamur, &c.] 42. Pelagius II. epist. 1. contra Ioannem Constantinopolitanum Episcopum qui Primatum ambiebat, inquit, [Reiecta penitùs audacia, quæ contra Apostolicam Sedem, & contra ipsam Domini Saluatoris vocem sumpta est, disputandi contra Domini præcepta vana errantium corda conquiescant &c.] quæ latè prosequitur, docens, Romanam Sedem instituente Domino, Caput esse omnium Ecclesiarum, ad ipsamque pertinere Concilia congregare, nec posse legitima esse, quæ illius auctoritate non fulciantur.

Quadragesimo tertiò, Magnus tandem Gregorius, qui vsque ad sexcentesimum decimum annum Domini Ecclesiæ præsedit eamdem Pontificiam auctoritatem, actibus exercuit, & verbis confirmauit, vt ex epistolis eius constat, ex quibus aliqua breuiter perstringemus. Nam generatim loquendo in omnibus ferè illis curam vniuersalis Pastoris egregiè demonstrat, & præsertim notanda est epist. 24. libri 1. quæ est ad omnes Orbis Patriarchas, in qua onus sibi impositum exaggerat, & quinque generalia Concilia veneratur, & quasi denuò confirmat, & epist. 7 c. [Quantò Apostolicæ Sedi, ait, ab Ecclesijs cæteris reuerentia exhibetur, tantò eam in earum decet esse tuitione sollicitam;] & lib. 2. indict. 11. epist. 7. cap. 46. potestatem supra omnes Episcopos, & ad omnes causas arduas terminandas profitetur, & exercet. Posteà verò lib. 3. epist. 32. aliàs indict. 13. cap. 76. grauiter reprehendit elationem Ioannis Constantinopolitani, & minatur coercitionem, nisi resipiscat, & per occasionem dicit, [Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica totius Ecclesiæ cura, & Principatus committitur.] Quæ etiam repetit lib. 7. epist. 69. vbi etiam dicit, sine Apostolicæ Sedis consensu, & auctoritate nullum Concilium vires habere. Et in eodem lib. epist. 64. agens de eodem Episcopo Constantinopolitano, ait. [In quodam crimine Byzantius Primas fuerat accusatus, & pijssimus Imperator eum iuxtà statuta canonica per nos voluit iudicari.] Et infrà de eodem Primatu ait, [quod se dicit Sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio, quis ei Episcopus subiectus sit.] Et lib. 6. indict. 15. cap. 37. aliàs cap. 201. ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, refert illius Patriarchæ epistolam, in qua recognoscit Cathedram Petri in Sede Romana, & adiungit. [Quis est, qui nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam? &c] Lib. 4. epist. 51. aliàs cap. 95. pallium mittit cuidam Episcopo. Idem epist. 54. & sæpè Episcopos confirmat, & interdum deponit, vel excommunicat. Et lib. 7. epist. 125. [Quæ semel, inquit, Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nil egent firmitatis, &c.] & innumera similia in illis epistolis inueniuntur.

Præcipuè verò notandus est insignis locus eiusdem Pontificis super 5. Psalmum pœnitentiæ, circa illa verba, [Qui laudabant me, aduersùs me iurabant.] Ibi enim quasi describens huius temporis schismata, inquit, [Erroris vesania nostris maximè temporibus malitiæ suæ virus exercuit. Et totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aduersùs Ecclesiam Dei non solùm innumerabilem populi multitudinem, verùm etiam Regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potiùs, quàm regat imperium, & quoscumque habere potest peruersitatis suæ socios, eos à consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus Sponsam Christi efficit captiuam, cupit abducere, & passionis Dominicæ Sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redempta Saluator noster voluit esse liberam: hanc iste potestatis Regiæ iura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto meliùs foret sibi dominam suam esse agnoscere, eique religiosorum Principum exemplo deuotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, à quo suæ dominium accepit potestatis? Ipse enim est, qui ait. Per me Reges regnant. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino, vt patet, ingratus beneficio, & contra Deum fastuosus, terminos, quos posuerunt Patres nostri, contempto diuino timore, transgreditur, & contra Catholicam veritatem suæ furore tyrannidis effertur. In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt Caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apostolo specialiter com-

misit, dicens: Tibi dabo Ecclesiam meam, Obstruatur ergo os loquentium iniqua, & omnis hæreticorum acies obmutescat: quia nullas vires habet mendacium, quod ipsius voce veritatis inuenitur destructum.]

Sicut his ita primis seculis Romani Pontifices Primatus sui testimonium, & manifestissima signa dederunt, ita prorsùs in omnibus posterioribus seculis ipsorum successores constantissimè docuerunt, & pro hac veritate, ad vnitatem fidei, & Ecclesiæ conseruandam necessaria, maximè propugnarunt. Non existimo autem opportunum singulorum sententias sigillatim prosequi, tum quia Protestantes de his maximè posterioribus Pontificibus hoc non negant; tum etiam quia omnia iura, & decreta canonica, quæ in Decreto, & Decretalibus continentur, plena sunt huiusmodi testimoniis. Quædam verò insigniora loca, quæ præsenti controuersiæ magis videntur accommodata designanda breuiter censui. Videndæ ergo sunt Epistolæ Honorij I. ad Eduinum Regem Anglorum, & Honorium Episcopum, nam ex illis constat, tum Regem, tum Episcopos Angliæ ab Apostolica Sede spiritualia iura impetrasse, vel accepisse. Nam ibi Pontifex ad Regis petitionem duo pallia mittit duobus Metropolitanis, & vtrique, vt auctoritate Papæ successorem in morte possit sibi subrogare concedit. Videri etiam potest epistola Leonis II. ad Episcopos Hispaniæ de recipienda sexta Synodo; cuius fit mentio in Concilio Toletano XIV. eamque integram refert ex vetusto, & authentico codice Garsias Loaisa in sua collectione Conciliorum Hispaniæ. In illa ergo Leo Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem Sanctam Ecclesiam omnium Matrem appellat, & de se ait. [Nos licèt impares, vice tamen Apostolorum Principis fungimur.] Et similiter Benedictus II. in epist. ad idem Concilium in eodem loco relata, [Beati, inquit, Petri Apostolorum Principis licèt impares pro commisso, diuina ope, ministerio locum implemus.] Est etiam consulenda epistola Agathonis ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur in sexta Synodo act. 4. vbi loca Euangelij supra tractata ad Romanam Ecclesiam pertinere ostendit, & in hoc maximè insistit, quòd in fide numquam errauit, nec errare potest.

Est etiam valde notanda epistola Adriani I. ad Imperatores Constantinum, & Irenem, quæ habetur in septima Synodo. Nam in priori parte eius, [Imperatorem exhortatur ad permanendum in fide Petri, & Ecclesiæ Romanæ, & ad honorandam Sanctissimam Romanam Ecclesiam, Principem Apostolorum, sicut à superioribus pijs Imperatoribus factum est, qui ex toto corde Vicarium eius dilexerunt.] In altera verò parte, quæ à Græcis omissa est, tamen in Vaticana Bibliotheca seruatur, & ab Anastasio addita est, de hac Sede dicit, [in toto Orbe terrarum Primatu fulgens, Caput omnium Ecclesiarum constituta est, &c.] Reprehenditque Patriarcham Constantinopolitanum, quod auderet vniuersalis Episcopi nomen assumere, cùm neque in secundo ordine sine auctoritate Pontificis Romani vnquam potuerit nomen habere.] Et addit notanda verba:

[Quod si super prælatam sibi Sanctam Romanam Ecclesiam, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, describatur, tamquam sanctarum Synodorum rebellem, atque hæreticum se manifestare certum est. Quia si vniuersalis est, etiam nostræ Sedis Primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet, quia in toto Orbe terrarum à Redemptore Mundi beato Petro Apostolo Principatus, ac potestas data est, & per eumdem Apostolum Ecclesia Romana vsque hactenus tenet Principatum, potestatem, & auctoritatem.]

Præterea Nicolaus I. in suis epistolis sæpè hanc veritatem profitetur, præsertim epist. 6. ad Photium, & in septima responsione eius, copiosè verò, & efficaciter in epist. 8. ad Michaelem Imperatorem, quæ est prima ad ipsum, & in altera ad Eumdem idem confirmat, & in 10. ad Episcopos Constantinopolitanæ Sedi subiectos, & in 18. 20. & 30. & ferè in reliquis. Multa etiam similia habentur in epistolis Ioannis 8. quæ licèt in tomis Conciliorum non habeantur, in 3. tomo epistolarum Pontificalium nouissimè editæ sunt, specialiter verò in epist. 73. ad Lambertum Comitem notari possunt illa verba, [Sedem Apostolicam, quam Deus omnipotens supra petram sui nominis fundare dignatus est, non solum Reges, & Principes terræ, verùm etiam Imperatores Augusti, & totius Orbis Domini suis apicibus, vtpotè Caput omnium Ecclesiarum Dei honorauerunt, dignisque præconijs eius Pontifices Vicarios scilicet beati Petri Apostolorum Principis laudauerunt, votisque supplicibus deprecari studuerunt, & vsque in finem seculi Petri manente nomine, ac memoria, supplicare non desinent.] Idem epist. 87. ad Ludouic. Regem Caroli Imperatoris filium, quem vice Patris suum à secretis consiliarium constituit.

Deinde Leo IX. in Apologia contra Michaelem, & Leonem capit. 9. inter hæreses Orientalium Episcoporum ponit præsumptionem assumendi nomen vniuersalis Episcopi, quod ait, Romano Episcopo oblatum esse à Synodo Chalcedonensi, & licèt post Christum illi maximè conuenire possit, propter modestiam, & humilitatem illud non acceptasse, & cap. 10. decernit, de Apostolica Sede neminem mortalium posse facere iudicium, [Beatissimo, inquit, & Apostolico Pontifice Siluestro diuinitus decernente, spiritualique eius filio Constantino, religiosissimo Augusto, vniuersa Nicæna Synodo approbante, ac subscribente, &c.] Videri etiam potest eius epistola ad Petrum Episcopum Antiochenum, & epist. ad Constantinum Monachum Imperatorem. Gregorius item VII. in suis epistolarum libris multa habet in huius veritatis confirmationem, specialiter autem videri possunt in lib. 1. epist. 63. ad Regem Aragoniæ, & 64. ad Alphonsum, & Sancium Reges Hispaniæ, vbi fidelitatem eorum ad Apostolicam Sedem laudat, & concordiam cum illa commendat, & libr. 3. epist. 10. ad Henricum Regem, vbi in ipsa salutatione ait, [Henrico Regi salutem, & Apostolicam benedictionem, si tamen Apostolicæ Sedi, sicut Christianum Regem decet, obedierit, &c.] Et deinceps tota epistola est in confirmationem

nem Romani Primatus; & postea excommunicat Sigesredum Moguntinum Archiepiscopum, & alios propter schisma ab Ecclesia Romana. Et tandem ipsum etiam Regem excommunicat, [& omnes Christianos à vinculo iuramenti, quod illi fecerunt, vel facient, absoluit, & vt nullus ei seruiat, interdicit.] Libro autem 4. epist. 12. ad Episcopos, & Principes Regni Theutonicorum refert, qualiter idem Rex humiliatus ad pœnitentiam, absolutionis veniam impetrauerit, recepto ab eo securitatis iuramento. Et in eodem lib. epist. vlt. ad Regem, & Principes Hispaniæ, eamdem curam vniuersalem profitetur, vt latiùs ibi videri potest. Innocentius etiam Tertius egregiè de Primatu Ecclesiæ Romanæ scripsit in serm. 2. de Consecratione Pontificis, & in varijs epistolis decretalibus tam lib. 1. quàm secundo sæpè idem repetit. Ac denique ferè in omnibus Bullis, Constitutionibus, & Extrauagantibus eamdem supremam potestatem moderni Pontifices exercuerunt semper, & exercent. Est ergo euidens in hoc puncto perpetua eorumdem Pontificum traditio, & consensio.

CAP. XVI.

Occurritur Protestantibus, argumentum ex Pontificum traditione sumptum eludentibus, & auctoritate Conciliorum confirmatur.

Altero verò è duobus modis solent aduersarij Ecclesiæ Romanæ allatis testimonijs Pontificum respondere. Prior est, non constare, prædictas epistolas decretales esse legitimas; imò multa in eis reprehendunt, propter quæ earum auctoritatem contemnunt. Verumtamen hæc responsio non solùm apud Catholicos, sed etiam apud quoscumque eruditos, & prudentes viros tamquam friuola, & incredibilis reijcienda est, vt latè ostendit noster Franciscus Turrianus in libris in defensionem illarum epistolarum editis, in quibus omnibus calumnijs Magdeburgensium respondet. Nos autem breuiter dicimus, in primis tantam esse epistolarum antiquitatem, vt timeri non possit ad confutandos nouos errores fuisse confictas. Præterea de Leonis I. epistolis nullus hactenus dubitauit, & tamen ipse epist. 2. cap. 5. custodire mandat, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium prædecessorum suorum. Et clariùs Gelasius Papa, qui ante mille centum annos fuit, in decreto de Libris authenticis, quod Gratianus etiam refert dist. 15. cap. 3. sic inquit, [Decretales Epistolæ, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab Vrbe Roma pro diuersorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt.] Idemque post trecentos, & quinquaginta ferè annos confirmauit Nicolaus I. in epist. 42. ad Episcopos Galliæ, cuius magnam partem Gratianus inseruit Decreto, dist. 19. cap. 1. Diuus item Hieronymus epist. 11. ad Geruch. testatur, aliquando inuasse Damasum Orientis, atque Occidentis consultationibus respondentem. Non potest ergo dubitari, fuisse consuetudinem Pontificum Romanorum per has epistolas Ecclesiam gubernandi, ergo neque verisimile est omnes perijsse, neque aliàs esse, nisi quæ in Ecclesia Romana receptæ, & seruatæ sunt.

Ad hæc, multæ ex his epistolis insertæ sunt, & connexæ cum epistolis aliorum Patrum, quæ in dubium reuocari non possunt sine magna impudentia, & temeritate. Vt patet ex epistolis Cornelij cum epistolis Cypriani, Innocentij, cum scriptis Chrysostomi, & Augustini. Item ex epistola Marci Pontificis cum epistola Athanasij ad eumdem, itemque ex epistola Liberij. Item ex multis alijs inter epistolas Hieronymi, & Augustini. Item ex epistola Theodoreti ad Leonem cum responso eius. Quædam etiam sunt inter alia opera eorumdem Pontificum recepta, vt inter opera Gregorij, Leonis, &c. Neque est maior ratio de illis, quàm de cæteris operibus dubitandi. Multæ item à grauissimis historiographis referuntur, vt capite sequenti probabo. Extant præterea antiquissima exemplaria plurium epistolarum in Vaticana Bibliotheca, ex quibus summa fide, & diligentia nouissimè editæ sunt, & correctæ. Denique quamquam de vna, vel altera epistola, vel parte eius posset aliqua ratio dubitationis, vel suspicionis oriri, nihilominùs quod attinet ad præsentem causam, tantam habemus impositam nubem testium (vt verbis Pauli vtar) tantamque concordiam sententiarum, & actionum supremæ iurisdictionis, vt nullus nisi nimis pertinax, & impudens dubitare possit, quin hic fuerit omnium Romanorum Pontificum sensus, & consensus, vniuersa item Ecclesia cum eis conspirante, & consentiente.

Tunc verò occurrit altera responsio dicentium, in hoc negotio non esse Pontificum testimonium audiendum, quia nemo in propria causa est legitimus testis. Verumtamen hæc etiam responsio à viro Catholico audiri non potest. Primò, quia re vera Pontifices Romani in hoc negotio non tam sunt testes in propria causa, quàm in causa Christi, & vniuersali totius Ecclesiæ. Deinde, quia non tam sunt testes, quàm iudices in similibus causis, nam ad eos spectat, dogmata fidei declarare, & Ecclesiæ proponere, vt in superioribus visum est, hic autem articulus ad dogmata fidei pertinet, vt ijdem Pontifices eadem certitudine decernunt, & ex diuina Scriptura in superioribus probatum est. Vnde siue iudices, siue testes dicantur, non proprio, sed diuino spiritu ducti, veritatem docuisse credendi sunt. Præterea, etiam si eorùm testimonium vt humanum consideretur, maximæ auctoritatis est, & rem facit euidenter credibilem: nam credibile non est, in hoc puncto per ignorantiam errasse, quia aliqui eorum fuerunt sapientissimi, nonnulli verò Apostolorum Discipuli fuerunt; & cum eis familiariter conuersati sunt, præsertim Clemens, & Anacletus, quos fuisse Petri Diaconos, Ignatius testatur in epistola quinta ad Trallianos, per illos autem cum Lino, Cleto, & similibus hæc traditio ad successores per-

uenit. Fuerunt etiam illi viri sanctissimi, vt propterea credi non possit ex ambitione, & arrogantia potestatem sibi non datam vsurpare voluisse. Multi etiam ex illis fidem suam suo sanguine consignarunt. Cùm ergo hunc articulum inter dogmata fidei docerent, non solum verbo, sed etiam vita, & morte sua illum confirmatum reliquerunt. Denique cùm Rex Angliæ profiteatur, se non audere antiquis Patribus primorum sęculorum, resistere, si constanter loqui velit, necesse est, vt in tantorum Patrum conspectu taceat, eisque contradicere non audeat. Vt autem illum amplius vrgeamus, addemus quatuor Concilia generalia, quæ ipse veneratur, mirè cum dictis Pontificibus consentientia.

Concilium itaque Nicænum primum lib. 3. in canonibus sumptis ex Iulio Papa I. epist. 2. in canon. 1. si dicitur, [Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.] Et canon. 2. [Episcopi in grauioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, &c.] Et canon. 3. [Dum iterato iudicat Apostolicæ Sedis Pontifex causam Episcopi, nullus alius in eius loco ordinetur, & redditur ratio, quia inconsulto Romano Pontifice, non est permissum, tales causas omninò definire,] cum Petro dictum sit à Domino: [Quodcumque ligaueris, &c.] Et in canonibus 80. ex Græco, & Arabico translatis, in can. 39. sic dicitur. [Ita præest Patriarcha ijs omnibus, qui sub potestate eius sunt, sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est, & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit à Synodo excommunicatur.] De quo canone videnda sunt, quæ in tom. 1. Conciliorum notantur. Et illi concordat Concilium Sardicense in canon. 4. & 7. quæ sunt de causis Episcoporum à Pontifice Romano terminandis.

Deinde in Concilio Constantinopolitano I. can. 3. aliàs 5. dicitur. [Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris Primatum post Romanum Episcopum.] In quo canone vnum supponitur, & aliud statuitur. Supponitur quidem, Summum Pontificem habere Primatum in Ecclesia, & hoc est, quod nunc ad nos spectat: nam generale Concilium id supponit, quod pro certo, & indubitato habuit. Neque fingere potest Rex Angliæ Concilium loqui de Primatu solùm ratione politici ordinis, quoad aliquem externum splendorem, vel honorem: nam loquitur de Primatu eo modo, quo ab ipsis Romanis Pontificibus gerebatur, iurisdictione, nimirùm & potestate, & canon. 2. proximè præcedente, constat Concilium loqui de Primatu in regimine, & gubernatione Ecclesiæ. Altera verò pars illius canonis multis temporibus recepta non est, vt constat ex Leone Papa epistola 53. aliàs 51. ad Anatolium capite secundo, & ex duabus sequentibus ad Marcianum, & Pulcheriam Augustos. Et ex Gregorio libro sexto Epistolarum epist. 31. & 37. & ex Nicolao Primo, & Leone Nono locis supracitatis. Sed hoc etiam Primatum Ecclesiæ Romanæ commendat, ideò enim statutum illud, neque tunc, neque post multa tempora vim habuit, quia Romana Ecclesia illud non probauit, quando verò illa consensit, habere cœpit effectum, vt constat ex Innoc. III. cum Concilio Lateranensi cap. Antiqua, de priuilegijs.

Præterea Concilium Ephesinum primum in epistola ad Cœlestinum Papam, quæ habetur tomo quarto, illius synodi, capit. 17. illum tamquam supremum pastorem, & fidei iudicem alloquitur in hunc modum, [Sanctitatis tuæ circa pietatem, zelum, eiusdemque circa fidei synceritatem, curam nostri omnium seruatori apprimè gratam, & placitam cum omni admiratione complectimur: est enim vobis tam eximijs in more positum, vt in omnibus celebres sitis, studiaque vestra solida Ecclesiarum firmamenta constituatis.] Vbi certè non tantum de persona Cęlestini, sed de more ipsius sedis loquitur, vnde subiungit. [Quia verò necessitas exigebat, vt omnia, quæ in hac sacra Synodo acciderunt, sanctitati tuæ declararentur, non potuimus hisce nostris literis ad tuam sanctitatem non perscribere, &c.] Inquibus verbis etiam ostendunt dependentiam à Pontifice Romano. Vnde tomo secundo eiusdem Concilij cap. 15. cum totum Concilium, auditis Cęlestini literis in absentia legatorum eius acclamasset, & illius instructionem sequutum fuisset, cumque legati postea aduenissent, & quod factum fuerat, intellexissent, Philippus vnus ex illis dixit, [Gratias agimus sanctæ, venerandæque huic Synodo, quod literis Cœlestini sanctissimi, Beatissimique Papæ vobis recitatis Sāctа Ecclesię membra Sanctis vestris vocibus, pijsque præconijs, sancto vestro capiti vos exhibueritis: non enim ignarа est vestra beatitudo totius fidei, cæterorumque omnium Apostolorum caput Beatum Apostolum Petrum extitisse. Quod iterum latiùs repetit idem Philippus, dicens nulli esse dubium, Petrum fuisse Christi Vicarium ab ipso constitutum, nec non per successores suos huc vsque semper viuere, eiusque successorem, & Vicarium Sanctum esse Romanum Pontificem. Quos Sermones Sacra Synodus detestata non est, sed potius consensit legatis Apostolicis, & magna conformitate eidem fidei cum illis subscripsit. Et capite decimo septimo, in Epistola Synodi ad Imperatores inter alia referunt, Cœlestinum literas misisse ad Cyrillum, vt suas in hac parte vices subiens, Romæ definita perficeret, & postea misisse Philippum Presbyterum, [Qui Sanctissimi Cœlestini, (inquit) personam hic sustinet.] Multaque alia similia euidentia signa Primatus Pontificij in illo Concilio leguntur.

Neque pauciora reperimus in Concilio Chalcedonensi, in quo fuerunt etiam legati Leonis Papæ loco illius Concilio præsidentes, ex quibus Paschasius Act. 1. in principio sic loquutus est, [Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed

audien-

audiendus intromittatur,] & totum Concilium Leoni tamquam capiti obediuit. Et in Act.2.lectis Leonis epist. omnes Cõcilij Patres dixerunt; [Ita credimus; Petrus per Leonem ita loquutus est.] Et in act.3. Leo sæpe vocatur [vniuersalis Patriarcha, & vniuersalis Archiepiscopus,] & circa medium Iulianus Episcopus dixit ad legatos Papæ, [Nunc vestra sanctitas Primatũ tenet sanctissimi Leonis. Et infrà. Petimus vestram Sanctitatem, qui habetis locum Sanctissimi Papæ Leonis, contra eum (id est, contra Dioscorum) proferre sententiam, &c.] quæ omnia partim nomine totius Concilij fiebant partim illis consentiebat. Præter hæc refert Surius in fine actionis 15. eiusdem Concilij sequentes sententias. [Veneramur secundum Scripturas, & canonum definitionem sanctissimum antiquæ Romę Episcopum primum esse, & maximum omnium Episcoporum. Item alia. Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum Antiquæ Romæ, quia Petrum habemus petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi Episcopi criminati infamiam secundum claues à Domino sibi datas. Item alia omnia ab eo definita teneãtur tamquam à Vicario Apostolici throni.] Hæ verò sententiæ non inueniuntur nunc in Concilio Chalcedonensi, sed eas allegat Surius ex Diuo Thoma in Opusculo contra errores Græcorum, apud quem inuenio secundam, & tertiam, in capite 32. §.Ostenditur etiam quod Petrus, primam autem ibi non inuenio, sed in §.Ostenditur etiam quod Prædictus, sic inquit, [Legitur in Chalcedonensi Concilio, quod tota Synodus clamauit Leoni Papæ, Sanctissius Apostolicus, & vniuersalis Patriarcha, per multos annos viuat.

Præter hæc vero sunt expressa testimonia eiusdem Concilij act.16. in epist. ad Leonem, in qua referuntur gesta in Concilio, vbi prius ex illo Matt.16. [Vbi sunt duo, aut tres congregati in nomine meo; ibi sum in medio eorum inferunt, quaneam circa sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui, & patriæ, & labori, suæ confessionis notitiam prætulerunt, quibus tu quidem sicut membris caput præeras in ijs, qui tuum tenebant ordinem.] Et infra Eutychetis scelera referens, ait. [Et eos quidem, qui ea, quæ pastoris sunt, sapiunt, abscidis, eos vero, qui lupi demonstrari sunt, super oues imposuit, & post hæc omnia insuper, & contra ipsum, cui vineę custodia à Saluatore cõmissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoq; sanctitatem, & excommunicationem meditatus est cõtra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas.] Et inferius petunt confirmationem decretorum ab ipsis, & specialiter circa præeminentiam Patriarchæ Constatinopolitani. Et quamuis hoc Pontifex non probauerit, vt supra diximus, tamen in ipsa petitione confitetur Synodus Primatum Pontificis, & ita exponunt decretum secundę Synodi supra relatum, [Quę præcepit (aiunt) post vestram sanctissimam, & Apostolicam sedem honorem habere Constantinopolitanam, quæ est secunda ordinata, confidentes quia lucente apud vos Apostolico radio, vsque ad Constantinopolitanam Ecclesiam consuete gubernando, illum spargentes, hunc sæpius expanditis, &c.]

Eodem modo confirmari potest eadem traditio ex multis, quæ habentur in quinta Synodo generali Constantinopolitana 2. à Vigilio Papa confirmata. Item ex sexta Synodo act.17.& 18.& ex.7.Synodo sub Adriano Papa coacta, quæ sub eius obedientia, & iuxta eius instructionem in omnibus processit, vt ex act.7. in fine colligitur. In octaua etiam Synodo extat canon 21. in quo Primatus tribuitur Ecclesiæ Romanæ, quam vocat sedem Petri Principis Apostolorum. Et vt alia ommittam, quæ, si legitima fuerunt, sub obedientia Romanæ sedis semper processerunt, specialiter hanc veritatem docuit Concilium Lateranense, sub Innocentio III. capit.5.& 6. & expressiùs eam definit Concilium Florentinum in literis vnionis, Græcis cum Latinis consentientibus, his verbis. Definimus Sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem obtinere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino Iesu Cristo plenam potestatem datam esse, &c.] Denique Concilium Tridentinum à principio & in toto suo progressu Pontificis auctoritatem recognoscit, eiusque confirmationem in fine postulat, & specialiter Session.6.cap.1. de Reformation. eum vocat Dei in terris Vicarium habentẽ supremæ sedis auctoritatem.

Ex concilijs etiam prouincialibus possent multa congeri, quæ breuitatis causa prętermittimus, videri tamen possunt Concilium Romanum sub Syluestro, & Romanum tertium, & quartum sub Symmacho, & Concilium quartum Aurelianensem cap.1. & Concilium Carthaginense, & Mileuitanum in epistolis ad Innocentium Papam, quæ sunt 90. & 92. inter epistolas Augustini, in quibus auctoritas Ecclesiæ Romanę ad plenam heresis damnationem postulatur. Quod etiam confirmant alij Episcopi cum eodem Augustino in epist.95. ad eundem Innocentium, quarum facit etiam mentionem, idem Augustin. in epist.106. dicens. [Ex duobus Concilijs Carthaginensi, & Mileuitano relationes ad Apostolorum sedem missæ sunt, scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium præter Conciliorum relationes epistolas familiares, &c. Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem.] Et concordat cum illis Concilium Affricanum sub Bonif. cap.35.

Præter hæc verò animaduerti potest Concilium Turonicum secundùm in cuius cap.21. habentur illa notanda verba: [Quis sacerdotum contra decreta, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat.] Et ferè similia habet Concilium Bracharense primum cap.18. vbi omnes Episcopi dixerunt, conueniens esse, vt omnia inter ipsos concordi celebrarentur officio, & adiungunt, [præcipuè cùm & de certis quibusdam causis instructionem apud nos sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationes suas quondam vene-

ran-

randæ memoriæ Profuturi prudenti ab ipsa Beatissimi Petri accepit cathedra.] Et addit Lucretius Bracharensis Episcopus, Rectè Paternitas vestra auctoritatem sedis Apostolicæ recordata est, &c. Et statim cap.22. & 23. statuunt, vt in ordine Missæ, & baptismi prædictam instructionem Romanæ Sedis sequantur, Vnde Concilium Toletanum. 1. in assertione fidei in vltimo anathematismo dicit; si quis in salutari baptismo contra sedem Sancti Petri aliquid faciat, anathema sit.] Maximè verò nostrum propositum confirmant verba Concil. Toletani. 3. satis antiqui can. [1. Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul, & synodicæ Sanctorum Præsulum Romanorum epistolæ.] His enim verbis satis constat, quanta fuerit eo tempore auctoritas non solum Ecclesiæ Romanæ, sed etiam epistolarum decretalium eius, de quibus simile decretum habetur in Concilio Toletano 14. cap.11.

CAP. XVII.

Eadem traditio Patrum auctoritate confirmatur.

QVamuis ad confirmandam fidem de Romani Pontificis primatu satis superque sit auctoritas Pontificum, & Conciliorum, nihilominus non est omittenda auctoritas Sanctorum Patrum, ex quibus nonnullos supra adduximus, qui successioni Pontificis Romani in cathedra Petri expressum testimonium præbuerunt; nunc verò alij inducendi sunt, qui de excellentia ipsius cathedræ, eiusque dignitate testificentur, quibus, & concordia traditionis euidentiùs constabit, & eorum auctoritatem fortasse Rex Angliæ, qui aliquid Patribus deferre videtur, magis mouebitur. Est autem præ oculis habendum eosdem argumentandi modos ex doctoribus posse desumi; quos in Pontificibus adnotauimus, nimirum ex verbis, & titulis, quibus Romanos Pontifices honorant, ex actibus supremæ iurisdictionis spiritualis, quos illi tribuunt, & ex illustrioribus sententijs, quibus eorum primatũ profitentur. Prius ergo à Græcis, qui in præsenti causa minus suspecti iudicari possunt, incipiemus.

Primo ergo Ignatius in epist.15. ad Romanos, Romanam Ecclesiam honorificentissime salutat, & de illa dicit. [Quæ præsidet in loco Romanæ regionis.] Polycarpus item cum [Romam venit, ad Anicetum Ecclesiam in vrbe regentem,]vt eum de Paschæ quæstione consuleret (teste Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis in Polycarpo, & Irenæo lib. 3. cap.3.) satis recognouisse videtur Pontificem Romanum vt Pastorem, & fidei magistrum. Clarius verò, & vberiùs Irenæus lib.3.cap.3. Romanam Ecclesiam maximam, & antiquissimam vocat, & ab Apostolis Petro, & Paulo fundatam esse dicit. Et subiungit. [Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, &c.]

Deinde D. Athanasius in epist. ad Marcum Romanorum Episcopum sic eum salutat. [Domino Sancto, & Apostolici culminis venerando Marco Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ patri, Athanasius, & vniuersi Ægyptorum Episcopi salutem.] Et infrà petitionem subiungens, ait, [Optamus, vt à vestra Sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater omnium Ecclesiarum, &c.] Et infrà. [Vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis, & sumus, & esse semper volumus.] Et in epist. ad Felicem. 2. quæ inter acta eiusdem Felicis in tom.1. Conciliorum habetur, ipse cum alijs Episcopis Ægypti auxilium sedis Apostolicæ implorat his verbis: [Vestro Sancto suggerimus. Apostolatui, vt nostri more sollito solicitudinem gerere dignemini.] Et infrà. [Quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica Sancta Sede auxiliũ hausimus, & nostri vos curam gerere agnouimus, præfatam Apostolicam, & summam experimus iuxta canonum decreta sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque sublevationes ceperunt. Ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus.] Et infrà [Quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus (scilicet, de fide definire) canonibus iubentibus, absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere Pontifice.] Et infrà. [Ob id vos, prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet, Præsules in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam eis habere præcepit.] Et infrà. [Cui omne Episcoporum iudicium est commissum.] Et infrà, de hoc Primatu exponit locum Matt. 16. & auctoritate Concil. Nicæn. omnia confirmat. Huic concordat Basil. epist.52. quæ est ad eundem Athanas. dicens. [Visum est mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hic geruntur, consideret, &c.]

Gregorius etiam Nazianzen. orat. 23. in laudem Heronis commemorat Petrum Alexandrinum Athanasij successorem à sede sua pulsum à Lucio Ariano, ad Romanum Pontificem confugisse. [Ac per tacitam (inquit) accusationem omnibus lachrymas mouit, vt calamitatis magnitudinem in oculis, & aspectu defigerent, & auxilium nancisceretur, quemadmodum, & nactum esse scimus.] In quibus verbis Nazianzenus simul cum Petro Alexandrino Pontificis auctoritatem ad iudicandas etiã Orientis causas recognoscit. Quod etiam ex eodem Nazianzeno colligitur orat. 52. quæ est secunda ad Cledonium, vbi commemorat Vitalium Apollinaris sectatorem quendam fidei libellum fraudulenter edidisse, heresim occulte profitendo, Damasum autem, fraude cognita, cum ab Ecclesiæ cœtu abdicasse: deinde libellum cum anathematismo deleuisse. Eodem modo Pontificiam potestatem testatus est Chrysostomus in epistolis ad Innocentium I. petens ab illo auxilium contra eos, qui iniuste illum deposuerant, tum declarando depositionem fuisse irritam, tum puniendo malefactores, pro quibus tamen pie intercedit, vt si resipiscant, non excommunicentur, in hoc ipso potestatem Pontificis recognoscens.

Simili modo Cyrillus in epist. ad Cœlestinum in causa Nestorij rem totam ad ipsum sicut

ficut ad caput retulit,& subiungit:[At quamuis res ita habeat:non prius tamen illius communionem deserere ausi sumus,quam hęc ipsa pietati tuæ indicaremus, &c.] Quæ est 18. inter epist.Cyrill.& habetur in Concil.Ephes. tom.1. cap.29. epist.12. inter epist. Cyrill. & dicto tom.1. cap. 16. Cui Cœlestinus respondit . [Nostræ sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita sedulitate sententiam exequeris, nempè, vt nisi decem dierum interuallo ad huius nostræ numerationis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet .] Et infrà. [Illicò sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat, is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.] Cui epistolæ Cyrillus obediuit,vt constat ex eius epist. ad Nestorium, quæ est de excommunicatione, dicens . [Quod nisi iuxta tempus in literis Cœlestini sacratissimi, reuerendissimique Romanorum Episcopi expressum præstiteris, certo scias nullam tibi deinceps cum Episcopis, & Sacerdotibus Dei consuetudinem, nullum sermonem nullum denique inter eos locum futurum esse.] Et similia habet in sequenti epistola ad Clerum, populumque Constantinopolitanum. Refert prætereà Diuus Thomas opusc.1. contra errores Græcor. cap.32. §. Habetur, eundem Cyrillum in libro Thesaurorum dicentem. [Sicut Christus accepit à Patre plenissimam potestatem, sic, & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit. Item nulli alij, quàm Petro, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.] Vbi particula [Soli] non excludit successores,sed alios Apostolos, nam paulò post dicit, dedisse Petro potestatem, & Ecclesiæ, Et inferius ait Diuus Thomas, [Ostenditur etiam, quod subesse Romano Pontifici, sit de necessitate salutis, dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum; Itaque fratres,si Christum imitamur, vt ipsius oues vocem eius audiamus, manentes in Ecclesia Petri, &c.] Nec dubitandum est de his testimonijs, etiamsi nunc in Thesauro non inueniantur,cum propter Diui Thomæ auctoritatem; tunc etiam, quia plures libros Thesauri perijsse scimus.

Denique ex Ecclesiasticis historijs à Græcis etiam conscriptis constat, antiquissimam Ecclesiæ praxim fuisse, vt in causis grauioribus ex tota Ecclesia etiam Orientali ad Cathedram Petri fieret recursus, ad petendam, vel fidei declarationem, vel alicuius hæresis damnationem, vel Synodi congregationem, aut confirmationem, vel ad petendum iudicium per modum appellationis, aut iustæ defensionis; ex quibus manifeste constat potestatem supremam Romani Episcopi omnibus Græcis à principio Ecclesiæ agnitam, & creditam fuisse. Huius autem praxis præter testimonia adducta, optimum argumentum sumitur ex Historia Euseb. lib.7. cap.24. vbi de Paulo Samosateno ait: [Vbi simul cum orthodoxa fide Episcopatum amisisset, & ex Episcopi domo eius Ecclesiæ propria exire nollet: Imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam,sanctissime quid esset agendum decreuit. Præcepit enim, vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & vrbis Romæ Episcopi per literas tribuendam perscriberent.] Tanta enim erat fama publica Primatus Romani inter Christianos Grecos, vt etiam gentiles non lateret,& ideò Imperator licet infidelis,eam sententiam protulit, sanctissimè, vt ait Eusebius, approbans sententiam illam, & consequenter etiam Primatum. quia fidei conformis fuit, licet ab infideli lata fuerit.

Eadem traditio sumitur ex Teodor.lib.2. histor. cap. 22. vbi de Conciliabulo Ariminensi ait: [Præiudicij vim habere non debet, præsertim cum formula illa composita sit,neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, consentiente, &c.] & lib. 5. cap. 10. refert, Damasum post exortam sectam Apollinaris, illum, & discipulum eius Timotheum abdicasse, & per literas Orientalibus significasse,quas ibi refert earumque initium est. [Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reuerentiã tribuit, filij honoratissimi, vobis quoque ipsis maximo sanè honori est. Nam licèt in Sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur,tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse, Et infra significat idem Pontifex, Orientales Catholicos ad ipsum recurrisse dicens: [Quid est, abdicationem Timothei à me rursus requiratis, qui etiam hic iudicio Sedis Apostolicæ, Petro quoque Episcopo Alexandrino præsente abdicatus est vna cum magistro Apollinario:] Quibus omnibus Theodoretus assentitur. Imò ipse etiam cum aliquando in fidei suspicionem venisset, ad Leonem Papam per epistolam confugit,dicens:[Ad Apostolicam vestram sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus, vobis enim per omnia primos esse conuenit. Multis enim, quibus superiores estis, ornatur vestra sedes. Alias enim vrbes ornat vel magnitudo, vel pulchritudo, &c. Vestræ autem redundantem bonorum copiam dedit is, qui est omnium largitor, ea est enim omnium maxima, & præclarissima, & quæ præest orbi terrarum.] Et cætera, quæ latè prosequitur.

Huic denique traditioni adstipulatur Socrates lib.2. Histor. cap. 5. Vbi Concilium Antiochenum illigitimum fuisse significat, quia Iulij Pontificis Romani auctoritatem non habuit: [Cum canon (ait) Ecclesiasticus iubeat, non oportere absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiæ sancire.] Et c.11. referens Athanasium, & plures alios Orientales Episcopos ab Ecclesijs suis eiectos, Romam peruenisse,vt Iulium Episcopum Romanum de suo statu certiorem facerent, inquit. [Quoniam Ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat:] & lib. 4. cap. 3. similia referens de Petro Alexandrino, de illo adiungit: [Cum literis Damasi Episcopi Romani reuersus esset, populus illi confisus expellit Lucium, Petrum autem in locum illius introducit.] Et Sozomenus lib. 3. Histor. cap. 8. referens fugam Athanasij, & aliorum ad Iulium Romanũ Episcopum addit:[Quorum criminationes cum Episcopus Romanus intellexisset in communionem recepit. Et cum propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suas Ecclesias

testi-

testitit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque iocusuit, &c. Deditoue mandatum, vt quidam illorum, omnium nomine ad diem constitutum accederent.] Et cap.9. alias literas eiusdem Iulij refert, in quibus præter alia illud continebatur: [Legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronunciat, acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.] Addirque (quod notandum est) eum suis literis apud rebelles Orientis Episcopos nihil proficeret à Constante Imperatore quasi à seculari brachio adiutorium postulasse, atque ita tandem Orientales Episcopos Romam venire coegisse, & lib. 6. cap. 22. orta controuersia de Spiritus Sancti dignitate inquit. [Episcopus Romanus de ea certior factus, scripsit ad Episcopos Orientis literas, vt vna cum Episcopis, & sacerdotibus Occidentis Trinitatem consubstantialem esse, & gloria æqualem crederent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquieuerunt, sicque illa controuersia finem habere visa est.] Et hæc de Patribus Græcis sufficiunt.

Ex Latinis multa in superioribus capitibus, & in primo lib. adducta sunt, quæ hic non sunt repetenda, sed breuiter insinuanda, & aliqua ex parte locupletanda. Primò ergo Tertullian. lib. de Præscrip. cap. 16. [Habes Romam, vnde (inquit) auctoritas præsto est.] Et lib. de Pudicit. cap.1. Episcopum Romanum vocat [Pontificem maximum, & Episcopum Episcoporum,] vbi Pamelius plura eiusdem auctoris loca designat, quæ omitto, quia hic auctor cum ab Ecclesia Romana defecerit, non rectè de Primatu illius sensit, quamuis non omninò illum ignorauerit. Magnus igitur, & fidelis huius veritatis assertor fuit Cyprianus, qui in suis Epistolis sæpissimè ad vnitatem Ecclesiæ requirit vnum supremum caput, illudque esse dicit in Ecclesia Romana, vt videri potest epist.40.45.52.&55. & 76. cuius verba sæpè retulimus. Item Ambros. Orat.de Satyro fratre,& 1.ad Thimot. 3. & lib. 1. epistolar.in 7. ad Syricium Papam cū alijs Episcopis, sic inquit: [Recognouimus literas sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur.] Et epist.4. ad Imperatores Gratianum,&c.agens de vitandis Arianis: [Quomodo (inquit) fieri potest, vt eum, quem societati eorum insertum vidimus,non etiam assertorem perfidiæ iudicemus. Quid etiam si defuisset tamen totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda foret clementia vestra, inde enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant, &c.] Et epist. 9. ad Theophil. Alexandrinum:[Referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus, ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant.] Et infrà: [Vt nos quoque accepta vestrorum serie statutorum,cùm id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huius examinis adipiscamur.] Quibus verbis ad Orientalem Episcopum scriptis, de consuetudine Romani Episcopi gubernandi etiam Orientales satis testatur Ambrosius.

Eiusdem vsus, & potestatis testis est Hieronymus epist.11. ad Ageruchiam, dicens (vt supra retuli) se aliquando iuuisse Damasum in respondendo ad Orientis, & Occidentis Synodales constitutiones. Et epistol. 16. ad Principiam referens, quod supra tactum est de Athanasio, & Petro Alexandrino, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant. In epist. etiam 8. ad Demetriadem circa finem, Sedem Romanam Cathedram Apostolicam vocat, idem de Primatu eius sentiens, quod de Primatu Petri, de quo eius sententiam suprà retulimus. Idem copiosiùs in epist.57. ad Damasum, cuius verba iam in superioribus adducta sunt, vbi etiam docet, habere illam Sedem priuilegium Petri non errandi in fide. Quod etiam sentit Apolog. 2. seu lib. 3. Apolog. contra Ruffinum, vbi habet illa verba: [Attamen scito, Romanam fidem Apostolica voce laudatam huiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annociet, quam semel prædicatum est.] Et infrà: [Et tamen mitor, quomodo probauerit Italia, quod Roma contempsit, Episcopi susceperint, quod Sedes Apostolica condemnauit,] tacitè negans, id fieri potuisse, aut se illud credere.

Ex Augustino etiam recurrente ad Romanum Pontificem tamquam ad Christi Vicarium, multa supra diximus ex epist. 90. 92. & 95. eiusdem Augustini. Quibus concordat idem August. lib. 2. retract. cap. 50. dicens, [Pelagianam hæresim ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ Innocentio, & Zosimo cooperantibus Conciliorum Africanorum literis damnatam esse.] Et in epist.157. In principio se subditum Romani Pontificis apertè profitetur, dum ait, [Me apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos iniuncta nobis à venerabili Papa Zosimo Apostolicæ Sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas traxerat.] Et infrà, relatis verbis eiusdem Zosimi, ad probandam necessitatem baptismi in remissionem peccatorum, subiungit. [In his verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica fides, vt de illa nefas sit dubitare Christiano.] Et epist. 105. de Romana Ecclesia inquit: [In qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus,] & ibi etiam refert, in causa Donatistarum iudicium Apostolicæ Sedis expectatum fuisse. Idemque repetit lib. 1. contra epist. Parmen. cap.5. & epist. 165. vbi ait, de cognoscendam Ecclesiam Catholicam maximè spectandam esse successionem in Sede Petri, sentiens illam esse petram, super quam fundata est Ecclesia, quod expressiùs declarauit in psalmo contra partem Donati tom. 7. dicens, [Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.]

Præterea ex eodem fundamento dicit lib. 1. contra Iulianum cap.4. [Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosum iuuentutem tuam

tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi, quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia.] Qui locus est valdè notandus, nam in eo planè docet Augustinus, definitionem Pontificis facere certam fidem, etiam sine generali Concilio. Vnde in lib. 2. de peccato origin. cap. 7. etiam de Cœlestio Pelagij socio refert, [non fuisse ausum, beati Papæ Innocentij literis obsistere,] immò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisisse. Denique lib. 1. ad Bonifacium in principio inter alia dicit, [Non dedignaris, qui non alta sapis, quamuis altius præsideas, esse amicus humilium, & amore dependere impensum.] Et infrà: [Cùm communis sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo præmineas celsiore fastigio speculæ Pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris, &c.

Concordat cum August. Prosper contra collatorem cap. 10. vbi definitiones Innocentij, & Zosimi contra Pelagium infallibiles reputans, tamquam absurdum infert contra Collatorem. [Secundum tuam censuram errauit Papa Innocentius Petri Sede dignissimus.] Et infrà: [Errauit sacrosancta beati Petri Sedes, quæ ad vniuersum Orbem Papæ Zosimi ore loquitur.] Et cap. 41. iterum inquit: [Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.] Et infrà: [Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antistitum.] Vbi addit etiam Bonifacium, de quo ait, [Contra inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etiam Regijs vtebatur edictis. Et de Cœlestino adiungit, [prædecessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat.] Et de eodem subdit: [Nec segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, &c.] Et infra dicit, eadem cura Scotiam fecisse Christianam. Et libro de ingratis cap. 2. sic ait, [Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundi, quicquid non possidet armis, religione tenet.] Et similiter lib. 2. de vocat. gentium imitatus Leonem, ait: [Roma per Apostolici Sacerdotij Principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.] Quomodo etiam dixit Fulgentius libro de Incarnat. & gratia cap. 11. Romanam Ecclesiam Petri, & Pauli verbis tamquam splendentibus radijs illustratam, eorumque decoratam corporibus mundi cacumen esse.] Ex Optato etiam Mileuitano contra Parmenian. multa relata sunt; specialiter verò lib. 2. [Negare, inquit, non potes, scire te in vrbe Roma Petro primo Episcopalem Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.]

Similiter Isidor. in epist. ad Eugenium Toletanum Episcopum, cùm potestatem Petro datam modo à nobis supra tradito explicasset, subiungit, [Cuius dignitas potestatis, etsi ad omnes Ecclesiarum Episcopos est transfusa, specialiùs tamen Romano Antisti, singulari quodam priuilegio, velut capiti, cæteris membris celsior permanet in æternum.] Et in præfatione ad canonum collectionem, quæ habetur primo tomo Conciliorum, ait cum Concilijs collegisse decreta & epistolas Synodicas Pontificum. [Quia in eis pro culmine Sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas.] Et in fine: [Synodorum, inquit, congregandarum auctoritas Apostolicæ Sedi priuata commissa est potestate, nec vllam Synodum ratam esse legimus, quæ eius auctoritate non fuerit congregata, vel fulta, hæc canonica testatur auctoritas, hæc historia Ecclesiastica roborat, hæc sancti Patres confirmant.] Hoc etiam confirmat Beda in homil. Diui Benedicti Angli tom. 7. de quo ait: [Ad beatorum Apostolorum limina peregrinaturus aduolauit, vt quia rudis adhuc in gente Anglorum fides & Ecclesiarum institutio florebat, ibi potiùs perfectam viuendi formam sumeret, vbi per Summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximium.] Et lib. 2. Historic. Anglor. cap. 1. de Gregorio ait, [Cùm primum in toto Orbe gereret Pontificatum, & conuersis iam dudum ad fidem veritatis esset Prælatus Ecclesijs, nostram gentem eatenus idolis mancipatã Christi fecit Ecclesiam, &c.] Et lib. 3. cap. 25. refert Regem Angliæ, & alios illo iam tempore credidisse, claues Petro datas in Ecclesia Romana permanere. Et in lib. 4. cap. 1. & sæpe in illa historia ostendit, quanta fuerit semper Romani Pontificis circa Anglos prouidentia, & eorumdem ad eumdem Pontificem obedientia.

Denique omnes etiam posteriores Patres eamdem veritatem constantissimè docuerunt, ex quibus duos tantùm numerabimus Anselmum, & Bernardum, qui grauissimè de Pontificia dignitate loquuti sunt. Anselmus enim lib. de Incarnat. Verbi, sic incipit, [Domino, & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Vrbano Frater Anselmus.] Et infrà: [Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, siquid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur, nec vlli alij tutius siquid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur.] Et in præfatione ad epistolam ad Romanos dicit, illam epistolam primo loco poni, quamuis prima omnium scripta non fuerit, quia & in illo tempore Roma caput totius Orbis extitit, & vsque hodie Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum obtinet Principatum.

Diuus autem Bernardus multò copiosius hoc ipsum docet epist. 125. ad Gaufridum; vbi inter alia dicit, [Alemaniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniarum, & Hierosolymorum Reges cum vniuerso clero, & populis fauent, & adhærent Domino Innocentio, tamquam capiti membra soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.] Item epist. 131. ferè de eodem argumento ad Mediolanenses, & epist. 138. ad Conradum Regem

gem Romanorum: [Legi, inquit, omnis anima potestatibus subliminribus subdita sit. Quam sententiam cupio vns, & nmnimodia mnneo custodire in exhibenda reuerentia summæ, & Apostolicæ Sedi, & beati Petri Vicario, sicut ipsam vnbis vultis ab vniuerso seruari Imperin.] Et de sublimitate illius Sedis egregiè loquitur ep. 237. ad Fugenium, & latiùs lib. 3. de consideat. ad eumdem, cap. 8. ex qua plura verba in superioribus relata sunt, & ideò illa prætermittimus. Addi etiam hic possent temporalium Regum, & Imperatorum testimonia, & exempla, sed ex illis aliqua in superioribus tacta sunt, & plura in sequentibus afferemus, spiritualem potestatem temporali comparando. Nunc sufficiant notanda verba Constatini Imperatoris In cap. in memoriam dist. 19. vbi sic inquit, [Hnnoremus sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nnbis sacerdntalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.] Præter auctnritatem autem non est hic specialis ratio postulanda. Sufficiunt enim adductæ de perfecto regimine Ecclesiæ, & de necessitate vnius capitis in vno corpore ad vnitatem eius, & fidei conseruandam. Nam quod hoc caput in tali Sede sit constitutum, licèt plures habeat morales congruentias, quæ & à Patribus insinuantur, & facilè cogitari possunt, propria ratio est voluntas Christi, & Petri, quæ ex adductis testimonijs nobis satis innotuit.

CAP. XVIII.

Duabus obiectionibus contra Primatum Pontificis ex scriptura, & Concilijs desumptis, satisfit.

Contra Pontificis Romani dignitatem, & Primatum multa sparsim in suo libello obijcit Rex Angliæ præter ea, quæ contra Primatum Petri supra retulimus, ex quibus multa comparationem inter Pontificem, & Reges temporales attingunt, quæ meliùs post dictam comparationem factam in sequentibus examinabimus. Vbi etiam de potestate Pontificis supra Reges in temporalibus dicendum est. Nunc solum his, quæ contra supremam spiritualem Pontificis potestatem absolutè, obijci videntur, respondebimus. Hæc autem tam in præfatione, quàm in Apologia Regis ad tria capita reduci videntur, his exceptis, quæ ex factis Regum, vel Imperatorum desumuntur, de quibus, vt dixi, postea videbimus.

Primum caput est, quia hoc dogma nullum, vel debile fundamentum habet in verbo Dei, vt dicit in Apolog. pagin. 118. & in præfatione pag. 22. 28. 60. & alijs quam plurimis locis. Possumusque in huius obiectionis confirmationem ponderare, quod Paulus ad Ephes. 4. ministeria Ecclesiastica, & ordinem Ecclesiæ describens, nullam de Vicario Christi mentionem facit, cùm tamen ille aptissimus locus videretur ad illum proponendum, si ad hierarchiam Ecclesiæ pertineret. Vnde valdè miratur Rex dicta pagin. 60. & ignorare se dicit, [Quibus artibus Pontifices Romani facti sint Vicarij Christi, immò verò Dij in terra, triplici corona insigniti, cœli nimirum, terræque, ac inferorum Reges totius Orbis iudices, & ipsi à nemine iudicandi, fidei capita,] & cætera, quæ prosequitur concludens, [Quibus, iniquam artibus ad tantùm fastigium ascenderint, equidem nescio.]

Verumtamen, vel hoc ipso intelligere Rex posset, si sapere vellet, hoc non esse humana arte factum, sed in virtute illius verbi, [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam,] vt sanctè, & Catholicè antiqui Patres intellexerunt. Qua enim arte Syluester Papa Constantinum Imperatorem ita sibi subiecit, vt Christi Vicarium, & Petri successorem, & maiori honore se ipso dignum confiteri non erubuerit, eadem reliqui sancti Pontifices eandem dignitatem, & potestatem conseruarunt, & contra portas inferi defenderunt. Artes etenim illæ non fuerunt aliæ præter verbum Dei, magna virtute spiritus liberè prædicatum, & interdum diuinis virtutibus, & illustrationibus pro temporum, Iuxta diuinæ prouidentiæ dispositionem, opportunitate confirmatum. Errat ergo Rex, & verbo Dei contradicit, dum ait, Primatum Papæ debile in verbo Dei habere fundamentum. Nam & in verbo Dei scripto Petri Primatus perpetuus, & per successionem semper duraturus sufficienter continetur; & per verbum eiusdem Christi non scriptum, sensus verbi scripti cum certitudine traditus est. Et præterea successionem illam Petri in Romana Sede permansisse euidenter est declaratum. Nec possunt Rex, vel Doctores eius protestantes vim huius verbi effugere, nisi, & negando veritatem verbi non scripti, & verbum scriptum sua certa scientia, & priuato spiritu interpretando. Vtrumque autem esse à Catholica veritate alienum; imò hæresum omnium, & schismarum fundamentum, in lib. 1. satis demonstratum est.

Ad confirmationem à nobis additam ex loco Ephes. 4. respondere possumus ex doctrina Augustini lib. de Fide, & operib. cap. 9. vbi tractans locum Actor. 8. de Eunucho, quem babtizauit Philippus, licèt nihil plus dixerit, quàm [credo, filium Dei esse Iesum Christum,] vnde aliqui argumentabantur, non esse necessarium aliquid aliud docere catechumenos, vt baptizentur: ipse verò respondet: [Scriptura tacuit, atque intelligenda admisit cætera, quæ cum illo spadone baptizando Philippus egit.] Sic ergo nos dicimus, licèt Paulus tacuerit illo loco de vno Christi Vicario, totius Ecclesiæ pastore, illud intelligendum reliquisse in cæteris, quæ describit.

Potest autem hæc responsio in nos retorqueri: superiùs enim hoc loco vsi sumus ad probandum Reges non habere in Ecclesia spiritualem potestatem, quia Paulus nullam, vel in illo loco, vel in alijs similibus illorum men-

mentionem fecit: quæ illatio eodem prorsus modo eludi poteſt. Reſpondeo ex verbis eiuſdem Auguſtini loco citato. [Atque in eo, quod ait (ſcilicet Lucas) Baptizauit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licèt taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda: pari modo etiam in eo, quod ſcriptum eſt, euangelizaſſe Philippum ſpadoni Dominum, nullo modo dubitandum eſt, & illa in cathechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam, moreſque pertinent eius, qui credit in Dominum Ieſum Chriſtum.] Ita ergo in præſenti dicimus, Paulum ſub illa deſcriptione Eccleſiæ comprehendiſſe omnia, quæ vel ex traditione, vel ex alijs Scripturæ locis, ad Eccleſiæ ordinem, & hierarchiam pertinere perſpicuum eſt: Eſt autem ſatis nobis traditum, & in Scriptura, & extra illam, Eccleſiam viſibilem eſſe vnum ouile ſub vno Paſtore viſibili, vicem Chriſti gerente; hunc ergo Paſtorem ſub generali nomine Paſtorum Paulus explicuit, quia non aſſumpſit ibi prouinciam in particulari explicandi gradus omnes, & miniſteria Eccleſiaſtici ordinis. Cuius etiam argumentum eſt, quia tractans idem argumentum. 1. Corinth. 12. omiſit Euangeliſtas, quos ſub Prophetis comprehendit, & ibi ponit virtutes, & alia, quæ in loco ad Epheſ. omiſit, & in neutro loco ponit presbyteros, & diaconos, quamuis ad Eccleſiaſticam hierarchiam pertinere, ex alijs Scripturæ locis manifeſtum ſit. At verò de Regibus nulla ſcriptura, vel traditio docet, in Eccleſiaſtica hierarchia habere peculiarem locum, aut munus Eccleſiaſtici regiminis, aut miniſterij, ideoque dum illis locis præcipuis racentur, prorſus excluduntur: præſertim quia nec ſub ſpecifica, nec ſub generali verborum forma comprehenſi ſunt.

Secundam obiectionem paucis his verbis indicat Rex in Præfat. pag. 60. [Ita interim generalibus Concilijs ſuberant (vtique Romani Epiſcopi) vt & nuper Conſtantienſe Concilium tribus Pontificibus abdicatis, quartum inaugurauerit.] Quæ obiectio confirmari poteſt, quia in alijs caſibus deponuntur Pontifices, vel aliter iudicantur ab Eccleſia, mediantibus Concilijs. Ita enim fieri poſſe, dictum Concilium Conſtantienſe definiuit, & Baſilienſe confirmauit, & vtrumque id exequi tentauit. Et olim Marcellinus Papa depoſitus fuit à Concilio Sinueſano; & in caſu hæreſis deponi poſſe traditur in cap. Si Papa, diſt. 40. & communiter ab omnibus Catholicis receptum eſt.

Reſpondeo in primis, obiectionem hanc ad quæſtionem potiùs de comparatione Papæ, & Concilij generalis, quàm ad quæſtionem de Primatu Pontificis pertinere. Patres enim, qui Concilijs Conſtantienſi, & Baſilienſi interfuerunt, & Gerſonius, aliique Doctores, qui generale Concilium ſupra Pontificem eſſe opinati ſunt; nihilominus certa fide credebant, Epiſcopum Romanum eſſe ſupremum, & vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, ſupra omnes Epiſcopos, & Patriarchas, habentem in illos ſpiritualem iuriſdictionem, & in omnes fideles cuiuſcumque conditionis exiſtant, etiamſi Reges, vel Imperatores ſint, & contra hoc obiectio facta non procedit, vt per ſe conſtat, idque inſtituto noſtro ſufficiebat; quidquid de altera quæſtione comparata ſentiatur. Quia tamen omninò verum eſſe credimus, in Concilio generali nullam eſſe iuriſdictionem immediatè à Chriſto collatam, ideoque dum legitimus, & indubitatus Pontifex viuit, ab illo pendere Concilij generalis iuriſdictionem, ac proinde illi ſubeſſe (quod alibi tractandum eſt) ideò breuiter dictis obiectionibus ſatisfaciendum eſt.

Ad obiectionem ergo principalem reſpondemus, tempore Concilij Conſtantienſis tres fuiſſe in Eccleſia prætenſos Pontifices, Gregor. XII. Benedict. XIII. & Ioann. XXIII. nominatos. Cum autem certum ſit, & ſupra probatum, non poſſe ſimul eſſe in Eccleſia plures veros Pontifices, fit conſequens, vt non omnes illi fuerint Pontifices. Vnde etiam fieri potuit, vt nullus eorum eſſet certus Pontifex, atque adeò nec Pontifex, quia nondum erat aliquis eorum ſufficienti conſenſu Eccleſiæ receptus, nec credebatur legitimè electus. In tali autem caſu ius habet Concilium generale, quamuis acephalum, ad inquirendum de vero, & legitimo Pontifice, & ſi nullum ex prætenſoribus legitimum, ac certum Pontificem eſſe inuenerit, omnes deponere, vel potiùs nullum eorum verum Pontificem eſſe declarare, ac ſubinde de vero Pontifice Eccleſiæ prouidere. Et hoc ad ſummum fecit Conſtantienſe Concilium deponendo dictos tres Pontifices, & Martinum V. eligendo. Ex hoc autem facto nihil contra Pontificis dignitatem, aut poteſtatem colligi poteſt, quia cùm Pontifices dubij, non ſint veri Pontifices, poteſtas Concilij ſupra illos, nihil derogat veris Pontificibus; nam electo poſteà verò Pontifice per tale Concilium, in illo erit plena Pontificia poteſtas, ipſo Concilio ſuperior, quia non ab illo habet poteſtatem, ſed à Chriſto. Quia verò dicere quis poteſt, Ioann. XXIII. fuiſſe Pontificem ſatis certum, quidquid de hoc ſit, addere poſſumus, ipſum randem voluntariè renunciaſſe Papatui, vt ex hiſtorijs conſtat, & ſimiliter ceſſit Gregorius XII. Benedictus autem XIII. aliàs Petrus de Luna, licèt numquam cedere voluerit, mortuus tamen eſt paulò poſt Martini electionem, & Clemens quidam, qui in locum eius fuerat ſuffectus, paulò poſt renuntiauit, & Martinus V. tamquam vnicus, & verus Pontifex ab vniuerſa Eccleſia cognitus, & receptus eſt.

Quod ſi quis inſtet, Baſilienſe Concilium ſubſequens depoſitionis ſententiam contra Eugenium IV. vnicum, & indubitatum Pontificem tuliſſe, & Amadeum Felicem appellatum, loco illius creauiſſe. Reſpondetur, in hoc erraſſe Concilium illud, quod mirandum non eſt, quia iam tunc non legitimè, nec ſub obedientia Apoſtolicæ Sedis procedebat. Vnde etiam errauit in approbanda aſſertione, quòd Concilium generale ſit ſupra Papam, in Concilio Conſtantienſi traditam. Vnde conſequenter exiſtimauit, Concilium ſemel legitimè congregatum ſine ſuo conſenſu non poſſe diſſolui à Pontifice; immò poſſe, ipſum Pontificem ad aſſiſtendum Concilio, cogere. Quod tamen fundamentum omnino falſum eſt, & in eo Conſtantienſe Concilium errare potuit, quia nec à vero, ac certo Pontifice conuocatum fuerat, nec illius præſentiam per ſe,

se, vel Legatos habebat. Vnde solùm ad tollendum schisma legitimè coactum fuerat, non ad dogmata fidei definienda. Excessit ergo terminos potestatis suæ, & ideò errare potuit, & consequenter etiam in hoc errauit Basiliense illud sequens, quia, vt dixi, iam tunc non legitimè procedebat. Atque ita prædicta assertio postea à Pontificibus, & Concilio Lateranensi sub Leone X. reprobata est. Et Eugenius IV. tam assertionem, quàm sententiam Basiliensis Concilij pro nihilo habuit, vt in eodem Concilio refertur sess. 38. Et cum Eugenio sensit vniuersa Ecclesia, quæ non obstante illa sententia tam Eugenium, quàm successorem eius Nicolaum V. pro veris Pontificibus habuit, Antipapa Felice repudiato, qui postea Nicolao cessit, & ita semper Pontificia dignitas integra mansit.

Antiquum vero exemplum de Marcellini depositione à Rege non obijcitur, qui acta illius Concilij non admittit, & contradictionis arguit, quia in eis sæpè dicitur: [Pontificem à nemine iudicari,] & nihilominus Marcellinus inde iudicatus exiuit; nam sententia anathematis in eum lata est, cui omnes Episcopi subscripserunt, neque enim poterat Marcellinus se ipsum excommunicare. Neque desunt etiam ex Scriptoribus Catholicis, qui de illa historia Marcellini dubitent, vt videre licet in Baronio tom. 2. ann. 302. n. 95. & sequentibus, & anno 303. n. 89. & sequentibus. Verumtamen ipsemet admonet, non oportere antiquam historiam communiter in Ecclesia receptam in dubium reuocare. Præsertim cum Nicolaus Papa in epist. ad Michaelem Imperatorem, illam vt veram referat, & illa vtatur ad Apostolicæ Sedis auctoritatē confirmandam.

Est igitur aduertendum, peccatum Marcellini cuiusdam infidelitatis fuisse, & ideò ad Concilium pertinuisse de illo inquirere, tum propter publicum scandalum in materia fidei tum propter Ecclesiæ securitatem. Quia tamen culpa solum fuerat contra confessionem fidei, & non hæresis, ideò Episcopi congregati sæpè dixerunt: [Tuo te ore indica, nam prima Sedes à nemine iudicatur.] Ex quibus verbis auctoritas suprema Pontificis confirmatur. Ipse autem Marcellinus videtur in se ipsum sententiam protulisse, dicens: [Peccaui coram vobis, & non possum in ordine esse sacerdotum.] Per quæ verba visum est aliquibus renunciasse Pontificatui, eamque renunciationem Episcopos acceptasse, & propterea de illis dici: [Subscripserunt in eius damnationem, & damnauerunt eum:] non vi iurisdictionis, quam in ipsum, dum fuit Pontifex, haberent, sed voluntariè consentiendo illi: & renunciationem acceptando. Atque ita nemo eum, dum esset Pontifex, iudicauit, sed, vt statim subiungitur: [ore suo damnatus est.] Postquàm autem desijt esse Pontifex, potuit etiam à Concilio censuris ligari, vt per se constat. Vel fortasse Papatui non cessit, vt est probabilius, quia hoc ibi expresse non dicitur, nec verba citata renunciationem præse ferunt, sed pœnitentiam, nec Damasus nec Platina, vel Romanum Breuiarium id referunt, sed potiùs fuisse Pontificem, etiam eo tempore, quo martyrium passus est, significant, & clarè testatur Baronius anno Christi 304. Hoc autem supposito dicendum consequenter est, ipsum non fuisse propriè in Ecclesiastico foro damnatum, seu punitum, vel censura ligatum, sed voluntariè ad aliorum exemplum, & in sui peccati vindictam se ipsum separasse, & ab officio quasi suspendisse, seu abstinuisse. Quod iudicium Concilium illud probauit, & quasi declaratoriam sententiam criminis tulit, ipsomet Marcellino annuente, & hoc sensu dicitur, Concilium illud damnasse Marcellinum. Et ita nulla est in dictis illius Concilij contradictio.

Ad vltimam partem illius obiectionis de Papa hæretico, respondemus in primis, non esse certum: an Papa etiam vt persona priuata, possit in hæresim pertinaciter labi. Vndè si vera est sententia, quæ negat, Papam esse posse hæreticum, cessat obiectio; quia verò contrarium videntur Canones, & Concilia supponere, vt patet ex cap. Si Papa distin. 40. & ex Concilio Romano sub Hadriano, & ex octaua Synodo, admisso illo casu, concedendum est, Papam tunc posse iudicari, & dignitate priuari. Quomodo autem id fiat sine præiudicio dignitatis, variè à Doctoribus explicatur; non est autem in præsenti necessarium singulas sententias referre, & examinare. Dico ergo breuiter, Papam hæreticum non ab hominibus, sed ab ipso Deo deponi, quamvis non sine ministerio Ecclesiæ, seu Concilij ferentis in ipsum sententiam declaratoriam criminis. Sicut enim Papa ab hominibus eligitur, & nihilominus non ab hominibus, sed ab ipso Christo immediatè dignitatem recipit; ita etiam licet per sententiam hominum declaretur hæreticus, nihilominus non iure humano, sed Diuino statim manet dignitate priuatus. An verò ad talem priuationem, seu depositionem necessaria sit talis sententia, vel ipsummet peccatum hæresis sufficiat, saltem externum, & facto ipso notorium, à Doctoribus controuertitur. Mihi autem rationi, & recto regimini magis consentaneum videtur, necessariam esse sententiam criminis declaratoriam, datam à Concilio auctoritatem habente, vt omnia ordinatè fiant, & schismatum pericula tollantur.

CAP. XIX.

Explicantur quadam loca Gregorij, quæ Rex obijcit, & veri tituli Romani Episcopi defenduntur.

Tertia obiectio principalis sumitur ex Gregorio in varijs epistolis, in quibus reprehendit Ioannem Constantinopolitanum eo quod vniuersalem Episcopum, seu Patriarcham seipsum appellaret, & nominari vellet, & ad illum magis confundendum, adiungit: [Nullus vnquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit,] lib. 4. indict. 3. cap. 80. aliàs epistola 39. ad Anastasium Antiochenum, vbi etiam ait: [Sicut enim veneranda vestra sanctitas nouit, mihi per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui Deo disponente, deseruio, hoc vniuersitatis nomen obla-

oblatum est, sed nullus, &c.] Et similia habet epist. 32. ad Mauricium 33. & 34. ad Constantiam, & 35. ad eumdem Ioannem, & 36. ad Anianum, & lib. 7. epistola 69. ad Eusebium Thessalonicensem. Et addit lib. 6. epist. 30. ad Mauricium, aliàs cap. 194. [Ego fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.] Aliam etiã rationem reddit Gregorius, quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, [Patriarcharum nomen cæteris derogatur.] Et ideò ait, [nullus Romanorum Pontificum hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti consensit, ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuersi.] Quæ ratio æquè in Summo Pontifice procedit. Vnde idem Gregorius lib. 7. indict. 1. epist. 30. ad Eulogium Alexandrinum, qui ad ipsum scribens, eum vniuersalem Papam vocauerat, ait: [Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quàm ratio exigit, præbetur.] Et infrà: [Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum.] Vbi significat, repugnare, vnum esse vniuersalem Episcopum, & alios esse veros Episcopos. Et hanc sententiam tradidit antè Gregorium Pelagius II. contra eumdem Ioannem in epist. 1. ad illegitimum Concilium Constantinopolitanum. Et antè hos Pontifices legitur in Concilio Carthaginensi tertio cap. 26. & in Concilio Africano tempore Bonifacij, canon qui sic habet: [Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ Sedis Episcopus.]

Hoc argumentum valdè vrget Rex Angliæ in apologia pag. 106. & 107. & ea allegaris testimonijs Gregorij multa ex his, quæ pro Primatu Romani Pontificis adduximus, vel certè omnia eneruari putat. Maximè que redarguit Bellarminum, eo quod in fauorem Primatus Romani Pontificis alio testimonio Gregorij vsus fuerit, in quo Apostolicam Sedem [Caput Fidei,] vocat lib. 11. epistola 42. [Nam, qui nomen, inquit, vniuersalis Episcopi repudiabat, hic caput fidei se vocari æquo animo laturus erat?] Et ideò ipse exponit de capite, seu gubernatore in genere, siue ille sit Papa, siue Rex intrà ditiones, & fines suos. Et quia videbat expositionem hãc esse violentam, vt re vera est, veniam petit, vt si illa reijciatur, dicere possit, Gregorium vel minùs cautè loquutum esse, vel per excessum. Cùm eadem tamen Regis venia, ipse simul vtrumque committit, quia sine vlla ratione, vel fundamento non solùm verbis Gregorij, sed omnium etiam antiquorum Patrum liberam illam censuram adhibet. Immò addere possumus, etiam in verba Christi redundare, non est enim minus esse fundamentũ Ecclesiæ, quàm esse caput fidei, Christus autem de Petro, idest de Petri Sede, vt supra probani, dixit, esse fundamentum Ecclesiæ; excessit ergo vel incautè loquutus est Christus, si excessit, vel incautè loquutus est Gregorius, Apostolicam Sedem Caput Fidei appellando.

Non enim de sua persona tantùm, sed de Sede sua loquebatur Gregorius. Sic enim ait: [Illud autem admonemus, vt Apostolicæ Sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur, tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur iniuria, & canonum maneat incolumis, atque intemerata semper auctoritas.] Ex hac enim verborum serie constat, eamdem Apostolicam Sedem, cui reuerentiam exhiberi monuerat, postea vocare Caput Fidei, quod à membris nulla est pulsandum iniuria, vt eorum status integer perseueret, Quod ego maximè de fidei statu intelligo, quia qui contra reuerentiam Apostolicæ Sedi debitam omnia perturbant, in vera, & integra fide perseuerare non possunt. Et ideò fortasse modum loquendi mutauit, & quàm priùs vocauerat, Apostolicam Sedem, posteà vocat, Caput Fidei, vt indicaret magnum periculum imminere, contemnendo obedientiam, & reuerentiam debitam Apostolicæ Sedi, nàm facilè transit vsque ad periculum amittendi fidem. Et confirmatur: quia non excessit certè, neque incautè loquutus est Christus cùm dixit Petro: [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos;] hoc autem munus cùm illo priuilegio: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua,] non tantùm personæ, sed etiã Sedi Petri collatum est; ergo nullus est excessus, neque incauta loquutio, si Pontifex, qui tamquam viua regula fidei ad confirmandos fratres positus est, caput fidei appelletur, Vnde Patres Concilij Chalcedonensis in epistola ad Leonem Papam [Firmitatem Fidei] illum appellant dicentes, [Firmitas tua filijs, quod decet, adimpleat.]

Eo vel maximè, quod rectè potest intelligi, vocari Caput Fidei, quia est Caput omnium Fidelium, posito abstracto pro concreto, ad denotandum, non esse veram fidem, nisi in membris huius capitis, vel fidem ipsam esse, quæ membra eum capite coniungit. Vndè fit vt tam caput, quàm membra fidei appellentur, quia per fidem in vnum corpus coalescunt, quod est Ecclesia. Atque ità nihil aliud est esse caput fidei, quàm esse caput Ecclesiæ, in quo capite in suo genere fides Ecclesiæ nititur. Quapropter ridiculum est, verba illa ad Reges temporales accommodare, aut tantùm de gubernatore politico, & solùm ordinis externi causa leges ferente, caput illud interpretari, cùm Gregorius apertè loquatur de capite totius Ecclesiæ, & in spiritualibus: nàm propter hanc etiam eandem caput fidei vocat. Et quamvis verum sit, in principio epistolæ Gregorium tractasse de concedendo Panormitano Episcopo vsu pallij, qui vsus ad quandam Ecclesiasticam ceremoniam pertinet, indè sumpta occasione illum posteà monet, vt disciplinam Ecclesiasticam circa reuerentiam Apostolicæ Sedis, & circa incolumem, & intemeratam canonum auctoritatem, & motum integritatem obseruet, & obseruari faciat, quæ omnia ad Ecclesiasticum, & spirituale regimen pertinent; igitur de capite huius regiminis loquebatur Gregorius, cùm Sedem Apostolicam Caput Fidei appellauit.

Retorquendo ergo Regis argumentum ex hoc loco legitimus aliorum sensus erui faci-

facilè poreſt. Nàm ſi Gregotius Sedem ſuam Caput Fidei vocauit, quia firmitas ſidei, & cura,ac ſolicitudo conſeruandi,ac propagandi illam, & conſequenter etiam honeſtos motes, qui ex illa pendent, illi Sedi commiſſa eſt, quādo nomen vniuerſalis Epiſcopi tecuſauit, non ſupremam Paſtoralem curam ſuæ Sedia negare, ſed verbi inuidiam, & elationis, vel ambitionis ſpeciem cauere voluit. Neque ſolum ex citato loco; ſed ex alijs etiam innumeris, imò ex ijſdem, vbi de nomine vniuerſalis tractat, manifeſtè colligitur, Gregorium in ſe, & in ſede ſua curum ſupremi, & vniuerſalis Paſtoris agnouiſſe. Nam in eadem epiſt. 32. ad Mauritium, dixit. [Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quod voce dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Et infrà. Cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur.] Ecce vbi & Principatum agnoſcit, & nomen abnuit. Et in epiſt. 36. & 38. ſimul oomen illud contemnit, & vniuerſali poreſtate vtitur, diſſoluendo, & reprobando illegitimum Concilium ſine auctoritate ſuæ ſedis congregarum & comminando cenſuras Ioanni, niſi reſipiſceret. Imò in lib. 7. epiſt. 64. eundem Ioanoem propter idem nomen teprehendit, licèt ipſe oon negaret, ſe Apoſtolicæ ſedi ſubijci, vt idem Gregotius refert, qui etiam addit, ſe neſcire Epiſcopum, qui eidem ſedi ſubiectus non ſit, ergo recuſando vocabulum vniuerſalis, non intendit ſuæ ſedi vniuerſalem in iuriſdictionem negare. Vnde etiam epiſt. 69. tractaturus eandem cauſam, ſic incipit, [Suſcepti regiminis cura conſtringimur officij noſtri ſolicitudinem vigilanter extendere, & cæt.] Et infrà eandem curam oſtendit, dicens [Acta in Concilio ſine ſedia Apoſtolicæ auctoritate, atque conſenſu nulla vires habere,] & in fine profert generalem cenſuram contra violantes ſua præcepta, vt omittam alia loca ſuprà citata, in quibus Gregorius Primatum Romanæ Eccleſiæ, & commendat, & exercet.

Cur ergo Gregorius nomen vniuerſalis Epiſcopi tanquam prophanum vetuit, & repudiauit. Reſpondetur cum Cardinali Bellarmino lib. 1. de Clericis, cap. vlt. in fine, duobus modis poſſe nomen vniuerſalis Epiſcopi vſurpari. Primò ad ſignificandum vnum Epiſcopum, qui ſit propriùs, & proximus paſtor totius Eccleſiæ vniuerſalis, & omnium Eccleſiarum, ac diœceſum particularium, eo vtique modo, quo v. g. Conimbricenſis, eſt vnicus Epiſcopus totius diœceſis ſuæ, in qua poteſt habere vicarium vnum vel plures, non tamen alium Epiſcopum. Hoc igitur modo fingere vniuerſalē Epiſcopū totius Eccleſiæ, contra ius diuinum eſt, & ideò vox illa vniuerſalis Epiſcopi, in hac ſignificatione vſurpara, prophana eſt, & ſacrilega Alio modo poteſt dici vniuerſalis Epiſcopus, qui per modum cauſæ vniuerſalis iuriſdictionem habet in totam Eccleſiam non excludit autem particulares Epiſcopos, qui & veri Epiſcopi ſint, & quaſi cauſę proximæ habentes ordinariam iuriſdictionem ſub Pontifice Summo. Et in hac ſignificatione ſumpta vox illa in ſe quidem non eſt prophana, quia rem veram, & maximè ſacram, & Eccleſiæ neceſſariam ſignificat, tamen vt vſurpata à Patriarcha Conſtantinopolitano prophana erat, & plena ſuperbiæ, & præſumptionis, quia per eam ſibi tribuebat, quod non habebat. Et ob contrariam rationem attributa in eo ſenſu Pontifici Romano non eſt prophana, ſed veritatem ſignificat, & ideò in Concilio Chalcedonenſi Leoni Papa attributa eſt, vt Gregorius Papa in dictis epiſtolis ſæpè teſtatur. Et in eodem ſenſu æquiualentia nomina à Concilijs, & Patribus Epiſcopo Romano ſunt attributa, vt eſſe caput vniuerſalis Eccleſiæ, in Concilio Chalcedonen. acti. 16. habere curam vniuerſalis Eccleſiæ, Leo epiſt. 82. Euſeb. epiſt 3. Diony. epiſt. 2. Rectorem domus Dei, Ambroſi. 1. ad Tim. 3. denique Epiſcopum vniuerſalis Eccleſiæ, vt ſæpe vocatur in epiſtolis Pontificis ſupra allegatis, & in Concilio Chalcedonenſi act. 3 & in multis alijs epiſtolis Epiſcoporum, vel Principum ſcribentium ad Pontifices Romanos, quæ in Actis Conciliorum, & inter epiſtolas Pontificias referuntur, & ſpecialiter videri poſſunt, quæ in Concilio Chalcedonenſi act. 3. leguntur.

Nihilominus tamen Gregorius nomen vniuerſalis Epiſcopi repudiauit, tum propter humilitatis exceſſum, nam in hoc meliùs obiicere potuiſſet Rex Angliæ exceſſiſſe Gregorium, non per ambitionem, ſed propter humilitatis exemplum. Tum etiam, vt efficaciùs ſuperbiam Conſtantinopolitani Epiſcopi cohiberet, tum denique quia propter vocis ambiguitatem poſſet alios Epiſcopos offendere, & hac ratione ſæpius vtitur Gregorius, & quia hoc periculum in vſu aliarum vocum non inuenitur, ideò aliàs deteſtatus non eſt. Et per hæc etiam reſponſum eſt ad Pelagium Papam, nam eadem ratione, qua Gregorius, motus eſt, vt ex verbis in diſt. epiſt. 1. eſt manifeſtum, & ſimul in eadem epiſtola Romanum Epiſcopum vocat caput omnium Eccleſiarum.

De nomine autem Summi Pontificis numquam dubitatum eſt, vt teſtatur Iuſtinianus Imperator, & in Authentico de Eccleſia Romana collat. 1. dicens. [Vt legum originem anterior Roma ſortita eſt, ita & ſummi Pontificatus apicem apud eam eſſe. nemo eſt, qui dubitet,] imo Concilium Chalcedunenſe Leoni, in epiſt. ad eum, dicit, Summitas tua & cæt. & Greg. lib. 1. Dialog. cap. 4. referens hiſtoriam de equitio ait, [Equitius cœpit immenſas gratias omnipotenti Deo agere, aſſerens, quod ſe per ſummum Pontificem viſitaſſet,] cum nuncius à Pontifice miſſus ei dixiſſet, [quia Pater eius Apoſtolicus Pontifex eum videre vellet.] Hieronym. verò in Præfat. ad Euangelia, Damaſum vocat ſummum Sacerdotem, quod perinde eſt, Canon ergo ille Concilij Carthaginenſis, & Africani oon intelligitur de Romano Pontifice, ſed de Primate Africano, vt rectè gloſſ. expoſuit in cap. 3. diſt. 99. Neque enim prouincialia, ſeu nationalia Concilia, quomodo Papa vocandus eſſet, ſtatuere poterant, imo fortaſſe ne Papæ fieret iniuria, Primatem ſuum Summum Pontificem appellari Patres illorum conciliorum vetuerunt.

CAP.

CAP. XX.

Alijs obiectionibus ex factis Imperatorum, & coniecturis desumptis respondetur.

Quarta obiectio insinuatur à Rege in Præfat. pagin. 60. Phocæ memoriam faciente; affirmanteque vsque ad Phocæ tempora Pontifices Romanos Imperatoribus paruisse. Vnde indicat, quod alij Protestantes asserere solent, Phocam statuisse, vt Romanus Episcopus Primatum inter alios obtineret. Quibus aliqui ex historicis fauere videntur, nam Beda de Temporibus in Phoca, sic inquit, [Hic rogante Papa Bonifacio statuit, sedem Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium scribebat.] Et eodem ferè modo id narrant Paulus Diaconus in lib. 4. de Gestis Longobardorum cap. 11. & Anastasius Bibliothecarius in historia, & Antonius Sabelicus Æneade 8. lib. 6. & Pomponius Lætus in compendio histor. Romanar. in Phoca, & plures alij eodem modo historiam referunt. Et propter illa sola verba persuadere volunt protestantes, eo anno (qui fuit sexcentesimus septimus, vt Genebrardus cum alijs, vel sexcentesimus sextus, vt vult Baronius) incepisse Romanum Pontificem habere Primatū in vniuersam Ecclesiam, præsertim in Orientalem. Quanquam neque in hoc sibi constent: nam Magdeburgenses centur.6. dixerunt Romanum Pontificem à Iustino Imperatore anno 520. factum esse Patriarcham, nisi forte isti loquuti sint de Patriarchatu Occidentali, illi verò de Primatu, qui ad Orientalem etiam Ecclesiam extenderetur.

Alij dixerunt Romanam Ecclesiam à Constantino IV. habuisse Primatum, quia Platina in Benedicto 2. dicit [Constantinum Benedicti sanctitate permotum, ad illum sanctionem misisse, vt is, quem clerus, populus, exercitusque Romanus Pontificem delegisset eundem statim verum Christi Vicarium esse, omnes crederent, nulla vel Constantinopolitani Principis, vel Exarchi Italiæ expectata auctoritate, vt ante fieri consueuerat.] Alij in Constantinum I. hanc Romani Episcopi referunt dignitatem, quia in edicto Constantini in cap. penult. dist. 96. sic dicitur. [Constantinus Imperator quarta die sui baptismi, priuilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut iudices Regem.] Et postea ponuntur latè verba Priuilegij, quæ etiam referuntur in 1. tom. Concilior. & approbantur à Gelasio cum Conc. 70. Episcopor. Et eisdem ferè verbis vtitur Leo IX. contra Michael cap. 10. Atque hinc alij dixerunt à Concilio Nicæno datum esse priuilegium Ecclesiæ Romanæ, nam Leo IX. supra dicit Pontificem à nemine iudicari posse. [Beatissimo, & Apostolico Pontifice Syluestro decernente, & Constantino Augusto spirituali eius filio cum vniuersa Synodo Nicæna approbante] Similesque loquutiones inueniuntur in Concil. 4. sub Symmacho, & in alijs supra allegatis. Alij denique ad tempora quidem Apostolorum hanc referunt institutionem, dicunt tamen Apostolicam esse non diuinam, quia interdum dicunt antiqui Pontifices Petrum volentibus alijs Apostolis in Principem eorum constitutum fuisse. De quibus, & alijs erroribus videri possunt Turrecrem. lib. 2. de Eccles. cap. 39. & sequentibus & Bellarmin. lib. 2. de Pont. cap. 17.

Verumtamen hæc omnia neque fundamentum habent, neque verisimilitudinem vllam, quia Primatus Ecclesiæ Romanæ antiquior est omnibus Imperatoribus Christianis, vt ex traditione antiquissima suprà demonstratum est. Præterquam quod etiam probauimus, temporales Reges nullam habere spiritualem potestatem, vel iurisdictionem, qua de rebus Ecclesiasticis possint disponere. Primatus autem Ecclesiasticus spiritualis, & supernaturalis est, vt probauimus, quomodo ergo poterant Imperatores illum instituere, aut conferre. Denique probauimus, dignitatem hanc esse ex Christi institutione, & ex vi illius durare per continuam successionem, semperque ex eodem diuino iure transire ad Romanum Pontificem supposita determinatione ad talem sedem à Petro facta, ergo vanum est quærere institutionem huius dignitatis ab Imperatoribus. Quin potiùs neque à Concilijs, vel Patribus, neq. ab Apostolis, sed ab ipso Domino initium habuit, vt Anacletus, & alij Pontifices supra relati testantur, & ex Euangelio ita à Patribus intellecto probauimus. Vnde vbicumque scriptum inueniatur ab aliquo ex Patribus, vel Scriptoribus catholicis, Romanam sedem ab aliquo Concilio, vel à Patribus habere Primatum, sensus est habuisse, non tamquam ab instituente, vel donante, sed vt à declarante, vel defendente, seu conseruante talem dignitatem, sic enim Concilium Nicænum declarauit, Romanum Episcopum habere primatum in omnes, & addit, semper etiam habuisse. Optimè vero Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperatorem dixit [Priuilegia huic sanctæ Ecclesiæ à Christo sunt donata, à Synodis non donata, sed celebrata, & honorata.] Sic dixit Iustinian. Imp. in Authen. de Ecclesiast. tit. cap. 1 [Sancimus secundum definitionem synodorum; sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum.]

Quod ergo Rex Angliæ dixit, ante Phocam Romanos Pontifices paruisse Imperatoribus ad sequentia capita spectat, vbi de comparatione vtriusque potestatis agemus, & id falsum esse ostendemus. Quod verò insinuat, & clariùs contendunt alij protestantes, Phocam aliquid potestatis, vel iurisdictionis Romano Pontifici contulisse, falsum est, & aut ex ignorantia, aut (quod verisimilius est) ex maleuolentia protestantium introductum. Est enim ex dictis in præcedenti puncto recolendum, inter Gregorium, & Ioannem Constantinopolitanum fuisse contentionē de vocabulo vniuersalis, quæ non tam fuit, de re; seu de potestate ipsa (nam Ioannes ipse, vt vidimus subditum se esse Gregorio fatebatur.) quam de titulo, qui propter aliorum offen-

offensionem, superbiam, & periculum transeundi in schisma, Romanis Episcopis maximè displicuit. Cum ergo Pelagius, & Gregorius neq. suis monitis, neque interuentu Imperatorum Ioannem Constantinopolitanum ad suam sententiam, & saniorem mentem trahere potuissent, & Cyriacus Ioannis successor in eadem dementia perseueraret, Bonifacius III. qui post Sabinianum vnius tantum anni Pontificem, Gegorio successit, apud Phocam obtiuuit, vt Cyriacum compelleret, illum titulum non vsurpare, declarando soli Ecclesiæ Romanæ posse competere, vt rectè Platina in Bonifacio III. Blondus libro 9. decad. 1. Genebrar. in Chronico ann. 607. & Baronius in Annalib. ann. 606. declararunt. Estque per se euidens, quia multò ante Phocam in Concilijs Nicæno, & alijs declaratus fuerat Sedis Apostolicæ Primatus, & specialiter in Concilio Chalcedonensi proclamatus fuerat Romanus Pontifex vniuersalis Episcopus, quamuis Pontificum modestia, aç moderatio nomen illud acceptare noluerit. Aduertit etiam Baronius Cyriacum non negasse subiectionem, & obedientiam Romano Pontifici, quia statim post electionem suam responsales suos simul cum epistola synodali ad Gregorium Papam misit, vt ex eodem Gregorio habetur libro 6. epist. 31. Ex quo etiam constat, Gregorium numquam fuisse conquestum de vsurpata iurisdictione, sed de ambitioso titulo, alijs Episcopis, & maximè Sedi Romanæ iniurioso. Igitur Phocas auctoritate sua Romanam Sedem defendit, & superbiam Cyriaci compressit, nihil verò nouum Benedicto contulit.

De Iustino autem nullam inuenio historiam, quæ in auctoritate sit, referentem, Iustinum seniorem aliquid potestatis Romano Episcopo contulisse, non solum in illo anno quingentesimo vigesimo, verum etiam nec in toto tempore Imperij sui. Nam licet cum magna fide, & reuerentia ad Hormisdam Pap. sæpe scripserit, & ad Ecclesiam Romanam munera miserit; nunquam tamen specialia priuilegia illi sedi contulit, vnde igitur errorem illum, vel suscipionem eius hæretici sumere potuerunt? Præsertim quia ex actis in Concilio Calcedonensi, & multis alijs supra adductis euidenter ostensum est, Primatum Ecclesiæ Romanæ ante Iustinum in vniuerso orbe fuisse notissimum, Atque eodem modo facilè confutatur, quod de Constantino IV. dicebetur, nam hic plus quam ducentis annis post Iustinum Imperauit: sed Primatus Ecclesiæ Romanæ antiquior fuit Iustino, & ideò ab illo esse non potuit, ergo multò minus à Constantino nouiore oriri potuit. Neque verba Platinæ hoc indicant, sed solum, Imperat. Constantinum cessisse consuetudini, qua solebat consensus Imperatoris, vel Hexarchi ad consumatam Pontificis creationem expectari, de potestate autem summi Pontificis nihil Constantinus loquutus est, imo ex verbis eius aperte colligitur, ipsum sensisse, Pontificem rite electum statim esse Vicarium Christi.

Eadem responsio locum habet in Constantino Magno, nam ante illius conuersionem Pontifex Romanus Ecclesiasticam iurisdictionem in vniuersa Ecclesia exercebat, non solùm in Occidente, sed etiam In Oriente, vt satis in superioribus ostensum est. Nihil ergo ad hanc potestatem pertioens Constantinus Ecclesiæ Romanæ contulit, sed quod innuit, id probauit, & credidit; imo etiam sua obedientia, & subiectione recognouit, & in reuerentia, & honorem tantæ dignitatis temporalia etiam bona Ecclesiæ Romanæ concessit, vt maiorem honorem, & splendorem illi conciliaret. Quod ex verbis eiusdem edicti constare potest. Nam in principio confitetur; Deum per Apostolos Petrum, & Paulum mirabilia erga se operatum esse. [Intrueniente ait Patre nostro Syluestro, & vniuersali Papa.] Et infra sic inquit. [Quantam potestatem idem saluator noster suo Apostolo Beato Petro contulit in cœlo, ac in terra, lucidissime nobis idem venerabilis Pater edixit.] Et infrà subiungit. [Iudicauimus, vt sicut in terris sanctus Petrus Vicarius filij Dei videtur esse constitutus, etiam & Pontifices, qui successores sunt ipsius Principis Apostolorum, Principatus potestatem amplius, quam terrena Imperialis amplitudo habere videtur obtineant.] Interponit autem hæc verba, [Concessam à nobis, & à nostro imperio,] quod intelligendum est de concessione per consensum, & recognitionem, non per propriam donationem, ne verba hæc repugnent præcedentibus, in quibus, Petrum fuisse Christi Vicarium, & Romanum Pontificem, esse successorem eius, confessus est, & ideo eius Principatum prefert Imperiali, non poterat autem Imperator dare potestatem Imperiali maiorem. Vel etiam intelligitur concessisse Sedi Petri splendorem, & Principatum temporalem in spiritualis honorem, vt ita iu maiori esset honore, quam ipsum imperium. Quod significant vrba sequentia, in quibus valde notandum est, appellare imperium terreoam potentiam, & terrenum thronum: Pontificatum verò sacrosanctum, & sedem sacratissimam Beati Petri, &c.

Ad vltimam partem de Concilio Nicæno, & alijs, patet etiam responsio ex dictis & ex verbis Leonis IX. ibidem citatis. prius enim dicit. Pontificem à nemine iudicari, [Sancto Syluestro diuinitus decernente,] hoc est, non à se statuente, sed ius diuinum declarante: hoc enim verba in rigore indicant, & materia postulat, non enim poterat ipse auctoritate sua se ipsum eximere; declarauit ergo se diuinitus exemptum. Et addit Leo, [Constantino Augusto, & Nicæna synodo approbante, & subscribente,] vtique definiendo, declarando, & promulgando tale esse diuinum priuilegium Apostolicæ sedis. Et nihilominus addit Leo, Constantinum contulisse hoc priuilegium, quod necessario intelligendum est iuxta superius dicta contulisse, scilicèt approbando, & vt obseruaretur, statuendo. Et sic etiam dixit Ioann. 2. in epist. ad Iustinianum Imperatorem [Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum Domino loquente, præceptum est. Pasce oues meas, quam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant

clarant, & pietatis vestræ eeuerendissimi testantur affectus. Quibus verbis rectè complectitur, quid Christus, quid ve Patres, & Principes huic dignitati contulerint, nam à Christo est institutio, & collatio potestatis cum præcepto pascendi, à Patribus vero est declaratio, ac definitio, Imperatoribus verò propriè competit recognitio, & defensio. Deoque idem cum proportione dicendum est de Apostolis respectu Petri: non enim alij Apostoli contulerunt Petro potestatem, vt ex Euangelio constat, sed datam à Christo libentissimè acceptarunt.

Præter has obiectiones solent à Protestantibus aliæ fieri ex rationibus, seu coniecturis petitæ, vt quòd vnus homo non possit Ecclesiam per vniuersum Orbem diffusam commodè gubernare. Vnde ad hoc persuadendum solent exaggerare, vel etiam fingere defectus, aut vitia, quæ in aliquibus Pontificibus notata sunt, & Rex Angliæ non prætermittit insimulare quædam, quæ in electionibus Pontificum committi affirmat. Denique alij addunt vulgarem & in multis rebus communem eorum obiectionem, quia sit magna iniuria Christo, si præter ipsum aliud constituatur totius Ecclesiæ Caput.

Sed hæc parui momenti sunt, nam si hoc Ecclesiæ regimen merè humanum esset, & solis humanis viribus, prudentiaue morali, aut solo naturali arbitrio peragendum esset, non immeritò vnius hominis capacitatem excedere iudicaretur; quin potiùs fatemur, neque ordinaria gratiæ auxilia ad id sufficere, nisi Deus longè maiora, & specialia offerret. Cùm autem Christus Dominus & singularem prouidentiæ suæ præsentiam, & Spiritus sancti assistentiam suo Vicario promiserit, & pro illius fide peculiariter rogauerit, quamuis humanæ fragilitati difficile sit onus spiritualiter gubernandi totum vniuersum, non est tamen impossibile, nec ita moraliter difficile, quin plures Pontifices, & maior ex parte egregiè illud sustinuerint, & perfectè, ac sanctè impleuerint. Eò vel maximè, quod licèt vnus sit supremus Pontifex, non tamen solus vbique & immediatè gubernat, sed alios etiam Episcopos, & Pastores in partem sollicitudinis ex diuina institutione vocat, cuique quantum expedit, partem suæ iurisdictionis communicat, sibique maiora, & grauiora, omnemque recursum ad conseruandam vnitatem, & concordiam necessarium reseruat; Atque hoc modo vnius regimen non solùm sit possibile, sed etiam ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam fuit necessarium, vt ostendimus; imò etiam esset suo modo facile, nisi per errores, & schismata perturbaretur.

Ad ea verò, de quibus personas Pontificum eorum hostes criminantur, dicere in primis possumus cum August. epist. 165. [In illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium (nos dicamus vsque ad Paulum V.) qui nunc eamdem Cathedram sedet, etiam si quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, neque innocentibus Christianis, quibus Dominus præuidens de Præpositis malis ait. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim, & non faciunt, vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocatur.] Deinde addere possumus, quod idem Augustinus Donatistis respondit, lib. de Vnico Baptismo contra Petilian. cap. 16. [Quid opus est, vt Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumnijs insectatus est, obiecta ab eo crimina diluamus? Nam licèt de criminibus arguantur, numquid etiam conuincuntur? aut conuicti aliquâ instrumentorum firmitate monstrantur? & cætera, quæ eleganter prosequitur.] Non negamus tamen aliqua peccata, & scandala de aliquibus Pontificibus in historijs referri, sed hi & pauci sunt comparatione multitudinis tot illustrium, & sanctorum Pontificum, & mirum esse non debet, quod in tanta multitudine pauci mali inuenti sint, cùm inter duodecim Apostolos vnus traditor fuerit. Vnde sicut iste Apostolicam dignitatem non fœdauit, ita neque vllus Pontifex prauus Apostolicam Sedem maculauit, quia nullus in eis fuit hæreticus, saltem qui hæresim publicè docuerit, & vita mala sanctitatem Sedis non diminuit. Et quod de personis Pontificum dicimus, de eorumdem electione dictum intelligatur. Nam quod Rex Angliæ obmurmurat, nostra ætate accidisse ignoramus, & licèt fortasse interdum commissum sit, immeritò notatur, ac reprehenditur, ac si frequens, vel perpetuum esset; ideòque meritò Bellarminus respondit, [solemne est aduersarijs, id, in quo vnus aliquando peccauit, ad omnes transferre.] Ac denique licèt in tali electione homines, vt homines interdum delinquant, non inde necessariò fit, vt electio non sit à Spiritu sancto, qui nouit malis bene vti, etiam ad dignam personam eligendam, & licèt interdum propter sua occulta iudicia permittat, vt in electione personæ erretur, nihilominùs propter Ecclesiæ bonum, & firmam institutionem Spiritus sanctus assistit, vt ritè electo, quicumque ille sit, suam conferat potestatem, & ita peccata hominum non obstant, quo minùs vno, vel alio modo electio à Spiritu sancto sit.

Denique ad vltimam partem negamus, in iniuriam cedere Christi, quod vnum habeat in terris Vicarium, qui suo modo Caput visibile militantis, & visibilis Ecclesiæ sit, quia hoc est Caput ministeriale; ipse autem Christus solus semper est Caput principale. Sicut etiam supra de Petra dicebamus, vel sicut Christus etiam in Scriptura dicitur, [Pastor animarum nostrarum.] 1. Petr. 2. quod non obstat, quo minùs alijs hominibus dicatur, [Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.] Act. 20. Nam licèt Christus sit, Princeps Pastorum, supremus, & principalis, vt dicitur. 1. Petr. 5. nihilominùs alij etiam sunt pastores tamquam ministri illius Principis; imò isti etiam interdum Principes appellantur, iuxtà illud: [Constitues eos Principes super omnem terram,] omnes tamen sunt sub illo supremo Principe. Ita ergo Papa & est Pastor, & Episcopus, & Princeps Pastorum, & Episcoporum, vtique mortalium, seu ministerialium sub immortali, & absoluto Principe. Atque eodem modo est ministeriale, & mortale caput sub principali, & immortali. Et ideò hoc non solùm non derogat dignitati Christi, sed etiam charitatem, & po-

sentiam eius, & singularem erga Ecclesiam suam prouidentiam commendat.

CAP. XXI.

Vtrùm persona Principum, seu Regum temporalium spirituali potestati Summi Pontificis subiectæ sint.

Quamuis in præsenti præcipuè agendum sit de subordinatione, seu comparatione spiritualis, & temporalis potestatis, nam ad illarum perfectam cognitionem hoc præcipuè declarandum superest, nihilominùs ab ipsis personis, in quibus tales potestates insunt, initium sumimus, quia fundamentum prædictæ subordinationis inde maximè pendet. Quod vt declarem, aduerto, prædictas potestates spiritualem, & temporalem posse comparari, vel in nobilitate, & excellentia, vel in subordinatione, & subiectione vnius ad alteram: hæc enim duo adeò diuersa sunt, vt possint separari, ad eum modum, quo in physicis facultatibus potest vna esse excellentior alia (vt visus auditu) etiam si vna alteri in actione sua non subijciatur, vel subordinetur. Nunc ergo non comparamus has potestates in absoluta perfectione, & excellentia: nam explicando distinctionem spiritualis potestatis à temporali, satis ostendimus, illam esse excellentiorem ista, quod etiam ex professo docui in opere de legibus, & supposita distinctione vtriusque potestatis, vix potest habere dubitationem. Quia spiritualis potestas est altior quædam participatio diuinæ potestatis, perfectiores effectus, altiorem finem, nobiliorem originem, & quodadam esse diuinioris, atque excellentioris ordinis habens, vt varijs etiam loquendi modis Patres ostendunt, quos in citatis locis adnotaui.

Comparamus ergo has potestates in subordinatione, ac dependentia vnius ab alia quæ vel inter ipsas potestates formaliter (vt sic dicam) cogitari potest, vel solùm inter personas, in quibus tales potestates existunt. Inquiri enim potest, an vna ex his potestatibus possit alteram ad suos actus applicare, vel ab eis cohibere: vel an persona habens vnam potestatem subijciatur habenti aliam quoad actus ad illam pertinentes, in quo etiam queri potest, an hæc subiectio reciproca, vel tantùm ex altera parte sit. Quæ omnia, vt punctum difficultatis attingamus, de illis personis tractanda proponimus, in quibus hæ potestates in supremo excellentiæ gradu inueniuntur, vt sunt, Imperator, & Pontifex Summus. Tres igitur resultant quæstiones. Prima est, an Summus Pontifex personas Regum, & Principum temporalium habeat sibi spiritualiter subiectas. Secunda, an Pontifex habeat sibi subiectam non solùm personam Regis, sed etiam eius potestatem temporalem, quantumuis supremam, ita vt possit illius actus præcipiendo dirigere, exigere, supplere, vel impedire. Tertia his consequens est, an Pontifex ratione suæ spiritualis potestatis possit Christianos Principes non solùm dirigere, præcipiendo, sed etiam cogere puniendo, etiam vsque ad regni priuationem, si opus fuerit, quod est ferè punctum, & cardo totius controuersiæ, & ideò accuratius tractandum est. Possuntque tres similes quæstiones è conuerso moueri, scilicet an Rex, vel Imperator personas Papæ, vel aliorum Episcoporum habeat sibi in temporalibus, & ciuilibus subiectas. Item an Rex sua temporali potestate possit spirituali dominari, in ordine ad suam gubernationem illam excitando, aut cohibendo. Tertiò, an possit Rex præcipere Pontifici cum potestate coerciua, etiam vsque ad depositionem. Ex his autem tribus posterioribus quæstionibus prima ad disputationem de exemptione clericorum à potestate ciuili, pertinet, cui totum librum sequentem dicamus, & ideò ibi copiosè tractabitur; hic verò solùm de persona Pontificis aliquid attingemus, quantum ad soluendas aliquas obiectiones fuerit necessarium. Secunda verò quæstio supposita resolutione priorum quæstionum, nullam habet difficultatem, & ideò cum illis per quamdam consequutionem expedietur. Tertia verò quæstio annexa est præcedentibus, & quatenus spectare potest ad Pontificem, vt Pontifex est, in sequentibus etiam obiter expedietur, quatenus verò de Pontifice, vt est homo, vel ciuis, in sequenti libro simul cum prima resoluetur.

In hoc ergo capite prima quæstio pro posita tractanda est, in qua sententia Protestantium est, Regem temporalem, & in vniuersum Principem in temporalibus supremum nulli homini in spiritualibus esse subiectum, ac subinde nec potestatem Regis à potestate alicuius hominis pendere. Qui error à Marsilio Paduano originem duxit, & illi maximè adhæsit Henricus VIII. Rex Angliæ, quem nunc serenissimus Iacobus imitatur, vt non solùm eius facta, sed etiam verba, quæ in varijs locis suæ Præfationis posuit, ostendunt. Nam in hoc sensu p. 2. de tēporalibus Regibus ait: [Quos Deus in altissimo dignitatis gradu quasi suos vicarios, & legatos ad exercenda iudicia in suo solio collocauit.] Et clarius in pag. 5. [Nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credam. Et iterum ad Reges pag. 10. [Quos Deus præcipuos in terris Vicarios in administratione iustitiæ esse iussit.] Et in eodem sensu dicit pagin 14. controuersiam, quam cum suis subditis Catholicis habet, non aliunde esse motam, [quam ab ambitiosa Pontificum tyrannide, quam illi contra auctoritatem Scripturarum contra Conciliorum, antiquiorumque Patrum mentem sibi in temporalia Regum iura, iniuste vsurparunt.] Tandemque ibidem concludit, in hac Regum auctoritate asserenda (vtique in hoc sensu) totam suam Apologiam impendisse. In quibus locis, licet interdum de subiectione in temporalibus loquatur, intelligit tamen de subiectione tam directa, quàm indirecta, vt enim vtràque à Regibus excludat spiritualem etiam negat, ideoque potestatem etiam spiritualem sibi arrogat, & in hoc fundamento tota eius machina nititur.

Cùm hæc scriberem, liber Illustrissimi Car-

Cardinalis Bellarmini ad manus meas peruenit, in quo Guilelmo Barclaio, qui Pontificis potestatem in rebus temporalibus nouo quodam modo negauit, respondet. Profitebatur enim ille habere Pontificem supremam potestatem in spiritualibus, etiam supra Reges, & Imperatores, & nihilominus negauit subordinationem potestatis temporalis ad spiritualem, & consequenter etiam negauit, posse Pontificem in temporalibus rebus ad ius, vel dominium Regis pertinentibus, murationem aliquam facere, vel in illis aliquid disponere. Et quamquam in prædicto libro multa eius fundamenta referantur nullum tamen graue vel ab auctoritate, vel ab vrgente ratione petitum inuenio, & qualiacunque illa sint, illis tam plenè, & eruditè Cardinalis satisfacit, vt nihil addere necesse sit. Summa itaque omnium est, quia Reges Christiani habent supremam potestatem in temporalibus; repugnat autem esse supremam, & esse alteri subiectam, siue directè, siue indirectè. Ad vtrumque autem persuadendum ex Scripturis colligit vulgaria testimonia, quibus obedientia ad temporales Principes commendatur, & adiungit potestatem Pontificis quoad temporalia nullum in Scriptura habere fundamentum, neque in vsu vel traditione Ecclesiæ. Multa etiam accumulat, in quibus quæstionem hanc de potestate spirituali Pontificis cum quæstione de exemptione clericorum confundit, cum tamen, vt sæpe dixi, distinctæ sint, & ex principijs longe diuersis definiendæ: ideoque omnia, quæ ad exemptionem pertinuerint, in sequentem librum remittimus, alijs verò in capite sequenti satisfaciemus.

Principio ergo contra Regem Angliæ id statuimus, quod Barclaius admittit, Pontificem Romanum esse spiritualem Patrem, & Pastorem summum Regum, & Principum temporalium, quantuncumque, in suo ordine supremi sint: ac proinde in bis, quæ ad animam, & spirituale regimen spectant, Reges esse Pontifici Romano subiectos. Hæc assertio directè respondet primæ quæstioni propositæ, estque de fide Catholica tenenda. Et noua probatione non indiget, sequitur enim euidenter ex principijs capitibus præcedentibus traditis. Ostendimus enim Papam esse Pastorem omnium ouium Christi; at Reges Christiani inter oues Christi computantur, alioqui extra ouile, & extra Ecclesiam Catholicam erunt; ergo etiam illorum Pastor est Papa: ergo è conuerso ipsi spirituali Pontificis potestati subiacent: nam hæc duo correlatiua, & inseparabila sunt. Quapropter Scripturæ, Pontificum, Conciliorum, & Patrum testimonia, quæ probant, Pontificem Summum succedere Petro in vniuersali potestate regendi Ecclesiam, probant etiam Reges subdi eidem potestati Pontificis, saltem in spiritualibus nam potestas data in totum ouile, seu corpus ad singulas oues, seu partes extenditur. Et qua ratione illa potestas cæteros baptizatos cuiuscunque inferioris conditionis sub se complectitur, eadem Reges etiam, & Imperatores comprehendit, quia nullo iure exempti sunt, & Regia dignitas cum Christiana subiectione non repugnat, aliàs etiam cum Christiana fide, & professione pugnaret, cùm ipsa Christi fides obedientiam hanc à suis cultoribus requirat.

His generalibus rationibus, & testimonijs addi possunt specialia verba, in primis Concilij Nicæni canon. 39. inter octuaginta ex Arabico translata, vbi de Pontifice Romano dicit, [Ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Domini nostri Iesu Christi super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam.] Vnde Symmachus Papa Apolog. in Anastasium Imperatorem, sic ad eum loquitur: [Tu si Christianus Princeps es, qualiscumque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire.] Et Anastasius Papa Secundus in epist. 1. ad Anastasium Imperatorem, obedientiam in his, quæ illum monebat, ab ipso requirit. Et Gelasius ad eumdem: [Licèt præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis. Et infra: Subdi te debere cognosce religionis ordine, &c.] Ex testimonijs etiam suprà allatis, quibus Primatum Romanæ Sedis ostendimus, multa expressè declarant, inter oues Petro commissas, etiam Reges, & Imperatorem numerari. Præsertim Nazianzenus in Oratione ad Populum timor. percul. [Suscipe, ait, vocem liberiorem, scito, te esse ouem gregis mei.] Et Chrysostomus Homil. 83. [Si is, qui diademate coronatur, indignè adeat, cohibe, maiorem illo potestatem habes.] Et Ambrosius libr. de Dignitat. Sacerdot. cap. 2. ait, [Regum colla submitti pedibus Sacerdotum.]

Multum denique veritas hæc ex factis, exemplis, ac testimonijs Christianorum Imperatorum, ac Regum manifestatur: nam in primis de Philippo primo Imperatore Christiano, memoriæ proditum est, obediuisse Fabiano Papæ, præcipienti, vt ad communionem non priùs accederet, quàm inter publicos pœnitentes sedens, peccata defleret, vt Eusebius refert lib. 6. Histor. cap. 25. aliàs 27. & Nicephor. lib. 5. cap. 25. De Constantino etiam nota est historia, quod in Concilio se ab Episcopis iudicandum esse dixerit, non de illis iudicaturum, apud Ruffin. lib. 1. cap. 2. Satis etiam piè Iustinus Imperator in l. 4. C. de Summ. Trinit. & fide Cathol. [Nos, inquit, reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est, vt decet Patrem, honorantes vestram sanctitatem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis, quoniam nobis semper fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & status Sanctarum Ecclesiarum custodire.] Et alia, quæ prosequitur, quibus satis se ostendit spiritualiter Apostolicæ Sedi subiectum, vt rectè intellexit, & laudauit Ioannes Pontifex in rescripto, quod in eadem lege refertur. 5. Inter claras, vbi inter alia dicit, [Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem,] & cætera, quæ supra retulimus.

Sunt etiam valdè notanda verba Caroli Magni Imperatoris, [In memoriam Beati Petri honoremus sanctam Romanam, & Apo-

stolicam sedem, vt quæ oobis sacerdotalis mater est dignitaris, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis, quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.] Quæ verba ex capitulis Caroli refert Gratian. io cap. 3. dist. 19. & Naucleros volum. 2. generat. 28. dicit esse vnum ex viginti tribus legum capitulis, quæ Carolus ad suos subditos misit. Et receptum est à Patribus in Concilio Triburiensi canon. 30. Vnde etiam dixit Symmac. Papa io sexta synodo Romana. [Non licèr Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti quidquam, quod Apostolicis regolis obuiet, agere.] Et refert Gratianus in cap. 2. dist. 10. vbi similia verba ex Calixto, Marcellino, & Adriano Papa refetuntur. Imò idem Adrianus Papa in vltimo suorum capitulorum [Generali, ait, decreto constituimus, vt execrandum anathema sit, & veluti præuaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicumque Regum, vel Potentum deinceps Romanorum Pontificum decretorum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam, vt est apud Grat. in cap. Generali 25. quæst. 1.

Possunt prætereà his adiungi plura signa reuerentiæ, & obedientiæ sedi Apostolicæ data ab Imperatoribus, & Regibus in omnibus locis, ac temporibus. Nam in primis ferè omnes vocant spiritualem Patrem, & addunt, Beatissimum, Sanctissimum, aut aliquid æquivaleos, vt videre licèt in multis epistolis diuersorum Imperatorum ad Leonem Papam, Hormisdam, Anastasium, & alios, specialiterque notari possunt verba Ladislai Regis Vngariæ in orat. ad Nicolaum V. vbi vocat [Pontificem maximum, vnicum Christianorum Principem, & Regum Regem, ac in terris Deum.] Vt extat apud Cocleum lib. 11. Historiæ Hussitarum. Deinde confitentur sæpe, & recognoscunt Cathedram Petri in Pontifice Romano, eiusque vniuersalem iurisdictionem in totam Ecclesiam, vt constat ex Constantino, & alijs supra allegatis, & ex Valentiniano Epist. ad Theodos. in Act. 1. Conc. Chalced. & in alia eiusdem ad Leonem, vbi eum ait, [habere principatum sacerdotij, fidei præsidentem, & ipso auctore congregandum esse Concilium,] & ex alijs quæ ibi videri possunt. Item ex Iustiniano in legibus, & Authenticis in superioribus citatis, & ex literis ad Bonifacium II. quæ inter gesta Bonifacij tom. 2. Concilior. referuntur, vbi priùs de Apostolica sede intelligit illud, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & subiungit, Hæc, quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio. Et infrà. Anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt ceruices, sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes eius omnia constituta.

Et Federicus I. in Epist. ad Emanuelem Græcum Imperatorem priùs dicit Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum vnicam matrem, Dominam, & magistram à Deo esse ordinatam, Vnde infert, [Summo Pontifici, quem omnino tenus sanctum appellas, debitam obedientiam exhibeas, & honorem.] Fertur etiam epistola Leonis Armenorum Regis ad Innocent. III. [quem Dominum, & in Christo Patrem, & vniuersalem Papam appellat, & Pastorem, quem Deus Ecclesiæ suæ præesse voluit. Et subiungit. Vestri luminis gratia informati omne regnum nobis à Deo commissum, & omnes Armenos ad vnitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diuina inspirante clementia reuocare cupimus, & optamus. Similia scripsit Michael Paleologus ad Gregorium X. sub annum millesimum ducentesimum septuagesimum quartum. Et plura Andronicus Imperator Græcus in epistola, quæ extat in Bibliotheca Palatina, vbi Romanam Ecclesiam dicit habere supremum, absolutumque Principatum super vniuersam Catholicam Ecclesiam ab ipso Domino traditum, &c.

Prætereà Carolus Rex Franciæ in epistola ad Adrianum II. Sic scribit. [Sanctissimo Patri Adriano summo, & vniuersali Pontifici Carolus Dei gratia Rex, & spiritualis filius vester, &c.] Et Hugo Rex Franciæ ad Ioannem Papam XV. inter alia dicit, [Hoc ex integro affectu dicimus, vt intelligatis, & cognoscatis, nos & nostros vestra nolle declinare iudicia.] Et Ludou. etiam Rex Galliæ epist. ad Pium II. prius his verbis illum salutat, [Beatissimo Patri nostro Pio Papæ II. obedientiam filialem, & deinde subiungit: Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione prosequimur, vt sacra tua monita, præsertim in Ecclesiasticis rebus velut vocem Pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus, te Dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus, teque iubentem sequimur, &c.] Item sanctus Ludouicus Rex Franciæ inter documenta ad Philippum filium ante mortem scripta inquit, [Sis deuotus, & obediens matri Romanæ Ecclesiæ, eiusque Pontifici tamquam spirituali patri te morigerum præbeas.] Prætereà Sigismundus Rex Poloniæ in epistola ad Concilium Lateranen. sub Leone X. quæ habetur in eius act. 7. obedientiam præstat Summo Pontifici, & addit, [iuxta consuetudinem maiorum meorum.]

Et in eodem Concilio sess. 2. in principio habetur mandatum Regis Catholici Ferdinandi, in quo inter alia multa illustrissima suæ fidei testimonia hoc ponit:] Profitemur nos filium sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris nostræ deditissimum, proque eius honore, atque statu animam ponere paratissimum. Et infrà subdit, se mittere legatum, vt intersit Concilio, ibique, ait, obedientiam debitam præfato beatissimo Domino nostro Papæ toties, quoties opportunum fuerit, præstandam, &c.] Et similia ferè verba ex Carolo V. habentur in edicto Vvormatiensi. Neque plura testimonia Hispaniarum Regum referre necesse est, quia res est notissima, & quia Rex Alphonsus in suis Legibus, Parte prima tit. 5. l. 2. 3. 4. & 5. ex professo non solùm profitetur, sed etiam eruditè Pontificiam dignitatem, & potestatem declarat, dicens, ratione illius esse speciali modo, Vicarium Christi, & successorem Petri, ac propterea per antonomasiam Apostolicum appellari, & nominari etiam Papam, quia [Pater Patrum, & caput

put Episcoporum, & aliorum Prælatorum. Et propterea, inquit, omnes Christiani totius Orbis, quando ad ipsum accedunt, pedem eius osculantur.] Addit deinde in fine legis 4. [Eum, qui negauerit, Pontificem habere hanc potestatem, vel esse caput Ecclesiæ, non solum excommunicatum esse, sed etiam hæreticum.] Et in l. 5. generaliter, & sine exceptione dicit, omnes Christianos teneri ad obediendum Pontifici in spiritualibus, &c.

Venio ad Reges Angliæ, qui à principio suæ vocationis ad fidem vsque ad Henricum VIII. Romanum Pontificem tamquam supremum Ecclesiæ Pastorem recognouerunt. Primus enim Britanniæ Rex Lucius statim, ac fidem suscepit ad Eleutherium misit Epistolam, [Obsecrans, ait Beda, vt per eius mandatum Christianus efficeretur, & mox effectum piæ postulationis consequtus est.] Quo facto, & exemplo ostendit apertè, recognouisse Pontificem, vt Pastorem suum, quomodo enim sacramentum tam necessarium ab alio, quàm à Pastore suo postulasset? Item, professus est, illum habere claues totius Ecclesiæ, & ad illum principaliter pertinere per ianuam baptismi Reges, & Principes intra Ecclesiam recipere. Alioqui cur non potiùs ab aliquo Episcopo Britannico) si fortasse aliquis tunc ibi erat ex prædicatione, & ordinatione Iosephi succedens) vel saltem, ab aliquo vicino Episcopo baptismum postulasset? Nam, vt ex Irenæo lib. 1. cap. 8. sumimus, iam eo tempore in Germania, Gallia, & Hispania, quæ sunt prouinciæ Britanniæ Insulæ, quam Roma viciniores, erant fundatæ Ecclesiæ, & Episcopi creari, cur ergo ad nullum illorum nuncios misit, sed ad Romanum solum? Non certè alia ratione, nisi quia illum tantùm vniuersalem iurisdictionem, & superiorem potestatem in Ecclesiam habere credidit. Suprà etiam retulimus ex Beda Regem Osuui cum audisset Petro principaliter esse datas claues regni Cœlorum, & illius successorem Romanum Pontificem esse crederet, dixisse, [Ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum noui, & valeo huius cupio in omnibus obedire statutis. Hæc dicente Rege, ait Beda, fauerunt assidentes, & ad ea, quæ meliora cognouerant sese transferre festinabant.] Multaque alia de recursu Regum Angliæ ad Apostolicam Sedem in rebus, & negotijs Ecclesiasticis Beda refert.

Item Ioannes Papa X. Eduardum Regem tamquam ouem suam admonuit, vt refert Polydorus lib. 6. Estque optima Epistola Regis Eduardi ad Nicolaum II. quam sic inscribit [Summo vniuersalis Ecclesiæ Patri Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam subiectionem, & obedientiam.] Et postea in Epistola confitetur, & postulat, vt quod prædecessor Papæ ipsi iniunxerat sub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ pro quodam voto, ratum habeat, & vt quædam priuilegia confirmet, & posteà dicit, se augere, & confirmare donationes, & consuetudines pecuniarum, quæ habet S. Petrus in Anglia, easque mittere collectas cum regalibus donis, &c. Similes ferè inueniuntur Epistolæ alterius Eduardi Regis Angliæ ad Bonifacium VIII. & alterius ad Clementem VI. Et etiam sunt optima verba Regis Richardi II. ad Clementem III. [Iustiorem exitum facta Principum sortiuntur, cùm à Sede Apostolica robur, & fauorem accipiunt, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ colloquio diriguntur. Propterea dignum duximus ad notitiam Beatitudinis vestræ transmittere, quæ inter nos, & Dominum Tancredum illustrem Siciliæ Regem publico nuper, & necessariò sunt celebrata contractu. Et infrà: Sanctitatem vestram, & Sanctam Romanam Ecclesiam obnixè rogamus, vt sancta Sedes Apostolica fideiussionem pro nobis suscipiat, & vt confidenter id faciat testimonio præsentium literarum vobis liberam concedimus potestatem, nos & hæredes nostros, & terram nostram districtiùs coercere, si contra præfatam pacem venerimus, &c.]

Præterea Kenulphus Rex Merciorum in Anglia epistolam scripsit ad Ioannem Tertium Pontificem, in qua priùs gratias Deo agit, quia [Cùm gloriosissimum gregis sui Pastorem Adrianum perpetuò remunerandum super æthera duxisset, suis tamen ouibus pia erexit prouidentia eum, id est, Leonem, qui scit ouile dominicum ad caulas superioris vitæ agitare.] Et infrà: [Quapropter opportunum arbitror tuis sanctis iussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinari.] Et postea humiliter benedictione postulata, subiungit: [Hanc benedictionem omnes, qui ante me fuerunt Merciorum Reges, meruerunt ab antecessoribus tuis adipisci, hanc ipse humilis peto, & à vobis, ò Sanctissime, impetrare cupio, quatenus in primis adoptionis sorte me tibi filium suscipias, sicut te mihi patris persona deligo, & totis obedientiæ viribus semper amplector.] Refert etiam Petrus Blesensis epistolam quandam Reginæ Angliæ, quę apud ipsum est 144. in qua contra tyrannidem cuiusdam Principis Christiani auxilium Cœlestini Papæ implorat: [Quem constituit, inquiens, Deus super gentes, & regna in omni plenitudine potestatis.] Et infrà: [Nec ista dissimulare potestis sine criminis, & infamiæ nota, cùm sitis Vicarius crucifixi, successor Petri, Deus etiam Pharaonis.] Et cùm postea Tyrannum claues ludibrio habere retulisset, concludit: [Et si vestram non vultis iniuriam prosequi, vobis tamen Petri opprobrium, & iniuriam Christi dissimulare non licet.]

Potest præterea hoc loco in signum huius spiritualis subiectionis Regum Angliæ adduci consuetudo illa, cuius suprà Eduardus meminit, soluendi tributum Romanæ Ecclesiæ in D. Petri reuerentiam, quæ consuetudo ab Ina Rege initium sumpsit, teste Polydor. lib. 1. & à successoribus conseruata, & aucta est, vt in lib. 5. & alijs locis prosequitur. Postеàque lege lata à Guillelmo Conquæstore Angliæ confirmata est, & inter eius leges dicitur esse decima, & de Denario Petri inscribitur. Atque ita vsque ad tempora Henrici VIII. tributum illud Romanæ Ecclesiæ persolutum est. Vnde optimè colligit Sander. dicto lib. 5. cap. 6. verisimile non esse, Reges Angliæ, qui in honorem sancti Petri regnum suum vectigale Romanæ Sedi fecerunt, spiritualem eiusdem regni gubernationem eidem

eidem Sedi negasse. Potestque Iudicium hoc locupletari ex his, quæ Azor congerit in 2. p. suarum Institut. lib. 4. cap. 35.

Tandem confirmari hoc potest ex antiquo vsu, & praxi antiquorum Catholicorum Regum Angliæ, qui semper à Pontificibus postulauerunt, tum dispensationes in votis, aut ecclesiasticis legibus, tum Episcoporum confirmationes, tum etiam Pallium Archiepiscopis dari solitum, & sæpè ipsos Archiepiscopos pro suscipiendo Pallio Romam interdum mittebant, aliquando verò Reges à Pontificibus, vt daretur absentibus postulabant. Interdum etiam Episcopi, & Reges in controuersijs, quas inter se habebant, ad Pontificem appellabant, de quibus, & multis similibus videri possunt Neubrigensis lib. 1. Rerum Anglicar. & Malmesburgiensis libro primo de Gestis Pontificum, & libro primo Histor. Nouel. Et Petrus Blesensis epistol. 136. cum alijs multis, & Matthæus Parisius in Historia Regum Angliæ, & Baronius ann. 1100. & 1117. 1174. & quoties de Regibus Angliæ historia occurrit. Aliqua etiam in summam redegit Sanderus in Claui Dauid. lib. 5. c. 6. Quæ hic repetere non est necesse, cùm ipse etiam Henricus VIII. Rex Angliæ (vt suprà notauimus) priùs quàm in schisma incideret, magnum pro Sede Romana, eiusque auctoritate testimonium scriptum reliquerit in assertione Sacramentorum contra Lutherum art. 2. vbi inter alia dicit: [Non tam iniurius ero Pontifici, vt anxiè, & sollicitè de eius iure disceptem, quasi res haberetur pro dubia.] Ideòque dispensationem à Papa postulauit, quia eo tempore se spirituali potestati Pontificis subiectum agnoscebat, secundùm fidem, & traditionem, quam non solùm à prædecessoribus suis, sed ab vniuerso Orbe Christiano acceperat: cui etiam traditioni in suo libro testimonium perhibuit.

Denique veritas hæc ex quodam principio in cap. 6. huius libri demonstrato manifestè sequitur, probauimus enim, temporalem Regem ex vi suæ regiæ dignitatis nullam habere potestatem, vel iurisdictionem spiritualem. Quod principium non minùs verum in Regibus Anglicanis est, quàm in alijs, vt per se notum est, nam propterea Rex Iacobus contrarium persuadere nititur omnibus Regibus, quia videt causam, & rationem esse communem. Ex hoc ergo principio ita concludimus: Temporales Reges non habent in Ecclesia spiritualem potestatem; ergo necesse est vt in spiritualibus subsint ecclesiasticæ potestati. Probatur consequentia, quia in Ecclesia non sunt, nisi oues, & pastores, seu ouile, & pastor, sed qui non habet spiritualem potestatem non est pastor; ergo oportet vt sit ouis, alioqui in ouili non erit, neq; Ecclesiæ membrum. Et quidem contra omnem rationem, & rectum ordinem esset, quòd in Ecclesia sint aliqui, qui nec regere spiritualiter possint, nec regi, alioqui neque Papa esset Christi Vicarius integrè, & perfectè, neque res ordinatè fierent, nec Ecclesia posset in vnitate, & pace conseruari, nec denique omnibus fidelibus sufficienter esset ad salutem prouisum.

Vnde hæc ratio non solùm probat temporalem Regem esse subditum Pontifici in spiritualibus, sed etiam iure ordinario vnumquemque Regem esse subiectum suo Episcopo, nisi à Pontifice eximatur, & sub protectione, seu iurisdictione sua immediatè recipiatur. Quod Rex Angliæ malè fert, & in Bellarmino reprehendit, est tamen manifestum, si debitus ordo Hierarchiæ ecclesiasticæ consideretur. Nam Reges inter oues nullam iurisdictionem spiritualem habentes computantur; ergo ex vi sui status, & attento solo iure naturali, vel diuino, non habent maiorem exceptionem à iurisdictione Episcoporum, quàm cæteri laici in eadem Diœcesi commorantes. Et hoc probat exemplum Ambrosij, & similia, & quod dixit Chrysostomus, [maiorem illo potestatem habes,] & nonnulla alia quæ supra retulimus. Clariùs verò id traditur à Clemente III. in cap. Omnes Principes, de Maiorit. & Obedientia, vbi id notat Glossa, Panormit. & alij Doctores, & in cap. Solitæ, eodem tit. Ab hoc autem ordinario iure solent eximi Reges per priuilegia Pontificum, ab ipsius autem Pontificis obedientia eximi nullo modo possunt, & ideò illi præcipuè spiritualiter subiecti dicuntur.

CAP. XXII.

Reges Christianos non solùm quoad personas, sed etiam quoad regiam potestatem, id est, non solùm vt homines, sed etiam vt Reges Christianos potestati Pontificis subijci.

Assertioni in præcedenti capite probatæ altera subijcienda est, quæ ex præcedenti sequitur, & secundæ quæstioni in principio præcedentis capitis propositæ respondet, nimirùm, Pontificem Summum ex vi suæ potestatis, seu iurisdictionis, spiritualis esse superiorem Regibus, & Principibus temporalibus, vt eos in vsu potestatis temporalis dirigat in ordine ad spiritualem finem, ratione cuius potest talem vsum præcipere, vel prohibere; exigere, aut impedire, quantùm ad spirituale bonum Ecclesiæ fuerit conueniens. Per potestatem enim directiuam non intelligimus solam potestatem consulendi, monendi, aut rogandi, hæc enim non sunt propria superioris potestatis, sed intelligimus propriam vim obligandi, & cum morali efficacia mouendi, quam aliqui solent coactiuam appellare, sed hæc vox magis ad pœnas pertinet, de quibus in capite seq. dicturi sumus, hìc autem de iurisdictione ad obligandum in conscientia loquimur.

Assertio ergo sic explicata communi consensu Catholicorum recepta est, quos ex parte in cap. 4. huius libri allegaui. Nam illi auctores qui absolutè docent, Papam habere supremam potestatem etiam temporalem in vniuerso Orbe, hoc præcipuè intendunt, & fortasse, vel omnes, vel plures illorum in hoc tantùm sensu loquuti sunt. Nam licèt interdum indistinctè, & sine sufficienti declaratione, vel etiam impropriè loquantur (quia potestas Papæ temporalis non est, sed spiritualis, quæ temporalia sub se

con-

continet, & circa illa indirectè, id eſt, propter ſpiritualia verſatur,) nihilominùs ſæpè hunc ſenſum declarant, & diſtinctionem, vel expreſsè, vel virtute attingunt. Affirmant enim aliqua poſſe indirectè Pontificem, & directè negant. Vt iudicare de feudo, ſicut dixit Gloſſa in c. Nouit, de Iudicijs, verb. Iudicare, vbi Innocentius eam ſequitur, & Panot. n. 17. & ſequentib. imò ſi attentè legatur à n. 11. non aliter intellexit, habere Pontificem ſupremam poteſtatem temporalem. Similiter dixit Gloſſa in regula Poſſeſſor 2. de Regul. iur. in 6. Papam indirectè poſſe reuocare legem ciuilem intuitu vitandi peccatum, non tamen directè, & per ſe, id eſt, ceſſante ratione pertinente ad ſalutem animæ, vbi licèt non vtatur formaliter his terminis, directè, vel indirectè, iure tamen, & per deſcriptionem eumdem ſenſum declarat.

Simileque exemplum eſt in Gloſſa, cap. Per venerabilem. Qui fil. ſint legitim. verb, Habeat poteſtatem, eſtque de legitimatione ad temporalia, quam Pontifex directè dare non poteſt, licèt poſſit indirectè. De quo exemplo videri poſſunt Couar. in 4. Decretal. 2. p. c. 8. §. 8. n. 13. & ſequentib. & Molin. lib. 3. de Primogen. c. 2. n. 10. & ſequentib. & plures alij, quos allegant. Reliqui verò Doctores, præſertim Theologi d. cap. 4. allegati negantes habere Pontificem abſolutum dominium regnorum omnium, ſeu directam poteſtatem temporalem ſupra omnes Reges, vnanimo conſenſu docent veritatem hanc de poteſtate Pontificis directiua Regum, & Principum, & iuriſdictionis ac regiminis eorum. Qui plures alios Doctores pro hac veritate referunt, & multò plures Bellarmin. in principio reſponſionis ad Barclaium, ex quibus in ſeq. aſſert. aliquos notabimus.

Primum, ac præcipuum fundamentum ex illis ſcripturis ſumimus, in quibus Pontifici vniuerſalis animarum cura commiſſa eſt. Nam ad gerendam hanc curam plena, & perfecta poteſtas data eſt Petro, & conſequenter etiam eius ſucceſſoribus Romanis Epiſcopis, quia qui ſuccedit in munere, ſuccedit etiam in poteſtate; ergo talis poteſtas data eſt ad omnia, quæ ad hoc regimen neceſſaria ſunt; ergo in illa poteſtate ſpirituali includitur vis directiua cuiuſcumque poteſtatis temporalis in Regibus, vel ſupremis Principibus exiſtentis. Aſſumptum manifeſtum eſt, tum ex verbis Domini, [Quodcumque ligaueris, & Quodcumque ſolueris, & Paſce oues meas,] tum quia ad ſapientem Chriſti Domini prouidentiam hoc pertinebat. Vnde facilè etiam prima conſequentia oſtenditur, quia non ſolùm Chriſtus verus Deus, cuius opera perfecta ſunt, ſed etiam quilibet prudens gubernator, qui vices ſuas alicui committit, vel ſuam poteſtatem delegat, conſequenter dat poteſtatem ad omnia, quæ ad finem, vel effectum talis commiſſionis, ſeu delegationis neceſſaria ſunt, vt prudens ratio naturalis, & iura tam ciuilia, quàm canonica diſponunt l. 2. ff. de Iuriſdict. omnium Iudic. [Cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videtur, ſine quibus iuriſdictio explicari non potuit.] Et cap. Præterea, de Offic. deleg. [Ex eo, quod cauſa alicui committitur, ſuper omnibus quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recepit poteſtatem.]

Supereſt, vt ſubſumptam illationem probemus, nimirùm in hac ſpirituali poteſtate indirecta, vim directiuam temporalium includi. Hoc enim eſt quod maximè aduerſarij negant, expreſſumque à nobis Scripturæ teſtimonium poſtulant, quo talis incluſio doceatur. Nos verò facilè reſpondemus, non in omnibus eſſe neceſſarium expreſſum Scripturæ teſtimonium, ſatiſque eſſe, ſi ex ſcriptis clara, & neceſſaria ratione, vel Patrum traditione, & interpretatione colligatur. Dicimus ergo hoc contineri in Scriptura tamquam particulare in vniuerſali, vel tamquam vnum ex neceſſarijs medijs in fine, ſeu in poteſtate dirigendi ad finem talis poteſtatis ſpiritualis. Poteſt autem hoc dupliciter explicari, ſcilicèt, vel ex parte ſubditorum eius. Nam vt dixi, Reges temporales ſpiritualiter ſubditi ſunt Petro, & ſucceſſoribus eius; at verò poteſtas ſpiritualis data Petro vniuerſalis eſt ad omnes actus ſubditorum dirigendos, quibus vita æterna perdi, vel comparari poteſt, vt probat indefinitum verbum, Paſce, & vniuerſalis poteſtas ligandi, & ſoluendi; vnus autem ex his actibus in Chriſtiano Principe eſt debitus vſus poteſtatis gubernatiuæ, nam ſi illa non iuſtè vtatur, condemnabitur; ergo ad Paſtorem ſpiritualem talis Principis pertinet facultas dirigendi illum in vſu ſuæ temporalis poteſtatis, ſi alicubi à recta ratione, aut à Fide, Iuſtitia, & Charitate deuiet. Sic ergo poteſtas illa ad temporalia indirectè extenditur, nam vſus ipſe temporalis poteſtatis, quatenùs animæ obeſſe, vel prodeſſe poteſt, ſub ſpiritualibus tamquam particulare ſub vniuerſali continetur, & tamquam medium neceſſarium ſub fine, ad quem poteſtas ſpiritualis ordinatur. Et hanc rationem inſinuauit optimè Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem, vbi diſtinguit duas poteſtates, ſpiritualem, & temporalem, & addit: [In quibus tantò grauius pondus eſt Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regibus hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem.] Quapropter verba illa Pauli: [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis,] ad Hebr. 13. non minùs Reges comprehendunt, quàm cæteros, quia & vniuerſalia ſunt, & ratio à Paulo ſubiuncta: [Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri,] in Regibus etiam procedit, vt ex Gelaſio dixi; meritò ergo dicere poſſumus, in verbis illis poteſtatem hanc Præpoſitorum Eccleſiæ contineri.

Alio etiam modo, & non minus efficaci hæc incluſio oſtenditur ex parte ſubditorum Regis temporalis Chriſtiani, quia ſi ipſe iniqua præcipiat, vel plus, quam expedit, permittat ſubditis illicitos vſus temporalium actionum, vel bonorum, in magnum ſpirituale detrimentum ſubditorum cedet; ſed Pontifex tenetur habere curam ſpiritualem totius populi Chriſtiani ſubditi temporalibus Regibus; ergo in hoc munere includitur poteſtas auertendi à Chriſtiano populo omnia ſpiritualia incommoda, quæ ex abuſu poteſtatis temporalis in illum poſſunt redundare; ergo hoc etiam titulo neceſſe eſt, vt poteſtas ſpiritualis Principis ad temporalia indirectè

exten-

extendatur, dirigendo, vbi oportuerit, potestatem temporalem, vt ita temporalia disponat, quod spiritualibus non noceant. Et hæc etiam ratio insinuatur à Gelasio suprà, si vt alia lectio haber, legatur, [Quanto pro ipsis regiminibus hominum reddituri sunt rationem. Et vtrumque etiam significat NIcolaus Papa ad Michaelem, dicens, [Christianos Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigere.

Declaraturque amplius hæc ratio, nam vtraque potestas temporalis, & spiritualis, prout in Ecclesia existunt ita conferri, & possideri debuerunt, vt communi bono, & saluti Christiani populi proficiant; ergo necessarium est, vt hę potestates aliquem ordinē inter se obseruent, aliàs non posset pax, & vnitas in Ecclesia seruari, nam sępe temporalia cōmoda repugnant spiritualibus, & ideò, vel erit bellū iustum inter vtramque potestatem, vel necesse est, alteram alteri cedere, vt omnia rectè ordinentur. Ergo, vel potestas spiritualis erit sub temporali, vel è contrario. Primum nec dici, nec cogitari potest secundum rectam rationem, quia temporalia omnia ordinari debent ad spiritualem finem; ergo dicendum è contrario est, potestatem temporalem subiectam esse spirituali, vt à suo fine non deflectat. Nam ita subordinantur potestates sicut, & fines. Ideòque meritò dixit Diu. Thom. 2. 2. quæst. 40. articulo 2. ad 3. bella subordinari potestati Papæ: quia Potentia, virtus, vel ars, respiciens superiorem finem, habet sibi subiectas facultates inferiores in ordine ad eumdem finem. Et qu. 60. ar. 6. ad 3. sic ait, [Potestas temporalis subditur spirituali sicut corpus animæ, & ideò non est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus.] Et in 2. dist. 44. in expositione textus ad 4 ait, [sæcularem potestatem esse sub spirituali in his, quæ ad salutem animæ pertinent, & ideo in eisdem magis esse obediendum spirituali potestati, quam temporali, licèt in his, quæ ad bonum ciuile pertinent, magis sit obediendum potestati sęculari.] In quibus verbis etiam superiorem distinctionem planè indicat. Addit verò limitationem dicens, [Nisi fortè potestati spirituali etiam sæcularis potestas coniungatur, sicut in Papa, qui vtriusque potestatis apicem tenet.] Quod intelligi potest, vnius directè, & alterius indirectè iuxta superiora verba. Quia verò hæc posteriora verba exceptionem continent à prioribus, videtur in eis potiùs loqui de vtraque potestate directa & consequenter loqui de Pontifice, vt simul est Pontifex, & Rex temporalis. Denique habere apicem vtriusque potestatis, quia in vtroque ordine habet potestatem supremam, licet non æquè vniuersalem. Vt etiam dixit Innocentius III. in dict. cap. per venerabilem.

Atque ad hunc modum intelligenda sunt alia, quæ de hac potestate idem D. Thom. tradit lib. 1. de regimine Princip. cap. 14. & lib. 3. capit. 10. 11. 12. & 13. si tamen eius est opus. Quibus locis varijs exemplis, & similitudinibus ad hanc veritatem declarandam vtitur, multisque historijs, & gestis Summorum Pontificum eamdem confirmat. Idem optimè, & satis copiosè Alex. Alens. 2. part. quæst. 118. memb. 3. art. 1. & 3. part. quæst. 40. membr. 5. quæstiunc. penult. & 4. part. quęst. 10. memb. 5. post. art. 2. in tract. de Officio Missæ part. 2. art. 2. Hugo de Sanct. Victor. lib. 2. de Sacram part. 2. cap. 4. Turrecremat. in Summ. de Eccles. lib. 3. cap. 113. Vuald. tom. 1. in doct. fid. antiq. l. 2. cap. 76. Caietan. in Apolog. pro Romano Pontifice cap. 13. Henric. quodlib. 6. quæst. 23. vbi ait: [Sacerdotem Apostolicum se habere ad Reges, sicut Architectum ciuilem ad alios artifices in ciuitate.] Bellarmin. de Summo Pontifice lib. 5. cap. 6. 7. & 8. Albertus Pighius lib 5. de Ecclesiastic. Hierarch. cap. 14. & 15. Sander. de Visib. Eccles. monarch. præsertim cap. 4. Victor. duplici Relect. de Potest. Eccles. & altera de Potestat. ciuili, & in Relect. de Indis. part. 1. num. 29. Dried. de Libert. Christian. lib. 2. capit. 2. Soto in 4. d. 25. quæst. 2. artic. 5. & lib. 4. de Iustit. quæst. 5. art. 4 Nauarr. in cap. Nouit. de Iudic. notab. 3. num 19. & sequentib. Almain. de Potestate Ecclesiastica cap. 8. Molin. referen. plures 1. tom. de Iustit. disp. 29. & consentiunt Iurisperiti, quos infra referemus.

Declaratur præterea hæc dependentia, & subordinatio optimis exemplis. Primum est de Domino, & seruo: nam Dominus habet peculiarem potestatem in seruum, quam sine dubio non habet Papa in seruum alienum, vnde rectè dicitur, non habere directam potestatem dominatiuam in illum, & nihilominus certum est quemcumque dominum temporalem subesse potestati Pontificis quoad debitum vsum sui dominij, ita vt non sit contrarius spirituali saluti, vel domini, vel serui, & in hoc sensu rectè dicitur Pontifex habere superiorem potestatem indirectam in seruum alienum. Et simili modo patria potestate directè conuenit proprio parenti, & non spirituali Pastori, & nihilominus illa potestas, quamuis à natura data, subest spirituali potestati, vt ab ea regatur, & dirigatur, & ita potest dici spiritualis potestas, indirectè extendi ad filiorum Christianorum gubernationem. Pari ergo ratione potestas temporalis Regis per spiritualem potestatem Pontificia gubernanda, & dirigenda est. Possuntque exempla ad Principem ipsum temporalem accomodari, vt ex eis à fortiori argumentum desumatur. Nam Rex non habet quidem formalem, vt ita dicam, seu directam potestatem patriam in filium alicuius subditi sui, & nihilominus habet eminentem, seu indirectam potestatem ad dirigendum vassallum suum in vsu Patriæ potestatis, quam habet in filium, & in vsu Dominij, quod habet in seruum; ergo multò magis Vicarius Christi habet similem potestatem in Reges Christianos in ordine ad spirituale bonum totius populi Christiani.

Explicatur præterea hæc potestas ex vsu eius, multiplex enim esse potest, ad duos tamen præcipuè reuocatur, qui iuxta duas temporalis Principis potestates distingui possunt. Est enim in Principe potestas iurisdictionis, quæ propriè dicitur ciuilis, & moralis, de qua præcipuè tractamus. Vt autem hæc timeri possit, & conseruari, coniunctam habere debet aliam potestatem, non iuris, sed facti, vt sic dicam: quæ physica est, & executiua, seu militaris potest appellari. Iuxta has ergo duas potestates temporalis

lis Principis diſtinguimus duos modos huius ſpiritualis regiminis, ſeu directionis. Primus pertinet ad actus iuriſdictionis ciuilis talis eſt emendatio, ſeu correctio legum ciuilium quando bonis moribus conſentaneę non ſunt. Poteſt enim tunc Pontifex illas emendare, vel contrarias ferendo, vel præcipiendo Principibus ſęcularibus, vt eas reuocent, aut corrigant, quæ eſt Doctrina communis Theologorum cum Diuo Thoma 1.2.quæſt.96.art.5. Eamdemque tradunt copioſiùs Iuriſperiti, Barthol. in l. Priuilegia C. de Sacroſ. Eccleſ. quæſt.vltim. Alex. in l.Captatorias, C.de Teſtam. milit. Anton.& Imola in cap. At ſi clerici, de Iudicijs, Ioann. Andr. Cald. & Abb. in cap.1.de Noui oper.nunciat.Felin. in cap. Eccleſia, de Conſtitut. num. 41. Couarr.in Epito.4. Decret.2.part.cap.3.5.6.num.6.& ſequentib. Anton. Gomez. in l.9. & 10. Tauri. num.37.& 38. Fortun. Garci. in tractat. de vltim.fin. vtriuſque iur. numer.51. qui alios referunt. Et hic vſus frequentiſſimus eſt in iure canonico, & communi ſenſu, & more Eccleſiæ approbatus, ideòque non licet catholico viro de poteſtate Pontificia dubitare.

Eſt autem aduertendum, materiam proximam legis ciuilis interdum eſſe per ſe, ac directè omnino diſtinctam à canonica, vt quando eſt pure temporalis, & nullo modo ſacra, nec ad finem ſpiritualem de ſe ordinata, vt eſt v.g. definire pretium mercium, ordinem iudiciorum ciuilium diſponere, & cætera: aliquando verò communicare aliquo modo cum materia legis canonicæ ratione rei ſubtractæ vtrique legi, vt leges circa matrimonia, circa funera, circa legata pia, & ſimiles. Quando ergo leges ciuiles ſunt huius poſterioris generis, non ſolùm indirectè, ſed etiam directè per poteſtatem ſpiritualem emendari, & irritari poſſunt quia materia illa, vel eſt directè ſpiritualis, vel eſt miſti fori, ideò ſpiritualis poteſtas directè circa illam verſatur, ideòque omnes leges ciuiles, quæ in talibus materijs verſantur, ſi contrariæ ſint iuri canonico, per illud corriguntur, quia ab excellentiori poteſtate ſuperantur. Et hoc modo leges ciuiles circa matrimonia diſponentes, per leges canonicas auferuntur, ſi illis repugnent, & illæ ſolæ valorem habent, quæ leges canonicas iuuant, modo ab eis permiſſo. Vt verbi gratia, leges ciules permittebant matrimonia inter conſanguineos in ſecundo gradu, quibus præualent canonicæ illa irritantes.

Ad hunc etiam ordinem pertinent canonicæ leges diſponentes circa iuramenta promiſſoria, vt omnino ſeruentur, non obſtante lege ciuili, & præcipientes iudicibus laicis, vt eas ſeruari faciant. Item huc etiam ſpectant canones ſtatuentes contra ciuiles leges, vt legata pia valeant cum duobus tantum teſtibus. Nam piæ cauſæ directè ſub poteſtatem ſpiritualem cadunt. Leges item ciuiles, quæ in multis caſibus ſecundas nuptias prohibent, & puniunt, per canones derogantur, vt conſtat ex titulis de ſecundis nuptijs, & ſic de alijs. At verò quando materia legum ciuilium eſt purè temporalis, tunc ſolùm indirectè corriguntur per Pontifices, quando vel peccatis fauent, vel illis occaſionem præbent. Vt ſunt leges concedentes præſcriptionem cum mala fide, quæ per canones ſublatæ ſunt, vt conſtat. Idemque eſt de legibus permittentibus vſuras, concubinatus, &c. Vel etiam quando ſunt minus conſentaneæ æquitati naturali, vt ſunt leges negantes alimenta filijs ſpurijs, quæ per canones temperantur. Atque eadem ſeruata proportione ſi lex aliqua ciuilis ad ſpirituale bonum regni iudicaretur conueniens, & Reges in ea ferenda negligentes eſſent, poſſet Pontifex auctoritate ſua illam ferre, vt fecit Pius V. dando formam conſtituendi cenſus, quæ materia ſatis temporalis eſt; forma autem viſa eſt conueniens ad pericula vſurarum vitanda, & ita interuenit eadem ratio indirectæ poteſtatis.

Quibus addi poteſt alius modus irritationis legum ciuilium ex vi Eccleſiaſticæ poteſtatis, nimirum, quando diſponunt in materia purè canonica, vt ſunt illæ, quæ de clericis, vel rebus Eccleſiaſticis in particulari feruntur, & aliæ ſimiles, quæ libertati Eccleſiaſticæ derogant. Hæ tamen leges ipſo iure naturæ irritæ ſunt, & per canones potius irritæ declarantur, quàm fiant, quia in aliena materia, & extra ſphæram iuriſdictionis temporalis verſantur: poſſunt tamen dici, virtute ſpiritualis poteſtatis irritari, quaſi in radice, quando materia illa per ſpiritualem poteſtatem canonica effecta eſt, & pro Eccleſiaſtico foro reſeruata. Hoc enim etiam poteſt virtute iuriſdictionis ſpiritualis fieri, quando materia illa diuinum cultum, vel religionem concernit, vt in materia de legibus latiùs dictum eſt. Extantque de huiuſmodi legibus obuia exempla in iure canonico ſub titulis de Immunitate Eccleſiarum, & ſub titul.de Conſtit. & plura ea illis adducit Gloſſ. in Extrauagant. Quia in futurum Ioannis 22. verb.Torneamenta. Extra ius verò commune optimum ſumitur ex epiſtola Ludouici Galliæ Regis ad Pium II. in qua inter alia ſic inquit: [Sicut mandaſti pragmaticam ſanctionem ſedi infenſam à regno noſtro, noſtroque Viennenſi delphinatu, & omni ditione noſtra per præſentes pellimus, deijcimus, ſtirpituſq; abrogamus.

Et quod de legibus dictum eſt, de iudicijs, ac ſententijs poteſt cum proportione intelligi, nam directè non poteſt Papa ſæcularia iudicia vſurpare, in caſu verò ad ſpirituale bonum neceſſario, poteſt, vel iniquam ſententiam irritare, vel cauſam aliquam temporalem ad ſe auocare, Præſertim quando inter eos lis verſatur, qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcunt, & ad commune bonum Eccleſię conueniens iudicatur. Sicque dixit Innocent.3. in cap. Per venerabilem, Qui fil.ſint legit. Super patrimonium Petri plenam ſe exercere poteſtatem, In alijs autem regionibus, ait, certis cauſis inſpectis temporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus.] Et ferè idem in ſententia dixit Bernard. lib.1. de Conſiderat. nam in cap.6. dicit, temporalia iudicia ad Pontifices non pertinere, addit verò in cap. 7. [Sed aliud eſt incidenter excurrere in iſta, cauſa quidem vrgente, aliud verò incumbere iſtis tamquã magnis.] Ratio eſt, quia, ad manus Pontifices ſpectat impedire publica peccata, eorumque occa-

siones morales, præsertim quæ cum vi aliqua, vel authoritate inferuntur, auferre; ergo si leges ciuiles, vel iudicia sæcularia fouent peccata, aut illorum occasionem præbent, possunt per Pontificem, vel irrita declarari, vel etiam irritari, vt rectè dixit Victor. Relect. 1. de Potestat. Eccles. q. 3. §. Vtrum potestas spiritualis sit supra, &c. num. 13. Simili etiam modo ad Pontificem spectat, promouere fidem, religionem, & pietatem & ideo in earum fauorem potest aliquid statuere, & præcipere, vt seruetur, non obstante quacumque lege ciuili.

Alter vsus spiritualis potestatis esse potest in dirigenda temporalia, quatenus potestatem, & vires exequendi, seu ministrandi habet. Potestque hic vsus esse duplex, vnus est cohibendo abusum illius potestatis: alter mouendo ad necessarium vsum, & si opus fuerit in auxilium fidei, vel defensionem Christianæ Religionis, illum imperando. Ad vtrumque igitur residet in Pontifice potestas. Et de priori quidem res est per se euidens, quia vt dixit Innocentius III. in cap. Nouit. de iudicijs, cohibere peccata proprium est spiritualis potestatis, & maximè ad id tenetur, quando sunt publicè nociua, & contra commune bonum, sed talis est abusus illius potestatis Regiæ ad nocendum, & iniustum bellum inferendum; ergo sine dubio in hoc subditur Rex Pontifici, qui ei possit talem potestatis suæ vsum prohibere.

Quod autem, etiam posteriori modo possit Pontifex Regibus imperare, probatur, quia Principes Christiani, vel ex officio suo, vel ex iustitia quadam legali, qua membrum Reipublicæ illi subuenire obligatur, vel ex charitate Christiana Ecclesiam defendere, eique auxilium conferre tenentur. Ergo necessitate, vel causa exigente potest Pontifex vt spiritualis Pastor tam vniuersalis Ecclesiæ, quàm ipsorum Principum, eos mouere ad vsum potestatis suæ, eos excitando, & obligando per imperium. Assumptum ex terminis videtur notum, quia omnes Christiani sunt membra vnius corporis Ecclesiæ, membra autem vt ait Paul. 1. ad Corinth. 12. pro inuicem, & maximè pro bono totius corporis sollicita esse debent, vnumquodque iuxta suam potestatem, & dignitatem; ergo quando Principis potentia necessaria est, hæc sollicitudo, & cura ei maximè incumbit. Vnde Leo Papa epist. 75. ad Leonem Augustum: [Debes, inquit, incunctanter aduertere Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.] Et Gregorius lib. 2. indict. 11. epist. 61. seu cap. 100. [Ad hoc potestas pietati Imperatorum data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur: & terrestre regnum cœlesti regno famuletur.] Et optimè Augustinus epist. 50. tractans illud Psalm. 2. [Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, seruite Domino in timore; Aliter, inquit, seruit, quia homo est, aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei seruit, viuendo fideliter, quia Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Vnde Concil. Parisiens. sub Ludouic. & Lothar. lib. 2. cap. 2. [Rex, inquit, primo defensor esse debet Ecclesiæ, seruorum Dei, &c.] Ideòque iidem Ludouicus, & Lotharius Imperator ad Eugenium Papam scripserunt. [Veraciter nos debitores cognoscimus, vt his, quibus regimen Ecclesiarum, & ouium Dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad diuinum cultum pertinentibus, opem, & auxilium pro qualitate virium nostrarum, & intellectus nostri capacitate feramus.] Et catholicus Imperator Carolus V. in edicto Wormaciensi. [Ad honorem, dixit, Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio debito, necnon zelo, & studio, quo nostrorum maiorum more, & ingenita etiam nobis vi ad defensionem catholicæ fidei, sanctæque Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ honorem, tutelam, & protectionem omnes nostras vires, & facultates, imperium, regna, dominium, vitam denique, & animam ipsam exponere sumus parati.]

Ex his autem illatio superiùs facta facilè monstratur. Nam si Rex, aut Princeps in hoc auxilio Ecclesiæ præstando sit negligens, sine dubio potest Pontifex illum excitare, & præcipiendo mouere. Primùm ex illo principio supra probato, quia Papa non solùm est Pastor Regis vt hominis, sed etiam vt Regis, quia in vtroque munere se rectè gerere debet, vt saluari possit, & Deo placere; ergo potest Pontifex curare, & illi præcipere, vt Regis obligationem in hac parte adimpleat. Deinde quamuis non ita vrgeret Ecclesiæ necessitas, vt ex lege ipsa charitatis quasi naturalis oriretur obligatio, sufficiente causa interueniente, posset Pontifex illam imponere, quia præceptum esset iustum: nam in ordine ad spiritualem finem esset rationi cõsentaneum, ac subinde esset legitima potestate impositum. Quia cum Pontifex sit caput, & superior in spiritualibus, potestatem habet imponendi ea præcepta, quæ in ordine ad spiritualem finem, & bonum Ecclesiæ, iusta, & prudentia sunt.

Atque hac ratione dixit Bonifacius Papa in Extrauag. Vnam sanctam, de maiorit. & obed. tacitè approbans sententiam Bernardi lib. 4. de consider. cap. 3. in Sede Petri non solùm esse spiritualem gladium, sed etiam temporalem: [Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus; ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotis, quia oportet, gladium esse sub gladio.] Quod latè probat, ostendendo, debitam Ecclesiæ institutionem hunc ordinem postulare, & concludit: [Romano Pontifici omnem humanam creaturam subesse definimus, & pronunciamus omnino esse de necessitate salutis.] Atque eodem modo Nicolaus Papa II. de Romana Ecclesia loquens, inquit: [Eam solus ille fundauit, qui Beato æternæ vitæ Clauigero terreni simul, & Cœlestis imperij iura commisit,] vtique cœleste per se exercendo, terrenum verò ipsius potentia vtendo, illam per imperium, si opus fuerit, efficaciter excitando; Et hoc modo idem Pontifex in epist. ad Episcopos Galliæ, illis, eorumque defensoribus mandat, [vt spirituali simul, & temporali gladio malignos quosdam vsque ad recupera-

ratio-

rationem bonorum Ecclesiæ insequantur.] Quod cum partitione accommoda accipiendum est, nam Episcopi spirituali gladio, defensores autem, idest Patroni, vel Principes gladio materiali Ecclesiam defendere præcipiuntur.

Multa similia sumi possunt ex Decreto dist.96. cap.Si Imperator, vbi Ioannes Papa, ait, [Ex Dei ordinatione omnes seculi potestates Ecclesiæ debere esse subiectas;] & Gelasius capite Duo sunt, ad Imperatorem Anastasium scribens: [Nosti (ait inter alia) ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi voluntatem, &c.] Idem in cap.Quamuis, dist.22. Innocentius I. in cap. Quoties, 24.qu.1. Similia habentur ex Gregorio VII.in cap. Quis dubitet, & ex Innocentio III. in cap.Solitæ, de maiorit.& obed. vbi potestatem Pontificiam ita ad imperialem comparari ait, sicut animam ad corpus, vel sicut Solem ad Lunam. Idem in cap.Per venerabilem, qui filij sint legitimi, in hoc sensu dixit, [certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem in alijs etiam regionibus casualiter exercemus,] idest, non directè sicut in proprio patrimonio Ecclesiæ, sed indirectè, quando ratio spiritualis finis id postulat. Quod confirmat ex Deuteron.17.[Si quid difficile, & ambiguum, &c.] & ex 1.Cor.6.[Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia.] Sic denique accipiendum est, quod Bernardus supra, & epist.256. ad Eugenium dixit: [Exerendus nunc est vterque gladius. Per quem autem, nisi per vos? Petri vterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse euaginandus.] Expendenda est enim illa particula, [suo nutu,] est enim de voluntate iusta, & prudenti intelligenda, vt per alteram particulam, [Quoties necesse,] satis declaratur. Supponit autem hæc voluntas potestatem, quæ eminenti quadam ratione materialis gladius appellatur, quatenus per illam efficaciter moueri potest. Est ergo in Pontifice quoad hanc etiam partem potestas directiua in Principes temporales. Atque ita satis declarata, & probata est assertio posita; quæ in capite sequenti amplius confirmabitur.

CAP. XXIII.

Pontificem Summum potestate coerciua in Reges vti posse, vsque ad depositionem etiam à Regno, si causa subsistat.

HIc est, vt dixi, cardo, & præcipuus scopus præsentis controuersiæ. Nam Rex quidem Iacobus, qui Pontificis iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam, & præcipuè in Reges abnegat, de directiua potestate, parum sollicitus est. At verò potestatem coactiuam Pontificis anxiè timet, eam præcipuè, quæ vsque ad regni expoliationem protendatur, quia persistendo in errore suo non credit se esse in suo sceptro securum, si à subditis suis talis potestas in Pontifice esse credatur. Vt ergo liberè possit in sua cæcitate persistere, Ecclesiam Christi vult omni remedio contra hæreticos Principes priuare. Quod ante illum etiam Marsilius Patauinus, & alij Ecclesiæ hostes commenti sunt. Contrarium autem docent omnes catholici Doctores, quos suprà commemoraui, & latiùs Bellarminus in nouo opusculo allegato eos allegat, estque non minùs certum, quàm cætera, quæ dicta sunt. Immò si ea ponderentur attentè, & dictum refutate errorem, & veritatem catholicam, vsu, auctoritate, & ratione comprobatam defendere, difficile non erit.

Primum enim in Pontifice esse potestatem ad coercendos temporales Principes iniquos, & incorrigibiles, & præsertim schismaticos, & pertinaces hæreticos, euidenter ex dictis sequitur. Quia vis directiua sine coactiua inefficax est, teste Philosopho Aristot. lib.10. Ethic. cap. vlt. ergo si Pontifex habet potestatem directiuam in Principes temporales, etiam habet coactiuam, si iustæ directioni per legem, vel præceptum obedire noluerint. Probatur consequentia, nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & optimè instituta; ergo si Pontifici dedit potestatem directiuam, dedit coactiuam, quoniam institutio aliter facta esset imperfecta, & inefficax. Vnde contraria ratione docent Theologi, non habere Ecclesiam potestatem actus merè internos præcipiendi, quia de illis iudicium ferre non potest, & consequenter neque pro illis pœnam imponere, quod ad vim coactiuam pertinet, vt auctor est Diuus Thomas 1. 2. quæst 16. artic.4.& 100. artic.9. Ergo à contrario, cùm Pontifex possit imperando efficaciter dirigere potestatem temporalem in actibus suis, potest etiam cogere, & punire Principes sibi non obtemperantes in ijs, quæ iustè præcipit.

Atque hæc ratio sine dubio erat sufficiens, quia verò aduersarij scripturas exigunt, ex illis etiam possumus veritatem hanc non obscurè confirmare. Paulus enim 2.Corin.10. prius sic inquit: [Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.] Et infrà subiungit: [In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.] Et infrà: [Nam & si ampliùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.] In his autem verbis apertè docet Apostolus, habuisse à Deo potestatem vindicandi, & puniendi omnem inobedientiam quorumcumque fidelium quantum ad Ecclesiæ ædificationem, & bonum oportuerit, potestas autem vlciscendi, seu puniendi coactiua est, vt per se constat. Vnde Chrysost. ibi homil.22. sic inquit: [Ad hoc potentiam accepimus vt ædificemus: Quod si quis obluctetur, & dimicet, atque ita affectus sit, vt nulla ratione sanari possit, tum demum altera quoque facultate vtamur, eum diruentes, ac prosternentes.] Theophylat. etiam ita exponit. [In promptu habemus pœnam, & vltionem.] Et infrà. [Præcipuè quidem ad ædificationem accepi (vtique potestatem) sin quisquam fuerit incurabilis, demolitione vtemur.] Et infrà. [Si voluero (inquit) gloriari, quod Deus aliquid ampliùs mihi dederit, vt potestatem habeam benefaciendi in primis, & quando cogor

cogor etiam puniendi, non erubescam, hoc est non monstrabor arrogans, aut mendax.] Atque eodem modo ad literam exponunt Theodoret. & alij Græci, & ex Latinis Anselmus, & Caietanus ibi, & Diuus Augustinus epist. 50. dum hoc testimonio vtitur ad probandum, posse Ecclesiam hæreticos pœnis ad resipiscendum cogere.

Eandemque vindicandi potestatem nomine virgæ significauit Paulus 1. ad Corint. 4. cum dixit, [Vultis in virga veniam ad vos,] iuxta Scripturæ phrasim, [Reges eos in virga ferrea,] psalm. 2. & locis similibus, & psalm. 22. [Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt,] vt exponit Hieronym. Zachar. 1. Idemque sentit de prædictis verbis Pauli ad Galat. 6. clariùs ita exposuit Augustinus lib. 3. contra epistolam Parmen. cap. 1. dicens, [Iam hic apparet, eum loqui de vindicta, ad cuius significationem virgam nominauit.] Et Ambros. epist. 18. ad Marcelli sororem: [Quem virga sacramentis abdicauit cœlestibus, eundem mansuetudo restituit.] Et lib. 1. de pœnit. cap. 12. [Quid esset in virga venire docet inuectio fornicationis, accusatio incesti, reprehensio tumoris, postremo condemnatio rei.] Idem in sententia habent Gregor. lib. 1. epist. 4. & Tertullianus lib. de pudicit. cap. 14. vt expositores in eumdem locum prætermittam.

Nec video, quid ad hæc loca responderi possit, nisi fortasse, vel Paulum loqui ad communem plebem Ecclesiæ sibi subiectam, non de Regibus, qui superiores sunt: vel loqui de potestate sibi specialiter concessa, ex qua non licet, ad ordinarium Ecclesiæ regimen argumentari. Sed vtrumque futile est. Cur enim sermo Pauli Reges Christianos, & inobedientes, & pertinaces non comprehendit? Num ne, quia tunc nulli erant in Ecclesia temporales Reges? At fortasse tunc etiā non erant in Ecclesia Angli; ergo etiam illos omnes non comprehendet? Vel fortè quia Reges sunt in potentia, & dignitate temporali altiores? at hoc non obstat, quo minus iugo Christi, & Ecclesiasticæ potestati subditi sint, vt ostendimus, ergo si illa potestas coercina est malorum Christianorum, teste Paulo, est etiam punitiua Regum Christianorum, vel si Rex Angliæ exemptum se esse gloriatur, aut se non Christianum fateatur, aut priuilegium diuinum ostendat, & exemptionem verbo Dei factam, alioqui à causa iure cadit, licet facto resiliat. Quamuis autem potestas illa Pauli quantum spectat ad personam, & Apostolicam dignitatem eius, cum illo fuerit extincta, non sequitur in Ecclesia non perpetuo manere quia illa eadem potestas perfectiùs fuit in Petro ordinario iure, & vt ei succederetur, quia ad munus pascendi, & conseruendi Ecclesiæ regimen necessaria erat, vt in superioribus ostensum est.

Et confirmatur tamdem ex potestate ligandi, & soluendi singulariter data Petro, nam potestas ligandi etiam potestatem coercendi, & puniendi includit. Et si aduersarij hoc negauerint, oportet, vt exceptionem ostendant, nam Christus vniuersim loquutus est, dicens, [Quæcumque ligaueris.] Accedit, quod ipsemet Christus ita potestatem illam interpretatus est, Matth. 18. Nam cum dixisset: [Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus, subiungit quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlis.] Quasi diceret, si Ecclesiæ liganti non obedierit, sit tibi tamquam ethnicus, quia non deerit in Ecclesia potestas ad ligandum ita efficax, vt quod ipsa ligauerit, in cœlo etiam ligatum iudicetur. Et ita licet Caluinus, & sequaces locum hunc, sicut cætera, deprauent, ex illo semper Ecclesia intellexit, esse in Pastoribus suis potestatem coercendi, saltem per excommunicationis censuram, quæ est spiritualis pœna. Quod tempore Apostolorum esse in Ecclesia vsitatum, Paulus satis ostendit 1. ad Corint. 5. & ita esse perpetua traditione seruatum, omnia iura, omnia Concilia, omnia decreta Pontificū, omnia sanctorum Patrum scripta, denique omnes historiæ testantur, vt ea in medium adducere superuacaneum sit. Maximè verò contra hæreticos esse necessariam huiusmodi coercitionem, satis ostendit Paulus ad Tit. 3. dicens, [Hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem deuita.] Et illud 1. Ioann. 3. [Nec aue ei dixeritis.]

Solùm id, quod ad causam maximè refert, non prætermittam nimirum, hac censura sæpe vsos esse Pontifices contra Imperatores, & Reges, compertissimum esse. Innocentius enim I. excommunicauit Archadium, & Eudoxiam ob crimina contra sanctum Chrysostomum commissa, vt patet ex vltima epistolarum eius, & ex Nicephor. lib. 13. cap. 34. idemque retulit Gregor. VII. lib. 8. Regis cap. 21. Gregorius II. Synodico anathemate obstrinxit Leonem Imperatorem cum sectatoribus eius in euersione imaginum, vt ex Zonara, & alijs refert Baron. ann. 726. num. 24. Idemque postea Gregor. III. confirmauit, vt Platina refert. Idem Gregor. VII. Henricum IV. Imperatorem sæpius ad monitum excommunicauit in Romana Synodo, vt habetur in lib. 3. epistolarum eius. Epistola quinta, & decima. Illamque sententiam à successoribus Pontificibus, & à Concilijs confirmatam eruditè defendit Cardinalis Bellarmini contra Barclaium cap. 9. Idemque Gregorius VII. in alio Romano Concilio Imperatores, Reges, & alios temporales Principes vsurpantes inuestituras Episcopatuum, vel aliarum dignitatum Ecclesiasticarum, vinculo excommunicationis ipso facto astrinxit, vt habetur lib. 7. epistolar. post epistol. 14. Idemque Poloniam propter grauissimum Regis delictum in sancti Stanislai occisione commissum interdixit, vt est apud Baron. an. 1079. num. 40. Præterea Alexand. III. Fridericum I. Imperatorem excommunicauit, vt refert Platina in Alexand. III. vbi etiam multa alia commemorat, quæ hanc supremam potestatem in Pontifice ostendunt. Postea Innocen. III. Othonem V. Imperatorem anathemate notauit, vt ait, Platin. in vita eius. Gregor. IX. Frideric. II. excommunicauit, vt habetur ex cap. ad Apostolicæ, de sentent. & re iud. in 6. Ioannes denique XXII. Ludouicum Bauarum intrusum Imperatorem excommunicauit, vt latè refert Albert. Pighius lib. de Visibil. Monar. cap. 14. Præterea potestatem hanc in Ecclesia supponit Concilium Lateranense, sub Innoc. III. cap. 3. cùm iubet,

bet, vt si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur seculares potestates, quibuscumque fungantur officijs, vt pro defensione fidei publicè iuramentum præstent, & cætera. Quæ forma ferendi censuras, quæ Reges, Imperatores comprehendant, frequentissima est, & non est nouiter vsurpata, sed antiqua satis, cum in priuilegio quodam concesso à Gregor. I. Monasterio sancti Medardi inueniatur, vt post illius epistolas habetur. Eumque Gregorij locum refert Alter Gregorius Septimus, idemque argumentum ex illo sumit lib. 8. Regist. ep. 21. ad Herimetensem.

Basilius etiam Imperator eamdem in Pontifice potestatem supra Imperatores in Octaua Synodo action. 6. confessus est, dicens [Nicolaus Papa cum sancta Romanorum Ecclesia anathema pronunciauit contra resistentes huiusmodi decreto, atque sententiæ. Hoc autem nos olim scientes, & parentes iudicium anathematis promulgari, obsecundare Synodico iudicio Romanæ Ecclesiæ necessarium duximus.] Eamdem recognouit Philippus I. Rex Galliæ, qui excommunicatus ab Vrban. II. & postea à Paschali resipuit, & Romam pro solutione misit, vt videri potest in Baron. anno 1100. & 1101. Eamdem agnouit Ludouic. Rex Galliæ cùm ad Alexandrum III. scripsit enixè postulans, vt contra Regem Angliæ pro morte sancti Thomæ Cantuariensis potestate sua vteretur, Et Henricus ipse Rex Angliæ resistere non est ausus, & pœnitentiam à Pontifice impositam humiliter suscepit, vt Platina refert. Simile exemplum refert Petrus Blesens, epist. 145. de Eleonora Angliæ Regina, quæ in defensionem suam, & filij sui iniustè à Rege Galliæ in carcere detenti, auxilium Summi Pontificis, & vsum spiritualis gladij contra Regem postulauit. Denique eamdem potestatem in Pontifice agnoscebat Rex Angliæ, qui Regem Galliæ ad Innocent. III. detulit, vt eum corriperet, & si ipsum audire nollet, excommunicaret, vt ex cap. Nouit. de Iudicijs colligimus, vbi Pontifex habet illa verba, [Non intendimus iudicare de feudo.] Et infrà. [Sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus.] Vnde de eodem Innocent. III. refert Matt. Paris. anno 1204. Ioannem Angliæ Regem excommunicasse, & Regnum ipsum interdixisse.

Quapropter ipse etiam Marsil. Padnanus vt referunt non est ausus negare, posse Pontificem coercere Principes, & Reges, præsertim hæreticos per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, vel etiam interdicti, sed negauit posse vlterius contra illos procedere. Et Rex Iacobus in defensione sui iuramenti fidelitatis non tam acriter videtur resistere potestati excommunicandi, quam temporaliter puniendi, ideoque, hoc maximè titulo illud iuramentum defendit, quod per illud non cogat subditos abiurare potestatem Papæ ad excommunicandum Regem, sed solùm ad priuandum illum Regio dominio, ac potestate. Existimat enim vt in præfat. pag. 12. dicit, [Abdicandorum Regum ius nullo legitimo titulo Pontifici quæsitum esse. Et hanc, quam vocat, iniustam Paparum vsurpationem, & violentiam secularem excommunicationis, quæ spiritualis censura est, longè, latèque excedere.] Ex quibus verbis satis constat non ita spiritualem censuram, sicut temporalem coercitionem aduersari.

Superest ergo, vt & contra ipsum, & contra Marsilium, & alios vlterius procedamus, eamdemque Pontificis potestatem ad coercendos Reges temporalibus pœnis, ac Regnorum priuationibus, quando necessitas postulat, extendi posse, ostendamus. Quod eodem fere discursu ex eisdem scripturæ locis sufficienter fieri potest. Nam Christus Dominus dedit Petro, & successoribus potestatem corrigendi omnes Christianos, etiam Reges, & consequenter si inobedientes, atque incorrigibiles sint, eos coercendi, ac puniendi, sed hanc potestatem non limitauit ad censuras Ecclesiasticas; ergo nec potest à nobis, vel ab aliquo Ecclesiæ Principe limitari, sed ad ipsummet Romanum Pontificem pertinet decernere, & determinare pœnam conuenientem iuxta occasionem, vel necessitatem occurrentem. Priorem propositionem satis iam probauimus, posteriorem autem ex verbis Christi sæpe adductis, & rectè perpensis ostendere possumus. Nam verbum Christi; [Pasce oues meas,] indefinitum est, vnde quatenus in verbo pascendi includitur etiam potestas coercendi, quæ in omni Pastore necessaria est, talis potestas non definitur ad censuras, sed relinquitur determinanda ad modum pœnæ, seu coercitionis per prudentiam, & iustitiæ æquitatem. Nam quilibet Pastor habet potestatem ad coercendas oues, non secundum determinatum modum, sed prout fuerit conueniens, & expediens ouibus.

Deinde hoc etiam colligimus ex alijs Christi verbis: [Quodcumque ligaueris,] nam illa etiam generalia, & indifferentia sunt. Quod si quis dixerit Matth. 18. fuisse declarata, & determinata ad ligamen censuræ. Respondemus, declaratum ibi esse in illa generali potestate ligandi includi excommunicationis vinculum, non tamen ad illam solam pœnam imponendam potestatem illam limitari. Tum quia nulla talis limitatio ex illo contextu colligitur, tum etiam quia licet ibi solius excommunicationis facta sit mentio, nihilominus aliæ censuræ sub illam potestatem cadunt, vt interdictum, suspensio, & aliæ item Ecclesiasticæ pœnæ. Immò etiam vinculum præcepti, & legis sub illa potestate includitur, & ex vi talium verborum potestas illa vt directiua est, non determinatur ad hunc modū directionis per personale præceptū, vel per stabilem legem hoc, vel illo modo obligantem, sed omnem conuenientem directionem indefinitè complectitur. Idem ergo est de coactione. Et ita ex illo loco colligit hanc potestatem Innoc. IV. cum Concil. Lugdun. in cap. ad Apostolicæ, de sentent. & re iud. in 6.

Præterea potestatem hanc adumbratam esse in facto Petri, ad cuius increpationem Ananias, eiusque vxor mortui sunt, indicat Beda lib. 3. in Luc. cap. 40. dicens, verbis Apostoli Petri Ananiam, & vxorem eius cecidisse, quia expediebat in nouo etiam testamento fieri interdum licet rarius, tales vindictas ad aliorum correctionem. Et in lib. 3. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ cap. vlt. dicitur nomi-

ne

ne Augustini, id factum esse, vt [Apostolica auctoritas quanta esset,ostenderetur, & quam magnum fuisset peccatum, & vt cæteri illo exemplo castigarentur.] Clarius Gregor. lib. 1. epist. 24. tractans de munere Pastoris, & de benignitate, & seueritate, ac zelo iustitiæ, quem requirit, Petrum in exemplum adducit, dicens. [Hinc est namque, quod Petrus auctore Deo sanctæ Ecclesiæ Principatum tenens, à bene agente Cornelio immoderatius se venerari recusauit, & cum Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excreuisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu scrutante deprehendit, & Summum se in Ecclesia contra peccata recoluit.] Itaque licet factum illud extraordinarium fuerit, & speciali Spiritus sancti instinctu, ac virtute factum, nihilominus vt infra ait Gregorius. [Zelus vltionis vim aperuit potestatis.]

Et eamdem ostendit Paulus 1. ad Cor. 5. quando fornicarium illum non solum excommunicauit, sed etiam [tradidit Sathanæ interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini:] quod enim ait, in interitum carnis, clare indicat præter spiritualem censuram, etiam per corporalem vexationem fuisse punitum, & ad pænitentiam agendam coactum, vt spiritus eius saluus fieret. Sicque exponit locum illum Chrysost. ibi Orat. 15. dicens, ita fuisse illum traditũ dæmoni ad interitum carnis, sicut Iob, licèt non pro eadem causa, vt [eum flagellet, ait, malo vlcere, aut morbo alio] Theophil. [Vt morbo eum maceret, & tabescere faciat:] Anselm. etiam licèt aliam expositionem adiungat in hac magis persistit. Nam in fine cap. 24. explicans actus virgæ, id est, Apostolicæ potestatis ad coercendum ait: [Alios excommunicando, alios durè increpando, alios corporaliter (vt decet patrem) flagellando.] Et postea cap. 5. interitum carnis significare dicit: [validam corporis afflictionem per diabolum factam.] Refertque habuisse Apostolum potestatem: [vt si quem excommunicasset, statim ille corriperetur à diabolo, & vexaretur quamdiù, & quantum Apostolus vellet.] Qui modus vexationis singularem virtutem quasi executiuam, vel dæmonis imperatiuam requirebat, quæ communiter alijs non datur: sed nihilominus supponit iurisdictionem ad cogendum non sola excommunicatione, sed etiam modis alijs. Eandemque expositionem significat Pacian. in Parænesi de Pœnit. dum ea illo loco colligit, necessariam esse interdum corporis pœnam, & afflictionem, & similiter Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 12. quatenus cum afflictionibus Iob illum interitum carnis comparat, sicut fecit Chrysostomus. Igitur iuxta hanc Patrum expositionem ex illo loco habemus Ecclesiasticam correctionem, & vindictam non in sola spirituali censura sistere, sed etiam interdum in corporis afflictione, ac proinde Pastores Ecclesiæ temporali punitione in ordine ad spirituale bonum vti posse.

Secundo possumus veritatem hanc auctoritate, & praxi Ecclesiæ ostendere. Nam ex his Pontificibus, quos Imperatores, & Reges excommunicasse diximus, Gregor. II. Romam cum totam Italiam à Leonis imperio recedere fecit, vt ex Theophane refert Baronius anno 730. n. 3. & 4. Idemque tribuit Gregor. III. Sigebertus in Chronic. anno 731. dicens: [Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum, & vectigalia Hesperiæ ab eo auertit.] Gregorius autem VII. Henricum IV. & imperio, & regno priuauit, vt constat ex sententia supra citata, cuius hæc sunt verba: [Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina, quæso, aures tuas nobis.] Et infrà. [Hac itaque fiducia fretus pro Ecclesiæ honore, & defensione ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti per tuam potestatem, & auctoritatem Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos à vinculo iuramenti, quod sibi fecere, vel facient, absoluo, & vt nullus ei sicut Regi seruiat, interdico.] Similiter Innocentius III. Othonem, quem excommunicauit, imperij titulis priuauit, vt ait Platina. Item Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi Fridericum II. Imperatorem à Gregorio IX. iam excommunicatum, imperio priuauit, non solum subditos à iuramento fidelitatis absoluens, sed etiam [Auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori, vel Regi pareat, & intendat.] Et excommunicationis censura ipso facto ligando eos, qui deinceps illi tanquam Imperatori, vel Regi Consilium vel auxilium præstiterint, seu fauorem. Tandem Clemens VI. Ludouicum Bauarum, qui iniquè imperium occupauerat, iam à prædecessoribus suis excommunicatum, imperio deiecit, aliumque legitimum Imperatorem, nimirum, Carolum IV. eligi fecit.

Præter hæc autem, quæ ad Imperium spectant, in Regno Galliæ, Zacharias Papa in simili casu titulum regni à Childerico Rege in Pipinum transtulit, vt est apud Gregor. VII. lib. 8. Registri: epist. 21. cap. Alius 15. quæst. 6. Baron. anno 751. in princip. & anno 841. n. 3. Vbi etiam refert mutationem factam in regno Galliæ tempore Lotharij Imperatoris, & Ludouici, ac Caroli fratrum, qui auctoritate freti Episcoporum, regnum inter se diuiserunt, & Lotharium ob sua scelera illo priuatunt. Bonifacius etiam 8. Philippum Pulchrum Galliæ Regem regno priuatum declarauit, & illa occasione Extrauagant. Vnam Sanctam. de Maiorit. & obedient. edidit, & refert Aemilius in vita eiusdem Philippi, Gregorius item VII. quando Poloniam propter Stanislai interfectionem interdixit, Regem Bonislaum regno priuauit, teste Cromerio lib. 4. rerum Poloniæ. Insigne verò exemplum in ipsamet Anglia habemus in Ioanne Rege, quem, cùm ingentia crimina cõtra Religionem, Sacerdotes, & alios innocentes committeret, & ab Innocentio III. sæpius admonitus, vt inobediens, ac pertinax resipere nollet, sed potius quotidie deterior fieret, idem Innocentius post magnam cum Patribus consultationem (vt Polydorus ait) Regia dignitate abdicauit, populosque illi subiectos iure iurando absoluit, & Christianos Princeps de ea re certiores factos, vt Ioannem tanquam Ecclesiæ hostem per-

persequerentur admonuit. Qua sententia deterritus Ioannes,& imminentis periculi timore perculsus, tandem iurauit, se Pontificis arbitrario statutom, & diadema capiti ademptum Pandulpho Pontificis Legato tradidit, nunquam id ipse, aut hęredes accepturi, nisi à Pontifice Romano. Hæc Polydorus lib. 15.

At verò hæc omnia,& similia non temerè, nec in angulo, sed aliqua ex illis in Concilijs frequentissimis,& aliquando in generali, vt in Lugdunensi acta sunt. Et in conspectu totius Orbis Christiani, à quo approbata, & executioni mandata fuerunt; ergo incredibile est, fuisse actus vsurpatæ, & non veræ potestatis. Accedit Concilio Lateranense sub Innocentio III.cap.3.eamdem potestatem supponere, dicens: [Si Dominus temporalis monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum excommunicetur. Et si satisfacere neglexerit intra annum,significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse vassallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, &c.] Ex quibus omnibus tale concluditur argumentum. Vniuersalis Ecclesia errare non potest in his, quæ ad fidem, & mores pertinent, sed vniuersalis Ecclesia consensit in huiusmodi facta, & illa probauit tanquam consentanea diuino, & naturali iuri, & similiter approbat leges canonicas impon&etilde;tes huiusmodi pœnas Principibus temporalibus propter grauissima scelera, & contumaciam in illis, maximè, que in hęresi, ergo tam est certum, posse Pontificem, coercere, vel punire Principes temporales his pœnarum generibus, quàm est certum, non posse Ecclesiam in fide, & moribus errare.

Tertiò declaratur ratione hæc veritas, nam duplici titulo erat necessaria hæcpotestas in supremo capite, & Pastore Ecclesiæ; scilicet, & propter ipsos Imperatores, seu Reges, ac quosuis temporales Principes,& propter populos illi subiectos. Priori titulo necessaria est hęc potestas, vt possit Pontifex, vel rebellem Principem corrigere, & emendare, vel etiam dignè punire. Vtrumque enim ad Pastorem pertinet sæpè autem contingit, vt solæ censuræ ad illos effectus non sufficiãt, vt diuturna experientia satis ostendit; ergo necessariò dicendum est Christum Vicario suo hanc potestatem contulisse, cum non minùs illum constituerit Pastorem Christianorum Principum, quàm cæterę Christianæ plebis. Quo circa quod ad priorem titulum attinet, quando vel solum, vel principaliter agitur de emendatione Principis, qui peccauit, solent maximè Pontifices censura vti, quia illa est propria medicinalis pœna,de qua locuutus est Christus Matthæi 18. Quòd si contingat, Principem per censuram corrigi, & emendari, non solet Ecclesia ad rigorosam vindictam per graues, & publicas pœnas contra eos procedere, potest tamen, & solet pœnas aliquas iniungere, tum ad resarcienda damna,si quæ fortè ab eis illata fuerunt, tum etiam vt tam Deo, quàm vniuersæ Ecclesiæ aliquam satisfactionem tribuant. Nam resarcire danna, & illatas iniurias recompensare, non tam est pœna, quàm restitutio quædam, & debiti solutio, quamuis coactio ad illam illam faciendam, potestatem superiorem requirat. Præter hanc verò recompensationem ex iustitia commutatiua debitam,ratio communis boni, & iustitiæ legalis postulat, vt aliqua pœna in vindictam delicti ad Ecclesiæ satisfactionem, & aliorum exemplum, & timorem adhibeatur. Quando verò non obstante censura Rex contumax est, & incorrigibilis in delicto, tunc grauiores pœnæ adhiberi debent, & huiusmodi sunt ferè omnes casus suprà enumerati, vt notauit Diuus Thomas 3. libro de Regimine Principum cap. 10.

Et confirmari potest hæc pars, quia circa alios fideles, seu Christianos baptizatos habet Ecclesia potestatem non solum ad coercendum illos per censuras ad emendationem delicti,sed etiam ad vindicanda delicta commissa per alias pęnas t&etilde;porales,vel corporales secundùm modum accommodatum Ecclesiastico Iudici, & Pastori; ergo eamdem potestatem habent legitimi Ecclesiæ Prælati, & maximè Summus Pontifex in Principes temporales etiam supremos. Assumptum ex perpetuo vsu Ecclesiæ manifestum est: solent enim Canones imponere pecuniarias pœnas interdum vsque ad bonorum confiscationem. Interdum etiam imponunt pœnas corporales citra vitæ, aut membrorum periculum, vt est flagellationis pœna; interdum etiam vsque ad damnationem ad Triremes; & quando necessaria est pœna sanguinis, licèt Ecclesiastici Iudices illam ferre non soleant propter status decentiam, possunt reum committere Iudici seculari, ei præcipiendo, vt secundùm legum æquitatem illum puniat. Quæ omnia maximè possunt in crimine hæresis considerari, Hæretici enim non solùm ab Ecclesia excommunicantur, & alijs spiritualibus afficiuntur pœnis,sed etiam bonis omnibus temporalibus priuantur, non solùm per leges Imperatorum, sed etiam virtute Canonum. Ac denique si vel contumax fuerit, vel relapsus, per leges Imperatorum capite punitur, per Canones autem secularis Iudicis arbitrio relinquitur, receptutus pro qualitate facinoris vltionem, iuxta cap. Ad abolendam, de Hæreticis, cum similibus.

Has autem pœnas esse iustissimas Ecclesiæ vsus satis conuincit, & defendit optimè Augustinus epist.48.& 50. & lib.3.contra epist. Parmen. cap.2. Esse autem necessariam in Ecclesia Christi, vt ab illo est instituta, hanc potestatem, ratio conuincit, quia si Ecclesiæ subditi non possent per huiusmodi pœnas coerceri, facilè spirituales contemnerent,& plurimũ sibi, ac alijs nocerent. Nam, vt dicitur Prouerb.29. [Puer, qui relinquitur voluntati suæ, confundit matrem suam.] Vnde non esset res Christiana conuenienter instituta, nec illi esset sufficienter prouisum, si non habetet potestatem cogendi rebelles, qui censuris obtemperare nollent. Nec satisfaciet, qui dixerit, satis esse, quod in Christianis Principibus temporalibus sit hæc potestas, tùm quia etiam ipsi Principes possunt delinquere, & correctione indigere, vt iam dicam; tùm etiam, quia vindicta malefactorum per se solùm pertinet ad ciuiles Magistratus, quatenus politico fini, & paci Reipubli-

publicæ, & iustitiæ humanæ contraria sunt; coercere autem illa, vt sunt religioni, & saluti animæ contraria, per se spectat ad spiritualem potestatem, & ideò ad illam maximè pertinere debuit facultas vtendi temporalibus pœnis ad talem correctionem, vel per sese illas inferendo, vel temporalis brachij ministerio vtendo, vt omnia decenter, ordinatè, & efficaciter fiant.

Superest, vt priorem illationem probemus, nimirum, si in cæteros Fideles inferioris ordinis potestatem istam habet Ecclesia, etiã in supremos temporales Principes, in Petro maximè, & successoribus eius eam accepisse. Probatur ergo consecutio ex principio supra posito, quod hi Principes iam sunt oues Petri, quàm reliqui omnes, neque temporalis dignitas, vel potentia eos reddit immunes, seu à tali potestate, vel pœna exemptos, quia neque ex aliquo alio principio, vel ratione colligi potest talis libertas, seu potiùs peccandi licentia. Quin potiùs multò magis necessaria est in Ecclesia potestas hæc ad coercendos huiusmodi Principes, quàm eorum subditos. Primò quidem quia ipsi liberiores sunt, & ita faciliùs labuntur, & semel lapsi difficiliùs corriguntur. Deinde quia Principum peccata, præsertim contraria fidei, & religioni, perniciosiora sunt, facilè enim subditos ad sui imitationem pertrahunt, vel exemplo, vel beneficijs, ac promissionibus, vel etiam minis, ac terroribus. Propter quod meritò dixit Sapiens Ecclesiastici cap. 10. [Rex insipiens perdet populum suum. Nàm qualis est rector Ciuitatis, tales & habitantes in ea.] Quod etiam ducti ratione, & experientia Philosophi docuerunt, vt Cicero ex Platone lib. 1. epistolarum. Vnde idem Cicero libro 3. de legibus rectè etiam dixit: [Viriosi Principes non solùm vitia concipiunt ipsi, sed etiam ea infundunt in Ciuitatem.] Denique quia Principes grauiùs, quàm cæteri delinquunt, & ideò etiam per Pastores suos grauiùs puniri debent; vt de ipsismet Pastoribus dixit Gregor. in pastorali par. 3. cap. 3. & refertur à Nicolao Papa contra Lotharium Regem Galliæ in epistola ad eumdem, & refertur in cap. Præcipuè 11. quæst. 3.

Atque hinc tandem facilè ostendi potest alius titulus huius potestatis in Reges, nimirum, propter defensionem subditorum, nam ad Pastorem non solùm spectat, oues errantes corrigere, vel ad ouile reuocare, sed etiam lupos arcere, & hostibus defendere, ne extra ouile trahuntur, & pereant; sed iniquus Rex, præsertim schismaticus, & hæreticus, subditos constituit in magno periculo perditionis, vt ex proximè dictis notum factum est; & ideò Claudianus dixit: [Regis ad exemplum totus componitur Orbis. Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.] Ergo ad Pontificis munus spectat, subditos hæretici, vel peruersi Principis defendere, & ab illo euidenti periculo liberare; ergo Christus, qui benè, & optimè omnia fecit, & instituit, hanc potestatem Petro contulit, eamque sub verbo [pasce,] & sub potestate ligandi, & soluendi comprehendit. Ergo per illam potest, & talem Principem dominio suo priuare, & arcere, ne noceat subditis, & hos à iuramento fidelitatis soluere, vel solutos declarare, quia illa conditio in tali iuramento semper intelligitur inclusa.

Qui titulus Diuo Thomæ, & probatis Theologis, tam grauis, & efficax visus est, vt per se solus sufficiat ad priuandum Regem infidelem dominio, & potestate supra Fideles, etiamsi prior ratio vindictæ, & iustæ punitionis cesset. Nam iuxta Pauli doctrinam, [de his, qui foris sunt,] Ecclesia non iudicat. Vnde colligunt ijdem Theologi, non posse Pontificem punire Regem ethnicum non baptizatum propter infidelitatem, vel alia peccata. Et nihilominus si habeat subditos fideles, potest eos à subiectione illius eripere propter morale, & euidens euersionis periculum, vt docet diuus Thomas 2.2. q.10. art. 10. Et colligitur ex Paulo 1. ad Corint. 6. reprehendit enim fideles, quòd apud infideles Iudices litigarent, supponitque posse Ecclesiam creare Iudices, qui inter fideles etiam in temporalibus iudicent, ne ad infideles ire cogantur, & ad hoc suadendum ait: [Nescitis, quia & Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?] Quæ verba allegat Gregor. libro 7. epist. 51. & ex illis infert: [Cui ergo aperiendi, claudendique Cæli data est potestas, de terra iudicare non licet? Absit.] Hinc etiam coniux fidelis separari potest à coniuge infideli, si cum illo non possit fine iniuria Creatoris habitare, iuxta doctrinam Pauli 1. ad Corinth. 7. Et ex eadem radice filij baptizati à patrum infidelium potestate, & consortio liberantur, ne illorum iterum inuoluantur erroribus, vt dicitur in Concilio Toletano quarto cap. 59. Ergo simili, vel maiori ratione priuatur Rex Christianus, seu subditus Ecclesiæ ratione Baptismi, potestate, & dominio in vassallos suos; ergo titulus est per se sufficiens, vt possit Pontifex in hos Principes animaduertere, eosque Regnis iure priuare, & ad hoc vti gladio aliorum Principum, & ita gladius sit sub gladio, vt ad propugnandam, & defendendam Ecclesiam mutuo iuuentur.

Possem hoc loco alios titulos explicare, confirmare, ac defendere, quibus potest Romanus Pontifex circa temporalia iustis ex causis disponere, vt fecit in translatione Imperij, & in instituendo modo electionis Imperatoris, & in eius administratione, cùm vacat, & in alijs etiam casibus in temporalibus causis ius dicendo: veruntamen nec huiusmodi operis breuitas hæc omnia prosequi permittit, nec intentioni nostræ, ac instituto necessaria sunt, & ideò ad alios Auctores, qui hæc eruditissimè disputarunt, Lectorem remitto.

CAP. XXIV.

Obiectionibus contra doctrinam superiorum capitum ex Scriptura petitis occurritur.

VT Catholica doctrina, quàm tribus præcedentibus capitibus ostendimus, magis confirmetur, necessarium duximus, in fine huius libri nonnullis obiectionibus, quibus

bus potestas Pontificis in temporales Principes impugnari ab aduersarijs solet, satisfacere. Et quoniam copiosè hoc præstat Cardinalis Bellarminus in vltimo opere contra Barclaium, ideò illas tantùm obiectiones proponam, quæ vel à Rege Angliæ insinuantur, vel nonnullam difficultatem habent, vel quarum resolutio vtilitatem aliquam ad maiorem veritatis manifestationē afferre possit. Aduerto autem (quod in superioribus etiam monui) sæpè in his obiectionibus confundi causam de Primatu, & Potestate Pontificis in laicos, cùm causa de exemptione Clericorum à iurisdictione, & potestate Clericorum, quæ controuersiæ, sicut diuersæ sunt, ità à nobis (sicut ab alijs Catholicis Auctoribus) disputatione separantur, & ideò omnia, quæ ad exemptionem pertinent, in sequentem librum reseruamus, & ibi obiectionibus peculiariter ad rem illam pertinentibus satisfaciemus. Quia verò exemptio personæ ipsiusmet Pontificis Summi cum eius dignitate Diuino,& naturali iure coniuncta est,omnisque subiectio ad Imperatores, vel alios Reges, illius dignitatem obscurare, & minuere videri potest, ideò prætermittere aliqua non possumus ex his, quæ contra Pontificis immunitatem, summamque ab omni humano iudicio exemptionem obijci solent. Et quamvis superior potestas Pontificis in Reges, & Principes, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus distinctis assertionibus quasi per partes, seu gradus à nobis declarata fuerit, quia tamen Rex indistinctè contra Primatum loquitur, idcircò eodem ferè modo obiectiones eius proponemus: respondendo autem, quid per vnamquamque directè oppugnetur, distinctè declarabimus, atque ità singula, quæ à nobis dicta sunt, clariùs, & faciliùs defendemus.

Prima ergo obiectio ex Scriptura sumitur, duasque habet partes, vnam scholastico more vocare possumus positiuam, alteram negatiuam. Priorem indicat Rex in præfat. pag. 14. dùm in generali ait, auctoritatem, & potestatem, quam Pontifices sibi in temporalia Regum iura vsurparunt, nihil aliud esse, quàm ambitiosam tyrannidem contra auctoritatem Scripturarum: & de eadem dicit pag. 22. potestatem à Pontificibus iniquè vsurpatam cum Scripturis pugnare. Quæ autem sint hæ Scripturæ, in illis locis non declarat, sed ad Apologiam remittit, quam totam in auctoritate Regum asserenda impendisse dicit. In Apologia verò solùm inuenio in pag. 15. & 159. quædam Scripturæ testimonia, in quibus obedientia ad seculares Principes, etiam propter conscientiam commendatur. Romanorum 13. cum alijs, quæ ex Nouo Testamento in principio huius libri satis à nobis tractata sunt. Quibus ibi adiungit multa ex Veteri Testamento, quæ duplicis ordinis esse aduerto. Quædam enim sunt, in quibus obedientia Principum etiam iniquorum, & infidelium, vel promittitur, vel laudatur, aut præcipitur, vel alio simili modo stabilitur, vt ex Iosue 1. [Quemadmodùm Moysi obediuimus in omnibus, ità & tibi obediemus.] Et illud Ierem. 27. [Submitite corda vestra subter iugum Regis Babylonis, eique, & populo eius seruite, vt viuatis.] Item illud adiungit, quod Exod. 5. filij Israel veniam abeundi à Pharaone supplicarunt, & quòd. 1. Esdr. 1. similem veniam à Cyro Rege Persarum impetrarunt. Et in hoc ordine annumerari debent alia testimonia Scripturæ, quæ postea ipse congerit, in quibus varijs honoris titulis Regis dignitas in Veteri Testamento declaratur, nàm Reges vocantur [filij Altissimi, Dij, Vncti Domini, in Dei solio sedentes, famuli Dei, Angeli Dei, facti iuxtà cor Dei, lumina Israelis, & nutricij Ecclesiæ.] In alio ordine ponit facta quædam Regum Israel, de quibus cap. sequenti dicemus.

Verumtamen prædicta testimonia neque ad præsentem causam aliquid conferunt, neque in se spectata difficultatem habent, vel controuersiam, præter vnum, quod peculiaris cuiusdam quæstionis occasionem præbet: illa verò quæstio eiusmodi est, vt tradita veritas ab illius resolutione non pendeat, quod per singula discurrendo, breuiter declaro. Nam in primis loca NouiTestamenti probant quidem, esse in Regibus veram iurisdictionem ciuilem à Deo ipso originem trahentem, ideòque Regem conuenienti modo honorandum esse, illique esse obediendum, non solùm ob timorem pœnæ, sed etiam propter conscientiam, quæ omnia secundùm fidei doctrinam vera esse in principio huius libri docuimus. Inde verò nulla verisimilitudine inferri potest, Reges nullum habere superiorem, à quo in spiritualibus, & consequenter etiam in temporalibus in ordine ad spiritualia, regantur, & ideò dixi, testimonia illa nihil ad præsentem causam pertinere. Quin potiùs neque satis ex illis locis conuincitur, Regum temporalium potestatem ità esse in suo ordine supremam, vt in temporalibus directè superiorem non recognoscant: hoc enim, vt dixi, in rigore ad fidem non spectat, quamvis longè verissimum sit, & Scripturæ sacræ magis consentaneum, sicut etiam disputando ostendimus.

Neque priora testimonia Veteris Testamenti aliquid ampliùs probant, nàm ex eis solùm habemus, obediendum esse Regi, vel Principi, aut Gubernatori Communitatis, vtique in foro suo validum præceptū ferenti. Hoc enim, & nihil aliud obtulerunt Iosue filij Israel, cùm dixerunt: [Sicut obediuimus in cunctis Moysi, ità obediemus & tibi, tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.] Verba autem Ieremiæ, si intelligantur de absoluta Dei voluntate, qua decreuit dare filios Israel sub verum dominium, & potestatem Regis Babylonis, ad summum probant, obediendum esse temporalibus Regibus, sicut de alijs testimonijs dictum est. Si verò solùm intelligantur de voluntate permissiua, qua Deus decreuerat permittere in pœnam peccatorum populi Iudaici, vt Rex ille potentia sua, & facto potiùs, quàm iure, illum populum sibi subiugaret, sic verba illa ad rem nihil faciunt, quia non de vero Rege, sed de tyranno in loco illo sermo est, cui monentur Israelitæ subijcere colla, non tam propter conscientiam, quàm propter maiora mala vitanda, vt subiuncta verba indicant: [Seruite ei, & populo eius, & viuetis, quare moriemini tu, & populus tuus gladio, & peste, & fame, &c.] Et iuuat etiam, quòd verba illa

illa dicta sunt à Propheta, priùs quàm populus in seruitutem Nabuchodonosor redactus esset, & ita potiùs inducebat eos ad non resistendum dominationi, & potentiæ eius, & consequenter ad seruiendum saltem facto, quamvis iure non tenerentur. Eademque ratio est de alijs locis, siue Pharao, & Cyrus fuerint veri Reges populi Iudæorum, siue non, vel (quod perinde est) siue populus Israel iure teneretur veniam illam petere ad discedendum, siue tantùm de facto propter potentiam illorum Principum ausi non fuerint, sine illorum venia, & voluntate discedere.

Multo verò minus vrgent testimonia illa, in quibus varij tituli venerationis, & honoris Regibus tribuuntur, tùm quia quidam illorum communes sunt alijs, qui non sunt Reges, quidam verò non omnibus Regibus conueniunt, sed fuerunt prærogatiuæ aliquarum personarum. Quod patet breuiter discurrendo per singula. Nàm in primis titulum, [Filij Dei,] Regi temporali tribui, solùm colligit Rex Angliæ ex illis verbis, quæ de Solomone dixit Deus, 2. Regum 7. [Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.) Hæc autem verba, vt ibi dicta sunt, profectò non sunt omnibus Regibus communia, sed peculiarem promissionem Salomoni factam continent, vt patet, tùm ex præcedentibus verbis: [Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum Regni eius vsque in sempiternum;] tùm ex verbis subiunctis: [Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea,&c.] Ex quibus verbis apertè constat, verba illa: [Ego ero illi in patrem, &c.] in Saulem non conuenire, quamvis ille fuerit temporalis Rex electus à Deo immediatè, ac sine successione auctore Deo, Rex creatus: non est ergo excellentia illa communis omnibus Regibus,sed singularis fauor promissus Salomoni.

Immò sunt, qui putent, verba illa neque ipsi Salomoni in proprietate conuenire, nec de illo ad literam dicta esse, sed de solo Christo per Salomonem significato, quia de Christo illa Paulus allegat ad Hebr.1. & quia in solo Christo impletum est, quod statim Deus promisit, [Et fidelis erit domus tua, & Regnum tuum vsque in æternum antè faciem tuam, & thronus erit firmus tuus iugiter.] Sed licèt verum sit, verba illa singulari quodam modo in Christum conuenire, & de illo dicta esse vel in historico, vel saltem in mystico sensu, nihilominus negare non possumus, de Salomone ad literam esse dicta, id enim ex illo contextu, & ex 3. Regum 1. & 1. Paralipom.22. & 28. apertè colligitur. Dicta autem de illo sunt non propter solam Regis temporalis dignitatem, vel potestatem, aliàs de omnibus Regibus dicta fuissent; & Sauli conuenirent, quòd falsum esse ostensum est, sed vel propter singularem prouidentiam, regimen, ac protectionem, sub qua Deus Salomonem assumere statuerat, vel quia numquã illum priuare Regno decreuerat, etiamsi peccaret, sed vt filium castigare, vt suis verbis Deus ipse satis declarauit. Vel certè quia sanctum,& iustum illum facere decreuerat,& nomen filiorum Dei, iustorum potiùs, quàm Regum, proprium est. Nàm Reges si impij sint, filij Dei non sunt. Ideòque si verba illa de filiatione Dei adoptiua intelligantur, conditionem habent adiunctam, [si perseuerauerit facere præcepta mea, & iudicia,] vt expressè additur 1. Paralip.28. & infrà refertur dixisse Dauid Salomoni: [Si quæsieris eum, inuenies, si autem dereliqueris eum, proijciet te in æternum.] Hoc autem modo cuique iusto verè dicitur nomine Dei, [Ego ero illi, in patrem, & ipse erit mihi in filium.] Quæ igitur prærogatiua temporalium Regum ex illis verbis colligitur?

Alter titulus Regum, quem Rex magni facit, est, quia interdum Dij vocantur, & allegat Psal. 81. [Ego dixi, Dij estis.] Sed vnde ostendit Rex verba ista de Regibus temporalibus singulariter dicta esse? certè ostendere id non potest, cùm falsum sit. Nam Christus Ioan. 10. aliter illa verba exposuit, cùm dixit: [Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.] Nam sermo Dei non est factus ad solos Reges, sed magis ad Prophetas, vel etiam ad omnes fideles, & maximè ad iustos. Vnde August. ibi tract. 48. de omnibus hominibus, qui per sermonem Dei, filij Dei per participationem fiunt, Christi expositionem intelligit, & præsertim de fidelibus Iudæis, qui tunc in Deum credebant. Præterea initium ipsius Psalmi, scilicet, [Deus stetit in synagoga Deorum, &c.] vix potest ad Reges accommodari, ad fideles autem, & Prophetas optimè, vel etiam ad Sacerdotes, maximè verò ad iudices, eorumque congregationem, nam subditur, [In medio autem Deos dijudicat, vsquequo iudicatis iniquitatem?] vt Euthymius, & alij notant. Sicut etiam Exod.22. iudices Dij appellantur; ibi [Applicabitur ad Deos,] idest, ad iudices, & infrà: [Dijs non detrahes,] quamquam hoc de Sacerdotibus intelligit Chrysostom. Psal. 137. in princip. dicens, solere Scripturam Sacerdotem vocare Angelum,& Deum. Itemque de Sacerdotibus, & de iudicibus multi intelligunt verba Psalmi 49. [Deus Deorum Dominus loquutus est,] & illa Psal.46. [Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.] Quæ verba possunt quidem Reges comprehendere, non tamen solos, sed quoslibet magnates, vel potentes terræ, qui Dij dicuntur, non quia sint, sed quia ita dominari volunt, ac si essent Dij, vel (si in bonam partem accipienda sit appellatio) quia potestatem, & prælationem Dei speciali modo participant. Quo quidem modo multò magis Sacerdotes, quàm Reges Dij per participationem appellari possunt.

Tertia nota Regum est, quia Vncti appellantur. 1. Reg. 24. At hæc appellatio multò frequentiùs Sacerdotibus tribuitur, quia per vnctionem consecrabantur, vt est notum Exod.29. Leuit. 4. & 8. Vnde cum Psal.104. dicitur, [Nolite tangere Christos meos,] non solùm Reges, sed etiam Sacerdotes comprehenduntur. Et ideò fortasse (quod notandum est) 2. Machab. 1. vtrumque coniungitur, cum de Aristobolo dicitur, [qui est de genere christorum sacerdotum,] vel ad distinctionem christorum Regum, vel ad distin-

stinctionem eorum sacerdotum, qui Christi non erant, vt inter gentiles, vel in lege naturæ existebant. Denique vnctio externa nullam de se confert potestatem, nec aliam indicat dignitatem, nisi illam, ad quam significandam imponitur; si ergo Rex loquitur de Christo, vel vncto hac externa vnctione, vnde probat nobis, vnctionem Regum significasse potestatem eorum supra Pontificem, vel in res Ecclesiasticas, & non potiùs per vnctionem Pontificis ipsius Primatum, & excellentiam supra Reges significari? nulla profectò ratio reddi potest. Veritas autem est, ex vi solius vnctionis neutrum significari, aut posse probari, sed ex alijs principijs colligendum esse. Quòd si non de sola exteriori vnctione, sed de inuisibili, & interiori sit sermo, cùm illa fiat per internam Spiritus Sancti gratiam, sic non soli Reges, sed omnes iusti, & aliquo modo omnes fideles vncti possunt appellari, & de illis etiam intelligi possunt citata verba, [Nolite tangere Christos meos.] Neque etiam omnes Reges hoc modo Christi dici possunt, & clarum est, Dauidem in loco allegato cùm de Saule loqueretur, non in hoc sensu Christum illum appellasse.

Quarta prærogatiua est, [in solio Dei sedere] ex 2. Paralip. 9. ibi, [Sit tibi Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum.] Sed in primis in verbis illis Thronus Dei nihil aliud significat, nisi regimen populi Israel, seu regni eiusdem in illo populo. Nam sicut populus ille singulari modo dictus est populus Dei, quia illum singulariter elegit, ac sanctificauit, & peculiarem illius curam suscepit, iuxta illud Exodi 19. [Eritis mihi in peculium de cunctis populis, & regnum sacerdotale, & gens sancta,] ita regnum eius dicitur thronus Dei, & frequentius appellatur thronus Dauid, & thronus Israel 3. Reg. 1. & 2. ac sæpe alibi. Vnde sicut dixit Deus Samueli 1. Reg. 8. [Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos,] ita thronus illius regni dici etiam potuit thronus Dei, quia Reges illius regni, & à Deo facti sunt, & quodammodo in regimen, ac curam illius regni pro Deo substituti sunt. Illa ergo laus sic intellecta, non est communis omnibus Regibus, sed propria Regum Israel, neque in illis aliam excellentiam, vel potestatem, sed solam ciuilem illi peculiari populo, speciali modo, ac electione à Deo datam, significat. Deinde licèt omnes Reges dici possint sedere in solio Dei, quia ministri Dei sunt, & ab eo potestatem habent, quid inde habetur, nisi potestas Regum temporalis, & ad summum in suo ordine suprema? Nam in hac significatione non vnus tantùm datur Dei thronus, sed multiplex, quia vt Nazianz. dixit, [etiam Episcopus thronum suum habet, in quo positus est regere Ecclesiam Dei.] Actor. 20. Datur ergo thronus temporalis, & thronus spiritualis, & thronus potest esse sub throno, vel in eodem ordine, vt Episcopus est sub Pontifice, & Rex interdum suo modo sub Imperatore; vel in diuerso, & sic thronus temporalis est sub spirituali, quia licèt vterque sit Dei, seu à Deo, tamen quæ à Deo sunt, ordinata sunt.

Quinta excellentia Regum ponitur, quod sunt serui Dei, & ita appellantur. 2. Paralip. 6. At hæc duobus modis potest Regibus attribui. Primo eo ipso, quòd Reges sunt, quia sunt ministri Dei, cui præcipuè in munere suo seruiunt, vel seruire debent: & hoc quidem modo prærogatiua illa Regibus omnibus conuenit; multò verò magis, & nobiliori modo sacerdotibus, & Pontificibus, quia in rebus maioris momenti, & excellentioris ordinis Deo ministrant, & ab ipso immediatius in eo munere constituti sunt, & ideò Paulus sic inchoat epistolam ad Roman. [Paulus seruus Iesu Christi,] & epistolam ad Philip. [Paulus, & Timotheus serui Iesu Christi,] & ad Titum, [Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi,] & eodem modo loquuntur Petrus, & Iacobus, & Iudas in principio suarum Epistolarum, & Ioannes Apocalyps. 1. Actor. verò 4. ac 17. Prædicatores Euangelij serui Dei appellantur; imò etiam vocantur dispensatores mysteriorum Dei. 1. ad Corinth. 4. imò & adiutores, & ministri. 1. ad Corinth. 3. Alio verò modo serui Dei appellatio dicitur ratione obedientiæ ad Deum, & obseruantiæ præceptorum eius, iuxta illud ad Roman. 6. [Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo.] In quo sensu absque dubio Salomon Patrem suum vocauit seruum Dei in dicto loco Paralipom. & sic neque omnes Reges sunt serui Dei, sed tantùm pij, Deoque obsequentes, neque soli Reges, sed omnes liberati à peccato sunt serui Dei, vt ex dictis verbis Pauli, & ex frequentissimo vsu Scripturæ manifestum est. Igitur hæc appellatio nullam peculiarem excellentiam in Regibus denotat.

Sextò ponderat Rex nomen Angeli interdum Regibus tribui, solumque adducit locum. 2. Reg. 14. vbi mulier quædam dixit ad Dauid, [Tu Domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei,] quæ superiùs etiam dixerat,] Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.] Possumusque similem locum addere ex 1. Reg. 29. vbi Achis dixit ad Dauid, [Scio, quia bonus es in oculis meis, sicut Angelus Dei.] Verumtamen hæc non omnibus Regibus, sed vni tantùm Dauid, & non propter dignitatem Regiam, quam in posteriori loco allegato nondum consequutus fuerat, sed propter peculiares rationes in ipso inuentas illi dicta fuerunt; videlicet, propter sapientiam, lenitatem animi, & morum probitatem; persona ergo illius Regis, non ipsa Regia potestas inde commendatur. Accedit, in illis locis non appellari Dauid Angelum, sed in aliqua proprietate Angelo comparari, quod longè diuersum est, vt per se constat.

Neque illa comparatio secundùm æqualitatem, sed secundum quandam imitationem, seu proportionem etiam analogam accipienda est. Sic enim particula Sicut, frequenter in Scriptura accipitur, vt Ioan. 17. [Vnum sint, sicut & nos vnum sumus,] & Matth. 5. [Estote perfecti sicut, & Pater vester perfectus est.] Estque simillimus locus Act. 6. vbi de Stephano dicitur, [Viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.] Per quæ verba neque Stephanus Angelus appellatur, neque aliqua potestatis excellentia indicatur,

sed sola mirabilis pulchritudo, aut fulgor, seu luminis splendor, qui tunc in facie eius apparuit. Est enim illa phrasis Hebraica, qua excellentia alicuius virtutis, vel pulchritudinis ad instar Angelicæ exaggeratur, vt est vulgare. Sic ergo in dicto loco mulier illa voluit laudare sapientiam Dauid, non illum Angelum vocare. Vnde si verè, & in rigore loquamur, nullus est in Scriptura locus, in quo nomen Angeli, vel omnibus Regibus, vel alicui temporali Regi tribuatur, cùm tamen de Sacerdote scriptum sit Malach. 2. [Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est,] vbi Cyrill. Alexand. [quia voluntatem Dei perspicuè nunciat, & legem sermonis hortatricem habet,] & Hieronymus, [Sacerdos Dei Angelus dicitur, quia Dei, & hominum sequester est, eiusque ad populum nunciat voluntatem.] Ergo ex Angeli appellatione multò magis sacerdotalis dignitas, quàm Regia commendatur. Nam licèt sacerdos per metaphoram, seu analogiam Angelus dicatur, fundatur tamen proportio in ipso munere, seu dignitate sacerdotali, non in aliqua proprietate in alicuius sacerdotis persona inuenta, sicut de persona Regis Dauid explicatum est.

Eumdem paralogismum committitur, cùm ex eo, quod de Dauid dixit Samuel 1 [Quæsiuit sibi Dominus virum iuxta cor suum.] 1. Reg.13. infertur, Reges vocari factos iuxta cor Dei, quæ aperta est fallacia, tùm quia ibi non dicitur Dauid factus iuxta cor Dei, quando factus est Rex, sed dicitur iuuenis vir secundum cor Dei, & ideò assumptum esse à Deo, vt esset Dux populi; ergo non potestas Regia fecit illum secundum cor Dei, sed gratia, quàm Deus illi priùs contulit, vt iam factum secundum cor suum, Regem etiam faceret. Igitur non rectè inde infertur aliqua excellentia potestatis Regiæ, sed solùm ostenditur æquitas electionis Dei, & singularis electio gratiæ circa personam Dauid. Vnde non minorem dignitatem, & potestatem Regiam Sauli contulit Deus, cum tamen illum non inuenerit secundum cor suum. Nam quia ille talis non fuit, illum repudiauit Deus, dicens, [Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum,] vt dicitur Act. cap.13.

Quòd si quis dicat, Regem propter similitudinem, & participationem potestatis dici factum secundum cor Dei, & ita conuenire omnibus Regibus. Respondemus in primis, hunc non esse sensum illius loci, vt probatum est; imò neque inueniri locum in Scriptura, in quo id fundari possit. Deinde addimus, licèt id gratis concedatur, nihil ampliùs inde probari, quàm Regem participare peculiari quodam modo potestatem Dei, aut Regiam institutionem esse placitam Deo, & ab eius prouidentia originem ducere. Sed hoc quid attinet ad comparationem cum dignitate sacerdotali, vel Pontificia potestate? cum hæc multò magis sit secundum cor Dei, quia & illi placet magis, & altiori modo ab ipso ducit originem. Imò si de Israelitico populo loquamur, speciali ratione Pontificia dignitas, magis, quàm Regia dignitas fuit secundum cor Dei: nam priorem ex solo suo beneplacito, & sapientia Deus inuenit, & instituit; posteriorem autem quasi coactus ad populi petitionem concessit, vt ex 1. Reg. 8. sumitur. Multòque maiori ratione in Christiano populo Pontificatus dici potest secundum cor Dei, quia, & est diuinior, & altioris ordinis, & à Deo etiam ex maiori prouidentia, & beneuolentia Ecclesiæ suæ concessus.

Neque est multum dissimile argumentum, quod ex octauo titulo Regis sumitur, sumpto ex 2. Reg.21. vbi Dauid appellatus est à suis subditis [Lucerna Israel.] Nam etiam verba illa (vt ibi sensit Abulensis) intelligi possunt specialiter dicta de persona Dauid, in quem totius populi oculi tanquam in lucernam intenti erant propter singularem virtutem, & fortitudinem eius, & ideò valdè timebant, ne extingueretur, id est, interficeretur, quia per illum magna Dei beneficia sperabant. Sed demus, propter eminentiam dignitatis Regiæ, lucernam appellari, & sub eadem metaphora nomen illud Regibus omnibus conuenire, quid inde contra Pontificiam eminentiam colligi potest? cùm Christus Apostolis, consequenter etiam successoribus suis dixerit: [Vos estis lux mundi] quod multò maius est, quam esse lucernam, ac subinde in metaphora persistendo maiorem dignitatem indicat.

Vltimum titulum sumit Rex ex Isaiæ cap. 49. vbi de Ecclesia ex gentibus congreganda prædixit: [Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ,] tacitèque interpretatur, Reges vocari nutricios propter eminentiam potestatis, quam in Ecclesia Christi, & in Ecclesiasticis rebus habituri erant. Sed in primis Hieronymus ibi de Apostolis, & Apostolicis viris locum exponit, sensus autem videtur mysticus. Fatemur ergo, ad literam esse ibi sermonem de Regibus gentium ad fidem Christi conuertendis, negamus tamen, ibi extolli eorum potestatem, sed futuram pietatem. Qualis fuit in Constantino, Carolo Magno, & fuit etiam, & nunc est in nostris Catholicis Regibus, qui totis suis viribus in adiuuandis fidelibus, & in vera Christi Ecclesia tuenda, & propaganda, incumbunt. Et hoc significauit Augustinus de Vnit. Eccles. cap. 7. cùm dixit, ab Esaia prædictum esse, Reges terræ, qui prius persequebantur Ecclesiam, posteà eius adiutores futuros fuisse. Addit præterea Cyrillus Alexandrin. lib. 4. in Isaiam, & optimè prophetiam illam esse impletam, [quia licet videre propter Dominorum pietatem, honore affectos, & omni misericordia dignatos eos, qui in Christum crediderunt, adeò, vt nihil aliud quam eorum alumni esse videantur.] Accedit, quod ipsum metaphoricum nomen nutricij nihil aliud significat, aut indicat, quam curam nutriendi, promouendi prolem, iuxta illud Paul. 1. ad Thessalo. [2. Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos.]

Vnde non solùm Reges, sed etiam Apostoli, & Pontifices dici possunt Ecclesiæ nutritij prout Hieronymus voluit, & Paulus indicauit, sed longè diuerso modo: nam Reges per se (vt ita dicam) sunt nutricij in temporalibus, Apostoli verò in spiritualibus. Iuxta illud Pauli 1. ad Corint. 3. [Tanquam par-

paruulis in Christo lac vobis potum dedi.] Et ita Pontifices per se nutriunt Ecclesiam, vt Ecclesia est, Reges verò, vt ciuilis, seu politica congregatio est. Quia verò id, quod spirituale est supponit id, quod est animale, ideò per bonum ciuile regimen, & per temporalia beneficia Ecclesia multum in spiritualibus adiuta est, ideòque boni, ac pij Reges Ecclesiæ nutricij appellati sunt. Illud enim nomen magis est benignitatis, & condescensionis, quam potentiæ, & maiestatis. Sub Metaphora Deo etiam tribuitur Oseæ 2. & alijs locis. Et hunc esse sensum verborum Isaiæ, declarant verba sequentia, vbi de eisdem Regibus statim subiungitur: [Vultu in terram demisso adorabunt te] id est, Ecclesiam, seu Christum in ea, vt Patres exponunt. Nam quia Christus est caput Ecclesiæ, ait Hieronymus, rectè Christus adoratur in corpore, & præsertim in Vicario suo. Rectè ergò intelligimus, prophetiam illam ad literam impletam esse in Imperatoribus, & Regibus osculantibus pedes Pontificis vultu in terram demisso, quod multi præsentes, & coram fecerunt, alij per epistolas paratum animum ostendebant, & specialiter Rex Angliæ Eduardus in Epistola ad Clementem VI. Cui consonat aliud eiusdem Prophetæ vaticinium: [Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum.

Constat igitur manifestè, ex huiusmodi notis Regiæ dignitatis nihil aliud colligi, quam Regibus deberi honorem, & obedientiam intra suam ditionem, & in materia illi subiecta, quod nullus est qui dignitati deroget. Nam omnes illi tituli Sacerdoti, & præsertim Summo Pontifici excellentiori modo conueniunt, vt obiter declaratum est. Et prętereà Sacerdotes, & Apostoli dicuntur Ecclesiæ fundamenta, sal terræ, lux mundi, ministri Christi, dispensatores mysteriorum Dei, adiutores Dei, parentes, seu genitores filiorum Dei, ad Galat. 4. & 1. ad Cor. 4. mediatores inter Deum, & homines, legati Christi, & Dei 2. ad Corinth. 5. & ad Ephes. 6. clauigeri regni cœlestis, ac proinde thronum Regale habentes, non terrenum, sed cœleste, vt dicit Chrysost. Homil. 5. de Verb. Isaiæ. Deique à Christo, & Apostolis, & Pastores nominantur; vtique rationalium ouium, id est, duces, & rectores gregis Christi, vt dixit Ambros. lib. 1. de Dignit. Sacerdotal. cap. 2. Potuissetque Rex Angliæ nomenclaturam hanc etiam Regi tribuere, quia Dauidi dictum est: [Tu pasces populum meum Israel] 2. Reg. 5. & inde posset contra nos apparentius argumentum sumere, quia nos ex verbo pascendi, Petri potestatem colligimus. Sed ad hoc etiam respondemus, verbum pascendi, cùm metaphoricum sit, diuersa posse significare, & iuxta subiectam materiam, & alia Scripturæ loca, & Patrum interpretationem intelligendum esse. His autem modis manifestum est, dictum de Dauid, solum significasse gubernationem ciuilem, & temporalem, vt ibidem, & cap 7. statim explicatur, cùm dicitur, [Vt sir dux super populum meum Israel &c. [Dictum autem de Petro significat altiorem, & spiritualem gubernationem per potestatem ligandi, atque soluendi, & claues regni cælorum, quibus necesse est temporales Reges subijci, si cœleste regnum consequi velint.

CAP. XXV.

Alteri obiectioni ex factis Regum, quæ in veteri testamento narratur, sumptæ, satisfit.

PRo fundamento huius obiectionis conatur Rex ex Scriptura ostendere, Reges in Iudæorum populo cuncta moderatos esse, quæ ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinent. Quia cùm credendum non sit, eos iurisdictionem à Deo non datam vsurpasse, cùm Reges etiam iusti, & sancti actiones illas exercuerint, rectè infertur, potestate Regia omnia fecisse. Vnde vlterius etiam efficitur, idem posse nunc Reges in Ecclesia Christi, tum quia neque illi antiqui Reges aliam potestatem habebant, præter Regiam; neque nunc minor est Regum potestas, quam tunc fuerit.

Vt ergo fundamentum illud suadeat, inducit in primis locum 2. Paralip. 14. vbi tria de Rege Iosaphat referuntur. Primum, [Abstulisse lucos de terra Iuda. Egressum esse ad populum suũ, & reuocasse ad Dominum Deum Patrum suorum.] Item in Hierusalem constituisse Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, vt iudiciũ, & causam Domini iudicarent habitatoribus eius.] Ex his autem nihil colligi potest, nam lucos auferre, seu idola, quod & alij Reges Israel fecerunt, Asa. 3. Reg. 15. & Ezechias 4. Regum 18. Hoc, inquam, etiam ad Reges temporale ex officio pertinet. Nam colere idola est contra rationem naturalem, & contra commune bonum humanæ ciuitatis, seu reipublicæ. Vnde etiam seclusa fide, Reges gentium ad hoc ipsum tenerentur, si naturali lumine rationis conuenienter vti vellent, maiorique ratione ad hoc tenentur Reges fideles, siue in lege veteri, siue nunc in lege gratiæ. Illa ergo actio non est propria spiritualis, seu Ecclesiasticæ potestatis, sed communis vtrique, seu vtriusque fori, vt aiunt, quia ad finem vtriusque potestatis conducit. Maxime vero quoad executionem eius solet esse necessaria potentia Regum, vt erat reuera in populo Israelitico propter duritiam eius, & ideo maximè laudantur Reges, qui idola destruxerunt, qui verò illa induxerunt, vel in eis euertendis fuerunt negligentes, maximè reprehenduntur, & notantur. Ex illa ergo actione nihil colligitur, vt magis statim in alia simili declarabitur.

Et ad hoc genus actionis spectat, quod multi ex Regibus populi Iudaici reprehenduntur, eò quod excelsa non abstulerint. Siue enim illa excelsa fuerint aliqua idola in excelsis montibus, vel collibus ad cultum posita, siue fuerint quælibet altaria in varijs montibus, aut locis extra Templum, seu locum Tabernaculi ad immolandum etiam vero Deo erecta, ferè semper illa vox in Scriptura in malam partem accipitur, & significat locum, in quo indebitè, & superstitiosè sacrifi-

ca-

eabatur. Quia vel idolo immolabatur, vel si vero Deo, non secundùm voluntatem eius, idest, non in loco ab eo deputato, idest in Templo iam ædificato, vel antea in loco Tabernaculi. De quo videri potest Abulensis, 3.Reg.3. qu.3. Illo igitur modo, quo possunt, & debent Reges idola euertere, tenebantur etiam Reges Israel excelsa auferre, non tamquam Pontifices, sed tamquam executores, & adiutores Pontificum. Et ideò in illis contraria negligentia specialiter reprehenditur, quia potestate sua efficaciùs valebant illa destruere, quàm Pontifices doctrinis, vel præceptis suis, & prætereà, quia de Regibus ibi præcipuè historia texebatur.

Idem ferè in secunda actione considerari potest. Cùm enim ibi dicitur, [Iosaphat rursum egressum esse ad populum suum, & reuocasse illum ad Deum,] non per seipsum, sed per nuncios, vel ministros aliquos id fecisse, intelligendum est, vt communiter ibi interpretes notant. Nam illa particula [Rursùm,] iam priùs iterùm egressum fuisse indicat, non legitur autem alius egressus Iosaphat ad populum suum præter id, quod legitur. 2. Paralip. 17. scilicet, [Tertio anno regni sui misisse de Principibus suis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas, & Sacerdotes:] hoc ergo ipsum dicitur in cap. 19. iterum fecisse, scilicet, misisse, qui circumirent cunctas ciuitates ad docendum, & erudiendum populum in lege Domini. Hæc autem actio, licèt per se, & ex officio pertineat ad Pontifices, & Sacerdotes, suo tamen modo, etiam Regum est suum prouidentiæ modum circa illam exhibere. Sic enim etiam nunc Reges Catholici dicuntur mittere Prædicatores ad gentes sibi subditas, quia ad voluntatem, seu petitionem eorum, & sub eorumdem protectione; atque ipsorum expensis mittuntur. Ita ergo Iosaphat ea prouidentia Regis fidelis, ac zelum Dei habentis, potuit per Prædicatores, & Doctores egredi ad erudiendum populum, seruato tamen ordine, & modo, secundùm ritum illius temporis necessario. Et ideò dicitur misisse Sacerdotes, & Leuitas, ad quos illud munus per se pertinebat.

Quod autem etiam miserit quosdam de Principibus suis, non obstat, etiam si fateamur illos Principes non fuisse de tribu Leui, sed merè laicos, cum à Leuitis distinguantur. Hoc, inquam, non obstat, cum quia vel illi laici mitti potuerunt, non ad docendum, sed vt Leuitas, & Sacerdotes tuerentur, & rebelles, ac idolatras, qui tunc erant, in officio continerent, & si opus esset, etiam ad audiendum verbum Dei cogerent. Vel certè licèt illi etiam docerent, nullum est inconueniens, quia licèt ad laicos non pertineret, vel dubia legis resoluere, aut doctrinam fidei definire (hoc enim Sacerdotibus commissum erat, Deuteronm. 17.) nihilominùs poterant esse docti, & eruditi in lege, ac fide, vt alios instruere, & exhortari possent, hoc enim neque ex natura rei malum est, nec inuenitur in lege veteri prohibitum, maximè cùm id facerent ex consensu Sacerdotum. Sicut Actor. 13. cùm Paulus, & Barnabas ingressi essent quamdam Synagogam, Principes Synagogæ miserunt ad eos dicentes, [Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite,] cùm tamen Paulus de tribu Leui non esset, & ideò à Iudæis tamquam merè laicus reputaretur. Simileque exemplum de Christo habemus Luc. 4. Sic igitur actio illa Iosaphat rectè intellecta non pertinuit ad propriam Ecclesiasticam gubernationem, sed ad Regiam protectionem, & fidei defensionem, ac propagationem, quod munus iura etiam canonica Christianis Regibus commendant.

Tertia actio fuit, constituere iudices. Et ibi etiam Leuitæ, Sacerdotes, & Principes numerantur. Vbi etiam duo similia explicanda sunt, scilicet, quomodo ad Regem pertinuerit, Leuitas, & Sacerdotes in eo munere constituere, & quomodo cum eis laicos Principes miscuerit. Vtrumque autem facilè intelligetur, si alia verba, quæ inferiùs adduntur, considerentur, scilicet, [Amasias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit; porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.] Vbi apertè distinguuntur officium Regis, & officium Pontificis, & hic præsidere dicitur in his, quæ ad Deum spectant, Rex autem, vel Vicarius eius in his, quæ ad homines. Ita ergo cùm dicuntur constituti Sacerdotes, Leuitæ, & Principes ad iudicium faciendum, duplex sub illa voce comprehenditur iudicium, vt rectè Caietanus ibi notauit, scilicet, seculare, & quasi Ecclesiasticum, seu ad res sacras pertinens. Et ita facilè expeditur posterior interrogatio, non oportet enim iudicia, vel personas miscere, sed cum partitione accommoda eos intelligere, nam Principibus secularibus seculare iudicium committi debuit, Leuitis autem Ecclesiasticum. Et ita planè oportet intelligi, cum alteri iudicio præesse deberet Pontifex, alteri verò Gubernator Regius, quando, & quomodo oporteret.

Atque eadem ferè ratione, quamuis Rex dicatur constituisse vtrosque iudices, non oportet, eodem modo de omnibus intelligi, nam iudices laicos constituit per se, & virtute sua eligendo illos, & dando illis potestatem; Leuitas autem, & Sacerdotes non ita, sed solùm applicando, & designando illos ad tale munus, nam potestatem illud exercendi, ex institutione diuina habebant, vel immediatè, vel per Pontificem Summum. Quod declaratur ex alijs verbis. [Amasias Sacerdos, & Pontifex vester præsidebit in bis, quæ sunt ad Deum, Zabadias in alijs:] quæ licèt videantur eodem modo dicta, nihilominùs respectu Pontificis non efficiebant, vt sic dicam, seu conferebant potestatem, sed declarabant, quid iure suo ad Pontificem pertineret, vt patet ex Deuteron. 17. Respectu verò ciuilis Præsidis à Rege manabat potestas, quia pro Rege specialiter constituebatur. Ita ergo licèt vno verbo dicatur, constituisse hos, & illos iudices, nihilominùs cum distributione accommodata, & legi, ac debito ordini consentanea, de singulis intelligendum est. Principes ergo per se, & vi sua iudices fecit, Leuitas verò solum ad modum causæ per accidens, quasi applicando, seu nominando personas, non tamen sine consensu Pontificis eos crean-

creando? Atque ita hæc actio ferè eiusdem rationis est cum præcedenti, & non pertinet ad propriam iurisdictionem Ecclesiastici regiminis, sed solùm ad sollicitudinem quamdam, piumque fidelis Regis zelum, vt in alijs explicatum est.

Deinde addit Rex aliam actionem, quam possumus quarto loco numerare, scilicet, corruptelas purgare, & abusus tollere. Ad hanc verò probandam solum adducit locum 2. Reg. vel vt ipse allegat. 2. Samuel. 5. num. 6. vbi nulla fit mentio de corruptelis purgandis, aut abusibus tollendis: sed solùm refertur, cùm Dauid iisset in Hierusalem ad Iebusæum, vt ciuitatem expugnaret, dictum esse illi ab habitatoribus ciuitatis, [Non ingredieris huc, nisi abstuleris cœcos, & claudos dicentes, non ingredietur Dauid huc.] Hæc autem verba non possunt applicari vllo modo ad reformationem morum, vel ablationem abusuum, quia nec de hac re ibi agebatur, neque cogitari potest Iebusæos hoc voluisse consulere Dauidi sub illa quasi metaphorica loquutione. Vnde licèt illa verba sint obscura, & ideò ab interpretibus variè exponantur (vt in Glossa, Theodoreto, Abulensi, Carthusiano, Caietano, & alijs ibi videre licet) nihilominùs omnes conueniunt, illis verbis solùm fuisse propositum Dauidi, vt medium necessarium ad ciuitatem capiendam tollere cœcos, & claudos. Siue per has voces significentur aliqui inimici Dauid ex Iebusæis, qui insurrexerunt dicentes, [Non ingredietur Dauid huc,] & cœci appellantur propter errorem mentis, & claudi, quia non rectè cùm Dauid ambulabant. Siue re vera fuerint corporaliter claudi, & cœci positi supra muros ciuitatis ad defendendam illam in ludibrium, & irrisionem Dauid (vt videtur probabilius, & magis consentaneum textui secundùm vulgatam editionem) in neutro verò sensu quicquam ad præsentem causam refert, quia de purgandis corruptelis nihil ibi agitur. Nam licèt statim subiungatur, proposuisse Dauid præmium pro auferentibus cœcos, & claudos, odientes animam Dauid, & inde ortum esse prouerbium, [Cœcus, & claudus non intrabunt in templum,] non potest inde verisimiliter inferri, Dauidem auferendo cœcos, & claudos, voluisse significare, ad se pertinere abusus tollere, & corruptelas purgare, quæ est enim hæc consequtio, connexio, vel coniectura? profectò esse non potest, nisi mera diuinatio.

Ad hanc verò actionem pertinet etiam alia, quam infrà Rex ponit, dicens de Regibus, [Reformationes publicas instituere, conuocatis eo fine, & congregatis promiscuè sacerdotibus, & laicis:] Nam ad reformationem publicam maximè spectat, abusus tollere, & corruptelas purgare. Ad probandas autem illas reformationes, solùm adducit locum iam tractatum 2. Paralip. 17. vnde solùm habetur, Iosaphat ordinasse, seu procurasse quamdam reformationem, mittendo Principes, Sacerdotes, & Leuitas, qui docendo, & instruendo populos in lege Domini, illos reformarent. Cur autem laici cum Leuitis missi fuerint, iam declaratum est, neque ibi legitur alia congregatio ex laicis, & Leuitis promiscuè facta. Sicut ergo diximus, missionem illam non fuisse actum iurisdictionis, ita de hac reformatione dicendum est.

Quapropter (quidquid sit de probationibus) facilè concedimus pertinere ad Reges intra ordinem suum, & modo sibi accommodato abusus tollere, & corruptelas sui regni purgare. Nam in primis si corruptelæ, & vitia sint contra naturalem iustitiam, vel ciuiles leges iustas, vel contra pacem Reipublicæ, ad Regem directè pertinet, subditos suos à talibus vitijs repurgare. Si verò vitia sint in materia religionis, vel fidei, postquam per eamdem fidem, vel per Pontifices (ad quos voluntatem Dei explicare pertinet) illos esse abusus, & corruptelas constiterit, etiam ad Regem pertinet huiusmodi abusus tollere, vel pœnis, & coercitione in sibi subditos vtendo, vel etiam sollicitè procurando, vt Ecclesiastici Pastores simul in hoc suam operam adhibeant, vel denique forti brachio suo occasiones prauarum consuetudinum tollendo. Sicut paulò superiùs de idolorum destructione dicebamus. Nam illa profectò erat in illo populo præcipua pars reformationis morum, & purgationis corruptelarum. Quamuis ergo expressè in veteri Testamento diceretur: Reges abstulisse abusus, & corruptelas purgasse, modo prædicto, & sine vlla vsurpatione Primatus Ecclesiastici intelligi posset, & deberet. Sicut etiam nunc Catholici, & pij Reges abusus, & corruptelas suarum ditionum auferunt. Imò & inferiores Principes in suis territorijs, & priuatus paterfamilias in domo sua potest pro modo suo, & iuxtà capacitatem suam corruptelas à domo sua expellere, & omnem, vel politicam, vel œconomicam prouidentiam adhibere, quæ ab ipso circa suos subditos exerceri valet, & ad illum finem potest deseruire.

Atque ad hoc caput spectat exemplum aliud, quod idem Rex adducit ex 4. Reg. 18. de serpente æneo ab Ezechia confracto. Illud enim ad similem reformationem, & abusuum ablationem pertinet. Nam (vt lib. 2. cap. 12. dixi) licèt ille serpens Dei iussu fabricatus fuerit, & bonam habuerit significationem, propter quam bonum etiam vsum in principio habuit: nihilominùs postea cœpit esse Hebræis in occasionem scandali, & ruinæ propter illius populi ignorantiam, mentisque cæcitatem, ac duritiam cordis ex praua consuetudine generatam. Ideòque rectè potuit Rex serpentem confringendo, illam occasionem ruinæ populo tollere. Quamuis enim ex Dei præcepto factus esset, non propterea iusserat Deus illum conseruare: sed ad memoriam diuini beneficij, prudenti, & pio arbitrio præcedentium Principum illius populi seruabatur: postquàm verò cœpit irreligiosè coli, & adorari, confringi debuit, iuxtà legem præcipientem, [Confringite statuas, lucosque succidite.] Et quia hæc lex non solùm ad Sacerdotes, sed etiam ad Reges loquebatur, ideò potuit Iosaphat, non iurisdictionem sacerdotalem exercendo, sed legem implendo, serpentem frangere.

Quinto loco ponimus actiones alias recensitas à Rege, quæ multò minùs, quam præcedentes ad causam conducunt, talis quidem est, [Arcam Dei ad constitutum locum perducere] 1. Paralip. 13. Nam Dauid de quo

quo ibi est sermo, non portabat arcam, nec contiogebat illam, primum enim solis Leuicis, secundum autem solis Sacerdotibus licebat, num. 4. 2. Reg. 6. non autem Dauidi, licet esset Rex. Et ideò tantum honoris diuini causa arcam comitabatur, quod non solum Regi, sed cuilibet de populo licebat, vt paulò inferiùs ibidem dicitur, [Dauid, & omnis domus Israel ducebant arcam &c.] Et simile habetur 3. Reg. 8. Sed additur, Regem Dauid arcæ præsultasse. Sed quid tum? erat ne illa actio propria Sacerdotum, aut Regum? profectò magis propria videri poterat hominum inferioris conditionis. Vnde paulò inferiùs in eodem loco despectus, & reprehensus fuit Dauid à Michol, non quia actionem magnæ dignitatis exercuisset, sed quia tanquam vnus de scurris factus esset, ipse verò ex magna deuotione, & gratitudine erga Deum, respondit, [Ludam, & vilior fiam, plus quàm factus sum. & ero humilis in oculis meis.] Non ergo censuit Dauid, illam actionem fuisse dignitatis sacerdotalis: nedum Pontificię, vel supra illam sed fuisse magnæ humilitatis, & reuerentiæ erga Deum, & ad hoc indicandum expressit Scriptura personam Dauid; addidit verò 2. Reg. 6. [Dauid, & omnis Israel Iudebant coram Domino.]

Eiusdem ordinis sunt facta quædam Salomonis, ex quibus etiam Regium argumentum sumptum est, scilicet, [templum ædificare, ædificatum dedicare, & sua præsentia consecratum honestare.] At hæc omnia hodie etiam nunc Reges faciunt, imo etiam alij inferiores, pij, & potentes viri, & non propterea opus Ecclesiasticæ potestatis, nedum Primatus exercere censentur. Nam ædificare templum, de se tantùm est actus religionis, qui præter piam voluntatem; solùm requirit ex parte ædificantis facultatem ad necessarios sumptus, ex parte verò Dei necessaria est acceptatio per se, vel per Vicarios suos. Tunc autem Deus speciali reuelatione satis voluntatem suam ostenderat, ideòque ex parte Salomonis tantùm Regia potestas & magnificentia cum pia, & fideli voluntate desiderari poterat, ergo nihil aliud ex illo facto rectè colligitur.

Dedicare verò templum, duo potest significare. Vnum est, propria aliqua actione religiosa consecrare illud, aliud est: propria voluntate exteriùs manifestata illud Deo offerre, & donare. Priori modo, dedicare templa pertinet ad Sacerdotes, vel Pontifices. In illius autem templi dedicatione hæc actio non videtur alia fuisse, nisi vel ex parte hominum sacrificiorum oblationes, quæ ad solos Sacerdotes pertinebant, vt iam explicabo, vel ex parte Dei præsentia illa, seu descensus sub specie nebulæ, quę templum repleuit, ad significandum Deo placuisse dedicationem illam, & ideò, vt dicitur 3. Regum [Impleuisse gloriam Domini, Domum Domini,] quæ actio non fuit hominis, sed diuinæ dignationis, cui Rex Salomon testimonium dedit, dicens, [Dominus dixit. vt habitaret in nebula.] In hoc ergo sensu non potest dici Rex Salomon dedicasse templum neque id de Salomone legitur, nec Rex Angliæ illi hoc tribuit, cùm solùm dicat, sua præsentia opus consecrationis honestasse. Posteriori autem modo rectè dicitur Salomon dedicasse templum. Sed inde nullum sumitur argumentum, nam quilibet potest rem, vel domum suam ad diuinum cultum offerre. Sicut Exod. 35. dicitur. [Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iusserat Dominus per manum Moysi, Et statim subditur, Cuncti filij Israel voluntaria Domino dedicauerunt.] Sic ergo in dicto loco 3. Regum 8. dicitur. [Dedicauerunt templum Domini Rex & filij Israel.] Denique quod additur, Regem sua præsentia opus consecrationis honestasse, clarum est toti populo fuisse commune, & ita nihil ad rem facere.

Ad discernendum verò modum præsentiæ, discernendæ sunt actiones, quæ in illa dedicatione peractæ sunt, prima fuit, inferre arcam, tabernaculum, & vasa sanctuarij in templum, & de hac dicitur, [ferebant ea Sacerdotes, & Leuitæ, & additur: Rex autem Salomon, & omnis multitudo, quæ cum illo conuenerat, gradiebatur ante arcam, vbi Rex cum populo coniungitur, & à sacerdotali ordine distinguitur. Altera actio fuit, sacrificiorum oblatio, & hæc fiebat sine dubio à sacerdoribus tanquam à proprijs ministris, tribui autem videtur tam Regi; quam populo, cùm de eis dicitur. [Et immolabant, & oues, & boues absque æstimatione, & numero] intelliguntur autem immolasse per Sacerdotes, vt est frequens in Scriptura, & in communi etiam vsu loquendi. Et sic etiam dicitur ibi, [Mactauit Salomon hostias pacificas, & iterum. Sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini, fecit quippe ibi holocaustum, & sacrificium.] Vtique per Sacerdotes, in quo nulla potestas supra illos ostenditur, sed potiùs inferior status, & conditio. Vnde etiam nunc Reges, sicut & cæteri laici, solùm per Sacerdotem offerunt. Tertia fuit actio orandi, & hæc etiam communis est toti populo. Alia denique fuit, rationem reddere populo de templi ædificatione, & dedicatione, quam quidem Salomon cum auctoritate Regia. & tanquam singularis (vt ita dicam) illius templi Patronus exercuit, nihil tamen Pontificium vsurpauit neque Pontifice se superiorem ostendit. Igitur totum illud factum nihil omnino ad causam de potestate Ecclesiastica, & Regia, aut earum comparatione pertinet.

Denique ad probandum eamdem Regis potestatem, duo alia facta eiusdem ferè ordinis afferuntur, quæ non maiorem vim habent, quam præcedentia. Vnum est, quod librum legis è tenebris erutum populo recitare fecerunt,] ex 4. Reg. 22. Veruntamen eo loco refertur quidem Elciam Pontificem ad Saphan scribam dixisse, [librum legis reperi in domo Domini,] & additur, dedisse illum Saphan, qui & legit illum, & [postea Regi dixit, Elciam sibi librum dedisse, quem etiam legit Saphan coram Rege. Quod autem Rex fecerit, librum illum populo recitari, in eo capite non dicitur, sed solùm, Regem lectione libri valdè commotum; misisse Sacerdotes qui super ea re Deum consulerent. In capite autem 23. additur, sacerdotes renunciasse

Regi

Regi quidpiam, quod prophetissa quædam dixerat, & subiungitur. [Qui misit, & congregati sunt ad eum omnes senes Iuda, & Hierusalem. Ascenditque Rex templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuersique qui habitabant in Hierusalem cum eo, Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus à paruo vsque ad magnum. legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis,] vbi Abulensis exponit, legit, idest, fecit legere, putat enim, Saphan scribam legisse librum, quod non est alienum ab vsu illius loquutionis, vt ex alia simili capitis 22. rectè ipse probat. Nihilominus tamen ex 2. Paralip. 34. magis colligitur, ipsum Regem per se legisse librum, nam ibi expressè dicitur. [Quibus audientibus in domo Domini legit Rex omnia verba voluminis.] In hac verò historia quid, quæso, est, quod in Rege Pontificiam potestatem, vel primatum ostendat: An congregare populum, aut legere librum, neutrum sanè. Nam congregare populum non est de se spiritualis, seu Ecclesiastica actio, sed indifferens: quæ auctoritate Regia propter varios fines fieri poterat. Vt autem tunc fieret propter spiritualem finem, non prouenit ex potestate spirituali Regis, sed ex sancto zelo, & intentione illius, Rex enim fidelis diuina gratia, & fide adiutus; potestate sua Regia, & ciuili in spirituale bonum sui populi sæpe vti potest, quia licet proximè in materia ciuili, vel indifferenti operetur, potest ad dictum finem illam referre. Legere autem librum magis fuit opus dignationis, humilitatis, ac deuotionis, quàm potestatis. Et quamuis ipse non legisset, sed recitari fecisset, nullam maiorem auctoritatem ostenderet: quia perinde est, per se fecisse, vel per Saphan scribam, & ministrum suum, & quia, licèt liber esset sacer, actio legendi illum Sacerdotibus, & laicis communis est.

Aliud factum est, quod illi Reges [fœdus inter Deum, & populum aliquando reintegrarunt.] Citaturque in margine Apologiæ Regiæ locus Nehem. seu. 2. Esdræ 9. in fine. In illo tamen loco non dicitur. Regem reintegrasse fœdus inter Deum, & populum nec dici poterat, quia eo tempore iam non erant Reges in Israel. Cùm ergo in principio illius capitis dictum fuisset, [Conuenerunt filij Israel in ieiunio, & in saccis. Et infrà additum esset. Surrexerunt autem super gradum Leuitarum Iosue; & quidam alij, & dixerunt, surgite, benedicite Domino &c.] In fine capitis concluditur. [Nos ipsi percutimus fœdus, scribimus, & signant Principes nostri, Leuitæ nostri, & Sacerdores nostri. Ex quo contextu planè constat, totum populum, vel sua spontè, vel Leuitarum verbis excitatum fœdus reintegrasse, & ideo Principes nomine totius populi cum leuitis, & sacerdotibus fœdus consignarunt. Quòd si quis fortasse ponderet, Principes (quos laicos fuisse verisimile est) primo loco poni, aduertat, etiam Leuitas Sacerdotibus anteponi, & inde coniectet, posteriorem locum in illo ordine digniorem videri, vt sæpe contingit. Allegatur etiam in eadem margine secundus Regum, nobis quarto, capite octauo, numero 4. Sed in toto illo capite nihil inuenio. Negare autem non possumus, in capite 23. supra tractato post lectionem libri fœderis addi, Stetitque Rex super gradum, & fœdus percussit coram Domino. Et paulò post additur. Acquieuitque populus pacto. Sed in hoc etiam facto nihil aliud, nisi pietas, & sanctus zelus Principis relucet. Nam illa reintegratio, seu percussio fœderis nihil aliud erat, nisi renouatio quædam fidelitatis ad Deum, seu quasi noua promissio obedientiæ ad legem eius, hanc autem quilibet homo; vel quilibet populus, vel sua sponte, vel alterius exemplo, aut verbo prouocatus facere potest. Ita ergo illam fecit prædictus Rex, & in illa facienda alios anteiuit, vt suo exemplo, & verbo alios prouocaret. Vnde rectè Caietanus ibi notat, [Vide quanti boni causa bonus sit Princeps:]

Ex his ergo omnibus exemplis, & testimonijs nulla spiritualis iurisdictio, vel specialis potestas in his, quæ ad Deum pertinent in Regibus tempore legis veteris fuisse ostenditur. Optimè verò ostenditur, bonum, ac fidelem Regem defensorem esse debere diuinæ fidei, ac veræ religionis, & diligenter curaturum, vt omnes errores, & superstitiones contram veram, & ab Ecclesia approbatam doctrinam, vel ingressum non habeant, vel vbi inuenti fuerint, expellantur. Hanc ergo fidelitatem ad Deum prædicti Reges boni ostenderunt, & in lege noua Constantinus, Carolus Magnus, & quintus, & alij Reges Catholici summa pietate obseruarunt, quamuis se non Ecclesiæ Parentes, aut Prælatos, vel Prælatis superiores, sed filios, subditos & protectores agnoscerent.

CAP. XXVI.

Argumento sumpto ex comparatione Regis, & Pontificis, satisfit.

POst reliqua facta Regum Israel, inducit Rex Angliç factum Salomonis, qui[Abiathar Sacerdotem exauthorauit, vt non esset Sacerdos Domini, vt ipse refert, indèque colligit, Regem fuisse Pontifice superiorem, vt inde concludat, idem in Christi Ecclesia seruandum esse. Fundaturque hoc argumentum in loco 3. Reg. 2. vbi Salomon quasi in exilium ire iussit Abiathar Pontificem dicens [Vade in Anathoth agrum tuum, equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini, &c.] & infrà cōcluditur. [Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt nō esset Sacerdos Domini. De hoc autē facto numquā in Scrip. reprehenditur Salomon; imò c. 3. additur: [Dilexit autē Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid Patris sui, excepto, quòd in excelsis immolabat] Quæ exceptio qualiscumque illa sit, (quod nunc non refert) ostendit Salomonem vsque ad illud tempus seruasse alia precepta, & consequenter in facto illo non peccasse. Imò aliqui in eodem facto clementiam Salomonis commendant, quia cùm Abiathar esset dignus pœna mortis, propter Sacerdotis munus, quod exercuerat, & quia laborum Patris sui particeps fuerat, vitam ei condonauit, & in mitiorem exilij, & depositionis pœnam commutauit. Vt autem illa eadem pœ-

pœna iustè illata fuerit, necessarium est, vt Salomon iurisdictionem, & superiorem potestatem in Pontificem habuerit; ergo Rex tunc erat Pontifice superior. Quod hoc argumento inter alia ducti fatentur ibi Abulensis quæst. 28. & 31. & fuit sententia diui Bonauenturæ in tractatu de Ecclesiastic. Hierarch. part. 2. §. 1. in fine, & in 4. distin. 24. in expositione literæ, quam etiam tradidit D. Thomas, si eius est opusculum 20. l. 1. de Regim. Principum cap. 14. in fine, quem multi etiam alij graues auctores sequuti sunt. Ex hoc ergo facto infert Rex Angliæ, etiam in lege noua, Regem esse Pontifice superiorem, ac subinde habere Primatum in regno suo.

Hæc verò obiectio fundatur in re valde dubia, scilicèt, an in lege veteri Pontifex esset exemptus à iurisdictione Regis quoad delicta, & iudicium, seu pœnam illorum, quam hic disputare nolumus, quia non putamus veritatem fidei, quam docuimus, ex quæstione illa inter Catholicos controuersa pendere. Præsertim quia vt sæpe dixi, quæstio de exemptione Clericorum à iurisdictione laicorum in temporalibus, diuersa omninò est à quæstione de primatu, & de potestate in spiritualibus. Ex illo autem facto ad summum colligi potest, Pontificem in lege veteri non fuisse exemptum à iurisdictione Regia, quoad tribunalia secularia, siue ciuilia, siue criminalia. Inde verò inferre non licet, Regem Salomonem habuisse iurisdictionem aliquam in spiritualibus, seu pertinentibus ad Deum, quia causa illa temporalis fuit. Nam crimen quod Abiathar commisisse supponitur, fuit læsæ maiestatis propter conspirationem cum Adonia contra Salomonem. Pœna item exilij temporalis erat. Depositio autem à pontificali munere, vel consequuta est ex priori pœna exilij, vel solùm fuit separatio quędam ab vsu illius muneris, quod faciliùs tunc fieri potuit, quia duo tunc eo munere fungebantur, scilicèt, Sadoc, & Abiathar, & ita potuit ex iusta causa remoueri Abiathar, vt solus Sadoc Pontificatum gereret. Et fortasse sicut sacrificia illius temporis carnalia erant, & cęremoniæ illæ vocantur à Paulo, [iustificationes culturæ, & sanctum seculare,] ad Hebr. 9. ita Pontificatus ille non erat adeò spiritualis, quin posset quis propter grauissimum crimen læsæ maiestatis illo priuari ab eadem læsa maiestate, si iurisdictio illi non deerat. Etenim si poterat illum vita priuare, vt verba illa indicant: [Equidem vir mortis es, &c. quid mirum, quòd posset illum Pontificatu priuare,

Addo verò vlteriùs, etiam hoc concesso, seu permisso, non sequi, Pontificatum eo tempore non fuisse, & dignitate, & potestate simpliciter superiorem Regi. Probatur, quia in primis illa munera erant omninò distincta, & impermista per se, seu directè. Nam de Rege supponimus habuisse supremam potestatem in temporalibus, quod verum simpliciter est: de potestate directa, siue extenderetur ad Sacerdotes, & Pontificem siue non, à qua nunc quæstione abstrahimus, vt dixi. Deinde Pontifici commissa erat potestas, & administratio spiritualium, seu in his quæ ad Deum, & ad fidei doctrinam, & legis declarationem pertinebant, vt constat ex Deuter. 17. [Si difficile, & ambiguum &c.] vsq; ad illud: [Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tẽpore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis morietur homo ille, &c.] Et ideò 2. Paralip. 19. pręsidere dicitur in his quę sunt ad Deum. In his ergo non poterat Rex se intromittere, vt satis probatur ex facto Oziæ Regis, qui cùm ministerium Sacerdotis exercere tentasset, adolendo incensum super altare tymiamatis, & Sacerdotibus resistentibus comminaretur, percussus est lepra vsque ad diem mortis suæ, vt refertur 2. Paralip. 26. Quod factum latè expendens Chrysostomus Homil. 4. de Verbis Isaiæ, &c. sic ad Regem affatur: [Mane intra terminos tuos; alij sunt termini Regis, alij termini Sacerdotij.

Quod autem inter illas duas dignitates maior simpliciter fuerit pontificia, expressis verbis subiungit idem Chrysostomus, dicens: [Hoc regnum, vtrique sacerdotale, illo maius est, id est temporali. Neque enim (ait) ex his quæ videntur hic, declaratur Rex, neque è gemmis illi affixis, neque ex auro, quo amictus est debet æstimari Rex. Ille quidem ea, quæ sunt in terris sortitus erat administrãda, cęterum Sacerdotij ius è supernis descendit.] Quod postea latè prosequitur. Et quamuis sæpe, & in multis de Sacerdotio nouæ legis loquatur, tamen de veteri etiam loquitur, vnde inferiùs ait: [Maior hic Principatus, propterea Rex caput submittit Sacerdotis manui, & vbique in veteri Scriptura Sacerdotes inungebant Reges.] Vnde idem Chrysostom. in psal. 113. exponens illa verba: [Domus Israel sperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum est; domus Aaron sperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum est: excellentiam Sacerdotij inde colligit, dicens: [Diuidit orationem in Israelem, & genus sacerdotale, quia non est conferendus priuatus cum Sacerdote, sed hic eum longè superat,] Itaque maioris honoris causa putat, sacerdotale genus diuisum esse à reliquo populo filiorum Israel, sub quibus Reges etiam comprehendi manifestum est. Eamdemque excellentiam multi colligunt ex eo quod Leuit. 4. nobilior victima pro Pontifice, quàm pro Rege offerri præcipitur, illud enim fuisse indicium excellentioris dignitatis, notauit Philo lib. de Victimis, & sequuntur ibi Theodoret. Procopius, & alij. Et ex 19. Exodi. Numer. 27. & 35. solent alia indicia huius excellentiæ desumi.

Ratio verò maioris dignitatis sumi potest ex materia vtriusque muneris: nam Pontificatus, etiam legalis proximè ordinabatur ad Deum, & non attingebat homines, nisi per ordinem ad Deum: regnum verò è contrario totum versatur circa homines, & quantum est ex se, seu ex vi sui obiecti, non attingit Deum, nisi quantùm ad hominum, & reipublicæ bonum expedit. Vnde materia Pontificatus altioris ordinis, & aliquo modo spiritualis etiam tunc erat. Ac denique sicut virtus religionis altior est, quàm iustitia, ita Pontificatus, ad quem munera religionis spectant, dignior est regno, cuius est tractare iustitiam. Hæc enim ratio etiam in lege veteri locum habebat. Atque eadem ferè proportione ostendi potest excessus non tantùm

in

in dignitate, sed etiam in potentia. Nam quod Pontifex tunc etiam haberet suam potestatem, non solùm ad ministrandum, sed etiam ad præcipiendum, & iudicium in controuersijs de lege, vel doctrina ferendum, negari non potest ex locis citatis Deuteron. 17. & 2. Paralip. 19. Quòd verò eius potestas in suo ordine suprema fuerit, probant illa verba Deuteron. 17. [Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c.] Et ex eisdem colligi potest, etiam Regem comprehendere: nam vniuersalia sunt; ergo etiam Rex erat subiectus huic potestati Pontificis, tenebaturque stare definitionibus, ac decretis ipsius, eiusque præceptis in sua materia obedire: ergo ex hac parte erat Pontifex Rege superior. Quòd si fortasse Pontifex quoad temporalia, vel ciuilia crimina subijciebatur Regi, & ideò diuersis respectibus, & fundamentis mutuam relationem inferioris, & superioris inter se habebant, nihilominùs propter excessum in materia, & fine, potestas Pontificis maior, & superior simpliciter appellari potest.

Addo præterea ex facto illo Salomonis (quod ad præsens spectat) non satis colligi, habuisse Regem iurisdictionem supra Pontificem in causa temporali, seu criminali, (quidquid sit, an possit aliunde probari.) Probatur primò quia multi censent Salomonem, non vt Regem, sed vt Prophetam deposuisse Abiathar, vt Theodoretus ibi, q. 9. & Procopi. ibidem, & plures ex modernis. Et fundantur in subiectis verbis: [Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem loquutus est super domum Heli in Silo.] Erat enim Abiathar ex semine Heli, cui per Samuelem prædixerat Deus 1. Reg. 2. fore aliquando, vt Pontificatus familiæ suæ auferretur, propter peccata filiorum eius, quæ fortasse fuerunt in Abiathar completa. Salomon autem spiritu prophetico id intelligens, & diuino instinctu permotus, executioni mandauit quod Deus fuerat comminatus. Quòd si hoc ita est, nihil ex illo loco colligi potest de potestate, seu iurisdictione ordinaria Regum supra Pontifices, quia illa fuit extraordinaria. Atque hæc responsio facilè sustineri potest, probari autem difficilè: quia verba illa, [vt impleretur, &c.] frequenter dicuntur, etiam si comminationes Dei per malos ministros, & mortes, aut violentias iniustas impleantur. Quia per illa verba non redditur ratio quæ mouet hominem ad operandum, sed quę Deum mouit ad permittendum, seu tantùm significant consequutionem vnius ex alio, non causam. Sicut de militibus crucifigentibus Christum dicitur, diuisisse Vestimenta, [vt impleretur, &c.] Matth. 27. Nihilominùs tamen illa responsio probabilis est, quam auctoritate Innocent. III. in lib. seq. confirmabimus, & eam defendit Cardinal. Bellarmin. Tum ex alijs Scripturę locis, tū ex ponderatione verbi Hebraici in c. 15. cōtr. Barclai.

Alij verò non dubitant dicere Salomonem in eo facto iniustè egisse, vsurpando potestatem, quam non habebat. Ego verò id affirmare non audeo, propter verba Scripturæ, quæ ex cap. 3. allegaui, & quia apud antiquos Patres, & expositores non inuenio factum illud inter peccata Salomonis numeratum, eiue in culpam tributum. Quocircà si nec iurisdictionem, nec peculiarem instinctum, aut reuelationem habuit, potiùs excusarem illum, dicendo relegasse, vel separasse Abiathar, qui contra ipsum conspirauerat, non puniendo delictum, sed quasi defensioni suæ, & conseruationi pacis, & regni consulendo. Nam si Abiathar contra ipsum conspirauerat, & Adoniæ amicitia coniunctus erat, timere non immeritò poterat Salomon, ne post Adoniæ mortem Abiathar in Pontificatus ministerio, & Hierosolymis manens, aliquid in suam perniciem moliretur. Tales ergo circumstantiæ tunc occurrere potuerunt, vt posset Rex prudenter, & sine peccato illo modo cogere Pontificem, etiamsi iurisdictionem in illum non haberet.

Addo verò vltimo etiam si daremus (quod nunc non concedimus) Pontificem in lege veteri non fuisse exemptum à potestate coerciua Regis, nullum inde argumentum sumi ad tempus legis gratiæ. Nam potestas Regum in lege gratiæ in se non est maior, quàm fuerit in lege veteri, in vtraque enim est merè ciuilis, & naturalis ordinis, ac originis, quamuis in lege veteri fuerit specialiori modo à Deo collata. Dignitas autem, & potestas pontificia est longè maior, & altioris ordinis, vt ex hactenùs dictis satis constat, & in Tractatu de Legibus dictum est. Ideòque nullum argumentum fieri potest à Pontifice veteri ad Christi Vicarium in his, quæ ad subiectionem, & imperfectionem pertinent. Nam Mosaico Pontifici non sunt datę claues regni cœlorum, neque illa potestas ligandi, & soluendi, cuius actio in terris rata habetur in cœlis, quæ Summo Pontifici Vicario Christi datæ sunt cum suprema Ecclesiæ gubernatione longè maiori, quàm habebat vetus Pontifex ad regendam Synagogam, cui nullibi dictum est: [Pasce oues meas,] sicut dictum est Petro. Ergo multò magis pugnat cum Pontificatu legis nouæ subiectio ad temporalem Principem, quàm in lege veteri repugnaret, ac proinde ex factis legis veteris nullum argumentum ad legem nouam sumi potest. Præterquàm quod Pontificatus illius legis ad ceremonialia eius pertinebat, quæ iam omninò cessarunt, & noua institutio facta est, secundùm quam suprema potestas, & exemptio Vicario Christi data est.

Sed vrgent aduersarij postulantes à nobis, vt hanc institutionem ex Scriptura ostendamus, vtunturque altero modo contra nos argumentandi ex Scripturis, quod suprà negatiuum vocauimus, nimirum, quod nullibi in Nouo Testamento scriptum inueniatur, Pontificem Romanum habere Primatum, seu potestatem in Reges, præsertim quæ ad temporalia aliquo modo extendatur. Si autem quæ hactenus diximus, expendantur, non solùm facilè huic argumento respondemus; sed etiam planè euidenter in Regem Angliæ illud retorquemus. Primum enim, quod attinet ad potestatem, & Primatum in Reges, iam constat ex superiùs dictis, vbi declarauimus, quomodo hæc potestas ex Scriptura, & verbis Christi colligatur, neque esse necessarium, vt ipsa etiam collectio in Scriptura sit expressa, sed satis, superque esse, vt traditione,

& definitione Ecclesiæ declarata, ac firmata sit. Quòd verò ad exemptionem pertinet, præter quam, quod ex ipsa superiori potestate manifeste colligitur, ex verbis etiam Christi, & simili Ecclesiæ traditione in libro sequenti probabitur.

Ad argumentum ergo negatiuum negamus, potestatem Pontificis Romani in Reges ex Scriptura non probari. Retorquemus autem argumentum hoc modo: Primatus Regis Angliæ non probatur ex Scriptura, & secundum fidem eius, nihil est credendum, quod in Scriptura non continetur; ergo secum repugnat, illum asserendo, & subditos ad illum credendum cogendo. Maior probatur, quia ex Veteri Testamento non ostenditur, tum quia omnia testimonia, quæ afferuntur, id non probant, etiam de statu legis veteris, vt vidimus, & licèt probarent de illo tempore, nihil pro statu Legis nouæ efficerent, vt etiam ostensum est. Neque etiam ex Nouo Testamento probari potest: nam omnia testimonia, quæ Rex adducit, nullius momenti sunt, vt ostendimus. Vnde Sacellanus eius (vt relatum inuenio) ingenuè fassus est, fundamentum illius primatus in solo Veteri Testamento quæri oportere, & nullum illius in nouo vestigium, aut exemplum inueniri. Idemque argumentum fieri potest contra exemptionem Regis Angliæ à iurisdictione coactiua Pontificis, nam illius fundamentum, si quod esse posset, esset certe in veteri testamento quærendum; in nouo autem nullum habet, sed pugnat potiùs cum generalibus verbis Christi: [Quodcumque ligaueris, & pasce oues meas.]

CAP. XXVII.

Alijs obiectionibus ex Concilijs sumptis satisfit.

ADdit præterea Rex Angliæ in sua Præfat. pag. 21. [Prædictam in Reges potestatem à Pontificibus vsurpatam cum Concilijs, & Patribus pugnare:] dicitque in sua Apologia id demonstrasse. In ipsa verò Apologia pag. 29. in primis inducit Concilium Arelatense tempore Caroli Magni congregatum, quod in fine capitulorum ita concludit. [Hæc igitur sub breuitate, quæ emendatione digna perspeximus, quàm breuissimè adnotauimus, & Domino Imperatori præsentanda decreuimus, poscentes eius clementiam, vt si quid hic minus est, eius prouidentia suppleatur, si quid secùs, quàm se ratio habet, eius iudicio emendetur, si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio diuina opitulante clementia, perficiatur.] Ex quibus verbis colligere vult Rex Angliæ, Patres illius Concilij recognouisse Imperatorem, vt iudicem, & superiorem suum, & suorum decretorum.

Nihil tamen minus ipsi senserunt, aut Imperatorem sentire existimarunt. Nam in prologo eiusdem Concilij sic de Imperatore loquuntur. [Ecclesiæ Dei statum vigili instantia roborare disponit.] Et infra. [Omnibus Dei Sacerdotibus obsecrans, & obtestans, vt Ecclesias, quas regendas susceperunt, pia prædicatione instruant, &c.] Et in fine prædictorum verborum non postulant, sua decreta ab Imperatore confirmari, sed eius adiutorio perfici, idest, executioni mandari. Regimen ergo Ecclesiarum non Imperatori, sed sibi creditum esse cognoscunt: duo verò Imperatoris officia in huiusmodi rebus indicant, scilicet, exhortari, & adiuuare Pastores Ecclesiæ in suo regimine, quæ vt sæpè diximus, ad iurisdictionem non pertinent, sed ad pietatem, & humanam potentiam, seu auctoritatem. Est præterea in verbis illis aduertendum in eis non esse sermonem de rebus fidei, sed de decretis pertinentibus ad moralem vsum, vt patet ex verbis illis, [quæ emendatione digna perspeximus, quàm breuissime notauimus.] Quia ergo in illis multa decreta erant, quæ laicos simul cum clericis contingebant, vt patet ex cap. 4. 5. 12. 13. 15. 22. & 23. ideo prudenter fecerunt, illa Imperatori præsentando, vt eius auctoritate adiuti, ea possent faciliùs executioni mandare. Cætera autem verba vrbanitatis, modestiæ, & humilitatis sunt, vt ex vsu similium verborum constat, ideòque vanum est, ex illis propriam subiectionem, vel iurisdictionem colligere.

Secundo obijcit Rex. [Sex Concilia generalia, quæ ait, se ir penitùs Carolo Magno tradidisse.] Nominat autem Concilium Francofordiense, Arelatense, Turonense, Cabiloneuse, Moguntinum, ac Rhemense. Sed in primis non video, cur hæc generalia Concilia vocet, cùm ferè omnia prouincialia sint, & ad summum quædam sint nationalia; deinde nihil in dictis Concilijs reperio, propter quod dicantur, [se penitùs Carolo tradidisse.] Et in primis Concilium Francofordiense sine dubio generale non fuit, nam, vt ex titulo epistolæ eiusdem Concilij ad Præsules Hispaniæ constat, solùm Episcopi Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ in eo interfuerunt, & de Legatis Apostolicis, eiusue confirmatione nulla fit mentio. De Carolo autem Magno in titulo libelli sacrosillabi solùm dicitur, Concilium fuisse habitum sub præsentia Clementissimi Principis Caroli. Vbi Carolus non vt auctor, sed vt exhortator, & defensor neque vt pars Concilij, sed vt honorificus testis ponitur. Et quamuis in principio libri sacrosyllabi Carolus necessitatem extirpandi quemdam errorem Concilio proponat, posteà verò solum Concilium est, quod veritatem docet in discursu illius libri, cuius auctor dicitur fuisse Paulinus, qui in fine libri sic ait: [Nos autem Domini, & charissimi fratres sequentes præcedentium Patrum sanam fidei doctrinam, respuentes per omnia deliramenta nugacium hominum corde credamus ad iustitiam, & ore confiteamur ad salutem, &c.] Postea verò solùm orat pro Carolo Magno, [vt Deus eum protegat, & defendat, &c.] eumque postea precatur, vt contra visibiles hostes pro Christi amore dimicet. Neque ibi aliud verbum inuenio, quo illud Concilium [se penitùs Carolo tradiderit.] Satiusque fecisset Rex Angliæ, si in actis illius Concilij considerasset, eumdem Carolum in epist. ad Elipandum, & alios Hispanos Sacerdotes, non Patrem, aut Primatem Ecclesiæ, sed filium, & defensorem sanctæ Dei Ecclesiæ seipsum

ipsum appellare. Item potuisset aduertere, Patres illius Concilij cum in fine dicti libri sententiam protulissent, statim addidisse, [reseruato per omnia iuris priuilegio Summi Pontificis Domini, & Patris nostri Adriani primæ sedis beatissimi Papæ.] Item notare posset quod inferiùs aiunt, [& Beati Petri primi Pastoris Ecclesiæ.] Ac denique notari potest, solam Synodum Episcoporum, scripsisse doctrinam fidei ad Elipandum, & alios; postea verò scripsisse Carolum tamquam protectorem, & defensorem Synodi,

De Concilio Arelatensi iam diximus. In Turonensi autem nihil aliud inuenitur, nisi quod in eius præfatione illum laudant, & saluberrimis eius exhortationibus illuc conuenisse fatentur, in fine autem his verbis concludunt: [Hæc nos in conuentu nostro ita ventilauimus, sed quomodo deinceps pijssimo Principi nostro de his agendum placebit, nos fideles famuli libenti animo ad nutum, & voluntatem eius parati sumus:] Quid enim aliud religiosi, & prudentes, ac modesti Episcopi dicturi erant ad pium Imperatorem, qui sancto zelo ea tantum, quæ ad bonum Ecclesiæ pertinebant, procurabat, non tamquam Ecclesiæ gubernator, sed tamquam filius, & defensor, In Concilio autem Cabilonensi in principio habentur similia verba supra tractatis ex Concilio Arelatensi, & ideò idem repetere necesse non est. Nam in illo Concilio solùm agitur de moribus, & inter illius decreta etiam inueniuntur aliqua laicis communia, vt cap. 18. & 21. & maximinè 45. Vbi eam ob causam in adhibendo remedio quibusdam publicis, & communibus vitijs sententia Imperatoris expectanda dicitur. Neque aliud verbum in illo Concilio inuenio, quo se penitus Imperatori tradiderit. Sed in capite 66. tantum decretum est, vt ab omnibus indesinenter oretur pro Rege, quod longè diuersum est. Immò ibi additur dixisse Concilium, Scripturarum monita, & Canonum instituta diligenti indagatione inquirenda, & simili obseruatione perficienda esse, in quo non Imperatoria, sed Ecclesiastica auctoritas post scripturas commendatur; Quin potiùs illi subiectioni Concilij ad Imperatorem, quam exaggerat Rex Angliæ, repugnant capita 28, & 37. eiusdem Concilij. Nam in priori dicitur, de gradibus propinquitatum, matrimonia vtique prohibentium, vel irritantium, Canones Ecclesiasticos consulendos esse, non Regem. Posteriori verò dicitur, Conciliorum Canones à Sacerdotibus legendos esse, & intelligendos, quia per eos viuere debent, & docere.

Idem ferè iudicium est de Concilio Moguntino, nam licèt in Præfatione Concilij Patres eodem honore tractent Imperatorem, & omnia ad illum referant, sicut præcedentia, nihilominus satis ibidem distinguunt potestates, & laicis controuersias mundanarum legum, vulgique iustitias (vt aiunt) committunt, & vnicuique personæ, & statui proprium honorem impendunt: [Secundum dictum (inquiunt) Beati Petri primi Pastoris Ecclesiæ.] Vnde inferiùs subdunt: [Insuper etiam congruum nobis esse videbatur, vt sacerdotes, & Ecclesiæ Dei iure legitimo, & inconuulso honorarentur: de quibus Dominus ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos recipit, me recipit. Qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit. Et Apostolus ad Hebræos: Obedite, inquit. Præpositis vestris, & subiacete eis, Ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.] Inferiùs verò in cap. 6. cùm de filijs exhæredatis à parentibus quædam disponerent, quoniam ciuilem materiam attingere videbantur, addunt: [Quantum ad nos, vel ad nostram pertinet potestatem,] & ad Imperatorem aiunt; [Quòd si fortè extra officium nostrum alicubi inuentum fuerit admonere vestram clementiam audeamus, vt emendentur,] Vbi apertè sua potestate in causis spiritualibus, & pijs disponunt, vbi autem seculare auxilium necessarium est, illud ab Imperatore postulant, Sicque in cap. 7. in causis pauperum aiunt: [Hoc omnino emendetur per iussionem vestram.] Et in cap. 8. optimè de vtraque potestate loquuntur.

Denique in Concilio Rhemensi fit quidem in principio honorifica mentio Imperatoris, nihil autem ei tribuitur, quod iurisdictionem aliquam in Concilio ei concedere videatur. Immò cùm in principio dicatur, (quod in superioribus etiam quatuor Concilijs dictum erat): [Conuentum illum à Domino Carolo pijssimo Cæsare more priscorum Imperatorum fuisse congregatum,] quasi in declarationem illius moris additur, [Ordinante Vlfario eiusdem sanctæ Sedis Archiepiscopo;] Quod paulò post in Concilijs etiã generalibus explicabimus. Nam hæc quinque, de quibus diximus, prouincialia tantùm sine dubio fuerunt, & ideo conuocatio propria, & cum potestate iurisdictionis ad Archiepiscopum pertinebat, tribuitur autem Imperatori tanquam petenti, & per temporalia subsidia cooperanti.

Tertiò obijcit Rex quatuor prima generalia Concilia, Immò, & alia, inquit, quatuor sic vulgo appellata Imperatoris prudentiæ, ac pietati se se in omnibus subiecisse. Adeò, vt Ephesinum illud quater satis distinctè inculcet, se accitos coijsse Imperatoris oraculo, nutu, sanctione, & mandato.] Inducit præterea verba eiusdem Concilij in epistola ad Augustos, vbi Patres dicunt, [vniuersos se supplices ad pietatis eius dominationem confugere, vt quæ contra Nestorium, & illi consentientes gesta sunt, robur suum haberent.]

Verumtamen in quatuor primis Concilijs dissimulat Rex ea omnia, in quibus Episcopi Romani Primatus, & potestas supra Imperatores, & supra Concilia generalia ostenditur, & vnum tantùm, vel aliud verbum arripit, quo Imperatoria dignitas in suo gradu commendatur, & facilem habet ex alijs locis intelligentiam. Et quoniam de Concilio Niceno nihil in particulari Rex adducit, & multa à nobis in superioribus allegata sunt, nihil hic addere necesse est, præsertim cum sit notum, quantum Constantinus Imperator in illo Concilio Episcopis, & eorum potestati detulerit.

Ex Concilio etiam Constantinopolitano 1. nihil Rex notat, cum tamen ignorare non debeat, quid Patres illius Concilij ad Damasum Papam scripserint, nimirum.

[Man-

[Mandato literarum superiore anno à vestra reuerentia post Concilium Aquileiense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus, atque de hoc vno Concilio celebrando consensum Episcoporum vna nobiscum attulimus.] Ecce quomodo Imperatores ad cogenda Concilia concurrunt, scilicet, vel impetrando, & postulando à Pontifice conuocationis mandatum, vel illo obtento illius executionem procurando, vel in virtute illius iubendo.

Ex Concilio etiam Ephesino posset Rex Theodosij, & Valentiniani Imperatorum verba, quæ in epistola ad Concilium posuerunt, notare. Cum enim Candidianum Comitem ad Concilium mitterent, vt esset quasi Concilij protector, & pacis conseruator, subiungunt: [Sed ea lege, & conditione, vt cum quæstionibus, & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat, nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum cathalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus sese immiscere.] Habetur hæc epist. in tom. 1. illius Concilij cap. 32. Et in cap. 29. habetur epist. Cyrilli ad Cælestinum Papam, in qua petit, vt sententiam suam in causa fidei, quæ tunc contra Nestorium tractabatur Macedoniæ, & totius Orientis Episcopis perspicuè per literas exponat. Et ex tom. 2. præsertim à cap. 13. constat nihil in illa Synodo sine Pontificis auctoritate actum esse. Præterea in actis præambulis ad Concilium Chalcedonense habetur epist. Valentiniani, & Marciani Augustorum ad Leonem Papam, ad quem ita loquuntur, [Tuam sanctitatem Principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem sacris literis in principio iustum credimus alloquendam, inuitantes, atque rogantes; vt pro firmitate, & statu nostri Imperij æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur, & vt tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.] In quibus verbis maximè expendo illam particulam, te auctore: nam ex illa cùm præcedentibus optimè explicatur, quid Imperator, quiduè Pontifex in congregando Concilio conferat, scilicet, Imperator intercessionem, Pontifex auctoritatem. Eademque verba sufficiunt ad explicanda verba Concilij Ephesini de conuocatione illius per Imperatorem. Quæ vero Patres eiusdem Concilij post illius definitionem ad Theodosium scripserunt supplicantes, vt in illo gesta, ac definita suum robur obtineant, eumdem supra explicatum sensum habent, scilicet, petijsse Patres illos, vt auctoritate sua fidem protegerent, ac defenderent. Vnde inferius in alia epist. ad Augustos, eos exhortantur, vt vestigia maiorum suorum imitentur, vt [quemadmodum, inquiunt, singuli eorum sanctorum Patrum Synodis Imperij sui tempore celebratis paruerunt, Patrumque sanctiones legibus suis munierunt, & quam illis deferrent obseruantiam, decretis suis ostenderunt, ita & vos, &c.] Vbi clare Imperatoris esse docent, parere, & obseruantiam exhibere decretis Synodorum generalium deinde vero suis legibus ea munire, & executionem procurare. De quo puncto legi etiam potest Synodus III. Romana sub Symmacho, vbi non solùm Patres, sed etiam Theodoricus Rex Pontifici tribuunt potestatem cogendi Concilia licet ad petitionem Imperatorum, aut Regum illa frequenter vtatur.

CAP. XXVIII.

Patrum testimonijs, quæ Rex obijcit, satisfit.

Vlterius obijcit Rex quasdam Patrum sententias. Prima est August. in psal. 124. vbi ait, Iulianum tametsi iniquum, infidelem & idololatram, nihilominus fuisse verum Dominum temporalem, illique fuisse à Christianis obediendum. At quis hoc negat? superius enim ex professo à nobis probatum est, infideles etiam esse posse veros Reges, & Dominos, eisque in rebus iustis, & licitis parendum esse. Quod etiam verum esse dicimus de Rege hæretico, & schismatico, quamdiu per Ecclesiam non depouitur, suo Regno priuatur. Atque ita loquutus est Augustinus. Quod si Rex dicit, non posse deponi, oportet, vt aliunde id probet, nam Augustinus certè id non dicit, & in alijs locis generaliter docet, iustum esse, hæreticos, per cruciatus, & pœnas ad fidem compelli. Quod si Rex argumentum inde sumat, quod apostata ille impijssimus per Ecclesiam depositus non est. Respondemus: argumentum nullius esse momenti, nō enim ideo id facere omisit Ecclesia, quia iure non posset, sed quia otiosum fuisset id tentare, quod exequi tunc non poterat.

Secundum testimonium est Tertulliani lib. ad Scapulam cap. 2. [Christianus nullius est hostis, ne dum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit, cum toto Romano Imperio, quousque seculum stabit, tamdiu enim stabit. Colimus ergo, & Imperatorem sic, quomodo, & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.] Hoc vero testimonio, & alio Tertulliani nos etiam supra vsi sumus, vt potestatem supremam Regum temporalium probaremus, nihilque aliud ex verbis illis cum fundamento colligi potest. Nam quod Imperatorem vocat hominem à Deo secundum, ideo dictum est, quia in ordine temporalis regiminis Imperator, vel Rex supremus immediatè sub Deo est, & nullum alium in eo ordine superiorem recognoscit. Atque in eodem sensu accipiendum est, quod illum vocat solo Deo minorem, vtique in suo Imperio, obedientia, ac regimine purè ciuili, ac temporali. Nam alioqui manifestum est, posse vnum Regem, vel Imperatorem temporalem esse maiorem alio in potestate, & ditione, etiamsi vnus alteri non subijciatur. Maiorique ratione Pontifex maior est Imperatore, quia non solùm dignitate, & ditione excedit

sed

sed etiam illi superior est in alio excellentiori ordine, & in ordine ad altiorem finem. Sicque locum habet limitatio, quam in eisdem verbis Tertullianus adhibet: [Colimus Imperatorem sic quomodo, & nobis licet, & illi expedit,] vtique in his, quæ potestati illius subiacent, & Deo, eiusque fidei non repugnant. Nam cum in his excedit, & delinquit Imperator, iam non legitima potestate vtitur, & si Christianus sit, vt talis superiorem habet, à quo corrigatur.

Neque plus probant verba, quæ tertio loco ex Iustino adducit Apolog. 2. pro Christian. quæ nos etiam supra tractauimus, & nihil probant, nisi Imperatorem, & Regem, quamdiù Rex est, esse verum Dominum, cui obediendum est in his, quæ illi subiacent. Nemo autem dubitabit, posse Regem, vel Regno renunciare, vel illud amittere, & tunc etiam dominium eius, ac potestatem, & consequenter etiam obligationem illi obediendi cessare.

Quartò adducit verba Ambrosij orat. Contr. Auxent. de Basilic. non tradend. in initio: [Dolere potero, potero flere, potero gemere, aduersus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt. Talia munimenta sunt sacerdotis. Aliter neque debeo, nec possum resistere.] Quibus verbis videtur velle concludere Rex Angliæ, Pontifices non posse iniquis schismaticorum Regum conatibus potestate resistere, sed solo verbo, exhortatione, ac precatione. Longè verò diuersa erat mens Ambrosij, quam satis ostendit, quando Theodosio non sola prece, sed Imperio, & spirituali potestate restitit. Sententia igitur Ambrosij fuit, non esse sacerdotis officium arma sensibilia, & materialia contra Imperatorem tyrannum, aut rebellem sumere, & militum catetis illi resistere. Et nihilominus non negat habere Ecclesiam potestatem, qua illi resistat, sed quia hæc sæpe contra incorrigibiles, & contemptores efficax non est, ideo ait, vltimum refugium sacerdotis in lachrymis, & precibus ad Deum positum esse. Potuisset autem Rex Angliæ attentiùs expendere verba, quæ in fine orationis posuit Ambrosius: [Quid honorificentius, quàm vt Imperator filius Ecclesiæ esse dicatur, quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.] Ergo sicut filius corrigi poterit à Patre, & vt inferior à superiore, quia si superior non est, profectò inferiorem esse necesse est; nam duo capita æqualia sine schismate esse non possunt. Estque similis locus, eodemque modo explicandus apud Chrysost. homil. 4. de verb. Isai. [Nam sacerdotis tantùm est arguere, liberamque præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere, sed tantùm arguere, ac liberam præstare admonitionem.] Sub verbo enim arguendi intelligendum est comprehendi quicquid ad correctionem Ecclesiasticam pertinet, & tunc etiam locum habet, quod idem Chrysostomus præmittit: [Vbi sacerdos contemptus est, dignitasque sacerdotij conculcata, neque quicquam præterea potuit sacerdos (dicit Deo,) ego quod erat mei officij præstiti, nihil amplius possum, succurrere sacerdotio, quod conculcatur, &c.] Agit autem de Azaria, qui quantum potuit restitit Oziæ, & cum proportione de Pontifice nouæ legis intelligendum est.

Quintò loco adducit verba Optati lib. 3. contra Parmen. [Super Imperatorem non est, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.] Sed hæc verba eodem modo, quo similia Tertulliani, exponenda sunt, scilicet Imperatorem esse in suo ordine sub Deo supremum, quod non excludit subordinationem ad spiritualem potestatem; quam vt Christianus habet. Et hanc fuisse intentionem Optati ex alijs locis eius in superioribus allegatis, & ex occasione, quam tunc habuit Imperatoriam dignitatem tuendi, satis manifestum est. Agebat enim ibi contra Donatum, qui Imperatorum leges despiciebat, dicens. [Quid est Imperatori cum Ecclesia, quæ vt ait, contra præcepta Apostoli Pauli meditabatur.] De quibus præceptis inferius ait, seruanda esse, etiam si Imperator gentiliter viueret. Quod ergo ait, solùm Deum esse maiorem Imperatore, etiam de Imperatore gentili intelligit, de quo cogitare non potuit, habere in Ecclesia Primatum, vel spiritualem potestatem; loquitur ergo de Imperatore solum quoad temporalem potestatem.

Sextò maiorem vim facit in verbis Greg. lib. 2. epist. 61. indict. 2. alias cap. 100. quæ est ad Mauritium Imperatorem super legem, quam tulerat, vt milites in Monasterio non susciperentur, quæ erat iniusta, & contra supernaturalem finem, & nihilominus non est ausus reuocare illam per eam indirectam potestatem, quam nos illi tribuimus; non ergo illam in se agnoscebat. Vnde postquam Gregorius verbis submissionis, & humilitatis Imperatorem alloquutus fuerat, eum Dominum suum, seque famulum pietatis suæ,] appellans, deinceps iniquitatem legis ostendens inter alia, sic inquit, [Ego vero hæc dominis meis loquens, quid sum, nisi puluis, & cinis? sed tamen quia contra Dominum Deum hanc intendere constitutionem sentio, Dominis tacere non possum.] Et nihilominus in fine epistolæ ita concludit: [Ego quidem iussioni subiectus eamdem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minimè concordet, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nunciaui. Vtrobique ergo, quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.]

Respondemus, satis in superioribus ostensum esse, quid diuus Gregorius de Imperatorum potestate in Ecclesia senserit, cùm in Psalmo 5. Pœnitent. aliàs 101. circa versum illum: [Tota die exprobrabant mihi inimici mei,] contra eumdem Mauritium Imperatorem scriptum reliquerit: [In tantùm suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet.] Et infra in alium versum: [Initio tu Domine terram fundasti,] eumdem Mauritium inter Ecclesiæ persecutores annumerat, dicens: [Quid Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam

per-

persequitur?] Ex hoc ergo loco alterius intelligentiam rectè colligunt Cardinales Baronius, & Bellarminus. Cùm enim ille Imperator, licet Catholicus, & aliàs Ecclesiæ benefactor, sua potestate abuteretur, prudenter egit Gregorius ad eum submissè scribēdo, & blandè illum exhortando, & instruendo, vt faciliùs illum ad legis emendationem, vel reuocationem induceret. Igitur non ideirco statim potestate sua vsus non est, quia illam non haberet, sed quia non sperauit tunc fructum, si rigore vteretur. Et ideò in principio eiusdem epistolæ ad hoc insinuandum, & ad tuendam sui muneris dignitatem ait: [Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione; neque vt Episcopus, neque vt seruus iure reipublicæ, sed iure priuato loquor.] Et nihilominus prouidentiam erga Ecclesiam eo tempore necessariam non omisit, nam legem illam, quam in fine illius epist. ad varias Mundi partes transmitti fecisse, dicit: non sine debita correctione, & moderatione transmisit: vt constat ex eiusdem epistola ad Episcopos diuersarum regionum, quæ habetur lib. 7. indict. 2. epist. 11. Vbi postquam dixit, [legem quam Imperator dedit, &c. Vestræ studui firmitati transmittere, &c. subdit, Hoc maximè exhortans, &c. vt nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita, suscipiendi non sint, post sufficientem autem probationem, & examinationem,] ait suscipiendos esse. In quo manifestè vsus est auctoritate, quam habebat supra leges ciuiles in ordine ad bonum animæ, & spiritualem finem moderandi legem.

Vltimo possumus addere nonnullas alias Patrum loquutiones, quæ nimium potestati, seu dignitati ciuili fauere videntur. Ignat. epist. ad Smirnen. [Honorare oportet, & Regem, neque enim Rege quisquam præstantior, aut quisquam similis ei in rebus omnibus creatis.] Intelligitur autem de præstantia, & de similitudine in potestate, vtique in suo ordine vt diximus. Vnde ibidem de Episcopo etiam ait, esse honorandum, vt Principem sacerdotum, imaginem Dei ferentem, & Christi. Et infrà: Nec Episcopo, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute, quicquam maius est in Ecclesia. Quod etiam respectiuè & cum proportione intelligendum est. Cyrill. etiam Alexandr. lib. de Recta in Deum fide ad Theodosium in principio sic ait. [A Deo cuius est summa celsitudo, vobis clarissimi Reges humanæ claritudinis fastigium incomparabilibus excellentijs præ omnibus alijs exurgens, & exaltatum, eximiaque, ac honesta sors sunt data. Vos enim estis summarum dignitatum fontes, & supra omnem eminentiam, humanæque felicitatis principium, ac origo. Et vestræ quidem maiestatis clementissimis nutibus, quidquid regni solijs substratum est, vt vitam legitimam, & admirabilem agat, gubernatur, at] qui iugum non ferunt, facilè à vestro robore victi cadunt.]

Hæc autem verba superiùs dictam intelligentiam facilè recipiunt, & tam moderatione, ac prudentia scripta sunt, vt non solum verum sensum statim per se probant, sed etiam esse aliam potestatem excellentiorem, & plus quam humanam satis indicent. Ideò enim dixit Cyrillus, datum esse Regibus humanæ celsitudinis fastigium, quia sacerdotale, & Pontificale plus est, quam humanum. Vnde cum postea dixit, Imperatorem esse summarum dignitatum fontem, & supra omnem eminentiam, statim addidit, humanæ fœlicitatis principium, & origo. Nam illa omnia de dignitatibus terrenis, ac temporalibus, quæ ad humanam, id est, naturalem, seu ciuilem fęlicitatem ordinantur, intelligenda sunt. Quod magis declarant illa verba. [Quidquid regni solijs substratum est, vt vitam legitimam, & admirabilem agat, vestris nutibus gubernatur.] Sciebat enim Cyrillus esse multa, quæ regni solijs substernuntur quæ tunc clariùs explicare non erat necesse; quia non doctrinam Ecclesiasticam tradere tunc instituerat, sed tantùm Imperatorem ad veram, de Christo fidem audiendam beneuolum reddere.

Vltimo possunt notari verba Symmachi Papæ in Apologet. aduersus Anastas. Imperatorem, vbi comparans Pontificem cum Imperatore in honore eis debito ait: [Vt non dicam superior, certè æqualis honor est.] Verumtamē ex antecedentibus constat sensus & modestia Pontificis. Dixerat enim, [Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantùm distat, quantùm ille rerum humanarum curam gerit, iste diuinarum.] Ex quo principio potuisset quidem expressè concludere, maiorem honorem Pontifici esse debitum, propter modestiam vero noluit. Vocauit autem honorem æqualem, non simpliciter, [sed secundùm proportionem, quatenus vterque eorum in suo ordine supremus est. Postea verò in discursu Apologiæ disertè affirmat, & probat, habere se auctoritatem superiorem, ad cogendum Imperatorem, si hæreticus sit, aut cum hæreticis ab Ecclesia damnatis communicet.

CAP. XXIX.

Obiectionibus ex rei nouitate, & factis Imperatorum, Regumque desumptis satisfit.

Conquæritur vlterius Rex Angliæ, quod potestas hæc in Christianos Principes per ambitionem, & abusum sit vsurpata, vt in præfatione ait pag. 22. Vt autem hoc persuadeat, etiam vsum eius nouum esse contendit. Sic enim in præfatione pag. 24. dicit, nouum esse, & absurdum sensum illorum verborum Christi: [Pasce oues meas,] & [Quodcumque ligaueris,] ex quo genus illud potestatis colligitur. Et pag. 60. cùm dixisset Petrum fuisse illorum Apostolorum, quos Christus elegit, Principem tantùm ordine quodam, subiungit: [Nec aliquid sibi amplius trecentis post Christum annis Romanæ Sedis Episcopus arrogauit.] Deinde, vt hanc nouitatem suadeat, ibidem in generali dicit Romanos Episcopos vsque ad Phocæ tempora Imperatoribus subiectos fuisse. Sed hoc quàm sit à veritate alienum, satis in superioribus ostensum est. Antea verò pag. 28. & seqq. aliqua Imperatorum, & Regum facta recensuerat, quæ ad præ-

prædictam nouitatem vsurpatæ iurisdictionis, & antiquam subiectionem Romanorum Pontificum ostendendam induci possunt, de quibus propterea hic nobis dicendum est.

Prius verò ad generalem de nouitate querelam refutandam sufficere quidem possent ea, quæ ad probandam hanc potestatem ex antiquo vsu, & traditione adduximus. Breuiter tamen addimus, si sermo sit de ipsa potestate, tam antiquam esse, quàm est antiqua Monarchiæ Ecclesiasticæ institutio, quæ ab ipsomet Christo verbis satis expressis facta est. Nam hunc esse legitimum sensum illorum verborum, eumque non nouum, sed antiquissimum, immò & perpetuum in Catholica Ecclesia fuisse, satis demonstratum est. In illa verò institutione, ac potestate includi ius hoc ad cogendos Christianos Principes, hæreticos, schismaticos, vel Ecclesiæ inobedientes, perniciosos, & incorrigibiles, euidentibus rationibus, ac testimonijs ostensum est. Quibus cùm Rex Angliæ nihil habeat, quod respondeat, fingit, Catholicos asserere, posse Pontificem ad libidinem Regna tollere, & condonare, vt ait in præfatione pagina 23. immò etiam pro libidine posse illos ad occisionem ducere, vt pagina 24. adiungit. Vbi etiam addit, verba illa Christi: [Pasce oues meas,] ita à nobis exponi, [Tamquam hoc significarent, tolle, proscribe, abdica Christianos Principes, atque Reges.]

Sed (vt iterùm iam in superioribus dixi) hæ sunt euasiones friuolæ, vanaque portenta à Protestantibus inuenta, vt & Regi imponerent, & odium in Catholicos, & in veritatem ipsam excitarent. Num quid enim, quia Rex Angliæ potestatem habet ad coercendos subditos suos in istis pœnis, quando delinquunt contra suas leges, ideò dicendus est, ad libidinem suam posse occidere subditos, eosve bonis suis priuare? Certè neque subditi sui hoc audire vellent, neque ipse tantam tyrannidem sibi attribui permitteret. Cur ergo in Christi Vicario fingit, quod de se puderet audire? Vera ergo nouitas in hac tyrannica potestate fingenda à Protestantibus reperta est; antiquitas autem legitimæ potestatis Pontificiæ ad iustam Principum coactionem, etiam vsque ad priuationem Regnorum, si causa sit digna, & ipsi rebelles sint, euidenter à Catholicis Doctoribus suppositis Christi verbis ostensum est: nec de ipsa potestate aliud dicendum superest.

Si verò sit sermo de vsu, distinguere possumus vsum directiuæ potestatis, & coactiuæ, & de vtroque facilè confitemur non fuisse in Ecclesia erga Christianos Imperatores, aut Reges, trecentis post Christum annis, non quia esse non posset, sed quia non erat materia eius: nulli enim fuerunt illis temporibus Christiani Principes, aut Imperatores. Quid ergo mirum, si Pontifices præceptis suis, ac legibus illos gubernare non possent, nec sua potestate cogere, cùm Paulus dixerit: [De his, qui foris sunt, nihil ad nos?] Solùm ergo tunc poterant illis fidem prædicare, quamdiu verò illam voluntariè non suscipiebant, & per Baptismum non profitebantur, efficaciùs dirigi, aut regi non poterant. Ab hoc autem tempore, breue illud excipio, in quo Philippus Imperator Christianus fuit: nam in illum Fabianus Pontifex sua potestate, quantum occasio iusta tulit vsus est, vt supra ex Eusebio retulimus. Vt hoc exemplo appareat, non esse solidam, neque simpliciter veram illam Regis absolutam inquutionem: [Neque amplius trecentis post Christum annis Pontifices Romani sibi arrogarunt,] quandoquidem quantum illius temporis occasio tulit, Fabianus ea legitimè vsus est. Accedit, quòd illo etiam tempore Ecclesia vsa est sua potestate spirituali in materia etiam temporali, prout ad suum bonum expediebat, nulla habita ratione ciuilium legum, sed illas corrigendo, aut limitando propter spiritualem finem. Exemplum optimum est in lege facta à quodam Concilio Africano, vt Cyrill. refert epist. 66. ne Clericus posset in testamento in tutorem nominari, cùm leges ciuiles neminē à tutela eximi posse disponant, ff. de excusat. tutor. per plures leges.

Præterea post illa tempora semper Pontifices vsi sunt hac potestate in Christianos Principes, prius quidem monitis, & præceptis eos dirigendo, & vbi oportuit, eorum leges emendando, vt de Gregorio capite præcedenti vidimus, & de alijs supra retulimus. Postea verò etiam cogendo, quantum necessitas postulabat, & ratio temporum permittebat. Vsus enim huius potestatis coerciuæ non est per se necessarius, sed cogente necessitate. Atque vtinam necessitas istius vsus numquā fuisset, idest, numquam fuissent, quæ ad illum exercendum obligarent. Quamdiu ergo talia crimina in Principibus Christianis inuenta non sunt, sine præiudicio potestatis potuit talis vsus in Ecclesia non esse. E contrario verò, non fuit necesse, vt statim ac Imperatores Christiani apostatæ, vel Ecclesiæ rebelles esse cœperunt, tota sua potestate Ecclesia, seu Pontifices in eos vsi fuerint: quia ex tali vsu non fructum, sed maius Ecclesiæ nocumentum timere potuerunt. Vndè Augustinus respondens simili argumento Donati epist. 204. ad eumdem ait: [Repetis sicut audio, quod in Euangelio scriptum est, recessisse à Domino septuaginta Discipulos, & arbitrio suæ malæ, atque impiæ discessionis fuisse permissos, cæterisque duodecim, qui remanserant, fuisse responsum: Numquid & vos vultis ire? Et non attendis, quia tunc primum Ecclesia nouello germine pullulabat, nondùmque in ea fuerat completa illa prophetia: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient illi. Quod vtique quanto magis impletur, tanto maiore vtitur Ecclesia potestate, vt non solùm inuitet, sed etiam cogat ad bonum.] Idem ergo in illis primis temporibus Iuliani v. gr. vel aliorum accidit, qui per potentiam, & tyrannidem more Gentilium Ecclesiam persequebantur. Et nihilominus non defuit circa eadem tempora vsus huius potestatis, quando cum fructu coerceri potuit, vt ex censura Ambrosij in Theodosium, & Innocentij in Arcadium apertè ostenditur, & ita etiam postea successu temporum iuxta occurrentes occasiones vsus huius potestatis adhibitus est, vt vidimus.

Sed occurrit Rex Angliæ ex contrarijs factis ostendens contrarium ius Imperatoriæ potestatis in Pontifices. [Nam Imperatoris, inquit, assensus longo annorum decursu eli-

gendis Pontificibus interuenit,&c.] Quæ latè prosequitur, ex quibus argumentum excellentioris potestatis Imperatoriæ desumere conatur. Quia verò de electione Pontificum in propria materia de Pontifice tractatur latiùs, nunc breuiter fatemur, seruatum esse aliquo tempore, vt electio Pontificis per consensum Imperatoris confirmaretur, vt ex Platina in Firmiano Papa, & ex alijs historijs constat, & apertè ex Gregor. lib. 7. indict. 1. epist. 1. in fine, vbi voluntate Imperatoris se factum esse Pontificem illis verbis affirmat: [Ecce serenissimus Dominus Imperator, fieri simiam, leonem iussit. Et quidem prouisione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Vnde necesse est, vt omnes culpas, ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis mysterium infirmo commisit.] Addimus verò deinde, multis temporibus factos esse Pontifices sine consensu Imperatorum, aut Regum, nimirum & antè conuersionem Imperatorum ad Christianam fidē per trecentos, & plures annos, & post conuersionemConstantini per alios ducentos annos vsque ad Iustinianum Augustū, à cuius tempore Imperatores ius illud vsurpare ceperunt, vt vulgare est in historijs. Vnde colligimus, non recepisse Imperatores hanc potestatem Diuino iure, qui aliàs numquam sine illorum suffragio Pontificis electio validè fieri potuisset. Neque etiam habuisse illam ex vi Imperij, tùm quia aliàs à principio illam sibi arrogassent; tùm præcipuè, quia Imperium terrenum est, & humanum, Pontificis autem dignitas suo modò Diuina, & Cælestis est.

Exercuerunt ergo illam potestatem vel vsurpatam, vel ab ipsis Pontificibus concessam. Et quidem priori modo illam per vim, ac potentiam a Iustiniano vsque ad Constantinum IV. exercuerunt. Atque hanc vim, ac tyrannidem deplorauit Gregor. in Psalmo 5. Pœnitent. supra allegatum, & notauit Baron. ann. 590. num. 5. vbi etiam commemorat Imperatorum violentiam, auaritiam, & simoniam in extorquenda pro sua confirmatione pecunia; quæ consuetudo vsque ad Agathonem Papam durauit, vt sumitur ex cap. Agatho dist. 63. Quapropter vana est, quàm Rex sumit ex hac consuetudine, argumentatio, quia ex summa vi, & iniuria nullum ius colligi potest. Posteriori autem modo dicunt aliqui, vsos esse hac potestate Carolum Magnum, & Othonem Imperatores virtute priuilegiorum, quæ Hadrianus I. & Leo VIII. illis concesserunt, prout Gratianus refert in cap. Hadrianus II. & cap. In Synodo dist. 63. Verumtamen capita illa Gratiani ex falsis historijs desumpta esse, & priuilegia illa ab schismaticis fuisse conficta, latè ostendit Cardinalis Bellarminus in sua responsione ad Regem, & latiùs Cardin. Baronius anno 774. à num. 10. & anno 964. à num. 22. vbi inter alias rationes iodè argumentum sumit, quod nulla historia narrat, Carolum, vel successores eius tali priuilegio vsos fuisse. Et ita omnino euertitur Regium argumentum.

Et quamvis hanc Cardinalium sententiam omninò veram esse existimem, ut tamen quis patet solutionem argumenti pendere ex reprobatione historiæ, quàm nunc examinare non vacat, addendum censuimus (quod etiam Bellarminus non omisit) etiamsi vera esset historia, & verum priuilegium, satisque de legitimo illius vsu constaret, nihil indè inferri contra eminentiam Pontificiæ potestatis; immò in hoc extolli, quod tanta est, vt electio etiam successorum Pontificum ex illius institutione, & determinatione pendeat, valueritque partem aliquam, vel electionis, vel confirmationis futuri Pontificis Imperatoribus ex priuilegio communicare. Quod licet aliquis Pontifex concessisset, aliquis etiam successor eius reuocare potuisset. Nam semper Summus Pontifex manet Imperatore superior, & priuilegium à superiore liberaliter concessum, ab eodem, vel æquali successore reuocari potest; præsertim si tale priuilegium parum sit vniuersali Ecclesiæ vtile, quale illud sine dubio, vel potiùs perniciosum fuisset. Quod autem Imperator non obstante tali priuilegio semper maneat Pontifice inferior, manifestum est, quia per tale priuilegium nulla iurisdictio spiritualis Imperatori data esset. Nam ius nominandi, eligendi, vel confirmandi non est iurisdictio, sed auctoritas quædam, quæ (qualiscumque illa sit) versatur circa personam eligendam in Pontificem, non tamen circa Pontificem iam electum, supra quem neque ipsemet Pontifex potest iurisdictionem aliquam, vel potestatem concedere, aut delegare. Neque etiam propter tale priuilegium Imperator à iurisdictione Pontificis exemptus fuit, quia etiam repugnat, Pontificem simile priuilegium concedere in diminutionem dignitatis, & curæ sibi à Christo demandatæ. Neque ad effectum talis priuilegij est talis exemptio necessaria, nàm antequàm Pontifex eligatur, non habet locum exemptio, postquàm verò electus est, etiam qui illum elegerunt, illi subijciuntur, vt in Cardinalibus, & in alijs electoribus patet. Cursu verò, & mutatione temporum priuilegium illud sublatum est, meliorque electionis forma instituta, de qua alibi Deo dante dicetur.

Pergit Rex, obijcitque secundò, [passim occurrere Imperatorum exempla, qui Romanis Pontificibus suam potestatē abrogarunt.] Adhibetque exempla in Othone Imperatore, qui Ioannem XII. Pontificem, & in Henrico III. Imperatore, qui Benedictum IX. Gregorium VI. & Siluestrum III. deposuerunt. Sed in primis licèt hæc vera essent, nihil contra veritatem efficerent. Quia ex factis, quæ iusta, & licita non probantur, nullum ostenditur ius. Deinde dicimus partim vera non esse, partim non fideliter narrari. Nam Otho non deposuit Ioannem. Aut enim potestate temporali, & hac non poterit legitimè in Pontificem vti, non solùm quia ex vi Pontificatus erat exemptus; sed etiam quia iàm tunc Pontifex erat Rex, & supremus in temporalibus, sicut nunc est; vel id fecisset Otho spirituali potestate, & hoc etiam dici non potest, quia nec illam habebat, vt ostendimus, nec legimus illam vsurpasse, aut eo errore laborasse Othonem, vt se caput Ecclesiæ faceret. Immò tam de illo, quàm de alijs Imperatoribus Catholicis legimus, numquam brachio, aut virtute sua, sed alicuius Synodi, quàm congregari procurabant, auctoritate, de Pontificum causis, vel abdicatione tractatle.

Vnde Platina in vita Ioannis XIII. licèt

priùs

priùs dicat, Othonem persuadente Clero Leonem VIII. loco Ioannis, qui aufugerat, creasse; nihilominus statim id declarat, dicens, cùm Romani instarent apud Imperatorem, vt alium Pontificem, abrogato Ioanne crearet, respondisse, electionem ad populum, & Clerum pertinere, & ita Clerum elegisse Leonem, Othonem verò illum suscepisse. Immò etiam indicat, Ioannem non fuisse depositum propter solos mores, sed quia, Alberici patris potentia Pontificatum occupauerat; nàm in his verbis indicare videtur, non fuisse rectè electum, sed per vim, & potentiam intrusum. Et hoc sentit Honuphrius in additionibus ad Platinam, dùm sentit Leonem VIII. fuisse ritè electum viuente Ioanne. Sed quia fortassè verius est nec Ioannem fuisse ritè depositum, nec Leonem validè electum, addendum est, Othonem excessisse zelo non secundùm scientiam, Synodumque fuisse priuatam, & illegitimam, potuisseque errare, existimando, posse deponi Pontificem propter crimina extra hæresim, vel fortasse magis propter violentiã Imperatoris, & humanum timorem id fecit, quam quia sentiret legitimè fieri potuisse. Vide Baronium ann. 964. nu. 15. Quod verò ad alios tres Pontifices spectat, in primis falsum est, omnes fuisse veros Pontifices, nàm de Siluestro certum est fuisse intrusum, & schismaticum. De alijs verò nonnulla etiam dubitatio est, licèt probabiliùs credatur, legitimos Pontifices fuisse. Deinde Siluester non ab Henrico, sed à Benedicto IX. legitimo Papa eiectus fuit. Ipse item postea non ab Henrico deiectus, sed sua sponte (vel persuasione cuiusdam sancti Abbatis, vt aliqui referunt, vel vt liberiùs viueret) pecunia accepta, Papatui renunciauit. Atque hoc tandem modo Gregorius VI. introductus est; quem solùm Henricus postea deponendum curauit, in quo potuit idem error, qui in Ioanne XII. contingere, quamvis illum etiam voluntariè cessisse, multi tradant. Vide Cardin. Baronium anno 1044.

Tertiò Rex post Imperatores ad Reges transitum facit, & priùs generatim dicit, non minori constantia Reges hoc in se Ius Pontificis temporale aspernatos fuisse: deinde facta quædam aliquorum Regum Galliæ, & Angliæ refert, ex quibus concludere vult, nullum Ius in Reges ex Diuina institutione habere, nec præscriptione illud assequi potuisse, cùm per similia facta satis fuerit interrupta. Sed non censui necessarium in examinanda veritate historiarum circa facta huiusmodi immorari, quia licèt omnia, vt referuntur, admittantur, nihil ad concludendum, quod intenditur, conducunt. Primò, ex illa generali ratione, quòd facta Regum temporalium parum valent ad ostendendum Diuinum ius; tùm quia illud per se cognoscere, vel docere non illorum munus est, sed Prælatorum Ecclesiæ, & præcipuè Summorum Pontificum; tùm etiam, quia nimirum sæpè potentia sua freti, & vel ambitione dominationis, vel turpissimi lucri cupiditate illecti, potestatis Regiæ iura transcendunt. Secundò, & specialiùs, quia omnia verba, & facta, quæ referuntur ad alias causas, seu materias pertinent, ex illisque non solùm inferri non potest, Romanum Pontificem non habere supremam potestatem in spiritualibus, quæ ad directionem, & correctionem Regum, etiam in materia temporali se extendat, verùm etiã nec colligi potest, Reges illos ita sensisse. Quod breui discursu per singula, quæ afferuntur, discurrendo, demonstro.

Primum enim affert inepta quędam verba Philippi Pulchri Francorum Regis, quæ in epistola quadam ad Bonifacium VIII. aliquo animi furore, aut impetu iracundiæ ductus, scripsit, ex quibus argumentum sumere contra rationem est. Sed omissa contumelia, quid tandem Rex ille affirmauit? [Scias, nos in temporalibus alicui non subesse.] At quid tandem hinc sequitur? aut quis hoc inficiatur. Certè qui definite dixit, se in temporalibus alicui non subesse, tacitè confessus est, in spiritualibus subesse, cui autem magis, quàm Pontifici? Quod si ei in spiritualibus subesse fassus est, negare profectò non potuit, si temporalibus contra spiritualia Rex abutatur, ratione spiritualium posse etiam in temporalibus vexari, & corripi.

Deinde allegat sanctum Ludouicum, [qui publica sanctione exactiones omnes curiæ Papalis intra Regnum suum prohibuit.] Quam ex Arrestis allegat. Cùm illorum tamen copiam non habeamus, non possumus certum illius sensum explicare, nihil enim credimus à tanto, ac tali Rege sancitum, quod iniustum, ac religiosum non fuerit. In tomo autem 6. Bibliotheca Sãctorum in fine, quandam Pragmaticam sanctionem eiusdem Regis typis mandatam inuenimus, in qua in fauorem Ecclesiasticæ iurisdictionis, & liberæ prouisionis beneficiorum, & cum obseruantia sacrorum canonum multa legimus scripta; de exactionibus autem curiæ Romanæ penitus nihil. Alij verò prohibitionem illam non absolutè, sed cum limitatione referunt, videlicet: [exactiones, & onera grauissima, &c. colligi nullatenus volumus, nisi pro rationabili, pia, & vrgentissima ineuitabili necessitate.] Itaque si quid sanctus Rex sanciuit, non fuit spiritu elationis, aut exemptionis ab obedientia Papæ, sed quatenus existimauit iustæ sui Regni conseruationi esse necessarium, & ad suam iurisdictionem temporalem pertinere. Adeo enim fuit ab vsurpatione spiritualis potestatis alienus, vt eùm eius Legatus vltro Ecclesiarum Cathedralium à Papa impetrasse [Bullam prouisionum, Rex in ignem illam proiecerit, dicens, gratias non agimus tibi de his, quæ in periculum animarum nostrarum impetrasti, videlicet, vt Ecclesijs prouideamus.] Et illa vti noluit. Ita refert Rebuff. in Concordat. in Proœmial. §. Quædam nobis verb. Optabamus.

Denique Rex Angliæ latè commemorat factum Ludouici XI. Regis Galliæ, qui Pio II. Pôtifici petenti reuocari quandam pragmaticam sanctionem non acquieuit. Sed hoc etiam nihil ad causam facit, nam tota illa controuersia fuit sine schismate, semper enim Rex ille obediens Papæ fuit, vt ex literis eius ad Pium II. supra ostensum est. Nec video, cur Rex Iacobus potius Pij II. Ludouicique XI. quàm sequentium Pontificum, & Regum vsque ad Leonem X. mentionem fecerit, cuius tempore iis illa finita est, & pragmatica abrogata in Concilio Lateranen. sub eodem Leo-

Leone X. sess. 11. Vbi tota illa historia latè refertur, & ex illa constat Pontifices nunquam absoluta potestate fuisse in illo negotio vsus, sed suauiter processisse, vt seruata concordia, cum fidei vnitate tandem res perficeretur.

Deinceps verò post magnam, & prolixam exagerationem, quam Rex non probat, ad quæstionem longè distinctam diuertit, librumque Gersonis commemorat, in quo grauiter quidem lapsus fuit, tribuendo Concilio generali potestatem coactiuam in Pontificem, etiam vsque ad depositionem propter alia crimina præter hæresim, nullo tamen modo Regibus tribuit spiritualem potestatē, nec à subiectione, & potestate coercitua Pontificum illos eximit. Nec in dubium reuocauit Ecclesiasticam monarchiam, quam à Christo esse institutam, & auferri, aut in aliud regimen transferri non posse, in eodem loco confirmat: superuacaneum ergo est, his verborum exagerationibus, & digressionibus veritatem obscurare.

Tandem Rex Iacobus sex enumerat Reges Angliæ, qui vel Episcoporum inuestituram sibi arrogarunt, vel Ecclesiasticarum personarum libertatem violarunt, vel Pontifici obedire noluerunt. Verumtamen hæc facta turpia sunt, & occultanda potius, quàm in medium producenda, & earum ad rem faciunt. Nam inuestituræ Episcoporum aliquando fuerunt concessæ, vel permissæ Regibus: vnde Richardus, vel alius similis Rex Angliæ non iuri diuino innixus, sed fortasse consuetudini, vel alicui prætenso priuilegio, illam potestatem retinere, aut exercere audebat. Et licet inobediens esset, ac pertinax, Pontificum prohibitionibus vsque Gregorij VII. ac successorum resistendo: non tamen sibi Primatum Ecclesiæ arrogabat, neque absolutè obedientiam Pontifici negabat, sed in particulari facto, vel practicè tantum errabat, vel colore aliquo ius suum defendere fingebat. Tandem verò resipuit: [Et inuestituras Deo, & sancto Petro remisit,] vt ait Guilielmus Malmesburiensis lib. 5. histor.

Similiter negare non possumus, aliquos Reges Angliæ pertinaces nimium in vsurpanda iurisdictione in personas Ecclesiasticas fuisse. Sed ex abusu, & tyrannide malè colligitur legitima potestas: & præterea error ille, seu peccatum ad aliam controuersiam pertinet, vt sæpè dixi. Vnde iidem ipsi Reges Primatum Pontificis recognouerunt, eiusque potestatem coactiuam timuerunt, vt supra de Henrico II. visum est, qui adeò libertatis Ecclesiasticæ violator fuit, vt neci sancti Thomæ Cantuariensis occasionem dederit, & nihilominus Pontifici ceruicem submisit, publicam pœnitentiam egit: Similiter Eduardus tam 1. quàm 2. & 3. licet in factis illis errarent, à Pontificis obedientia non recedebant, vt ex illorum epistolis supra vidimus, vbi etiam similes literas Richardi II. recensuimus. Quapropter friuolum est, quod in hoc puncto Rex Iacobus respondet: [satis est, iniustam meorum iniusum vsucapionem, quotiescunque licuit, fuisse interruptam.] Potestas enim Pontificia non humano iure præscripta, sed diuino concessa est, ideòque nulla hominum tergiuersatio, nulla inobedientia, nullaue multorum annorum consuetudo illam mutare potest, vel minuere.

CAP. XXX.

Obiectionibus ex nonnullis rationibus desumptis satisfit.

QVamuis in libro Regis Angliæ nullam nouam rationem inueniam, qua errorem suum, & omnimodam exemptionem à potestate Papæ, præsertim in temporalibus suadere nitatur, nihilominus ad huius libri complementum nonnullas, quæ communiter circumferuntur, vel potiores iudicantur, breuiter proponere, & expedire necessarium visum est. Prima igitur esse solet, (& videtur etiam esse Regis fundamentum) quia Rex est supremus in temporalibus, vt ex Scripturis sumitur supra etiam ratione probatum est; ergo non potest esse simul in temporalibus subiectus. Probatur consequentia, quia qui est subiectus in aliqua materia, habet superiorem in illa; repugnat autem esse supremum, & habere superiorem. Dices id esse verum de subiectione, & prælatione eiusdem generis, idest, vt vtraque sit directa, vel indirecta: quod autem idem sit supremus respectu potestatis directè superioris, quia illam supra se non habet, & nihilominus sit indirectè subiectus alicui, non repugnat. Sed contra, quia vt Iuristæ dicunt, quod directè fieri prohibitum est, nequit per aliam viam fieri, etiam indirectè, quia aliàs eneruaretur, & inutilis fieret prohibitio; ergo simili modo in præsenti, quomodocumque enim Rex dicatur alteri subiectus (etiam indirectè) in temporalibus, etiam excellentia in illo ordine tollitur.

Sed nihilominus responsio est optima, & replica est nullius momenti, & quia nullum est eius absolutè prohibens subiectionem Regis supremi in temporalibus, respectu superioris altioris ordinis, & ipsa temporalia excedentis. Quia vel hoc ius est naturale, & hoc non, quia hæc subiectio indirecta est superioris ordinis, & à iure diuino positiuo manat, vel est ius humanum, & hoc non potest esse iuri diuino contrarium, nec contra illud præualere. Quocirca ius naturale in hac parte, sicut est fons, origo principatus ciuilis, & supremæ potestatis eius, ita etiam dici potest directè tollere, seu prohibere subiectionem ad similē potestatem eiusdem ordinis, respectu verò subiectionis indirectæ ad potestatem alterius ordinis, & spiritualem, quasi negatiuè se habet: quia Principem ciuilem in temporalibus supremum nemini quidem subijcit in eisdem temporalibus, etiam indirectè, non tamen repugnat, quominus per ius superioris ordinis subijciatur. Accedit, quòd hæc subiectio indirecta in temporalibus intrinsecè coniuncta est cum subiectione in spiritualibus, præsertim respectu potestatis spiritualis supremę in suo ordine, & ideò nihil repugnat, etiam iuxta principia iuris humani, Regem directè supremum in temporalibus, fieri indirectè subditum in eisdem, quatenus hæc subiectio intrinsecè coniuncta est cum spirituali, sic enim iura ipsa dicunt, id quod est directè prohi-

prohibitum; posse alia via fieri, quando hoc necessariò sequitur ex alio, quod eodem, vel altiori iure concessum est. Neque propterea tollitur excellentia supremæ potestatis temporalis, vel superuacanea, aut nullius momenti redditur, tum quia semper retinet negationem directi superioris in eodem ordine; negatio autem indirecti superioris de illius ratione non est, tum etiam quia iste modus negationis, seu supremæ potestatis sufficit ad omnes morales effectus, qui ad rectam gubernationem politicam necessarij sunt, & sufficiunt.

Contra hoc verò obijci potest secunda ratio, quia Rex infidelis non baptizatus, est ita supremus in temporalibus, vt in eis nullum recognoscat superiorem neque directè, neque indirectè, ergo etiam Christiani Principes sunt eodem modo supremi, ergo nulli subsunt in temporalibus etiam indirectè, ac subinde neque Pontifici. Probatur consequentia, tum quia non sunt peioris conditionis fideles Principes, quam infideles, tum etiam, quia per baptismum non priuatur alijs bonis temporalibus, ergo neque suis temporalibus prærogatiuis, iuxta illud: [Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.] Tum denique quia aliàs hoc esset magnum impedimentum conuersionis infidelium Regum ad fidem, & baptismum, si per illum sua libertate suprema siue directè, siue indirectè priuaretur. Atque ita omnia argumenta, quibus hoc supra de subiectione directa in temporalibus probauimus, de indirecta etiam vrgere videntur.

Respondemus, æquiparationem hanc inter fideles, & infideles Reges non esse cum omni æqualitate admittendam, quia Rex non baptizatus non est subiectus directè spirituali potestati Ecclesiæ, & ideò mirum non est, quod potestas eius temporalis non subordinetur spirituali iurisdictioni, neque ab illa pendeat etiam indirectè quoad vim directiuam, aut coactiuam. Rex autem baptizatus est directè subditus spirituali potestati, vt vidimus, & ideò consequenter etiam potestas eius temporalis subordinata manet spirituali potestati, saltem indirectè in ordine ad illius finem. Quocirca potestas temporalis in vtroque Rege eadem est, vel æqualis, neque in Rege Christiano propriè, & intrinsece minuitur, (vt sic dicam) sed solum ratione subiecti nouam incipit habere regulam, vel proximam, & internam, quæ est spiritualis Pastor, & lex, seu potestas eius, quatenus ad spiritualem finem ordinatur.

Et ita cessant aliæ obiectiones, quæ solum probant, non fieri diminutionem intrinsecam in illa potestate ratione fidei, non tamen probant, non addi prædictam subordinationem, hæc enim intrinsecè sequitur ex fide. Et non est imperfectio, sed potius excellentia illius potestatis, ideòque non addit grauamen, vel impedimentum conuersioni regum vltra difficultatem intrinsecam, quam ipsa fides, & obedientia Ecclesiastica secum afferunt. Hoc autem qualecumque grauamen intrinsecè continetur in professione fidei Christianæ, in qua includitur tacitum pactum, & promissio obedientiæ ad Pastores Ecclesiæ, ad perdendum omnia propter Christum, si opus fuerit, iuxta illud: [Qui venit ad me, & non odit patrem, matrem, &c. adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus:] Luc. 14. Et consequenter etiam sequitur obligatio ad perseuerandum in fide, & ad defendendum illam pro ratione sui status, ac denique inde etiā oritur, vt quilibet Christianus sit subiectus correctioni, ac dignæ pœnæ, si contra huiusmodi obligationem delinquerit. Hæc ergo obligatio, & professio communis est Christianis Principibus, & ideò eidem potestati debita proportione subijciuntur.

Addo verò vltimo, etiā Reges ethnicos, iuxta sui status capacitatem, spirituali potestati Ecclesiasticæ esse subordinatos, & è conuerso potestatem Ecclesiæ indirectè saltem posse superioris actum in illos exercere. Nam si habeant subditos Christianos, potest ab eorum dominatu eos liberare, vel quando eos conantur à fide auertere, vt limitat Durand. in 2. dist. 44. quæst. 3. vel simpliciter, & absolutè ratione periculi, vt vult diuus Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 10. Quod est probabilius, quia in rebus ad bonos mores pertinentibus, cauendū est mortale periculum, prius quàm expectetur euentus, & ideò potestas extenditur etiam ad vitandum periculum, quamuis in vsu eius prudenter caueatur scandalum, vt supra diximus. Si verò Reges ethnici nullos habent subditos Christianos, ordinariè non habet Ecclesia potestatem super illos, etiam ratione subditorum, nisi in casu, quo Euangelij prædicationem impedirent, vel subditos cogerent, ne illa reciperent. Vnde fieri videtur, potestatem formaliter (vt sic dicam) esse eandem, seu sub eodem titulo, & respectu, licet vsus illius circa diuersa, iuxta varias conditiones, & status illarum rarior, aut frequentior, & maior, aut minor esse possit. Nonnulla verò intercedit differentia. Quia potestas Pontificis in Principes Christianos est propria iurisdictio, quæ licet spiritualis sit, indirectè ad temporalia extenditur. At verò circa Principes ethnicos non est per modum iurisdictionis in ipsos Principes, sed in eorum subditos Christianos, propter quos tuendos potest infideles arcere, vel in officio continere, & ideò quidquid circa illos operatur, est per modum defensionis Fidelium, non per modum vindictæ, aut punitionis Infidelium. Denique addere possumus, sicut potestas Regia ex coniunctione ad fidem, aliquam recipit subiectionem, ita etiam maiorem quamdam amplitudinem, & excellentiam participare, & ita illud qualecumque onus hoc beneficio compensari. Nam Rex Christianus ductus regulis fidei multa potest præcipere, dirigendo illa ad fidei defensionem, vel religionis Christianæ honorem, vel aliud supernaturale commodum, quæ ductus pura ratione naturali præcipere non posset, & similiter multa punit delicta, quæ ex vi solius rationis naturalis non puniret, vt v. gr. hæresim, vel aliud simile.

Vltimo adduntur rationes quædam minoris momenti. Vna est, Pontifex satis magnam sollicitudinem habet in spirituali cura; ergo non debet temporalibus immisceri; nam si omnibus, qui Deo militant, hoc prohibuit Paulus, multò magis hoc videtur su-

pre-

premo Pastori prohibitum, qui & aliorum exemplar esse debet, & maioribus curis spiritualibus destinetur. Altera ratio est, quia in Pontifice per se loquendo, & ex vi Pontificatus non inuenitur formaliter (vt sic dicam) Regia dignitas; ergo nec potest Regia potestas illi esse subordinata. Probatur consequentia, quia non potest vna potestas alteri subordinari, & subijci, nisi eadem potestas, quæ est in subordinato, inueniatur in eo, cui subordinari dicitur. Alia ratio est, quia non potest Papa dispensare in iure naturali, nec Diuinam institutionem mutare; ergo nec potest aut naturalem obligationem obediendi Regi, à subditis, seu vassallis, aut à Rege potestatem, quàm Deus ipsi contulit, auferre.

Hæc vero facile expediuntur. Ad primum enim respondemus, illud ad summum procedere de administratione directa rerum temporalium, non vero de indirecta. Tum quia prior est distincta, & separabilis ab spirituali potestate, posterior vero non est distincta, sed per se, & intrinsece pertinens ad potestatem spiritualem, ideòque non potest illam impedire, cum potius sit vsus, & exercitium eius. Tum etiam quia administratio directa temporalium per se, & ex instituto circa illa versatur, & ideo necesse est, vt præcipua intentione, ac subinde, vel ferè semper, vel maiori ex parte circa illa occupetur, at vero administratio indirecta raro, & per occasionem tantum (vt supra ex Bernardo attigimus) occurrit, ideòque nec dici potest sæcularis cura, nec spiritualem impedire. Addo denique quamuis Pontifex ex vi Pontificatus non habeat directum regimen temporale, non fuisse contra munus eius, aut contra consilium Pauli, vt aliunde acceptum vtrumque simul coniunctum habeat, quia ad commune bonum Ecclesiæ, & ad meliorem vsum ipsiusmet spiritualis potestatis fuit ita conueniens. De quo puncto alibi latius diximus, & videri potest Gennadius in expositione pro Concilio Florentino cap. 5. sect. 3. & 4.

Ad secundum respondetur, negando consequentiam, nam propositio illa, quæ in probatione eius assumitur; simpliciter loquendo, falsa inuenitur, tam in potentijs physicis, quam in artibus, & consequenter etiam in moralibus. Nam voluntas subiacet intellectui, & ab illo pendet, etiam si formalis potestas voluntatis in intellectu non inueniatur. Item ars frænefactiua subordinatur equestri quamuis hæc illam formaliter non includat, & patria potestas subordinatur Regiæ, quamuis in Rege formaliter non sit patria potestas circa filios suorum subditorum. Sic ergo potestas Regia subordinatur Pontificali, etiam si Pontifex temporalis Imperator formaliter non sit. Et ratio est, quia hæc subordinatio fundatur in potestate altioris ordinis, quasi eminenter alteram continente. Item quia oritur ex subordinatione inter fines vtriusque potestatis, quæ sufficit, vt potestas, quæ ordinatur ad finem inferiorem, subijciatur potestati respicienti altiorem finem. Illa ergo propositio, quòd habens aliquam potestatem non subordinatur alteri, nisi habenti eamdem, seu similem potestatem, ad summum est vera in potestatibus eiusdem ordinis, quarum vna est participatio alterius, vt est potestas delegata, & ordinaria, seu potestas Vicarij, & prælati. Non habet autem locum illa propositio, quando subordinatio fundatur in eminentia superioris potestatis, & finis eius, vt declaratum est.

Ad tertium respondemus, licet Papa non possit dispensare in iure naturali, posse nihilominus mutare materiam eius, qua mutatione facta ipsum naturale ius cessat, & ita in præsenti potest de subdito facere non subditum, subiectione autem ablata, cessat ratio, & obligatio naturalis obediendi. Subiectio autem ipsa, sicut, & potestas regia non est immediatè de iure naturali, sed de iure humano, vt suprà ostensum est, & ideò ex iusta causa per superiorem Pontificis potestatem auferri potest. Eò vel maximè quòd aliqua bona à natura immediatè collata, vt libertas, & vita possunt interdum per superiores potestates humanas iustè auferri, vt ipso vsu licito, & honesto satis constat, quia Deus ipse, qui illa dona contulit, dedit etiam hominibus publicam potestatem ad auferenda illa ex iusta causa. Sic ergo subordinatio Regum temporalium ad spiritualem potestatem, ab ipso Deo est, qui talem potestatem contulit, ideòque non est contra ius naturæ, sed supra illud, & seruata proportione illi maximè consentanea existit.

Summa præcedentis libri cum Apostrophe ad Regem Angliæ.

Cum summi Legislatoris, à quo omnis potestas in cœlo, & in terra deriuatur, inuiolabili lege sancitum sit, reddenda esse Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei Deo: hanc regulam ita in huius libri doctrina seruare studuimus, vt nemo, si rectis oculis aspiciat, vnicuique datum à nobis esse, quod suum est dubitare possit. Ostendimus enim duplicem illam, qua mundus hic regitur, potestatem temporalem, & spiritualem, Regiam, & Pontificiam à Deo datam esse, & vtramque in suo ordine supremam esse comprobauimus. Ita verò illas inter se differre monstrauimus, vt Regia humanarum ac temporalium rerum curam cantummodo gerat: Pontificia verò rerum temporalium fines transcendens, & spiritualis vitæ finem vltimum intuens, diuinis, ac æternis rebus ordinandis incumbat. Vnde tandem conclusimus, tantum inter se potestates has distare, quantum à corpore anima; à temporalibus æterna, à corporalibus spiritualia, & à terrenis cœlestia diffident. Ac proinde sicut æquum est, corpus animæ subijci, & ad sempiterna temporalia referri, eisque subordinari; ita necessarium esse, vt in Christi Ecclesia, in qua omnia recto, & optimo ordine constituta esse debent, Regia potestas Pontificiæ subiecta sit, vt ab ea in æternam beatitudinem dirigatur, & sicubi ab eo fine deflexerit, emendetur, ac corrigatur.

Hac itaque iusta, & æquissima distributione seruata, Pontifici dedimus, quæ sua sunt, quæque illi Princeps Pastorum, & totius

cius gregis dux contulit;& tibi,quæ tua sunt, Rex sereuissime, non negauimus. Superest igitur, vt eidem Christi regulæ, ac legi te subiectum esse consideres, ne plus, quam oportet, de tua potestate præsumendo, terminos tibi præscriptos transcendas, & quæ diuinæ suæ potestatis,vsurpes. Scito te ouem gregis Christi esse, non pastorem: noli ergo Pastores pascere, ac regere, aut fines à supremo Pastore præscriptos transilire. Audi Nazianzenum alicubi imperium suum terreno Imperio præferentem, & inter oues suas Imperatores, & Reges annumerantem. Ad quas oues alibi hunc in modum loquitur, [Oues pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite, satis enim vobis est, si recte pascamini, Iudices, ne iudicate, nec legislatoribus leges præscribite. Non est enim dissentionis, & confusionis Deus, sed pacis, & ordinis, Ne quis igitur caput sit, qui vix, aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est: verum quo vocatus est, in eo gradu quisque maneat, etiam si alioqui præstantiori dignus sit, plus vtique laudis habiturus ex eo, quod præsenti gradu acquiescit, quam si eum quærat, quem non accepit. Ne quis cum fine periculo alium sequi liceat, præire cum periculo alium sequi liceat, præire cum periculo expetat:nec obedientiæ lux, quæ tam terrena, quam cælestia tuetur, atque conseruat, infringatur.

Quid, quæso, Rex humanissimè, à tuis subditis tam anxiè postulas, & summo iure exigis, sicut obedientiam Principi debitam? illam Pauli sententiam in tuo libro frequenter inculcans: [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:] imple igitur naturalem illam legem à Christo propositam, & commendatam: [Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.] Et quam obedientiam à subditis requiris, eam fideliter præsta illi prudenti, ac fideli dispensatori, quem Christus super omnia bona sua constituit, tibique ita præposuit, vt rationem pro anima tua redditurus sit. Quod enim Paulus fidelibus omnibus monuit, & præcepit: [Obedite Præpositis vestris,& subiacete eis, ipsi enim peruigilant tamquam rationem pro animabus vestris reddituri,] non minus ad Regem, si Christianus sit, quam ad cæteros fideles pertinet. Quod si fortasse, Rex serenissime, verbis meis non digaris attendere, audi quæso, Bernardum ad Conradum Regem scribentem, & pro me loquentem: [Regis decucus, regniue diminutionem numquam volui, violentos odit anima mea. Legi quippe, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire in exhibenda reuerentia summæ, & Apostolicæ Sedi, & Beati Petri successori, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso vestro seruari imperio.] Et adiungit, quæ non minus libenter vsurpo sequentia verba.] Sunt, quæ non putaui scribenda, præsens ea fortassis opportunius intimarem.



LIBER



LIBER QVINTVS.

DE ANTICHRISTO.

Cuius nomen, & personam per calumniam, & iniuriam falsò Protestantes Pontifici attribuunt.



VONIAM doctissimi nostri temporis, catholicique scriptores, (vt interim antiquiores omittam) totam de Antichristo materiam accuratè disputarunt, eandemque nos iam alibi pro nostra tenuitate prosequuti sumus, liber hic parum necessarius alicui videri potest, præsertim, quia superioribus non ita connectitur, vt propter doctrinæ consequutionem postulari videatur. Verumtamen Rex Angliæ, cui initio huius operis respondere proposuimus, nos vel inuitos laborem hunc iterum subire compellit. Ille enim in sua Præfatione post suæ fidei professionem, ad disputationem de Antichristo repente digreditur, & peculiarem eorum, quæ pro sua opinione protulit, responsionem postulat, dicens: [Id mihi maximè in votis est, vt si cui hanc meam de Antichristo coniecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respondeat.] ideòque necessarium ducimus, & eum illo digredi, & singulis eius coniecturis peculiare tribuere responsum. Neque enim illud prætermittendum censuimus, eo quod Rex solis coniecturis se niti fateatur: quia in re adeò absurda, & planè incredibili, & Ecclesiæ Catholicæ nimis odiosa, & perniciosa, nec coniecturæ permittendæ sunt, sed penitus extirpandæ. Quam ob causam iterum de Antichristo disputationem texere, imò etiam si necesse sit eadem iterum repetere non sum veritus, dummodo quantum in me est, omnibus tam sapientibus, quam insipientibus satisfaciam, vtriusque enim (teste Apostolo) debitores sumus. Ne tamen lectori molesti simus non omnia, quæ de Antichristo tractari solent, sed ea solum, quæ causæ, & peculiari responsioni, quam Rex postulat, inseruire queant, attingemus. Et singula membra, quæ Rex distinguit, singulatim etiam expendemus, non tamen eodem ordine, sed ea semper præmittemus, quæ vel euidentiora sunt, & in Scripturis clariora, vel quorum cognitio ad ea, quæ minus nota sunt, vel à prioribus pendent, aliquid conferre posse censebimus.

CAPVT PRIMVM.

De Antichristi nomine, eiusque varia significatione.

PRius quam de re ipsa dicamus, visum est de nomine Antichristi pauca præmittere, vt omnes Protestantium tegoas, vel potius in Christi Vicarium contumelias detegamos. Nomen igitur [Antichristus.] græcum esse, seu à Græcis desumptum nemo est, qui nesciat. Componitur autem ab *Anti*, & *Christos*, Anti, & Christus. In qua compositione certum est, Christi nomen, vt est proprium Iesu Saluatoris nostri, vsurpari. Quamuis enim hoc nomen, vt ab vnctione deriuatum generalius sit, & quoscumque homines per sacram aliquam Vnctionem in dignitate assumptos significare soleat: iuxta illud: [Nolite tangere Christos meos,] Psal. 104. nihilominus Messiam, seu Christum Dominum, præsertim post eius aduentum per antonomasiam significat, sicut etiam in lege veteri fuerat præsignificatum, vt Ioannes cap. 4. indicauit: [Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus,] & exposuit Augustin. tract. 15. & 33. in Ioann. & optime Cyrill. catechef. 4. mystag. Euseb. lib. 1. Histor. cap. 3. & lib. 4. de demonstrat. cap. 10. & Lactant. lib. 4. cap. 7. & alij, quos late retuli in tom. 1. 3. par. disp. 18. Sect. 2.

Particulam verò [Anti] contendunt hæretici, non oppositionem, sed vicem, seu loco alterius subrogationem in illa compositione significare, & ita Antichristum eum esse, qui se Christi Vicarium appellat. Sed ducuntur profectò spiritu decipiendi simplices saltem, per nominis inceptam accomodationem. Et ideo omissa quæstione de illa duplici significatione dictionis [Anti] secundum se, & generali vsu Græcorum spectatæ, à nobis solum consideranda est, prout in illius nominis compositionem secundum Scripturæ, Ecclesiæ, & Patrum vsum assumpta est. Sic ergo certum est, contrarietatem, & oppositionem significare, nomenque [Antichristi,] insignem Christi hostem designare. Sumpsit

psit enim Ecclesia vocem hanc ex Scriptura, in qua nullum alium habet significatum. Nullibi enim reperitur hæc ipsa vox in Scriptura nisi in epist. 1. & 2. Ioannis, ibi autem apertè significat hostem Christi. Nam cum cap. 2. dixisset, [Audistis, quia Antichristus venit,] subdit inferius: [Quis est mendax, nisi is, qui negat, quia Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.] Ex quibus verbis euidenter constat, Antichristum opponi Christo negando Iesum esse Christum, illum vtique singulariter promissum, ex duplici natura in vna persona diuina compositum, & ipsamet diuinitate, & Spiritu sancto singulariter vnctum, ac proinde per antonomasiam Christum. Vnde cap. 4. repetit: [Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Soluere autem Iesum,] nihil aliud est, quam negare, Iesum esse diuinitate vnctum per singularem vtique vnionem humanitatis ad Verbum: & hæc est summa ad Christum oppositio, vt idem Apostolus iterum epist. 2. explicauit dicens: [Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne, hic est seductor, & Antichristus. In Scriptura ergo non habet nomen istud alium vsum. In alijs verò Scripturæ locis, in quibus non nominatur, sed describitur Antichristus, summus aduersarius Christi depingitur. Nam Daniel. 9. & Matth. 24. per abominationem desolationis, Antichristum prædici creditur, sedem, & nomen Christi vsurpaturum, maximamque persecutionem contra Christum in Ecclesia sua esse excitaturum. Et de eodem intelliguntur verba Christi Ioan. 5. [Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.] De eodem etiam loquitur Paul. 2. ad Thessal. 2. vbi his nominibus illum onerat: [Homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.] Et tandem vt ostendat Paulus summam oppositionem Antichristi cum Christo, adiungit. [Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui,] Apud Danielem item, & in Apocalypsi describitur Antichristus tāquam insignis Christi aduersarius, vt infra videbimus.

Atque in hunc modum de Antichristo, & nomine eius senserunt Sancti Patres exponentes hæc loca, Chrysost. Homil. 4. in Ioan. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 6. & ibi Theophyl. Euth. & Beda, & late Irenæ. lib. 5. contra hæres. cap. 25. Ambr. in Psal. 43. Et lib. 1. de Spirit. Sanct. cap. 14. Nazianz. orat. 47. quæ inscribitur Significatio, in Ezech. & in Iambico inscripto Definitionis minus exactæ, in fine Ruffin. in exposit. Symbol. Hilar. de Vnit. Patr. & Fil. satis à principio, si eius est opus, Melius, & certius lib. contr. Auxent. in principio: [Nominis Antichristi proprietas (inquit) est, Christo esse contrarium.] Et Hieronym. epist. 151 ad Algas. quæst. 11. [Ipse est enim vniuersorum perditio, qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus.] Et hac ratione lib. 2. contr. Iouinian. in princip.

[Quomodo dies, & nox misceri non possunt, ita nec iustitia, & iniquitas, peccatum, & bona opera, Christus, & Antichristus.] August. tract. 3. in epist. 1. Ioan. [Latinè, ait, Antichristus contrarius est Christo,] & postea reprehendit eos, qui interpretabantur nomen Antichristi, id est, ante Christum, & inquit: [Non sic dicitur, non sic scribitur, sed Antichristus, id est, contrarius Christo. Et optime Damas. lib. 4. cap. 27. Non nobis, sed aduersùs Christum, qua etiam de causa Antichristus dicitur.] Et in tom. 9. operum Augustini, auctor. tract. de Antichristo sic inchoat. [De Antichristo scire volentes, primo notabitis, quare sic vocatus sit, ideo scilicet, quia Christo in omnibus contrarius erit & Christo contraria faciet.] Et licet ille tractatus non censeatur esse Augustini, auctoritatem habet, & Rabani esse creditur. Et Hugo Eterian. lib. de Regres. animar. cap. 23. [Erit (inquit de Antichristo) homo, non Angelus, qui aduersabitur Christo, & membris eius inde Antichristus appellandus.] Plurésque alios in sequenti capite referemus.

Cum ergo hæretici nec etymologiam hanc, nec significationem negare possint, quid eis prodest, mutata vocis etymologia, noua significatione ex proprio cerebro illi attributa, saltem nomine Vicarium Christi Antichristum appellare? Nam si de solo nomine in hoc contendere student contemnendi sunt, & ad scholas gramaticorum remittendi. Se vero sub illa specie, & vmbra vocis suaderi contendunt, illum esse verum Antichristum sub hac propria vocis significatione, & tanquam illi aduersarius, quia se Vicarium Christi, atque adeo Antichristum in alia ab eis cogitata significatione, appellat, ita vt intelligant, non quemlibet hostem Christi, sed illum, qui sub nomine Vicarij eius illi opponitur esse Antichristum. Respondemus in primis, eum, qui non per rapinam, vel vsurpationem se Christi Vicarium nominat, sed quia ab ipso Christi constitutus est, non esse Christi hostem, & ex hac parte non posse esse Antichristum. Deinde dicimus, illud signum Antichristi non inueniri in Scripturis, nec in illis, vel à Patribus traditum esse, nimirum, Antichristum esse oppugnaturum Christum sub specie Vicarij eius, sed aperte vsurpando ipsum Christi nomen, & dignitatem. Et ideò hac vana cogitatione, & nouitate omissa per signa Antichristi in Scriptura fundata discurrendum est.

Non possum autem omittere, quin prius aduertam ex hac nominis huius etymologia, & ex dictis testimonijs duplicem huius vocis acceptionem distinguendam esse. Vnam propriam, aliam communem: seu translatam appellare possumus, Nam quia nomen Antichristi hominem Christi contrarium significat, per Antonomasiam accipitur, vt nomen proprium singularis cuiusdam hominis maximi Christi, & Ecclesiæ aduersarij, generali autem modo, etiam de alijs Christi hostibus dicitur. Hac duplici eius nominis acceptione vsus est Ioannes dicta epist. 1. cap. 2. cum dixit. [Audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.] Et rationem huius posterioris significationis inferius insinuans, dicit. [Qui negat, quoniam Iesus

fus est Christus; hic est antichristus.] Idemque ferè reperit cap 4. & in epist. 2. Et ita ex hoc loco duplicem hanc illius nominis acceptationem adnotarunt Patres ibi, & Matt. 24. & 2. Thessal. 2. vbi Hierony. Chrys. Oecumenici, & alij. Et optime Cyprian. epist.76. in principio dicens, Ioannem, [vniuersos, qui de Ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam facerent, Antichristos appellare.] Et infra. [Vnde apparet, aduersarios Domini Antichristos omnes esse,] & similia fere habet epist. 7. Et August. lib 2. contra Aduersarium legis, & Prophetarum cap. vltimo de illo ait, [Deus verus est, in cuius templum falsus ille] id est Antichristus [sessurus est, ad quem pertinet etiam iste,] vtique legis aduersarius [qui sub nomine Christi, quod est nomen Dei, hoc est, Christianum se videri volens, semper extollitur contra Christum, seque ostendit Antichristum, non vnum illum maiorem cæteris, sed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Euangelista, nunc Antichristi multi facti sunt. Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apostolorum esse iam cœperant.] Idem lib. 20. de Ciuita. cap. 16. Vnde etiam Hierony. Naum. 2. tractans illud 1. Petr. 5. Aduersarius vester diabolus tanquam leo, &c.] subiungit: [Catulus leonis Antichristus, & omnes doctrinæ peruersæ, &c.] Et infra. [Audistis, inquit Ioannes, quia Antichristi multi sunt, tot enim Antichristi sunt, quot dogmata falsa.] Et Matt. 7. in fine omnes, [qui contra Christum sapiunt,] Antichristos vocat. Quæ omnia confirmant, quod diximus, Antichristum ex summa ad Christum oppositione ita esse appellatum, & inde deriuatum esse nomen ad alios insigniores Christi aduersarios denorandos. Sicut etiam communi vsu, hominem valde crudelem Neronem esse dicimus, & similem tyrannum esse Diocletianum, & magnum Philosophum esse Aristotelem, & sic de alijs. De hac ergo translata significatione nulla est dubitatio, de altera verò super est cum hæreticis controuersia, quam sequenti capite prosequemur.

CAP. II.

Vtrum Antichristus proprie dictus sit homo aliquis singularis, vel Sedes aliqua, seu Imperium.

HÆretici contendunt, non esse singularem personam, sed seriem, vel genus personarum in aliqua sede, vel imperio succedentium: quem errorem excogitarunt, vt Papam Antichristum esse suaderent. Hunc errorem insinuarunt Vuicleph. art. 30. & Ioan. Hus. art. 19. damnati in Concilio Constant. sess. 8. & 15. Clarius Luther. in cap. 49. Gen. vbi hac ratione reijcit communem sententiam asserentem, Antichristum futurum esse de tribu Dan, quam fuisse dicit diaboli inuentum. Et quam Rodolphus Gualterus in Homilijs de Antichristo irridet eos, qui asserunt Antichristum fore certum singularem hominem. Sic etiam Beza in 2. Thessal. 2. dicit, licet Paulus loquatur de Antichristo, vt de quodam homine, sub illo nihilominus intelligere totum corpus Ecclesiasticæ tyrannidis. ita vero, vt peculiarem tyrannidem declaret nimirum Romanam. Vnde concludit, manifestè hallucinatos esse, quicunque Paulum de vno quopiam homine esse loquutum intellexerunt, nisi dent quempiam, qui à Pauli seculo ad diem vsque iudicij superstes maneat. Denique Caluinus etiam in eodem loco, & lib. 4. de Instit. cap. 7. idem supponit, cum Papam dicit esse Antichristum. Et hæc sententia placuit Iacobo Regi, qui solis coniecturis duci fatetur, quales autem illæ sint postea videbimus.

Veritas catholica, & in fide certa est, Antichristum propriè, seu antonomasticè sumptam, futurum esse singularem quendam hominem insignem, ac peculiarem Christi aduersarium. Ita docent sapientes, & Catholici viri, qui hac ætate contra hæreticos decertarunt, & hoc punctum magna diligentia, & eruditione tractarunt. Et probatur breuiter ex sacra Scriptura, & Patribus. Et in primis expendo locum 2. ad Thessal. 2. vbi licet Antichristus hoc nomine non exprimatur, de illo nihilominus loqui Paulum, sancti omnes, & catolici docent, nec hæretici negant; imò eundem locum in contrarium inducunt, vt postea videbimus: In illo igitur loco instruit Paulus Thessalonicenses, vt non perturbentur cogitantis diem Domini, id est, vltimi iudicij, iam esse propinquum, quia necesse est, vt Antichristi aduentus, & persecutio antecedat. Vnde ait, [Neque vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio *primum* & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita, vt in templo Dei sedeat, tanquam sit Deus.] Et infra. [Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet &c.]

Profectò si verba singula attente ponderentur, non possunt propriè, ac syncere intelligi, nisi de singulari, ac definita persona, Quis enim thronum aliquem, vel sedem regni, [hominem peccati, aut filium perditionis,] appellare solet; Similia enim verba non collectionem, vel successionem, sed determinatam personam in rigore significant, neque à sua propria significatione violenter, & sine causa extrahenda sunt. Præsertim quia tot circumstantijs, moribus, & conditionibus ille homo vestitur, & à Paulo, ac prophetis describitur, vt necessario vni tantum personæ conuenire debent. Vt enim Paulus ait: [Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus,] & similia, quia verisimile non est, in omnibus successoribus, seu Regibus alicuius regni omnes illas proprietates, & morum qualitates esse futuras. Accedit Paulum non absolutè hominem, sed cum articulo Græco, illum hominem peccati dixisse, vt etiam latinè Ambrosius legit, & Vatablus vertit, articulus autem Græcus vim habet indicandi singularem personam, vt infra ex Patribus ostendam. Imò notatione dignum est, Paulum quater repetere illum articulum dicens, [ille homo peccati, ille filius perditionis, ille, qui aduersatur, &c.] Et infrà:

[Tunc

[Tonc reuelabitur ille iniquus.] Positus ergo cst ad designandam singularem personam, quam etiam demonstrat relatiuum, [Cuius est aduentus, &c.] Et adhuc apertiùs prooomen. [Ille iniquus,] cum subsequenti relatiuo, [quem Dominus Iesus interficiet, &c.]

Atque ita hunc locum Patres intellexerunt, Diuus Chrysostomus orat. 3. & 4. in illum locom, qui per comparationem ad Christum, personæ Antichristi singularitatem declarat. Nam sicut Christus prædictus fuerat tamquam singularis homo, & dara sunt certa eius indicia, vtique per signa, & prodigia, quæ erat facturus, ita illi opponitur Antichristus, eiusque aduentus tamquam cuiusdam particularis hominis prædicitur, & per signa, & prodigia falsa, quæ operaturus est indicatur. Ergo ita est futurus Antichristus determinata persona, sicut fuit Christus. Sic etiam Theophylact. illa verba exponens interrogat; [Quis autem ille est? numquid Sathanas? nequaquam, sed homo quispiam omnem sathanæ operationem recipiens.] Idemque ferè habet Theodoret. qui antithesim inter Christum, & Antichristum magis expendit, dicens, dæmonem imitari consilium Dei. [Nam sicut Deus humana suscepta natura, nostram procurauit salutem, ita ille, cùm eliget hominem, qui possit omnem eius suscipere operationem, per eum omnes homines decipere conabitur, se ipsum Christum, & Deum & hominem nominans:] Vbi solùm notamus æquiparationem in hoc, quod vterque est certa, & particularis persona, nam in modo est diuersitas. Non enim sicut Christus est verbum in humanitate assumpta, ita erit Antichristus persona dęmonis in assumpta natura hypostaticè, sicut quidam falso finxerunt, quos alibi impugnauimus; solùm ergo fit in hoc comparatio, quod sicut Christus fuit indiuiduus homo, ita etiam erit Antichristus. Vnde etiam ipse Theodoretus doctè mutauit loquendi modum, nam de Christo dixit, [sicut Deus humana natura suscepta, &c.] de dæmone autem ait, [ita ille cùm eliget hominem, qui possit omnem eius suscipere operationem;] sentiens futurum non solùm specialem naturam, sed etiam particularem personam inter alias electam à dæmone tamquam aptam ad omnem suam prauam operationem.

Deniq; in eisdem verbis Theodoreti ratio alia ponderari potest. Nam præcipua intentio Antichristi, maximaque ad Christum oppositio erit, quia persuadere conabitur, se esse Christum, & verum Messiam, & ostendere tamquam sit Deus, vt ibidem ait Paulus. Hoc autem non potest fingi de throno aliquo, aut sedentium in illo successione. Nam sicut Christus non est prædictus, nisi vt particularis homo, ita nemo se finget Christum, nisi in sua particulari persona. Et licèt multi se finxerint Christum, nullus autem nisi in sua, & pro sua propria persona: & inter eos, qui in signis, prodigijs, mendacijs, ac potentia præcellet, per antonomasiam erit Antichristus. Vnde Ambrosius ibidem ait, Antichristum futurum esse [primum, & summum prauorum hominum, qui se vt Deos coli voluerunt.] Rectè etiam Tertull. lib. 5. contra Marc. cap. 16. [Qui est, ait, homo delicti, filius perditionis, quem reuelari prius oportet ante Domini aduentum, &c. Secundum nos quidem Antichristus, vt docent veteres, & noua Prophetiæ.]

Atque hinc Ambros. Chrysost. & alij Patres cum citatis verbis Pauli coniungunt alia Christi verba Ioann. 5. [Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.] In quibus manifestè constat, Christum loqui de aliqua determinata persona, quam Iudæi vt Messiam suscipient. Et ita dicti Patres, & alij præcedenti capite allegati verba illa Christi de Antichristo interpretantur. Et August. tract. 29. in Ioan. exponens verba illa cap. 7. [Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit,] dicit, talem futurum esse Antichristum, [Ipsum quippe annuncians Dominus, gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Iudæos, ego veni, &c.] & Ambros. in Psalm. 43. ait, significasse Christum illis verbis, [Iudæos in Antichristum credituros, qui in illum credere noluerunt.] Et idem habet lib. 1. de Spiritu sancto cap. 14. Quamuis enim multi futuri essent Pseudo-Christi, & Pseudo-Prophetæ, (vt ipse etiam prædixit Matth. 24.) quos aliqui Iudæi pro Messia suscepturi essent, (vt ex parte impletum legimus Actor. 5. & postea apud Euseb. lib. 8. Hist. cap. 6.) Nihilominùs neminem Iudæi ita pro Messia suscipient, sicut Antichristum, & ideò illum singulariter Christum verbis suis designasse intelligimus. Et sic etiam dixit Cyrillus Hierosolymitan. catechef. 12. [Iudæorum liberi venientem reiecerunt, male autem venturum expectant, verum Christum negauerunt, falsum autem ipsi errantes recipient. Qua de re etiam Saluator verè dixit, ego veni, &c.] Quod autem ille falsus Christus, futurus sit singularis quidam homo, & Antichristus, declarat latè idem Cyrill. catechef. 15.

Præterea hoc apertè confirmat modus loquendi Ioannis epist. 1. [Et sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.] Nam in his verbis distinguit quemdam Antichristum singulariter prædicatum, & prædictum, à multis, per quamdam eius participationem, & translationem sic nominatis. Ergo apertè supponit, illum priorem esse particularem personam. Præsertim quia illi multi Antichristi, quos Ioannes dicebat iam factos, non erant multa Regna, aut Imperia tyrannica, sed vel multi, qui ex Iudæis contra Christum iam insurgebant, vel plures Hæretici, vt Ebion, Cherintus, Simon Magus, vel plures etiam Imperatores Romani Christianorum persecutores, vt Nero, Domitianus, vt Sancti passim exponunt; ergo etiam ille singularis Antichristus est vna certa, ac definita persona. Accedit, in dictis verbis, & paulò inferiùs, & in cap. 4. & epist. 2. vbicumque ponitur in singulari nomen Antichristus, poni cum articulo, ὁ, idest, ille, qui articulus vim habet designandi certam personam, & cum quadam singularitate, iuxtà generalem Patrum regulam, quam tradunt Epiphanius lib. 1. contra hæres. Secta 9. & lib. 2. hæres. 56. & Chrysost. enarrat. in cap. 7. Isai. Ponderans, non dixisse Pro-

Prophetam: [Ecce Virgo concipiet,] sed addidisse articulum ad designandam singularem, & excellentem Virginem, & Cyrill. lib. 1. in Ioann. cap. 4. circa finem, ponderans, addidisse Ioannem articulum, cùm dixit, [In principio erat verbum.] Et orig. tom. 7. in Ioan. circa illa verba, [Propheta es tu?]

Ad hanc etiam veritatem confirmandam multa argumenta desumi possunt ex locis Daniel. & Apocalyps. in quibus Antichristum prædici, & Patres docent, & hæretici non negant. Itaque Dan. cap. 7. postquam explicuit, quartam bestiam esse regnum quartum, vtique Romanorum, postea per decem Reges diuidendum, subiungit, [Et alius consurget post eos,] per quem omnes Patres Antichristum intelligunt, vt ibi Hieronymus testatur, & sequitur August. 20. de Ciuit. capit. 23. & D. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 12. vbi particula, alius, satis demonstrat singularem personam, cuius actiones statim describit Propheta satis consentancè ad Paulum. Et certè negari saltem non potest, in throno, & imperio illius, qui contra decem Reges pugnaturus est, quique tres destruet, & septem alios sibi subijciet, futurum esse aliquem primum Regem, qui contra alios insurget: necessarium ergo est, illum esse certam, ac determinatam personam, ille autem erit Antichristus. Tum quia in illum specialiter conueniunt omnia, quæ ibi subijciuntur, [Sermones contra excelsum loquetur, sanctos altissimi conteret, &c.] Tum maximè quia tempus regni illius tam erit breue, vt in eo non sit habiturus successorem, sed in illo, & cum illo sit thronus eius extinguendus, vt ex eodem loco Danielis, & ex cap. 11. & 12. & ex Apoc. cap. 13. & sequentibus, & ex verbis Pauli; [Quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui,] & ex alijs infra ostendemus.

Hoc argumentum etiam conuincit, illum vltimum Regem per cornu paruum significatum non fuisse Mahometum, (vt aliqui voluerunt) neque alium similem tyrannum. Vnde etiam potest hæc veritas confirmari ex circumstantijs temporis, loci, originis, bellorum, & alijs similibus, cum quibus describitur Antichristus venturus in allegatis Scripturæ locis, quæ posteà tractaturi sumus, non enim potest singularis persona euidentiùs designari, quàm per circumstantias huiusmodi. vel (vt cum dialecticis loquamor) per collectionem proprietatum, quæ nonnisi in vnum, & particulare indiuiduum conuenire possint; ita autem Antichristus describitur in Scriptura negari, ergo non potest, quin particularis persona futurus sit.

Denique de Antichristo singulariter prædicto à Daniele, Paulo, & Ioanne Euangelista omnes antiquissimi Patres, qui de illo scripserunt, vbique supponunt, esse futurum singularem hominem, cuius genus, mores, & alias proprias circumstantias describunt. Vt constat ex his, quæ tradunt Irenæus lib. 5. contra hæres. à cap. 25. Hypolit. orat. de Consummat. Mundi. Ephrem tract. de Antichristo in tom. 1. Cyrill. Hierosolymitan. Catechef. 15. Ambr. lib. 10 in cap. 21. Lucæ, vbi tres numerat Antichristos, diabolum, Arium, & omnes hæreticos similes, & singularem, & famosum Antichristum, qui persequuturus est Ecclesiam in fine Mundi. Sic etiam depingit Antichristum Lactant. lib. 7. diuin. inst. cap. 16. 17. 18. & 19. concludit: [Hic est autem, qui vocatur Antichristus, sed se ipse Christum mentietur, & contra verum dimicabit.] Similiaque repetit in Epitom. Institution. cap. 11. & eodem modo loquitur Hug. Eterian. dict. lib. de Regres. aolmar. cap. 23. Prosper in Dimidio tempor. à capit. 6. vsque ad 16. præsertim verò Hieronym. Daniel. 7. dicens, [Putamus, Antichristum vnum esse de hominibus, in quo totus Sathanas habitaturus sit.] Idem supponit epist. 151. ad Algas. qu. 1. vbi latè ita exponit locum Pauli ad Thessalonicens. Idemque habet Theodoret. in eisdem locis. Daniel. & Paul. Et similiter Chrys. orat. 3. in 2. ad Thessalon. ait, Antichristum non esse futurum ipsum Sathanam, [Sed hominem quemdam suscipientem omnem eius operationem;] Vbi eadem verba habet Theophyl. dicens: [Non erit Sathanas, sed homo quispiam,] Cyprian. etiam lib. 3. ad Quirin. cap. 118. de Antichristo exponit illud Isa. 14. [Hic homo, qui concitat terram,] supponens profectò futurum esse particularem hominem.

August. 20. de Ciuit. cap. 19. [Nulli, inquit, Dubium est, cum de Antichristo ista dixisse, dieque iudicij. Hunc enim appellat diem Domini, & ait, non esse venturum, nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, vtique à *Domino Deo*. *Quod si de omnibus impijs meritò dici potest, quanto magis de isto*. Et infra tractans locum Ioannis, ait: Sicut ante finem exierunt multi hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos, ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Christum, sed ad illum nouissimum Antichristum pertinebunt. Et cap. 23. ita etiam exponens Danielem, ait, [Antichristi aduersùs Ecclesiam futurum sæuissimum regnum, licèt exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei vltimo iudicio regnum sancti accipiant sempiternum, qui non dormitans hæc legit, dubitare non finitur.] *Prætereà* idem docet Gregor. lib. 14. Moral. capit. 11. vbi Antichristum dicit, futurum esse caput omnium iniquorum, & quæ in cap. 9. Iob dicuntur, ita intelligi de vnoquoque iniquo, [vt referri quoque debeant ad ipsum specialiter caput iniquorum.] Et lib. 31. cap. 12. [Antiquus hostis, ait, illum perditum hominem ingredietur, qui specialiter Antichristus nuncupatur.] Ac denique Damascen. lib. 4. de Fide cap. 27. [Omnis, ait, qui Christum non confitetur, Antichristus est. Cæterùm peculiari, ac præcipuo modo Antichristus ille dicitur, qui sub mundi catastrophen venturus est.

CAP. III.

Duabus Protestantium obiectionibus ex Daniele, & Paulo sumptis contra doctrinam superioris capitis, satisfit.

QVoniam si Antichristus vna singularis persona futura est, euanescit hæreticorum phantasia, quòd in throno Apostolicæ sedis Antichristus sedeat, conantur veritatem ex Scripturis demonstratam, eisdem Scripturis impugnare. Et primo obijcit Beza locum Dan. 7. vbi per quatuor bestias quatuor regna significata sunt, singula autem illorum regnorum multo tempore durarunt, & plures Reges habuerunt, qui per singulas bestias significati fuerunt, & eodem modo dicuntur ibidem decem cornua quartæ bestiæ esse decem Reges, quos non oportet esse singulas personas, sed plurium seriem in vnius regni sede; ergo eadem ratione dicendum est de regno Antichristi, quod per cornu paruum significatur, non esse vnum tantum hominem, sed vnum thronum, in quo multi per successionem sedebunt; quorum collectio vocatur à Paulo homo peccati, quia erit velut vnum corpus sibi succedentium tyrannorum.

Respondeo in primis, dissimilem esse rationem de verborum significatione, & de repræsentatione per figuras, vel imagines apparentium rerum, vt bestiarum, vel animalium. Nam verba habent propriam significationem quasi permanentem, & communem, à qua extrahenda non sunt, nisi vbi necessitas, vel sufficiens auctoritas coegerit, & maximè cauendus est sensus improprius, & metaphoricus, quando ex alijs verbis, & circumstantijs in ipso contextu, & sermone adiunctis proprietas sermonis constare potest. At verò res, vel imagines apparentes non habent per se stabilem significationem, sed illam tantùm, ad quam tunc, cùm apparent, assumuntur, seu imponuntur, quæ metaphorica, seu quasi analoga est, pendetque ex voluntate, seu intentione Dei reuelantis, & ideò est obscurissima, & intelligi non potest, nisi ab eodem Propheta per verba declaretur, vel ex alijs Scripturæ locis significatio colligatur, vel certè postea tamdem ex effectu cognoscatur. Paulus ergo non per visiones imaginum, sed per verba loquutus est de Antichristo, & talibus verbis eum indicat, vt planè de illo tamquam de vna singulari persona loquatur, & mores eius, ac circumstantias ita describit, vt vni tantùm, & non omnibus, qui in aliquo throno succedunt, conuenire soleant.

At verò Daniel narrat futura sibi reuelata, non verbis, sed sub imaginibus bestiarum. Vnde vtitur quidem verbis, quæ immediatè significant bestias, & vt indicet, non esse veras, sed apparentes, non absolutè dicit, prima erat leæna, sed quasi leæna, secunda similis vrso, tertia quasi pardus, ipsæ autem bestiæ id significabant, ad quod repræsentandum per quandam analogiam fuerant impositæ, & ostensæ, & aliam significationem impropriam, seu translatam non habebant. Idcoque poterunt facilè repræsentare regna, & non certas personas, & è conuerso, pro arbitrio reuelantis. Hinc ergo fit, vt per bestias interdum significentur regna, interdum certæ personæ. Nam Daniel. 7. per leænam alas aquilæ habentem, significatur regnum Chaldæorum; per vrsum, regnum Persarum, & Medorum; per pardum regnum Græcorum, & per quartam bestiam, Romanorum regnum. At verò in cap. 8. per Arietem significatur Darius Rex; per Hircum, Alexander, vt ipsemet Daniel exposuit. Igitur ex repræsentatione per visionem bestiarum nullum fieri potest argumentum ad significationem verborum, nam illa variatur, vel imponitur pro arbitrio reuelantis, hæc verò de se fixa est, & certa, nisi aliunde constet, ad metaphoricum sensum transferri.

Addo prætereà, licèt per bestias significentur regna apud Danielem cap. 7. nihilominùs per singulas principaliter significari primos vniuscuiusque regni conditores, & amplificatores, in quibus præcipuè inueniuntur proprietates, quæ per tales imagines, & visiones repræsentantur. Et sic leæna alata præcipuè repræsentabat Nabuchodonosor regni Chaldæorum fundatorem, hominem ferocissimum, & libidini deditum, vt notat Hieronymus, qui etiam ait, vrsum, Cyrum maiorem Imperij Persarum conditorem ob eius duritiam, & ferocitatem repræsentasse, Pardus verò alatus significabat Alexandrum Imperij Græcorum caput, qui magna fortitudine, ac velocitate orbem domuit. Ita ergo per quartam bestiam significari potuit Iulius, vel Augustus Cæsar, licèt probabilius videatur, non fuisse significatam particularem personam, quia Imperium illud in principio non monarchicum, sed aristocraticum fuit.

Per decem autem cornua illius bestiæ expressè dicuntur significari decem Reges, vtique illi, qui decem regna, in quæ Imperium Romanum diuident, debellaturi sunt. Ita ergo per cornu paruulum Rex quidem noui Imperij inchoator repræsentatus est, qui non est alius, nisi Antichristus, vt Hieronymus, Theodoretus, & omnes Patres intellexerunt. Est autem differentia, quia de cæteris imperijs, vel de decem Regibus non dicitur, quantum chroni eorum duraturi fuerint, vel fine, & ideò tam ipsi fundatores, quàm eorum successores poterunt per illasmet imagines bestiarum, aut per decem cornua repræsentari: de imperio autem Antichristi satis significatur, tum ibi, cum alijs locis infra tractandis, breui tempore esse duraturum, & cum suomet fundatore esse extinguendum, & ideò per illud cornu paruulum ita significatur Antichristi imperium, vt etiam vna tantùm, & singularis persona repræsentetur.

Secundò obijciunt Protestantes locum Pauli 2. ad Thessal. 2. dicuntque (vt suprà ex Beza retuli) nisi vnus homo detur, qui à temporibus Pauli vsque ad diem iudicij superesse maneat, non posse Antichristum esse certum aliquem singularem hominem: nam Paulus citato loco cum Thessalonicenses docuisset. [Diem Domini (vtique ad iudicandum) nondum instare, quia nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, non veniet dies illa, subiungit: Nunc quid detineat

tineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis, tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec è medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Duo ergò docet Paulus, scilicet, Antichristum iam tunc incepisse operari suam iniquitatem, & apostasiam à Christo in fine mundi esse ab Antichristo consummandam, ipsumque esse interficiendum, & tunc diem Domini esse venturum. Hæc autem non possunt de eadem persona intelligi, quia non potest vnus, & idem homo operari iniquitatem tempore Pauli, & durare persequendo Ecclesiam vsque ad finem seculi, & tunc reuelari, & à Christo interfici.

Propter hoc testimonium quidam dixerunt, Neronem fuisse Antichristum, quorum sententiam infra cap. 4. tractabimus, quia illi non negabant Antichristum esse particularem personam. Illa ergo opinione omissa, Protestantes vel ignorant, vel ignorare se simulant duplicem significationem nominis Antichristi secundo capite positam, nam ex illius ignoratione obiectio facta procedit. Sicut enim dixit Ioannes, [Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt,] quia vnus est, qui singulariter prædictus est, & multi, qui eius iniquitatem participando, illum quasi præfigurant, & ideò nomen etiam eius participant: ita etiam dixit Paulus, Antichristum, suo tempore iam inchoasse operari iniquitatem, licèt id in fine mundi sit consummandum. Errant ergo hæretici non distinguentes inter Antichristum communiter, & propriè dictum, seu (quod idem est) inter Antichristum in typo, & in persona. Antichristus enim in typo non est vna persona, sed corpus, vel successio plurium tyrannorum nomen Christi persequentium. Proprius autem Antichristus in persona, & qui per antonomasiam prophetatus est, vnica est, & singularis persona. De vtroque autem loquutus est Paulus in citato loco. Nam cum ait, [Mysterium iam operatur iniquitatis,] loquitur de Antichristo typico. Quem tunc fuisse Neronem multi Patres intellexerunt, præsertim Chrysostom. ibi, & Theophylact. Et idem Chrysost. serm. de Eleemosyn. & collat. & Homil. de Præmijs Sanctor. Ambros. ibi, & Hieronym. epist. 151. ad Algasi. quæst. 9. Attigit Tertullian. lib. de Resurrect. carn. cap. 24. & Augustin. 20. de Ciuitat. cap. 19. vbi incertam quidem dicit esse expositionem propter loci ambiguitatem, non tamen illam reprehendit. Addit verò aliam, quam Theodor. & Sedulius in Paulum sequuntur, scilicet, quemlibet Hæresiarcham, & Christi hostem sub illo, [qui mysterium operatur iniquitatis,] comprehendi. Quod parum ad præsens refert: omnes enim in hoc conueniunt, quod ille, qui tunc operabatur mysterium iniquitatis, non erat Antichristus, sed typus, imago, præcursor, aut insigne membrum Antichristi. Quod vt significaret Paulus non dixit simpliciter, operatur iniquitatem, sed mysterium operatur iniquitatis, vel ipsum Neronem vocando mysterium iniquitatis, si nomen mysterium sit suppositum illius propositionis, & in casu nominandi positum sit, & vocetur mysterium, quia figura erat Antichristi; vel certè ipsammet persequutionem Neronis vocando mysterium iniquitatis in casu accusandi, quia Nero persequendo Christianos, operabatur mysterium iniquitatis; idest, tyrannidem, quæ erat imago persecutionis Antichristi futuræ.

Vnde tantùm abest, vt ex illo loco probetur, Antichristum proprium non esse vnam certam personam, vt oppositum potiùs inde concludatur. Nam Paulus euidenter distinguit mysterium iniquitatis, seu illum, qui tunc operabatur mysterium iniquitatis ab illo iniquo, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.] Imò inde docet Thessalonicenses, nondum instare diem iudicij, quia [nondum reuelatus fuerat homo peccati,] idest, verus, & proprius Antichristus. De quo etiam subiungit: [Quid detineat, scitis, &c.] nimirum, ne ille Antichristus veniat. Non declarat autem apertè Paulus, quidnam esset, quod aduentum Antichristi detineret, sed significat, Thessalonicenses iam illud scisse, quia cum esset cum illis, eos iam instruxerat (vt statim subiungit) Antichristum non esse venturum, donec Romanum imperium è medio tolleretur, vel ad eum statum perueniret, in quo per Antichristum posset omninò destrui, vt Patres exponunt. Ergo semper Paulus supponit, proprium Antichristum esse alium distinctum ab eo, qui tunc operabatur mysterium iniquitatis, & de illo semper tamquam de singulari homine loquitur, vt capite præcedenti ponderaui.

Vnde etiam Rex Angliæ in præfat. p. 67. fatetur ex illo loco potiùs probari, [tempus quo venturus est Antichristus, & vniuersalis discessio futura est, nonnisi longo post tempore quo Paulus scripsit illam epistolam futurum fuisse.] Nam hoc ipsum est, quod Paulus Thessalonicensibus tradere, & persuadere studebat ex illo principio, quod Antichristus non solùm nondum venerat, sed neque tam citò venturus erat, alioqui non rectè concludisset, diem Domini nondum instare. Nihilominùs tamen idem Rex negat, Antichristum esse particularem personam, quamuis non ex illo loco, sed ex alio id suadere nitatur, vt capite sequenti videbimus.

CAP. IV.

Alteri obiectioni ex cap. 17. Apocalypsis sumptæ contra eamdem resolutionem capitis secundi satisfit.

Tertiò obijcit Rex Angliæ in præfat pagin. 98. vbi sic inquit: [Scorto Babylonio, quod bestiæ insequitat, sedem alicuius Imperij, & successione continuatam aliquorum hominum seriem illi præsidentem, non vnum aliquem designari, perspicuum est, ex forma, qua diuersis libri locis Antichristus ipse describitur,] vtique in Apocalypsi, & induxit cap. 17. eiusdem libri, in quo refert Ioannes ostensam sibi esse [mulierem meretricem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.] De qua mulie-

muliere concludit in fine capitis: [Et mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.] Ex quo Rex concludit, mulierem illam [non posse significare certam vnius hominis personam, sed plures homines sibi continenter succedentes, quorum sedes est magna illa ciuitas.]

Respondeo, etiamsi Regi demus, ciuitatem illam per mulierem significatam, esse Romam (vt ipse intendit) & septem Reges per septem cornua significatos esse septem formam regiminis illius ciuitatis,& octauum futurum esse Antichristum, vt idem Rex arbitrio suo commentatur: licèt, inquam hæc omnia gratis demus, non video,vnde inferre possit cum fundamento in illo textu, Antichristum non esse vnam certam personam. Nam licèt mulier significet ciuitatem in qua est aliquod Imperium per bestiam repræsentatum cum successione plurium Regum, seu plurium formarum regiminis: nihilominùs bestia, quæ etiam significare dicitur Antichristum vnum Tyrannum, vnumque hominem significare poterit. Neque ex textu aliquid induci potest, quod vel apparentem aliud indicet. Nam si fortè fiat argumentum à simili, quia si mulier significat ciuitatem, & bestia Imperium cum successione præsidentium in illa, etiam bestia, vt repræsentat Antichristum, simili modo significabit seriem Tyrannorum, &c. profectò consequentia nullius momenti est. Nam hæ imaginariæ repræsentationes, seu ænigmaticæ figuræ non semper ostenduntur, seu proponuntur ad significandum idem, vel eodem modo, vt per se constat.

Addo, in illa expositione Regis, in qua suam obiectionem fundat, esse quidem aliqua, in quibus cum nonnullis Catholicis conuenit, quæ probabilia sunt, sed incerta, alia verò esse Regis propria, quæ vix, aut nullo modo possunt subsistere. Nam in primis licèt probabile sit, meretricem illam Romam repræsentasse, vt exponit Hieronym. epist. 151. ad Algas. q. 11. & Tertull. lib. 3. contra Marc. & contra Iudæ. qui non intelligunt Romam Christianam, sed ethnicam; tamen etiam est valde probabile, non repræsentasse ciuitatem aliquam particularem, sed ciuitatem diaboli,aut mundi, sicut illam Augustinus distinxit à ciuitate Dei, id est,totum cœtum impiorum. Quomodo etiam dixit Hieronym. psal. 54. duas ciuitates esse in mundo, Babylonem, & Hierusalem. [Per Babyloniam, inquit intelligitur mali.] Et hæc solet Scriptura mundum appellare. In illum enim conueniunt omnia, quæ de illa muliere dicuntur, nam cum illa fornicati sunt omnes Reges terræ, & ab ea inebriantur omnes, qui inhabitant terram, vtique tamquam terreni, & animales homines. Et cætera simili modo. Hac autem posita mulieris interpretatione, non oportet bestiam, cui insidere visa est, esse Antichristum, sed Sathanam, vt multi Scriptores docuerunt, diabolus enim quasi sustinet totum impiorum corpus, & ideò illi insidere dicitur, & cætera, quæ ibi dicuntur, facilè diabolo accommodantur.Cùm ergo Diabolus,vel Sathanas non sit collectio personarum sibi in aliquo Imperio succedentium, sed vna certa singularis persona, non est necessarium bestiam illam repræsentasse vt Rex vult, continuatam personarum seriem, sed vnum Principem Dæmoniorum, qui ad Christum, eiusque Ecclesiam impugnandam satellitibus suis tam malis Angelis, quàm prauis hominibus, multisque Tyrannis per temporum successionem vtitur.

Præterea licèt demus, Scortum illud Babylonium, vt Rex loquitur, esse Romam, & bestiam, cui insidet, esse Antichristum, non est necesse illum esse solum Antichristum in persona, seu verum, & proprium. Sed potiùs dicendum est, illam bestiam priùs fuisse Antichristum in figura, seu mysterio,tandem verò in proprium,ac verum Antichristum defecturam. Ac proinde licèt demus Antichristum per bestiam repræsentatum non vnum tantùm hominem, sed plurium successionem postulare, nihilominùs dicimus illam successionem in Imperatoribus, qui malitia sua, & tyrannide Antichristum præsignarunt, impleri: cùm autem in vero Antichristo successio consummabitur, illum tantùm esse futurum vnam singularem personam. Quam verò responsio hæc sit consentanea Euangelistæ facilè intelliget qui attentè considerauerit, quam appositè Imperatores Romani tyrannidem exercentes in Christianos, significentur per [bestiam coccineam, & plenam nominibus blasphemiæ;] hæc enim epitheta non fœminæ, sed bestiæ attribui, & omnes Interpretes docent, & ex græco textu manifestum est. Dicitur autem coccinea, quia erat circumdata purpura, & coccino, vt infrà dicitur, per purpuram autem Imperium significari solet, quia erat quasi proprium illius dignitatis insigne, & ad id magis explicandum dicitur etiam bestia illa circumdata [inaurato auro, & lapide prætioso, & margaritis.] Potest etiam dici coccinea, propter sanguinem Martyrum, de quo infra dicitur, & vidi [mulierem ebriam de sanguine Martyrum.] Quamuis enim bestia sanguinem effunderet,& inde coccinea denominari possit, mulier tamen, id est ciuitas, illum bibebat, eo quod inebriabatur, odio persequens Christianos, & idola colendo, propter quod etiam [mater fornicationum & abominationum terræ] ibidem appellatur.

Quod autem bestia non solùm Antichristum in persona, sed etiam in figura in sua repræsentatione complectatur, illo verbo,mysterium, à Ioanne interposito satis significatum est, & explicatur optimè per verba Pauli 2. Thessal. 2. [Mysterium iam operatur iniquitatis,] vtique Nero, qui cæpit in Christianorum persecutione Antichristum adumbrare, vt omnes Patres exponunt. Idemque optimè declarant alia verba ibi subiuncta, & sic intellecta: [Bestia quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de Abysso, fuit,] vtique in mysterio, & figura, quia priùs quàm Ioannes id scriberet, iam Nero mysterium operabatur iniquitatis, quem multi Imperatores posteà imitati sunt, [Non est, autem in persona, sed ascendet de abysso, & in interitum ibit,] vt cap. 11. & 13. de Antichristi persona prædictum fuerat. Denique sic etiam intelligi non incongruè possunt alia verba posteà subiuncta, [& bestia, quæ erat,

(vtique

(vtique in figura) & non est,] id est, nondum venit, [& ipsa octaua est,] quia est distincta persona à septem Imperatoribus, qui tyrannide sua illam insigniùs repræsentarunt, & ideò [de septem est,] quia eorum imperium vsurpabit, & crudelitatem augebit, & consummabit, ipsa tamen [in interitum vadit:] quia breui tempore regnabit, & statim condemnabitur. Ex hac ergo interpretatione, quæ valde probabilis est, potiùs colligitur, quòd sicut Imperatores septem, qui mysterium iniquitatis Antichristi operati sunt, personæ fuerunt certæ, & singulares, ita & proprius Antichristus, qui post illos veniet, erit certa, & singularis persona. Imò licèt priora septem capita possint ita intelligi, ac exponi, vt in singulis non tantùm personæ vnicæ, sed aliqua successio personarum intelligatur: nihilominùs octaua, [quæ erat, & non est,] erit singularis persona vnica, quia breuissimo tempore durabit, & statim siue successione [in interum ibit,] vt ibidem significatur.

Quapropter ad obiectionem dissoluendam, non multum refert exponere, qui sunt illi septem Reges, quos per septem capita bestiæ significari Angelus interpretatus est. Quomodocumque enim illi Reges intelligantur Antichristus, qui post illos futurus est, persona erit vnica, & singularis, quod breuiter declaro iuxta duas magis receptas expositiones. Vna est multorum, qui ad explicandos septem illos Reges, distingunt septem mundi ætates, primam ab Adam vsque ad diluuium; secundam à diluuio ad Abraham; tertiam ab Abraham vsque ad Dauid; quartam à Dauid vsque ad Babylonicam captiuitatem, & finem eius; quintam à fine, seu exitu populi à captiuitate vsque ad Christum; sextam à Christo, vsque ad Antichristum; & septimam tribuunt temporibus Antichristi. Vnde in prioribus sex ætatibus per singulos Reges intelligi dicunt omnes Reges crudeles, & Tyrannos, qui per singulas ætates Sanctos persequuti sunt. Ex quibus Regibus [quinque ptæcesserunt, sen ceciderunt, vt ait Ioannes, vnus, id est, sextus est, & alius, id est septimus, nondum venit.] vtique Antichristus. De quo addit idem Ioannes: [Et cùm venerit, oportet illum breui tempore manere,] vt significet, licèt priores Reges non in vna persona, sed in plurium successione durauerint, quia ætates illæ diuturnæ fuerunt, vltimam verò futuram esse breuissimam, & ideò Regem in ea pugnaturum, vnam tantùm, & singularem futuram esse personam. Iuxta hanc tamen expositionem bestia, quæ statim octaua esse dicitur, non intelligitur esse Antichristus, sed diabolus, qui dicitur, fuisse in prioribus, quia solutus erat, nunc verò in sexta ætate dicitur non esse, quia ligatus per Christum est, & postea dicitur ascensurus de abysso, quia soluetur tempore Antichristi, & in ipso veniet, & cum ipso regnabit.

Altera expositio supponit, per bestiam non dæmonem, sed Antichristum intelligi, vel potiùs Imperium Romanum non absolutè, & in tota sua amplitudine, sed vt operans mysterium iniquitaris, id est persecutionis Christianorum in præcursoribus Antichristi, vsque ad Antichristum vetum, qui omnem iniquitatem effundet. Et sic bestia illa in Nerone incepisse optimè, & consentaneè ad Paulum intelligitur. Dicitur autem habere capita septem propter Imperatores successores eius: sub quibus aliqui putant, comprehendi omnes, qui in illo Imperio persequuti sunt Christianos, siue plures, siue pauciores fuerint, sumpto numero certo pro incerto, seu pro vniuersali. Sed difficile hoc creditum est, cùm Ioannes distinctè numeret quinque, qui præcesserunt, & vnum, qui est, & alium, qui futurus est, hæc enim tam distincta computatio non fit in numero incerto. Et ideò alij propriè verba intelligunt de septem tantùm Imperatoribus, qui post Neronem vsque ad Neruam fuerunt. Illo enim tempore Ioannes vixit, & prophetauit, & ideò tantùm mysterium iniquitatis, quod in eo tempore, in quo scribebat, partim præcesserat, partim agebatur, partim duraturum proximè erat, commemorauit, inde verò ad Antichristum transitum fecit. Quod etiam difficile videtur. Cur enim alij ibi non numerantur, præsertim Traianus, qui eodem fere tempore, & viuente Ioanne, acerbissimè Christianos vexauit? Vnde addi potest, per septem Reges intelligi posse aliquos insigniores Christi persecutores, qui inter ethnicos Imperatores Romanos fuerunt, & typi fuerunt Antichristi. Quamuis enim Ecclesię persecutiones varijs modis numerentur, nihilominùs sub aliqua non contemnenda consideratione ad eum numerum reduci possunt, qui illi visioni accommodari possit. Seuerus enim Sulpitius lib. 2. sac. *hist.* nouem tantum numerat Ecclesiæ persequutiones, illas à Nerone inchoando. Alij verò ab eodem principio numerant decem, teste Augustino lib. 18. de Ciuit. cap. 52. Vnde aliquam ponit Sulpitius, quæ in narratione Augustini omittitur, & è conuerso: quare facilè possemus nos illa ad septem, vel octo reducere. Augustinus autem non putat esse inchoandum à Nerone, nec sistendum in Diocletiano, vt alij faciunt, & ideò in multo maiori numero esse putat, eumque esse incertum, & pro varietate temporum multiplicari.

Sed quidquid sit de re ipsa in se, & nude spectata, in ordine ad locum Ioannis, quem tractamus, non sine causa dicitur, Neronem fuisse primum Christi persecutorem, quia Ioannes non de omnibus Christi hostibus, sed de Antichristo, & præcursoribus eius loquitur, & fortasse non absolutè, & simpliciter de omnibus, sed de his, super quos Romanum Imperium, vel Romana ciuitas insidebat. Inter hos autem Nero fuit primus, qui post Christum publico edicto contra Christum bellum mouit, propter quod de illo singulariter dixit Paulus, mysterium iam operatur iniquitatis, de quo mysterio etiam Ioannes loqui videtur, vt dixi, ideòq; meritò ille reputatur initium, & quasi fundamentum Antichristianismi mystici in Romano Imperio. Post illum verò numerat septem, in quibus eos numerare, & intelligere probabile est, qui nouarum persecutionum Christianorum capita fuerunt. Nam vt dicit Optat. lib. 3. aduersus Parmenian. [Tunc noua persecutio Christianorum in Romano Imperio facta esse censetur, cum publico Impera-

peratorum edicto noua aliqua ratione Christiani diuexati sunt,] ideòque non omnes, qui persecutionem ab vno inceptam continuarunt, inter persecutores. & Antichristos mysticos distinctè numerantur, sed illi soli qui vel nouis modis, & edicti persecutionem innouarunt, vel qui eam, quæ iam cessauerat, redintegrarunt. Sic post Neronem inter persecutores numeratur Domitianus, & post hunc Traianus, licet inter eos alij intercesserint, & sic possunt alij numerari, vt Marcus Aurelianus, Decius, Diocletianus, Iulianus Apostata, vel alius similis.

Obstant verò maximè huic expositioni verba Ioannis, vbi de illis septem Regibus ait. [Quinque eciderunt, vnus est, & alius non dum venit,] significat enim Ioannes his verbis, quando illa scribebat, quinque ex septem illis præcessisse, & sextum actu imperasse, quod si ita est, non poterunt in illa numero computari Imperatores, qui post Ioannem fuerunt, vt Decius, Dioeletianus & alij. Posset tamen quis dicere Ioannem loquutum esse prophetico more de re futura partim vt præterita vel præsenti, partim vt futura diuersis respectibus in ordine ad imperium Christianum. Ita vt cecidisse dicat Ioannes illos quinque præcipuos Christi hostes, qui ante Christianos Imperatores, idest ante Constantinum Ecclesiam persecuti sunt quales probabiliter existimari possunt primi quinque illi, qui proximè post Neronem imperarunt, scilicet Galba, Vespasianus, Titus, Domitianus, & Nerua. Prætermissis Othone, & Vitellio, quorum propter temporis breuitatem non habetur ratio, & non computato Nerone, quia necesse non est, vt in illo numero comprehendatur. Sextus verò. qui additur tanquam præsens, non male intelligi potest Licinius, qui statim in principio imperij Christiani tempore Constantini grauissimè Christianos persecutus est, teste Eusebio in vita Constantini lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 1. & in histor. libr. 10. cap. 9.

Alter verò qui venturus postea dicitur, non immeritò Iulianus Apostata intelligi potest, in quem rectè conuenit illud, quod Ioannes subiungit, [Oportet illum breue tempus manere, & fuit vltimus Imperator Romanus, qui Christum ipsum, & Christianum nomen persequutus est. Nam licet multi alij Imperatores hæretici Ecclesiam Catholicam impugnauerint, & Constans, & Valens, Constantin. Copron. & similes illi tamen non contra Christum apertú bellum mouerunt sed sub nomine Christiano, veros Christianos insequebantur. Aliorum verò persecutorum Ecclesiæ (licèt plurimi in varijs regnis, & sectis fuerint) hic ratio non habetur, quia, vt dixi. solum de Romano Imperio Ioannes loquebatur. Veruntamen hæc omnia incerta esse fatemur, quia non certa verborum expositione. sed sola coniectura, & humana accommodatione nituntur, ea tamen solum proponimus: vt ostendamus, quocumque modo probabili locus ille exponatur, ex illo non colligi octauum illum Regem, per quem Antichristus designatur. esse corpus aliquos tyrannorum, aut seriem Regum sibi succedentium, sed futurum esse certum, & singularem hominem, sicut fuit Nero, vel Diocletianus; & alij Imperatores ibi designati

At verò Rex Angliæ his expositionibus non contentus. nouam vel inuenit vel à suis Protestantibus didicit, ad hoc solum inuentam, vt ad Apostolicam sedem reuelationem illam Ioannis accommodent. Ait enim, septem Reges non esse personas certas, nec imperatores Romanos, sed varias formas regiminis, quæ in ciuitate Romana à principio eius vsque ad eius destructionem erunt, quas dicit esse septem, & illas intelligi per septem capita bestiæ. seu per septem Reges, quos per septem capita significari, Euangelista declarauit. [Nam Romæ, inquit: Reges primo fuerunt, deinde exactis Regibus, Consules Dictatores, Decem viri, Tribuni militum. Sexta erat, quo tempore Ioannes conscripsit Apocalypsim, Cæsarum Imperatorum, septima, quæ nondum venerat, & exiguo tempore erat duratura. Ecclesiastica est Episcoporum, quæ translationem Imperij Roma Constantinopolim subsequuta est. Licèt illorum regimen, ait, Imperatoribus quodammodo fuit subordinatum.] Et infra addit, Octauam esse Antichristum, quod multis verbis declarat, dicens, illum esse regimen eorundem Episcoporum Romanorum, quod post annos 276. in eadem sede subsequutum est, vtique à tempore Bonifacij III. vt inferiùs expressè dicit. Quæ omnia sine vlla probatione, sola dicendi auctoritate producit.

Prius quam de hac interpretatione iudicium proferam, Tertulliani animaduersionem præmittendam censui, in lib. de Præscriptio cap. 17. dicentis, [Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum, & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur, & his nituntur, quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt.] Hoc igitur in tota hac causa de Antichristo Protestantibus accidisse, vel ex hac ipsa interpretatione. quam tractamus, manifestum est. Nam in primis in tota illa auctoritatem aliquam fide dignam, vel probationem requirimus, nam si hæc omnia tamquam dictata prophetico spiritu vendicantur, oportet, vt talis propheticus spiritus aliquo signo, vel modo sufficiente nobis ostendatur, si autem sola humana coniectura, vel potiùs accommodationis inuenta sunt, qua facilitate dicuntur, contemnuntur. Non solum quia humana coniectura plerumque fallitur, sed etiam quia illa nullum habet in textu fundamentum, neque in verbis. Imò Rex illa detorquet ad peregrinam, & inusitatam significationem. Qualis est quod per quinque Reges, qui præcesserunt, seu eciderunt, intelligantur Reges, Consules, Dictatores, Decemuiri; & Tribuni Romanæ ciuitatis, & ideò nullus ante Nouatores, illos Reges ita intellexit. Deinde immeritò illa quinque membra numerantur vt quinque regimina illius ciuitatis inter se distincta, & sibi succedentia. Nam Consules, ex quo incœperunt semper durarunt, & ordinarium regimen retinuerunt, vsque ad Imperatores. Numquam enim ante Iulium Cæsarem fuit in illa Republica ordinarium regimen per Dictatorem, sed solum per occasionem interdum ad breue

tempus creabatur. Ideòque Consules, & Dictatores dici non possunt multiplicasse Reges, vel ordinaria regimina in illa Ciuitate Nam Consules semper durabant, etiam si suborta graui occasione, Dictator crearetur qui post sex menses, vel cessante occasione, cessabat. Vnde solum erat quasi extraordinarium subsidium, non regiminis mutatio.

Eademque, vel maior ratio in decem viris militat, quia decem viri non ad mutandum reipublicæ regimen, sed tantum legum ferendarum causa creati sunt; & interim potestatem regendi Rempublicam acceperunt. Intra triennium autem cessarunt, & partem illius temporis non tā reipublicæ auctoritate quam vi obtinuerunt. Hoc autem non sati a est, vt illa censeatur peculiaris regni, seu regiminis mutatio, alioqui etiam numeranda esset mutatio regni in inter regnum, in quo centum gubernabant. vnus tamen cæteris præerat. cuius imperium tantum per quinq; durabat dies, & ita vicissim inter se per anni circuitum sortiebantur. Nam hæc ratio gubernandi non minùs à regno distat, quam decemuiratus à Consulatu, nec minori tempore interregnum, quam decemuiratus durauit. Tandem eadem fere ratio in tribunis militum vrget. Quia propter tribunorum militum adiectionem, nihil de regimine, vel de Consulibus immutatum est, sed illi sunt adiuncti de plebe tribuni militum, solo fere nomine à Consulibus distincti. Est ergo illa distinctio, & numeratio non solùm volontaria sed etiam in rigore falsa; & contra veritatem historiæ conficta. Nam omnes historiæ tantum tria tempora Romanæ gubernationis vsque ad Constantinum distinguunt, Regum, Consulum, & Imperatorum, nam cæteræ dignitates tantum fuerunt quasi comitantes tempora Consulum, eósque in diuersis occasionibus, vel ministerij adiuuantes.

Præterea incredibile est, & intolerabile quod septimus Rex esse dicatur, regimen Sanctorum Pontificum à Syluestro vsque ad Bonifacium Tertium. Eo enim tempore non fuit Roma meretrix fornicaria, per idolorum cultum, nec habebat in manu sua populum plenum abominatione, sed doctrinæ fidei, & sanctitatis. Nam licet fortasse plures idolorum cultores in ea inuenirentur, ciuitas ipsa in Christum credebat, & verum Deum adorabat, & quatenus talis erat Pontificum humeris insidebat. Ideoque Pontificum regimen, quod eo tempore fuit, dici non potest esse vnum ex illis septem capitibus. Præsertim cum Ioannes dicat, bestiam illam coccineam plenam esse nominibus blasphemiæ, cui meretrix magna insidebat. Impium ergo est cogitare, bestiam illam, vt fornicationum fundamentum, seu fulcimentum esse in illo capite repræsentatam aliqua ex parte, seu, quoad vnum caput fuisse Sanctorum Pontificum regimen, vel, quod perinde est, hoc Pontificum regnum vnum ex illis septem capitibus bestiæ fuisse. Præter quam quod immeritò diceretur de illo septimo Rege [Oportere illum breui tempore manere] si 270. annis durauit; nam licet comparatione sequentium illud regimen sit minus diuturnum, absolutè, & in se, non potest dici breue. Et præsertim quia comparatione præcedentium, fuit diuturnius, quam primorum Regum Romanorum, qui septem tantum fuerunt, & iuxta receptam sententiam ad summum annis 240. durarunt, & ab initio Consulum vsque ad initium imperij Augusti solum 478. anni transierunt, iuxta communiorem computationem. Vnde si ille numerus annorum in tria regna diuidatur, vt Rex vult, quodlibet eorum longè breuiori tempore durauit, quam regnum illud Sanctorum Pontificum, quod Rex septimum facit, cur ergo de illo potiùs, quam de omnibus præcedentibus dictum fuisset, oportere illud breui tempore manere. Neque omittam aduertere, falsum omnino esse, quod Rex obiter, & quasi aliud agens interponit, regimen illorum Pontificum Imperatoribus fuisse subordinatum, contrarium enim in superioribus ostensum est.

Denique quod supponit, regimen Pontificium, seu Romanorum Episcoporum à tempore Bonifacij Tertij adeò fuisse diuersum à regimine superiorum Pontificum, vt ex Christiano factum sit Antichristianum; dogma hæreticum est, & impia Protestantium, ac mera impostura, contra omnem historiam, imò contra experientiam vsque ad hodiernum diem. Nam eadem fides quæ in prioribus fuit, in Bonifacio Tertio, & successoribus eius perseuerauit, & Primatus quem idem Bonifacius habere voluit, & professus est, non per rapinam vsurpauit, sed à suis prædecessoribus, vt sic dicam, hæreditauit, eundem enim illi exercuerunt, & testati sunt, vt in superioribus demonstratum est, neque in vlla re alia substantiale discrimen regiminis Ecclesiastici ostendi potest. Est ergo vana illa diuisio regiminum in Romana Sede, & consequenter tota expositio Regis, totaque calumnia Antichristianismi Romanis Episcopis imposita euanescit, Ac tandem euidenter conuincitur, ex dicto loco Ioannis non colligi, Antichristum esse seriem plurium hominum in eodem regno, sed potiùs contrarium indicari, nimirum illum futurum esse aliquem singularem hominem, licet ex alijs Scripturæ locis id euidentius comprobetur.

CAP. V.

De tempore persecutionis, & mortis Antichristi.

QVamuis ex sola proprietate nominis Antichristi, & certitudine, ac singularitate personæ eius, euidentissimum sit, ineptissimè ad thronum Romanæ Sedis applicari ea, quæ de Antichristo prædicta sunt, nihilominus, quia Rex Angliæ contrarium nititur saltem coniecturis ostendere, discurrendo per tria capita, ad quæ reuelationes de Antichristo factas reducit, scilicet, ad tempus aduentus eius, Sedem eius, & descriptionem personæ eius, operæ pretium existimamus singula ponderare, & in omnibus ostendere, non solùm coniecturam probabilem ad id, quod intenditur, inde non sumi, verum potiùs oppositum

situm ex singulis conuinci. Incipimus autem à temporis circumstantia, quia notior, & euidentior est.

De Antichristo autem quatuor nobis prædicta sunt, scilicet, venturum in hunc Mundum, regnaturum in eo, persequuturum Ecclesiam, ac tandem interficiendum esse à Christo. Hæc omnia patent: nam de aduentu eius dicitur Daniel. 7. [Ecce aliud cornu paruulum ortum est de medio eorum,] de regno subditur: [Porrò cornua decem ipsius regni, Reges decem erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior prioribus, & tres Reges humiliabit.] De persecutione verò dicitur ibidem: [Sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret.] Denique de illius fine subditur: [Iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem.] Et clariùs Paul. 2. Thessal. 2. [Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & illustratione aduentus sui.] Iuxtà hæc igitur quatuor, totidem puncta de tempore aduentus inquiri possunt, primum quo tempore orietur in hoc Mundo, secundum quando regnare incipiet, & quanto tempore regnabit, antequam aperto marte contra Ecclesiam pugnare incipiat, tertium quando incipiet persequi Christianos, quantumue temporis in hac persecutione durabit; quartum quando interficietur, idest, quanto tempore ante iudicij diem. Et quamuis ordine temporis ortus, & regnum eius priora futura sint, nobis tamen notiora esse possunt tempora persecutionis, & mortis eius, quia clariùs sunt in Scriptura reuelata, & ideò de illis priùs in capite præsenti dicemus, de alijs verò duobus temporibus in sequentibus.

Protestantes ergo variè de persecutione, & fine Antichristi loquuntur: nam de initio eius quidam dicunt, ab initio Ecclesiæ fuisse, vt duobus capitibus præcedentibus visum est. Alij in quadringentesimum Christi annum illud initium referunt, alij in sexcentesimum sexagesimum sextum, vel circa; alij circa septingentesimum; alij circa millesimum ducentesimum, vt latè tractat Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 3. Rex verò Angliæ eam sententiam eligere videtur, quæ initium Antichristi ponit anno circiter sexcentesimo. Dicit enim in Præfatione pag. 98. incœpisse Antichristi regnum ducentis septuaginta sex annis post translationem Imperij Roma Constantinopolim per Constantinum factam, quæ, vt probabiliùs creditur, anno trecentesimo trigesimo Christi facta est, ex quibus additis ducentis septuaginta sex, efficiuntur sexcenti sex, quo tempore Bonifacius Tertius sedit, à quo Antichristum incœpisse Rex affirmat. Neque ipse inter persecutionem, & regnum distinguere videtur, quia sub eodem Bonifacio vtrumque incœpisse autumat. Imò sentit, non aliter incœpisse regnum Antichristi, quàm inchoando persecutionem, noua dogmata cudendo, & ipsius Christi potestatem in terris vsurpando. De tempore autem durationis eiusdem persecutionis sentit, non esse definitum, sed esse totum tempus futurum ab eiusdem persecutionis initio vsque ad finem Mundi, vel propè illum. De tempore namque mortis ipsius Antichristi, seu fine persecutionis, & regni eius nihil etiam Rex definit, sed ignorari ait, quanto tempore ante diem Iudicij sit futurum, vt patebit ex fundamentis eius, quæ capite sequenti expendemus.

Nos autem in primis statuimus, id, quod fortasse neque Rex, neque alij Protestantes negabunt, persecutionem Antichristi propè Iudicij diem finiendam esse, seu (quod perinde est) Iudicium non multò post consummatam, & finitam Antichristi persecutionem, sed proximè, & quasi immediatè post illam, futurum esse. Ita videtur apertè prædicere Christus Dominus Matth. cap. 24. [Statim autem post tribulationem illorum dierum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, virtutes Cœlorum commouebuntur, & tunc parebit signum Filij hominis in Cœlo, & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & maiestate.] Quæ verba euidenter describunt secundum Christi aduentum ad Iudicium: nec de hoc fuit vnquam nec potest esse controuersia. At verò tribulatio illorum dierum, de qua in eisdem verbis fit mentio, planè est tribulatio sub Antichristo futura, de qua paulò antea dixerat Dominus: [Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi, vsque modo, neque fiet.] Dices, multos Patres, & Expositores intelligere hæc verba de tribulatione Iudæorum in destructione Hierusalem per Titum, & Vespasianum. Nam hanc prædixerat Daniel. c. 9. vbi prædicit futuram abominationem desolationis in Templo, cuius Christus in eodem loco meminit, dicens: [Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.] Respondeo, licèt probabile sit, Christum hanc etiam tribulationem voluisse comprehendere, tamen negari non posse, quin simul, & præcipuè loquatur de tribulatione sub Antichristo futura. Tum quia hoc consonat antecedentibus, & subsequentibus verbis. Discipuli enim simul de tempore destructionis Templi, & consummationis seculi, & aduentus Domini ad iudicandum interrogarunt, quia fortè putabant simul esse futura, & ita Christus respondet verbis, quæ ad vtramque tribulationem possunt applicari, & posteà tandem de Iudicio apertè sermonem instituit. Tum etiam quia in rigore sola tribulatio Antichristi erit ita magna, vt nulla similis antea fuerit, vel futura sit postea. Et ideò de illa maximè loquutus est Christus, eademque merito dici potest desolatio abominationis, idest, Antichristi. Nam vt Irenæus rectè exposuit lib. 5. capit. 25. ipsemet Antichristus abominatio desolationis merito vocatur. Abominatio quidem, quia erit homo summè abominabilis, & cognominatur desolationis, quia in Sanctis, & Christianis incredibilem desolationem efficiet. Ergo ex verbis Christi satis colligitur, statim post finitam, & consummatam tribulationem ab Antichristo Ecclesiæ Christi faciendam, incœptura esse signa diei Iudicij, & paulò post, Christum esse ad iudicandum venturum. Quod ex se-

sequentibus magis confirmabitur.

Addimus ergo secundò, tribulationem illam cum morte, & per mortem eiusdem Antichristi, & non antea esse terminandam: nam licèt Christus ibi hoc non expresserit, in alijs Scripturæ locis euidenter declaratur. Paulus enim 2. ad Thessalon. 2. sic inquit: [Et tunc (idest sublato Romano Imperio) reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, cuius est aduentus secundùm operationem sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.] Ex quibus verbis apertè colligitur, non desiturum Antichristum à persecutione sua, donec ab ipsomet Christo, eiusque iussu, & imperio interficiatur. Nam tribulatio illa maximè consistet in coactione per tormenta, in inductione per promissiones temporales, & in seductione per portenta, & falsa prodigia; ab his autem non desistet ille iniquus, donec à Christo interficiatur, & potentia eius destruatur; ergo, teste Paulo, tribulatio finitur per Antichristi mortem, & non antea. Et hoc idem significauit Daniel cap. 7. dicens, per tribulationem illam, [Sanctos tradendos esse in manu Antichristi vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Et statim subdit: [Et Iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispareat vsque in finem.] In quo loco de Antichristo ad literam loqui, manifestum est, & omnes Patres, & Expositores Catholici vnanimi consensu docent. Vnde idem Daniel in cap. 8. loquens de Antiocho dicit: [Contra Principem Principum consurget, & sine manu conteretur,] quæ verba dicta etiam esse de Antichristo in persona Antiochi repræsentato, auctor est Diuus Gregorius lib. 30. Moral. cap. 12.

Denique Apocalyp. 19. de Antichristo, & quodam Pseudopropheta eius, [qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, dicitur, Viui missi sunt isti duo in stagnum ignis,] additurque de socijs eorum. [Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum,] nimirùm, Christi, quem priùs se vidisse Ioannes narrauerat. Constat igitur finem tribulationis sub Antichristo futuræ, etiam esse futurum finem imperij, & vitæ eius. Nam licèt sit dissensio inter Catholicos, an in hoc Mundo interficiendus sit propter Pauli verba; vel viuus in infernum tradendus, vt Ioannes significat, vel viuus absorbendus à terra per hiatum eius, vt intra illam conclusus ibi moriatur, & sepeliatur, & anima in infernum descendat, vt ita faciliùs loca conciliëntur: hæc quæstio nihil ad rem præsentem refert, quocumque enim modo ille præsentem vitam in hoc Mundo inter mortales finiat, satis nobis est, non priùs amissurum regnum, vel a persecutione cessaturum, quàm viuere in hoc Mundo desinat.

Tertiò dicendum est, persecutionem illam breui tempore esse duraturam, nimirùm, tribus annis cum dimidio, ac subinde totidem annis ante mortem Antichristi esse inchoandam. Ita docent Patres omnes, Irenæus lib. 5. cap. 30. Hippolyt. de Consummat. Mundi, Lactant. lib. 7. cap. 17. [Dabitur, ait, Antichristo desolare Orbem terræ mensibus quadraginta, & duobus.] Idem Cyrill. catechef. 14. Chrysostom. homil. 49. in Matth. in Imperfecto, Ephrem tract. de Antichristo, Hieronym. Danielis 17. & 12. dicens, [Sanctos permittendos esse potestati Antichristi per tres annos, & dimidium.] Item Augustin. 20. de Ciuitate cap. 18. & 23. dicens, [Antichristi aduersùs Ecclesiam sæuissimum regnum exiguo spatio duraturum esse, qui vel dormitans hæc legerit, dubitare non posse.] Et statim idem tempus declarat, Idem habet Prosper in dimidio tempor. cap. 17. & Raban. in tractatu de Antichristo, qui fertur sub nomine Augustini. Et eadem est communis sententia interpretum Daniel. 7. & 12. vbi præsertim Theodoret. & in Apocalypsi 8. & sequentib. Victor. Primasij, Bedæ, Anselmi, Ruperti, Aret. & recentiorum.

Fundaturque hæc sententia primò in verbis Daniel. 7. [Tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.] In quibus verbis nomine temporis annus significatus est, vt notant ibi Hieronymus, Theodoret. & omnes, & Augustin. 20. de Ciuit. cap. 23. & patet ex Daniel. 4. [Donec septem tempora mutentur super eum.] Et iterùm: [Septem quoque tempora mutabuntur super te.] Idemque inferiùs repetitur. Est ergo ille vsus Scripturæ maximè in illo Propheta, quem Ioannes in Apocalyp. imitatus est. Item necesse est, vt ibi tempus significet definitam aliquam temporis mensuram, quia aliàs non posset numerari: non potest autem significare horam, diem, hebdomadam, aut mensem, quia esset nimis paruum tempus, nec significat multitudinem aliquam annorum, quia esset nimia duratio contra alia loca Scripturæ. Denique tempus in motu Solis præcipuè conspicitur, cuius integra reuolutio annum consummat, & ideo merito nomine temporis, vel vnius temporis significatur, quando enim incipit altera solis conuersio, quasi nouum tempus inchoatur, in nulla verò multitudine annorum potest tam certa ratio metaphoræ occurrere, vt nomine temporis in singulari significetur. Vnde etiam intelligitur, quando dicitur per tempus, perinde positum esse, ac si diceretur, per vnum tempus, maximè cum statim additur, & tempora. Hoc autem plurale de duobus intelligendum est, & non de pluribus, tum quia illud sufficit ad vim vocis, cuius amplitudo coarctanda est, ne in immensum crescere, & sine termino ampliari possit, quod repugnat intentioni prophetiæ, & additioni dimidij temporis, quæ statim fit, & planè indicat, tempus illud strictè sumi: tum etiam quia vt Hieronym. & Augustin. supra notant, in Hebræo ibi est numerus dualis, qui Latinis non est in vsu, & ideò pluralis pro duali positus est. Igitur vox tempora, ibi duos annos significat; sunt ergo tres anni cum dimidio.

Accedit (vt notat Augustinus supra) quod hoc tempus per dierum numerum ab eodem Propheta explicatur; sic enim ait, cap. 12. [Et à tempore, quo oblatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta] qui efficiunt tres annos cum dimidio, & super-

persunt duodecim dies, quod non refert, quia non oportet dimidium annum esse præcisum, nam communi sermone dicitur annus dimidius, etiam si aliqui dies vltra sex menses superfint. Præterea Apocalypsis 12. similiter dicitur: [Postquam vidit Draco, quod proiectus esset in terram, persequutus est mulierem, quę peperit masculum,& datę sunt mulieri (id est Ecclesiæ) alæ duæ aquilæ magnæ,ve volaret in desertum in locum suum,vbi alitur, per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.] Qui locus intelligitur ab omnibus de tempore persequutionis Antichristi in eadem illarum vocū significatione. Vnde paulò antea in eadem capite per dies idem tempus declaratur, dum dicitur: [Mulier fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.] Et similiter cap. 11. per dies, & menses idem tempus explicatur, dum dicitur: [Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus,] & de prædicatione Eliæ, & Enoch subingitur: [Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.] Qui non conficiunt integros annos tres cum dimidio, desunt enim 18. dies.

Vnde oritur difficultas, quia suprà dictum est, hoc tempus mensium, vel annorum non esse præcisum quoad dies, qua onnullis diebus pluribus abundat, hic autem deficiunt dies, fieri tamen potest, vt in eodem mensium numero fit excessus, & defectus dierum. Dicendum verò, est in hoc, ita esse in ordine ad eandem rem, quæ narratur, secus vero esse posse in ordine ad res diuersas. Quocirca quoties fit numeratio per dies, numerus dierum sine dubio est præcisus, quia hoc requirit veritas narrationis, licèt non oporteat, extremos dies esse completos, sed sit satis esse inchoatos. Similiter etiam narratio per menses requirit præcisum numerum quoad menses, vltimus tamen potest esse non impletus, & ideò in numero dierum non requiritur tanta præcisio. Quod si certo numero mensium addatur dimidium, tunc necesse est, reliquos menses esse integros, quia dimidij mensis additio hoc requirit ad numeri mensium veritatem, & nihilominus quoad numerum dierum non requiritur tanta æqualitas, nam dimidium mensis dicitur mensis non completus, siue sit præcisè dimidius, siue plures, aut pauciores dies, quam quindecim fuerint.

Idem ergo est cum numerantur cor anni, verbi gratia tres,& additur dimidiū, nā priores anni requirūtur integri in dimidio autem potest esse varietas, quia non semper requiritur aut completus, aut præcisos quoad numerum dierum, & mensium integritatem. In præsenti ergo tempus persecutionis Antichristi sine dubio erit triom annorū cum semisse. Et quia in alia numeratione per dies adduntur aliqui dies vltra præcisum tempus trium annorum cum dimidio, ideò necessario sunt intelligendi illi anni quoad præcisum numerum dierum, etiam si non oporteat, vt dixi, vltimum diem integrum esse. Non est autem necesse prædicationem Eliæ, & Enoch durare toto tempore,& omnibus diebus persecutionis Antichristi, potuerunt enim mitti aliquot diebus post inchoatam persecutionem, vel quod verisimilius est occidi, aliquot diebus ante mortem Antichristi, & consequenter ante finitam eius persecutionem, & ideo licèt prædicaturi dicantur Elias,& Enoch per tres annos, & dimidium, vel per quadraginta, & duos menses, nihilominus possunt non esse integri quoad numerum dierum, licet in persecutione non solum integri sint, sed etiam aliquibus diebus abundent. Et simili modo dicitur Ecclesia in persecutione illa in desertum fugere, & ibi manere per idem tempus annorum, & mensium, quia Sancti eo tempore fugiene in montes, & se abscondent in solitudinem, & ibi manebunt. Fieri tamen potest, vt non statim à principio se recipiant in solitudinem, sed post aliquot dies ab inchoata persecutione, & idò quoad numerum dierum illud tempus annorum, vel mensium minor recensetur.

Quartò dicendum est, finem persecutionis Antichristi, & mortem eius per solos quadraginta quinque dies antecessuram esse diem iudicij, seu diem iudicij esse futurum post mensem cum dimidio à morte Antichristi. Contra hanc assertionem tres possunt referri sententiæ. Prima est antiqua Chiliastarum, qui dixerunt, post Antichristum debellatum regnaturum Christum cum Sanctis in hoc inferiori mundo in summa pace, & gloria terrena per mille annos. Hanc verò sententiam omitto, quia iam est ab Ecclesia reiecta tanquam hæresis manifesta, & quia nihil ad præsentem causam refert, & in alijs locis ex professo tractatur à Theologis in 4. dist. 43. & ab expositoribus Apocalyp. cap.20. vbi videri potest Ribera, & Pecer. lib.8. in Daniel. in fine. Hac ergo omissa sententia, altera est, dicentium moram illam esse futuram per tempus septem annorum. Quia Ezechiel cap. 38. & 39. describens persecutionem Antichristi sub nominibus Gog, & Magog. (vt est probabilior expositio dicit, superato Gog, id est, Antichristo, & destructo Magog, id est eius exercitu tantam esse futuram stragem inimicorum, tantamque pacem in populo Dei, vt post instratam, & purgatam terram per septem menses mortuos sepeliendo, habitatores eius per septem annos non indigeant lignis de saltu ad succendendum ignem, quia spolia ex armis inimicorum ad illum vsum sufficient.

Tertia verò sententia negat, posse certo sciri quanta temporis mora inter Antichristi mortem,& idem iudicij intercessura sit. Quam tanta exaggeratione tradit Rex Angliæ in Præfat. pag. 74. vt dicat. [Sententiam, quam Pontificij sequuntur; tempus illud trium annorum cum dimidio,& tot dierum, propriè, & adamussim intelligendo, toti nouo testamento repugnare.] Nimirum quia in illo dies iudicij ignoratus ab omnibus, & repentinus futurus prædicatur. Et alioqui si quæ sunt hac de re prophetiæ, tam sunt obscuræ propter verborum significationem variam, & sæpius metaphoricam, vt nihil certum ex eis colligi possit. Vnde concludit, in loco citato sumi diem pro anno, & numerum definitum pro incerto, seu pro duratione diuturna.

Nihilominus assertio posita communis est Patrum. Eam docet Hieronym. Daniel. 14. Theodoret. orat. 10. in Daniel. Beda Apoca-

calyp. 8. Anselm. 2. Thessalon. 2. & frequentius moderni, Bellarmin. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 17. Ribera, & Perei, suprà, Probatur ex loco citato Daniel. 12. vbi postquam dictum fuerat, persequutionem Antichristi duraturam diebus mille ducentis nonaginta, statim additur: [Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque.] In quo numero quadraginta quinque dies adduntur priori numero, quod non alia ratione factum intelligitur, nisi quia cot diebus, & non pluribus differendum est iudicium post finitam persecutionem. Nam quia in illis diebus peccare potest, & damnari etiam ille, qui in tentatione Antichristi firmus permanserit, non potest proclamari beatus intra illum dierum numerum; qui autem peruenerit vsque ad finem illorum dierum constans in eadem viua fide, pronuntiatur beatus, quia iam erit finita via, post quam peccati non poterit. Atque ita locum illum intellexerunt authores allegati.

Quidam verò alij recentiores, dicunt, ex illo quidem loco colligi, quadraginta quinque dies futuros ante iudicium post necem Antichristi, non tamen statim post illos futurum esse iudicium, quia ibi hoc non dicitur. Veruntamen si attente ponderetur vis illius beatificationis, [Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies] , vt nos illam expendimus, valde probabiliter vtrumque inde colligitur, Quia nisi finitis illis diebus mille trecentis triginta quinque statim esset futurus finis mundi, & iudicium, non esset, cur absolutè beatificarentur perseuerantes vsque ad illum numerum dierum, quia adhuc in periculis versarentur. & Et eadem ratione possent dici beati, qui perseuerassent vsque ad dies mille ducentos nonaginta, quia iam vicerunt Antichristi tribulationem, & è conuerso dici possent beatiores, qui vsque ad dies quatuor mille perseuerarent. Non ergo sine mysterio ille præcisus numerus dierum positus est, sed quia in illo finienda sunt bella, & pericula Sanctorum in terris. Habetque hoc argumentum, vt statim dicam, magnam vim, quando tam accurate futurum tempus per dies, & numeros magnos, & paruos, perfectos, & imperfectos computatur; nam tunc denotatur magna præcisio narrationis, & quod in illo puncto mysterium aliquod sit implendum, hic autem nullum aliud cogitari potest, nisi quod ille sit finis mundi futurus, seu (quod idem est) iudicij dies.

Dicunt aliqui significari potuisse, non omnes Christi hostes, & Antichristi ministros cum illo simul esse occidendos, & ideò persecutionem non esse omni ex parte finiendam in termino illorum millium nongentorum dierum, sed per alios quadragintaquinque occidendos esse hostes Sanctorum, & ideò ex tunc beatos appellari, quia in maiori tranquillitate, extinctis hostibus, Christo seruire poterunt, etiamsi iudicium tam cito futurum non sit. Sed hæc est voluntaria coniectura, & non multùm probabilis. Tum quia tempus persecutionis satis præcise numeratur Dan. 7. & 12. Tum etiam quia non est verisimile, extincto mirabiliter Antichristo, & pseudopropheta eius, futurum esse timorem hostium in sanctis Ecclesiæ, aut futurum esse aliquem ministrum Antichristi, qui eos persequi audeat. Tum præterea quia Ezechiel. 39. sub nominibus Gog, & Magog, ita describitur Victoria contra Antichristum, omnesque fautores eius, Gog, & Magog, vt simul ipse & omnes eius ministri sint occidendi, sic enim dicitur: [Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt tecum. Et infra. Super faciem agri cades, & immittam ignem in Magog, & in his, qui habitant in insulis confidenter.] Hæc ergo narratio illas moras non admittit, neque erunt necessariæ, cum non humano brachio, sed diuina virtute, & prodigijs occidendus sit, non tantùm Antichristus, sed omnis etiam exercitus, omnesque fautores eius. Ergo ratione victoriæ, & quietis à persecutione Antichristi, beati dici possent omnes, qui vsque ad millesimum trecentesimum nongentesimum diem perseuerarunt; ergo alia altiori, & veriori ratione dicuntur beati, qui vsque ad millesimum trecentesimum trigesimumquintum diem constantes fuerunt, vtique quoniam ad finem omnium periculorum peruenerunt, & stabunt in sorte sua in finem dierum, sicut statim ibidem dicitur à Daniele. Hæc ergo expositio simplicior est, & verbis ipsis magis consona.

Neque obstant verba Ezechiel. 39. de septem mensibus pro sepeliendis mortuis, & septem annis pro armis hostium ad ignem consumendis, quia non sunt posita ad prædicendum futurum, sed ad exaggerandam præsentem stragem. Itaque sensus non est assertiuus futurarum actionum, sed potentialis, idest, tot erunt cadauera, vt pro sepeliendis illis septem menses sint necessarij, & tot armorum spolia ad fouendum ignem, vt pro septem annis sufficere possint. Vbi etiam septem anni, vel menses non certum, sed indefinitum tempus, idest, longam, & longiorem moram significare possunt, vt Bellarminus notauit. Eumdemque sensum vidit Ribera num. 71. & alijs testimonijs illum confirmat, nescio autem cur paulò post illi displicuerit.

Aduerto etiam, intelligendo locum illum iuxta corticem, & proprietatem literæ, ad summum inferri, futurum tempus septem annorum à morte Antichristi vsque ad iudicium, vt eodem num. 23. Ribera tradit. Quod quidem intentioni nostræ nihil obstaret, quia satis breue est tempus illud ad concludendum nondum venisse Antichristum. Verumtamen supposito illo sensu, nullum relinquitur fundamentum illius exclusiuæ, nimirum, solùm per septem illos annos differendum esse iudicium, saltem ex vi illius prophetiæ, Quia Ezechiel tantùm dicit, ignem per septem annos fouendum esse ex spolijs armorum, non verò dicit postea non esse futurum mundum hunc inferiorem ad humanum vsum ignis, & lignorum, sicut est. Neque hoc posterius ex priori colligitur, sed solùm post illud septennium, consumptis iam armis, necessarium fore colligere ligna, vel scindere arbores ex saltu; ergo nihil certum inde colligitur, licet breuitas temporis inconfuso aliunde habeatur, vt statim dicam.

Vnde tamdem addo, licet obscuritas prophetiarum, & varietas expositionum suffi-

ciat,

ciat, vt ante Ecclesiæ definitionem non sit certa sententia hæc de quadraginta quinque diebus, nihilominùs hoc non obstare, quominùs probabilior, vel etiam simpliciter vera censenda sit. In quo etiam animaduerto, licèt non sit certum de fide, tot dies, tantùm ve temporis præcise sumptum interponendum esse inter finem Antichristi, & diem iudicij, nihilominùs certissimum esse, illud tempus esse satis breue, nec posse per plures annos differri. Nam Christus Dominus dixit Matth. 24. [Statim autem post tribulationem illorum dierum Sol obscurabitur,] non potest autem cum proprietate dici, statim post tale tempus fieri, quod fit per plures annos post finitum illud tempus; imò valdè credibile fit ex his verbis, signa illa, quæ diem iudicij præcedent, & mortem Antichristi sequentur, inceptura esse ante transactos illos quadraginta quinque dies, quia hoc indicat verbum Statim, à Christo positum; & per se est necessarium, vt dies iudicij in fine illorum, & post prædicta signa, vel paulò post esse possit.

CAP. VI.

Primæ obiectioni Regis Angliæ contra doctrinam superioris capitis satisfit.

TRia potissimum argumenta ex Præfatione Regis colligo, quibus probare nititur, Antichristum longiori tempore esse duraturum, ipse autem nihil distinguit inter persecutionem, & regnum Antichristi, quia vel æqualis durationis illa facit, vel saltem vtrumque censet longo tempore esse duraturum, & ideò etiam nos in hoc capite de illis tamquam de vno loquemur, nam postcà illa accuratius distinguemus.

Primum ergo argumentum sumit ex cap. 13. Apocalyp. iuncto 17. In priori enim ait Ioannes, vidisse bestiam ascendentem de mari habentem capita septem. Et de eadem posteà subiungit. [Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est.] Sentit ergo Rex, bestiam illam esse Romam, & vulnus illud lethale, quod accepit, esse vastationem, & quasi destructionem eius à Gotthis, & Vandalis factam, & hoc vulnus [curabitur, ait, in capite, siue in Rege Antichristo, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur.] Quod non aliter confirmare videtur, nisi ex consonantia alterius capit. 17. In quo etiam Ioannes narrat vidisse bestiam habentem capita septem, quæ capita declarat esse Reges, quibus posteà octauum addit, qui ex septem etiam est, & qui erat, & non est. [Qui, vt Rex exponit, est Antichristus, qui regnare incipiet Romæ, postquam per operationem iniquitatis Christiana Roma planè corrupta fuerit, & sinceritatem religionis amiserit.] Vnde quia ipse iam hoc esse completum existimat, [& lethale vulnus Romæ à Gotthis inflictum, iam dudum curatum est, & ad huc idem thronus Romæ durat,] infert ipse, Antichristum, & regnum eius multo longiori tempore, quam per triennium cum dimidio esse duraturum.

In toto hoc argumentandi modo nullam vim rationis, vel auctoritatis inuenio, quia pro libito asseritur, & sine probatione sumitur, quod propriæ opinioni deseruit, nihilominùs tamen istud proponimus, ne aliquid prætermittere videamur, & vt dum per occasionem hanc visionem Ioannis explicuerimus, veritatem Catholicam magis confirmemus. De visione igitur capitis 13. breuiter respondemus, probabile valdè esse bestiam illam Antichristum repræsentasse. Nam omnia, quæ statim de illa bestia dicuntur, propria sunt Antichristi opera, & signa, & quia statim introducitur alia bestia, quę priorem prædicat, & nomen eius adumbrat, quod omnes intelligunt de nomine Antichristi. Et ita hunc locum exposuerunt Patres antiqui Irenæ. lib. 5. cap. 28. & 30. Hypolit. orat. de Consummat. mundi, Method. in simili orat. Ephrem tract. de Antichristo, Gregor. 33. Moral. cap. 26. Ambros. Rupert. Andreas, Aret. Anselmus, & alij Apocalypsim exponentes.

De septem autem capitibus eius, licèt varia sit expositio, tamen simplicior, magisque recepta est, illa septem significare Reges, ex illis decem, qui tempore Antichristi erunt, & per decem cornua apud Danielem, & Ioannem significantur. Nam quia ex illis decem tres interficientur, & destruentur ab Antichristo, alij vero septem illi subijcientur, & sociabuntur, & cum illo simul regnabunt, fasces illi submittendo, ideò Antichristus dicitur habere capita septem. Vnde quod additur. [Vnum ex his capitibus suisse quasi occisum in mortem,] non oportet de propria persona Antichristi intelligi, hoc enim ibi non dicitur, sed quod in vno ex capitibus suis grauiter vulnerabitur, & curabitur. Ergo non bestia, sed vnum ex capitibus eius plagam accipiet, ipsa autem bestia curabit plagam illam, specie quidem externa, mirabili quodam modo, ita vt [admirata fuerit vniuersa terra post bestiam, &c.] Igitur sensus est, vnum ex illis septem Regibus, qui Antichristo seruient, fore lethaliter vulnerandum, fortasse in aliquo bello, vel propriè, & ad literam in suo corpore vulnus læthale recipiendo, & postea subito esse ab Antichristo dœmonis arte tam mirabili modo sanandum, vt omnes rapiantur in admirationem, & Antichristum adorent. Vel certè intelligitur magis metaphoricè de vulnere in statu, & regno, quia aliquis ex illis Regibus vincetur ab hostibus, itaut videatur omninò destructus, & suo regno priuatus, & subito ab Antichristo summa potentia curabitur, idest, restituetur in pristinum statum, & regnum, hostibus superatis, ita vt omnes dicant. [Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?] Vel fortasse vtrumque simul continget, & significatur.

Vnde iuxta hanc expositionem cùm infrà eodē capite Antichristus vocatur [Prior bestia cuius curata est plaga mortis,] intelligendum est, non in se, sed in vno ex suis capitibus. Et eodem modo, quod infra dicitur, [quæ habet plagam gladij, & vixit,] intelligendum est habere in vno ex suis socijs, qui

qui erunt quasi membra eius. Nisi fortè ipsemet Antichristus habiturus sit septem regna, & in vno eorum recepturus sit plagam illam, quam subito restauret, & curet. Quocunque autem ex his modis intelligatur, inde non colligitur diuturnitas magna in regno Antichristi, tum quia hoc totum poterit vno mense fieri, tum etiam quia accidere poterit, antequam Antichristi persecutio incipiat, in progressu regni eius, iuxta dicenda capite nono. Et iuxta hanc expositionem constat, immeritò coniungi visionem capitis 17. cum hac capitis 13. tum quia fortasse bestiæ in vtraque visæ diuersas res significant, vt ex supra dictis patet; tum etiam quia licèt eundem Antichristum significent, non tamen eosdem Reges, nam in cap. 17. significantur septem Reges, qui successiuè erant, ibi enim expressè dicitur quinque præcessisse, & alium esse, aliumque futurum esse. In capite autem 13. significari videntur septem Reges, qui simul erunt cum Antichristo, & ita non rectè inter se coniunguntur. Tum denique quia licèt ex cap. 17. colligatur diuturnitas necessaria ad illam successionem, non tamen in proprio Antichristo, & regno eius, sed in successione tyrannorum, qui eum præcedent, eumque adumbrabunt, & quasi præcurrent, vt cap. 5. declaraui.

Addo verò non deesse Catholicos scriptores, qui in cap. 13. bestiam illam interpretantur esse Romanum imperium, & septem illos Reges esse fortasse eosdem septem, qui cap. 17. per septem etiam capita bestiæ repræsentantur. Quæ certè non est improbabilis sententia, cum in dicto cap. 17. probabilissimum sit, bestiam illam esse Romanum Imperium, vt dixi cap. 4. & verisimile sit, in vtroque loco eamdem bestiam significari; intelligendum autem hoc puto de Romano imperio ethnico, & tyrannico in illis septem capitibus repræsentato. Neque ideò excluditur communis expositio, quòd illa bestia sit Antichristus, intelligitur enim non adæquatè (vt sic dicam) sed quia erit præcipuum caput illius bestiæ. Nam Romanum imperium (eius deleto nomine) occupabit, & prædecessorum suorum tyrannidem augebit, & consumabit. Qua expositione posita, caput illud plagam mortis accipiens erit ipsemet Antichristus, qui seipsum eum omnium admiratione subitò curabit, siue plaga illa tantum fuerit verum læthale vulnus, propriè curatum, antequam mors consummaretur: siue plaga illa fuerit ipsamet mors, non vera, sed ficta, & curatio fuerit etiam ficta resurrectio, vt ibi volunt Primasi, Beda, Anselmus, & nonnulli alij, & sentit Gregor. lib. 11. ep. 3. dicens, quod veniens Antichristus mori se, & resurgere simulat. Nam hoc etiam verisimile est, vt se Christum fingat, & ab illis verbis non est alienum. Ex quo etiam sensu nihil habet Rex Angliæ, quo diuturnam durationem Antichristiani imperij ostendat, quia breui tempore poterit factum illud contingere, neque in eo capite dicit Sanctus Ioannes regnaturam esse bestiam multo tempore postquam à plaga curata fuerit.

Ad hanc verò expositionem videtur magna ex parte accedere Iacobus Rex, quod attinet ad bestiæ significationem. Nam sicut censuit, in cap. 17. bestiam esse regimen; seu Imperium Romanæ ciuitatis, ita sentire videtur, bestiam capitis 13. idem Imperium, seu regimen significare. Vnde consequenter ait bestiam in vno ex suis capitibus vulneratam, esse Romam, quæ à Gothis læthale vulnus accepit, & postea curata est; & deinceps in ea multo tempore regnat Antichristus. De qua interpretatione, seu accommodatione, quatenus bestiam esse Vrbem, vel eius Imperium, aut regimen exponit, non controuertimus, quamuis enim minùs probabilis sit, non continet errorem contra fidem, & ideò id permittimus. Quod verò deinde addit Rex, vulnus illarum bestiæ in vno ex capitibus suis, esse illud, quod à Gothis, & Vandalis Roma accepit, confusè dictum est, nam sæpius Roma ab illis hostibus vulnerata est: & non explicatur, quando illud vulnus acceperit, & à quo per Antichristum, seu Antichristi tempore sanata fuerit. Quod, si per singula breuiter discurramus, manifestum fiet, quocunque modo id Rex intellexerit, non posse applicari expositionem.

Prima enim Gotthorum Romana obsessio ab Alarico facta est, anno Domini 410. & tunc quidem non negamus, pee conuenientem metaphoram dici posse, Romanam Vrbem læthale vulnus accepisse. Nihilominus tamen immerito dicitur, Ioannem de illo fuisse loquutum, quia vulnus illud non fuit illatum bestiæ in vno ex capitibus suis, vt ait Ioannes, sed in ipso corpore bestiæ, vtique in ipsa ciuitate, caput enim, quod tunc bestia illa habebat (vt Rex ipse vult) Romana Sedes, seu Pontifex Romanus erat. At Romana Sedes nihil mali per Alaricum passa est. Nam in primis Innocentius, qui Romæ præsidebat, quando Alaricus illam pene destruxit, ad pacem inter Alaricum, & Imperatorem componendam discesserat: & Rauennæ substiterat: [Deo ita prouidente: ne vrbis videret excidium,] vt ait Oros. lib. 7. cap. 39. & attigit Sozom. lib. 9. cap. 7. & Niceph. lib. 13. cap. 35. vbi subiungit, Alaricum suis concessisse, vt domos expilarent, & opes diriperent, iussisse autem, vt vni templo, in quo tumulus Apostoli Petri est, parcerent. [Quæ res, inquit, in causa fuit, ne Roma omnis funditus interiret. Cum enim propter timorem plurimi confluxissent, ob Apostoli reuerentiam seruati, vrbem denuo ædificijs restaurarunt.] Igitur neque Petri Sedes, neque persona Pontificis, qui tunc sedebat vulnus accepit, sed ciuitas ipsa, quæ propter vitiorum multitudinem, & præsertim propter reliquias idololatriæ cladem illam accepisse creditur, vt ijdem auctores, & multi alij tradunt. Ergo non rectè accommodantur ad illud excidium verba Ioannis dicentis; [Vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem.]

Vnde multò minus potest altera pars illius prophetiæ huic interpretationi adaptari, ait enim Ioannes. [Plagam mortis, quam vnum caput bestiæ acceperat, curatam esse, & admiratam esse, vniuersam terram post bestiam,] nimirum post Antichristum, de quo subditur: [Et adorauerunt draconem qui dederat potestatem bestiæ, & adorauerunt bestiam dicentes, qui similis bestiæ?] Vtique quia modo quodam extraordinario, & mi-

& mirabili plagam mortis curauit, vt omnes exponunt. A qua interpretatione non discrepat Rex cum subdit: Atque ita illud læthale vulnus, quod à Gotthis, & Vandalis acceperat, curabitur in illo capite, siue Rege Antichristo, qui deinde exurget.] Hoc autem subsistere non potest, si ea, quæ historiæ tradunt, cum his, quæ Rex ipse alibi supponit, conferantur. Nam vulnus Romæ illatum à Gotthis, Duce Alarico, statim curatum est, non extraordinario modo, aut virtute dæmonis, sed speciali Dei prouidentia cooperantibus hominibus communi, & ordinario modo. Ait enim Augustinus in tract. seu sermone de excidio vrbis, Deum speciali prouidentia noluisse tunc Romam destruere, sed castigare, & ideo multos ciues saluos seruasse, à quibus postea ciuitas instauraretur. Quod amplius declarauit Nicephorus loco, & verbis supra citatis, dicens, cùm ad Diui Petri templum plurimi confluxissent, ob Apostoli reuerentiam seruatos, Vrbem denuò ædificijs instaurasse.] Quæ instauratio per paucos annos fere ad perfectionem perduci potuit.

Post annos verò quadraginta quinque Gensericus Rex Vandalorum Vrbem obsedit, & incendere, ac demoliri incæpit, & ita Romæ, iam à priori plaga curatæ, nouam intulit. Illa autem plaga non solùm caput Vrbis non attigit, verum etiam interuentu eiusdem capitis factum est, vt Vrbs ipsa à læthali vulnere, non tam curata fuerit, quam diuina prouidentia præseruata. Vnde sanctus Leo Papa in sermon. de Octan. Apostol. [Quis hanc, inquit, vrbem reformauit saluti? quis à captiuitate eruit? quis à cæde defendit? Ludus Circensium, an cura Sanctorum? quorum vtique precibus diuinæ censuræ flexa sententia est, vt qui merebamur iram, seruaremur ad veniam.] Et infrà: [libertatem nostram, non sicut opinantur impij, stellarum effectibus, sed ineffabilis Omnipotentis Dei misericordiæ deputantes, qui corda furentium barbarorum mitigare dignatus est.] Hoc autem fecisse Deum intercessione eiusdem sancti Leonis, refert Paul. Diaconus l. 15. dicens: [Occursu Leonis Papæ mitigatus est Gensericus, ab incendio, cædibus, atque supplicijs vrbem immunem seruauit.] Addit verò, omnibus ablatis, plures Christianos in Africam adduxisse. Illud autem nec dici potest læthale vulnus, & facilè reparari potuit, vt per se notum est.

Vlterius verò post viginti fere annos iam vrbe instaurata, iterum illam obsedit, & occupauit Odoacer Rex Edulorum anno 476. vt Enagr. lib. 2. Histor. cap. 16. & Nicephor. lib. 16. cap. 11. & Cassiodor. in Chron. referunt, qui tamen non ciuitatem incendisse, aut destruxisse, sed tantum occupasse dicunt. Immò de illo ait Cassiodorus: [Cùm extinctis aduersarijs, Italiæ liberè dominaretur, modestè, ac temperatè tanta vsum esse felicitate.] Nullum ergo læthale vulnus tunc inflictum est Romanæ Ciuitati, nec proprio imperio, quo tunc regebatur, idest, Pontificio; Nam Simplicius, qui tunc præsidebat, nec dignitate, nec Ciuitate sua priuatus est, aut imminutus, sed Ciuitas in eodem statu, in quo antea erat, in Simplicio, & successoribus eius, Felice III. & Gelasio toto tempore, quo Odnacer vixit, perseuerauit.

Denique anno Domini 547. & 550. Totila Gothorum Rex Romam vexauit, & occupauit, & ex parte diripuit, ac diruit, non tamen læthale vulnus inflixit, & illud qualecumque fuit, statim reparatum est, seu curatum. Nam in primo ingressu interuentu Pelagij tunc Diaconi, & postea Papæ eius nominis Primi, & Belisarij Ducis, tam cum Romanis, quàm cum ipsa Ciuitate benignè se gessit, & quamuis partem murorum euerterit; paulò post eumdē Belisarium instaurati sunt. In secundo verò ingressu, licèt Totila in principio Vrbem demoliri, & destruere tentauerit, tandem verò & habitatores eius reuocauit, & ipsam nouis ædificijs muniuit, & illustrauit. Ergo multò minùs eo tempore recepit Roma læthalem plagam, aut expectare illam oportuit Antichristum, qui eam à sua plaga curaret.

Accedit, post has omnes plagas, seu persecutiones, bestiam illam, seu Romanam Vrbem per quinquagintasex annos sanam, & integram in pace sub eodem imperio Pontificio, & in eadem fide perseuerasse (etiam ex sententia Regis, & Protestantium) prius quam incœperit Antichristus, quem ipsi confingunt. Rex enim ait, Ecclesiam Romanam cœpisse esse Antichristianam anno 606. vltima verò Romana irruptio anno 550. præcessit, vt dixi ergo quando venit illud tempus, iam non habebat bestia plagam, quæ sub Antichristo sanaretur. Multoque minùs accomodari potest, quod Ioannes addit, [admiratam esse vniuersam terram post bestiam,] vtique propter curationem vulneris læthalis. Neque etiam ex eo tempore, vel ob illud factum potentia Romanæ ciuitatis, aut Romani Pontificis maior visa est mundo, vt propterea omnes bestiam adorarent, dicentes. [Quis similis bestiæ, & quis pugnare poterit cum ea?] Nec denique ex eo, quod excidium Romanum in quacumque ea dictis obsidionibus factum, postea instauratum est, nec ex modo, quo plaga illa curata est, colligi potest, quod Ioannes ait, [Draconem dedisse potestatem bestiæ.] Nemo enim vnquam cogitauit, instaurationem illam factam esse virtute dœmonis, sed diuina, & prouideotia, quæ voluit populum suum corripere, non perdere vt rectè dixit Augustinus in dicto tractat. de Excidio vrbis, & lib. 1. de ciuitat. cap. 1. vnde nullus nisi amens, vel ethnicus inde potuit ad draconem adorandum, sed potiùs ad Deum laudandum, & glorificandum excitari, ergo nihil eorum, quæ Ioannes eo loco prædicit, potest secundum illam frustra cogitatam expositionem accomodari.

Ex quibus tandem manifestum est, vltima verba, quæ ad suam interpretationem Rex adiecit, dicens. [Plaga mortis curabitur in suo capite, siue Rege Antichristo, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur.] Hæc, inquam, verba vltima (quæ ad præsentem causam solum pertinebant) sine vllo fundamento in illa visione, seu prophetia Ioannis, à Rege addita esse. Nam ibi nihil docet Ioannes de duratione diuturna regni Antichristi; immò de bestia illa, quæ in vno de suis capitibus vulnus ac-

ceperat, & fanata fuerat, dicit: [Et data eft ei poteftas facere menfes quadraginta duos, facere inquit ea omnia, quæ ibi declarantur, fcilicet, loqui blafphemias contra Deum, & contra eos, qui in cœlo habitant, & facere bellum cum fanctis, &c.] quibus perfecutio & impietas Antichrifti defcribitur. Ergo illa diuturna duratio Antichrifti non folùm fine fundamento in illo textu, fed etiam contra eius verba excogitata eft.

CAP. VII.

Alteri obiectioni Regis Angliæ ex cap. 18. Apocalypfis defumptæ fatisfit.

SEcundo, ac præcipuè colligit Rex Angliç hanc diuturnitatem regni Antichrifti ex loco alio Apocalyp. 18. vbi priùs defcribitur ingens cafus, & interitus ciuitatis magnæ Babyloniæ, quàm Rex Romanam effe fupponit, & deinde prædicitur maximus planctus Regum, & mercatorum terræ fuper illam, & timor ex admiratione defolationis eius. Vnde Rex Angliæ fic concludit: [Ex illo grauiffimo planctu planiffimè conftat, regnum Antichrifti longius triennio, & femeftri fpatio, aut vnius hominis ætate duraturum.] Hoc autem probat, quia [Reges qui cum ea fornicati funt, & in delicijs vixerunt, tempus habuiffe diuturnius ad magnam illam neceffitudinem contrahendam, oportuit. Mercatores autem terræ fic eius, dum ftetit, prolixè copias, & fœlicitatem oftentant, quafi fuarum fuiffet emporium diuitiarum, quæ tam exiguo tempore non poterant, ac vno quidem feculo coaceruari.] Ex his ergo duabus coniecturis concludit Rex, effe neceffarium, vt regnum Antichrifti non trium annorum, nec tantùm vnius hominis vitæ, immò nec vnius feculi, fed plurium futurum fit: quomodo autem ex illis coniecturis hoc fequatur, non declarat. cum tamen inter fe nullam connexionem habere videantur, vt à me breuiter explicabitur.

Prius vero neceffe eft exponere, quæ fit illa Babylon, de qua Ioannes tam in hoc c. 18. quam in præcedentibus loquitur. Duplex enim ab hominibus diftinguitur Babylon, vna materialis, & propria in Chaldæa fita, quæ initium Imperij Chaldęorum fuit, alia myftica. Et licèt Andreas cap. 53. de vtraque cenfeat poffe Ioannem intelligi, cæteri tamen omnes pro certo fupponunt, non loqui Ioannem de propria Babylone, quod & ipfe fatis indicauit cap. 17. dicens, fuiffe in fronte ciuitatis fcriptum. [Mifterium, Babylon magna,] illique multa attribuit, quæ non rectè veteri Babyloniæ accomodantur. Loquitur ergo Ioannes de Babylone myftica, quæ autem illa fit inquiro. In quo folùm inuenio Aretam; qui cap. 53. illam Babylonem, de qua Ioannes loquitur cap. 16. in fine, Conftantinopolim effe, interpretatus fuerit, fed fine fundamento in fcriptura, vel ratione.

Duæ igitur funt probabiles expofitiones, vna eft, hanc Babylonem effe vniuerfum mundum quoad prauorum congregationem, quam Auguftinus diaboli ciuitatem appellauit in libris de ciuit. præfertim in 18. à principio. Vnde enarrat. 2. in Pfalm. 26. fic ait: [Eft quædam ciuitas, quæ Babylonia dicitur. Ciuitas illa focietas eft omnium impiorum ab Oriente, vfque ad Occidentem, ipfam habet regnum terrenum, &c.] Et enarrat. in Pfalm. 61. [Omnes, inquit, qui terrena fapiunt, omnes, qui fua quærunt non quæ Iefu Chrifti, ad eam ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia miftice, & habet Regem diabolum.] Idemque repetit enarrat. in Pfal. 28. circa id: [Memor ero Raab, & Babylonis fcientium me, Babylon, ait, ciuitas dicitur fecundùm feculum, vna ciuitas iniqua Babylon, omnes iniqui ad Babylonem pertinent, & cætera.] De hac ergo Babylone exponunt dictum locum Apocalypfis graucs, & antiqui Expofitores. Beda, Victori, Tyconi, homil. 16. in Apocal. Anfelmus, Primas. Nec non etiam Ambrof. ac Auguftinus in commentarijs, quæ fub nomine illorum inter illorum opera feruntur, præter alios modernos Expofitores in eum locum. Et idem docuit Aretas fuo capite 41. 42. 53. & 55. licet alijs locis interpretari videatur. Nec diffentit Andr. licet ad alias etiam Babylones verba accomodet. Expreſſè, & optimè Profper in Dimidio temporis capite feptimo vbi ita exponit illud Pfalmi. [Filia Babylonis mifera. &c.]

Poffunt etiam pro hac expofitione referri Petrus Damianus epiftola tertia ad Blancam, capite decimo fecundo, quatenus ait, omnem animam iniquam nomine Babylonis comprehendi. Et de pœnis inferni verba illa exponit: [Quantum glorificauit fe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentorum.] Et hoc etiam habet Pacianus Parænes, de Pœnitentia in fine. Et fimiliter Diuus Auguftinus, Pfalm. 149. exponit illa verba capitis decimioctaui Apocalyp. [Duplicate duplicia fecundum opera eius in poculo, quo mifcuit, mifcete illi duplicia:] intelligitque dicta effe de mundo, qui nomine Babylonis fignificatur, licet prædicta verba non ad literam referat, fed [Sic, ait, fcriptum eft, reddite illi duplum, ad quod fecit] Atque ex hifmet verbis, feu locis fit probabilis hæc expofitio. Et præterea ex illis. [Facta eft habitatio dæmoniorum, & cuftodia omnis fpiritus immundi.] Hæc enim proprijffime de ciuitate impiorum dicuntur, & vix in aliquam particularem ciuitatem conuenire poffunt. Item illa: [Exi de ea populus meus, ne particeps fis delictorum eius,] quæ fic exponit Cyprianus lib. de Lapfis. Sicut etiam illa: [Væ væ ciuitas illa magna in qua diuites facti funt omnes.] Item illa. [Quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gentes, & in ea fanguis Prophetarum, & Sanctorum inuentus eft, & omnium, qui interfecti funt in terra.] Hæc enim non videntur poffe nifi ciuitati vniuerfum Orbem occupanti adaptari, hæc autem eft ciuitas impiorum: benè ergo illa per Babylonem intelligitur. Idemque confirmat Aretas fuo cap. 41. ex illo adiectiuo, quo fępè illa ciuitas magna vocatur, putat enim non poni ad diftinctionem ciuitatis paruæ (fic enim parum emphafis haberet, & nihil magnum fignificaret) fed ad denotandam abfolutam magnitudinem, id eft, vniuerfa-

uersalitatem illius ciuitatis: nam omnia loca, & omnia tempora occupauit, quod videtur etiam significare Hieronymus epist. 17. ad Marcel. non hoc caput, sed 13. Apocalypsis explicando.

Neque est difficile ad hanc significationem Babylonis cætera omnia quæ in cap. 17. de illa dicuntur, accommodare: nam Babylon in hac significatione sumpta, non est aliud, quam mundus in malam partem acceptus, prout est frequens in sacra Scriptura, vt 1. Ioan. 5. [Mundus totus in maligno positus est, & hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra,] & Christus Ioan. 15. [Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.] Vnde inter tres præcipuos salutis animarum inimicos mundus numeratur, & intellectus creditur à Ioan. 1. canonic. cap. 2. [per superbiam vitæ, (de qua statim subiungit,) quæ ex mundo est.] Hanc ergo ratione rectè dicitur de hac Babylone mundi: [Sedere super aquas multas, super populos, gentes, & linguas.] Vt infra idem Ioannes declarat. Vocatur etiam [meretrix magna, (quia re vera) De vino fornicationis eius biberunt omnes gentes, & Reges cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt:] & similia, quibus vanitas, & mundi malitia optime describitur. Ac tandem merito de illa dicitur, [esse Ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu:] quia omnes impij Sanctos persecuti sunt, & Martyres in vninersis Mundi prouincijs, sanguinem suum pro Iesu Christo fuderunt.

Sicut autem hæc Babylon non est de lapidibus facta, sed ex hominibus prauis coalescit, vt dixit Tyconi. dicta Homilia decimasexta, ita eius excidium non consistet in murorum, & ædificiorum demolitione, aut incendio, sed in vltima impiorum omnium perditione. Et ita hæc Babylon non per Antichristum, nec ante diem iudicij destruetur, sed ipso iudicij die, & per Christum, & Angelos eius iustitiæ ministros. Vnde dicitur, Apocalypsis 18. [In vno die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.]

Dices: quomodo ergo [Reges terræ, & mercatores flebunt illam, & longe stent propter timorem tormentorum eius,] cum ipsi membra sint illius ciuitatis, & tormenta eius vitare non possint. Respondeo, imò hac ratione merito ploraturos, quia plangent se super illam, vt ibidem dicitur, & quia valde horrebunt illa tormenta, dicuntur, longe stare, vtique non corpore, sed affectu, ita vt quantum in se est, fugere cupiant, sed non possint. Denique iuxta hanc expositionem verum quidem est, quod Rex Angliæ assumit, Reges, & mercatores terræ non nisi diuturno tempore amicitiam, & negotiationē habuisse cum illa ciuitate, inde autem non sequitur, Antichristum longo tempore regnaturum, sed ciuitatem malorum per multa secula durare, prius quàm à Deo iudicetur, & puniatur.

Secunda expositio est, vt Babylonis nomine, ibi Roma significetur: ita vt ibi prædicetur, destructionem, & stupendam Vrbis vltionem diuinam ante finem mundi futuram esse. Quod enim Babylonis nomine Roma interdum significetur, clare tradit Augustinus libro 18. de Ciuitat. capite secundo dicens: [Veram Babylonem fuisse primam Romam, & veram Romam fuisse secundam Babylonem.] Et Hieronymus de Scriptor. Ecclesiast. in Marco, Petrum, ait cum prima epist. cap. 5. inquit: [Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.] figuraliter Romam significasse, idemque habet Isaiæ 47. in principio, ita etiam exponens loca Apocalyp. Et in epist. 17. ad Marcellam, de Roma exponit locum hunc Apocalyp. 17. & 18. Idem Isa. 24. Romam esse sentit, spiritualem Babylonem, de qua Ioannes loquitur. Idem habet Oros. lib. 6. contra Paganos cap. 2. Et Tertullian. lib. 3. contra Marcionem cap. 13. vbi Pamel. aduertit, hoc intelligendum esse de Roma ethnica, seu mundana, non de Sancta Ecclesia ibi congregata. Satis enim aperte illas distinxit Petrus, dicens: [Salutat vos Ecclesia, quę est in Babylone collecta.] Denique quod in hac significatione in Apocalypsi sumatur Babylon, satis communis interpretatio est inter antiquos, & modernos Apocalypsim exponentes, tam hoc cap. 18. quàm alijs, vt sunt Victorinus, Andreas, Arethas, Riber. Viegas, item Bellarminus libro 3. de Summo Pontifice cap. 13. Sander lib. 8. de visib. monarch. cap. 8. & alij complures. Estque probabilis expositio, quia Ioannes cap. 17. (si proprietas verborum teneatur) de speciali ciuitate loquitur, & in cap. 18. non loquitur tantum de populo, sed etiam de materiali ciuitate, vt ex domibus, & alijs ædificijs constante, & particulari loco terræ sita, quæ ab alijs terræ locis distare, vel propinqua esse potest, vt indicant illa verba: [Longe stante propter timorem tormentorum eius, & illa: Omnis, in latum nauigat, & nautæ, & omnes, qui in mari operantur, longe steterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius.] Si autem illa Babylon est ciuitas aliqua particularis, non potest certe esse, nisi Roma, vt ex dictis satis constat, & ex superioribus capitibus eiusdem Apocalypsis est manifestum.

Hac ergo admissa expositione, ex illa ad summum colligitur, Romanam ciuitatem ante finem mundi delendam esse, & prorsus euertendam etiam quoad materialia ædificia, & igni tradendam. Quod multi Catholici non solum sine rubore, sed etiam constanter docent, ac defendunt; quos refert, eorumque sententias latè describit Thomas Maluenda lib. 4. de Antichristo cap. 4. & 5. & quamuis ipse timeat in eorum descendere sententiam, ideoque alijs modis conetur loca Apocalypsis interpretari (quos nunc examinare, probare, aut improbare non est necesse) Nihilominus negari non potest, sententiam illam probabilissimam esse, multumque, & locis Apocalypsis, & Antiquis Patribus consentaneam, præsertim Hieronymo, cuius hæc sunt verba Isai. 24. [Atteretur ciuitas vanitatis, siue omnis ciuitas, vel spiritualis Babylon, quæ sedet in septem montibus purpurata, cuius suplicia in Apocalysi Ioannis legimus.] Nec ab ea sententia discrepat libro 2. contra Iouinian. licet indicet, prophetiam non esse abso-

absolutam, sed comminatoriam, dicens: [Ad te loquor, quæ scriptam in frôte blasphemiam Christi confessione delesti, &c. maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum.] Accedit Lactant. lib. 7. cap. 25. qui testimonio Sibyllæ confirmat, casutam, & incendendam esse [Vrbem caput Orbis: Et tunc, ait, quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbique terrarum.] Et certè supposita deuastatione orbis præsertim Christiani futura in fine mundi ante iudicium, partim per decem Reges, qui Antichristum præcedent, partim per ipsum Antichristum, qui maiori potentia, & acerbitate, ac odio Christum, & eius Ecclesiam persequentur, per se probalissimum est, aliquem, vel plures eorum irruituros in Vrbem, eamque penitus euersuros, vt Romanum nomen, imò, & Christianum, si possint, Roma deleta, prorsus extinguant.

Modus autem, ordo, & tempus huius euersionis, licèt futuram esse supponamus, longè incertiora sunt, quàm ipsa euersio: nàm de ipsa euersione habemus fundamentum in Scriptura, iuxta probabilem sensum eius; de cæteris autem circumstantijs ferè nihil. Vnde modus ille, quo vir eruditus Thomas Malnenda vltimum excidium Romanum describit iuxta eorum sententiam, qui de Romana Vrbe prophetias Apocalypsis intelligunt, neque ab omnibus, qui illum sensum approbant, affertur: nec mihi videtur necessarius, aut cogente fundamento fultus. Ait enim, Romam circa finem Mundi ad plura, & maiora scelera, & flagitia redituram, quàm prius, cùm esset ethnica, commiserit, nam & fidem negabit, & Pontificem à se abijciet, & Ecclesiasticos ordines trucidabit, & ad idololatriam redibit: Nam antiquam temporalem potentiam iterùm recuperabit cum maiori amplitudine, & imperij maiestate, quàm antea habuerit, decemque Reges potentissimos sibi subiectos habebit, quorum opera Sanctos persequetur acerbiùs, & martyrijs crudelioribus afficiet, quàm sub Imperatoribus ethnicis passi fuerint. Posteà verò intra breue tempus, ait, Reges illos à Roma defecturos, & aduersùs illam insurrecturos, ac penitùs deleturos, Deo id permittente, in vindictam scelerum eius, tam præteritorum, quàm illo tempore præsentium. Hoc enim videtur indicasse Ioannes Euangelista, cùm eodem cap. 18. dixit: [Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad Cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.] Credendum enim est, Deum non permissurum tam graue Romæ supplicium, nisi priùs antiquis peccatis noua superadderet, & ita iram Dei in se excitaret. Atque ad hunc modum accommodat cætera, quæ in hoc capite, & in præcedenti Ioannes prædixit. Ac tandem post destructionem Romæ à decem Regibus factã, venturum esse dicit Antichristum iuxta alias prophetias supra tractatas.

Hæc verò omnia, licèt impossibilia non sint, neque cum aliqua prophetia, aut promissione Romæ facta, quam ego sciam, repugnent, non videntur mihi necessaria, nec satis fundata. Nàm (supposita expositione Babylonis, quàm prosequimur) ex hoc loco Ioannis solùm habemus esse euertendam, ac penitus destruendam, ita ut [vltra iam non inuenietur,] vt ait Ioannes, idest, non ampliùs instaurabitur, nec habitabitur, ideòque [nec tibia canentium, nec artifex, nec vox molæ, nec lux lucernæ, nec vox sponsi, & sponsæ amplius audientur, aut inuenientur in ea,] vt ibi dicitur. Erit ergo desolatio sempiterna, ideòque certum, & exploratum videtur, oraculum illud de Roma intellectum, in nullo præcedentium excidiorum Romanæ Vrbis, impletum esse, vt facilè coniectabit Lector, si attentè ea, quæ de illis excidijs in capite præcedenti diximus, cùm verbis adnotaria præsentis prophetiæ contulerit. Immò indè valdè probabile fit, tale excidium Romanum, si futurum est, nonnisi propè finem Mundi esse futurum, quamvis hoc in dicto cap. 18. non asseratur, neque alibi sic prophetatum, & ideò minùs certum sit. Indè tamen aliquomodo suadetur, quia verisimile est, tam mirabilem Vrbis destructionem, & immanem Sedis Apostolicæ persecutionem nonnisi temporibus Antichristi, vel propè illa esse futuram, quia illa fore videbitur tribulatio maxima Ecclesiç, & in ea implebitur, quod Daniel prædixit cessaturum iuge sacrificium, & similia.

Quod verò antè illam destructionem redittura sit Roma ad pristinam potentiam, & temporale imperium, non video vndè probari possit, quia non omnia, quæ hoc capite de Roma dicuntur, necesse est in ea inuenîri in illo vltimo tempore, in quo destruetur; sed in toto decursu temporis ex quo fuit condita vsque ad finem: [Quia, vt ibi dicitur, peruenerunt peccata eius vsque ad Cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius,] vtique omnium, quæ in ea quouis tempore facta sunt. Quapropter etiam non video, vndè satis probetur, redditturam Romam ad idololatriam, vel ad similia scelera, quæ ex veri Dei ignoratione prodeunt; tùm quia vt dicantur peccata peruenire vsque ad Cælum, satis est, quod prioribus flagitijs impiorum semper addantur noua, & grauissima peccata Christianorum, quibus Deus magis quodammodò ad iram mouetur, quàm delictis hominum cæterorum ignorantium verum Deum. Et fieri poterit, vt in illo tempore peccata, & flagitia in illa Vrbe multiplicentur cum maiori luxu, & corruptione, quàm in præteritis Christianitatis temporibus; tùm etiam, quia licèt illud excidium futurum sit in supplicium multitudinis prauæ, credibile est, futurum etiam esse in probationem bonorũ, & in purgationem, & meritum prædestinatorum, vt de persecutione Antichristi Christus significat, & Patres vbique docent. Non erit ergo necessarium, Romam ad idololatriam redire, vt illius destructionem Deus permittat.

Quod denique additur, decem Reges prius futuros esse subiectos temporali imperio Vrbis, & postea esse contra illam insurrecturos, non video, quo fundamento asseratur; Nam quod hic ait Ioannes Apocal. 18. [Reges terræ fornicatos esse cum illa, & plancturos se super illam,] ad summum indicat, illos futuros esse Romanæ Ciuitatis amicos, vel fortè priùs illius scelera imitatos fuisse, posteà

ſteà verò naturali affectu eius perditionem doluiſſe. Addo etiam non videri neceſſarium, vt illi Reges, qui prius fornicati erunt cum Babylonia, & poſtea plangent cum illa, ſint illimet decem, qui proximè antè aduentum Antichriſti regnabunt, ſed alij Reges terræ, qui non deerunt extra Imperium Romanum, vt in Perſia, in Africa, India, & alijs regionibus, qui fortaſſe vſque ad Mundi finem permanebunt. Denique non oportet, per Reges terræ intelligere ſolos ſupremos, & principales Reges terræ, ſed etiam magnos Principes, & quaſi Regulos, vt ſunt nunc multi Duces, & Potentates Italiæ, & Germaniæ, & ſimiles, qui vltra decem illos famoſiores Reges eſſe poterunt tempore deſtructionis Vrbis Romę, & cum illa prius fornicari, non tantùm per idololatriam, ſed per alia vitia ſectando Mundi vanitatem, & poſtea de illius perditione dolere, ac plangere.

Quocirca ex illo loco, ſupponendo per Babyloniam Romam intelligi, ſolùm poteſt certo colligi, Romam tandem aliquando eſſe omninò, & irreparabiliter euertendam, vndè fit veriſimilius, id futurum eſſe propè diem iudicij, & tempore Antichriſti, vel circa. In quo verò ſtatu erit Roma proximè antequam deſtruatur, tam in temporali imperio, quàm in ſpirituali, & in fide, non video eſſe reuelatum, nec cum fundamento definiri poſſe. Nullum verò eſt inconueniens, quòd perſeuerando in fide, religione, & regimine tam temporali, quàm ſpirituali per Apoſtolicam Sedem, ſicut nunc eſt, in fine Mundi deſtruatur per aliquem tyrannum infidelem, ſiue paganum, ſiue apoſtatam. Sicut enim hoc magna ex parte contigit in tempore Alarici, ita poterit acerbiùs, & omni ex parte in fine Mundi conſumari. Neque hoc eſt contra ſanctitatem illius Vrbis, tùm quia non obſtante fide, & præſentia Vicarij Chriſti, poterunt in illa ita multiplicari peccata, vt coniuncta præcedentibus, Dei iudicium, iuxta occulta conſilia prouidentiæ Ipſius, contra ipſam excitent. Tùm etiam, quia licet Ciuitas, & capita eius in fide permaneant, fieri poterit, vt multitudo populi, & præcipuorum Ciuium exemplo, & minis, vel promiſſionibus tyrannorum infidelium corrumpantur, & deficiant. Tùm denique, quia, vt dicebam, illud excidium, non erit tantùm propter vindictam, ſed etiam ad probationem, & multorum Martyrum perfectiorem conſumationem. Ideòque non eſt etiam contra promiſſiones factas Eccleſiæ, & Sedi Apoſtolicæ de perſeuerantia in fide, & in Cathedra Petri, quod Roma illo modo deſtruatur, quia Cathedra numquam deficiet, nec fides eius ſiue in hoc, ſiue in illo loco conſiſtat, vbique enim eadem erit, ſemperque Eccleſia viſibilis durabit, etiam ſi vi perſecutionis cogatur ad montes fugere, vel in locis occultis magna ex parte ſe abſcondere.

Deinde neque ex illo loco, neque ex alio (quod ego ſciam) ſatis colligi poteſt, an hæc vltima Romæ deſtructio ab ipſomet Antichriſto perficienda ſit, & conſummanda, vel ante illum, per aliquem, vel aliquos ex illis decem Regibus, qui in Romano Orbe tunc regnabunt. Nam quod altero ex his modis futurum id ſit, poſita dicta expoſitione, ſit valde probabile, quia vt dixi, tam generale excidium Vrbis capitis Mundi, tantaque Eccleſiæ calamitas, & perſecutio non poteſt à temporibus Antichriſti multum diſtare, & ideo vel ab illo erit, vel ab his, qui proximè illum antecedent. Itemque ex alio principio id fit multum credibile, quia vel ante deletum prorſus Romanum imperium Antichriſtus non veniet, vel per illum deſtructio Romani imperij conſummabitur, tunc verò maximè delebitur Romanum imperium, quando Roma prorſus extincta fuerit, & è conuerſo dum illa in ſuo ſtatu perſeuerauerit, adhuc reliquiæ Romani imperij durabunt. Ergo ſicut imperium Romanum, ita & vrbs eodem tempore, & ſub eiſdem tyrannis deſtruetur. Quod autem alterutro ex dictis modis contingere poſſit, & neuter illorum vel reuelatus ſit, vel repugnet reuelatis, patet, quia nullibi reuelatum eſt, Romanam Vrbem eſſe duraturam vſque ad tempora Antichriſti incluſiuè, ſeu intrinſece, vt ſic rem explicem, poterit ergo antea per decem Reges deſtrui. Item non ſolum probabile eſt, ſed etiam aliqui contendunt eſſe certum, ante aduentum Antichriſti imperium Romanum eſſe omnino per decem Reges delendum; ergo probabile eſt, ab eiſdem eſſe Romam euertendam. Quod in capite etiam 17. Apocalypſis inſinuatur.

E contrario verò nullibi etiam eſt reuelatum, Antichriſtum non eſſe venturum, donec Romana vrbs ſit deſtructa; ergo ſi per ipſum deſtruatur, ſatis implebitur prophetia huius capitis, quod tractamus de deſtructione Babylonis. Item ſupra diximus eſſe valde probabile, & Patribus conſentaneum, Romanum imperium, licet per decem Reges Antichriſti proximos præcurſores ita ſit diuidendum, & extenuandum, vt propè deleatur, per ipſum nihilominus Antichriſtum eſſe conſummandam deſtructionem eius; ergo per ipſum etiam poterit Roma deſtrui, atque extingui. Cum autem dico, per ipſum, non intelligo eſſe neceſſarium, vt ipſe Antichriſtus præſens ſit in tali bello, ſatis eſt enim, quod per ſe, vel duces ſuos, vel Reges ſibi ſubiectos id faciat. Itaque vtroque modo poteſt intelligi, quod de muliere fornicaria dicitur Apocalypſis 17. & de decem cornibus beſtiæ, ſeu de decem Regibus, quòd [odient fornicariam, & deſolatam facient illam, &c.] ſi per fornicariam Romam, per beſtiam autem Antichriſtum intelligamus, vt eſt probabile, ſed incertum, vt ſupra dixi, & tom. 2. par. 3. diſp. 56. ſect. 2. Vbi nihil aliud de illo vltimo Romæ excidio docui; immò de illo tamquam de re incerta loquutus ſum. Neque aliter loquitur Bellarminus, qui potius ſentit, Romam ab ipſo Antichriſto eſſe delendam. Nam lib. 3. cap. 13. ſic ait: [Antichriſtus odio habebit Romam, & cum ea pugnabit, eamque deſolabit, & incendet.] Idemque ſentit lib. 4. cap. 4. in fine. Eundemque dicendi modum ſequitur Bozius lib. 24. cap. 6. & citat Tertullianum, Lactantium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, & Auguſtinum.

Vltimo tandem (vt Regi Iacobo reſpondeamus) dicimus, ex toto hoc cap. 18. Apocalypſis, vel ex deſtructione Vrbis in illo prędicta, vel ex circumſtantijs, cum quibus deſcri-

scribitur, colligi non posse, persecutionem Antichristi longiori tempore, quàm per triennium, & semissem esse duraturam. Nam si decem Reges Vrbem demolituri sunt, licèt bellum illud per plures annos duret, vel post illud Roma per plures annos destructa iaceat, nihilominus Antichristus postea veniens, poterit breui tempore durare. Si vero ipsemet Antichristus Romam debellaturus est, poterit id facere antequam spiritualem (vt ita dicam) persecutionem Ecclesiæ incipiat, dum temporale imperium acquirit, quod pluribus annis durare poterit, prout persecutionem antecedet, vt capite nono dicam. Et tunc poterit persecutio durare tantum breui tempore dicto, vt per se manifestum est. Vel certe scilicèt demum, ipsam Vrbis destructionem futuram esse partem Antichristianæ persecutionis, adhuc poterit triennio, immò biennio compleri quidquid de illa destructione Ioannes præsignificat. Quia non solum intra annum, sed etiam intra menses paucos circumdari poterit, & expugnari, & incendio tradi, & alia pati, quæ ibi describuntur. Et paulò post sequi poterit grauissimus ille planctus Regum, & mercatorum, quem Ioannes commemorat, nam si planctus ille futurus est in prouincijs, & insulis Romæ vicinis, intra paucos dies poterit notitia incendij ad eas peruenire, ad remotiores autem intra plures, vel intra annum, planctus autem ipse breuiori tempore poterit consummari.

Quod autem Rex objicit, quia & Reges ad contrahendam necessitudinem magnam cum illa Babylonia, & mercatores ad congerendas diuitias, longiori tempore indigebunt: hoc, inquam, probat quidem, & Reges, & mercatores, & Babyloniam ipsam longo, & diuturno tempore esse duraturam, prius quam Antichristus veniat, vel Babyloniam destruat, non vero probat destructionem ipsius Vrbis, vel planctum postea subsequutum futurum esse diuturnum. Tum quia hæc diuersa sunt: tum etiam quia frequenter illa, quæ multo tempore durarunt, vno momento extingui solent. Eo vel maxime, quòd in toto illo capite, nullum est verbum de Antichristo, vnde licet ea, quæ ibi narrantur, diuturnius tempus postularent, facile responderemus, illa consummanda esse ante ortum Antichristum (vt declaraui posse euenire) ipsum vero Antichristum postea esse venturum, & breui esse consummandum.

CAP. VIII.

Tertiæ obiectioni Regis Angliæ ex varijs Noui Testamenti verbis desumptæ satisfit.

TErtio impugnat Rex Angliæ fundamentum, quo nitimur ad asserendum, Antichristi persecutionem tam breui tempore duraturam. Contra quod objicit. Vnum est, non esse necessarium Ioannis de illo tempore loquutis verba in proprio sensu interpretari, quia inspecto more loquendi Prophetarum, satis commodè potest metaphoricè intelligi. Duplicem autem in illis verbis ipse meditatus est allegoriam, vna est, vt numerus certus pro incerto ponatur. Quia certum est, Ioannem id facere consueuisse, vt cap. 7. cum duodecim millia Saluandorum ex singulis tribubus numerat, & cap. 9. Cum ait: [Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia, &c.] idemque habet alijs in locis præsertim cap. 14. cum numerat: [Centum quadraginta quatuor millia virgines,] & cap. 20. cum sæpius dicit, Christum regnaturum cum suis Sanctis [mille annis,] & capit. 21. cum varios numeros mensurarum describit. Accedit, quod Ioannes in his numerationibus antiquos Prophetas imitatur, præsertim Danielem, Ezechielem, & Zachariam, apud quos sæpè sumitur numerus certus pro incerto, vt Daniel. 7. [Decies millies centena millia ministrabant ei,] & alibi sæpè.

Altera Regis allegoria est, vt illa tria tempora, & dimidium temporis neque annos, neque certum tempus significet, sed dimidiam spiritualem hebdomadam: [Nam qui recordatur, ait, Ioannem in visionibus morem Prophetarum imitari, admodum verisimile esse comperiet, in illis tribus diebus, & dimidio eum imitari Danielis hebdomadas, hebdomadam vnam accipiendo totum illud tempus, quod inter aduentum Christi primum, & secundum intercesserit, cuius temporis, siue spiritualis hebdomadæ dimidio triumphantem inducit Antichristum.] Porrò atque interpretatio hæc iuuari sententia Lyrani, qui Daniel 12. incertum putat esse, an dies ibi proprie sumatur pro naturali die, vel metaphoricè pro anno, sicut hebdomada apud eumdem Danielem sumitur. Idem ergo dici poterit de locis Ioannis in Apocalypsi; & ita erit probabilis hæc expositio.

Altera obiectio principalis est, non posse verba Ioannis in sensu proprio intelligi, quia talis sensus alijs Scripturæ locis, & cuidam fidei dogmati repugnat. Argumentatur ergo, quia si Antichristus certo numero dierum regnaturus est, & post mortem eius intra quadraginta quinque dies iudicium futurum est, statim ac Antichristus regnare, ac persequi Ecclesiam cœperit, certo scient fideles homines, quo die futurum sit iudicium. Hoc autem est contra Christi verba multis in locis. Nam in primis Matth. 24. dixit: [De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater.] Deinde similitudine diluuij declarat, quàm repente venturus sit dies ille, dicens: [Sicut autem in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur, duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Quibus omnibus (ait Rex) significatur illorum temporum summa securitas, futuros esse homines varijs negotijs, & curis humanis implicatos, cum hora nouissima eos repente, nec opinatos occupet.] Sicut Christus in dicto loco concludit. [Illud autem scitote, quoniam si sci-

sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam: ita, & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est.

Secundo Matth. 25. ad declarandam illius diei incertitudinem adducit Christus parabolam decem virginum, & concludit, [Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.] Tertiò addere possumus verba Christi Actor. 1. [Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.] Quartò addit Rex verba Petri 1. cap. 5. [Sobrij estote, & vigilate. Petrus (ait) inbet nos vigilare, & sobrios esse ad excipiendum illum diem semper intentos. Quintò (ait) Ioannes in Apocalypsi bis nos admonet, vt furem nocturnum, sic Christum esse venturum. Veniam (dicit Spiritus Sanctus in Apocalypsi 3.) ad te tamquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te, & cap. 16. Ecce venio sicut fur.] Sextò addere possumus, hoc dixisse Paulum. 1. ad Thessal. 5. [De temporibus autem, & momentis fratres non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerunt pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.] Denique id etiam dixit Petrus ep. 2. cap. 5.

Ad priorem partem respondeo, literalem expositionem verborum Ioannis, quam Pontificij, id est, Catholici sequuntur fundatam esse in primis in proprietate verborum Scripturæ, quæ præferenda est. Cauendum enim omninò est periculum deferendi verum Spiritus Sancti sensum, Quem, vt lib. de Pudicit. cap. 9. Tertullianus dixit, [omninò obseruare debemus, æquè ac præceptum; quia non lenior est transgressio in interpretatione, quàm in conuersatione.] Magnum autem est periculum aberrandi à vero sensu, quando proprietas verborum sine auctoritate, vel necessitate relinquitur, neutra autem ratio hic inuenitur ad proprium verborum sensum relinquendum, vt infra ostendemus. Immò è contrario dictus sensus proprius fundamentum habet in consonantia, & concordia diuersorum locorum Scripturæ, & in varijs modis explicandi eamdem rem per tempora, menses, & dies, & in veteri, & in nouo testamento, vt credibile non sit, omnia esse per metaphoram, & improprietatem dicta, fundatur præterea in communi consensu Patrum, per quos Deus Ecclesiam verum sensum Scripturarum docet, quod autem Patres ita sentiant, satis constat ex his, quos cap. 6. attulimus. Denique fundari potest, quia nulla metaphora ibi quadrare potest, neque habet probabile fundamentum, vt facile constabit per ea discurrendo, quæ Rex adducit.

Ad priorem ergo metaphorici sensus partem, in qua dicitur, accipi numerum certum pro incerto, & ad indicandum longum, aut breue tempus, magnumque aut paruum numerum indefinitum, respondemus, regulam in generali sumptam veram esse, & hoc modo ex testimonijs ibi relatis, & alijs multis, quæ afferri possunt, rectè probari, male tamen ad præsentem expositionem applicari. Nam in primis, vt doctè notauit Bellarminus lib. 3. de Roman. Pontif. c. 8. tunc in Scriptura numerus definitus pro indefinito tempore sumitur, quando est perfectus, & in aliquo ordine consummatus, vt sunt decem, centum, mille. Quando verò numerus comprehendit non tantum magnum, sed etiam paruum numerum, tunc esse signum propriæ, & præcisæ numerationis. Et ratio est in promptu, quia simplex, & absoluta expressio vnius numeri consummati facilè potest esse capax talis metaphoræ, vel propter aliquam numeri perfectionem, vel per aliquod mysterium, vt solet considerari in septenario numero propter mundi creationem, vel in millenario propter eius perfectionem aptam ad significandam quandam temporis plenitudinem, vt dixit Augustinus 20. de Ciuit. cap. 7. vbi etiam ita exponit illud centuplum, de quo Dominus loquitur Matth. 19. vt copiosum præmium significet. Et alia exempla profert in lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 19. At verò quando minutè, & distinctè additur numerus minor maiori, & dimidius integro, signum est definitæ, ac propriæ numerationis, quia aliàs numquam haberemus certum aliquem in scriptura numerum. Item quia nec in illa imperfectione numerorum perfectio aliqua, vel diuturnitas durationis cogitari potest, nec ratio probabilis reddi, cui talis additio, & multiplicatio numerorum fiat. Estque optimum exemplum ad hoc confirmandum Daniel. 8. vbi de Hierosolymitana vastatione per Antiochum facta dicitur, duraturam esse per dies duo millia trecentos. Quem numerum omnes intelligunt, præcise, & cum proprietate esse intelligendum, propter specialem modum, quo præscribitur. Et ita D. Hieronymus ibi ex libris Machab. & Iosepho illum comprobare, & declarare studet. Idem tradit Theodoret. orat. 8. & Glossa, Lyran. & accurate Benedict. Pereira.

Quocirca partem hanc ita censeo veram, vt in ea nullam declarationem, aut limitationem credam esse necessariam, tum quia per se fundata est in verissima exponendi Scripturam regula, scilicet retinendum esse propriū sensum, quando nihil est, quod metaphoram indicet, vel ad illam excogitandam cogat, tum etiam quia nulla particularis exceptio illius partis occurrit. Nam si quis objiciat exemplum de centum quadraginta quatuor millibus signatis ad salutem Apoc. 7. & aliud de centum quadraginta quatuor millibus Virginibus stantibus cum Agno Apoc. 14. Respondet ibi Ribera, per illos numeros ibi definitam, ac præcisam multitudinem significari. Sed quia hoc difficile creditu est, respondeo, numerum illum sic multiplicatum mysterium continere, & ideò pro indefinita multitudine poni: nam duodenarius numerus est numerus vniuersalis, & per se ipsum multiplicatus iuxta numerum duodecim tribuum illum numerum efficit, vt Beda, Rupert. & alij interpretati sunt.

At verò in alia parte de sensu metaphorico, quia non gratis, & vbique confingendus est; necessario addenda est limitatio. Quia sæpissime numerus perfectus significat in Scriptura definitum tempus, certamque durationem, vt quando dicitur creatus mundus sex diebus, vel quando dicitur Dan. 4. [Sep-

[Septem tempora mutabuntur super te,] vbi licèt in verbo tempora sit aliqua metaphora, quam supra explicui, in numero septenario nulla esse intelligitur. Item in prophetia Danielis de 70. hebdomadibus Dan. 9. & sæpe aliàs. Ideoque illa pars permissiuè tantum, seu potentialiter intelligenda est, id est, posse in illo sensu tales numeros accipi, & metaphoram illam esse vsitatam in Scriptura. Nihilominus tamen in vsu, & applicatione eius ad hunc, vel illum locum, necessarium est, circumstantias considerare, ita vt illis quadret methaphora, nulloque modo illis aduersetur. Item etiam obseruandæ sunt communes Ecclesiæ, & Patrum interpretationes. Quæ duo (vt dixi) persuadent, etiam in dictis locis Apocal. non habere locum metaphoram, quia neque verbis, neque circumstantijs locorum accomodata est, neque Patres ibi illam inuenerunt, sed certum, ac definitum tempus ibi prædici intellexerunt.

Altera verò pars metaphoræ, quam excogitauit Rex, plane improbabilis est. Primo quia nec Ioannes in Apocalypsi, neque Daniel cap. 12. nominarunt hebdomadam, sed tempora, menses, & dies, & multo minus loquuti sunt de dimidia hebdomada, sed per alios numeros mensium, & dierum proprietatem sui sermonis declararunt; Et confirmari hoc potest, quia vbi Daniel voluit tres annos, & dimidium, per dimidiam hebdomadam significare, id fecit apertè cap. 9. dicens: [Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium,] id est transactis tribus annis cum dimidio hebdomadæ septuagesimæ. Secundò, numquam per hebdomadam significatur in Scriptura omnino indefinitum tempus, sed quoties vox illa per metaphoram sumitur, saltem reseruatur proportio ad septenarium numerum, metaphora verò in eo ponitur, quod ad numerum annorum extenditur, vt in dicto loco Danielis, & Genes. 29. [Imple hebdomadam dierum,] id est septem annos. At verò in tempore toto, quod inter primum, & secundum Christi aduentum decurrit, nulla ratio septennarij numeri cogitari potest, nec probabilis causa talis metaphoræ afferri, nec auctoritas, nec exemplum: quæ est ergo hæc licentia ad libitum interpretandi, vel potius corrumpendi Scripturam? Tertiò licet metaphora dimidiæ hebdomadæ posset accommodari verbis illis, [Per tempora, tempus, & dimidium temporis nullo tamen modo potest accommodari numerationi quadraginta duorum mensium, vel mille ducentorum nonaginta dierum: quæ enim ratio, vel proportio, seu analogia ad fingendam talem metaphoram excogitari potest? Quin potius, vt sæpe dixi, ille modus explicandi tempora per menses, & numerum dierum, excludit omnem huiusmodi metaphoram, & proprium esse sensum ostendit.

Quarto si tres illi anni cum dimidio, qui de aduentu, & duratione Antichristi prædicti sunt, dimidiam spiritualem hebdomadam illo modo intellectam significarent, saltem non excederent dimidium temporis illius, quod inter primum, & secundum Christi aduentum intercedit; at iuxta Regis sententiam Antichristianismus incepit anno Christi 606. & ita iam durauit mille septem aonis, & ad huc durat, & durabit quantum scie Deus; ergo incredibile est, totum illud tempus per trium annorum cum dimidio spatium propter allegoriam dimidiæ hebdomadæ significari. Denique iuxta hanc interpretationem inutilis est omnis illa numeratio temporum, dierum, & mensium, quæ tam accuratè à Ioanne fit: quia ex illa nihil certum, vel probabile de initio, vel duratione temporis Antichristi coniecturari potest, sed vnusquisque fingere potest, quod voluerit initium, & temporis spatium, & asserere illud esse dimidiam spiritualem hebdomadam. At vero Scripturæ verba, licet interdum sint metaphorica, non tamen inutilia, nec frustra prolata; ergo quando metaphora talis est, vt peruertat prophetiæ vsum, intentionem, & fructum, abijcienda prorsus est, & vitanda.

Quapropter deponenda est etiam, seu reijcienda dubitatio Lyrani, an in illis locis dies metaphoricè pro anno sumatur. Et pro certo statuendum est, ibi proprie sumi, & naturalem diem significare. Est autem aduertendum hoc intelligi posse, vel de illis locis, in quibus est sermo de mille ducentis nonaginta duobus persequutionis Antichristi, vel vbi est sermo de quadraginta quinq; diebus post mortem eius. Lyranus enim non de prioribus, sed de his posterioribus loquitur. De prioribus autem non negat, futuros esse naturales dies, quod intentioni nostræ maximè deseruit, &c. Ideoque breuiter ostenditur esse certum. Nam si dies ibi annum significaret; ergo, cum dicitur *persecutio Antichristi duratura per mille ducentos nonaginta dies*, intelligetur de totidem annis. Quomodo ergo verum erit verbum Christi: [Nisi breuiati essent dies illi, non fuisset salua omnia caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.] Quomodo enim breuiabuntur, si tot ferè futuri sint, quot hactenus tempus legis gratiæ durauit? Similique ratione consistere non poterit, quod Ioannes ait Apocalyps. 12. [Væ terræ, & mari, quia *descendit* diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet.] Et c. 20. dicit Sathanam ligatum fore per annos mille, & postea soluendum modico tempore; at verò tempus mille ducentorum, ac plurium annorum non potest dici absolutè modicum, neque comparatè ad tempus, quo Sathanas est ligatus. Ergo impossibile est, ibi accipi diem pro anno, sed pro vero die.

Confirmatur primo, quia numerus ille dierum postea per numerum mensium explicatur, quis autem dicat, mensem ibi significare triginta annos? Numquam enim in Scriptura talis metaphora mensium, sicut hebdomadarum inuenitur. Confirmatur secundo, quia si detur licentia, diem pro annò explicandi, eandem alius sumet ad intelligendum mille annos, quia scriptum est: [Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quę præterijt.] Et consequenter sequitur, duraturum Antichristum plus quam per mille annorum millia, quod ridiculum est. Denique confirmatur ex Iustino contra Tryphonem, qui hac ratione irridet eius interpretationem, Putabat enim ille, per tempus ibi intelligendos esse centum annos. [Quod si ita

si ita est , sceleftum illum hominem , vt minimum tereentum quinquaginta annos regnare oporret .] Quod tamquam absurdum, & ridiculum omittir: præter quam quod nulla probabilis ratio,vel fundamentum in Scriptura talis significationis, aut metaphoræ potest afferri.

Ex quo vlteriùs eadem certitudine concluditur, etiam in vltimis quadraginta-quinque diebus, de naturalibus diebus sermonem esse. Primò quidem, quia fingi non potest, in eadem supputatione, respectu temporis persecutionis Antichristi diem accipi propriè, respectu vero temporis posteà futuri, sumi metaphoricè pro anno, quia vno, & eodem verbo dicitur de vtroque tempore, seu de toto illo duraturum esse , [duobus milibus triginta quinque diebus ,] ridiculum autem esset dicere , idem nomen, in eadem oratione semel positum , partem temporis significare propriè , & partem metaphoricè . Secundò, quia rationes factæ de illis etiam diebus procedunt, & præsertim quia etiam dixit Christus Matth. 24. [Statim post tribulationem illorum dierum sol obscurabitur ;] ergo inter finem Antichristi, & initium signorum Iudicij non intercedent quadraginta quinque mille anni , imò nec quadraginta quinque, quia quod post quadraginta quinque annos fit, non statim fit. Denique metaphora Lyrani non habet fundamentum in Scriptura , vt ipse putat . Non enim potest ex Scripturis ostendi , diem interdum significare metaphoricè annum. Nam in loco, quem Lyra adducit, Ezechiel. 4. vbi dicitur, [Diem pro anno dedi tibi ,] dies non significat metaphoricè annum, sed vtraque vox in sua proprietate sumitur, diciturque annus pro die computari, quia quot diebus Ezechiel vinctus, atque constrictus sub sinistro , vel dextro latere dormiturus erat, tot annis Israel, & Iuda captiui erant futuri . Sicut Hieronim. & omnes exponunt , veluti cum dicitur in Psal.89. [Mille anni ante oculos tuos tamquam dies ,] dies propriè sumitur pro die naturali, comparantur autem mille anni cum naturali die ; immò cum momento respectu diuinæ Æternitatis .

Ad posteriorem partem obiectionis , in primis generatim dico, totam illam obiectionem non procedere contra præcipuum dogma, quod docemus, nimirum, persecutionem Antichristi breui tempore esse duraturam. & testimonia Danielis, & Ioannis, quæ de illo tempore loquuntur, propriè, & ad literam esse intelligenda . Nam ad summum procedit obiectio contra illam vltimam partem de quadraginta quinque diebus à morte Antichristi vsque ad diem iudicij interponendis. Etenim si dixerimus,illos quadraginta quinque dies non esse præcise definitos, vt illis consummatis certò futurus sit iudicij dies,omnino cessabit obiectio , etiam si cætera de tribus annis, cum dimidio , quibus persecutio Antichristi tantum durabit , certissima sint , & constanter teneantur. Quia si post mortem Antichristi non est certum futurum iudicium finitis quadragintaquinque diebus , ex morte Antichristi numquam præscietur , quando futura sit dies , vel hora iudicij ; ergo cessat obiectio . Pars autem illa de quadragintaquinque diebus , post quos sit futurum iudicium , non est dogma fidei , nec de illo pertinaciter contendendum est, & ideo tota obiectio non multum ad causam refert . Dummodo non negetur , illos etiam quadraginta quinque dies propriè esse intelligendos , tam quoad numerum,quam quoad naturales dies: hoc enim necessario coniunctum est cum alia certa sententia de breui tempore Antichristi , vt declaratum est.Quia hoc non obstante multi catholici censent , ex Scriptura quidem colligi , post mortem Antichristi non esse venturum diem iudicij intra quadragintaquinque dies , non tamen inde colligi , finitis illis diebus, statim esse futurum, & hoc satis esse , vt sit incertus , & consequenter , vt cesset obiectio .

Nos vero addere possumus, verum quidem esse Scripturam non dicere apertè , Immediatè post illos quadragintaquinque dies futurum esse iudicium, insinuare tamen illud, satisque probabiliter ex illa colligi , vt supra ostendi. Hoc autem non satis esse , vt certo præsciatur dies iudicij , sed solum vt coniectari possit cum magna probabilitate, quod nullum est inconueniens, quia non repugnat testimonijs adductis, cùm in illis de certa præcognitione, & præscientia sermo sit. Denique addimus , etiam si coniectura illa de quadraginta quinque diebus incerta sit , nihilominus visa morte Antichristi post sufficientem cognitionem personæ eius , certum esse posse scientibus Scripturas,prope esse diem iudicij, neque longe distare , etiam si dies , & hora certo non cognoscatur . Illud autem non solum verbis Christi non repugnat , sed potius in eis continetur , cum ipse dixerit : [statim autem post tribulationem illorum dierum sol obscurabitur , &c.] Illud autem statim erit proxime post mortem Antichristi, vt ex Scripturis ostensum est; ergo qui nouerit Scripturas , euidenter intelligent , propinquissimum esse diem iudicij , nam illud statim hanc propinquitatem aperte indicat. Vnde subiungit idem Dominus : [Ab arbore autem fici discite parabolam , cum iam ramus eius tener fuerit,& folia nata,scitis quia prope est æstas, ita , & vos cum videritis hæc omnia, scitote , quia prope est in ianuis .] Ergo talis præcognitio diei iudicij , vel certa quoad propinquitatem eius, & non quoad definitum diem, vel probabilis , & coniecturalis quoad ipsum diem , non repugnat, sed potius est maximè consentanea Scripturis . Neque contra hoc aliquid probant testimonia adducta , vt discurrendo per singula facilè constabit .

Ad locum Matth. 24. respondeo , priora verba Christi , [De die illa nemo scit ,] intelligi de certa , & infallibili præscientia, non de probabili coniectura . Dico præterea, coniecturam etiam haberi non posse, nisi ex reuelaris , quia determinatio illius diei pendet ex Dei voluntate , quæ non potest nisi ex effectibus , vel signis reuelatis cognosci . Posita autem reuelatione signorum præcedentium diè iudicij , ex illis coniectari potest tempus illius diei , maiori quidem, vel minori probabilitate , iuxta modum reuelationis, & signorum. Et his coniecturis sæpe Sancti Patres vsi sunt ad iudicium aliquod faciendum de appropinquante die iudicij ; immò ad hunc finem

nem reuelata esse à Deo illa signa, ex allegatis verbis Christi aperte colligitur. Ad cætera autem verba, quibus docet Dominus, horam nouissimam diei iudicij repente occupaturam esse homines, respondeo, eandem obiectionem fieri posse contra verba Christi: [Scitote, quia prope est in ianuis:] nam hæc præcognitio satis esse potest, vt dies iudicij non repente præoccupet eos, qui verba Christi crediderint, & euentum illorum obseruauerint, & considerare voluerint.

Dico ergo in primis, hos futuros esse rarissimos, quia pauci erunt, qui prædictas prophetias perspectas habeant, easque intelligant, ac recogitent, ideòque licèt pauci aliqui intelligentes, & in fide sapientes possint ex illa expectatione parati esse ad Domini aduentum, hoc non obstat, quominus totus fere Mundus nihil minùs, quàm de illius fine cogitet, atque ita totum ferè Orbem repentè occupet Christi aduentus, quod rectè declaratur exemplo diluuij, quo Christus vtitur, aliqui enim fuerunt tunc homines, quos non repentè pluuiæ præoccuparunt, vtique Noe, & familia eius, & nihilominùs absolutè ait Christus, diluuium venisse, & imparatos homines inuenisse, omnesque oppressisse, ita ergo erit in aduentu ad Iudicium. Aliud simile esse potest de tempore primi aduentus Christi, nam simpliciter repentè venit, respectu Orbis, licèt pauci sapientes potuerint intelligere, iam propè instasse aduentum eius.

Deinde aduerto, illam incertitudinem diei Iudicij posse considerari, vel respectu nostri, & omnium, qui futuri sunt ante reuelatum Antichristum, & inchoatam persecutionem eius. Vel respectu eorum, qui eo tempore futuri sunt, quo persecutio Antichristi iam grassabitur, nondum verò finem eius viderunt; vel respectu eorum, qui viuent post Antichristi mortem, & antequam inchoentur proxima signa Iudicij, scilicèt, [Sol obscurabitur,] & similia; vel respectu eorum, qui talia signa iam prospexerint. In primis igitur temporibus dies Iudicij est omninò incerta, imò vix potest per coniecturam aliquid de illius mora, vel propinquitate iudicari, vt Augustinus epist. 80. latè ostendit, & experimento satis cognitum est in Patribus, qui ante mille annos diem iudicij propinquare existimarunt. Neque in hoc est controuersia. De secundo tempore dicimus, sapientes quidem magna fide, intelligentia, & attentione tunc res considerantes coniecturare posse, diem Iudicij non longè abesse, quia certò credent, tribulationem illam breuem esse futuram, & illa finita, statim incœptura esse signa iudicij, vtrumque enim Christus prædixit. Vnde Gregor. 34. Moral. cap. 10. in fine, aliàs 15. [Appropinquante, ait, die iudicij, vel præcursoris vocibus, vel quibusdam erumpentibus signis, ipsa eis iam aliquo modo aduenientis Domini virtus interlucet.] Erit tamen illa coniectura, & confusa respectu definiti temporis, & rara respectu totius Mundi, & incerta, respectu plurium, quia cum multæ futuræ sint tribulationes, & multi Pseudochristi, reste ipso Christo, difficillimum erit intelligere, an sit vltima, & maxima, & an ille sit proprius Antichristus.

Sed ait Rex: [At Pontificij dicunt, Mundus non ignorabit illum esse Antichristum, duorum testium doctrina.] Respondeo, duos illos testes prædicaturos breui tempore, & fortasse in paucis Orbis locis, & Prouincijs.: & ita non sufficier, vt totus Orbis sciat illum esse Antichristum. Imò etiam vbi prædicabunt, multi erunt increduli, sicut fuerunt in diebus Noe, vel sicut fuerunt Iudæi, quando Ioannes testimonium præbuit Christo, ideòque licèt aliqui credant, & possint eamdem coniecturam appropinquantis Iudicij facere, nullum est inconueniens, quia cæteri omnes, & Mundus, simpliciter loquendo, nihil tale cogitabit. Vnde Ambros. 1. Thessalon. 5. in principio de illo tempore intellexisse videtur multa ex dictis testimonijs: [Dies Domini vt fur veniet, & vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.] Et illud: [Si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere. Subitò enim, ait, & ex insperato apparebit, sicut coruscatio apparet ab Occidente in Orientem, habens secum militiam exercitus Dei Patris ad perditionem Antichristi, & satellitum eius. Cùm enim securi fuerint perfidi de regno diaboli, interfectis Sanctis, id est Enoch & Elia, & læti de victoria, inuicem sibi mittentes munera, sicut dicit Apocalypsis, tunc illis subitò veniet repentinus interitus.] In quibus verbis repentinum Christi aduentum dicit inchoari ante mortem Antichristi, & ad illud interficiendum, & tunc maximè futurum repentinum incredulis, nam pauci credentes iam poterunt illum expectare; quamuis illi etiam de die, & hora etiam sint incerti futuri.

At verò in tertio tempore post mortem Antichristi, & ante signa Iudicij maior quidem esse poterit coniectura Iudicij appropinquantis, tamen illa etiam in paucis erit. Nam in primis breuissimum erit tempus illud inter Antichristi mortem, & signa Iudicij, vt sæpe probatum est ex verbis Christi Domini dicentis: [Statim autem post tribulationem illorum dierum, Sol obscurabitur. Deinde in tam breui tempore mors Antichristi non poterit nota fieri vniuerso Mundo, neque magnæ illius parti, quia Christus descendens ad Antichristum interficiendum, non reuelabitur vniuerso mundo, sed in illo tantùm loco apparebit, vbi Antichristus adfuerit, & inde mors eius diuulganda erit per famam, vel literas per temporis decursum, prout humano modo fieri potest. Ergo interim nihil magis solicitus erit Mundus de die Iudicij, quam si Antichristus non esset mortuus. Denique apud illos etiam qui nouerint Antichristum, & mortem eius viderint, aut crediderint, paucissimi erunt, qui legerint, & intellexerint prophetias de tempore aduentus Christi ad iudicandum post occisum Antichristum. Imò illi etiam qui illas intellexerint, numquam erunt satis certi de sensu illarum, donec impletas illas videant: ideòque licèt probabiliter credere possint, post tot dies futurum Iudicium, non tamen certò scient diem illum. Et ita nihil sequitur contra testimonia Scripturæ de incertitudine die Iudicij, etiamsi in rigore de toto tempore, & de omnibus personis intelligan-

ligantur. Eo vel maximè, quod etiam non constat, an illi quadraginta-quinque dies terminum habituri sint in ipso die Iudicij, vel in die, in quo omnium hominum mors consummabitur, post quam diem, non est reuelatum, an statim, vel post aliquos dies, futura sit resurrectio vniuersalis, & Iudicium. Et ita semper manent incerta dies, & hora Iudicij.

At verò de vltimo tempore postquam inchoata fuerint signa Iudicij, de quibus Christus ait: [Statim post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur:] ex eodem Euangelio constat, notum esse futurum vniuersis fidelibus, Mundi consummationem, & Iudicij diem esse propinquissimas, cùm Christus dicat: [Cùm videritis hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis.] Infideles autem cùm talia signa, & finem, seu significationem eorum, vel prorsus ignorauerint, vel non crediderint, terrebuntur quidem, & contremiscent, nihil verò de futuro euentu intelligent, aut cogitabunt. Nihilominùs tamen respectu omnium verum semper erit, quod Christus proximè subiungit: [De die autem illa, & hora nemo scit, quia infideles penitùs illam ignorabunt, fideles autem etiam sapientes, licèt cognoscant esse propinquam, definitè tamen nescient, tali die, & hora esse futuram: quia ignorabunt destinatum diem ad vniuersalem mortem omnium hominum, & alium præfinitum ad resurrectionem, aliumque præordinatum ad iudicium; imò etiam ignorabunt, an sint futuri distincti dies, & quantùm inter se distabunt. Et præterea nescient, quanto tempore duratura sint illa signa antecedentia Iudicium post mortem Antichristi, quia licèt sapientiores fideles coniecturare possint, non duratura vltra quadraginta-quinque dies, nescient nihilominùs, an totos illos dies occupatura sint nec ne: & consequenter nescient, quo die conflagrabit Mundus, & ita de cæteris, quæ vsque ad diem Iudicij sunt futura. Atque ita omnia Christi verba ad literam, & in omni rigore, ac proprietate vera sunt, etiamsi verba Ioannis in proprio etiam, & rigoroso sensu intelligantur, quod in sequentibus testimonijs ampliùs declarabitur.

Ad secundum testimonium sumptum ex parabola de Virginibus Matth. 25. respondetur, posse quidem omnia, quæ in illa dicuntur ad priuatum vniuscuiusque iudicium accommodari, nam eius etiam dies, & hora incerta est hominibus, & in illud iudicium optimè quadrat totius parabolæ conclusio: [Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.] Hæc autem ignorantia diei, & horæ mortis non tollit, quin ante illius euentum, & consequenter ante Iudicij particularis momentum præsentiri possit mors, & iudicium illud propè esse coniecturari, quamuis de die, & hora certa, & definita cognitio non comparetur, vel præconcipiatur. Et ita duo in eadem parabola inopinatè euentura ante hoc iudicium distinguere necesse est. Vnum est, priùs prænunciari aduentum sponsi, aliud est, ipsum sponsum posteà venire. Primum in illis verbis continetur: [Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei,] aliud ibi subiungitur: [Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo, &c.] Ex quo intelligimus, magis repentinam esse denunciationem aduentus Iudicij, quàm sit futurus eius aduentus, nam prior dormitantes, vel dormientes inuenit omnes Virgines, id est, nihil de appropinquante Iudicio cogitantes: aduentus autem sponsi prudentes inuenit paratas, & accensis lampadibus ipsum expectantes, & ita licèt diem, & horam vtriusque, scilicèt prænunciationis, & aduentus ignorauerint, non tamen tam inopinatus illis fuit sponsi aduentus, sicut illius propria denunciatio. Vnde in particulari Iudicio illa duo ita distingui possunt, vt momentum mortis sit idem, quod erit aduentus Iudicij, dispositiones autem præuiæ proximæ ad mortem, prænuncient Iudicij aduentum; vt ęgritudines, & alia frequentia pericula mortis. Et ita dixit Gregorius Homil. 13. in Euangelia: [Venit Dominus cùm ad iudicium properat, pulsat verò cùm iam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat.] Et hanc interpretationem prosequitur Origenes Homilia 32. in Matthæum, & eam censet maximè literalem Diuus Thomas ibi, nec displicet Augustino epistola 80. Vnde si illam sequamur, nihil ex illa parabola ad materiam præsentem conducere potest, quia regnum Antichristi non ante priuatum Iudicium, sed ante vniuersale futurum est. Quòd si loqui velimus de Iudicio particulari illorum hominum, qui post Antichristi mortem futuri sunt, illi etiam ignorabunt diem, & horam suæ mortis, & consequenter etiam sui particularis Iudicij, præsentire autem poterunt, non longè distare per signa, & præconia appropinquantis finis Mundi.

Vnde vlteriùs dicimus, licèt hic sensus probabilis sit, non ita esse accipiendum, vt negemus, posse etiam illam parabolam de vniuersali Iudicio intelligi, sine præiudicio eorum, quæ de tempore Antichristi diximus. Nam duobus modis possunt exponi verba illa: [Media autem nocte clamor factus est.] Primo vt per clamorem illum intelligamus tubam, & vocem magnam, qua Angeli clamabunt ad electos congregandos, sicut Christus dixit Matth. 24. vt exponunt Hieron. Chrysostom. & alij Matth. 25. & Augustin. epistol. 120. cap. 34. Sed difficilis est expositio, & æquiparatio: nam tuba illa, & vox Angelorum præcedet Iudicem iam venientem post vniuersorum hominum mortem, eosque vocabit, vt ad vitam resurgant, & in Iudicium veniant, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 15. [Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.] At verò clamor hic, qui in Parabola Virginum antecessurus dicitur, fiet ante mortem hominum, quando adhuc possint præparari, & disponi ad sponsum recipiendum, sicut prudentes Virgines fecerunt; ergo per hunc clamorem non potest vox illa Angelorum significari.

Respondet autem Augustinus, etiam clamorem illum, de quo in Parabola Virginibus est sermo, futurum esse post mortem omnium hominum, quæ per somnum sibi significatur illis verbis, [dormitauerunt omnes, & dormierunt,] & consequenter ait, illum clamorem non esse, vt homines præpa-

rentur ad lumen iustitiæ recipiendum de nouo, sed vt resurgant. Tunc autem Virgines prudentes ornare lampades suas, se præparando per recogitationem bonorum operum suorum ad rationem reddendam. Atque iuxtà expositionem hanc, nihil etiam ex illa Parabola ad præsentem controuersiam sumi potest: nam post vniuersalem mortem omnium hominum, certum erit, diem, & horam resurrectionis, & aduentus Iudicij prope adesse, semper tamen quæ futura sit ignorabitur, donec audiatur vox tubæ, nisi forte animæ beatæ illam iam in Verbo videant, quod non repugnat verbis Christi, licèt sit incertum.

Alia verò expositio esse potest, vt clamor ille non sit vox tubæ, sed sit prædicatio Enoch, & Eliæ, & aliorum seruorum Dei, qui eo tempore viuent, vel etiam sint signa Iudicij, quæ præcedent, [vt Sol obscurabitur, &c.] illa enim suo modo clamabunt, diem Domini appropinquare. Et sic etiam in illo aduentu duo supra dicta distinguenda erunt, vnum est præuia denunciatio aduentus Iudicij, quæ erit non tantùm antea ignorata, sed etiam inexpectata, & repentina, quia ante illam non præcedet alia publica excitatio, seu præmonitio præter generales, quæ iam satis in Scriptura factæ sunt. Aliud est aduentus Iudicis, & hic non erit ita repentinus, quia præparatio, & expectatio ad illum præcedere possit, semper tamen dies, & hora eius definitè ignorabitur, donec veniat. Et hoc modo explicauit hanc incertitudinem Oecumenius 1. Thessal. 5. suo cap. 6. dicens, signa propinquantis aduentus posse certo cognosci, aduentum autem ipsum non ita.

Ad tertium testimonium ex Actor. 1. respondeo primo, per verba illa: [Non est vestrum nosse tempora, vel momenta,] ad summum excludi certam præcognitionem definiti diei, & horæ secundi aduentus Domini, vt notauit Cyprian. lib. 3. ad Quirin. capit. 89. Deinde dico, voluisse Christum reprehendere curiosam inuestigationem, & inutile desiderium sciendi futura, maximè quæ à diuina potestate, & præfinitione pendent, vt notauit Iustinus quæst. 112. ad Gentes. Augustinus autem in epist. 78. addit, per illa verba etiam excludi numerum quemlibet annorum, intra quem, vel post quem immediatè futurus sit secundus Domini aduentus, quia hoc etiam propriè significat vox illa tempora, & ideò in nullius hominis cognitionem cadere potest post quot annos futurum sit Iudicium. Quod adeò confirmat, vt dicat, licèt ex verbis Christi Matth. 24. colligatur, non esse futurum Iudicium, nisi priùs Euangelium in vniuerso Orbe prædicetur, dicente Domino: [Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.] Nihilominùs etiam impleto illo signo, numquam posse cognosci tempora (idest annorum numerum) quæ vsque ad Iudicij diem supersunt. In quo significat duo, vnum est, verba Christi: [Non est vestrum nosse, &c.] non solùm excludere cognitionem per astra, aut alia humana signa, sed etiam per signa reuelata, & per prophetias. Aliud est, non solùm dicta esse à Christo pro solis illis Discipulis, qui tunc aderant, & ipsum interrogabant, sed etiam pro omnibus hominibus quocumque tempore futuris. Quod latiùs tradit epist. 80.

Hinc verò sumi potest obiectio contra dicta. Nam hinc fieri videtur, numquam posse certum esse, quot anni residui erunt vsque ad Iudicij diem: hoc autem repugnare videtur his, quæ diximus de tribus annis cum dimidio persecutionis Antichristi. Respondeo in primis, verum quidem esse, verba Christi non solum ad Apostolos, & Discipulos, qui Christum audiebant, sed ad omnes nos etiam pertinere, omnium enim inordinatum desiderium præsciendi futura, quæ à Dei dispositione pendent, repressit Christus, docuitque non pertinere ad homines ea inuestigare, nec velle cognoscere, nisi quatenus ea Deus voluerit reuelare. Ex quo rectè etiam infertur, incerta nobis esse tempora aduentus Domini, quia nihil de numero annorum durationis Mundi nobis reuelatum est. Et hoc est, quod præcipuè Augustinus in illis locis agit, & intendit. Sub aduentu autem Domini comprehendit etiam signa proxima aduentus eius, & inter ea ponit interdum Antichristi persecutionem, vt in lib. 18. de Ciuit. cap. 53. postquam dixit: [Illam sanè nouissimam persecutionem, quæ ab Antichristo futura est, præsentia sua ipse extinguet Iesus, &c.] Subiungit: [Hic quæri solet, quando istud erit? importune omninò.] Et statim inducit verba Christi, [Non est vestrum nosse tempora, &c.] Et in dicta epist. 80. dicit, Paulum tradidisse nobis, [Antichristum manifestum futurum, & interficiendum ore Domini Iesu Christi. Sed post quantum temporis, inquit, hoc sit futurum, nec saltem obscurè loquutus est.] Itaque tempora vsque ad Antichristum incognita esse contendit Augustinus, post manifestatum autem Antichristum, non negat August. ab his, qui illum cognouerint, & scripturas intellexerint, & considerauerint, posse cognosci, quam breui tempore sit iam tunc Mundus duraturus.

Vnde quod in eadem epist. 80. paulò post subiungit: [Quod autem de signis Euangelicis, & propheticis, quæ quotidiè fieri cernimus, propinquum Domini aduentum sperare debeamus, quis negat? Quotidiè quippe magis, magisque fit proximus. Sed quanto interuallo propinquet, hoc dictum est, non est vestrum scire,] hoc, inquam, de signis remotis secundi Domini aduentus intelligendum puto, non de proximis, de quibus inferiùs ait, [Puto, quod non erunt sic, quando erunt, quæ in Euangelio prædicta sunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressuræ gentium,] quæ ipse allegoricè de persecutione Ecclesiæ tempore Antichristi interpretatur. Tunc ergo poterunt sapientes fidelium breuitatem residui temporis vsque ad Iudicium præcognoscere. Neque agent contra verbum Christi: [Non est vestrum nosse tempora,] quia non per humanas coniecturas, aut naturalia signa, nec per singularem reuelationem, aut inordinatam curiositatem illam cognitionem inquirent; sed per reuelationem in Scriptura factam videbunt impleri, quod prædictum est. Sicut enim in primo suo aduentu quædam signa Deus dedit, quibus à sapientibus cognosci poterat, vel iam factum esse,

esse, vel breui tempore distare, antequam fieret, & post certum annorum numerum, saltem per hebdomadas Danielis, licèt semper dies, & horas fuerint ignorata; ita cum proportione intelligendum est in secundo.

Ad quartum ex verbis Petri: [Sobrij estote,] respondeo in primis, Petrum ibi non agere de incertitudine mortis, vel Iudicij, sed de certa, & quotidiana dæmonis persecutione, qua homines ad peccatum trahere conatur, [circuit, quærens, quem deuoret,] hanc enim causam adduxit Petrus, ob quam sobrios nos esse, & vigilare monebat. Et ad hoc passim allegantur à Patribus illa verba, & res est adeò perspicua, vt superflua sit probatio. Vnde licèt alicui esset reuelata hora mortis, vel Iudicij, nihilominùs necessarium esset illi consilium Petri, imò, si saperet, quò certiùs appropinquare diem Iudicij agnosceret, eò magis vigilaret, & sobrius esset, ne à dæmone vinceretur. Addo verò vlteriùs, licèt illud consilium datum esset à Petro propter incertitudinem mortis, vel Iudicij, nihil nobis obstare, nam Christus Dominus licèt aliquando nos moneat [vigilare, ne intremus in tentationem,] Matth. 26. alibi sæpè similem vigilantiam admonet propter mortis incertitudinem, vt in Parabola de Virginibus, & alibi frequenter. Vnde sicut diximus circa dictam Parabolam, illam incertitudinem non solùm à nobis non excludi, verùm etiam nec ab hominibus futuris tempore Antichristianæ persecutionis, ita dicendum esset de his verbis Petri, etiam si in illo sensu dicta fuissent: quia semper homines de die suæ mortis, & Iudicij incerti erant.

Ad cætera testimonia, quæ continent sententiam, & comparationem illam, quod dies Domini veniet vt fur. Dico in primis, illam non solùm ad Iudicium vniuersale, sed etiam ad diem mortis, & priuati vniuscuiusque Iudicij referendam esse, vt sapienter docuit Augustinus dicta epist. 80. Vbi etiam ita exponit verba Marci 13. vbi post longum sermonem de die vniuersalis Iudicij, concludit Christus. [Vigilate ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniet, sero, an media nocte, aut galli cantu, aut mane) ne cùm venerit, repente inueniat vos dormientes.] Probatque optimè, quia verba illa omnibus nobis dicta sunt, sicut Christus subiunxit, [Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate,] Dies autem vniuersalis Iudicij non inueniet nos, & omnes homines in hac vita, vt propter illius incertitudinem oporteat nos omnes vigilare; ergo vnicuique hoc dicitur propter suum priuatum, ne illi vt fur, veniat, [Quod vnusquisque, ait Augustinus, debet etiam de die huius vitæ suæ nouissimo formidare.] Cur autem hoc monuerit Christus, cùm de vniuersali Iudicio sermonem fecisset, hac ratione, & verbis exposuit August. [In quo enim quemquam inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet Mundi nouissimus dies, quoniam qualis vnusquisque in hoc die moritur, talis in illo die indicabitur.] Et infrà: [Tunc ergo vnicuique veniet dies ille, scilicet, vniuersalis Iudicij, cùm venerit ei dies, in quo talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die.] Vnde rectè colligitur, vnicuique in tantum venire diem Iudicij vt furem, in quantum dies mortis venit, vt fur: nam vt etiam ait Augustinus, [Illum imparatum inueniet dies ille, quem imparatum inueniet vitæ suæ vltimus dies.] Eodemque modo de priuato Iudicio explicuit comparationem illam Oecumen. 1. Thes. 5.

Non dicitur autem mors venire vt fur, quia omnibus fit repentina: nam licèt dies, & hora eius incerta sint, ordinariè instare præcognoscitur, & præcedunt signa, non solùm generalia, sed etiam specialia, quæ nos possunt ad vigilandum excitare, ne mors nobis, idest, dormientibus, & imparatis nobis tamquam fur veniat: tamen quia etiam ipsa specialia signa mortis repente solent euenire, & tunc vix potest homo se ad mortem præparare, ideò mors, vt præuijs suis præcursoribus coniuncta dicitur venire vt fur. Hinc ergo etiam dies vniuersalis Iudicij dicitur ventura vt fur, nobis quidem mediante nostro particulari Iudicio; vt exposuit Augustinus illis verò, qui in illis vltimis temporibus viuent, quia dies illa cum suis proximis signis, repente incipient, vt cum Ambrosio supra dixi. Nihilominùs tamen non erit tam repentinus ille dies, quin per signa antecedentia sint homines, qui tunc vixerint, excitandi, vt vigilent, & se præparent, ne illos imparatos inueniat. Vnde Paulus in eodem loco. 1. Thes. 5. vt ibidem Oecumen. notat, alio exemplo mulieris prægnantis hoc declarauit dicens: [Tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient.] Partus enim in se spectatus non est omninò repentinus, quam præcedunt dolores, quæ sunt illius appropinquantis signa, tamen dolores ipsi repente veniunt, & ideò antea oportet præparari, aliàs magnum imminet periculum, & sic partus suis doloribus coniunctus dici potest venire vt fur, quia dies, & hora eius semper sunt incerta, & dolores eius repente incipiunt; ita ergo de die Iudicij intelligendum est.

Addit denique Augustinus epistola 80. diem Domini non omnibus, sed imparatis, ac dormientibus, vt furem esse venturum. Quod egregiè colligit ex illis Pauli verbis: [Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat, Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei, non sumus filij noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus.] Igitur dormientibus, & rebus huius Mundi intemperatè vtentibus dies ille veniet vt fur, non autem vigilantibus, & se præparantibus. Quia licèt ignorent illius Iudicij tempus, diem, & horam, non ignorant tamen proximè instare, vel in se, vel in particulari Iudicio vniuscuiusque, & ideò vigilant, ne illos dies illa tamquam fur comprehendat. Vnde quod ibidem ait Paulus: [Cùm dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus,] etiam de illo tempore, in quo Antichristi persecutio grassabitur, & proxima Iudicij vniuersalis signa videri incipient, Augustinus intelligit, dicitque illos, qui sanctos tribulabunt dicturos esse, [pax, & securitas,] eisque tamquam furem venturum repentinum interitum: eos autem, qui persecutionem patientur, idest, filios Ecclesiæ, partim esse ti-

mo-

more magno afficiendos (iuxtà illud: [Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorum, quæ superuenient vniuerso Orbi.] Quod maximè continget fidelibus peccatoribus, qui minùs paratos eo tempore se se inuenient) partim esse spe subleuandos, iuxtà illud, [Surgite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra,] quod his eueniet, qui sanctè vixerint, & sobrij, ac vigilantes inuenti fuerint.

Hæc autem omnia sic intellecta, impleri optimè possunt, etiam si tempus, quo Antichristus persequuturus est Ecclesiam, & quod inter mortem eius, & aduentum Domini intercedet, certum, ac definitum, & in Scripturis reuelatum sit. Nam hoc non obstante homines mali, & persecutores Ecclesiæ dicent, pax, & securitas, saltem toto tempore ante mortem Antichristi, quo tempore eis repentinus veniet interitus, & dies Domini, vt fur, & adhuc post diem interfectionis Antichristi, multitudo infidelium in sua ignorantia, & incogitantia permanebit, & plures etiam ex credentibus mysterium ignorabunt, & male antea viuentes in eadem consuetudine perseuerabunt, donec signa Iudicij incipiant, quando vehementer timebunt, & licèt diem certum suæ mortis, vel Iudicij venturi non agnoscant, nihilominùs vel inuiti intelligent, diem Domini instare, quando vix poterunt se se ad illum præparare, & ideò illis etiam dies Domini veniet, vt fur. Electis autem, & iustis non ita veniet, quia Christi, & Prophetarum verba intelligentes, & præ oculis habentes, diuinaque gratia excitati, & adiuti, spe gaudentes Iudicem expectabunt.

CAP. IX.

Alteri difficultati occurrendo, tempus regni Antichristi, & initium eius ampliùs declaratur.

Ex his, quæ præcedentibus capitibus disputauimus, solùm concluditur, neque præcessisse, neque inchoatam esse Antichristi persecutionem, si enim præcessisset, iam Mundus iudicatus fuisset, & si esset inchoata intra breue tempus consummandus esset, quod est incredibile, quia neque aliqua persecutio nunc est acerbior, quàm præteritis temporibus fuit, nec iuge sacrificium publicè in Ecclesia celebrari cessauit, & alia signa diem Iudicij antecessura, quæ prædicta sunt, partim non sunt completa, partim nondum apparere inceperunt, & longius tempus requirunt, vt compleantur, vt prædicationis Euangelij per totum Orbem consummatio, diuisio Imperij Romani in decem Regna, eiusque integra destructio, aliaque similia, quæ intra quatuor annorum tempus expectari non possunt. Vnde omnia bella, hæreses, & alia Orbis mala, quæ hactenus patimur, nostrique maiores experti sunt, ad illa pertinent, de quibus Christus dixit: [Audituri estis prælia, & opiniones præliorum, multi venient in nomine meo, & multos seducent, multi Pseudoprophetæ surgent, scandalizabuntur multi, tradent vos in tribulationem, & occident vos, &c.] Et nihilominùs adiungit: [Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum statis finis.] Hæc enim omnia videmus, & esse nunc, & fuisse olim in Ecclesia, & cum eadem rerum vicissitudine diuturno tempore. Ipse ergo rerum humanarum, & Ecclesiæ Status cum prophetijs coniunctus euidenter ostendit, non esse finem Mundi ita propinquum, vt intra tempus præfinitum, & abbreuiatum illius vltimæ tribulationis consummandus sit; ergo manifestum est tempus persecutionis Antichristi nondum inchoatum esse.

Superest verò difficultas, quia ex hoc principio non est demonstratum nondum venisse, & regnare cœpisse Antichristum, quia Regnum eius diuturnius futurum est, & non constat, quantum durabit, nec quanto tempore ante diem Iudicij incipiet. Eo vel maximè, quod non est etiam reuelatum, an Regnum illud Antichristianum vnius tantùm hominis, & Regis futurum sit, an plurium in eodem throno sibi succedentium. Nam licèt ostensum sit, proprium Antichristum futurum esse vnicum tantùm singularem hominem, non tamen inde concluditur necessario, futurum esse vnicum Regem in suo Regno, seu throno, poterit enim esse vnus ex multis in eodem throno sibi succedentibus, atque regnantibus, & ab illo denominabitur illud Antichristi Regnum, & sic fieri poterit, vt thronus Antichristi, seu Regnum Antichristi non sit inchoatum, & in Mundo præualeat, licèt in illo nondum sederit vnicus ille, & proprius Antichristus. At verò si hoc totum concedatur, eneruabitur argumentum contra hæreticos, saltem quoad eam partem, qua contendunt, Regnum, & thronum Antichristi iam incepisse.

Huic difficultati duobus modis occurri potest; vnus est, asserendo, non solum persecutionem, sed etiam absolutè, & simpliciter regnum, & imperium Antichristi duraturum esse solum per dictum tempus trium annorum cum dimidio. Fundarique potest responsio, quia plures ex Patribus allegaris ita loqui, & sentire videntur. Irenæus enim & Hyppolitus absolute dicunt, regnaturum Antichristum tribus annis cum dimidio. Augustinus etiam ait, Antichristi sæuissimum regnum exiguo tempore duraturum. Eodemque fere modo Victorinus loquitur, & multi alij præsertim ex modernis, vt Bellarmin. lib. 3. de Romano Pontifice cap. 8. & Ribera in cap. 8. Apocalypsi. Potestque ex Scriptura deduci, quia illa indifferenter loquitur de Antichristo, illique solum triennium, & menses aliquot ad regnandum tribuit, neque inter eius regnum, & persequutionem distinguit; ergo nec nos distinguere possumus, nec habemus fundamentum, quo plus temporis ad regnandum quam ad præliandum contra Christum illi tribuamus. Præsertim quia Scriptura dicit, dæmonem totam suam virtutem, & potestatem illi communicaturum, dæmon autem non indiget multis temporum moris ad regna hominum debellanda, si à Deo permittatur, permittetur autem illo tempore, vt libere agat, propter quod dicitur [solui modico tempore Apocal. 20. & cap. 12. dicitur: Væ terræ, & mari,

mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet.] Ergo non est, cur regnum Antichristi, quod veluti regnum diaboli futurum est, diuturnius cogitetur.

Nihilominus responsio hæc non potest satisfacere, nam vt attigi in 2. tomo tertiæ partis disput. 54. sect. 5. licet de monarchia Antichristi rectè declarata vere dici possit, tantum esse duraturam illo tempore quadraginta duorum mensium, vtique ab eo tempore, quo extinctis tribus, & superatis alijs septem, seu cæteris totius orbis Romani, vel etiam Christianis Regibus, solus incipiat dominari, nihilominus necessarium est, vt tempus vitæ, & regni eius futurum sit diuturnius. Et de tempore quidem vitæ, id est per se manifestum, quia nascetur infans more aliorum hominum, & paulatim crescet, & per multos annos ad ætatem adultam perueniet, antequam, regnaturus sit. Maximè quia (vt infra dicam) non habebit regnum hæreditario iure, sed per tyrannidem, & fraudem illud vsurpabit, quod nisi in adulta ętate facere non poterit.

De tempore autem regni expressius, quam alij hoc attigit Benedict. Pereira lib. 15. in Daniel. non longè à medio, §. Cæterum, &c. & ait, licèt de tempore quo est Antichristi persecutio duratura, ex Scriptura constet, nihilominus [quandiu, ait, simpliciter Antichristus regnaturus sit à nullo, quod ego sciam traditur, & nulli opinor mortalium fuisse compertum.] Et statim tacite explicat Patres proxime allegatos, vt loquantur de Antichristi duratione ab eo tempore, ex quo [incipiet atrociter, & crudeliter insectari sanctos, ipsisque prçualebit.] Et videtur sententia hęc fuisse Lyrani Daniel. 12. nam circa illa verba [Et à tempore ex quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, &c. inquit: Hic Angelus instruit Danielem de termino, à quo sunt computandi tres anni cum dimidio. Et infrà: [Ab illo sunt computandi dies mille ducenti nonaginta.] Vnde inferius colligit, [tres annos persecutionis Antichristi non esse computandos ab illo tempore, quo se incipiet ostendere, & aliquos ad se attrahere, sed ab illo tempore, quo iam erit tantæ potestatis, quòd se exhibebit adorandum hominibus, & quo fideles non audebunt publicè celebrare sacrificium. Et certe si verba aliquorum Patrum attente expendantur, non plus significant. Ait enim Lactantius: [Dabitur ei desolare orbem mensibus quadraginta duobus. Ephrem verò ait, [Postquam tria tempora cum semi impleta fuerint potestatis, & operationis scelesti Antichristi, &c.] Et Hieronymus Daniel. 7. [Tribus annis, & sex mensibus Sancti potestati Antichristi permittendi sunt.] Aug. item lib. 20. de Ciuit. cap. 8. solum dixit [tempus, pro quo Soluendus est Sathanas futurum trium annorum cum dimidio,] & cap. 23. non absolutè regnum, [sed seuissimum regnum] Antichristi dixit exiguo tempore duraturum.

Deniquè ex ipsa Scriptura videtur hæc sententia satis probari, primo quia Daniel cap. 12. expressè designat initium illius temporis dierum mille ducentorum nonaginta, scilicet,] A tempore, in quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem.] At non est verisimile, illud ipsum futurum esse initium regni, & præliorum Antichristi, quia tam magna acerbitas persecutionis, quæ à publico sacrificio Christianos abstinere cogat, & ingens audacia sedendi in templo, tanquam sit Deus, quæ ęst abominatio desolationis, supponunt magnam potentiam, & regnum satis superbum, & amplum; ergo duratio regni Antichristi non potest claudi illa breui duratione. Consonatque ordo narrationis Ioannis Apoc. 13. vbi prius ait, [Vidi de mari bestiam ascendentem,] quam esse Antichristum ferè omnes intelligunt, & subiungit: [Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam. Et postea. [Admirata est vniuersa terra post bestiam, vtique propter victorias, & signa miranda: quæ omnia persecutionem præcedent. Nam postea subditur. [Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos &c.]

Denique idem confirmat narratio Danielis cap. 7. vbi post visionem quartæ bestię habentis decem cornua initium regni Antichristi sic describit, [Ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius, & ecce oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia. Et deinde subiungit. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos, &c.] Ex quo discursu apparet, cornu illud priusquam contra Sanctos bellum inchoet, habiturum paruum initium, & postea bellaturum tria regna, & subiugaturum alia, & ita esse augendum, vt fiat maius alijs, hæc autem non possunt paruo tempore fieri: Et tamen post illa sequetur initium persequutionis; ergo necesse est, vt initium regni Antichristi per multum tempus antecedat initium persequutionis eius. Ac proinde fit, vt tempus totius regni Antichristi longius sit quam trium annorum cum dimidio, quibus (vt ibidem ait Daniel.) [Sancti tradentur in manu eius, vtique Antichristi. [Apertè significans, illud breue tempus futurum esse solius persecutionis, tempus autem regnandi maius esse futurum.

Quantum autem futurum sit tempus regni simpliciter Antichristi, nullibi reuelatum inuenimus, & ideo nihil cum certitudine affirmari potest, nisi futurum esse maius, quam quadraginta duorum mensium. Neque enim satis erit auxilium dæmonis, vt sine mora temporis, & aliquorum annorum tot prælia efficiat, totque regna debellet, quia modo humano hæc facturus est, quanquam credibile sit, per dæmonis auxilium breuiùs, & faciliùs id esse consequuturum. Vnde etiam fit, vt regnum Antichristi aliquot annis antecessurum sit eius monarchiam consummatam, & perfectam, quia non in momento, sed discursu temporis illam consequetur, ideòque prius erit in fieri, quam sit perfecta. Regnum autem incipiet, simul ac per tyrannidem ditionem aliquam occupauerit, supremamque vim, & iurisdictionem in aliqua prouincia obtinere inceperit. Et ita probabile est, consummatam monarchiam tantum illo breui tempore quadraginta duorum mensium esse

se duraturam, quia simul atque fuerit potitus regnis omnibus, persequutionem incipiet. Hoc autem non est ita certum, quia etiam post Monarchiam perfectè obtentam fieri potest, vt non statim persecutionem incipiat, & ideò de sola persequutione certum est, duraturam per solos illos menses. De monarchia verò est probabile, sed incertum, de regno verò simpliciter certum est, futurum esse diuturnius.

Vt autem difficultati tactæ in principio occurramus, addendum censemus: licet definire non possimus certam quantitatem durationis illius regni, nihilominus credendum esse tempus illud non esse diuturnius, nec longius futurum, quam esse possit, & regulariter soleat esse vnius hominis vita, nimirum septuaginta, aut octoginta annorum. Et in Antichristo credibile est multo breuius futurum esse tempus durationis eius, quia non permittetur viuere toto tempore, quo naturaliter posset, sed diuinitus occidetur, aut viuus in infernum mittetur, fortasse in dimidio dierum suorum, quia [propter electos breuiabuntur dies illi.] Ergo meritò coniectare possumus initium totius vitæ Antichristi vix antecessurum initium persecutionis per quinquaginta annos, & initium regni vix per triginta, & fortasse erit breuius. Nam Alexander Magnus breuiori tempore mundum subiugauit, vt ex lib. 1. Machab. cap. 1. sumitur, verisimile autem est, Antichristum velociùs occupaturum omnia propter dæmonis auxiliũ, & licentia, seu permissionẽ Dei amplam, vt iam dixi. Quod autẽ totũ tempus durationis Antichristi non sit futurum maius quam possit esse tempus vnius vitæ humanæ, alio principio cap. 2. posito conuincitur, nimirum Antichristum futurum esse vnum singularem hominem tantum, vt statim amplius explicabimus.

Adhuc enim superest instantia supra facta, scilicet, hoc rectè dici, & concludi de proprio Antichristo, vt futurus est vna singularis persona, & consequenter etiam de regno eius vt futuro sub eius personali imperio, vt sic dicam, non probari tamen sufficienter ex dictis imperium Antichristi ab ipsomet Antichristo esse inchoandum. Cur enim non poterit ab eius progenitoribus inchoari, & tandem ad illum peruenire? Quod si hoc ita contingere potest, vnde constabit nondum venisse, seu inchoatum esse thronum illum, & regnum, in quo Antichristus sessurus est: & inde proditurus ad alia temporalia regna occupanda, ac tandem Ecclesiam Christi persequendam. Fieri ergo potest, vt regnum illud iam inceperit, & quod per multa annorum secula duraturum sit, quia illius regni non est præfinitum aliquod tempus in Scriptura, nec data sunt signa ad cognoscendum initium eius, sed tantum finem. Quod si hoc concedatur, consurgit difficultas in principio tacta, quia nihil erit contra hæreticos effectum, illi enim solum contendunt, thronum, & regnum Antichristi iam venisse, non personam aliquam singularem, quæ sit Antichristus.

Respondeo, in primis, fugam hanc nihil hæreticis huius temporis prodesse, illi enim contendunt, proprium Antichristum iam venisse, & singularem persecutionem sub ipso prædictam iam esse inchoatam, & durasse per multos annos vsque ad mille, vel plures, & fortasse per multos adhuc duraturam. Hoc autem esse falsum ex allegatis prophetijs apertè conuincitur, & alijs circumstantijs planius fiet & præterea errant isti hæretici. quia in illo diuturno throno Antichristiano, quem fingunt, non censent solam aliquam personam in illo sedentem esse proprium Antichristum, sed omnes, qui in illo throno sedent, per totum hoc tempus, ex quo Antichristianismus secundum eorum imaginationem cœpit, dicunt esse verè, ac propriè Antichristum. Quo posito explicare non possunt, quis illorum sit, qui tribus tantum annis cum dimidio persequetur Ecclesiam, tribulatione illa magna, qualis nunquam fuit quisue sit ille, quem Christus occidet spiritu oris sui, non enim occidet omnes sedentes in illo throno, nec plures, de vno enim tantum idest prædictum, quis denique sit ille, cui dæmon à Deo specialiter solutus: & permissus. suam totam virtutem communicabit, & potestatem conferet, vt signa mendacia faciat, & prodigia, nam hæc, & similia hactenus non fiunt, & de vno tantum homine prædicuntur. Quod si dicant, hunc esse futurum illum, qui postremo sederit in tali throno, qui in illo destruendus est, & prorsus extinguendus. Certè solum illum vocat Scriptura per Antonomasiam Antichristum, & solum illum nobis tribuit inter signa certa futuri iudicij frustra; ergo heretici plures alios, qui æqualiter hoc nomen merentur, fingunt, cum in alijs non possint illam proprietatem Antichristi ostendere, Et præterea voluntariè, & ex sola malitia confingunt dari iam aliquem thronum Regium, in quo vltimus Rex futurus sit ille proprijssimus Antichristus, Quæ enim sunt signa talis throni? aut vbi in Scriptura indicatus est? aut cur non poterit quis voluntariè dicere, illum esse thronum regni Angliæ? sicut ipsi maliciosè dicunt, esse thronum Apostolicæ Sedis, & alius finget esse thronum Turcæ, vel alium similem. Est ergo vana illa cogitatio.

Quin potius addo, licet non sit tam euidens ex Scripturis, totum tempus regni, & throni, quod possidebit Antichristus, non esse futurum diuturnius, quam fuerit duratio vitæ Antichristi, nihilominus magna probabilitate posse ex Scriptura colligi, minori tempore duraturum regnum, quam personam Regis in statu Regio. Quod ita declaro. quia in primis persona Antichristi nec nascetur ex Regibus, nec erit legitimus hæres alicuius regni. Vtrumque colligo ex Daniel 11. vbi sic dicitur. [Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor Regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.] Quæ verba non possunt ad aliquam seriem hominum in throno aliquo sibi succedentium accommodari, sed de vna aliqua singulari persona prædicuntur, nam in longa successione Regum in eodem throno, licèt fortasse primus fuerit despectus, & clam introierit, per fraudulentiam, non possunt hæc de omnibus successoribus affirmari, dicuntur ergo illa omnia simul de vno aliquo Tyranno fundatore (vt sic dicam) vel in-

inchoatore alicuius regni. Preterea illammet personam futuram esse Antichristum, testatur Hieronym. ibi contra Porphyrium, rium, qui de Antiocho locum illum interpretabatur dicens. [Nostri autem & meliùs interpretantur, & rectiùs. quod in fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, idest, de populo Iudæorum, & tam humilis erit, atque despectus, vt ei non detur honor Regius, & per insidias, & fraudolentiam obtineat principatum.] Deum vero ait, [Nostri autem,] aperte significat, hanc fuisse tunc Ecclesiasticorum concordem sententiam; quam etiam sequitur Theodoret. ibi. Confirmatique potest ex Daniel. 7. vbi dicitur. [Et ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum,] quod de Antichristo omnes Scriptores Ecclesiastici intellexerunt, vt ibi ait Hieronymus. Dicitur autem paruulum, quia erit abiectus, & infimæ originis, & subinde non hæres regni alicuius, imò nec Regiæ stirpis, & ideo dicitur nasci, de medio eorum, vtique regum, non ex illis. Igitur Antichristus non succedet in aliquo regno, vel throno, sed erit primus Rex in suo throno, quem ipse inchoabit, eriget, seu vsurpabit.

His addo, Antichristum non habiturum in suo regno successorem, quia ipsemet qui regnum per fraudolentiam obtinebit, illud per diaboli potentiam in immensum augebit, & sanctos postea persequetur, ac tandem à Christo occidetur, & regnum eius destruetur, ergo non habebit in regno successorem, & consequenter non plus, imò minus durabit regnum, quam Rex, quia simul finientur, & tardiùs incipiet Antichristus regnare, quam esse. Quæ omnia ex eisdem locis scripturæ colliguntur. Nam Ioannes dicto cap. 13. sub nomine bestiæ de vno, & eodem homine loquitur, qui consurget de terra, cui Diabolus dabit suam virtutem, & potestatem, per quam vniuersam terram subiugabit, & postea bellum faciet sanctis per menses quadraginta duos. Idem sumitur ex Daniel. 7. vbi sub specie cornu paruuli describitur idem Antichristus cum eodem progressu, in erectione throni, & augmento temporalis potentiæ, & transitu ad persecutionem sanctorum, & blasphemias contra Deum, & Christum, [vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, quo tempore & ipse, & regnum eius destruentur, & consonant huic veritati saltem in sensu mystico verba Iob. 18. [Non erit semen eius, neque progenies in populo suo, nec vlla reliquia in regionibus eius.] Quæ verba interpretans Greg. lib. 14. Mor. capit. 11. per illas 2. Thes. 2. addit. [Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Dum ergo eius iniquitas cum mundi statu terminatur, progenies eius in populo suo non relinquetur. &c. At nulla eius progenies in mundo remanet, quia districtus Iudex iniquitates illius, cum isto mundi fine concludet, &c. Quòd verò hæc de Antichristo intelligi debeant, demonstratur, cum subditur. In diebus eius stupebunt nouissimi & primos inuader horror &c.] Concludimus ergo durationem regni Antichristi non esse futuram diuturniorem, quam vita vnius hominis esse possit. Vnde fit euidens, Antichristum vsque ad nostra tempora non venisse, neque regnum eius inchoatum esse, non solum in persona eius, quod est euidentius. verum neque in aliquo, vel aliquibus quibus ipse legitime succedere possit.

Atque ad hanc veritatem confirmandam addi possunt duo alia signa temporis aduentus Antichristi, vnum est prædicatio Euangelij per vniuersum orbem, quę debet præcedere aduentum Antichristi, & nondum est facta, aliud est destructio omnimoda Romani Imperij, quæ vel præcedere etiam debet Antichristi aduentum, vel per eius potentiam & victorias est consummanda. De his vero signis aliquid in secundo tom. tertiæ partis disp. 54. sect. 2. breuiter attigi & in disp. 56. sect. 1. & 2. eadem latè, ac diligenter tractaui, ideóque in præsenti nihil de illis addendum existimaui. Solum circa posteriorem de Romani Imperij destructione aduerto eruditum quendam virum me reprehendisse, quod ibi dixerim signum hoc de euersione Romani Imperij, incertum esse, nec satis constanter ex Pauli, alijsque Scripturæ vaticinijs colligi posse. Si tamen attente legantur quæ diximus. non signum ipsum in dubium reuocauimus, quod certum, & communi Patrum traditione, quæ nobis etiam Apostolica visa est, constare diximus. De modo autem, quo exponendum & intelligendum sit, tantam certitudinem esse negauimus, quia neque Patrum traditio, & consensio æquè in modum ipsum cadit, nec ex propherijs satis definiri potest. Quod nunc etiam verum esse censemus, & breuem expositionem adiungimus.

Varijs enim modis intelligi potest extinguendum esse Romanum imperium ante Antichristi aduentum, primo quia diuidendum est in decem, vel plura regna Romani Imperij sub Regibus, qui illud inter se diuisum occupabunt & retinebunt, donec Antichristus veniat, & illa omnia vsurpet. Et hoc si aliud non addatur, est certissimum, & planè colligitur ex prophetijs præsertim Danielis, & est concors sententia Patrum, vt ibi diximus. Secundus modus addit præcedenti futurum esse ante aduentum Antichristi, vt per illa decē regna omninò extinguatur nomen, & dignitas imperij, aut Imperatoris, aut Regis Romanorum, & hunc modum diximus non esse certum. neque satis colligi ex prophetijs, neque affirmari ab omnibus Patribus. Quia licet in aliquo. vel pluribus illorum regum nomen, & dignitas Romani Regis perseueret, fieri poterit, vt per Antichristum ipsum vincantur, & spolientur. Et sic totalis destructio Romani Imperij non omninò antecedet Antichristum, sed per illum consummabitur.

A qua sententia, & explicatione certè non multum distat Hieronym. Daniel 7. cum ait. [Dicamus quod omnes scriptores scholastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum esse Regem paruulum, qui tres Reges de decem superaturus sit.] Et infra. [Quibus interfectis, etiam alij septem victori colla submittent.] Quæ verba ad prædictum

ctum sensum trahi possunt, licèt in eis non declaret,an in illis decem Regibus,vel in aliquo illorum nomeo Romanum permãsurum sit, donec per Antichristum extinguatur, Cyrillus autem cathech.15. licèt priùs dicat, veniet Antichristus, [cum impleta fuerint tempora Imperij Romani.] Non explicat, an debeance esse impleta, itaut iam omninò extinctum sit, vel itaut iam sit impletum tempus, in quo sit extinguendum. Vnde infra subiungit, [decem simul Reges Romanorum excitabuntur, post quos Antichristus Romanorum potestatem rapiet.] Tertullianus autem in apolog.cap.32. [Vim maximam Orbi imminentem, Romani Imperij commeatu, (dicit) retardari.] Vbi Scholiastes ait: [Sicut Medorum dominatum Babylonij pessumdedere, Babyloniorum verò Persæ, Persarum rursus Macedones, Macedonum porrò Romani, ita Romanorum Imperium Antichristus, & Antichristi postremò Dominus noster.] Idemque Tertullian. lib. ad Scapul. cap. 2. dicit de Romano Imperio: [tamdiù durabit, quamdiù seculum stabit;] quia vsque ad Antichristi persecutionem stabit. Immò Andr. Cæsar. in Apocal. cap.suo 36. ait, Antichristum assumpturum nomen, & titulum Regis Romanorum, & totum illum Principatum in decem Regna iam diuisum, funditus euersurum. Præterea Lactan.lib.7.cap.15. dicit, Romanorum Imperium esse delendum, non declarat autem, an omninò antè Antichristum, vel per illum, cap.autem 25. addit, [quamdiu Roma incolumis fuerit, non futurum iudicium.] Et Chrysostomus homilia 4. in 2. ad Thessalon. Romanum Imperium ab Antichristo extinguendum esse dicit; & alia multa ex Augustino, Theodoret. & alijs in dicto loco adduximus, quibus hanc partem probabilem esse ostendimus, neque aliquid denuò allegatum video, quo posterior hic modus improbabilis, prior verò certus omninò esse ostendatur.

Quin potiùs addo verisimile videri, saltèm temporale Regnum Pontificis Romani duraturum esse vsque ad Antichristi tempora inclusiuè, donec per illum destruatur,& vsurpetur, vt infra videbimus; atque hoc satis iudicari posse, vt Romanum Imperium non censeatur omninò extinguendum antè aduentum Antichristi, sed per eum esse tyrannidem consumandam. Denique ad maiorem explicationem distingui possunt duo tempora Antichristi, vnum temporalium præliorũ, quibus decem Reges vincet, & omnia vsurpabit: aliud persecutionis Sanctorum, & apostasiæ à Christo. Quod ergo antè hoc posterius tempus Romanum Imperium omninò auferendum sit, certum est ex omnibus dictis, & ex alijs, quæ dicto loco adduxi, & copiosiùs dictus Auctor prosequitur. De priori autem tempore censeo valdè probabile, in illomet tempore, & per Antichristi prælia destructionem Romani Imperij consumandam esse, vt suadent cætera, quæ insinuaui, & ità optimè intelliguntur verba Pauli, 2.ad Thessal.2. [Tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus.] Vtique extollendo se supra omne, quod dicitur Deus, &c. Et facilè etiam omnia Patrum dicta conciliantur. In hoc ergo sensu diximus, non esse certum, an Imperium Romanum omninò sit antè inchoatum Regnum, & prælia Antichristi, vel per illa omninò extinguendum, quod nunc etiam verum existimamus.

CAP. X.

Alijs duobus argumentis satisfit, & obiter nonnullæ Catholicorum opiniones de tempore Antichristi refelluntur.

PRæter ea, quæ Rex Angliæ obijcit, duo alia solent ex Scriptura sacra contra ea, quæ de temporibus Antichristi diximus, à Protestantibus opponi, quibus ad huius puncti complementum satisfacere necessarium visum est. Primum est, quia licèt finis Antichristi in fine Mundi futurus sit,non opus est, vt eius initium tanto tempore differatur: & consequenter fieri non potest, vt eius duratio tam breuis sit quantùm à nobis est descripta. Ad hoc autem suadẽdum tria loca inducunt. Primus est illud Pauli, 2. Thessalon. 2. supra tractatum: [Mysterium iam operatur iniquitatis, &c.] Secundus est 1.Ioan.2. [Antichristus venit,] vbi de proprio Antichristo loquitur, vt indicat articulus in Græco additus iuxta superius dicta, & tamen de præsenti dicit, [venit.] Tertius locus est 1. Ioan. 4. vbi eodem modo de Antichristo loquens ait: [De quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in Mundo est.]

Hæc verò ex supradictis facilem habent solutionem: quia verò non solùm Hæretici, sed etiam aliqui Catholici nobis in hoc puncto negotium faciunt, illa iterùm proponimus, vt opiniones quasdam Catholicorum attingamus, omnibusque satisfaciamus. Igitur propter hæc testimonia, præsertim Pauli, aliqui ex antiquis Scriptoribus dixerunt, Antichristi personam tempore Apostolorum venisse, non tamen tunc totam suam iniquitatem exercuisse, & consumasse, sed in fine Mundi iterùm venturum,vt suum cursum expleat, & omnia, quæ de illo scripta sunt, impleantur. Hanc opinionem veterum Scriptorum fuisse, Hieronymus, & Augustinus referunt, ille Daniel 11. hic lib.20. de Ciuit. cap. 29. eamque sequutus est Victori. in suo commentario super Apocal. circa medium, vbi exponens cap. 13. sic de Antichristo scribit: [Fuisse autem eum iam in Regno Romanorum, & fuisse inter Cæsares, Paulus contestatur, dicens: Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat.] Vnde sentit, eum, qui tunc tenebat imperium, vtique Neronem, fuisse Antichristum. Eumdem verò putat, esse iniquum illum, qui postea reuelandus est. Nec tamen existimauit eum viuere, aut vsque ad finem Mundi victurum, sed mortuum esse, & resurrecturum: [non sua, inquit, virtute, nec patris, (vtique carnalis, seu per humanam generationem,) sed Dei iussu suscitatus ob hominum peccata,] vt posteà prosequitur.

Sulpitius etiam Seuerus lib.2. sacr. hist. circa medium refert,suo tempore, [multorum opi-

opinione receptum esse, Neronem Antichristum venturum fuisse,] quam ipse ibi nec affirmat, neque negat, sed solùm ait: [Dignus extitit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet, nescio, an & postremus explebit.] Inferiùs verò ait: [Vnde creditur, etiamsi se gladio ipse transfixerit curato vulnere eius, seruatus sub finè seculi mittendus.] Cui sententiæ adhærere videtur, & secundùm illam de Nerone intelligit illud Apocal. 13. de bestia, quæ plagam mortis accepit, quæ postea curata est. Vnde sentit, Neronem nunc non esse mortuum, sed reseruatum, vt in fine Mundi veniat, mysterium iniquitatis completurus. Idem verò in Dialog. 2. de vita sancti Martini in fine, licèt affirmet, rediturum Neronem in fine Mundi, & debellaturum decem Reges, & iterùm imperaturum in Occidente, & acerbam persecutionem in Christianos renouaturum, vt eos ad idola colenda inducat: non tamen dicit, illum futurum Antichristum, sed potiùs eodem tempore excitandum in Oriente Antichristum, qui se Christum venditet, & Christianos à Christo auertere conetur, non tamen ad idola, sed ad se adorandum, iudaismumque seruandum trahat; eumque dicit pugnaturum esse contra Neronem, & illum separaturum, ac Orbem subiugaturum, donec à Christo occidatur.

Hæc verò sententia, licèt anilem fabulam contineat, non tamen ex hæresi processit, nec illam in rigore continet, neque negat receptam traditionem, propriumve Scripturæ sensum, quo habemus Antichristum esse vnā certam personam, & venturum esse in fine Mundi, & paruo tempore duraturum. Sed adiungit alia, non quidem Scripturæ contraria, sed malè in ea fundata, & per se vana, & incredibilia. Paulus enim licet (iuxta probabiliorem, magisque receptam expositionē) dixerit, Neronem suo tempore operatum esse iniquitatem Antichristianam (vt sic dicam) non tamen eamdem, quàm postea Antichristus operabitur, sed ad imitationem eius, vel quasi imaginem eius. Vnde licet dixerit, Neronem esse Antichristum, addit, in mysterio, seu esse mysterium iniquitatis, idest typum Antichristi, vt supra explicuimus. Sine fundamento ergo fingitur, Neronis personam eamdem futuram esse cum persona Antichristi: vaneque, & præter Diuinam consuetudinem; immò & contra bonitatem cogitatur, suscitandum esse à Deo Neronem iam mortuum, vt iniquitatem, quàm inchoauerat in priori vita, postea consumet. Resurrectionis enim opus, quod proprium Dei est, non fit propter iniquitatem operandam, sed propter altiores, & honestiores fines Deo dignos, & suæ Diuinæ sapientiæ, ac prouidentiæ consentaneos. Prætertquamquod Scriptura numquam significat, Antichristum supernaturali modo esse à Deo procreandum, vel reuocandum in mundum, sed more aliorum hominum generandum.

Vnde non minus vana fuit cogitatio dicentium, Neronem conseruari nunc in vita mortali, donec iterùm appareat. Nam hoc etiam sine miraculo fieri non potest; ineptum autem est talia miracula Deo tribuere, propter tales fines, seu causas. Neque minus friuolum est, locum Apocalypsis de plaga bestiæ curata, sic exponere, tùm quia longè aliter à Patribus exponitur, vt supra visum est; tùm etiam, quia ex verbis cap. 13. clarè colligitur tam plagam, quàm curationem eius tempore Antichristi esse futuram, quando admirata terra post bestiam, draconem adorabit; tùm etiam, quia ex historijs constat, Neronem se ipsum iugulasse, ac verè interfecisse. Vt enim ait Gregor. Turonen. lib. 1. histor. Francorum cap. 25. [excitatam super se seditionem fugere tentans, quarto ab Vrbe lapide propria se manu interfecit.] Idemque habet Paulus Orosius libro 7. histor. anno ab Vrbe condita 88. additque in eo omnem Cæsarum familiam consumptam esse. Idemque refert Eusebius in chronic. anno Domini 70. eodemque modo de Neronis morte loquitur. Nicephorus libro 2. cap. 27. & libro 4. cap. 1. & in historijs prophanis est res notissima. Denique si (vt posteriori loco dicebat Sulpitius) Nero non est futurus Antichristus, cur, vel quo fundamento fingitur iterùm in fine Mundi venturus? hæc ergo licet hæretica non sint, vt fabulosa sunt contemnenda.

Locus autem Pauli satis ex dictis declaratus est, quia, vt supra dixi, Neronem, vel totum imperium Romanum ethnicum Antichristi mysterium, seu typum appellauit Paulus, illum autem euidenter à vero Antichristo distinxit, dicens: [Quid detineat scitis, donec è medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus.] Ad priora autem Ioannis verba respondemus primo Augustinum libro 20. de Ciuit. cap. 19. de futuro allegare verba illa: [De quo audistis, quoniam venturus est,] siue quia ita legit ex græco, siue quia tacitè ità interpretatus est. Non est enim nouum in Scriptura præsens pro futuro accipi, vt Io. 4. dixit Samaritana: [Scio quia Messias venit,] de præsenti loquens, & tamen statim per futurum declarat: [Cùm ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.]

Verumtamen hic nobis occurrunt alij Catholici, esto verum sit Antichristum non venisse Apostolorum tempore, non tamen esse expectandum circa finem Mundi: nàm illemet loquendi modus propinquitatem maiorem indicat: ideòque non esse incredibile, Antichristum iam venisse in Luthero, vel alio Heresiarcha simili. Præcipuè verò notari obiter potest opinio Ioannis Annij, qui super Apocalypsim, Mahometum esse Antichristum sibi persuasit, quem nonnulli sequuti sunt, quos refert, & sequitur Fenard. lib. 5. in Iren. cap. 30. Illi verò non verbis Ioannis, aut Pauli, nec aliquo Scripturæ testimonio, sed solis coniecturis, quibus ea, quæ de Antichristo prædicta sunt, Mahometo accommodant, nituntur.

Non censeo autem necessarium illas vel referre, vel refellere, tùm quia id diligenter præstitit Benedict. Pereir. in proprio opusc. contra Annium, quod suis disputationibus in Apocalypsim adiunxit. Tùm etiam, quia licèt vnum, vel alterum signum Antichristi in Mahometo reperire valeant, id mirum non est, quia nullus est hostis Christi, qui aliquam de proprietatibus Antichristi non participet: ideò enim omnes illi generali quadam appellatione Antichristi vocantur, vt supra vidimus.

mus. Necessarium ergo est, omnium signorum Antichristi collectionem in aliquo ostendere, vt eum esse proprium, ac verum Antichristum concludatur. Hoc autem in Mahometo ostendere impossibile est, nisi negando prædictiones multas de Antichristo, præsertim eas, quæ sunt de tempore persecutionis, & mortis eius, in illo sensu proprio, quo à Patribus intellectæ sunt, easque ad sensus metaphoricos, alienos à proprietate verborum, & à multis circumstantijs, quas in ipsis prophetijs ponderauimus, detorquendo: atque etiam illas, quæ sunt de breui tempore, quo est persecutio Antichristi duratura, & de morte illius prodigiosa, per quàm persecutio finietur, & paulò post sequetur Iudicium. Accedit etiam, quæ de imperij Romani defectione tradunt Patres ita interpretantes verba Pauli, 2.Thessalon.2. [Quid detineat scitis, tantum vt quis tenet, teneat, donec è medio fiat, & tunc reuelabitur illi iniquus.] Anno enim 630. quando Mahometus apparuit, adhuc vigebat Romanum imperium sub Heraclio, & postea etiam floruit, & vsque ad nostra tempora durat, licet semper in diminutionem iuerit.

Præterea omnia, quæ in sequentibus de testibus contra Antichristum mittendis, & de sede, & Antichristi erroribus, varijsque descriptionibus dicemus, opinionem illam apertè confundunt. Ideòque coguntur Auctores eius, quædam ad personam Mahometi referre, alia ad thronum eius, seu imperium duraturum vsque ad Mundi finem, & tunc acerbiùs in Christianos sæuiturum, ideòque qui sic opinantur, in multis cum Protestantibus conueniunt, vel ad metaphoras voluntarias confugiendo, vel etiam non de vna, & eadem persona, quæ de Antichristo prædicta sunt, interpretando, contra Scripturæ contextum, ac certitudinem. Et ideò licèt opinio hæc non contineat impietatem Protestantium, cauenda est, ne illis maior errandi occasio detur, & ne prauis interpretationibus res per se difficilis, & obscura magis inuoluatur. Vnde meritò Damascen. libro de Hæresibus in fine Mahometum typum, & præcursorem Antichristi vocat, non ipsum verum Antichristum; idemque de Luthero, & de alijs Hæresiarchis, qui hactenus fuerunt, intelligendum est: nàm ex eisdem principijs de illis ferendum est Iudicium, nec circa singulos immutari necesse sit.

Ad obiectionem ergo factam circa verba Ioannis nego, verbum [venit,] de præsenti accipi pro futuro, propter propinquitatem effectus, sed sæpè propter certitudinem prophetiæ. Quod optimè comprobatur Ezech.3. vbi præsenti additur præteritum, cùm dicitur: [Ecce venit, & factum est ;] & tamen sermo est de die iudicij, vt exponit Hieronymus; qui & propter certitudinem prophetiæ, & propter exaggerationem, vt semper cogitetur quasi præsens, & iam factum, per verba de præsenti, & de præterito significatur. Ita ergo loquutus est Ioannes. Quod satis declaratur, adiungendo: [Et nunc Antichristi multi facti sunt;] perindè enim fuit, ac si diceret, licet vnus Antichristus singularis, ac cæterorum caput, & exemplar certissimè veniat, idest, venturus sit; iam verò nunc in præsenti tempore multi Antichristi facti sunt, idest, multi eius ministri, & præcursores, qui sicut facta, ita & nomen eius participant. Dùm ergo Ioannes ait, hos iam venisse, satis declarat, alterum nondùm venisse, sed dici venire, quia certissimè veniet, quia dùm alij quasi vias eius præparauit, quodammodò iam venire dicitur.

Et sic facilè etiam intelliguntur alia verba capitis quarti. Nam in primis [cùm omnis spiritus, qui soluit Iesum, dicitur, esse Antichristus, vel intelligi debet de Antichristo generaliter sumpto, quia multi fuerunt Hæretici soluentes Iesum, & omnes Iudæi soluunt illum, negantque esse verum Messiam, & verum Deum; vel intelligendum est esse Antichristum, non persona, sed spiritu, sicut Ioannes dicitur esse Elias, Matthæi 12. & Luc.1. Vnde græcè legitur: [Et hic est Antichristi,] vtique spiritus Antichristi, sicut legit Cyprian. lib.2. ad Quirinum cap. 8. [Seu est de Antichristi spiritu.] Et sic rectè ponitur ibi Antichristus cum articulo, quia omnes, qui soluunt Iesum; immò omnes Hæretici habent illius spiritum, licèt non sint ipse in persona. Et ità etiam conueniearer exponunt sequentia verba, [de quo audistis, quoniam venit,] idest venturus sit, & iam venire incipiat per suos præcursores, per quos iam in Mundo est secundùm spiritum suum, & muneris, ac nominis participationem, quos propterea præcursores spiritus Antichristi rectè vocat Tertullian. lib.5. contra Marcion. cap.16.

Altera principalis obiectio Hæreticorum est, quia ea, quæ facturus est Antichristus, & de illo prædicta sunt, non poterunt breui tempore à nobis præscripto, consummari. Et præcipuè exaggerant verba illa Pauli: [Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.] Quæ discessio (vt Caluinus dixit) tam vniuersalem Apostasiam totius Orbis à Christo significat, vt multorum annorum, immò & multorum tyrannorum, hæreticorum, aut hostium Christi successione opus habeat, quia vnius hominis vel vita, vel diligentia ad illam consummandam non sufficit. Talem autem futuram esse illam apostasiam, eamque per discessionem à Paulo significari. Pontificiorum omnium sententiam esse Rex Angliæ in sua præfatione tamquam rem certam supponit, & quadam notanda ratione suadet, dicens: [Alioqui eorum Ecclesia quotidiè esset erroribus obnoxia, quod omninò ipsorum doctrinæ repugnat.] Denique initium, & auctorem eiusdem Apostasiæ futurum esse Antichristum, & per eumdem esse consummandam, satis indicauit Christus, cùm dixit, [tunc futuram esse tribulationem, qualis numquam fuit, & propter electos esse citò consummandam,] vtique interfecto ipso Antichristo, vt Paulus declarauit.

Respondemus in primis, non esse necessarium, in loco Pauli per discessionem intelligere vniuersalem apostasiam à fide, sed integram destructionem Romani imperij, seu diuisionem eius in decem Regna, vt interpretatur Tertullianus libro de resurrectione carnis cap. 24. & Hieronym. dicta quæstion. 11. ad Algas. Ambros. & Primasi. ibi, Destructionem

autem

autem Romani imperij fatemur, non breui tempore esse peragendam, sed paulatim per plures annos, & Reges. Prius enim diuidetur Romanum imperium in decem, siue plures Reges, postea verò veniet Antichristus, qui cum illis per aliquos annos certabit, & eos tandem superabit, vt diximus. Ad totam ergo discessionem, seu defectionem Romani imperij non sufficiet vnius hominis vita, ad vltimam verò consumationem per Antichristum faciendam vnius hominis vita sufficiet, vt satis explicatum est.

Secundò dicimus nomine discessionis significari ibi ipsum Antichristum, sic enim Augustinus 20. de Ciuitat. cap. 19. [refugam legit, & ait: Illum refugam vocat, vtique à Domino Deo: quod si de omnibus impijs meritò dici potest, multo magis de isto.] Græcè verò ibi ponitur nomen apostasia, quo nomine ipsum Antichristum significari, intellexerunt ibi Græci, indicat Chrysostom. homil. 3. vt illum intellexit, & sequitur Theophylact. Idemque tradunt Theodoret. & Oecumen. & Hugo Eterian. lib. de Regress. animar. capit. 23. Potest autem Antichristus ita vocari, vel ad declarandum, futurum esse summum apostatam, sic enim solent abstracta pro concretis poni ad significandam excellentiam, seu excessum in tali proprietate, vel certè per metonymiam nomen effectus auctori, seu causæ tribuitur, nam quia Antichristus erit causa maximæ apostasiæ in Ecclesia futuræ, nomen apostasiæ ili tribuitur.

Ex quibus constat, non subsistere, nec verum esse, quod Rex Angliæ pagin. 64. Præfationis dicit, Pontificios omnes constanter affirmare, discessionis nomine generalem apostasiam ibi significari. Nam licet aliqui, in meliori, & saniori sensu quam Protestantes, ita vocem illam interpretentur, non tamen omnes constanter hoc affirmant, vt visum est. Nec satis intelligo rationem, qua Rex suadere conatur Pontificios omnes necessariò debere ita sentire: [quia (inquit) aliàs eorum Ecclesia esset quotidiè erroribus obnoxia.] Nam quæ est hæc illatio? Nunquid si per discessionem Romani imperij destructio, vel Antichristus ipse significetur, ideò Ecclesia Romana erit quotidiè erroribus obnoxia? Nulla profectò est connexio, nulla illationis verisimilitudo. Fortasse autem argumento illo solum probare voluit, apostasiam illam, quam significari vult nomine discessionis, generalem esse futuram, & non particularem. Veruntamen neq; hoc etiã inde probatur, nec illatio etiam in hoc sensu habet vllã verisimilitudinem. Quia licet quotidiè, vel frequenter fiant apostasiæ particulares ab Ecclesia Romana, & Catholica, non ideò illa quotidiè fit erroribus obnoxia, quia & semper damnat errores eorum, qui ad ipsa discedunt, & ipsi apostatæ statim extra illam exeunt, & ita ipsa, licèt personis interdum minuatur, semper immaculata manet, iuxta illud 1. Ioann. 2. [Et nunc Antichristi multi facti sunt.] Et infrà. [Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, si enim essent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.] Et infrà. [Vos vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia.] Semper ergo Ecclesia retinet Spiritum sanctum, & veritatem (vt addit cap. 4.) licet quotidie multi ab ea discedant. Vnde etiam in vltima apostasia, quæ sub Antichristo futura est, licet sanomodo generalis dici possit, semper Ecclesia Catholica, & Romana erit ab erroribus immunis, vt statim dicetur.

Tertiò ergo addimus, & concedimus, discessionem, ibi significare apostasiam ab Ecclesia Romana, & fide Christi, futuram in mundo, in fine eius, retenta nimirum voce græca in sua sincera proprietate. Quam expositionem videtur mihi magis indicare Chrysostomus, item Anselmus, licèt expositionem de defectione à Romano imperio primo loco ponat: statim addit: [Siue vt multitudo Ecclesiarum discedat à Pontifice Romano, aut multitudo hominum discedat à fide.] Diuus autem Thomas intelligens, illam discessionem esse futuram defectionem à Romano imperio, addit, intelligendam esse non solum de imperio Romano temporali, sed etiam de spirituali, [in quod teste Leone Papa temporale commutatum est.] Discessionem autem à spirituali imperio Romano dicit esse descessionem à fide Catholica Romanæ Ecclesiæ. Fuitque hæc antiqua expositio, vt Augustinus supra refert, quam ipse non improbat.

Hæc autem apostasia à fide non erit, sicut hæretici fingunt, ita generalis, vt fides verà à Christi Ecclesia peritura sit, hoc enim & fundamentum nullum habet, & repugnat promissioni Christi: [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Matth. 16. & alijs verbis eius Matth. 24. [Propter electos breuiabuntur dies illi.] vtique ne illi à charitate excidant, nedum à fide. Et Daniel cap. 12. dixit. [In tempore illo saluabitur omnis, qui inuentus fuerit in libro vitæ,] & in fine concludit: [Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies trecentos trigintaquinque,] quod alijs verbis dixit Christus Matth. 24. [Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.] Non deerunt ergo qui perseuerent. Quin potius tantum abest, vt omnes antea credentes, tunc sint fidem amissuri, vt multi potius, & maximè ex Iudæis tunc sint conuertendi ad fidem, vt testatur ibi Theodoret. & Gregor. homil. 12. in Ezechiel. & August. 20. de Ciuit. cap. 28. ait. [Per Eliam Thesbitem vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, hoc est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum esse in sermonibus, cordibusque fidelium.]

Vnde idem Augustinus eodem lib. cap. 8. ait, Ecclesiam à Deo electam, & prædestinatam nunquam esse seducendam, neque etiam in persecutione Antichristi, [sed erit, inquit, hic Ecclesia illo tempore etiam quo soluendus est diabolus, sicut ex quo hic est instituta, hic fuit, & erit omni tempore.] Et infrà dicit, tunc esse soluendum sathanam, [vt fidelis patientia electorum probetur, non vt vincatur, tales enim erunt, inquit, cum quibus ei belligerandum est, vt vinci tanto eius impetu, insidijsque non possint.] Inferius verò in eodem capite vlterius dubitat, an in illo apostasiæ tempore non solum aliqui ex credentibus permansuri sint, sed etiam aliqui, qui in fide non fuerant, ad illam accessuri sint: &

respon-

respoudet in primis, paruulos multos esse illis tribus annis cum dimidio baptizandos à parentibus fidelibus, & ita illos saltem denuo ad fidem accessuros. Deinde generaliter ait: [Neque qui cadant ab Ecclesia, nec qui accedant ad Ecclesiam illo tempore defuturos:] quod latè confirmat. Dicitur ergo tempus illud discessionis, seu apostasiæ, uon quia tota Ecclesia, & omnes fideles Christum negaturi sint, sed quia magna erit clades, pluresque superabit tentatio, quàm victores permanebunt, vel quàm vnquam in persecutione aliqua victi fuerint. Quanta verò futura sit apostataurium multitudo, incertum est, licet enim aliqui dicant, duas partes fidelium esse casuras, & tertiam permansuram, nullibi esse reuelatum, aut satis fundatum inuenio.

Non erit igitur hæc apostasia, adeo vniuersalis, vt non possit intra illud breue tempus, vtique trium annorum cum dimidio fieri, tum quia iu illis postremis temporibus, prius etiam, quam Antichristus veniat, Ecclesia erit multis persecutionibus, & contradictionibus agitata. Nam vt prædixit Christus Matth. 23. [Scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem, & multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.] Et ita cum Antichristus venerit, inueniet homines valde dispositos, vt vbi breui tempore magnam illorum iacturam facere possit. Vnde Augustinus 20. de Ciuit. cap. 19. refert, multos ex antiquis Expositoribus intellexisse verba illa Pauli: [Et nunc quid detineat, scitis, & mysterium operatur iniquitatis, non de Romano imperio: sed de malis, & fictis, qui sunt in Ecclesia, donec perueniat ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat, & hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum.] Et inferius ait, tunc omnes hos malos, vel occultos hæreticos prodituros, & coniungendos Antichristo, vt illi adhereant, eumque ad cæteros euertendos adiuuent. Accedit, vt infra, ex Paulo, & Apocalypsi dicit: [quòd præsentia eius futura est secundùm operationem Sathanæ in omni virtute, & signis, ac prodigijs mendacibus, & omni seductione iniquitatis, tunc enim soluetur Sathanas, & per illum Antichristus mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.] Hinc ergo facilè intelligitur, non esse necessariam successionem multorum seculorum (vt Caluinus dixit) ad illam generalem apostasiam, quæ tempore Antichristi fiet, vel certè si per multa secula ad illam generalem discessionem mundus disponetur, illa dispositio non sub Antichristo, nec per Antichristum fiet, sed per plures hæreticos, & præcursores Antichristi. Vtrumque enim significauit Christus Matth. 24. & Ioannes 2. epistola cap. 2. & 4. & Paulus 2. ad Thessalon. 2.

Quod si quis vrgeat, hoc rectè procedere, si apostasia Antichristiana aliquam prouinciam tantum, vel ad summum vnam partem mundi occupatura esset; non fore autem ita, sed mundum occupaturam vniuersum, neque videri posse in tam breui temporis mora tam latè extendi: Respondemus in primis, non constare in quot regionibus orbis persecutio Antichristi propria grassabitur: & verisimile esse, non ita esse disseminandum errorem Antichristi per totum mundum, sicut Euangelium est ante diem iudicij in toto orbe prædicandum, quia illud prius non ita prædictum est in Scriptura, sicut hoc posterius. Neque etiam dicunt vaticinia Antichristum regnaturum in toto orbe propriè, & in tota sua vniuersitate sumpto, sed dicunt, Antichristum occupaturum orbem Romanum in decem Regna prius diuisum, & postea bellum contra Sanctos esse moturum, vnde verisimile sit in eodem orbe Romano futuram esse illam spiritualem stragem, & multorum fidelium apostasiam. Ad illam autem non erit necessariam multorum Regum, aut temporum successio. Nam vnus Antichristus quam plurimos habere poterit suæ iniquitatis ministros, qui simul per varias eiusdem Orbis partes errores eius disseminabunt, simulque (permittente Deo) Dæmon totas suas vires exeret, & partim signis, & portentis mendacibus, partim promissionibus temporalibus, partim coactione, & exquisitis tormentis breui efficiet, vt maior fidelium pars Christo renunciet, & characterem bestiæ suscipiat. Et ita non solum multorum seculorum: Verum etiam nec vitæ vnius hominis tempus ad prædictam Apostasiam efficiendam necessarium erit.

Addo denique non esse necessarium, vt totum orbem Romanum talis persecutio, & discessio inuadat, quia hoc reuelatum non est, sed solum quod futura sit maior, quam vnquam fuerit, quod esse poterit, & intensiuè, (vt sic dicam) vbi fieri contigerit, & extensiue respectu aliarum persecutionum, quod habere poterit, etiamsi non omnes prouincias, & loca totius Monarchiæ, nedum omnes mundi partes attingat. Præsertim quia sicut Christus dixit, propter electos breuiandos esse dies illos, ita propter eumdem finem fieri poterit, vt intra certos orbis terminos concludatur, non permittente Deo amplius extendi, propter eundem finem, aliaque secreta suæ prouidentiæ consilia. Vel certè si fortasse tribulatio illa quoad loca, seu Regiones, & Prouincias Orbis generalior futura est, & in omnibus illis magnam illam apostasiam est effectura, etiam ad illum effectum non erit necessaria diuturnior temporis duratio, quia non oportet, vt successu temporum in diuersis locis fiat: simul enim per varios ministros in diuersis locis fieri poterit. Nam soluendus est Sathanas, qui vbique habet inuisibiles ministros paratissimos, & visibiles non deerunt Antichristo, ac breui tempore poterit illos vbique transmittere, cum magna vi, & potestate humana, dæmonis industria, & potestate adiutos, illosque ad summam diligentiam, & celeritatem instabit: [Sciens, quia modicum tempus habet.] Ergo quacumque ratione apostasia illa intra tempus à Deo breuiatum consummari poterit.

CAP.

CAP. XI.

Antichristi tempore Duos veros homines ad testimonium contra illum ferendum mittendos esse ex cap. 11. Apocalypsis, contra duas falsas Protestantium expositiones ostenditur.

QVoniam de Antichristi tempore dicere incepimus, priusquam ad cetera capita à Rege proposita transeamus, necessarium est, cum illo digredi, & de testibus contra Antichristum mittendis disputare, præsertim quia disputatio hæc cùm ea, quam de tempore Antichristi prosequuti sumus, valdè coniuncta est. Nam vnum ex præcipuis signis, quibus ostendere possumus Antichristum nondum venisse, inde sumitur, quod testes contra illum mittendi nondum venerunt. Hoc autem fundamentum de duorum testium missione ex c. 11. Apocalyp. sumptum est. Ideoque vetus illius prophetiæ sensus inquirendus & explicandus est. Cum itaque Ioannes prædixisset Antichristi persecutionem verbis illis; [Ciuitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus, subiungit. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.] Qui dies fere totidem menses, vtrique quadraginta duos efficiunt.

Circa hanc igitur prophetiam primo inquiremus, an illi duo testes, quos Deus promittit; se daturum tempore persecutionis Antichristi, futuri sint veri homines, vel quid sint. Nam Rex Angliæ totum hunc locum metaphoricè interpretatur, duasque habet expositiones, quas in hoc cap. & sequenti expendemus. Iuxta priorem expositionem negat, illos duos testes futuros esse homines, sed ait esse duo testamenta, vetus, & nouum, quæ contra Antichristum, [& Monarchiam Babylonicam (vt ipse loquitur) constans, & manifestum testimonium præbent, ideòque illa maximè Antichristus odio prosequeretur, nihilque intactum relinquet quo illa dedecoret, corrumpat, & supprimat.] Hæc fere Rex, qui inuehitur hac occasione in Summos Pontifices, Romanamque Ecclesiam, fingens ab eis esse contra diuinam Scripturam multa dicta, & facta [probri, & ignominiæ plena. Qualia sunt, ait, illam nasum cereum, litteram mortuam, & regulam lesbiam appellare, cum illa libros apocryphos unisuisse, eosque illi æquiparare tentasse, immò traditiones hominum illi præferre, eademque supprimere sub linguis peregrinis, & ne in vulgari sermone legatur, prohibendo, occultare, ac denique illam destruxisse, & interfecisse,] quando alias translationes latinas præter vulgatam Pontificum auctoritate correctam, & emendatam ijdem Pontifices sub censuris prohibuerunt. Hos autem testes ab Antichristo interfectos, Deus tandem per Regem Angliæ eiusque ministros excitauit, seu in pristinam lucem, & integritatem reduxit, vt ipse vult. Sicque concludit impletam esse prophetiam illam.

Huic interpretationi metaphoricæ quoad eam partem, vt duo illi testes sint duo testamenta, occasionem aliquam dederunt nonnulli antiqui Scriptores. Nam in libro super Apocalypsim, qui inter opera Augustini sub nomine illius ponitur, in homilia octaua sic habetur, [Dabo duobus testibus meis, id est, duobus testamentis.] Illud autem opus sine dubio non est Augustini, meritoque à Louaniensibus in appendicem reiectum est. Creditur autem esse Ticonij, cuius opus in Apocalypsim, idem Augustin. allegat lib. 13. de Trinitate capite tertio, vbi etiam dicit, Ticonium illum hæreticum Donatistam fuisse. Ideoque non multum curandum est de illius interpretatione. Quamquam ille non omninò negat, illos testes esse homines, infra enim ait, illos esse Ecclesiam, quæ propter duo testamenta binario numero ponitur. Quam expositionem imitatus est Beda lib. 2. in Apocalyp. cap. 11. vbi per testes etiam intelligit, [Ecclesiam ex duobus populis vnitam, & duorum testamentorum lumine radiatam.] Verumtamen Beda, & mysticè loquutus videtur, & in ea expositione non insistit, nam statim refert aliam de Elia, & Enoch, & non reijcit, sed tacitè approbat. Et siquis postea Scriptor Catholicus illam mysticam expositionem, vel probare, vel insinuare visus est, ab alio literali sensu recedere non est ausus. Itaque metaphora illa prout à Rege traditur propria est Protestantiam, & à quodam Roberto Abbate Caluinista inuenta dicitur, & quatenus alium sensum proprium, & literalem excludit, improbabilis omninò est, quatenus verò contra Ecclesiam Romanam applicatur, erroribus scatet, & hæresibus.

Dico ergo, testes illos, de quibus Ioannes loquitur, futuros esse veros homines, ad testimonium pro Christo contra Antichristum reddendum, specialiter mittendos. Assertionem hanc ita certam esse censeo, vt sine temeritate negari non possit. Probatur primo ex verborum proprietate, quam relinquere sine fundamento, magna temeritas, & corruptio Scripturarum est. Hic autem nullum est fundamentum, vel in ipsa Scriptura, vt ex verbis constat, in quibus illa metaphora nullum fundamentum habet, neque in Patribus, quia omnes contradicunt, vt infra videbimus neque in aliqua ratione, vel coniectura, nullas enim Rex adducit, sed solam voluntariam accomodationem, proprijs opinionibus, & erroribus accommodatam, contumelijsque contra Ecclesiam Catholicam redundantem. Illa ergo non est Scripturæ interpretatio, sed corruptio.

Præterea si paulatim singula expendamus, quam sit inepta accomodatio, facilè intelligemus. Nam in primis ex verbis illis colligimus, promisisse Deum dare duos testes tempore aduentus, & persecutionis Antichristi, vt ex contextu Ioannis constat, ideò enim coniungit illa duo: [Ciuitatem sanctam conculcabunt, &c.] & statim: [Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt,] id est, dabo illis spiritum prophetandi, seu ad prophetandum in tempore illius calamitatis mittam illos. Non possunt ergo duo illi testes promissi ad literam esse duo testamenta, nam hæc data sunt Ecclesiæ à principio, neque teni-

tempore Antichristi aliquid eis addetur, aut nouo modo illabuntur, nisi quatenus mittentur illi prophetæ, qui faciant doctrinam maiori spiritu proponant, & interpretentur. Quin potius, si iuxta Regis sententiam, Antichristus venit à sexcentesimo sexto Christi anno, ab eodemque; (vt Protestantes etiam fingunt) cœperunt Scripturę per traditionem hominum corrumpi, nullo modo tunc dati sunt duo testes ad prophetandum; sed qui multo iam antea dati erant, tunc interfici, seu corrumpi cœperunt.

Deinde in eodem loco Apocalypsis dicitur, duos illos testes prophetaturos dies mille ducentos sexaginta, id est, toto fere tempore, quo Antichristus ciuitatem sanctam id est, Ecclesiam calcabit, quod tempus, iuxta expositionem Regis comprehendit omnia hæc tempora Romani Pontificatus à sexcentesimo sexto Christi anno, vsque ad Lutherum v. g. Ergo toto hoc tempore vtrumque testamentum in sua virtute, & integritate conseruatur in Ecclesia, eorumque doctrina Ecclesiæ maximè innotescit, & contra Antichristum pugnat, nec aliquis audebit illam corrumpere, quia ibi dicitur de illis testibus pro illo tempore. [Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & si quis voluerit eos lædere, sic oportet, eum occidi.] Et statim illorum magna virtus, & potentia describitur, & tandem additur: [Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet contra eos bellum.] Ergo Antichristus non corrumpit Scripturas vsque ad finem temporis, & persecutionis suæ. At verò iuxta sententiam Regis, Scripturæ patiuntur bellum à Papa, ex quo cœpit in Papatu Antichristianismus, & toto hoc tempore non prophetant Scripturæ in Ecclesia, sed traditiones humanæ, quibus Scripturæ obscurantur, & corrumpuntur: quæ est ergo accommodatio talis metaphoræ, aut concordia prophetiæ Ioannis cum ficta ista interpretatione.

Præterea Ioannes ait, quod postquàm illi duo testes à bestia, seu Antichristo occisi fuerint, [corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi Dominus eorum crucifixus est, per tres dies, & dimidium,] quod Rex dictum declarat, [quia ad dimidium spiritualis hebdomadæ, quod inter primum, & secundum Christi aduentum intercedit, Scripturæ tamquam cadauera iacebunt omnium contemptui exposita, dedecoratæ, corruptæ, suppressæ, &c.] In quibus verbis duo notanda sunt. Primum est, vt iuxta suum metaphoricum sensum hæc duo cadauera Prophetarum ad duo testamenta, accommodet multa fingere, & exagerare, quæ nec probare potest, neque vllam verisimilitudinem habent, ideoque per errorem à suis Protestantibus accepisse conuincitur; ac subinde nihil ad metaphoram explicandam deseruite. Ait enim, libros scripturæ multis retro temporibus [ad silentium esse damnatos, quia laicis eorum lectio interdicta est, ita vt pro hęretico combureretur, qui in manus sumere auderet, aut inspicere.] Vtrumque autem horum euidenter falsum est, tum quia neque lex, neque exemplum de his ostendi potest, tum etiam, quia contrarium manifestè constat ex vsu, & praxi Ecclesiæ Catholicæ.

Addit verò Rex Scripturæ libros in ignota lingua absconditos iacuisse. At Latina lingua non est ignota in Ecclesia Latina, nisi rudibus, & idiotis, quibus vtile non est per se ipsos velle Scripturas intelligere, aut interpretari, sed magis expedit, vt quæ illos scire & intelligere de Scripturis conuenit, à suis Pastoribus, & Euangelij prædicatoribus addiscant. Neque aliter Scriptura sacra in Catholica Ecclesia conseruata, & tractata est, Denique vt interfectionem illam metaphoricam vtriusque testamenti Rex, confingat, dicit, deprauatam esse Scripturam, cum tamen in sua integritate, tam librorum omnium canonicorum, quam omnium eorum partium per Ecclesiam sit conseruata, & legitima auctoritate proposita. Item ait corruptam esse: quod falsum planè est, quia per Ecclesiam vbi oportuit, lectio quæ corrupta erat, emendata est, vbi verò mutatio facta non erat, in sua antiquitate conseruata est. Tandem verò dicit fuisse interfectam anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo quia præter emendatam editionem vulgatam ab Ecclesia propositam, aliæ ab hæreticis factæ, & corruptæ non permittuntur. Quę omnia, & per se friuola sunt, & ad explicandum dictum Scripturæ locum valde aliena.

Aliud in dictis verbis Regis notandum, est, in his suam iterum inculcare expositionem, scilicet, Ioannem per hos dies, & menses non certum tempus, sed dimidium totius temporis cursum à primo vsque ad secundum Christi aduentum intellexisse, quam expositionem satis in superioribus refutauimus. Nunc verò interrogo, cum dicit ad dimidium illius temporis Scripturæ testamenta tamquam cadauera iacitura, contemptui exposita, neglecta penè ab omnibus, nec à pluribus intellecta: interrogo, inquam, quid intendat, cum ait, ad dimidium temporis, aut enim vult toto dimidio tempore, quod inter primum, & secundum Christi aduentum intercedit, Scripturarum corpora tamquam cadauera in illo statu iacitura, vel solum in dimidio tempore esse interficienda sine designatione temporis, pro quo mortua iacebunt Hoc posterius repugnat vaticinio Ioanis dicentis. [Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis:] Et infrà: [Et videbunt de tribubus, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium.] Iacebunt ergo cadauera illa per totam dimidiam hebdomadam, quę si spiritualis est, vt vult Rex, includit totam dimidiam partem temporis decurrentis inter primum, & secundum Christi aduentum.

Si autem hoc concedatur, & priorem sensum suorum verborum Rex eligat, nobis quæso declaret, qui fieri possit, vt per illam eamdem spiritualem hebdomadam duo illi testes testimonium suum daturi sint, quomodoуè prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, prout Ioannes ait, per quos dies etiam dimidiam spiritualem hebdomadam significari Rex docet. Maximè quia Ioannes dicit, testes illos esse occidendos postquam finierint suum testimonium dare, quod non potest intelligi de priori dimidia parte illius heb-

hebdomadæ spiritualis, idest, de sexcentis annis à primo aduentu Christi, in quo (vt Rex vult) scriptura vixit, nàm Ioannes apertè loquitur de eodem tempore, in quo Antichristus Ecclesiam persequetur; ergo in fine illius temporis occidentur testes, quomodò ergo postea per integram dimidiam hebdomadam eadem cadauera in platea iacebunt? Accedit, quod postquam occisi fuerint illi testes, non amplius ferent testimonium contra Antichristum, quia iam finierunt suum testimonium, & quia statim ac reuixerint, vocabuntur ad Cælum, & quia statim occidetur Antichristus. At verò ex sententia Regis duo testamenta postquam per spiritum Lutheri, vel similem reuixerunt, adhuc perseuerant, testimonium ferendo contra Antichristum, & inter homines versantur, & quem ipse vocat Antichristum, ipse adhuc viuit, & vsque ad finem seculi viuet. Nullo ergo modo subsistere potest accommodatio illa, vel potiùs fictio.

Præterea si vanis huiusmodi interpretationibus, aut accommodationibus vti liceret, quid esset facilius, quàm ostendere, metaphoras illas de duobus testamentis tamquam duobus testibus ab hostibus Christi interfectis, &c. multo verius accommodari huius temporis hæreticis, vel ipsimet Regi, quam Ecclesiæ Catholicæ. Tunc enim homo interficitur, quando spiritu, quo viuit, & loquitur, priuatur; ergo tunc maximè dici posset Scriptura interfici, quando spiritu illo, quo facta est, & interpretari debet, priuatur. Scripturæ enim veluti corpus est scripta litera, spiritus autem, & vita ius est illius sensus; tunc ergo verè interficitur, quando proprio vniuscuiusque spiritu humano, vel fortè diabolico declaratur, & ad testificandum inducitur. Constat autem à Rege, & Protestantibus non aliter Scripturam tractari, & exponi, vt in hac ipsa præsenti loci expositione Rex ostendit, & superius in statuenda regula suæ fidei testatus est. Ergo necesse est, vt apud huiusmodi homines Scriptura tamquam mortua iaceat, eiusque corpus tamquam cadauer in manibus eorum feratur. Quibus optimè etiam illud conuenit. Quod [inhabitantes terram, gaudent super illos, & iucundantur, quia (vt Rex addit) carnales suæ libidines non amplius comprimuntur, nec in ordinem rediguntur gladio verbi Dei, quia apud illos non est viuum, & efficax, sed mortuum, ac sine diuino spiritu.] Nam quocumque modo viuant, per solam fidem, quod illis peccata non imputantur, iustitiam, & gloriam sibi promittunt, & neque mandatorum obseruationem, neque pœnitentiam de peccatis secundùm Scripturas necessariam esse, prædicant. Denique dum isti iactitant, se solos intelligere Nouum, & Vetus Testamentum, certissimum est sine vita, & spiritu illa possidere, atque adeò tamquam mortua corpora apud eos iacere.

Ad hunc denique modum potest illa interpretatio metaphorica ex discursu fere totius dicti cap. 11. refutari, & confundi. Nam si illi duo testes non sunt veri homines, sed sunt tantum verbum Dei in duobus Testamentis scriptum, vel impossibile est, seriem totius capitis tenere, & consequenter interpretari, vel infinitæ metaphoræ voluntariè, & sine fundamento fingendæ sunt, quod sinceritati scripturæ, & conuenienti rationi eam explicandi repugnat. Nam si illi testes non sunt futuri veri homines, & Prophetæ, quid est, quod de illis dicitur: [Hi habent potestatem claudendi Cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum?] Quomodo enim Scripturæ hanc habent potestatem toto tempore prophetiæ ipsarum. Quod vè est tempus duorum Testamentorum, nisi vel totum tempus, quo durat Ecclesia, vel illud certe maximè, in quo ipsam Scripturam magis integram, incorruptam, & viuam conseruatam esse, Protestantes volunt? Item illud: [Potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percotere terram omni plaga quotiescumque voluerint,] quo probabili modo potest ad duo Testamenta, vel ad aliquid aliud præter duos homines accommodari? Idemque argumentum de reliqua parte capitis fieri potest, vt iam satis declaratum est; necessè est ergo, vt verba illa in sensu proprio de hominibus intelligantur. Quam sententiam quoad hanc partem, quod illi duo testes futuri sint veri homines, catholicam esse censemus, tum quia in Scriptura est satis expressa, nec potest ad metaphoricum sensum, nisi cum magna violentia detorqueri, tum etiam, quia Patres, & Expositores communiter ita verba illa intellexerunt, vt in capite sequenti videbimus.

Iam vero sequitur examinanda alia interpretatio, quam Rex frequentius recepram esse dicit, vtrique inter suos Protestantes. Qui vt prophetiam illam suis noui Euangelij prædicatoribus accommodent, metaphoram in binario illo numero ponunt, quos (ait Rex) duos testes appellari, quia pauci fuerunt, & in cilicijs, seu saccis apparuisse, [quia pœnitentiam prædicarunt,] occisos vero fuisse, quia multi crudeliter interfecti, & igne combusti sunt, resurrexisse autem in successoribus suis, quia non defuerunt, qui verbi Dei prædicatione illorum virtutem, & locum tenerent: miracula vero illorum fuisse, quia breui tempore virtute spiritus magnas nationes, & multas in veram, scilicet, fidei viam reduxerunt. Hæc ferè Rex ex suo spiritu proprio, non tamen ex certa scientia, sed (vt ipse ait) ex sua coniectura, quam neque in sanctis Patribus fundare potest, illos enim in Apocalypsis explicatione errasse confitetur, neque in ipsis Scripturæ verbis, cum pro libito ad metaphoras sibi deseruientes ea detorqueat, quæ satis quidem ad aliam expositionem contemnendam esse possent. Ad maiorem tamen erroris eius ostensionem, animaduerto: quædam in accommodatione illa inueniri falsa, alia prauè accommodata, & alia omissa, fortasse quia nullum locum, vel sensum commodum in illa metaphora recipere possunt.

Primum enim falsum est, hos Pseudoprophetas tam paucos fuisse, vt duorum nomine merito significari credantur. Nam sectæ Hæreticorum huius temporis tot sunt, vt vix possint numerari: & tot sunt capita, quot sententiæ; immò in vnaquaque plura capita, pluresque magistri inueniuntur. Eo vel maxime, quòd in illo duorum numero non tantum vult Rex primos vniuscuiusque hæresis inuen-

inuentores, sed etiam eorum successores, qui vsque ad hodiernum diem nouam fidem prædicant, comprehendi; isti autem plures profectò sunt, quam vt duorum nomine aptè significentur. Deinde euidentiùs falsum est, hos nouos prædicatores prædicando pœnitentiam apparuisse, cum constet, vnum ex præcipuis falsis articulis eorum esse, pœnitentiam non esse necessariam, sed nouam vitam, quam in sola, noua, & inaudita fide propriæ iustitiæ constituunt. Præter quam quod Prophetæ non dicuntur apparere vestiti saccis, quia pœnitentiam prædicant, sed quia vitam asperam, & pœnitentem profitentur, seu quia pœnitentiam agunt: isti autem noui Euangelij prædicatores, quam quæso vitę asperitatem profitentur, quam vè pœnitentiam egerunt? Certè neque ipse Rex id dicere est ausus, ne manifestum mendacium affirmaret. Non sunt ergo isti testes saccis amicti, quos Deus contra Antichristum missurus est.

Præterea, si per duos testes omnes isti prædicatores intelliguntur, cum Ioannes dicit, duos illos fuisse ab Antichristo interfectos, consequenter intelligendus est, affirmare, omnes illos prædicatores ab eadem bestia fuisse interfectos, nam eodem modo dicit, duos fuisse interfectos, sicut duos prædicasse. At hoc falsum est, pauci enim sunt ex his hæresiarchis, qui ab hominibus interfecti fuerint, vel per Ecclesiam digna mortis pœna puniri, sed plures eorum non sine prodigijs, & signis diuinæ iustitiæ mortui sunt; ergo vel interpretatio illa falsum supponit, vel metaphora non subsistit. Multo vero magis incongruum est; quod in suis successoribus resurrexisse dicantur, hæc enim non est resurrectio, sed noua prolis generatio, Ioannes autem loquitur de eorumdem, qui ceciderant, excitatione, & resurrectione. Ait enim: [Et post dies tres, & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos,] vtique in illos eosdem, qui interfecti iacebant. [Et steterunt super pedes suos.] Prętérea quod praui prædicatores imitatores, & successores habeant, nouum non est, ideòque neque admirationem, neque stuporem efficit, at ex illorum testium occisorum resurrectione, [timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.] Illa ergo resurrectio non est alterius personæ similis successio, sed eiusdem miraculosa, seu prodigiosa excitatio. Deinque additur, inimicos illorum prædicatorum vidisse illos ascendentes in cœlum, ad quod statim post resurrectionem suam vocati fuerant; quando autem in successoribus Lutheri, Caluini, aut Henrici VIII. aliquid simile vidit, vel audiuit Ecclesia? Est ergo friuola accommodatio.

Atque hinc denique conuincitur esse etiam insufficientem. Nam in primis explicare non possunt, cur isti sui Prophetæ prophetare dicantur mille ducentis sexaginta diebus, cum in Scriptura non soleat tempus tot numeris, & partibus definitum pro indefinito poni, nec ratio talis metaphoræ, aut exemplum simile afferri possit. Multoque minus explicare possunt, cur dicatur, quòd corpora istorum suorum Prophetarum iacebunt [in plateis ciuitatis magnæ, &c. vbi Dominus eorum crucifixus est.] Nam cum isti in hac parte fateantur, sermonem esse proprium de vera morte suorum Prophetarum, etiam hæc verba propriè intelligenda erunt de corporibus eorum mortuis, quomodo ergo illa iacebunt in plateis ciuitatis per tres dies, & dimidium, cum ferè omnia, quæ pœna mortis interiere, statim combusta fuerint. Deinde neque locum accommodare possunt, nam per ciuitatem magnam, in qua Dominus eorum crucifixus est, Romam intelligunt, vt infra videbimus; at neque Lutherus, neque Caluinus, vel eorum successores Romæ interfecti sunt. Idemque argumentum procedit, etiam si ciuitas illa, vt veritas habet, Hierusalem intelligatur, de nullo enim Protestantium legimus, ibi esse propter suum nouum Euangelium interfectum. Neque etiam possunt exponere, qui sine illi tres dies cum dimidio, nisi recurrendo ad spiritualem hebdomadam, quæ iuxta illorum sensum plus quam mille annos comprehendere potest. Præterea vbi est inuenta in his Pseudoprophetis, [Potestas claudendi Cœlum, ne pluat in diebus prophetiæ ipsorum, aut conuertendi aquam in sanguinem, vel percutiendi terram omni plaga, quotiescumque voluerint,] aut faciendi aliqua alia mirabilia opera, quæ per illa verba metaphoricè significata fuerint. Certe nullum miraculosum opus hos falsos Prophetas fecisse legimus. Et peruersio potius, quam conuersio prouinciarum, & regnorum, quæ per illorum falsam doctrinam facta est, nullum signum est virtutis verbi, aut spiritus ipsorum, cum homines non ad pœnitentiam, & præceptorum obseruantiam, aut vitæ perfectionem attraxerint, sed licentiam viuendi sine Ecclesiastica obedientia, immò sine iugo legis diuinæ, per solam fidem salutem promittendo, homines ad sensibilia procliues facile deceperint.

Vera ergo, & catholica sententia est, illos Prophetas à Ioanne prædictos futuros, esse duos tantùm homines, mortales, diuina virtute, ac prouidentia mittendos in mundum tempore aduentus Antichristi, cum gratia, & virtute Spiritus sancti ad prædicandum verum Christum Dominum nostrum, contra Antichristum, eiusque fidem veris, ac nouis miraculis confirmandam, per veros, ac præcisos mille ducentos sexaginta dies, id est, fere toto tempore persecutionis Antichristi, prout verbis Ioannis in proprietate intellectis asseritur, & supra cap. 3. explicatum est. Et habet conuenientissimam rationem diuinę prouidentiæ, ne in tempore tam acerbæ persecutionis videatur Deus Ecclesiam suam sine externo auxilio sufficiente, & proportionato relinquere. Congruum est enim, vt Deus hominibus per homines subueniat, quod in omnibus temporibus, & occasionibus obseruatum ab ipso videmus; ergo in illis etiam diebus simile auxilium per illos testes hominibus præstabit.

In fine verò illorum dierum occidentur verè, & propriè illi duo prophetæ ab Antichristo, vtique vel per se, vel per ministros eius, hoc enim Scriptura non declarat, & vtroque modo veritas verborum saluatur. Item post mortem verè iacebunt eorum corpora in plateis ciuitatis magnæ per tres dies integros, & partem alterius, per quam ciuitatem, mundum aliqui intelligunt, quatenùs pra-

prauis hominibus abundat, nam ibi dicitur ciuitas illa spiritualiter vocari Sodoma, & Ægyptus, quibus nominibus solet hic mundus in Scriptura vocari: sed meliùs intelligitur Hierusalem, nam additur ibi, [Vbi & Dominus eorum crucifixus est.] De quibus verbis plura inferius dicemus. Illis autem diebus mali, & Antichristi sectatores verè, ac propriè gaudebunt de morte illorum Prophetarum, & in eorum ignominiam non finent eorum cadauera sepeliri. Quod etiam consultò permittet Deus, vt mirabilior sit eorum resurrectio, quæ post tres dies, & dimidium verè, ac propriè continget. Iuxta verba illa. [Et post tres dies, & dimidium spiritus vitæ intrauit in eos,] quæ non possunt intelligi de glorificatione animarum illorum Prophetarum, vt aliqui hæretici finxerunt, tum quia glorificatio animarum illorum Martyrum non differetur per tres dies, neque per momentum, tum quia statim additur, [Et steterunt super pedes suos,] vbi euidenter est sermo de resurrectione corporum. Quæ pro illis duobus Prophetis non reseruabitur in tempus generalis resurrectionis, sed statim fiet, videntibus, & mirantibus alijs hominibus adhuc in vita mortali viuentibus, audientque vocem illam de cœlo illos vocantem, [Ascendite huc,] cui voci ipsi obedient, ascendendo in cœlos mirantibus eorum hostibus. Quorum magna pars statim, terræ motu magno corruente ciuitate, oppressa, & interfecta est, alij verò, qui permanserunt, terrore perterriti gloriam Deo dederunt, vt Ioannes concludit.

Neque oportet aliter hæc omnia confirmare, quàm ipso contextu, & verbis Scripturæ, nam in proprietate sua hoc significant, & nulla subest ratio, vel necessitas, imò nec commoditas ad metaphoricos sensus illa trahendi, proprio arbitrio, & solo affectu ad proprias opiniones illa accommodandi, vt reuera Rex Angliæ, & alij Protestantes faciunt. Accedit, quod omnes Patres, & interpretes verba illius prophetiæ propriè intelligunt: quamuis enim vel in personis illorum testium designandis, vel in aliquibus minutioribus circumstantijs differant, vt mox videbimus: in hoc vero dogmate, quod vaticinium illud propriè, & ad literam intelligendum sit, omnes conueniunt, vt in sequenti capite referemus. Solum hic refero Lactantium lib. 7. cap. 17. vbi tacito nomine, dicit, Prophetam magnum venturum tempore Antichristi, de quo locum Apocalypsis ad literam interpretatur. Non video tamen, cur in singulari de Propheta magno loquatur, & non de duobus Prophetis, sicut expressè Ioannes loquitur. Ita ergo intelligenda res est. Neque contra hunc proprium sensum illius contextus aliquid Rex affert, præter ea, quæ de Enoch, & Elia disputat, de quibus capite sequenti videbimus. Nunc enim planè dicimus, licèt illi duo testes non essent futuri Enoch, & Elias, non inde fieri, non esse futuros homines, verosque Prophetas, ac prædicatores, propriè interficiendos ab Antichristo, & à Christo resuscitandos. Posset enim Deus ex sanctis hominibus tunc viuentibus duos ad illud ministerium sua gratia vocare, eisque spiritum prophetiæ, & miraculorum impertiri, & in eis possent omnia, quæ ibi prædicuntur propriè, ac verissimè impleri. Hic ergo sensus, & veritas in hoc capite demonstrata per se potest subsistere, quidquid in quæstione alia de Enoch, & Elia sentiatur.

Vnde tandem concludo, locum hunc in hac proprietate, & generalitate explicatum sufficere ad demonstrandum, Antichristum nondum venisse, abstrahendo etiam ab speciali disputatione de Enoch, & Elia. Quia non solùm est euidens, non venisse Eliam, & Enoch, verum etiam nec aliquos duos Prophetas contra aliquem Christi hostem ita prædicantes, vt in eis impleta fuerint omnia, quæ ibi Ioannes de illis duobus testibus, ac Prophetis prædicit, hactenus apparuisse, vt est euidens, considerando cum proprietate, & veritate circumstantias omnes, quas notauimus. Nulli enim prædicatores hactenus fuerunt, qui per mille ducentos sexaginta dies prædicauerint, cum potestate faciendi mirabilia in cœlo, aquis, & terra, quique post illos dies fuerint publicè interfecti, eorumque corpora per tres dies cum dimidio iacuerint in plateis alicuius ciuitatis, & posteà publicè resurrexerint. Ergo stante illo proprio, & vero sensu, euidens est, illos duos testes nondum esse missos, ac proinde neque Antichristum venisse. Multò ergo euidentius est, non posse vaticinium hoc ad Papam accommodari.

CAP. XII.

Eliam, & Enoch esse testes illos, qui contra Antichristum mittendi sunt, ostenditur.

QVamquam, vt dixi, ad ostendendum quod intendimus, necessarium non sit scire, aut definire, quinam futuri sint illi duo singulares homines, quos Deus testes, ac prædicatores contra Antichristum daturus est: quia dummodò constet illos futuros esse veros homines, quicumque illi futuri sint, procedit demonstratio, vt ostendi: nihilominùs quoniam in hoc puncto vehementer inuehuntur Protestantes contra Patres, contra Catholicos, & contra perpetuam Ecclesiæ traditionem, & communem sensum, suoque arbitrio, & spiritu Scripturas eludunt, ideò quæstionem hanc prætermittere non potuimus. In qua ea solum addemus, quæ ad respondendum Regi, eiusque nouam sententiam confutandam necessaria videbuntur, nam cætera, quæ hic dici poterant, alio in loco à nobis tractata sunt. Contendit igitur Iacobus Rex, sententiam asserentem, Eliam, & Enoch venturos in fine mundi in sua carne mortali ad prædicandum contra Antichristum falsam esse, eamque pro consueta Protestantium licentia, ac libertate, [futilem, & anilem fabulam, imò vanitatem fabulæ Iudaicæ, otiosumque somnium appellat.] Sic enim Protestantes, quod rationibus, aut testimonijs confirmare non possunt, solent conuicijs, & exaggerationibus, rudibus, & indoctis suadere. Rex igitur nulla testimonia, nullasvè rationes adducit, quibus suam sententiam persuadet, sed illa tantùm testimo-

nia, quæ Bellarminus ad confirmandum vetus dogma adduxit, efficacia non esse conuincere conatur: idque ad suæ sententiæ confirmationem sufficere putauit, quia nostram, humanum captum superare, supponit, vt statim referam. Nos verò primùm omnium errores, in quibus ipse versatur, detegemus, & confutabimus, deinde Ecclesiasticam, & veram sententiam confirmabimus, postremò verò illius obiectionibus, vel potiùs euasionibus satisfaciemus.

Principio ergo statuimus, Eliam, & Enoch vsque nunc viuere, non vita cœlesti, & gloriosa, sed mortali, idest, in qua nec Deum facie ad faciem vident, nec immortalitatem, vel claritatem gloriæ in corporibus assequuti sunt. Priorem partem, quòd Elias, & Enoch viuant, vt certam Rex admittit, in cæteris verò contrarium dogma supponit, & fundamentum suę sententiæ ponit, cum dicit: [Qui possit hoc cum Theologia, vel ratione consistere, vt hæc duo glorificata corpora de paradiso, cœlovè descendant, prædicent, pugnent contra Antichristum, & interficiantur ab eo ?] Hoc autem fundamentum colligere in primis videtur ex Genes. 5. vbi de Enoch dicitur: [Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Vel ad se, ait, recepit.] Et ex 4. Regum 2. vbi Elias dicitur visus in cœlum ferri. Deinde hoc vtitur dilemmate. [Nunc oportet illos, aut in cœlo esse, aut in paradiso, si in cœlo (quod haud dubiè verum est) glorificata sint corpora eorum oportet, cum nihil corruptibile eo possit penetrare.] Apocalyp. 20. [Quod si sunt in terrestri paradiso, primum scire debemus, vbi sit ille paradisus, &c.] Et infrà subiungit, [Blasphemum esse credere, ex quo Adam ab illo paradiso eiectus est, aliquem ex Adami posteris illuc peruenisse.] Posteaque addit, terrestrem illum paradisum diluuio, si non, aute, deletum esse.

Veruntamen fundamentum illud non solum nouum, & inauditum est, sed etiam repugnat vniuersalibus loqutionibus Scripturæ, à quibus nihil licet excipere, sine authoritate, vel eiusdem Scripturæ, vel verbi Dei non scripti per traditionem Ecclesiæ, & Patrum manifestari, quod hic ostendi non potest, sed potiùs contrarium. Assumptum duobus modis ostenditur. Prior sumitur ex vniuersali regula Scripturarum, nullum hominem mortalem transferri ad immortalem, & beatam vitam, nisi intercedente morte corporali, & consequenter neminem consequi corporis gloriam, nisi media resurrectione, quę est ad vitam. Vtrumque docuit satis apertè Paulus 1. Corinth. 15. dicens. [Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et infrà. Insipiens, tu quod seminans, non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et infrà. Seminatur in corruptione, & resurget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, &c.] Et cætera, quibus apertissimè docet, hanc esse generalem regulam, à qua neque Christus excipi voluit, nam ipsum etiam mori oportuit, & ita intrare in gloriam suam, & ideò primogenitus mortuorum: & primitiæ resurgentium appellatur. Nemo ergo illum ad gloriam comitatur, nisi priùs mortem gustauerit. Vnde ad Hæbreos 9. ait idem Paulus. [Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium; sic & Christus semel oblatus est, &c.] Et ad Roman. 5. [Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.

At verò Elias, & Enoch hactenùs mortui non sunt, vt de Enoch docet Paulus ad Hebr. 11. dicens. [Fide Enoch translatus, ne videret mortem,] & de Elia colligitur ex quarto Regum 2. vbi narratur, viuum fuisse [in Cœlum translatum, cum sermocinaretur cum Eliseo.] Et ita de vtroque id fatetur Rex cum tanta exaggeratione, vt dicat, omnes Patres super hoc consentire, [vtrumque Enoch, atque Eliam adhuc viuere, quod, ait, nemo Christianus vmquam opinor, negauerit.] Et infrà explicando, quomodo viuant, inquit, [Deus enim viuentium est, non mortuorum Deus, quanto magis in viuis sunt Enoch, & Elias, qui numquam mortem more aliorum gustauerunt.] Ergo cum nondum gustauerint mortem, nondum in Cœlo domicilium, & perfectam beatitudinem animæ, & corporis possident, iuxta prædictam Scripturæ regulam.

Responderi verò potest, nullam esse tam generalem regulam, quæ exceptionem non patiatur, vel priuilegium admittat; itaque licèt dicta regula generalis sit, ex priuilegio potuerunt facilè Enoch, & Elias excipi. Neque hoc mirum videri debet, cum multorum Patrum sententia fuerit, illos homines, qui propè iudicium viui inuenientur, non esse morituros, sed immutandos, & rapiendos in gloriosum statum, si iusti fuerint; cur ergo non poterunt cum illis excipi Enoch, & Elias? Præsertim quia generalis lex est, vt homines præsentem vitæ cursum intra paucos annos absoluant, & certum sit, ab hac lege exemptos esse Enoch, & Eliam, qui per tot annorum millia mortui non sunt. Veruntamen licèt fateamur, non esse tam certum, in hac posteriori regula non esse admittendam exceptionem sicut in priori, nihilominùs vera sententia, & à Theologis recepta, & magis à Patribus probata, & Scripturis omninò consentanea est, etiam hanc regulam, nullam admittere exceptionem. Nam omnes omninò homines, etiam illi, qui in fine mundi erunt, priùs morientur, quàm Dominus ad iudicandum veniat, iuxta ordinem à D. Paulo positum in verbis proximè allegatis: [Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. De qua re alibi latiùs disputaui. Addimus verò, licèt illa exceptio de hominibus in fine mundi futuris ab errore, vel temeritate excusetur, quia ex Scriptura occasio illius sumpta est, & in Patribus habet aliquod fundamentum, nihilominùs exceptionem hanc de Elia, & Enoch excusari non posse à temeritate ex vi huius secundæ regulæ, propter nouitatem suam, & sine fundamento in Patribus; & quia valdè repugnat Scriptura, cùm præter citata loca Dauid Psalm. 88. cum magna ponderatione dicat, [Quis est homo, qui non videbit mortem?] Tamquam certum supponens, nullum esse, de quo id possit affir-

affirmari. Cùm ergo Enoch, & Elias nondum viderint mortem, profectò nondum sunt immortales effecti, iuxta hanc Scripturæ regulam.

Vt autem certiùs constet, sententiam illam non posse sine errore defendi, addamus alteram generalem Scripturæ regulam, videlicet, nullum hominem descendentem ex Adamo fuisse cœlestem gloriam, vel in sola anima, vel, quod grauius est, in corpore, & animo consequutum ante Christi Domini aduentum, & mortem. Hanc regulam nobis tradidit Paulus ad Hebræos 9. dicens: In secundum tabernaculum, seu sancta sanctorum solum Pontificem solitum fuisse cum sanguine ingredi, [Hoc significante Spiritu Sancto non esse propalatam Sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum.] Quem vtique habuit vsque ad punctum mortis Christi, quando velum templi scissum est, & ianua cœlestis regni fuit aperta. Vnde in Hymno [Te Deum laudamus] canit Ecclesia: [Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna Cœlorum. Et Innocent. III. in cap. Maiores, de Baptism. dixit. [Regnum Cœlorum vsque ad mortem Christi fuisse omnibus obseratum.

Dicetur forte, non fuisse quidem eo tempore ita propalatam viam, vt omnibus iustis esset peruia, neque ita ianuam apertam, vt omnibus esset obuia, nihilominùs vni, vel alteri, cui Deus voluit hoc beneficium conferre, extraordinariè patuisse. Sed contra, nam hæc est exceptio à regula data ab Spiritu Sancto, quam non licet ex proprio cerebro fingere. Deinde contra illam obstant verba Christi Ioannis 3. [Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, filius hominis, qui est in Cœlo.] Certè qui dicit Nemo, omnes præter se excludit, & exceptio illa firmat regulam in contrarium. Item Paulus ad Hebræos 11. cum inter Patres antiquos Enochum numerasset, subiungit. [Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid meliùs prouidente, vt non sine nobis consummarentur.] Ergo neque Enoch, neque Elias repromissionem acceperunt, neque consummati sunt, idest, nondum corporis, & animi beatitudinem acceperunt. Nam Enoch in proprio nomine, & persona induxerat Paulus, Eliam verò sub Prophetis sine dubio comprehenderat, & illum maximè designat, cum infra ait, [Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, nam de Elia legimus, quòd [incedebat zona pellicea accinctus renibus.] 4. Reg. 1. Et circumibat fugiens persecutionem Iezabelis, [egens, angustiatus, & afflictus, errans in montibus, & in spelunca latens.] 3. Reg. 19. Ergo sicut Enoch, & Elias comprehenduntur sub omnibus, qui fuerunt testimonio fidei probati, ita etiam sub his, qui non acceperunt repromissionem, nec consummati fuerunt.

Præterea idem Paulus sic ait, in cap. 10. eiusdem epistolæ: [Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quàm initiauit nobis viam bonam. Quam initiauit, inquit, idest, cui ipse initium dedit, seu per quam ipse primus omnium ingressus est, vel vt Theophylact. ait, [nouam viam fecit, per quam primus iuit.] Idem latiùs Theodoret. & eodem modo intellexerunt Chrysost. & Oecumen. Vnde si vel vnus homo ante ipsum Christum, viam illam perambulauit, & beatitudinis ianuam ingressus est, non initiauit Christus viam illam bonam. Et similia sunt verba capitis sexti, [Confugimus ad tenendam propositam spem, incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis intrauit Iesus.] Certè si priùs ingressi sunt Enoch, & Elias, illi potiùs intrarunt præcursores, quam Christus. Vnde quia nemo illuc ingredi poterat ante ipsum, sic loquutus est Dominus ad Apostolos Io. 14. [Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & recipiam vos ad me ipsum.] Quæ testimonia alio in loco latiùs expendi, & Patrum expositionibus confirmaui, & veritatem hanc fuse probaui, ac defendi, & ideò nunc à longiori confirmatione abstineo.

His Scripturæ documentis accedunt testimonia Patrum, qui vnanimi consensu docent, Enoch, & Eliam mortem non gustasse, sed adhuc viuere in corpore, & animo; nullus autem eorum dicit, eos viuere in corpore immortali, & glorioso, & multi vel indicant, vel apertè docent, in corporibus mortalibus adhuc viuere, quamuis diuina virtute conseruentur, & ab omni alteratione corruptiua vsque ad præfinitum tempus præseruentur. At inquit Rex Angliæ, Bellarminum ad suam sententiam confirmandam, quinque Patrum adduxisse testimonia, Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Hieronymum, & Augustinum, illos verò solum dicere, Enoch, & Eliam viuere, eorum autem corpora esse mortalia non affirmare. Imò addit contrarium tradere Irenæum, & Tertullianum. Ille enim dixit, [Enoch, & Eliam in Paradiso remansuros vsque ad consummationem conspicantes æternitatem.] Hic autem ait; [Enoch non gustasse mortem, vt æternitatis candidatum.] Sed oportet, diligentiùs expendere singulorum testimonia.

Irenæus quidem lib. 5. dicit, [Enoch, & Eliam, ibi manere conspicantes incorruptelam.] Sed vbi quæso, manere dicit? certè, [in paradiso, ait, vbi primus positus est homo,] idest, in paradiso terrestri, at ille non est locus corporum beatorum; ergo contradicit Irenæus Regi dicenti, [Enoch per multa retro tempora esse in Cœlo in corpore glorioso;] Quin potiùs subdit Irenæus [Ibi, in eodem scilicet paradiso terrestri, manere vsque ad consummationem,] idest, vsque ad finem mundi. Quomodò verò hoc intelligendum sit, ex eodem Irenæo accipimus lib. 4. cap. 30. vbi de Enoch ait, [Translatus est, & conseruatur vsque nunc. [Hæc enim verba non significant, certè translatum esse ad immortalitatem, sed modo extraordinario à Deo conseruari, vsque nunc, & vsque ad finem mundi, quem nomine, consummationis in alio loco significauit. Vnde quod ait: [Conspicantes incorruptelam,] non significat, iam induisse immortalitatem, seu incorruptibilitatem, sed actualem incorruptionem, quam illi in se experiuntur, & vident, idem enim est conspicantes, quod conspicientes, & intuentes suam incorruptionem. Per quam etiam

dici

dici possunt, quasi in signo, & participatione quadam conspicari immortalitatem, & spem illius dare, eo quod si Deus homines mortales ita conseruat, facilè credi potest, etiam posse mortuos ad vitam immortalem resuscitare, hoc enim ibi persuadere Irenæus intendebat.

Præterea Tertullian. libro contra Iudæ. cap. 2. sic de Enoch scribit. [Enoch iustissimum non circumcisum de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustauit, vt æternitatis candidatus,] vbi esse candidatum non significat iam esse in æternitate, sed esse illi propinquum, & ad illam aspirare, tamquam certum signum illius habens, hoc enim vox candidati in proprietate significat. Vnde idem Tertullian. lib. de Anim. cap. 50. [Translatus est (inquit) Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.] Impetrando nimirum à Deo suo martyrio, vt Antichristum interficiat spiritu oris sui. Quid est ergo quod Rex Angliæ dicit, Tertullianum plane negare, Enoch esse moriturum, cum tam expressis verbis hoc loco illud fateatur? Nec Tertullianus sibi est contrarius, quia vocauit Enoch [æternitatis candidatum,] quia (vt dixi) esse candidatum æternitatis, non est, esse translatum in æternitatem, sed esse aspirantem ad æternitatem. Vnde friuolum est Regis argumentum, cum inquit, [Iam male sibi firmatum habet ius æternitatis, si iterum moriturus est.] Nam potest habere firmum ius æternitatis suo tempore obtinendæ, licet sit moriturus, sicut habuit Christus dum in vita mortali vixit, & iusti in gratia confirmati dici possunt habere firmatum ius æternitatis, id est, ad æternitatem, licèt prius morituri sint. Sic ergo Enoch habere potest firmatum ius æternitatis, licet moriturus sit, quia sine dubio in gratia est confirmatus, & præordinatus, vt per martyrium transeat ad æternitatem, vt in hoc posteriori loco Tertullianus dixit. Et ita vtrumque coniunxit in lib. de Resurrect. carn. cap. 58. vbi de Enoch, & Elia dicit, [Nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, quia tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni iniuria, & contumelia, immunitatem carnis ediscunt.) Cuius sententiæ clarus sensus est, nondum ad eam perfectionem gloriæ corporum peruenerunt, quam post mortem, & resurrectionem obtinebunt, sed per translationem aliud genus immunitatis ab effectibus, & iniurijs mortalitatis consequuti sunt, ratione cuius dicuntur candidati æternitatis. Vnde subiungit, [Cuinam fidei testimonium signât, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis documenta?]

Circa Epiphanium non immoror, sed ingenuè fateor, vbicumque Enoch, aut Eliæ sermonem attigit, solum dicere, eos non esse mortuos, & adhuc viuere testimonium dantes æternitati, & corporum perpetuæ durationi futuræ: an vero postea venturi sint, vel morituri, non tractat neque alterutrum definit, vt videri potest contra hæres. 9. & contra hæres. 64. proxime post fragmentum ex Methodio, & in Anchorato versus finem.

Venio ad Hieronymum, cuius clarior est in hac re sententia, nam epist. 148. ad Marcellam tractans locum Pauli 1. ad Thessal. 4. de his, [qui rapientur obuiam Christo in aera, ait: vis nosse, vtrum sic occurrant in corporibus, vt non ante moriantur, cum, & Dominus noster mortuus sit, & Enoch, atque Elias secundum Apocalypsim Ioannis morituri esse dicantur, ne scilicèt, vllus sit, qui non gustauerit mortem.] Et epist. 61. ad Pammach. contra errores Ioann. Hieron, versus finem dicit. [Eliam, & Enoch nec dum mortuos, paradisique colonos, habere membra, cum quibus rapti sunt, atque translati, &c.] Et licet non declaret, quid de illis postea futurum sit, satis indicat, non esse translatos ad cœlestem gloriam, sed in Paradisum eisdem corporibus, & eiusdem qualitatis diuinitus conseruari. Quod inferius magis declarat, dicens: [Tanto tempore in eadem permanent ætate, qua rapti sunt, & habent dentes, & ventrem, & tamen cibis non indigent.

Denique etiam Augustinus diserte suam in hunc puncto sententiam aperuit, & veram fidei doctrinam tradidit lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. cap. 3. vbi cum dixisset, Adam in paradiso fuisse mortalem, licet non esset moriturus, si non peccasset, adiungit: [Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch, & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit.] Latius id tradit idem Augustinus lib. 9. Genes. ad litteram cap. 6. dicens. [Neq; arbitrandum est, Eliam vel sic esse iam sicut erunt sancti, quando peracto operis die, denarium accepturi sunt, vel sic quemadmodum sunt homines, qui nondum ex hac vita migrarunt, de qua tamen ille non morte sed translatione migrauit.] Et infra dicit idem sentiendum esse de Enoch, & de vtroque concludit: [Enoch, & Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum, vt soluant, creduntur etiam reddituri ad hanc vitam, & quod tandiù dilatum est, morituri. Et alia loca infra referemus, quæ profecto si Rex vidisset, non asseruisset, Hieronymum, & Augustinum negasse tantum Enoch, & Eliam esse mortuos, non tamen affirmasse esse morituros, vtrumque enim disertissimè affirmant, & ex generalibus regulis fidei confirmant.

His Patribus addi potest Ambr. nam lib. de Paradis. cap. 2. in primis dicit, Enoch mortem non vidisse, idemq; de Elia dicit in lib. 1. de Abel cap. 2. Tamen super. 1. ad Corinth. cap. 4. Exponens verba illa: [Puto, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, ait. Hoc ideò personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones, & pressuras vltra cæteros passus, sicut passuri sunt Enoch, & Elias, qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo, quos persecutionem pati, & occidi lectio

Apo-

Apocalypsis testatur. Idem fere dixerat 1. Thessal. 5. Quod siquis fortasse his testimonijs non acquiescat, quia non est certum, opus esse Ambrosij, in primis dicimus negari non posse, quin sit alicuius grauis, & satis antiqui expositoris. Deinde addimus opus indubitatum Ambrosij tractat. de Symbol. vbi cap. 23. dicit, [Resurrectionis testes sunt Elias, & Enoc, qui per tot annorum curricula, & vsque ad secundum Domini aduentum Christi in carne perpetuo manebunt.] Ac denique in lib. 4. de Fide cap. 1. expresse dicit, [Translatus erat Enoch, raptus Elias, sed non est seruus supra Dominum, nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Nam, & Moysem licet corpus eius non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria cœlesti legimus, nisi postea quam Dominus resurrectionis suæ pignore vincula soluit inferni, & piorum animas eleuauit. Traslatus ergo Enoch, raptus Elias, ambo famuli, ambo cum corpore, sed non cum resurrectione, non cum manubijs mortis, &c.] id est, non cum gloria resurgentium, neque cum dotibus gloriæ, quæ sunt quasi spolia mortis, & Crucis Christi.

Magnus item Gregor. lib. 9. Moral. cap. 3. aliàs 4. sic de Enoch, & Elia loquitur. [Hinc est quod duo illi prædicatione eximij dilata morte subtracti sunt, vt ad prædicationis vsum in fine reuocentur. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra. Quorum vnum in Euangelio per semetipsum veritas pollicetur, Elias venturus est, & restituet omnia.] Matth. 17. & libro decimo quarto capite vndecimo in fine, aliàs duodecimo in principio: [Illi (ait) qui in prioribus mundi partibus præcesserunt Enoch & Elias, ad medium reuocabuntur, & crudelitatis eius (id est Antichristi) sæuitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt,] vbi noto particulam, [Adhuc mortali carne viuere significat, & lib. 20. cap. 25. Et si ad cœlum raptus est Elias, mortem distulit, non euasit. Et Homilia 29. in Euangel. Eliam (ait) raptum esse in cœlum aereum, vt in secretam quandam regionem terræ duceretur, vbi in magna carnis, & spiritus quiete viueret, quovsque ad finem mundi redeat, & carnis debitum soluat. Ille enim mortem distulit, non euasit.] Denique Cyprianus in libro de Montibus Syna, & Sion contra Iudæos, non longe ab initio dicit, Enoch translatum esse viuum in locum, vbi Deus scit, & in fine viuum in locum, vbi Deus scit, & in fine mundi ex eo loco venturum esse ad confundendum Antichristum, vnde euidenter supponit, non esse in gloria, sed viuere potius in carne mortali.

CAP. XIII.

Ioannem per duos testes Enoch, & Eliam intellexisse, coniectura, & Patrum auctoritate ostenditur.

EX impugnatione igitur huius erroris ratio valde vrgens colligitur ad persuadendum, illos duos testes futuros esse Enoch, & Eliam etiam si ad id confirmandum, nullum aliud nobis suppeteret Scripturæ testimonium. Nam si Elias, & Enoch non viuunt in gloria, neque habent immortalia corpora, sed diuinitus conseruantur tot annis à morte, & à corruptione præseruati, cur quæso tam insigne miraculum, & extraordinarium prouidentiæ genus factum est, nisi quia illorum virorum via non dum consummata est, & in hac vita aliquod insigne opus illis agendum superest, propter quod è Deo reseruantur, & vt pro ipsius honore aliquid in corporibus mortalibus patiantur? Ergo quando alia testimonia deessent, magnum argumentum hinc sumitur, eos reseruari ad resistendum maximo Christi hosti Antichristo, & ad subueniendum Iudæis, & gentibus in summo periculo, & maximæ necessitatis tempore, & ad sustinendam pro Christo insignem mortem. Ergo quamuis Ioannes Euangelista eos non nominet, satis eos indicat, dum dicit: [Dabo duobus testibus meis, supple, spiritum, seu virtutem, & prophetabunt. In quo modo dicendi innuit illos testes non esse denuo creandos, seu producendos, sed iam existere, & tunc mittendos esse cum spiritu prophetiæ, &c. Merito ergo intelligimus, illos testes futuros esse Enoch, & Eliam.

Cui coniecturæ accedit communis Patrum traditio. Nam Tertullian. Cyprianus. Ambrof. Hieronymus, Augustinus, & Gregorius in locis allegatis expresse id tradunt. Itemque Gregorius Homil. 12. in Ezechiel. & Ambrosius Apocalysim exponens, Augustinus tract. 4. in Ioann. specialiter de Elia, & 20. de Ciuit. cap. 29. de eodem tractans, habet verba notanda dicens, Eliam venturum ante iudicium, & illum Iudæos in verum Christum crediruros, [Celeberrimum esse in cordibus, oribusque fidelium.] Idem de Elia tradit Iustinus Martyr Dialogo contra Tryphon. dicens Eliam in persona futurum præcursorem secundi Christi aduentus, sicut spiritualis Elias fuit præcursor primi aduentus. Idem Dorotheus in Synopsi de Elia (inquit) [Contra Antichristum Dux belli seruatur, qui se se illi opponet, & seductionem illius, ac superbiam redarguet, qui id à Deo accepit, vt secundi, & illustris Domini aduentus præcursor futurus sit.] Idem latè Elia docet Iulian. Pomer. libro primo de Iudæis ante medium, & Chrysostomus Homilia quarta in 2. Thessalon. [Veniet (inquit) Elias fideles confirmans,] & alia prosequitur, quæ capite sequen-

sequenti expendemus, D. Prosper. in Dimid. temporis cap. 13. de Enoch, & Elia exponit locum Apocalypsis. Optime Damascen. lib. 4. fidei cap. 27. [Mittentur (ait) Enoch, & Elias Thesbites, & Patrum corda in filios, hoc est, synagogam ad Dominum nostrum Iesum Christum, & prædicationem Apostolorum conuertent; ab eoque trucidabuntur.] Idem tradit Theodoretus Daniel. 12. & Malac. 4. Denique idem tradunt communiter expositores Apocalyps. 11. Præsertim Andreas Cæsarien. suo cap. 30. qui dicit, plerosque Doctorum per illos testes Eliam, & Enoch accepisse, quos ipse sequitur: & ait esse ex traditione præconum Christi in Ecclesia inuariabiliter receptа. Consentiunt denique Beda, & Anselmus, & Thomas Anglus, qui nomine Diui Thomæ solet circumferri. Pluresque alios Patres capite sequenti addemus.

Ad illos vero omnes vnico verbo satis à mente catholica alieno Rex Angliæ respondet dicens: [Quoniam in hunc de Patribus antiquis sermonem incidimus, finite, quæso, hac occasione obiter vos moneam mirum non esse si sæpius Patres hic errent, & minus recte multa Apocalypsis mysteria intelligant, propterea quod liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit; & licet mysterium iniquitatis iam tunc ageretur, ille tamen homo peccati nondum erat reuelatus. In omnibus enim obscuris prophetijs certissima est regula, nunquam eas satis intelligi posse vsque dum compleantur.] Et inferius verba subiungit acerbissima. [Tantum abest, vt huic fucili & anili fabulæ credam, vt contrà, istu tam erudito seculo, hoc qui credat (Deum testor) non modo pro magni nominis theologo, sed ne pro Christiano quidem habeam, quin potius scribis, & pharisæis accenseam, qui sic insaniebant, vt quamuis Christus contrarium docuisset semper tamen venturum esse Eliam somniarent. Veteribus autem Theologis, si qui in hac parte errauerint, æquior sum, propter rationem, quam supra memoraui.] Hæc sunt verba Regis, à quo iuste expostulare possumus, vt talium verborum pondus, rationem, constantiam, & veritatem expendamus.

In primis enim quod tot, & tam insignes Patres reprehendere audet, sponsioni prius ab ipso factæ parum est consentaneum. Deinde quamuis prophetia nondum impleta obscura esse soleat, quoad varias circumstantias, & quoad ea, quæ solum per ænigmata, & metaphoras prædicuntur, nihilominus in his, quæ ad substantiam prophetiæ spectant, & quæ per verba propria reuelantur, non solet ita esse obscura, quin saltem toti Ecclesiæ, & sapientibus Doctoribus eius nota sit. Quis enim diceret, prophetias de Christo venturo, antequam implerentur non fuisse à sapientibus populi Dei intellectas saltem quoad substantiam articuli de Messia venturo, & insigni Propheta futuro? Et quoad alias circumstantias expresse, & verbis proprijs prædictas, vt quod nasciturus esset in Betheleem ex Virgine, & similes? sic ergo in præsenti dicimus, esto liber Apocalypsis sit obsignatus, & obscurus quoad multa in eo reuelata, dum non implentur: nihilominus aliqua esse satis clare prædicta in proprijs verbis, in quibus exponendis communis Patrum consensus non errat. Alia verò licet sint obscura est consonantia, & collatione cum eum alijs prophetijs clarioribus illustrantur, & in his etiam exponendis non errant Patres, quando communi consensu eundem sensum, vt certum dogma Ecclesiasticum tradunt. Quando enim prophetia adeò est obscura, & vnica, vt dici possit consignata, etiam ipsi Patres non tradunt suas expositiones, vt certas, sed coniecturis vtuntur, & ideo in eis regulariter non concordant. In præsenti autem satis clara est prophetia Apocalipsis de duobus testibus saltem in genere, quod sint futuri homines, & Prophetæ, vt capite præcedenti ostensum est, ex alijs verò Scripturis, & omnium concordia concludunt Patres ferè vnanimi consensu, & magna asseueratione, & certitudine, illos testes futuros esse Enoch, & Eliam; ergo sine ingenti audacia (nequid grauius dicam) dici non potest, eos in hac parte errasse.

Præterea ratio, seu excusatio Regis errorem deteriorem supponit, dicit enim satuisse Patres intelligentiam illius prophetiæ, quia nondum erat impleta, quia Papa est Antichristus, & quia vel duo testamenta ab Ecclesia Romana corrupta, vel quia Lutherus, Caluinus, aut similes Apostatæ, sunt illi duo testes promissi. Quam suppositionem neque Rex probat, nec probare potest, quia neque vestigium, vmbram non veritatis habet, sed Protestantium calumniam, & imposturam, vt ex hactenus dictis euidenter constat, & in sequentibus magis illustrabitur, & confirmabitur.

Ad hæc, si Regi iam est liber ille reseratus, quomodo in coniecturis semper versatur, dum illum conatur exponere, totamque de Antichristo disputationem ita obscuram, & inuolutam esse tradit, vt neminem ad credendum cogat, imò & opinionem suam solùm coniecturam appellat? Profectò postquam de sensu prophetiæ ex euentu, & quia impleta iam est, constat, non est ampliùs ambiguum, vel coniecturale, quod per eam fuerat prædictum, nec sola opinione, sed certa fide credendum est. Quod si fortè dicat, se non certa fide credere, prophetiam illam Ioannis de Antichristo esse impletam, sed hoc ipsum solum coniectura quadam opinari, ac subinde totam expositionem suam esse tantùm coniecturalem. Profectò si ita respondeat, conuincitur in primis, immeritò affirmare, librum illum his temporibus iam esse reseratum, vel esse reuelatum hominem peccati, ac prophetiam de illo ita impletam, vt satis iam intelligi possit. Nam quod humana coniectura affirmatur, nec reuelatum est, nec satis intellectum. Vnde maiori certè ratione coniectare, imò & conspicere, ac dicere possumus, ertate Regem, dum putat, se intelligere huius libri mysteria, quæ Patres assequi non potuerunt, vt ipse ait.

Denique interrogo, cur pro Christiano non habeat, eum, qui prædictam de Enoch, & Elia sententiam credit? Nam si ipse in tota sua disputatione solis coniecturis ducitur, numquid Christianus nō est, quid coniecturis, & somnijs Protestantium seducentium Regem

gem Angliæ, non credit? Dicet, ideò non esse illum Christianum habendum, quia non credit Christo dicenti, Eliam iam venisse, & ideò eum Iudæis adhuc sperat venturum: hoc enim in verbis suis Rex significat. At profectò iam Christus suum de Elia testimonium dederat ab initio Ecclesiæ, & nihilominus Patres constanter sententiam illam de Enoch, & Elia docuerunt; ergo si consequenter loquatur, necesse est, vt omnes illos Patres pro Christianis non habeat,quia quamuis (vt vult) Apocalypsim non intelligerent, saltem verbis Christi fidem adhibere debuerunt. Quod si illis licuit sine amissione Christianitatis,Christi verba aliter, quàm Rex illa interpretatur, intelligere, cur etiam nobis non licebit, cum Patribus potiùs, quàm cum Rege de sensu verborum Christi sentire, eisque fidem adhibere? Concludimus ergo, non solùm salua Christianitate, verùm etiam secundùm sanam fidem hominis Christiani, & secundùm veram, & grauem Theologiam credendum, sperandumque esse, Eliam esse venturum: quod vt planiùs fiat, verba Christi, & Prophetarum in capite sequenti diligentiùs expendemus.

Priùs verò necesse est Regis fundamento satisfacere; quod supponit Enoch, & Eliam habere iam glorificata corpora, & ideò ingenuè fatetur, [captum suum superare, qui possit cum Theologia, vel ratione consistere, vt è cœlo descendant, prædicent, & pugnent, contra Antichristum: interficiantur ab eo, posteaquàm per multa annorum millia exempti fuerunt à maledictione mortis.] Confirmat hoc dilemmate supra facto, quia vel sunt in Cœlo, vel in Paradiso, & vtrumque impugnat. Denique addit, [cùm eorum corpora tamdiu fuerint à peccato libera non indigere maceratione, ac subinde non esse cur oporteat saccis apparere induta.] Sed in primis nostra parùm refert, quod sententiam Catholicam captum suum superare affirmet, id enim certè non tam ex mysterij altitudine, vel rei difficultate, quam vel ex præconcepto errore, vel ex Theologiæ defectu nascitur. Apprehendit enim corpora Eliæ, & Enoch, esse iam glorificata, & ideò non capit, quod sint iterum ad prædicandum, pugnandum, & moriendum ventura. Deponat igitur errorem illum, & facilè cætera capiet. Addo verò, etiam glorificata corpora posse Deum ad statum mortalitatis reuocare, & omnia prædicta eis agenda, vel patienda committere: sicut potuit Paulum vsque ad tertium Cœlum rapere, vel (vt graues Doctores affirmant) vsque ad visionem diuinæ essentiæ eleuare, & postea ad communem statum viatorum reducere. Verumtamen non est nunc nobis illud miraculum necessarium, quia certum nobis est,illa corpora non esse glorificata. Cur enim hoc Rex non credit? ex eo forte, [quod per multa annorũ millia exempti fuerunt Enoch, & Elias à maledictione mortis, cui per naturam omnes subiacent.] Sed hoc nullius momenti est, facile enim est Deo corpus mortale à morte præseruare quanto voluerit tempore sine dotibus gloriæ, sicut, Adamo non peccante, omnibus in statu innocentiæ datum esset. Quibus Augustinus locis supra citatis Enoch, & Eliam comparat, rectè distinguens inter corpus immortale, quod non potest mori, & corpus mortale, quod licet mori possit, per specialem Dei prouidentiam, aut operationem diù non moritur. De Enoch autem, & Elia numquam Scriptura dixit, non posse mori,sed hactenus non esse mortuos; cur ergo Rex non capit fieri posse, & futurum esse, vt aliquando inter homines redeant, & moriantur?

Cùm autem interrogat, vbinam sint, respondemus primo cum Patribus, quæstionem esse curiosam magis, quàm necessariam ad cætera Fidei, vel Theologiæ dogmata capienda, & defendenda. Vbi enim Deus voluit, illa potuit conseruare, & vbicumque sint, inde poterit illa huic inferiori Mundo restituere. Sic Augustinus lib. 2. de Peccat. origin. cap. 23. inter quæstiones, quæ salua fide tractantur, & in quibus vel coniectura vtimur, vel Iudicium propter ignorationem suspendimus, ponit hanc. [Vbi sint nunc Elias, & Enoch, quos tamen, ait, non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus viuere,] Chrysost. etiam homil. 21. in Genes. de Enoch, ait, [si quis curiosè interroget, & dicat, quo ipsum transtulit; discat, non conuenire humanis mentibus, curiosiùs ea, quæ à Deo fiunt, explorare, &c.] Et similia habet homilia 22. ad Hebræos in fine literæ. Deinde dicimus fortasse translatos esse in aliquem cœlestem locum, vbi ab elementorum immutationibus, & impressionibus immunes sint, etiam si vsque ad Empyrium Cœlum, quod glorificatorum corporum propria Sedes censetur, non sint perducti. Verba enim Scripturæ ab hoc dicendi modo non dissonant, neque res ipsa magnam difficultatem, vel admirationem habet. Quod enim Rex quasi irridendo,& tamquam absurdum infert, quod futuri sint, [viridariorum more vltro, citroque Cœlum inter, & terram cursitantes] friuolum est, & risu dignum. Nam si Angeli quotidiè ascendunt, & descendunt in Cœlum propter salutem hominum, si Christus ipse postquam semel ascendit, iterum descensurus est ad iudicandum, & rursùs ascensurus ad regnandum, quid mirum, quod duo homines electi à Deo ad extraordinarium opus, & ministerium, translati semel fuerint, & iterum reuertantur ad suum cursum, ac ministerium implendum, ac tandem in Cœlum redeant consummati.

Denique probabilius censemus, esse in Paradiso terrestri, in quo Adam fuit conditus, vt dixit Athanas. in epistola pro Synodo Nycæna circa principium, & de Enoch significatur in libro Sapientiæ, vt in capite sequenti videbimus, vbi hoc etiam magis confirmabimus. Nec repugnat, quod de Elia scriptum est, visum esse in Cœlum ferri, nam, vt rectè dixit Gregor. homil. 29. in Euangel. de Cœlo aereo, non de æthereo id intelligendum est. Quod autem Rex dicit, [blasphemum esse credere, ex quo Adam ab illo Paradiso eiectus est, aliquem ex Adami posteris illuc peruenisse,] si intelligeretur de eo, qui diceret, aliquem propria virtute, industria, aut labore posse illuc pertingere, aut ingredi, rectè dictum esset. Si autem intelligatur de illo, qui diuinæ virtuti, ac dono, seu dispensationi hoc tribuit, non solùm sine fundamento dictum est, verùm etiam cum illa censura,

non dissimili censura dignum est, quia est contra sanctorum Patrum sententiam, cui sacra Scriptura multum fauet, vt statim dicam. Quod autem ad hoc impugnandum vlteriùs Rex interrogat, vbi sit ille Paradisus? ad quæstiones adiaphoras pertinet, vt supra etiam dixit Augustinus, & quidquid in ea sentiatur, parùm ad causam præsentem refert.

Denique quod adiungit, Paradisum terrestrem haud dubiè deletum esse, si exaggerationem illam, haud dubiè abstulisset, tolerabile esset, quia non desunt graues auctores, qui ita sentiunt, & quia non est illa sententia damnabilia, cùm non sit apertè contra Scripturas, vel communem traditionem, aut Ecclesiæ sensum. Quod autem haud dubiè ita sit, sine fundamento dicitur, quia nullum potest Rex ostendere Scripturæ locum, quo dubitationem omnem illius assertionis auferat. Quin potiùs longè probabilius est, Paradisum non esse deletum per aquam diluuij, sed vsque nunc in sua amænitate, & pulchritudine conseruari, ibique Eliam, & Enoch in quadam vitæ felicitate viuere, vt eam rectè describit Bernard. serm. 3. & 6. de Ascensione Domini. Et August. dicto cap. 13. de Peccat. origin. dixit, curiosè quidem inquiri; [Qualis, vel vbi sit Paradisus, vbi Deus constituit hominem, quem formauit ex puluere. Cùm tamen esse illum Paradisum, fides Christiana non dubitet.] Vbi non tantùm dicit fuisse, sed esse. Veruntamen de hac quæstione, alibi pro captu meo disputaui, & ideò illam omitto, & quia præsens controuersia ab illa non pendet. Nam licèt Paradisus ille fuisset per diluuium deletus, potuisset Deus vel alibi locum statui illorum duorum Prophetarum conuenientem præparare, vel illummet locum, aut partem eius ad pristinum statum, vel saltem ad amœnitatem illis hominibus conuenientem restituere. Ac denique quamuis ibi nunc illi testes feliciter, & sine peccato viuant, venient nihilominùs saccis vestiti, non vt pro præteritis peccatis satisfaciant, neque fortasse quia illa maceratione carnis ad alia vitanda indigebunt, sed propter exemplum hominum tunc viuentium, vt luctum, & mœstitiam (vt Athanasius inquit) ostendant.

CAP. XIV.

Vtrùm ex alijs Scripturæ locis ostendi possit, Eliam, & Enoch futuros esse secundi Christi aduentus præcursores, & testes contra Antichristum.

Rex Iacobus in sua Præfatione fidenter affirmat, [Verbum nullum in Scripturis reperiri, quod innuat, vel Enochum, & Eliam redituros esse, & cum Antichristo dimicaturos, in eoque conflictu occidendos, aut quidquam simile passuros.] Vt autem hoc ostendat, discurrit per ea Scripturæ loca, quibus non solum Bellarminus, quem ipse tantùm accusat, sed etiam antiquissimi Patres, & Catholici omnes solent dogma illud confirmare; & omnibus respondere aggreditur, imò & mala fide agere, qui dicta loca illo modo interpretantur, conatur euincere. Nos verò Catholicorum sententiam sequentes asserimus, multa esse in Scriptura testimonia, quibus verum illud dogma ita confirmatur, vt licèt per se certam fidem diuinam non faciant, nihilominùs ita prædictam veritatem comprobant, vt sine formidine prudenter credi possit, præsertim accedente consensu antiquorum Patrum, & omnium ferè Expositorum interpretatione. Et quoniam de loco Apocalypsis satis iam diximus, nunc per cætera discurremus. Et quia illa, quæ de Elia loquuntur, clariora sunt, priùs de Elia, postea de Enocho dicemus.

Dicimus ergo primo, Eliam venturum esse, vt sit præcursor secundi Christi aduentus, & vt reliquias Israel ad Christum conuertat, & ab Antichristo, auertat, & sic contra Antichristum pugnet. Hæc assertio in primis probatur ex verbis Malachiæ cap. 4. [Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.] Quæ verba de vero Elia in persona, & de missione illius ante diem Iudicij finalis, & propè illum ferè communi consensu antiqui Patres intellexerunt, Chrysost. homil. 58. in Matth. & 4. in 2. ad Thessal. Theod. orat. 10. in Dan. in fine circa cap. 12. Ambros. 1. Corinth. 4. in id, [Puto enim quod Deus, &c.] Augustin. 20. de Ciuit. cap. 29. Greg. 9. Moral. cap. 4. Prosper in Dimid. temporis cap. 13. Damascen. lib. 4. de Fide cap. 28. Isidor. lib. de Vita, & morib. Sanctor. cap. 35. & Iulian. Pomer. lib. 1. contra Iudæos ante med. Item Expositores in eumdem locum, præsertim Cyrillus; Theodoret. & in loca Matth. 11. & 17. præsertim Hieronymus, Euthym. Theophyl. Anselm. & Diuus Thomas, & in Apocalyps. 11. præsertim Aretas dicens: [Et certè quod Elias venturus sit, manifestum est, quoniam Scriptura hoc prædixit, quæ per Malachiam vaticinatur: Ecce ego mittam vobis Eliam.]

His verò non obstantibus Rex Angliæ interpretationem hanc non solùm iudicat esse falsam, sed etiam Iudaicam fabulam, ac subinde hæresim, quam qui credit, Christianum esse non putat, quia verbis Christi contradicit. Ait ergo, Malachiam non loqui de Elia in persona, sed in spiritu, nec de secundo Christi aduentu, sed de primo, cuius diem, [magnum, & horribilem,] vocat propter diem passionis, & mortis Domini, ac proinde prophetiam illam in Ioanne Baptista fuisse completam. Quod totum probat testimonio Christi Matth. 11. vbi cum multa de Ioanne dixisset, adiungit: [Omnes Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, & si vultis recipere ipse est Elias, qui venturus est.] Quid clariùs? Et addit cap. 17. cùm Discipuli ipsum interrogassent: [Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire.] Respondens ait, [Elias quidem venturus est, & restituet omnia: dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum.] Et subdit Euangelista, [Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.] Et similia ferè habet Marc. cap. vlt. quæ po-

stea

ftea ponderabimus. Et pro hac sua sententia solum quemdam Bibliandrum hæreticum allegat. Posset verò Hieronymum etiam adducere, qui non solùm Ioannem Baptistam, sed omnem chorum Prophetarum Christo testimonium perhibentium nomine Eliæ ibi significari intelligit, & addit, Christum in Euangelio in Elia Ioannem intellexisse, & Rupertus ibi dubius esse videtur de sensu Malachiæ, quamuis simul dicat, plures Doctores, [quibus omnes, ait, ferè consentimus,] credere Eliam ad literam esse venturum, & omnia restituturum.

Sed aduerto, aliud esse loqui de primario sensu literali, & maximè proprio Malachiæ, aliud de sensu, vel secundario, vel mystico, & spirituali. Dico ergo, negari non posse, quin Propheta ad literam, & in sensu maximè proprio, & nomini consentaneo loquatur de secundo Christi aduentu,& de propria persona Eliæ. Probatur primo, quia à principio capitis apertè loquitur Malachias de die Iudicij, de illa enim ait: [Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipulæ, & inflammabit eos dies veniens,&c.] Quæ verba manifestè indicant,sermonem esse de die iræ, & vindictæ diuinæ, ante quam præcedet ignis omnia comburens, quæ proprissime conueniunt in diem Iudicij,in diem autem, vel tempus primi aduentus Christi nullo modo. Et in toto contextu sequenti idem sensus comprobatur. Et ita in toto contextu sequenti idem sensus comprobatur. Et ita in hoc nec Hebræi, nec Catholici Expositores, vel Patres discordant. Ergo cùm postea dicit, [Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis,] de eodem die Iudicij loquitur, qui erit [magnus iustis, & horribilis peccatoribus] vt ait Hieron. nam & contextus, & literæ consecutio hoc postulat, & proprietas verborum id satis indicat: & consonant verba. Ioel. 2. Nam sicut dixit Malachias, [Mittam Eliam antequam veniet dies magnus,& horribilis.] Ita Ioel postquam latè depinxisset præcedentia ad diem Iudicij, dicens, [Ante faciem eius ignis volans, Sol, & Luna obtenebrati sunt, Dominus dedit vocem suam,] & similia, concludit: [Magnus enim dies Domini, & terribilis valde;] ergo dies illa magna, & horribilis in vtroque loco est dies Iudicij. Quam etiam magnam appellat Sophon.cap.1.& horribilitatem eius egregiè describit, dicens: [Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, &c.] Similiter eumdem diem vocat magnum, & iræ Ioannes Apocalypf. 6. Non ergo accommodantur rectè verba Malachiæ diei passionis Christi, nec inuenietur antiquus Expositor, vel Sanctus, qui ita intellexerit. Et specialiter notauit Chrysost. hom.58. in Matth. ponderans vltima verba Malachiæ: [Ne forte veniens percutiam terram anathemate;] quæ non primo aduentui Christi, sed secundo rectè accommodantur.

Secundo hinc fit, ibi etiam Malachiam propriè, & ad literam loqui de Elia, & prædicere, illũ esse futurum secundi aduentus Christi præcursorem. Quod magis confirmant septuaginta interpretes: [Ecce ego mittam Eliam Thesbitem,] vt habetur in versione Hieronymi, & in Latina nuper correcta, & legunt Cyrill.& Theod. in Micheam, & Tert. lib. de Anima cap 35. Aug. Euth. Arethas supra; & Chryf. homil.38. & 58. in Matth. Qui notat, additam nomini Eliæ fuisse circumstantiam patriæ, vt tolleretur ambiguitas, & notaretur, sermonem esse de propria persona Eliæ.

Tertio idem comprobatur ex verbis Ecclesiast. 48. vbi à principio capitis de Elia Propheta loquitur Sapiens, eiusque insignem sanctitatem, magna prodigia, & signa mirabilia, singularemque translationem describit, & postea subiungit: [Qui scriptus es in iudicijs temporum, lenire iram Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere Tribus Iacob.] Vbi quæso, scriptus est in hunc modum Elias, nisi apud Malachiam? ergo de eodem Elia Malachias loquitur,de quo Sapiens, ac subinde de propria persona Eliæ. Ad quæ verba respondet Rex Angliæ, cum confiter Ecclesiasticum alludere ad verba Malachiæ, Christum interpretando Malachiam, etiam Iesum Sidrach exposuisse: Neque dedecori est, ait, huic mortali Iesu explicari ab immortali, veroque Iesu, licet ad pudorem, & confusionem hæreseos Iesuitarum.] Similiaque conuicia liberè proferunt Protestantes, quando nec probabilia, nec verisimilia facere possunt, quæ dicunt. Quis enim legens caput illud Ecclesiastici sibi persuadeat, non loqui à principio de vero Elia. Sumpserat enim ille Iesus onus laudandi viros gloriosos parentes suos,vt dixerat capite 44. & incipient ab Enoch.per Noe,Abraham,Isac, Iacob, & cæteros Prophetas, peruenit ad Salomonem in fine cap. 47. & postea incipit in 48.[Et surrexerit Elias Prophera,quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, qui induxit in illos famem, &c. Et deiecit de cœlo ignem ter,] & alia quæ historicè aperte refere vsque ad illum: [Elias quidem in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus eius.] Et postea de Eliseo sermonem prosequitur. In medio autem illius enarrationis de Elia interponit illa verba, Qui scriptus es in iudicijs, &c. [Qui ergo verisimile est, relatiuum, qui non referre personam propriam illius Eliæ, de quo in antecedentibus, & sequentibus sermo texebatur? aut quis talem interpretationem Christo imponat? Præsertim cum eodem loquutionis genere illi dicatur: [Qui sustulisti mortuum ab inferis, qui deiecisti Reges, qui audis in Sina iudicium, qui vngis Reges, qui receptus es in turbine ignis & statim, Qui scriptus es.]

Suspicor sane, sub verbo Explicandi intellexisse Regem verbum emendandi, vel corrigendi, & ideo dixisse, non fuisse dedecori Iesu mortali, sentiens Iesu immortalem non rectè intellexisse verba, Malachiæ, & ideo aliter, quam ipse senserit, explicatum esse à Iesu immortali. Cum enim Rex sentiat, illum librum non esse canonicum,facile in illo admitter aliquid, quod emendari potuerit. Sed licèt hoc non esset dedecori homini mortali à se loquenti, fuisset tamen dedecori Spiritui Sancto, qui per illum loquebatur: vt vera fides docet,illum librum vt canonicum nobis proponens. Talis ergo interpretatio Re-

gia non potest Iesuitis esse pudori, Rex videat, an ipsi sit honori, Neque per illam aliqua hæresis confutatur, quæ per Dei gratiam hactenus in Iesuitis cum veritate notari poruerit, sed potius interpretatio illa hæresim inuoluere conuincitur, quia vel male sentit de libro Ecclesiastici, vel certè non interpretationem, sed corruptionē verborum eius Christo attribuit.

Quarto Malachiam de persona Eliæ fuisse loquutum, probamus ex ipsisChristi verbis Matth. 17. vbi interrogantibus discipulis, quid esset, quod Scribæ dicebant, oportere, Eliam venire primum, id est, ante aduentum Messiæ, respondit Christus dando primum; [Elias quidem venturus est, & restituet omnia.] Deinde vero addit secundum, scilicet; [Dico autem vobis quia Elias iam venit, & non cognouerunt, sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt, sic & filius hominis passurus est ab eis.] Ex quo contextu in primis colligo, Christum de duplici Elia esse loquutum, nam de vno ait esse venturum, de alio verò dicit iam venisse; de primo item dicit, quod restituet omnia, de altero vero non hoc dicit, sed potius esse male tractatum, & quasi contemptum à Iudæis, quia illi non crediderunt, sed [fecerunt in eum quæcumque voluerunt.] Denique tacitè indicat duplicem suum aduentum, vnum, in quo passurus fuit à Iudæis ante quem venit spiritualis Elias, de quo proximo loco sermonem fecerat: alium in quo non ad patiendum, sed ad complendum omnia veniet, ante quem venturus est proprius Elias, de quo propterea prædixit, quod restituet omnia.] Iuxta quem sensum summa, seu paraphrasis responsionis Christi est: Verum, quidem est, Eliam verum, & proprium esse venturum, non tamen modo, sed eo tempore; quo restituenda sunt, & complenda omnia: Dico autem vobis, esse alium spiritualem Eliam, qui iam venit tanquam præcursor istius mei aduentus, in quo veni ad patiendum pro hominibus, à quibus ipse etiam male, & infideliter tractatus est.

Hunc autem esse verum, & litteralem sensum verborum Christi, ostendo primo, quia est simplicissimus, & valde consentaneus verborum contextui, & proprietati, quæ seruāda est, nisi vbi clara fuerit metaphora, & ita hic sit. Nam in priori sententia, & nomen Eliæ, & futurum verbum veniet, propriè intelligitur, idemque de verbo restituendi omnia, statim explicabimus. In altera vero parte nomen Eliæ spiritualiter exponitur, quia Christus ipse tam aperte illud declarauit vt discipuli sensum intellexerint, alia vero verba omnia in sua proprietate retinentur, Accedit, quod in prioribus verbis aperte Christus annuit sententiæ scribarum, quæ in illo populo erat vulgaris, & receptissima, & tanquam veram illam approbat, nimirum, Eliam Propheram esse venturum, Neque vnquam significauit, deceptos fuisse, qui de vero Propheta Elia prophetiam illam intelligebant. Postea vero quasi addens mysteriū nouum non destruens prophetiæ litteram, & veritatem, sed illā eleuans ad spiritualem sensum, addit; [Dico autem vobis, iam venit, & non cognouerunt eum.] Cum ergo hoc sit planus sensus, sine causa laborat Rex Angliæ vt illum euertat, dicendo, Christum in priori parte vsum esse verbo futuro venier, non affirmando, sed referendo quod Prohera dixerat, & postea addidisse preteritū, venit, vt explicaret propetiam, & doceret, iam esse impletam, Sed profectò magna vim facit illis verbis, [At ille respondens ait, Elias quidem venturus est,] nam hæc non sunt verba referentis, sed affirmantis, & consentientis. Nec discipuli dubitabant, an Propheta id dixisset, sed an futurum esset, ipse autem respondit, ita quidem futurum esse: & nihilominus addit, alio spirituali modo Eliam iam venisse. Sicut enim Paulus, 2. ad Thessalon, 2. de Antichristo dixit, mysterium iam operatur iniquitatis, & de eodem subdit, & tunc reuelabitur. Ita intelligere possumus, dixisse Christum, Eliam in mysterio iam venisse, in persona vero adhuc esse venturum, Et hoc magis declarauit Marcus cap, 9. vbi prius refert, dixisse Christum [Elias cum venerit primò restituet omnia.] Et infra subiungit, [Sed dico vobis, quod & Elias venit,] vbi priora verba clarissimè affirmando dicta sunt, & non referendo, & in posterioribus particula, &, vnius Eliæ ab alio, & duplicis etiam aduentus distinctionem denotat.

Secundo confirmatur dicta expositio, quia optime cōcordat cum alijs Scripturæ locis, in quibus de proprio Elia venturo, & de spirituali Elia, qui iam venit, sermo est, Nam vbi est sermo de illo proprio venturo, de illo dicitur, vel quod conuertet homines ad Deum, vel quod placabit iram Dei,] & & sic etiam illi tribuit Christus, quod restitùet omnia, quo verbo, quæ alijs verbis Malachias, & Ecclesiasticus dixerunt, complexus est. Nec possunt illa verba Ioanni Baptistæ rectè accommodari, cùm sua prædicatione parum Iudæis profecerit. Quod enim Caluinistæ respondent, restituisse omnia, quia prædicauit Christum, qui omnia restituit, friuolum, & valde extortum est. Tum quia verbū restituet omnia, significat efficaciam, & effectum prædicationis ipsiusmet Eliæ futurum eodem tempore, & per ipsum, vt apertè constat ex proprietate verborum. Tum etiam quia aliàs quilibet Christi prædicator diceretur restituere omnia, etiam si prædicatione sua nihil proficiat: quod ridiculum est. Tum denique, quia cum Malchias dicit de Elia, [Et conuertet corda Patrum ad filios, non potest exponi, id est, prædicabit eum, qui conuertet: imò nec rectè exponemus dicendo, ita prædicabit, vt ad conuertendum sufficiat, sed sensus planus est, conuertet efficaciter, seu ita prædicabit, vt conuertat: hæc enim est vis verbi, & hoc declarant verba Dei per eundem prophætam subiuncta. [Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.] Ita ergo dixit Christus, restituet omnia quia cum Iudæi priori Eliæ non crediderint, & à Christo discesserint in eius primo aduentu, per alterum Eliam Christo restituentur, iuxta illud Isai. 10. & Pauli ad Roma. 9. [Si fuerit numerus Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient.] Altera vero pars de spirituali Elia consonat verbis eiusdem Christi Matth. 11. [Si vultis recipere, ipse est Elias, id est, ipse vobiscum exercebit Eliæ mini-

minifterium, quod erit conuertere homines, præfertim Iudæos ad Chriftũ. Quia vero fine confenfu illorum perfici non poterat,ideo dixit,fi vultis,vt Chryfofto. & Theophylaƈ. notarunt. Et Hieronymus [Hoc, inquit, quod diƈum eft fi vultis recipere ipfe eft Elias, myfticum effe, & indigere intelligentia,fequens fermo Domini demonftrat, dicens: Qui habet aures audiendi audiat,] id eft, qui valet intelligere, attendat, & altiorem fenfum verborum percipiat. Nam ficut Angelus de Ioanne prædixerat. Lucæ. 1. venturum efse [in fpiritu,& virtute Eliæ,] ita in præfenti dicitur efse Elias.

Tertiò ipfa metaphora, qua nomen Eliæ Ioanni attributum eft, indicat, de propria perfona illius Prophetæ, cui nomen illud priùs impofitum eft, prædiƈum fuiffe, mittendum fore præcurforem alicuius aduentus Chrifti, & prædicaturum Iudæis, vt conuertantur ad Chriftum, nam quia in hoc munere Ioannes affimilatus eft verò Eliæ, ideò ipfe Elias nominatus eft, tanquam venturus in fpiritu, & virtute Eliæ. Sicut declarauit idem Lucas cap. 1. addendo, [vt conuertant corda Patrum in filios,] alludens ad locum Malachiæ, vt ex verbis ipfis conftat, & notauit præter expofitores ibi, Auguft. traƈ.4. in Ioannem, dicens, Ioannem diƈum effe in fpiritu Eliam, quia hoc fuit in primo aduentu, quod Elias erit in fecundo. Idem Gregor. homil. 7. in Euang. Ipfa ergo metaphora Eliæ Ioanni attributa, indicat, priorem prophetiam ad literam effe prædiƈam de proprio Elia. Quod ita etiam confirmatur, nam cum Angelus ait Veniet in fpiritu, & virtute Eliæ, apertè diftinguit Eliam à Ioanne: ergo fupponit proprium Eliam [venturum in fpiritu, & virtute, vt conuertat corda Patrum in filios &c.] ac fubinde fupponit, de illo Elia diftinƈo à Ioane priùs fuiffe fimilia verba prædiƈa. Quocirca licet daremus, verba Malachiæ interdum afferri de Ioanne Baptifta, quafi in eis fuerit prædiƈus, intelligendum id effet in fenfu fpirituali, fortaffe etiam à Spiritu Sanƈo intento, non tamen eft excludendus propriùs literalis fenfus, qui multis alijs modis euidenter comprobatur. Sicut quando Ioannes de Chrifto adducit verba illa. [Os non comminuetis ex eo,] non excluditur propriùs literalis fenfus, quo fignificatur, in typo id ad literam effe, vt obferuauit Auguft. traƈ. 120. in Ioannem, & Chryfoft. homil. 84. Ita ergo licet verba Malachiæ Ioanni in fpirituali fenfu accommodentur, ad literam feruanda eft proprietas. Nam de Ioanne ad literam prædiƈum fuerat per eundem Malachiam cap. 3 [Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.] Quæ verba prius retulit Chriftus Matt. 3. tamquam propriè de illo diƈa, vnde præmittit: [Hic eft enim, de quo fcriptum eft &c.] poftea verò longe aliter inducit locum Malachiæ, vel potiùs ad illum alludit per attributionem, vel in fpirituali fenfu ad Ioannem verba accommodat.

Vltimo auƈoritate Patrum hæc expofitio verborum Domini comprobatur, Hieronymus enim Matt. 11. dicit Ioannem myfticè vocatum effe Eliam propter fimilitudinem & addit, quod ficut Elias futurus eft præcurfor fecundi aduentus Chrifti iuxta Malachiā, ita Ioannes fuit præcurfor primi. Quamuis enim ibi folum hanc referat, vt aliorum fententiam, vltimo tamen loco eam ponit, & tacitè approbat, Matthæi verò 17. fupponit vt veram traditionem Hæbræorum de vero Elia venturo præcurfore fecundi aduentus, & poftea fic exponit verba Chrifti [Ipfe, qui venturus eft in fecundo Saluatoris aduentu iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in veritate, & fpiritu,] Et Auguft. lib. 83 Quæftio q. 58. [In fecundo (ait) aduentu in claritate Dominus venturus eft, cuius aduentus præcurfor fperatur Elias, ficut primi Ioannes fuit, & ideo dicitur à Domino, Elias iam venit, & multa ei homines fecerunt. & fi vultis fcite,ipfe eft Ioannes Baptifta, qui venturus eft. Quia in eodem fpiritu, & in eadem virtute, & tamquam præcedentis præconis officio, & hic iam venit, & ille venturus eft.] Vbi clariffimè exponit, Chriftum loquutum effe de duplici Elia, vero, & myftico Et lib. 1. Quæftion. Euangelicar. qu. 21. de verò Elia intelligit illa Domini verba, [Elias quidem venturus eft,] & quod additur. [Et reftituet omnia, exponit, Vel eos, quos Antichrifti perfecutio conturbauerit,vel ipfe reftituet moriendo, qua debet.] idem traƈ.4 in Ioann. vt fupra retuli, Et fimiliter Ambrof. lib. 1. in Luca circa illa verba, [Et præibit ante illum in fpiritu, & virtute Eliæ] Inter alias rationes, & fimilitudines ponit. [Quia hic prioris, ille fequentis Dominici præcurfor aduentus.] Et libro fecundo de Virginibus in principio dicit, [Eliam, qui virgo fuit,ideo raptum effe in cælum & Dominici, ait, venturus eft præcurfor aduentus Gregor. etiam lib. 35. Moral. cap. 9. Aliàs 6. de vero Elia intelligit, quomodo autem reftituet omnia declarat, dicens. [Nunc enim amifit Ifraelitas Ecclefia, quos conuertere prædicando non valuit, fed tunc Elia prædicante, dum quotquot inuenerit, colligit, velut pleniùs recipit, quod amifit.] Et eodem modo intellexit verba Chrifti idem Gregor. lib. 20. Morali cap. 25. & Homil. 12. in Ezech.

Præterea Origen. traƈ. 3. in Matth. poft interrogationem Apoftolorum, [Quid ergo dicunt Scribæ, quod Elias oportet venire primum ? addit, Ad hoc refpondit Iefus, non reprobans quidem, quæ à Scribis tradita fuerant de Elia, fed alium Eliæ aduentum ante fe denotat faƈum, quem ignorauerant Scribæ.] Et ita ftatim exponit fequentia verba Chrifti de duplici Elia in perfona, & in fpiritu, quorum alter venturus eft, alter iam venit. Vnde optimè Chryfoftomus, Homil. 58. in Matth. 11. [Significauit, inquit, Chriftus, Ioannem, vterque enim vnam adminiftrationem fufceperunt, & præcurfores ambo conftituti funt. Quapropter non dixit hic eft profeƈo Elias, fed fi vultis fufcipere, hic eft.] Et cætera, quæ eleganter profequitur tum ibi, tum latiùs, & meliùs homil. 58. vbi exponit verba Chrifti, Elias venturus eft, de Elia Thesbite. de quo etiam loquutus fuerat Malachias. Et hom. 4 in 2. ad Theffalon. fimiliter declarat, Ioannem diƈum effe Eliam propter minifterium præ-

præcursoris, in quo vero Eliæ similis fuit, & Theophylact. Matt.17. exponens verba Christi ait. [Dicendo quòd Elias quidem veniet, ostendit, quod oondum venit, & in secundo aduentu veniens restiturus sit ad fidem Christi omnes Hebræos, quos persuasibiles inueniet &c.] Denique Tertullian. lib. de Anima cap. 35. eidem fauet expositioni, vt posteriores omittam, Bedam, Anselm. & alios, qui verba Christi ita intellexerunt.

Quid est ergo quod Rex Angliæ ait, nihil esse in Scripturis, quod innuat, Eliam esse venturum ante iudicium? Nunquid verisimile est, tot Patres tanta concordia in assertione hac ex sacra Scriptura colligenda conuenisse, sine magno & euidenti in eadem Scriptura fundamento? Quapropter multum excedit, dum prædictam interpretationem verborum Christi in Bellarmino reprehendens, eam imprudentem vocat; & paraphrasim non ferendam, vel callidè, & pessima fide inductam fuisse dicit. Aut enim Sanctus Patres non legit, aut omnes in vno Bellarmino tecte, & callide, & contra id quod alibi profitetur, reprehendit, vtrumque autem intolerabile est, & Rege indignum. Eo vel maximè; quod nec rationem vllam, nec ponderationem verborum Christi alicuius momenti affert, quo receptum sensum verborum Christi impugnet: neque his satisfacit, quæ nos ad illum persuadendum induximus. Cum ergo, & alia testimonia Scripturæ aliter rectè intelligi non possint, & verba Christi in optimo, & plano sensu cum illis concordent & communis Patrum interpretatio consentiat, dubitandum non est, quin Elias futurus sit secundi aduentus Christi præcursor? ac subinde vnus ex duobus testibus à Ioanne in Apocalypsi prædictis.

De Enoch verò quasi irridendo sic ait Rex. [Sed Enochum oportet in hoc negotio cum Elia coniungi, nullam aliam ad rem, ni fallor, nisi ad iugum ex altera parte tollendum.] Verumtamen dicteria hæc, & irrisionis verba non Bellarminum tantum (vt Rex dissimulat) sed Patres omnes, imò Ipsum Ioannem Euangelistam pungunt. Nam si prædicta verba audienda sunt non solum aduersùs Enochum, sed in vniuersum omnem socium Eliæ in prædicatione, & aduentu suo irrident, & excludunt. Ita enim dicere aliquis poterit, quid oportet, alium quemcumque Eliæ coniungi, nisi fortè ad iugum ex altera parte tollendum? Cur ergo Ioannes, duos testes, duosque Prophetas venturos esse prædixit? Quis nouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit? Aut quis rationem ab illo exiget, cur duos testes missurus sit & non vnum tantum, vel non plures? Vel cur in primo suo aduentu vnum tantum præcursorem miserit, in secundo vero duos? Vel cur ad prædicandum Euangelium miserit duodecim Apostolos, & non plures neque pauciores, & in fine mundi contra Antichristũ duobus testibus contentus futurus sit? Sunt ergo futiles huiusmodi obiecti vnculæ, nam Deus [omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.]

Quamquam rectè consideranti statim multæ rationes huius diuinæ prouidentiæ occurrere possunt. In primo enim aduentu vnus tantum præcursor missus est, quia solum ad vnum Iudæorum populum, & ad vnum terræ locum mittebatur, & ideo tempore, quo ad huc ille populus in fide perseuerabat, & prophetarum doctrinis erat instructus, ideoque vnus testis eximius, qui esset lucerna ardens, & lucens, visus est sufficiens: Elias autem mittendus est ad Ecclesiam per totum Orbem iam diffusam, & ex gentibus, ac Iudæis constantem, & eo tempore, quo vix inuenient fidem super terram propter ingentem Antichristi persecutionem, & ideo socium aliquem habebit, qui eum ad ferendum iugum Euangelicæ prædicationis, & Christi defensionis iuuet. Vt sint duo candelabra in conspectu Domini stantia, & vtrumque populum illuminantia, & duæ oliuæ, ex quibus maior abundantia gratiæ in tempore tantæ necessitatis Ecclesiæ communicetur. Itaque grauissimè Rex errat, de numero duorum testium dubitando, vel illum tanquam ratione carentem irridendo.

Quis autem futurus sit ille socius, non est tam exploratum, & certum, sicut quòd alter futurus sit Elias. Vnde in eo, quod addit Rex, nullum Scripturæ locum de reditu Enoch loqui, minus errat. Nam etiam Aretas Apocal. 11. suo cap. 30. dixit. [Quod Elias venturus sit, manifestum est: de Enoch verò testimonium quidem, quod ad aduentum spectet, ex Scriptura non habemus.] Vnde factum est, vt de hoc socio Eliæ variè senserint Doctores catholici Victorin. enim Apocalyp. 11. opinatus est, Ieremiam cum Elia esse venturum, Hilar. autem canon 20. in Matth. reprobata illa sententia, Moysem sociauit Eliæ, cuius sententiam aliqui moderni expositores Matth. 17. sequuti sunt. Alij verò hoc munus prophetandi cum Elia tempore Antichristi Ioanni Euangelistæ tribuunt cum Hypolito lib. de consumm. mundi. Qui tamen non excludit Enoch, sed tertium Ioannem adiungit. Hoc vero fundamentum non habet, & ipsi Ioanni repugnat, qui duorum tantum testium mentionem facit. Neque absolutè credibile est, Moysem, Ieremiam, aut Ioannem venturum esse cum Elia, quia nullum vestigium, vel indicium eius rei in Scriptura habetur, & longè veriùs est, illos omnes mortuos esse, & cum Christo iam regnare, & ideo verisimile non est illos esse iterum morituros, de cælo ab statu beatifico abstrahendos; vt ad pugnandum cum Antichristo descendant, vt latiùs alibi tractaui.

Superest, vt omninò asseramus, Enoch esse venturum simul cum Elia, vt sit alter testis, & prædicator contra Antichristum. In hac enim affirmanda sententia grauissimi Patres, & ferè omnes conueniunt. Tertullian. lib. de Anima cap. 50. August. lib. 9. Genes. ad liter. cap. 6. & lib. 1. de Mirabilib. sacræ Scripturæ cap. 3. Ambros. 1. Corinth. 4. Damascen. lib. 4. cap. 27. Beda Ansel. & D. Thomas in Apocal. vbi etiam And. Cæsar. dicit, plerosque Doctorum hanc sequi sententiam, & Aretas dicit, haberi ex traditione præconum Christi. Et argumentum magnum est, quia Enoch mortuus non est; sed translatus, vt Scriptura docet Genes. 5. vnde fit, aliquando esse moriturum, quia statutum est hominibus semel mori, à qua regula non potest

test cum fundamento excipi. Ergo verisimillimum est, ad huuc finem reseruari, vt cum Elia veniat, & pro Christo moriatur.

Accedunt verba Ecclesiast. 44. [Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.] Quæ verba de Paradiso terrestri intelligentur à Patribus vt supra retuli. Rex autem Angliæ contendit, sufficienter sic exponi, qui positus fuit in exemplum futuris hominibus, quo ad pœnitentiam agendam, & sectandum Deum incitarentur. Quam expositionem Theodoret. quæst. 45. in Genes. tradidisse videtur. Et posset tolerari, si alia non excluderetur, vel simulta aliæ circumstantiæ, aliquid amplius in verbis illis significatum esse, interpretari non cogerent. Nam si solum in exemplum translatus esset, non certè in Paradisum terrestrem, sed in cælestem transferendus fuisset, nec in mortali corpore in terra seruandus, sed gloria, & honore statim coronandus. Deinde pauci profectò futuri erant, qui illo exemplo tam distanti, tamque abscondito permouendi essent ad pœnitentiam, alius ergo modus commouendi homines ad pœnitentiam ibi prædicitur. Denique in illa nota causali, translatus est, vt det gentibus (seu generationibus vt habent Græca) satis indicatur, ex speciali prouidentia reseruatum esse ad excitandos homines aliquando ad virtutem, & pœnitentiam. Vnde probabile est, non fine mysterio positum esse gentibus, quia Elias magis ad Iudæorum conuersionem, Enoch verò ad reuocandos lapsos ex gentibus mittetur. Hoc ergo habet hæc assertio satis probabile in Scriptura fundamentum, quod Patrum auctoritate, & coniectura confirmatum, nisi quis velit voluntariè tergiuersari, & plus sapere quam oportet, rem satis credibilem, & moraliter certam efficit.

CAP. XV.

Antichristi sedem, & loco, & gradu longissimè à Pontificis Sede distare.

DE tempore aduentus Antichristi, & consequenter de testibus ad prædicandum contra ipsum venturis, satis (vt opinor) disputatum est, sequitur dicendum de Antichristi sede, quod est secundum membrum disputationis Regis Angliæ, seu alter locus, vnde ostendere nititur, Antichristum iam in sede, ac throno suo sedere. Videturque in hunc modum argumentari. Roma futura est sedes Antichristi, ergo magnum signum est, eum qui nunc Romæ sedet; esse Antichristum. Veruntamen, nec Rex ita expressè colligit, neque illatio vllius momenti esset. Duobus enim modis potest Antecedens illius argumentationis intelligi, vno modo de Sede ipsa Romani Pontificis, quatenus est Pontificius thronus, in quo dicatur sessurus Antichristus alio modo solum de loco Romanæ vrbis, ita vt in illa collocaturus sit Antichristus thronum, & Regalem curiam Imperij sui. Non potest autem antecedens illud in priori sensu intelligi, quia esset inutilis argumentatio, & petitio principij: nam illa est conclusio, quam Rex suadere conatur, nimirum Antichristum sessurum esse, immò & iam sedere in Pontificia, seu Romana Sede; si ergo in illo sensu antecedens illud intelligeretur, pro fundamento, & principio argumentationis, probanda conclusio assumeretur, essetque ridicula argumentatio.

Oportet ergo, vt Rex loquatur de loco ipso Romanæ ciuitatis, & pro fundamento suæ rationis sumat, Antichristum collocaturum Sedem Imperij sui in illa ciuitate, vt inde colligat, Romanum Pontificem esse Antichristum, quia in eadem ciuitate Sedem Pontificatus sui habet. Et sic collectio quidem per se spectata friuola est, quia in eadem ciuitate possunt varij Principes, Imperio, moribus, & titulo, ac modo regnandi valdè dissimiles, Sedes Imperij sui saltem diuersis temporibus collocare. Neque propterea inde inferri potest, vnum Imperium esse aliud. Aliàs eodem modo inferri posset, Constantinum fuisse Turcam, quia in eadem ciuitate Constantinopolitana sui Imperij Sedem collocauit, in qua postea Turca sedet. Immò, & inferri posset, Petrum, & successores eius etiam ante Bonifacium fuisse Antichristum, quia Sedem suam in eade Romana ciuitate habuerunt.

Quamuis autem hæc conditio habendi Sedem Imperij in eadem ciuitate, non sit satis, ad ostendendum esse eumdem, qui sedet, neque habere propriè eamdem sedem, id est, eodem regnandi titulo, eademuè potestate, ac dominatione, nihilominus est conditio necessaria, & ideò Rex cum suis Protestantibus maximè conatur ostendere, conditionem hanc fingendi Sedem Romæ, vero Antichristo conuenire, vt ex illa, adiunctis alijs inferant, eum qui nunc sedet, in illa ciuitate esse Antichristum. Cum autem ex hactenus dictis constet, conditiones alias de tempore Antichristi prædictas, in eum, qui nunc sedet non conuenire, & in sequentibus ostendendum sit, aliàs etiam qualitates, & proprietates de persona Antichristi reuelatas in Pontifice non repetiri, etiam si daremus, Romam futuram esse locum Sedis Antichristi, nihil referret ad concludendum, Antichristum, aut venisse, aut esse Pontificem. Nihilominus tamen, quia etiam illud principium, scilicet, Antichristum Romæ sessurum, falsum est, vt euidentius constet, quam sit vana fictio; & impostura de Antichristiana Sede Romæ collocata, vel collocanda, expendemus in hoc capite Regis probationes, ostendemusque assertionem eius falsam esse, suisque principijs & expositionibus Apocalypsis repugnantem, postea verò de futura Sede Antichristi pauca subijciemus.

Romanam ergo ciuitatem futuram esse locum Sedis Antichristianæ, probat Rex primo ex Paulo 2. ad Thessalon. 2. dicente de Antichristo: [Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus; id est, (ait Rex) in sinu, atque adeo in penetralibus Ecclesiæ.] Et addit: [Iam vbi sit Apostolica illa Sedes, cuilibet relinquo diuinandum, sed & quis in ea sedens pro Deo se se gerat, peccata condonans, fidei articulos definiens, omnium hominum censor, & iudex, ipse a nemine iudican-

dicandus.] In quibus verbis hoc argumentum virtute continetur. Antichristus sedebit in Ecclesia, quæ est templum Dei; ergo Sedes eius erit in sinu, & penetralibus Ecclesiæ, id est in præcipuo, & (vt sic dicam) in intimiori loco eius, ergo erit Romæ; ergo Apostolica Sedes, quæ ibi est, est Sedes Antichristi. Probat virtute hanc vltimam illationem, [quoniam qui illic sedet, ostendit se tamquam sit Deus.] Hactenus Rex.

In hoc ergo argumento in primis non hæremus in antecedente prout à nobis propositum est, & virtute continet expositionem, quod Paulus per templum Dei Ecclesiam intellexerit. Nam hic sensus erroneam non continet, sed potiùs probabilis est: Hieronymus enim epist. 151. ad Algasi quæst. 11. sensum illum cæteris præfert, illumque sequitur Hugo Eter. lib. de Regress. anim. cap. 23. & Oecumen. ibi, ita hunc sensum probat, vt alios excludat, dicens, [Non dicit templum quod erat Hierosolymis, sed Ecclesiam Dei.] Alij verò Græci interdum insinuant, Paulum non loqui solùm de templo Hierosolymitano, sed etiam de Ecclesijs Christi, indicantes, priùs non excludere. In quam sententiam citatur Chrysost. 2. Thessal. 2. dicens, [Iubebit, se in templo Dei collocari, non Hierosolymitano solùm, sed etiam in Ecclesijs.] Ita enim vertit Musculus in Veneta impressione anni 1549. in nouis autem editionibus Parisiensibus anni 1581. & 1588. interprete Germano Herneto, non legitur particula solùm, nec Ecclesijs in plurali, sed in singulari, hoc modo. [Iubebit ipsum pro Deo adorare, & sedebit in templo Dei, non quod est Hierosolymis, sed in templo Ecclesiæ.] Theophylactus autem aliter videtur legisse, vel exposuisse Chrysostomum dicens, [Non in templo spectaliter, quod est Hierosolymis, sed in Ecclesijs simpliciter, & omni Diuino templo.] Apud Theodoretum etiam non inuenio exclusiuam secundum versionem eiusdem Germani Herueti, in Coloniensi editione, anni 1573. sed verba eius sunt: [Templum Dei appellauit Ecclesias, in quibus primam Sedem arripiet.] In quibus verbis potiùs videtur tacitè excludere templum Hierosolymitanum, licet absolutè dicendo Ecclesias, omnes includat, & consequenter etiam illas, quæ Hierosolymis fuerint.

Quocirca etiam Ecclesiam per templum Dei intelligendo, duæ, vel tres sunt illius vocis expositiones. Vna, vt per Ecclesiam non materialis locus adorationis Dei, sed formalis (vt ita dicam) Ecclesia, id est ipsa congregatio fidelium intelligatur. Et hanc indicat Hieronymus supra dicens, [Vel in Ecclesia, vt verius arbitramur, sedebit, ostendens se, tamquam ipse sit Christus, & filius Dei.] Et idem significat Matth. 24. exponens illud, [In loco sancto, id est in Ecclesia.] Et certè verba Chrysostomi, quæ retuli iuxta Heruetum, ab hoc sensu aliena non sunt. Et eumdem sensum vt probabilem ponit Andr. in Apocalyp. cap. suo 62. Alia expositio est, vt templum Dei sumatur pro materiali loco sacrificij, & adorationis, quod Ecclesiam vocamus. Et hæc expositio potest subdistingui. Vnde secunda expositio erit, vt templum Hierosolymitanum excludatur. Et hanc posuit expressè Oecumen. & ab illa non discrepat Theodoret. licet exclusiuam expressè non posuerit. Tertia erit, per templum Dei intelligi omne diuinum templum, siue sit in Ecclesia Christi, siue in Synagoga. Et hanc tradit Theophylactus, & sequitur Caietanus dicens, [Non determinatum templum, sed quodlibet Deo dicatum significari.] Ita vt templum Dei positum sit ad excludendum tantùm idolorum templa, vt voluit etiam Augustinus in lib. 20. de Ciuit. cap. 19.

Addit verò ibi Augustinus quartam expositionem, metaphoricam. Nam per templum Dei intelligit ipsumet Antichristum, & ponderat, Græca non habere, [vt sedeat in templo Dei, sed in templum Dei,] id est, vt se gerat tamquam Dei templum. Quod potest intelligi, vel de ipsa persona Antichristi, & sic intelligendum erit non communi modo, quo iusti dicuntur templum Dei, sed alio singulari modo, quo ipse haberi volet vt verus Deus. Sicut dicitur in Christo habitare plenitudo Diuinitatis corporaliter, & ita humanitas Christi, seu Christus vt homo potest dici singulari modo templum Dei. Vnde cum Paulus ait; [Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus,] iuxta hanc expositionem, non ponit illa duo tamquam diuersa, sed posterior pars est prioris explicatio, exhibebit enim se Antichristus in templum Dei, se ipsum verum Deum prædicando, vt sic adorandum ostentans. Vel per Antichristum intelligi potest, non sola persona Antichristi, sed simul cum corpore mystico ex prauis hominibus, qui illum sequentur congregato, & sic dicitur Antichristus sedere in templo Dei, quia suam congregationem ostentabit tamquam veram Dei Ecclesiam in qua ipse sedebit tamquam Deus. Et hunc posteriorem sensum magis sequitur Augustinus.

Si ergo Regi Angliæ placet, vt templum Dei in illo loco Pauli Ecclesiam significet, non contendimus, eligat autem ipse ex dictis expositionibus quam magis probet: nunc enim nihil nostra refert, inter eas diiudicare sed ad rem solùm spectat, breuiter ostendere, nullam earum Protestantium assertioni, seu vanæ potiùs cogitationi posse deseruire. Nam si Ecclesia per templum Dei significata sit fidelium congregatio, licet Antichristus in hac Ecclesia sessurus sit, ostendens se tamquam sit Deus, non sequitur in Romana ciuitate collocaturum Sedem suam. Nam fidelium congregatio est per totum Orbem diffusa, & de se abstrahit à materiali loco: vnde sedere hoc modo in Ecclesia tamquam Deum nihil aliud est, quam in ipsa Christi Ecclesia, & ab his, qui fuerint membra eius pro Deo haberi, ac reputari. Quod verum esse poterit, siue Romæ, siue Constantinopoli, siue Hierosolymis contingat, immò siue in Europa, siue in Asia eueniat. Oportet autem aduertere, congregationem illam, in qua Antichristus adorabitur vt Deus, vocari templum, vel Ecclesiam Dei, quia antequam per Antichristum peruerteretur, erat templum, & Ecclesia Dei: ipsum autem pro Deo suscipiendo, quoad eam partem facta erit Synagoga Sathanæ, seu Antichristiana. Iuxta hunc ergo sensum nihil colligitur de Romana ei-

na ei-

na ciuitate, quod sit futura Sedes Antichristi. Immò aliunde euertitur blasphemia dicentium, Pontificem ibi sedentem esse Antichristum: nam (vt ait Hieronymus) Antichristus sedebit in Ecclesia, ostendens se esse Christum, & filium Dei,] Pontifex autem non ita sedet, sed vt minister Dei, & Christi Vicarius, & seruus seruorum Dei. Et hæc ratio ferè eodem modo de quarta expositione procedit, vt faciliè considerandi patebit, nam expositio Augustini ad hoc etiam reuoluitur, vt per Ecclesiam hominum congregatio, non materialis locus designetur, eamdemque nomine templi Dei significetur.

Si verò placeat, per Ecclesiam intelligere solas Christianorum Ecclesias, cum Paulus indefinitè de templo, seu Ecclesia Dei loquatur, non magis potest inferri sessurum Antichristum in aliquo templo Romano, quam in Constantinopolitano, vel Hierosolymitano, aut alio simili. Nec refert quod Rex addit, sessurum Antichristum in sinu, & penetralibus Ecclesiæ, tum quia hæc verba non sunt Pauli, sed ipse illa adiunxit de suo capite, ideoque pari facilitate contemnuntur. Tum etiam quia satis erat Anglia in sinu, & penetralibus Ecclesiæ, & tamen Deo permittente, facta est Sedes Antichristi, & Lutheus, ac Caluinus in medio quidem Ecclesiæ, ac subinde in sinu, & penetralibus eius virus suum effuderunt, licet Romam euertere non potuerint. Dicet fortè Rex, licet templum Dei indefinitè positum fuerit, per antonomasiam sumptum esse pro Roma, vel Romano templo tamquam omnium præcipuo. Posletque iuuari verbis Theodoreti. Secundæ Thessalonic. 2. dicentis, [Templum Dei appellauit Ecclesias, in quibus primam Sedem arripiet:] nos enim dicimus, primam Sedem esse Romanam; illam ergo arripiet Antichristus. Sed illud etiam voluntariè dicitur, & sine probatione. Et præterea facilè respondebimus, sessurum Antichristum non in templo, quod re vera præcipuum est, sed quod ipse volet, & prædicabit esse præcipuum, credibilius autem est, illud esse futurum in Iudæa potius, quàm in Italia. Nam cum Antichristus se pro vero Christo, & Messia venditaturus sit, caput Ecclesiæ suæ dicet esse Hierusalem, non Romam, vt mox videbimus. Theodoretus autem per primam sedem re vera non intellexit Romanam, neque aliquam ex primarijs Ecclesijs, sed in vnaquaque Ecclesia, vel templo primarium locum, ac sedem soli Deo debitam, vel loquutus est de prima sede, non quæ nunc sit, vel suo tempore erat, sed quam ipse Antichristus eriget. Atque hic discursus æquè procedit iuxta tertiam expositionem, quæ sub nomine templi tam Iudaicum templum, quàm Ecclesias Christianorum complectitur: nam sic magis ampla est, & indefinita Pauliua propositio, ideòque minus potest ex ea inferri determinatus locus Romanæ ciuitatis.

Ex quibus etiam concluditur, frustra Regem diuinandum proponere, vbi sit Apostolica Sedes: nam licet omnibus pateat, illam esse Romæ, non sequitur, Antichristum ibidem collocaturum sedem suam, etiam si sessurus sit in sinu Ecclesiæ. Quia sinus Ecclesiæ amplissimus est, & boni, ac mali in illo existunt, & vnus quidem legitimè sedet, alius per ambitionem, & tyrannidem caput Ecclesiæ fingitur. Præterquam quod (vt supra dicere cœperam) licet Antichristus Roma expelleret Pontificem, & suam ipse sedem ibi collocaret, non sederet in eadem sede, neque inde posset concludi, eum, qui nunc legitimè sedet, ita sedere, sicut Antichristus sedebit. Nam qui nunc sedet, non se Christum, aut Messiam esse prædicat, sicut prædicabit Antichristus. Quapropter vanum est, quod Rex subiungit, Pontificem pro Deo se gerere, [peccata condonando, &c.] Nam aliud est, vicem Dei gerere, & vt ministrum eius, modoque ab ipso instituto supernaturales effectus operari, & diuinam iurisdictionem exercere: aliud verò est, se pro Deo gerere, se ipsum tamquam Deum credendum, adorandumque proponere. Illud enim legitimè facit Pontifex, hoc autem posterius erit proprium Antichristi, vt Scripturæ docent, & Patres interpretantur, & in capitibus sequentibus fusius declarabimus.

Alteram probationem, quod Roma futura sit sedes Antichristi, Rex assumit ex Apocalypsi, supponitque ex cap. 13. Bestiam, quam Ioannes vidit ascendentem, habentemque capita septem, & cornua decem esse Antichristum. Deinde verò argumentum sumit ex cap. 17. vbi Ioannes narrat, se vidisse mulierem meretricem sedentem super eamdem bestiam (vt Rex interpretatur) de qua muliere sic Ioannes in fine capitis concludit. [Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.] Et de eadem prius dixerat, [eius nomen esse Babylon magna,] & eodem modo illam appellat cap. 18. ergo [locus hic (ait Rex) perspicue, & sine vlla contradictione declarat, Romam esse, aut fore sedem Antichristi.] Probat illationem. [Primum quia nullus iam Papista inficiatur, Babylonis nomine ibi planissime Romam intelligi. Deinde hanc mulierem, ait, esse illum Antichristum, liquet ex tempore, quo vim suam, & operationem exercet, quod erit quadraginta duorum mensium, prout, 13. cap. habetur.]

Prius vero, quàm huic argumento respondeam, in his, & alijs Regis verbis aduerto, illum confundere mulierem cum bestia, & è conuerso: nam mulierem dicit esse Romam, & Babylonem, eandemque rursus dicit esse Antichristum, & paulò inferius constare dicit, bestiam septem capitum esse Antichristum. Et tamen pag. 108. dicit bestiam illam esse ciuitatem regiam. Et similiter pagina 99. mulierem cum bestia confundit, & nunc ciuitatem, nunc imperium eius, nunc Antichristum significare dicit. Quæ confusio & communi expositioni repugnat, & intelligentiæ lumen obfuscat, nam si mulier, & Babylon est Roma, quomodo est Antichristus? aut quomodo insidet bestiæ, quæ dicitur esse Antichristus? Deinde in cap. 13. non dicitur potestas data mulieri per menses 42. sed bestiæ; ergo inde non probatur, mulierem esse Antichristum, sed bestiam. Non debent ergo confundi: aliud enim mulier, aliud bestia repræsentat, neque potest bestia se ipsam portare. Neque verò hoc dicimus, vt obiectionem vitemus, sed vt verum sensum decla-

declaremus; viamque patemus ad cauendas calumnias, quæ in illa confusione, & æquiuocatione delitescunt, vt infra cap. 20. videbimus. Obiectio autem in hunc modum formari potest. Mulier fornicaria, quæ magna Babylonia nuncupatur, est Roma, & illa dicitur insidere bestiæ, idest, Antichristo tanquam Principi, & fundamento suo; ergo Roma futura est Antichristi sedes. Probatur consequentia, quia licet potius Princeps videatur sedere in ciuitate, vbi habet solium, quàm ciuitas in ipso, tamen etiam ciuitas ipsa dicitur sedere super Principis humeros, quatenus eius potentia, & virtute regitur, & conseruatur. Sic ergo Roma visa est sedere super bestiam Antichristum; erit ergo sedes eius.

De hac obiectione multa dici possent, nisi essent in superioribus dicta. Possemus ergo facilè obiectionem vitare dicendo, fornicariam illam in cap. 17. Apocalyp. à Ioanne visam, non Romam, sed Mundum significare, & bestiam, cui insidere visa est, non Antichristum, sed diabolum esse. Verumtamen ad respondendum Regi necessarium non est, probabiles, nedum magis receptas interpretationes negare. Concedimus ergo mulierem illam Romam significare, non tamen Christianam, sed ethnicam, vt cap. 6. declarani. Cum verò subsumitur, bestiam, cui mulier insidebat, esse Antichristum, respondemus, vel negandum id esse, vel certè distinguendum, & sano modo intelligendum. Nam illa bestia dicitur habere septem capita, quæ ibi exponuntur esse septem Reges, quorum nullus est Antichristus, sed alius, qui octauus esse dicitur, licet de septem sit, & vocatur specialiter, [bestia, quæ erat, & non est,] vt supra tractatum est. Igitur bestia habens septem capita, & cornua decem, non est adæquatè (vt sic dicam) Antichristus, sed est successio tyrannorum persequentium Christianos in Romano imperio, post quos ortus est Antichristus tamquam [cornu paruum de medio eorum,] vt dicitur Daniel. 7. Hinc ergo non rectè infertur, Romam aliquando insidere super illum Antichristum verum, & proprium, sed super Imperatores Romanos ethnicos, Ecclesiæ persecutores, & Antichristos typicè, & per figuram, seu participationem. Horum ergo Imperatorum, seu Antichristorum fuit quidem Roma sedes, quando tenebat imperium super omnes Reges terræ, & erat ebria de sanguine Martyrum, id est, quando erat Roma ethnica, non Christiana.

Vnde si attentè consideretur cap. 17. Apocalypsis, numquam in illo significatur, mulierem illam fornicariam visam esse sedentem super illam bestiam, quatenus proprium Antichristum, sed solùm quatenus tyrannos præcursores eius, & Romanos Imperatores ethnicos repræsentabat. Et ideò fortasse quando Ioannes dicit, vidisse mulierem sedentem super bestiam, solùm addit, [Habentem capita septem, & cornua decem,] quia Antichristus nec est vnum ex illis septem capitibus, nec de decem cornibus. Nam ipse Ioannes postquam dixerat, de septem Regibus quinque præcessisse, & vnum esse, & alterum nondum venisse, sed fuisse venturum, & breui tempore duraturum, subiungit: [Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.] Et posteà declarat, [decem cornua esse decem Reges, qui potestatem accipient post bestiam, cui suam virtutem, & potestatem dabunt.] Deinceps verò de his subiungit, quod [odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & igne concremabunt,] vtique in hoc bestiæ seruientes, cum qua [habent vnum consilium, cuique suam virtutem tradent,] vt prius dixerat.

Vnde vlterius colligo, tantùm abesse, vt dicar Ioannes, fornicariam sedisse super illam bestiam, quatenus verum, & proprium Antichristum adumbrabat, vt potiùs significet per ipsum, vel per Reges ministros eius esse destruendam. Ergo ex illa visione non solùm non liquet, nec colligi potest, Antichristum fixurum sui imperij sedem Romæ, sed potiùs contrarium non obscurè probatur, cum per ipsum Antichristum destruenda sit. Quod in cap. 18. multum confirmatur, maximè contra Regem Angliæ, qui verba illius capitis: [Cecidit, cecidit Babylon illa magna,] de Romana Ciuitate intelligit, & ità ex illius sententia ibi describitur desolatio, & abolitio perpetua Romanæ Vrbis, vnde necessaria ferè consequutione infertur, illam Romæ destructionem per Antichristum, & Reges illi subiectos faciendam esse. Primò ex verbis antecedentis capitis, quæ proximè retulimus. Secundò ex sequenti cap. 19. quia illud excidium Babyloniæ, quod cap. 18. describitur, non est totius Orbis consumatio, & combustio, sed cuiusdam particularis Ciuitatis, iuxta illam interpretationem; erit ergo antè Mundi finem. Et tamen ex cap. 19. colligitur, illud Babylonicum excidium propè finem Mundi esse futurum, nam statim post illud ostenditur Christus descendens super equum album, & cum gladio ex vtraque parte acuto procedente ex ore eius, Cælestibus exercitibus comitantibus ad perdendam bestiam cum Regibus, & exercitibus suis, qui occisi sunt in gladio sedentis super equum; ergo illam Babylonicam destructionem per Antichristum, & exercitum eius futuram esse satis consequenter intelligitur. Ergo inde euidenter concluditur non esse futuram Romam sedem Antichristi.

Tertiò idem ita concluditur, nam si Roma est illo modo in fine Mundi destruenda, vel id fiet per Antichristum, vel per alium; si per Antichristum, certè sedes eius non erit, quia hæc duo inter se repugnant. Neque fingi potest, quòd priùs in illa fixurus sit sedem, si postea illam sit destructurus; tùm quia neque hoc habet fundamentum, neque verisimilitudinem; tùm quia monarchia Antichristi non tanto tempore durabit, vt ad illam vicissitudinem rerum possit sufficere; tùm præterea, quia (vt ex cap. 17. colligitur) ex odio fornicariæ destruet illam per se, vel per Reges amicos suos; ergo à principio gerent hostile bellum contra illam: ergo cogitari non potest, quòd priùs sit Roma futura sedes Antichristi, & postea per illum destruenda. Neque etiam dici potest destruenda per alium postquam Antichristus in illa sedem suam fixerit; tum quia repugnat cum verbis citatis ex cap.

cap. 17. vbi dicitur destruenda per Reges amicos bestiæ, idest, Antichristi, & executorum consiliorum eius. Tùm etiam, quia ex alijs locis Apocalypseos, & ex Daniele, & Paulo constat, Antichristum à nullo puro homine esse superandum, sed ab ipso Christo esse interficiendum, ergo si Antichristus semel sedem suam Romæ collocaret, non esset Roma ab vllo hoste Antichristi destruenda, neque ab ipso Christo antè generalem Mundi conflagrationem, quia Christus cùm venerit ad Antichristum interficiendum, nullam destruet Ciuitatem, neque hoc de illo legitur, sed solùm, quod Antichristum, & Pseudoprophetam eius viuos in Infernum mittet, & & cæteros illorum socios in gladio suo occidet, Apocal. 17.

Assertio ergo, quod Roma futura sit Antichristi sedes, & à Rege non probatur, & dictis, ac expositionibus eius contraria est, & planè falsa. Denique est optima coniectura, quia Antichristus destructurus est Romanum imperium, & magno odio illud prosequuturus, vt etiam ex cap. 17. Apocalypsis colligitur, & ex 2. Thessalon. 2. & ex omnibus Patribus; ergo non est verisimile, collocaturum esse Romæ sedem suam, quia etiam Romanum nomen cum imperio suo cupiet extinguere.

CAP. XVI.

Vbi futura sit Antichristi sedes.

LOngè quidem certiùs est, Romam non esse futuram sedem Antichristi, quàm sit certum, quis locus, vel Ciuitas futura sit, in qua thronum suum sit collocaturus. Neque id mirum esse debet, quia in omnibus rebus obscuris, quæ à cognitione humana longè distant, faciliùs quid non sit, quam quid sit agnoscitur. At nobis etiam non est tam necessarium cognoscere, vbi sit Antichristus sessurus, quàm scire non esse Romæ imperaturum, quia hoc posterius ad hæreticos confundendos multum conducit: illud verò priùs, licèt sit ignotum, vel incertum, non multum refert. Nihilominus tamen, vt ex hac affirmatione negationem demonstratam in superiori capite in hoc ampliori auctoritate confirmemus, quid in hoc puncto verisimilius videatur, paucis proponemus.

Catholici ergo Doctores, verisimillimum censent Hierusalem futuram esse regalem sedem Antichristi, Templumque Hierosolymitanum vtcumque per Antichristum instauratum futurum esse quasi fundamentum, & caput falsæ religionis, quàm Antichristus in Mundum inducere conabitur. Quæ opinio sine vlla dubitatione ex antiqua traditione descendit. Nàm Irenæus lib. 5. cap. 25. apertè dicit, Antichristum regnaturum in Hierusalem. Lactantius lib. 7. cap. 15. & 17. dicit, regnaturum esse in Oriente, in eaque Asiæ parte, quæ Syria vocatur, idest, in Iudæa. Hippolyt. in orat. de consumat. Mundi, dicit Hierosolymis sessurum. Idem Augustinus, vel potiùs Rabanus in tractatu de Antichr. Gregorius Turronen. lib. 1. histor. Francorum in princ. [Antichristus, ait, primum circumcisionem inducet, se asserens Christum, deindè in Templo Hierosolymitano statuam suã collocabit, &c.] Idem Cyrill. catech. 15. Damasc. lib. 4. cap. 27. Seuer. Sulpit. dialog. 2. de S. Martin. & omnes exponentes Scripturas statim tractandas. Tantus autem Patrum consensus non potuit certè in sola humana suspicione, aut opinione fundari, cùm sit de re futura contingente, & ex Diuina prouidentia, ac permissione maximè pendente; ergo credendum est, manasse ex communi intelligentia Scripturarum: sunt enim in Scriptura multa testimonia, quæ hoc significant, tamen quia prophetica, & obscura sunt, ex traditione aliqua verum illorum sensum Patres colligisse videntur.

Duo autem videntur esse præcipua testimonia, quibus hæc veritas confirmatur, quæ nunc expendemus, & obiter alia testimonia, & rationes, seu congruentias attingemus. Primum testimonium est illud Pauli, quo Rex vtebatur: [Itaut in Templo Dei sedeat.] Nàm Paulum ibi loqui de Templo Hierosolymitano lõgè verisimilius est. Primum enim ità exponunt frequentiùs antiqui Patres, Irenæus lib. 5. cap. 25. [Transferet, inquit, Regnum suum in Hierusalem, & in Templo Dei sedebit, seducens eos, qui adorabunt eum, quasi ipse sit Christus.] Et cap. 30. [Sedebit, ait, in Templo Hierosolymis.] Idem Hippolyt. in oratione de consummatione Mundi, Ephrem oratione de Antichr. par. 3. [Honorabit, inquit, Iudæos supra modum, & Iudæorum populi ipsum maximè honore afficiene. Vnde & ipse tamquam eos honore præferens, designabit ipsis omnibus locum suum, ac Templum, suamque illud instaurandi prouidentiam.] Idem Cyrillus Hierosolymitan. catechef. 15. Damasc. lib. 4. cap. 27. exponens Paulum, ait: [Porrò Dei Templum non nostrum intelligit, sed Iudaicum, non enim nobis, sed Iudæis veniet.] Ita etiam interpretantur locum Pauli Sedulius, Haymon. diuus Thomas, & alij communiter. Et potest ità suaderi. Nam verisimilius est, loqui Paulum de Templo materiali, quod est locus adorationis, & sacrificij, quàm de Templo metaphorico Ecclesiæ, vel animi humani; tùm quia illa significatio vocis Templi est magis propria, magisque vsitata, faciliusque poterat à Fidelibus intelligi, quos tunc Paulus instruere volebat; tùm etiam, quia sine dubio alludit ad verba Christi, Matth. 24. [Cùm videritis abominationem stantem in loco sancto.] Vbi non est dubium, quin Christus de materiali Templo loquatur. Tunc autem quando Paulus scribebat, solùm Templum Hierosolymitanum [Templum Dei,] quasi per antonomasiam à Fidelibus vocabatur, quia tunc vel nondùm incœperant Christiana Templa, vel non hac voce appellabantur, vt ex antiquis Patribus constat. Neque in alia significatione inuenitur in Scriptura, & præsertim in Nouo Testamento vox illa [Templi Dei] in proprietate sua, & prout locum sacrificij significat; ergo verisimilius est, in eadem significatione Paulum illa voce vsum fuisse.

Confirmatur hoc testimonium ex alio Matth. 24. vbi Christus ait: [Cùm videritis abo-

abominationem desolationis stantem in loco sancto,] ibi enim per locum sanctum Templum Hierosolymitanum intellexisse testes sunt omnes, qui de statua, seu imagine Cæsaris locum interpretantur, vt Chrysostomus homil.76. Theophyl.ibi. Item Hilar, can.25. in Matth.dicens: [De Antichristi temporibus hæc loquutus est.] Et infrà: [Atque à Iudæis susceptus in loco sanctificationis insistet, vt vbi Sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei bonore venerabilis sit.] Ambrosius etiam lib.10. in c.21. Lucæ, [de Templo interiori Iudæorum exponit.] Et eumdem sensum indicauit ibi Hieronymus, cùm dixit, verba Christi posse intelligi aut simpliciter de Antichristo, aut de imagine Cæsaris, quàm in Templo posuit Pilatus, aut de statua Hadriani, quæ in Sancto sanctorum loco posita fuit, intellexit ergo Hieronymus illum locum sanctum, esse Templum, & Sancta sanctorum; & tamen ibidem ait, de eodem loco Paulum loqui 2.Thessal.2. Vtrumque autem optimè confirmatur ex loco Daniel.9. [Et erit in Templo abominatio desolationis,] quidquid enim ibi per abominationem desolationis significetur, dubitari non potest, quin Templum Hierosolymitanum Daniel intellexerit, nullum enim aliud Templum Dei veri tunc erat, nec de alio est sermo in Testamento Veteri; at Christus Dominus locum Danielis allegat, ergo idem Templum per locum sanctum intellexit: Paulus autem ad vtrumque alludit, ergo de eodem Templo loquitur, de quo Daniel, vt rectè notauit Origenes lib. 6. contra Celsum circa medium.

Secundum principale testimonium est Apocalyp. 11. vbi dicitur testes prædicaturos contra Antichristum interficiendos esse [in ciuitate magna, vbi Dominus eorum crucifixus est,] id est Hierosolymis, interficientur autem ab Antichristo, vt ibidem dicitur, & ibidem Antichristus ipse interficiendus est; ergo longè verisimilius est, ibi præcipuè regnaturum esse Antichristum. Sic Andr. in illum locum suo cap. 30. [In hac namque ciuitate, ait, ad imitationem Dauidis regni sedem (vt probabile fit) constituet.] Idem cap. 62. cum maiori dubitatione. Clarius Aret. cap. 30. [Corpora, inquit, illorum insepulta proijciet in plateis Hierusalem, in ea enim regnabit tamquam Rex Iudæorum, quos seducet.] Et eodem modo locum illum de ciuitate Hierusalem intellexerunt reliqui expositores antiqui, & moderni in illum locum, multique alij Patres docuerunt, Eliam, & Enoch in Hierusalem esse ab Antichristo occidendos, quod non nisi ex hoc loco sumsetuur. Vnde satis probabiliter colligitur, ciuitatem illam futuram esse regiam Antichristi, ideò enim in illa potiùs quàm in alijs testes Christi constanter prædicabunt, quia caput superstitionis erit, sicut olim Petrus, & Paulus in Romana vrbe, quæ caput erat ethnici Imperij præcipuè docere studuerunt: vnde sicut sibi martyrio ibi coronati sunt, ita etiam Enoch, & Elias interficientur ab Antichristo in ciuitate sua regia Hierusalem. Cùm enim Iudæus futurus sit, & pro Messia à Iudæis suscipiendus, & adorandus, vt paulò post dicemus, per se verisimile est, postquam in Oriente Monarchiam vsurpauerit, in ciuitate regia Iudæorum, quam ipse instaurabit, solium suum collocaturum. Illa ergo ciuitas ab Antichristo instaurata, & aucta ibi à Ioanne ciuitas magna vocatur, vel certè magna, quia in ea magna, & mirabilia contigerunt, quia verò fide, & moribus corruptissima erit illo tempore, idcò [spiritualiter Sodoma, & Ægyptus] in eodem loco à Ioanne appellatur.

At verò Rex Angliæ, non obstante dictorum verborum euidentia, Romam à Ioanne illis verbis significatam esse contendit. Et primo aduertit, cùm Ioannes dixit: [Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, illud verbum, spiritualiter, tam Hierosolymis, quàm Sodomæ, & Ægypto tribui, vt credatur, non esse sermonem de Hierusalem materiali, sed mystica, per quam Romam intelligit. Deinde expendit, post prædicta verba Ioannem non addidisse simpliciter, [vbi Dominus eorum crucifixus est,] sed interposita particula [Et, vbi & Dominus eorum, &c.] & ita exponit: [Sedes Antichristi tam plena futura est spiritualibus fornicationibus, & idololatrijs, atque olim fuerunt Sodoma, & Ægyptus, imò persecutione Sanctorum tam cruenta, vt in ea iterum Christus sit crucifigendus in membris suis,] iuxta regulam vulgarem, vt quæ in corpore, & membris fiunt, capiti tribuantur. Tertiò expositionem hanc confirmat ex verbis Ioannis cap. 18. in fine, vbi de mystica Babylone dicit: [Et in ea sanguis Prophetarum, & Sanctorum inuentus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra.] Nam sub illa distributione omnium, Christum etiam comprehendi vult, quia ille interfectus est in terra. Vnde videtur colligere, etiam Christum dici Romæ interfectum,

Tandemque addit, posse dici Romæ occisum Christum, quia auctoritate Romani Imperij occisus fuit, & tamquam reus in Imperatorem Romanum, [ita vt qui illum excusare niteretur, Cæsaris amicus non haberetur.] Potestque hæc interpretatio iuuari, quia nonnulli Catholici non intelligunt in proprio sensu verba illa. Nam Hieronymus epist. 7. multis argumentis persuadere conatur, ibi non esse sermonem de ciuitate propria Hierusalem. Primùm quia in initio eiusdem capitis 11. vocat Ioannes Hierusalem ciuitatem sanctam, dicens: [Et ciuitatem sanctam conculcabunt mensibus 42.] Deinde quia in Scriptura Sacra non ciuitas specialis, sed mundus solet spiritualiter Sodoma, & Ægyptus appellari, & ita concludit ciuitatem illam esse Mundum. Lyranus verò in illum locum per ciuitatem illam magnam, congregationem infidelium intelligit; ergo si licet à proprio verborum sensu recedere, non erit, cui interpretatio Regis probabilis non videatur.

Respondemus in primis ea, quæ Rex aduertit, leuia esse, vel ad suam expositionem suadendam, vel ad veritatem euertendam. Nam quod primò notat, aduerbium illud, spiritualiter, non solùm Sodomæ, & Ægypto, sed etiam Hierosolymis tribui; manifestè falsum est, & contra literam. Quia in

primis

primis non ponitur ibi nomen Hierusalem, vt spiritualiter accipi notetur, sed per periphrasim describitur, per alia nomina metaphorica, quibus eius viles, & fœdæ proprietates notantur, & per mortem Domini, quæ in ea contigit, & ita non apparet, quomodo illud aduerbium, spiritualiter ibi potuerit Hierusalem tribui. Deinde id fit manifestiùs, ordinem verborum notando, quæ sic habent: [Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.] Vbi clarè constat vocem spiritualiter non coniungi cum ciuitate magna, nec poni ad iudicandum, non propriè, sed metaphoricè vocati ciuitatem, aut magnam, sed coniungi cum verbo vocatur, & poni ad explicandum, quomodo illa ciuitas vocetur Sodoma, & Ægyptus, vtique mysticè, & non propriè; extrahit ergo à propria significatione voces (vt sic dicam) in prædicato propositionis positas, non subiectum ipsum, cui illa metaphorica prædicata tribuuntur. Neque etiam potest coniungi vox illa, spiritualiter, cum posterioribus verbis: [Vbi & Dominus eorum crucifixus est, quia illa iam est quasi noua propositio, indicans, illam ciuitatem magnam per aliam conditionem, seu proprietatem eius valde diuersam, cui verbum spiritualiter ibi non tribuitur, nisi quis velit suum arbitrium verba peruertere. Ergo verbum spiritualiter nullo modo tribuitur Hierosolymis, quia neque sub hac ipsa voce, neque sub periphrasi, seu descriptione de illa dicitur. Atque ita concluditur, ex vi illius contextus propter vocem illam spiritualiter, non posse ibi metaphoricè intelligi, nisi nomina Sodomæ, & Ægypti, & in hoc conueniunt Hieronymus, & Lytan. supra allegati cum expositoribus omnibus.

In his autem quæ secundo loco Rex notat particula Et, quam Rex ponderat, nihil veritati obstat, sensus enim literalis, & clarus est, ciuitatem illam non solùm esse spiritualiter Sodomam, & Ægyptum, sed etiam in illa commissum esse illud horrendum facinus occidendi Christum. Vnde libenter accipimus quod Rex ibi fatetur, sermonem ibi esse de ciuitate illa, in qua erit sedes regia Antichristi. Item admittimus, quod addit, futuram esse plenam tenebris, & fornicationibus, vel spiritualibus, vel carnalibus, ob quas Sodoma, & Ægyptus appellatur. Quam verò subiungit interpretationem, vt Christus non in se, sed in suis membris crucifixus ibi dicatur, omninò reijcimus, & improbamus. Nam licèt illa regula interpretandi Scripturas de Domino, & eius corpore trita sit, tamen, vt ait Augustinus illam explicans: [Quid corpori, quid capiti conueniat, vtique intelligendum est.] Quia licèt regula in se, ac generatim sumpta vera sit, in mala eius applicatione, sine delectu, & intellectu facta, grauissimè errari potest. Quod sine dubio Regi non solum in hoc puncto, sed etiam in toto hoc discursu de Antichristo, imò etiam in alijs fidei dogmatibus, & in abusu aliarum regularum interpretandi Scripturas sæpe contingit, aliquoties iam in superioribus notauimus. Et in præsenti est manifestum, primò quia ibi nulla est necessitas talis regulæ, vel metaphoræ, & illa non est applicanda, neque affingenda sine fundamento. Secundo quia verba non iuuant, sed potiùs repugnant, cùm enim dicitur Dominus eorum, expressè distinguitur caput à membris, & ab illis membris, qui pro ipso interfecti fuerunt. Tertiò quia verba illa, [Vbi & Dominus,] ponuntur ad designandam ciuitatem magnam, de qua erat sermo, & distinguendam illam à cæteris; si autem sit sermo de capite in membris, inutile est signum, quia nec tantùm Hierosolymis, nec tantùm Romæ, sed per vniuersum Mundum, & ferè in omnibus vrbibus eius Christus est in suis membris crucifixus. Denique nullus expositorum ita locum illum intellexit, neque Hieronymus, aut Lytanus supra, neque aliquis ex Patribus.

Confirmatione quam tertio loco Rex addidit in c. 18. Apocalypsis maximè moti sunt Beda, & alij, qui dixerunt, Babylonem in illo capite non ciuitatem aliquam specialem, sed vniuersum Mundum significare, quam expositionem valde probabilem esse supra ostensum est: illa autem posita cessat obiectio. Supponendo autem illam Babylonem esse Romam, argumentum Regis parui momenti est: nam si ex illis verbis, [Sanguinis omnium &c.] colligi putat, etiam Christum interfectum esse Romæ, & ideò exponit esse occisum in membris suis Abel, & Machabæi Martyres, item Stephanus, Andreas, & omnes Apostoli Romæ interfecti sunt in terra. At non sunt interfecti Romæ in proprijs personis, nec in membris suis, quia Abel, aut alius similis non fuit caput Martyrum, nec in eis locum habet regula de capite, & corpore; quomodo ergo omnes illi Romæ interfecti sunt? Quod ergo Rex de alijs responderit, nos de Christo respondebimus. Multòque facilius, & probabilius, quia non est necesse illam distributionem intelligere de omnibus Sanctis à principio Mundi interfectis, sed de illis, qui per Tyrannos persequentes Christi Ecclesiam interfecti sunt, & ita non est necesse sub illis comprehendere Christum.

Dices saltem necessarium videri omnes Martyres noui Testamenti comprehendi. Propter hoc respondent docti expositores moderni, sensum non esse, omnes Sanctos interfectos esse Romæ, sed dici in ea inueniri sanguinem omnium Martyrum, quia Romana potentia, & auctoritate interfecti sunt, quotquot vbique pro Christo interfecti fuerunt, maximè vsque ad tempora Ioannis. Potestque expositio hæc satis in litera fundari, sic enim habet: [In ea sanguis Prophetarum, & Sanctorum inuentus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra.] Vbi pondero particulam illam, in terra, in hoc enim posteriori loco non dixit, in ea, id est, in Babylone, sed in terra, id est, vbique in Mundo; ergo non dicit, omnes esse Romæ interfectos, sed omnium vbique interfectorum sanguinem Romæ attribui. Sed instabit aliquis, quia etiam hoc modo non omnes Martyres Romanorum Imperatorum, aut Magistratuum ipsorum, opera interfecti sunt. Nam Stephanus interfectus est à Iudæis populari impetu, aut propria auctoritate, multi etiam in Perside, & alijs locis extra Romanum Imperium interfecti sunt. Respondetur in primis,

mis, hos paucos esse, eorumque non haberi rationem, neque esse necessarium, vt vniuersales sermones Scripturæ sine vlla exceptione semper intelligantur. Vel dici etiam potest, omnium pro Christo interfectorum sanguinem Romæ inueniri, quia omnium martyria Roma suo exemplo approbauit, & omnibus Tyrannis exemplum, & animos præbuit ad persequendum Christianos, ac denique quia vel omnium mortibus cooperata est, vel affectu suo consensit, & ita particeps facta est interfectionis omnium.

Atque hæc omnia in Christi mortem conueniunt, sicque meliùs accommodantur, quæ Rex vltimo loco in sua interpretatione dicit, Christum dici interfectum Romæ, quia Romani Imperatoris auctoritate interfectus est. Hoc enim violentissimè accommodatur ad verba Ioannis cap. 11. Nam ibi non agit de auctoritate, sed de loco, [Vbi Dominus eorum crucifixus est,] vt verba ipsa ostendunt, & occasio, propter quam adiuncta fuere, vtique ad signum exhibendum, quo intelligeretur, de qua ciuitate sermo esset, ad quem finem parum deseruit, aut auctoritatem, aut potentiam, qua Christus occisus est, nosse: potuit enim in toto orbe Romano, & in quacumque eius ciuitate interfici, etiamsi auctoritate Imperatoris necaretur. At verò in cap. 18. omnes illi interfecti, sub quibus Rex vult Christum comprehendi, non dicuntur interfecti Babylone, sed in terra, sanguis autem omnium dicitur esse Babylone, seu Romæ, vtique per participationem, auctoritatem, cooperationem, seu consensum, vt dictum est. Hoc autem modo etiam sanguis Christi non in membris tantùm, sed etiam in sua persona Romæ inuentus est, vel propter rationem Regis, quia per Romanos milites, & Magistratum, & quasi in defensionem auctoritatis Cæsaris interfectus est, vel certè quia Romani Imperatores persequendo, & occidendo Christianos, maximum in Christum odium profitebantur, & ita interfectionis eius participes fiebant. Rex ergo sua illa interpretatione soluit quidem propriam obiectionem, quam in præcedenti confirmatione posuerat: non verò exponit, sed corrumpit verba capitis 11. quæ tractamus.

Ad Hieronymum respondemus in primis, non fauere Regi, quia non de Roma, sed de toto mundo locum interpretatur. Et nihilominùs dicimus, etiam illam interpretationem non probari à nobis, quia est à verbis, & à mente scribentis aliena, vt explicatum est, censentque viri docti, Hieronymum ibi non tam in propria persona, quàm nomine Paulæ, & Eustochij loqui, eaque proponere, quæ ad Hierusalem commendandam, & ab ignominia vindicandam illæ conferre putabant, non expendendo, nec examinando rigorosè veritatem eorum, quæ dicebantur. Nec rationes Hieronymi cogunt, tum quia eadem ciuitas diuersis respectibus, vel temporibus sancta, & iniqua nuncupatur, vt est frequens in Scriptura; tum etiam quia probabile est, ciuitatem sanctam, de qua Ioannes loquitur in initio illius capitis, non esse eandem cum ciuitate magna, de qua in fine loquitur, nam prior est Ecclesia Christi, posterior verò est Hierusalem. Nec est inusitatum in Scriptura, Hierusalem comparari Sodomæ, vt ibi latè expositores ostendunt, & licèt alibi factum non esset, hoc non obstaret, quominùs Ioannes præuidens futurum Hierosolymitanum statum sub tempore Antichristi, eam comparationem faceret, illaque metaphora vteretur. Nam etiam Roma in antiqua Scriptura non inuenitur Babylon appellata, & tamen Petrus, & Ioannes nomen illud per metaphoram imposuerunt. Denique idem Hieronymus Daniel. 11. in fine ex professo docet, Antichristum Hierosolymis collocaturum esse solium regni sui, & ibi in monte Sion esse à Christo interficiendum. Et in hunc sensum exponit latè locum illum Danielis, quem seorsum, vt ipse ait, [prolixè prosequutus est, vt ostenderet Porphyrij calumniam, & Scripturæ difficultatem, cuius intelligentia absque Dei gratia, & doctrina maiorum sibi imperitissimi, vel maximè vendicant.] Quæ verba ideò refero, vt meam etiam in hoc libro prolixitatem eisdem excusem.

CAP. XVII.

Ex descriptione personæ Antichristi, quam Paulus tradit. 2. ad Thessalon. 2. illum Pontificis aduersarium maximum potiùs, quàm Papam esse futurum, euidenter ostenditur.

HOc est tertium caput disputationis, quam Rex de Antichristo proposuit. Qui statim in eiusdem disputationis initio inducit descriptionem personæ Antichristi traditam à Paulo 2. ad Thessal. 2. [Homo peccati, filius perditionis, qui extollitur supra omne, quod dicitur Deus.] In qua omissis duabus prioribus particulis, solùm tertiam expendit, & illam Pontifici accommodat, vt illum Antichristianismi arguat. Et in hunc ferè modum colligit: Papa se extollit supra omne, quod dicitur Deus; ergo est Antichristus. Antecedens patet, nam de Regibus, vel sacerdotibus, vel de vtrisque ait Deus. [Ego dixi, Dij estis,] Psal. 82. At Papa se extollit supra omnes Reges, & Episcopos, nam [super vtriusque gladij potestatem hodie se offert.] Ergo extollit se supra omne, quod dicitur Deus, ac proinde est Antichristus. Neque in eo loco in verbis Pauli proprietatem aliam, vnde Antichristi persona describi, seu cognosci possit, considerare voluit, sed post longam digressionem de sede, & tempore Antichristi, in pag. 102. ad descriptionem personæ illius reuertitur, eamque non ex locis clarioribus Scripturæ, sed ex obscurissimis Apocalypsis visionibus eruere conatur. Sed priùs quam ad illa obscuriora, minusque vtilia necessitate coacti cum illo diuertamus, circa hunc locum Pauli insistendum est. Quoniam ex eo euidenter constare potest, talem describi Antichristi personam, vt non solum à Pontifice Romano distinctus, sed etiam fide, & moribus omninò diuersus, & oppositus, ac denique summus Apostolicæ sedis hostis, & aduersarius cogitandus sit.

Et in primis expendo verba priora, quæ

Rex

Rex omisit. [Homo peccati, filius perditionis.] Nam per hæc verba describitur ille homo vt iniquissimus, & quòd perditissimus sit futurus. Quod paulò post apertiùs idem Apostolus explicuit, dicens: [Ille iniquus, cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, & in omni seductione iniquitatis.] Vnde Chrysostom. ibi Homil.3. [Vocat eum hominem peccati, quia faciet innumerabilia, & procurabit, vt alij faciant terribilia.] Et Theodor. [Ipsum, inquit, hominem peccati appellauit, quandoquidem, natura homo est, qui omnem operationem diaboli in se suscipit. Filius autem perditionis, vt & ipse pereat, & alijs perditionem procuret.] Vnde in hoc dicit Christum æmulaturum; vt sicut Christus omnium fuit causa salutis, ita ipse sit auctor perditionis omnium. Theophyl. [Hominem peccati illum ipsum vocat, vt qui omne peccatorum genus peracturus sit, & alios ad peccarum supplantaturus.] Similia habet ibi Oecumenicus, eisdemque coloribus Antichristum depingunt Cyrill. catech.15. [Iudæos, ait, decipiet, eosque omni genere inhumanitatis, & malis circumscribet, ita vt omnes, qui ante illum improbi, & impij fuerint, excellat malitia.] Et sanctus Ephrem serm. de Antichristo. [Euomet draco in eum vniuersam suam amaritudinem cum omni sua malitia, propinabitque fraudulenter latens in se lethiferum virus.] Et similia habet Damascen lib.4. cap.27. & alij qui de Antichristo scribunt, vel expressè, vel tacitè ita verba Pauli interpretando. Verba enim illa Pauli: [Homo peccati. Filius perditionis] per exaggerationem, & antonomasiam dicta sunt. Habent namque illa genitiua locum adiectiuorum, & absolutè posita illam magnam vim habere solent, sicut idem Paul. ad Colos. 1. Christum vocauit [filium dilectionis suæ, idest, dilectissimum, in quem Pater omnes thesauros dilectionis suæ effudit, vt sensit August. 15. de Trinit. cap.19. in fine. Ad hunc ergo modum vocat idem Paulus hoc loco Antichristum hominem peccati, idest, summe malum, ac perditissimum, vel vt Hugo Card. exposuit, [seruum peccati,] vel vt ait Caietanus, [homo habens plenitudinem omnium peccatorum.] Et hinc etiam Theologi cum Gregorio 15. Moral. cap.28. Antichristum dicunt esse caput malorum omnium sub Sathana, quia in illo futura est omnis malitiæ plenitudo. Et quia sicut Christus est sanctior omnibus bonis, ita Antichristus futurus est peior omnibus malis, vt dixit cum Gloss. D. Thom. 2. Thess.2.

Quis ergo ita sit audax, & impudens, vt descriptionem hanc Bonifacio III. aut Pontificibus, qui post illum fuerunt, attribuere non vereatur? Quid enim mali fecit Bonifacius III. propter quod, [homo peccati, & filius perditionis] vocari meruerit? Nihil profectò tale memoriæ proditum in historijs legimus. Nam sanctè vixit, & sancta decreta edidit, & sanctè mortuus est, vt constat ex Platina, & alijs. Solumque illi ei obijciunt Protestantes, quòd ambitionem Constantinopolitani Patriarchæ, primatum Ecclesiæ appetentis, represserit, & sedem Romanam matrem esse, & caput Ecclesiarum constanter, fideliterque defenderit. At hoc summa laude dignum est, non enim fuit ab eo vsurpatum, aut nouiter inuentum, sed à Deo concessum, & à Patribus, ac prædecessoribus suis acceptum. Id enim omnes superiores Pontifices vsque ad sanctum Gregorium Magnum fecisse, in superioribus ostensum est.

Sed instant, nomen vniuersalis Episcopi ab Imperatore Phoca sibi concessum vsurpasse, vt Anastasius refert. Respondemus in primis, aut eos tractare de nomine vniuersalis Episcopi, aut de re per illud significata, scilicet, primatu Ecclesiæ. Primatum quidem Ecclesiæ Romanæ supra Constantinopolitanam, & alias conferre non potuit Phoca, nam ante illum semper in Ecclesia Romana fuit, & ipsi Patriarchæ Constantinopolitani longe antea, ac semper illum recognouerunt, vt in superioribus ostensum est. Ad summum ergo potuit Phocas Romanæ Ecclesiæ primatum contra insolentiam Cyriaci moderni Archiepiscopi Constantinopolitani defendere, ac declarare. Atque hoc tantum fecisse, Anast. & Paul. Diac. retulerunt, quorum verba recitat Bar. ann.606. num. 2. Si verò de nomine Oecumenici, seu vniuersalis Episcopi tractant, & in eo ponut hoc grande peccatum, inprimis in verbis Anastasij, aut Pauli Diaconi hanc vocem non inuenio, sed voces Primarus, primæ sedis, & capitis Ecclesiarum, quæ antiquissimæ sunt. Deinde etiam si verum sit, Ioannem Archiepiscopum Constantinopolitanum nomen vniuersalis Episcopi vsurpare voluisse, & Cyriacum eadem ambitione laborasse, & propterea Bonifacium obtinuisse à Phoca, vt illum compesceret, ipsumque Phocam id fecisse, & imperiali edicto declarasse, nomen illud solum Romano Pontifici posse conuenire: nihilominùs nec Anastasius refert, neque ostendi potest, Bonifacium, aut successores eius titulum illum accepisse, illa voce explicatum, & significatum. Denique concedamus, si placet, Bonifacium illo titulo, & nomine vsum fuisse, numquid hoc grande peccatum est, vt propterea mereatur Bonifacius homo peccati appellari? Certè si res ipsa, & dignitas vera est, vt re vera est, non multùm refert, hac, vel illa voce illam explicare, & fortasse in ea occasione ad reprimendum, & confundendum Cyriacum illo nomine vti volentem, videri potuit expediens. Alioqui si Bonifacius titulum illum acceptans peccauit, grauius certè Chalcedonensis Synodus deliquit, quæ nomen illud Leoni Magno, eiusque successoribus obtulit, teste Gregor. lib.7. indict.1. epist. 30.

Quod si Gregorius, & prædecessores eius, vt idem ait, illud acceptare noluerunt, vel propter humilitatem, vel quia suis temporibus non iudicarunt necessarium, vel quia vocis ambiguitatem timuerunt: existimari posse, arbitrantes, illo nomine vniuersalis Episcopi omnem alium Episcoparum de medio tolli; potuit nihilominùs Bonifacius suo tempore iam satis explicata voce, & intentione Cyriaci Constantinopolitani Episcopi, ad resistendum illi sine humilitatis præiudicio, ad dignitatem ipsam tuendam nomen acceptare. Admiratione profectò dignum est, quod Henricus Rex Angliæ ad suæ libidinis excusationem nomen capitis Ecclesiæ vsque ad illa tempora inauditum ausus fuerit

rit vsurpare, & à Iacobo Rege non homo peccati, sed potiùs verum Ecclesiæ caput, cui ipse succedere, quemque imitari debeat, censeatur: & Bonifacium III. propter acceptum à maioribus nomen, defensamque dignitatem, Antichristum, hoc est, hominem peccati, & filium perditionis appellare ausus sit. Omitto cæteros Pontifices, qui post Bonifacium sederunt, neque illo titulo ordinariè vsos esse, neque indignum illud nomen hominis peccati meruisse. Nam licèt non negemus, aliquos improbis moribus fuisse, illi tamen pauci fuerunt, & inter eos nullus tam iniquus habitus est, vt homo peccati, & filius perditionis per antonomasiam dici meruerit, & è conuerso multi fuerunt sanctissimi; ex quibus aliqui martyres fuerunt, multi vita, & sanctitate illustres, ac reliqui omnes sine vlla improbitate, vel scandalo Ecclesiam in fide, & iustitia conseruarunt. Descriptionem ergo Antichristi illis verbis à Paulo insinuatam, nemo, qui vel iudicium rationis habeat, Pontifici Romano accommodabit.

Venio ad alia verba, quæ Rex expendit, licèt non integrè illa referat, sic enim habent: [Qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.] Omisit enim Rex verbum Aduersatur, quia suæ interpretationi non congruebat, Pontifex enim non aduersatur Christianis Regibus, aut Episcopis, quos Rex ibi Deorum nomine significari vult, sed eorum se spiritualem Patrem, & protectorem, æquissimumque moderatorem esse profitetur. Prætermisit etiam illa posteriora verba; aut quod colitur, quia sensum ab illo excogitatum prorsùs euertunt. Sed videamus priùs, quomodo sancti Patres verba illa intellexerint. Certè illi non Reges, iudices, aut Principes mundi, vel Ecclesiæ sacerdotes, aut Prælatos Paulum intellexisse existimarunt, sed vt sonant verba: [Omne, quod dicitur Deus,] Et specialiter solent Patres de idolis, & dijs gentium id exponere, quia omnes abijciet Antichristus, & supra omnes eleuabitur, idest, supra omnes, qui Dei, licèt falsò, dicuntur. Sic Chrysost. inquit, [destruet Deos gentium, iubebitque se pro Deo adorari.] Similiter Theodor. [Seipsum Christum, & verum Deum dicet, & ita contra omne, quod dicitur Deus, insurget.] Idem fere Theoph. Oecum. & Ambr. alijque expositores. Iren. verò clarius lib. 3. cap.6. de dijs gentium locum Pauli interpretatur, qui dicuntur dij, sed non sunt, & supra illos ait, extollendum esse Antichristum, non supra verum Deum: Quod quomodo intelligendum sit, dubitare quis potest. Nam idem Iren. lib. 5. cap. 25. licèt eodem modo verba illa exponat, simul de eodem Antichristo dicit; [Existens apostata, & latro, quasi Deus vult adorari.] Vnde adiungit: [Idola quidem seponens ad suadendum, quod ipse sit Deus, se autem extollens vnum idolum.] Itaque Antichristus reuera supra verum Deum, & supra falsos, seu idola se extollet. Sentit autem Iren. Paulum per illa verba [supra omne quod dicitur Deus,] tantùm falsos deos intellexisse, exaltationem verò eius supra verum Deum in alijs verbis: [Vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus,] significasse. Vnde cap. 28. ait. [In templo Dei sedente, vt sicut Christum adorent illum, qui seducuntur ab illo.

Non est autem alienum ab vniuersalitate dictorum verborum, vt intelligantur, tam verum, quàm falsos Deos comprehendere, scilicet, supra omne, quod dicitur Deus, siue verè, siue falsè dicatur, & siue religiosè, siue superstitiosè colatur. Et ita Lyran. ibi & Rab. in tract. de Antichristo, [supra omnes, inquiunt, deos gentium, & non solum supra illos, sed etiam supra omne quod colitur,] idest, supra Sanctam Trinitatem: quæ solum colenda, & adoranda est. Idemque clarè sentit Oecumen. ibi dicens, [Aduersabitur, & extolletur sua superbia non solum aduersùs Deum vniuersorum, sed etiam ad- aduersus idola. Neque enim ad idololatriā ducet homines, sed vt ipsum tanquam Deum adorent, propterea dicitur, quod efferetur super omne quod dicitur Deus, aut Numen] Et 1. Ioan. 4. eadem verba tractans adiungit, [Per hoc, quod addit, & omne numen, etiam Christianismum significat,] in quo nimirum est cultus veri Dei. Præterea Chrysostomus, ibi cum Paulus simul dicat, [Aduersatur, & extollitur, ita exponit. Non enim inducet ad cultum idolorum. sed erit quidam Dei aduersarius,] vtique veri Dei ergo etiam supra illum extolletur, nam faciet se pro Deo adorari, vt idem Chrysostom. subiungit Homil. 40. in Ioan. exponens verba illa. [Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Antichristus, ait, neque se missum à Patre, neque eius voluntate venire dicet, sed omnem potestatem tyrannicè vindicabit, se omnium Deum profitebitur, vt Paulus inquit, supra omne, quod dicitur Deus, aut colitur.] Alij verò Patres nunc de idolis, & falsis Dijs, nunc simpliciter de omni cultu Dei loquuntur. Sic enim Tertul. lib. de Resurrect. carn. ca. 24. [Aduersatur, ait, & super extollitur supra omne, quod dicitur Deus, vel religio, ita vt in templo Dei sedeat, adfirmans Deum se, Idemque, habet lib. de Anima cap. 57. & lib. 5. contra Marcion. cap. 16. Supra omne, ait, quod Deus dicitur, & omnem religionem. Similia videri possunt in Hypolit. Ephren, & alijs in tract. de Antichrist. Cyrill. catechef. 15. Lactant. lib. 7. cap.17. Hieronym. dicta qu. 11. ad Algasi. & idem sentit August. tract. 29. in Ioan. Parumque refert, quod per priora, vel posteriora verba Paulus id dixerit, dummodo constet, in integra descriptione Antichristi, qua ibi potuit, non tantum de alijs metaphoricis (vt sic dicam) seu per participationem quandam, vt sunt Reges, & Prælati, nec tantum de Dijs gentium falsis, seu idolis, sed etiam de vero Deo loquutum fuisse.

Valde ergo frigida est, & inanis Protestantium expositio, aut potiùs accommodatio. Primo, quia est contra communem sensum Patrum. Secundo quia est contra vim verborum, nam distributio illa Supra omne, quod dicitur Deus, plus comprehendit. Vel si verbum illud, quod dicitur. habet emphasim illam, quod dicitur, cum non sit, vt Irenæus significauit, sic non ad Reges vel Prælatos, sed ad idola pertinet: quia Reges, & Prælati eo modo, quo dicuntur Dij, non

fal-

falſo dicuntur, cum ore ipſius Dei dicantur ſecundum quandam analogiam, vel participationem, vel ſi abſolutè ſumitur omne quod dicitur, ſiue ſit, ſiue non ſit, omnem appellatum Deum includit. Et præterea illud nomen Deus debuit maxime comprehendere id, quod frequentiùs, & ab omnibus. & toto vulgo dicitur Deus, Epiſcopi autem, aut Reges, licèt ſemel. aut iterum in Scriptura dij dicantur, vulgo tamen, & communiter non ita appellantur, idola autem gentium tunc maximè deorum nomine ſignificabãtur, & præter illos Deus verus, præſertim à Chriſtianis, tunc maximè Deus dicebatur, ergo de his potiùs, quam de Regibus loquitur Paulus.

Accedit etiam non contemnenda coniectura quod Paulus ibi non quamcumque, animi elationem, ſed ſumme prauam, & inordinatam, in illo homine peccati voluit oſtendere, ac deſcribere, vt verba ipſa, & magis, quæ inferiùs adiungit, præſeferunt. Ergo non loquitur tantum de exaltatione ſuper alios homines in poteſtatibus temporalibus, vel humanis. Hoc enim modo multi fuerunt ſuperbiſſimi Imperatores ſupra omnem humanam poteſtatem ſe extollentes, & ipſe Rex Angliæ in ſuo regno ita vult extolli, vt ſolus recognoſcatur caput in temporalibus, & ſpiritualibus, & ita ſe effert ſupra vtrumque gladium, vt infra Deum nolit recognoſcere ſuperiorem, etiam in ordine ad ſalutem animæ, ſed omnium volens eſſe iudex, à nemine putat ſe poſſe iudicari. Multò ergo maiori ratione poteſt huiuſmodi Rex Antichriſtus ſaltem in imagine, ſeu imitatione appellari. Nam Athanaſ. epiſt. ad ſolitar. vit. agent. circa finem, ita de Conſtantio loquitur: Grauia ſunt iſta, & pluſquam grauia, tamen iſtiuſmodi, quæ congruant in eum, qui Antichriſti imaginem gerit. Quis enim videns, eum in decernendo ſe facere Principem Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt.] Hæc de Conſtantio dixit Athanaſius, quia iudicia Epiſcoporum in rebus Eccleſiaſticis, & præſertim in cauſa fidei vſurpare volebat; quid ergo de ſeculari Principe, qui ſpiritualem primatum ſibi arrogat, dicturus fuiſſet?

Verumtamen licèt hoc genus ſuperbiæ imaginem Antichriſti referat, nondum tamen veritatem, maiorem enim voluit Paulus de Antichriſto indicare, & ideò non ibi deſcriptionem concluſit, ſed addidit: [Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.] Quæ verba ſine cauſa Rex in illa deſcriptione omiſit, cum illa maximè declarent perſonam Antichriſti, & ſuperbiam eius, exponantque quomodo intelligendum ſit prius verbum: [Extollet ſe ſuper omne, quod dicitur Deus:] non quidem ſuper vtriuſque gladij poteſtatem ſe efferendo, intra ordinem miniſtrorum Dei, ſupra ipſum Deum ſe exaltando, & iubendo ſe in templo adorari vt Deum. Et hoc magis declarant, quæ poſtea adiungit: [Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Sathanæ in omni virtute, & ſignis, prodigijs mendacibus.] Nam hæc omnia eo tendent, vt ſe Deum faciat in omni ſeductione iniquitatis.

Ex quibus etiam conſtat, argumentum Regis contra ipſum euidenter retorqueri. Primò ad hominem, quia ipſe dicit, Romanum Pontificem eſſe idololatram, adorando ſanctos vt numina, & Deos, ac ſubinde illis ſe ſubijciendo, & ſeruiendo, at verò Antichriſtus nulli numini ſe ſubijciet, ſed ſupra omne illud extolletur, nec idola, aut ſimulachra venerabitur, ſed eis aduerſabitur, vt Patres ex verbis Pauli colligunt; ergo non loquitur conſequenter Rex dicens, Papam eſſe Antichriſtum. Deinde euidentiſſimum eſt, Papam non ſe facere Deum, nec iubere, ſe adorari vt Deum, nec eſſe Dei, aut Chriſti aduerſarium: nam eius gloriam, verumque cultum tamquam eius miniſter procurat: non eſt igitur Antichriſtus, neque ſe extollit ſicut Antichriſtus. Item Antichriſtus, vt ex Chryſoſtomo referebam, non ſe dicet à Patre, vel Deo miſſum, ſed in nomine ſuo veniet, vt Chriſtus etiam ſignificauit Ioann. 5. Pontifex autem non ſolum à Patre miſſum, ſed etiam à Chriſto ſibi eſſe poteſtatem commiſſam, confitetur, & ſeruum eius, immò & ſeruorum Dei ſe profitetur, quæ igitur eſt conuentio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial, Vicarij Chriſti ad aduerſarium Chriſti?

Vnde addo, iniuſtiſſimè attribui Pontifici verbum extollendi ſe, eo quod dignitatem ſuam ſupra vtriuſque gladij poteſtatem tueatur. Nam qui ius ſuum, & à Deo ſibi propter bonum Eccleſiæ datum defendit, non ſe extollit (quod verbum exceſſum, & arrogantiam ſignificat, & in hoc ſenſu ſine dubio acceptum eſt à Paulo) ſed diuinam inſtitutionem defendit, & vniuerſale bonum Eccleſiæ procurat: Pontifex autem re vera eſt à Chriſto conſtitutus ſupra vtriuſque gladij poteſtatem, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt, ergo non ſe extollit, cum illum gradum honoris Sedi ſuæ vendicat. Et quidem ſi hoc titulo Antichriſti nomen meretur, non à Bonifacio III. ſed à principio Eccleſiæ Antichriſtianiſmus incepit, ſemper enim Pontifices illum excellentiæ gradum in ſua Sede recognouerunt, & defenderunt, vt ſupra oſtendimus. Denique non minùs efficax argumentum ſumitur ex vltimis verbis, quibus deſcribitur Antichriſtus vt operans ſigna, & prodigia mendacia: nam Romana Sedes non eſt vſa his artibus, aut prodigijs ad ſuam dignitatem euendam. Immò ipſe Rex Angliæ dixit, ſe neſcire, quibus artibus ad illud faſtigium poteſtatis aſcenderit, neque mirum, ſi illas neſciat, quia nullæ ſunt, præter ſynceritatem verbi Dei, & efficacitatem promiſſionis Chriſti ſtabilientis Eccleſiam ſuam ſupra petram; veriſque miraculis illam confirmantis, vt c. 19. attingemus.

Sed dicit Rex, hæc prodigioſa ſigna, & mendacia, eſſe miracula, quæ Catholici in Eccleſia facta eſſe, & fieri gloriantur, quæ ipſe irridet, adhibens etiam exemplum de miraculo circa Euchariſtiam facto, quo illius veritatem alibi Bellarminus confirmauit. Quod exemplum tam doctè, & piè idem Bellarminus defendit in ſua reſponſione cap. 9. vt nihil illi addi poſſe videatur. Solùm aduertere oportet, hæc falſa prodigia interdum tribui Antichriſto, vt in hoc loco Pauli, interdum verò prædici de quodam Pſeudo-propheta

eius, vt Apocal. 13. vers. 12. & 13. Et vtrumque locum exponit Rex de falsis miraculis Ecclesiæ, confundit tamen Antichristum cùm propheta eius, & Romanum Pontificem cùm Ecclesia. Vt autem errorem eius, & Protestantium calumniam detegamus, illa duo loca, & puncta distinctè tractare necesse est. Hic ergo de miraculis ipsiusmet Antichristi Apostolus loquitur. Vt ergo Pontificatum Romanum in Antichristianismum transisse Rex nobis probet, oportet vt demonstret, aliquem Romanum Pontificem, qui præstigijs, & prodigijs mendacibus ad Antichristi Imperium erigendum vsus fuerit. At hoc ostendere non potest, fateatur ergo necesse est, descriptionem Antichristi à Paulo datam Pontifici non conuenire.

Minorem ex historijs probare possumus à Bonifacio III. incipiendo, & per alios discurrendo, quod esset prolixum, satis ergo sit in summa dicere, Bonifacium nulla signa fecisse, quibus dignitatem aliquam, vel potestatem, aut Imperium consequutus sit, vt ex historijs, & ex superiùs dictis satis est euidens. De successoribus autem eius etiam sanctissimis; pauca vera miracula in Ecclesiasticis historijs leguntur, tantum abest, vt falsa confingantur. Nam Leonem Secundum qui multis annis post Bonifacium Tertium sedit sanctum virum fuisse, Anastasius, Platina, & alij tradunt, & Romana Ecclesia anniuersario cultu inter sanctos eum veneratur. Et tamen nulla de illo miracula, vel signa leguntur, quibus vel potentiam aliquam vsurpauerit, vel sanctitatis nomen obtinuerit. Martinus autem Primus, qui post Bonifacium Tertium, ante Leonem Secundum sedit, non solùm signis, aut portentis non est vsus ad Ecclesiam decipiendam, verum potius sola Pontificia fide, & spirituali potestate, ac animi constantia Constanti Imperatori, & Paulo Constantinopolitano Episcopo restitit, dicens: [Etiam si totus Orbis dogmata peregriua, & à fide aliena complecti velit, se nec minis cuiusquam, nec blandimentis, nec morte ipsa à doctrina Apostolica, & Euangelica vllo pacto posse auelli.] Hac ergo fide non falsis miraculis Apostolicam Sedem commendauit, & ideò eandem fidem in suis epistolis maximè laudat. Et ob eandem fidem Deus vero miraculo illum à manu Spatharij volentis iussu Imperatoris, & Exarchi Olympij tentantis illum occidere, liberatus est, eumque postea viuum, & mortuum veris miraculis honorauit. Sic etiam Pontifex Deusdedit Martino antiquior, & iunior Bonifacio in historijs sanctus prædicatur, & anniuersaria traditione colitur, suamque dignitatem sine prodigijs mendacibus conseruauit, vera sanctitate vitæ, quam & historiæ referunt, & Ecclesia veneratur, Deus aliquando simplici & vero miraculo, solo osculo ægrum à lepra mundando, manifestauit. Et similia de Gregor. II. III. ac VII. Agathone, Leone VIII. & alijs in grauibus, ac fide dignis historijs referuntur, eiusque cum sanctitate vitæ nonnulla miracula sine vlla fictione, vel mendacij suspitione tribuuntur.

Miracula ergo, quæ à Pontificibus Romanis post Bonifacium interdum facta sunt, longè distant à signis Antichristi: nam hæc erunt in omni seductione iniquitatis, vt Paulus ait, illa verò in fidei defensionem, & Christi honorem semper facta leguntur. Denique Rex ipse alio loco fatetur, se ignorare artes, per quas thronus illæ Romanæ Sedis ad tam excellentem potestatem euectus est, cur ergo nunc fingit, per falsa signa, & portenta mendacia esse comparatum?

Tandem addit Paulus aliud signum, & quasi particulam aliam descriptionis Antichristi, dicens: [quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.] Quæ verba Protestantes, & Rex illos sequens etiam ad metaphoram traducunt, dicentes, spiritum oris Christi esse verbum Dei prædicatum per Lutherum, & ministros eius, quo Deus Papatum debilitauit, & paulatim destruit. Verumtamen neque iste sensus Pauli, neque etiam in eo sensu verum est, quod dicitur. Paulus enim per spiritum oris Christi, eius Imperium efficax, & per illustrationem aduentus eius, verum descensum, & gloriosam apparitionem ad interficiendum Antichristum intelligit. Hoc enim verba in proprietate significant, & non est, cur ad metaphoricos sensus torqueantur. Et ita illa Patres intellexerunt, Chrysostom. ibi oration. 4. [Iussu, inquit, solo, & præsentia, satis est enim eum adesse, & hæc omnia peribunt.] Theodoretus. [Cùm è Cœlo apparuerit, loquetur tantum & scelerato isti omninò afferet interitum.] Et adiungit locum Isai. 11. [Spiritu oris sui interficiet impium.] Oecumen. [Spiritum oris vocat iussum, & præceptum.] Ambros. primo Thessalon. 5. [Subito, & ex insperato apparebit Christus, sicut coruscatio apparet, habens secum militiam exercitus Dei Patris ad perditionem Antichristi, & satellitum eius.] Et id confirmat ex Apocalyp. 11. Hieronymus dicta quæstion. 11. ad Algas. exponit [Spiritu oris sui, id est, Diuina potestate, & suæ maiestatis Imperio, cuius iussisse fecisse est.] Et infra. [Quomodo tenebræ solis fugantur aduentu, sic illustratione aduentus sui eum Dominus destruet, atque delebit.] Et Augustin. 18. de ciuitat. cap. 53. [Illam, inquit, nouissimam persecutionem, quæ ab Antichristo futura est, præsentia sua ipse extinguet Iesus, Sicut scriptum est, &c.] Et inducit verba Pauli. Iuxta hanc ergo verborum proprietatem, verumque sensum, satis constat descriptionē Antichristi quoad hanc partem non esse in Romanis Pontificibus impletam.

Sed neque id, quod in sua metaphora iactant Protestantes, ostendere vmquam potuerunt. Gloriantur enim de verbo Dei (vt supra dicebam,) & spiritu proprio illum induunt. Huicque spiritui proprio fidem adhibent, illoque solo bellum contra Dei Ecclesiam, & Romanum Pontificem mouent, vt euidenter in lib. 1. demonstrauimus. Absit ergo, vt tali verbo, & spiritu oris sui præualere possint contra petram, super quam Deus fundauit Ecclesiam, contra quam portæ inferi non præualebunt. Neque propterea quod multos à fide, & obedientia Romanæ Ecclesiæ peruerterunt, ideò per eos impleta est Pauli prædictio, nulli enim fuerunt hæretici, qui non multos deciperent, & plures peruertit Arrius

Artius, quam Lutherus, & non ideò delere potuit Christi Vicarium, vel Ecclesiam, est ergo inanis gloriatio illa, vanaque præsumptio. Qui ergo integrè consideraverit signa omnia, & colores, quibus Paulus describit venturum Antichristum, euidenter intelliget non solùm dissimilem Pontifici futurum, sed etiam ex diametro contra illum pugnaturum, nam cum sit futurus Christi hostis, non potest non esse maximus Vicarij Christi aduersarius.

CAP. XVIII.

Quæ ex visionibus cap. 6. & 9. Apocalypsis, Rex inducit refelluntur.

PErgit Rex in sua præfation. pag. 102. & ad suam de Pontificum Antichristianismo persuadendamm coniecturam, quatuor visiones Apocalypsis inducit, in quibus ait Antichristum depingi. Prima est in cap. 6. vbi Ioannes narrat apertiones sex sigillorum libri, quem cap. 5. clausum viderat, & post primam visionem equi albi, cui Christus insidebat, & secundam equi rufi persecutionem, quam Christiani, vel à tyrannis, vel à suis cognatis, & amicis passuri erant; & tertiam equi nigri, qui famem, & alias plagas, vel potiùs hæreticorum tenebras, & persecutiones significabat, adiungit quartam visionem equi pallidi, quæ his verbis describitur: [Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ (vel vt Rex ex græco legit super quartam partem terræ) interficere gladio, fame & morte, & bestijs terræ.] Hunc ergo equum pallidum, vel sessorem eius vult Rex esse Antichristum, quod inde confirmat, quod statim illi connectitur quinti sigilli reseratio, in qua sancti Martyres clamant, & accelerari iudidicium, & vindictam exposcunt, quod statim in apertione sexti sigilli conceditur eis. Quid autem tota hæc explicatio ad causam referat, Rex non declarat.

Breuiter ergo respondemus vel falsum, vel valdè incertum esse per illum equum pallidum significari Antichristum. Si enim accuratè Apocalypsis Expositores percurrantur, tot ferè inuenietur expositiones, quot capita. Nam quidam applicantes ea sigilla varijs Imperatoribus Romanis ethnicis, & insignibus Ecclesiæ persecutoribus, equum illum pallidum Domitiano accommodant, vt Petrus Aureolus, quem Viegas sequitur. Alij diuersorum ordinum persecutiones ibi significari intelligentes, equum pallidum Traiano tribuunt, quia illi facilè applicantur insignia pallidi coloris, mortis, & inferni: Ecclesiamque persequutus est ferè illo tempore, quo Ioannes visionem illam videns, à quarto animali mysterium illud didicit, vt Ribera ibi prosequitur. Andreas autem Diocletianum, seu Maximianum intelligit, quorum tempore persecutio simul cum peste, & fame Ecclesiam vexauit. Quod etiam Arethas refert, & sequi videtur. Alij aliter cætera interpretantes, per equum pallidum Mahometum, eiusque per se, & per successores suos Christianorum persecutionem significari existimarunt, vt Ioachimus, & Pannonius. Alij falsos fratres significari dicunt, hypocritas, & pseudoprophetas Ecclesiam persequentes, vt Anselmus, Richardus, Victor. Hugo Cardin. At verò Victor. per equum rufum, nigrum, & pallidum, bella, famem, & pestem à Christo in Euangelio prænunciata significari dicit. Idemque placuit Tyconio homil.5. qui etiam addit, per equum pallidum homines malos intelligi, qui persecutiones excitare non desinunt.] Ambrosius item, vel qui eius nomine fertur, longè aliter, & valdè mysticè locum interpretatur, & in alijs infinita est varietas. Neminem tamen reperio, qui de Antichristo sigillum illud quartum specialiter intellexerit, quamvis si generaliter de pseudo-prophetis, & hypocritis illud intelligamus, rectè sequitur, Antichristum per antonomasiam sub illo comprehendi.

Et hoc quidem probabile est: & ad summum ad id suadendum valet coniectura illa, quòd in quinti sigilli reseratione proponuntur petitiones Sanctorum Martyrum postulantium vindictam, & iudicium, & statim in sexto fit ad iudicium transitus. Quamquam neque illud in rigore suadet. Nam ibidem in apertione quinti sigilli legimus sanctis esse responsum, [vt expectarent modicum tempus, donec implerentur fratres eorum, & conserui illorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.] Ex quo responso intelligimus, illas Sanctorum interpellationes proponi, vt factas antè finem persecutionum, & maximè antè persecutionem Antichristi, ad quam referri potest illud [modicum tempus,] quod sancti expectare iubentur. Nihil ergo est, quod nos cogat per equum pallidum Antichristum intelligere. Sed Id gratis Regi concedamus. Quod quæso inde argumentum ad suam de Romano Pontifice cogitationem fundandam, vel persuadendam sumere potest? Nullum profectò, nàm licet ibi describatur Antichristus venturus, nullum illius descriptionis vestigium in Pontifice inuenitur. Color enim pallidus (ex omnium sententia) indicat timorem nimium, quem tyranni, & præsertim Antichristus hominibus, & Fidelibus maximè, incutiet; Pontifex autem non terroribus, & comminatione mortis homines sibi subiectos habet, sed in virtute spiritus, & verbi Dei, amore potiùs, quàm timore illos gubernat. Vnde quod sequitur, [mors, & infernus,] nullo modo in Pontificem conuenitnne, quia non profitetur, se recepisse potestatem [ad interficiendum gladio, fame, & bestijs terræ;] hæc enim fecerunt Imperatores tyranni, & Reges apostatæ, & rebelles; sed accepit Pontifex potestatem gladij, quo dissipet errorum tenebras, & disperdat vitia, & virtutem plantet. Illius sigilli reseratio, quocumque modo intelligatur, nihil ad punctum, quod tractamus, pertinebat.

Secundam visionem affert ex cap.9. Apocalypsis, in quo quintus Angelus tuba cecinit in capite enim 8. dixerat Ioannes, cùm agnus aperuisset sigillum septimum, vidisse se septem Angelos stantes in conspectu Dei, & da-

tas illi esse septem tubas, & in eo capite quatuor primarum tubarum clangorem describerat, in nono verò capite incipit dicens: [Et quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de Cælo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol, & aer de fumo putei. Et de fumo putei ascenderunt locustæ in terram, & data est eis potestas.] In quibus verbis, & in toto sonitu huius tubæ duo tantùm Rex expendit. Primum est, [Stellam illam, de Cælo cecidit, significare aliquem eximiæ dignitatis, qui de Cælo cecidit, quia cùm deberet esse lux Mundi, sicut Christus præcepit, ille contra munus suum deferens, instar Luciferi deficit, Regnum sibi erigit.] Secundum est, locustas indicare pestiferum, [examen subdolorum, & immanis sæuitiæ animalculorum, quod stella illa in Mundum emisit. Et ad hunc modum (ait Rex) sedes Antichristi cœpta est erigi;] sentiens, stellam illam esse Antichristum,& illum virum eximię dignitatis, qui instar Luciferi defecit, esse Bonifacium III. quem Antichristi initium facit. Quæ autem sint animalcula illa sæuissima, non declarat, videtur autem intelligere, vel omnes Pontificios, vel Doctores omnes,& Pastores, aut fortè Iesuitas, qui Pontificis imperium dilatare student.

Postea verò Rex transitum facit ad clamorem sextæ tubæ, in quo solùm considerat, quòd in fine capitis dicitur: [Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione, neque à furtis suis.] Quæ omnia Protestantium more de Catholicis, vel (vt ipse vult) de Papistis interpretatur. Et primò illis attribuit, quod adorant dæmonia ex Vasquez lib. 3. de cult. & adorat. disp.6. cap.3. Secundò, per simulacra, &c. Imagines intelligit, [quia negari non potest, quin caput doctrinæ de cultu earum sit Romanensis Ecclesia.] Tertiò, per homicidia: exponit cædes, & trucidationes, quas Romana Ecclesia efficit, hæreses persequendo. Quartò, veneficia dicit esse [Agnos Dei, benedicta indusia, reliquias, orationes, quibus putantur homines à varijs periculis præseruari.] Quintò, fornicationem dicit, partim spiritualem esse per idololatriam, partim propriam, quia in Ecclesia frequentior est propter cœlibatum, Sacerdotum, & Clericorum in sacris, [& propter tot otiosos Monachorum, & Sanctimonialium greges: oàm otium est magnum libidinis incentiuũ.] Sextò, furta denique & metaphoricè, & propriè nobis attribuit, dicens: [Furti autem in eo maximè se alligant, quod Deo surripiunt titulos honorum, & amplitudinem potestatis illi soli debitam, quàm in Antichristum caput suum conferunt. Nec minùs in accumulandis opibus furti tenentur, iubileis, indulgentijs, reliquijs, & id genus alijs, &c.]

Tertiò, vt suadet Rex, in his omnibus describi tempora Antichristi, transit ad caput 10. Apocalypsis, vbi Ioannes vidit Angelum stantem super Mare, & super terram voce magna clamantem, [quia tempus non erit ampliùs, sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consumabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas.] Consequenter verò progreditur ad cap.11. dicens, ibi describi exitium Antichristi, & ex professo ostendit, illum significari per bestiam ascendentem de abysso, illamque bestiam esse eamdem, quæ c.13. & 17. commemoratur, [quia semper ex abysso ascendere dicitur.] De quo non multum contendimus, vt ex supradictis constat, & infra iterum dicam. Hic autem hoc ideò Rex inculcare videtur, vt suadeat, Ioannem in cap. 9. de Antichristo tractare, post cuius destructionem sequetur iudicium,& tempora cessabunt.

Hæc ferè Rex: in quibus si atteotè eem expendamus, ea, quæ pertinent ad interpretationem illam, vt per stellam, aut bestiam Antichristum intelligamus, indifferentia sunt, nihilque ad fidei offensionem, vel defensionem spectant: illa verò, quæ calumnias, falsa testimonia, & (vt quod re vera sunt, dicam) blasphemias contra Romanam Ecclesiam continent, nullam habent probationem, sed solam maledicendi libertatem, & Protestantium consuetudinem, à quibus Rex miserè deceptus, eorum sermones imitatur, & ideò responsionem omittere, & omnia contemnere possemus: quia verò sapientibus, & insipientibus debitores sumus, dicemus priùs de literali expositione cap. 9. Apocalypsis, postea verò vanas Regis accommodationes, falsasque calumnias refutabimus.

Primò ergo stella illa, quàm Ioannes vidit cecidisse de Cælo, & datam esse illi clauem abyssi, duas habet apud Catholicos præcipuas expositiones, vnam in bonam partem, alteram in malam, stellam illam interpretantes. Primò ergo dicunt aliqui, stellam illam non esse malum Angelum, nec personam aliquam prauam, sed esse aliquem sanctum Angelum à Deo mittendum circa finem Mundi, vt aperiat puteum abyssi, permittendo, nimirum, Principibus tenebrarum, vt inde ascendant ad infestandos homines, partim tenebris hæresum, & infidelitatum, excæcando mentes eorum, partim grauissimis malis, & persecutionibus iniuos affligendo. Quæ expositio non potest facilè refutari. Nàm cùm dicitur stella illa cecidisse de Cœlo, non significat casum moralem à iustitia ad iniquitatem, sicut dicitur cecidisse de Cœlo Lucifer Is. 14. Sed significat descensum localem velocissimum, & ideò verbo illo declaratur. Et cùm postea dicitur [obscuratus Sol, &c.] non dicitur stellam misisse tenebras, vel mala subsequentia operatam fuisse, sed solùm aperuisse, idest, licentiam dedisse, seu impedimenta abstulisse, & tunc sequutum esse, quod subiungitur: [Et ascendit fumus putei, &c.] quæ sequuntur. Explicaturque interpretatio hæc ex alia simili Apocal. 29. vbi Ioannes [vidit Angelum descendentem de Cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Qui apprehendit diabolum, & sathanam, & ligauit, & misit eum in abyssum, &

clau-

clausit, &c.] Illum enim Angelum bonum esse dubium non est; quid ergo mirum, quod idē Angelus missus etiam fuerit [ad soluendum diabolum modico tempore,] vt ibidem subiungitur. Est sanè sententia hæc valdè probabilis.

Altera verò expositio, quæ in malam partem stellam illam interpretatur, non minùs probabilis est, in plures autem diuiditur. Antiqui enim Expositores stellam illam diabolum esse interpretantur, nempe Luciferum, de quo in persona Regis Babylonis dictum creditur Isai. 14. [Quomodò cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram, &c.] vsque ad illud: [Ad infernum detraheris in profundum laci.] Vnde ponderant, non dixisse Ioannem, vidi stellam descendere, seu descendisse de Cælo, quia non tunc descendit, sed antequam homines conderentur, vel peccarent, descenderat. Vel si fortasse Ioannes vidit tunc quasi stellam descendentem, significabat Angelum malum, qui iam longè ante descenderat. Huic autem stellæ sic expositæ dicitur data clauis abyssi, quia potestas inferni ei commissa est tamquā regi. Nam locustæ illæ feroces, quas Ioannes descripserat, [habebant super se Regem Angelum abyssi,] hic autem Angelus abyssi idem esse videtur, qui dicitur stella eadem, cui clauis abyssi data est, quia potestas ei data est in cæteros illius Regni incolas: Vnde etiā Christus Dominus Matth. 12. Regnum attribuit Sathanæ, dicens: [Si Sathanas Sathanam eijcit, quomodò stabit Regnum eius?] Et ibidem: [Belzebub dicitur Princeps Dæmoniorum.] Neque obstabit, quod clauis illa ad aperiendum deseruierit, vt ibidem dicitur: nam potestas Regni, Ciuitatis, vel domus etiam ad hunc actum extenditur. Et iuxta hanc expositionem possunt cætera intelligi, nam fumus fornacis rectè intelliguntur esse dæmonis tentationes, & locustæ ministri eius, siue mali Angeli, siue perditi homines, &c.

Alij verò per stellam illam non Angelum malum, sed vel genus aliquod malorum hominum, vel aliquem prauum hominem intelligunt. Ambrosius enim ibi: [Per stellam, inquit, hæresiarchæ designantur, quia sicut stellæ in Cælo refulgent, ita etiam ipsi, antequàm caderent, doctrina, atque sapientia refulgebant in Ecclesia.] Et sic consequenter intelligit, locustas esse ministros hæresiarcharum, atque ad hunc modum cætera prosequitur. Anselmus verò licèt per stellam dæmonem intelligat, per locustas hæresiarchas ipsos dæmonis ministros interpretatur, quia sicut locustæ saliunt, & non volant, sed statim in terram recidunt, & mordent, ac corrodunt, ita Hæretici superbia saliunt, sed cùm per cognitionem in altum volare non possint, in terram recidunt, & sunt bonorum corrosores. Vnde consentaneè ad hanc expositionem possumus rectè per stellam illam intelligere insignem Hæresiarcham Lutherum, qui cùm antea suo modo stella esse videretur, aut esse deberet, occulto Dei iudicio permissus est in abyssum errorum cadere, & tenebras effundere, ex quibus ingens locustarum, ministrorum, vel potiùs etiam Hæresiarcharum multitudo pullulauit.

Alij denique per stellam intelligunt, non quemcumque Hæresiarcham, sed aliquē insignem, qui non solum tenebras effundendo, sed etiam per tyrannidem, & potentiam persequendo, Christianos insectatus fuerit. Et sic Lyranus per stellam illam intelligit Valentem Imperatorem, qui persuasione vxoris suæ de altitudine fidei Catholicæ cecidit in hæresim Atianam, & misit prædicatores, qui Vandalos, & Gothos eadem hæresi inficerent. Quos Vandalos significatos dicit per locustas, qui Italiam, & alias Prouincias Catholicas deuastarunt. Quam expositionem sequuti sunt Petrus Aureol. in eumdem locum, & Anton. par. 1. histor. tit. 6. cap. 1. §. 7. quoad hanc posteriorem partem: nam per stellam cadentem, potius Gensericum, vel alium similem Vandalorum Regem, quàm Valentem interpretantur. Quid ergo mirum, si quispiam simili allegoria dicat, Henricum VIII. Regem Angliæ fuisse stellam illam de Cælo cadentem, qui non solum de altitudine fidei in turpissimum schisma, & hæresim lapsus est; sed etiam ex illustri Romanæ Ecclesiæ, non solum armis, sed etiam doctrina, & scriptis defensore, in acerrimum hostem commutatus est: vnde statim densissimus fumus prauæ doctrinæ per totam ditionem eius sparsus est, & fidei lumen, ac intelligentiam obtenebrauit; indeque praui ministri, & acerrimi Catholicorum persecutores tamquam locustæ, & scorpiones, breui tempore multiplicati sunt.

Hæc quidem, & similia facilè à quolibet excogitari possunt. Non tamen ideo illa propooo, quia omnia interpretationi Scripturæ apta, aut probabilia esse iudicem, sed vt intelligat Lector, non magis esse verisimilia, quę Regi Angliæ Protestantes persuaserunt: nam solum per voluntariam accōmodationem sine fundamento in textu Ioannis, & sine consequutione, & obseruatione eorum, quæ in illo clangore buccinæ proponuntur, excogitata fuerunt. Vnde cùm tanta fuerit varietas inter antiquos auctores in exponenda illa stella, cùmque multi eorum dicant, ibi præcursores Antichristi, & calamitates in Ecclesia futuras propè tempora Antichristi designari: nullum autem ante Regem Angliæ, & magistros eius reperio, qui dixerit, stellam illam esse Antichristum, vel locustas esse proprios ministros eius, sed ad summum præcursores, vt eos vocant Anselmus, & alij ex auctoribus allegatis.

Et meritò quidem per stellam cadentem nullus Antichristum intellexit, quia longè diuersa futura sunt Antichristi initia ab his, quæ per stellam cadentem significantur. Nam in Apocalypsi semper inducitur Antichristus vt bestia de abysso ascendens, vt paulò antea Rex ipse notauit, stella autem visa est, vt de Cælo cadens, qui modus oriendi longè diuersus est. Nec refert, si quis dicat, etiam dæmonem repræsentari per bestiam ascendentem de abysso, & nihilominus etiam per stellam cadentem significari posse: nam dæmon prius fuit stella, & cadendo in terram in draconem, & bestiam abyssi commutatus est. At verò Antichristus non erit prius stella, nec erit tamquam Angelus in Cælo, vel tamquam insignis persona habens in hoc Mundo,

do, vel in Ecclesia aliquem excelsum, vel Regni, vel Sacerdotij locum, à quo ceciderit, sederit, vt illum depingit Daniel cap. 7. & 11. [paruus, & despectus, vilissimus, & indignus decore Regio;] talia enim erunt Antichristi exordia, vt supra tactum est, & in sequentibus iterum dicam. Igitur non quadrat in illum accommodatio, seu repræsentatio stellæ in terram cadentis. Vt omittam alia, quæ vix possunt cohærenter ita exponi: nam in omni interpretatione summam habent obscuritatem.

Tandem esto, stella illa sit Antichristus, & per eam significetur aliquis eximiæ dignitatis vir: Profecto hac permissa interpretatione, ex illa conuinci potest, neque vllum ex Pontificibus, neque signatim Bonifacium Tertium Antichristum fuisse. Nullus enim hactenus suam dignitatem ita deseruit, vt Sedem Apostolicam sua maiestate, & excellentia priuauerit, sed omnes constantissimè illam tutati sunt, ac defenderunt. Quod si aliqui per tyrannidem, vel violentam mortem illa priuati fuit, ille non est casus, sed consummatio dignitatis; immò licet aliquis per culpas, vel hæreses ab illa dignitate cecidisset, nullum esset iudicium Antichristianismi, quia ille fuisset casus personalis, non qui adhæreret sedi, nec in illam, nec in successores redundaret. Verumtamen etiam hic casus per Dei gratiam in Pontifice Romano inuentus non est, præsertim vt Pontifex est, & Ecclesiam illuminat, numquam enim Pontifices hæreses docuerunt, aut seminarunt, vt supra late ostensum est. Maximè vero de Bonifacio Tertio in nulla historia legitur, doctrinam prauam in Ecclesiam introduxisse, aut aliquid contra illa verba Christi fecisse, Matth. 5. [Vos estis lux mundi.] Qua ergo fronte, qua vè specie veritatis dicitur fuisse [Stella cadens de Cœlo: quia in eximia dignitate constitutus ad mundum illuminandum, munus suum deseruit?] Respondet tacitè, Rex deseruisse munus suum, quia regnum sibi erexit. Sed hoc iam satis refutatum est. Et iterum hoc modo improbatur: nam vel erexit sibi spirituale regnum, vel temporale. Non primum, quia non vsurpauit Pontificatum, sed ad illum legitimè electus est: & in illo constitutus, nihil sibi spiritualis potestatis arrogauit, quod à prædecessoribus suis traditum, & obseruatum non fuerit, vt sæpè in superioribus dictum, & demonstratum est, vbi de nomine vniuersalis Episcopi etiam est sufficienter dictum. Nec etiam erexit sibi Bonifacius regnum aliquod temporale, quia nullum bellum temporale gessit, nec de tyrannide temporali ab aliquo historiographo accusatus est. Quod est sufficiens argumentum, longissimè distare ab Antichristo, qui prius temporale bellum geret, & imperium vsurpabit, postea Sanctos persequetur.

Atque hinc facilè conuinci potest, cætera, quæ in illo clangore buccinæ audita sunt, [de fumo ascendente de ore putei, &c.] non posse ad tempura Bonifacij accommodari, quia per fumum illum densissimum Solem, & aerem obscurantem, omnes expositores hæreses intelligunt, prauasque doctrinas, nihil enim magis apposite per illas tenebras, & fumum significari potest, cum certum sit, illa omnia non propriè, sed metaphoricè ibi sumi. Nam licet in visione imaginaria sub specie visibili viderentur, non tamen repræsentabant corporalem fumum aliquando ascensurum, ad Solem obscurandum, sed aliquam spiritualem tribulationem, in Ecclesia futuram, fidei veritatem, & lumen obscurantem. At tempore Bonifacij Tertij nulla talis doctrina ex officina Romana prodijt, nec aliquid circa veritatem fidei innouatum est, nec cum aliquo fundamento aliquid tale designari potest, vt in libro primo, & secundo late ostendimus; ergo non cœpit tunc in Romana sede hæc prophetia impleri. Quod argumentum de toto reliquo tempore vsque ad nostram ætatem fieri potest: quia numquam ab illa sede fumus infidelitatis ascendit, vt in eodem loco probatum est.

Denique quod in hoc puncto Rex subiungit de examine locustarum, id est, [immanis sæuitiæ animalculorum, & subdolorum:] quomodo post Bonifacium subsequutum sit, ostendere non potest. Nam post Bonifacium fuerunt in Ecclesia sanctissimi, & sapientissimi Pastores, & Doctores, quales fuerunt ex Græcis Damascenus, Maximus, Germanus Constantinopolitanus, Theophylactus, Photius, Euthymius, & alij. Ex Latinis verò Remigius, Bernardus, D. Thomas, D. Bonauentura, Petrus Damianus, Laurentius Iustinianus, Hugo, & Richardus de Sancto Victore, & singulariter ex Anglia Beda, Anselmus, Lanfrancus, & infiniti alij ex omnibus Christiani Orbis prouincijs, Romanæ Sedi adhærentes, eiusque fidem, & doctrinam ab antiquis acceptam illustrantes, & posteris tradentes. Neque etiam in ministris illius Sedis sæuitia vlla, vel persecutio per vim, aut cruciatus scorpiacos in Ecclesia facta est. Ergo locustæ illæ, vel sæua animalcula ineptissime accommodantur Doctoribus, vel ministris Ecclesiæ Romanæ, cum potius hæreticos, vel alios Antichristi præcursores, vel ministros animalia illa repræsentauerint, vt omnes antiqui, & sapientes intellexerunt. Et licet demus significare proprios ministros veri, & singularis Antichristi, inde potius conuincitur, illum à Bonifacio, & successoribus suis quàm legitime distare.

Exclusa vero verborum accommodatione, quæ per tubam quintam insonuerant, facile refutantur cætera, quæ ex clamore sextæ tubæ per solam calumniam ad detrahendum de Catholicis à Protestantibus arripiuntur. Oportet autem aduertere, in illa visione describi ingentem cladem, & interfectionem futuram in mundo in nouissimis temporibus, sine sub Antichristo, siue (quod probabilius est, magisque receptum) prope tempora illius, sub illis Regibus, qui Romanum imperium disperdent, ante quam Antichristus veniat. Tria vero in visione illa distinguere necesse est, scilicet, multitudinem ingentem ferocium equorum cum sessoribus suis, multitudinem hominum occidentium, & homines ipsos occisos, qui dicuntur esse [tertia pars hominum,] & alios, qui remanserunt, de quibus in fine dicitur, [Non egisse pœnitentiam, &c.] Igitur feroces equi sine dubio repræsentant vel hæreticos, & eorum ministros, vt multi volunt, vel exercitus tyrannorum,

tum, vt veri similius alij opinantur: & ab his occidenda dicitur tertia pars hominum, vtique eorum, [qui signum Dei non habebant,] vt in principio capitis dicitur, & communiter de iniquis, & impijs exponitur. Præter hos reliqui fuerunt homines, qui non sunt occisi in his plagis, de quibus in fine capitis dicitur non egisse [pœnitentiam ab operibus manuum suarum, & hos homines residuos vult Rex Angliæ esse discipulos Antichristi: nam doctrinam Antichristi dicit in illis verbis declarari; & postea omnia accommodat doctrinæ Romanæ Ecclesiæ.

Sed in primis repugnat alijs Scripturis, in quibus dicitur Antichristus destructurus idola, Danielis 11. [Nec quemquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.] Et Paulus 2. Thessalonicens. 2. [Extollens se supra omne, quod dicitur Deus,] vt supra late explicuimus. Vnde colligimus, per verba illa: [Nec egerunt pœnitentiam ab operibus manuum suarum, vt non adorarent dœmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare,] non posse significari discipulos Antichristi, nec doctrinam eius, quia ipse potius docebit, non esse adoranda idola, & cultores illorum persequetur. Atque hinc aliqui colligunt, illas plagas, & cædes non esse futuras sub Antichristo, sed illum præcedere, & quia per illas non consumentur omnino idololatræ, per Antichristum esse perimendos. Alij vero censent, nihil referre, quod illi feroces equi sine exercitus ipsiusmet Antichristi: nam licet ille idololatras persequatur, non poterit omnes qui in mundo sunt occidere. Sicut Mahometus etiam est insectatus idololatras, eos tamen abolere non potuit. Poterunt ergo aliqui etiam post persecutionem Antichristi viuere, & de ijs, qui remanserint post tot hominum cædes, & à suis idololatrijs pœnitentiam non egerunt, recte dicitur, cum ipso Antichristo, vel cum malis Christianis damnandos esse. Nam simili modo licet Antichristus Christianos persequatur, non poterit tamen omnes interficere, nec peruertere, & tamen si qui ex illis residuis praui fuerint, & non egerint pœnitentiam à suis fornicationibus, & homicidijs, &c. etiam illa damnabuntur.

Et ita possunt posteriora verba Ioannis intelligi. [Et non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.] Hæc enim vitia non indicant doctrinam Antichristi, sed prauos mores hominum. Quod notauit ibi Richardus Victor. dicens. [Notandum, vbi ait. Neque egerunt pœnitentiam de operibus manuum suarum, ibi redarguere eorum infidelitatem. Vbi vero dicit, & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs, &c. ibi redarguit eorum prauas actiones.] Hæc autem vitia inueniri quidem solent in multis Catholicis, multo vero magis in hæreticis; inter quos præsertim exerceri veneficia, vulgarissimum est: homicidia vero rorum, & iniustissimas cædes, & in antiquis Hæreticis, Donatistis, Arianis, in historijs, & sanctis Patribus legimus, & in modernis oculis conspicimus, qui eo ferocitatis peruenerunt, vt se ipsos sæpè occidant, vt hostes simul perimant, ne in illorum manus perueniant. Possunt denique sub illis verbis comprehendi etiam alij infideles, qui idola non colunt, vt Pagani, qui maximè vitijs carnis, per fornicationes significatis, dediti esse solent: & Iudæi, qui vsuris, & alijs iniustis negotiationibus frequentiùs inuoluuntur. Ac denique sub illis quatuor membris omnia genera peccatorum mortalium comprehenduntur, à quibus qui pœnitentiam non egerint, licet aliquam Dei veri cognitionem habeant: immò licèt veram fidem habeant, damnabuntur. In quo etiam perstringunt hæc verba hæreticos Protestantes, qui sine pœnitentia peccatoribus salutem promittunt.

Superest, vt ad singulas Protestantium calumnias, quas Rex imbibit, breuiter respondeamus. Et in primis quoad adorationem dœmonis, notissimum est, in Romana Ecclesia non solùm reprobari, sed etiam eius criminis reos grauissime puniri. Neque vllus Doctor catholicus in dubium id reuocauit. Gabriel autem Vasquez vir insignis doctrinæ, & pietatis in hoc à catholicis Doctoribus non dissentit: sed tractat quæstionem de facto; & non de iure, an qui illuditur à dæmone sibi apparenter sub aliqua specie, vel figura Christi, & adorationē exhibet signo vel lumini apparenti, possit per ignorationem, vel bonam intentionem ab idololatria, vel superstitione excusari. Atque vtroque modo excusari posse, quia si ignoratio sit inuincibilis, vt esse potest, culpam excusat. Si vero intentio adorantis non feratur in signum apparens, sed solum in Christum repræsentatum, vel in memoriam reuocatum, excusatur culpa, quia vtroque modo re vera non adoratur dæmon, sed Christus. Quæ doctrina euidenter supponit, adorationem dęmonis per se esse damnabilem. Ad secundum concedimus, catholicæ doctrinæ de culto, & adoratione imaginum Ecclesiam Romanam caput esse, quantum vero dissidium sit inter imagines, & idola, quantumque adoratio imaginum ab idolatria distet, satis in lib. 2. tractatum est. Ad tertium de homicidijs dicimus, illa quidem interdum committi à malis Christianis, & propter illa fore damnandos, nisi pœnitentiam agant: Pœnas vero, quæ auctoritate publica in Ecclesia catholica interdum hæreticis infliguntur, non esse homicidia, sed iusta supplicia.

In quarta calumnia duo includuntur errores vnus est, damnare sacramentalia Ecclesiæ tanquam superstitio, & venefica, quod euidenter falsum est, & blasphemum, cum veneficia dęmonis virtute, & sacramentalia Dei auxilio, oratione, & sanctorum etiam intercessione, Ecclesiæque precatione nitantur, vt in libr. 2. tetigimus, & alibi latius tractauimus. Alius error est, venerationem reliquiarum taxare negare, & miracula diuina, quæ illis medianibus fiunt, damnare contra Scripturam Actor. 19. de sudarijs, & semicinctijs S. Pauli, & cap. 5. de vmbra Petri. Et 4. Reg. 13. de reliquijs Elisei, & contra omnem traditionem, & historiam Ecclesiasticam, adeo constantem, vt vel illam negare, vel illi fidem non adhibere iosolentissimum sit. Quod vero ibi additur de orationibus superstitiosis, Pontificibus, & Pontificijs, nihil obest,

obest, quia ipsi damnant superstitionem illam, & illis signis, vel scriptis, aut verbis vtentes puniunt; vt tractando de superstitione dixi.

Quinta accusatio antiquas hæreses excitat, damnare enim videtur cælibatum, virginitatem, Monachatum, quæ certe hæreses, si ad Christianam doctrinam pertinent, Ecclesiæ fides à principio Antichristi fuit, non Christi. Ipse enim Christus virginitatem, & paupertatem docuit, Paulusque consuluit, & à principio fuerunt in Ecclesia Monachorum greges, & sanctarū Virginum monasteria: Sed hęc alijs locis à nobis latè tractata sunt. Nunc lectorem breuiter aduertimus, vt inter otium vitiosum, & sanctum discernat, nam illud libidinis, vel maiorum vitiorum est incentiuum; hoc vero charitatem nutrit, & ab ea desideratur, dicente Augustino, [Otium sanctum quærit charitas veritatis.] Hoc enim otium, licet ab operibus externis sæpè vacet, non tamen à diuinis studijs, meditationibus, aut orationibus, quatum adiutorio fit, vt libido non dominetur, nec vineat, licet interdum pulset. Et ideo dixit Paul. 1. Corin. 7. [Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu.] Et subdit inferius: [Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis inijciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbat sine impedimento dominum obsecrandi.] Status ergo continentium non solum perfectior, sed ad ipsam continentiam seruandam vtilior est, si homo rectè illo vtatur: nec damnandus est propter particularia personarum vitia, quæ in alijs statibus non desunt, & interdum propter maius commune bonum tolerando, & quantum fieri potest, corrigenda sunt: quod sanctè, & prudenter Romana Ecclesia obseruat.

Quæ vero in sexto membro de furtis dicuntur, falsæ calumniæ Protestantium sunt, neque aliud responsum merentur; vixque illius sunt capaces, qui odium, & indignationem contra indulgentias conceperunt, & illo ita excæcati sunt, vt pias, & voluntarias eleemosynas à furtis discernere non valeant. Nam in concessione indulgentiarum nullus est quæstus non solum iniustus, verum etiam nec indecens, nec resultans in vtilitatem temporalem concedentis indulgentiam, sed est paterna prouidentia succurrendi communibus necessitatibus quorundam fidelium per pia opera aliorum, eos inducendo ad opera satisfactoria pro peccatis, inter quæ sunt eleemosynæ, quibus alij indigentes iuuari possunt. Se de hac materia latius à nobis in proprio loco disputatum est.

Ad ea tandem, quæ Rex tertio loco inducit ex cap. 10. & 11. vt suadeat, in cap. 9. sermonem esse de Antichristo. Respondetur primo ex verbis illis capit. 10. vbi [Angelus iurauit per viuentem in in secula seculorum, quia tempus non erit amplius,] ad summum probari illas tribulationes, & supplicia diuina, quæ in cap. 9. prædicuntur, pertinere ad vltima tempora mundi: inde vero non necessario sequitur, inter plagas dicto cap. 9. prænunciatas contineri vltimam Antichristi persecutionem, satis est enim, quod post illas proxime immineat. Nam quia homines per potiores plagas nec pœnitentiam agere, nec emendati voluerunt, tandem permittet Deus vltimam, post quam mundus consumetur. Vnde comminatio illa, [quia tempus non erit amplius] non oportet, vt intelligatur implenda statim post præcedentes plagas, sed post vltimam, quæ iam instabit. Quod ex consequentibus verbis potest facile intelligi, additur enim: [Tempus non erit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere consummabitur mysterium Dei.] At septimus Angelus non statim cœpit tuba canere, sed in cap. 11. prius præmittitur persecutio Antichristi, & prædicatio Antichristi, & prædicatio testium contra illum, & in fine additur. [Væ secundum abijt,] idest, completum est. Et ecce væ tertium veniet cito. At væ secundum inchoatum fuerat in tuba sexti Angeli, nam primum væ in quinta tuba fuerat consumatum, vt in c. 9. dictum fuerat. Ergo væ secundum quatenus in illo includitur Antichristi persecutio nō fuit completum, nec comprehensum totum in vocibus, & prędictionibus sextæ tubæ, sed duraturum est post omnia, quæ dicuntur cap. 10. Et in priori parte capitis 11. vsque ac dicta verba. [Væ secundum abijt, & ecce væ tertium veniet cito] vtique væ vltimi iudicij diei. Vnde statim subiungitur. [Et septimus Angelus tuba cecinit,] &c.

Vnde si quis verba, & contextum Ioannis attente consideret, facile intelliget, priores plagas cap. 9. ad vniuersum mundum, & magis ad impios, & infideles, & iniquos, quam ad Ecclesiam, & sanctos pertinere, vt indicant verba illa capitis 9. Præceptum est illis, ne læderent.] Et infra. [Nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis:] vltimam verò persecutionem Antichristi, quæ cap. 11. & sequentibus prænunciatur, futuram esse contra Ecclesiam, & contra sanctos, vt patet ex initio capitis. 11. Vnde vlterius possumus distinguere duo tempora Antichristi, vnum, inquam monarchiam expugnabit, & hoc tempus comprehendi potest in visionibus capitis. 9. nam sine dubio calamitates, & plagas orbi inferet per bella, & exercitus suos, quibus totum orbem perturbabit: & pro eo tempore non ita se ostendet Christo contrarium sicut post obtentam monarchiam, imò ficte, & simulate procedet, vt sancti etiam antiquissimi docuerunt. Aliud vero est tempus persecutionis Ecclesiæ, & de hac sine dubio incipit loqui Ioannes in capit. 11. Denique licet daremus Regi, omnes prædictiones quintæ, & sextæ tubæ pertinere ad personam Antichristi, & futuras esse in fine mundi, inde euidentius concluderemus, illas plagas nondum incæpisse, neque illum Antichristum apparuisse, aut bella sua excitare cæpisse, vel saltem non potuisse incipere ante mille annos à temporibus Bonifacij terti, iam enim mundus finitus fuisset, vt in superioribus demonstratum est.

CAP.

CAP. XIX.

Idem ex cap. 13. ostenditur, & omnia, quæ Rex ex illo decerpit, refelluntur.

TErtiam veluti descriptionem Antichristi colligit Rex ex capit. 13. Apocalypsis, multumque laborat, lateque discurrit, vt eam Pontifici Romano accommodet, sed re vera in vanum laborat, & quo licentius loquitur, & pro suo arbitrio, & affectu verba Scripturæ accommodat, eo magis errorem, in quo versatur, ostendit, & nolens impugnat. Prius vero, quam illius discursus expendamus, summa illius capitis iuxta proprium, & literalem sensum magis receptum ante oculos proponamus. Duas etenim habet partes. In priori narrat Ioannes se vidisse bestiam ascendentem de mari, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ, De qua bestia dicit esse similem pardo, & habere pedes sicut vrsi, & os sicut leonis. Et draconem dedisse illi totam virtutem suam, & vnum ex capitibus eius fuisse abscisum in mortem, & plagam mortis eius curatam: & admiratam totam terram adorasse bestiam. Et postea describit Ioannes potestatē datam huic bestię ad loquendum magna, & blasphemias, & ad persequendum Sanctos mensibus duobus. Atque hæc fere sunt, quę in priori visione, & parte illius capitis continentur.

De hac autem priori bestia quid sit, seu repræsentet, & quo sensu accipienda sint, quæ de plaga mortis illi data, & curata, & de tempore persecutionis eius dicuntur, in cap. 6. diximus, vbi Regis metaphoras impugnauimus. Et inde visionem illam ad Pontificem accommodari non posse; imò inde, bestiam illam nondum apparuisse, coniicimus. Nihilominus tamen necessarium est, hoc loco refellere aliqua, quæ contumeliosè per solam maledicentiam Pontifici accommodātur, quęque non nisi Protestantes, & Scripturam adulterantes in ore Regis posuerunt.

Pungens igitur Romanum Pontificem ait bestiam illam apparuisse pardo similem. [Tum propter colorem, quia respersa erat maculis, id est, corruptelis contaminata, tum quod adulterinam quandam imperandi rationem habet, specie spiritualem, re vera seculare, quia super Reges terræ extollitur. [Secundo ait, hanc bestiam apparuisse etiam leopardo similem, [quæ spuria est bellua, è leone, pardoque mixta. [Tertio ait visam esse [vrsinis pedibus ad vires eius significandas, ore autem leonis ad rapacitatem declarandam, seuamque naturam.] Quarto exponit, aperuisse os suum ad blasphemias in Deum, & bellum sanctis intulisse, [quia eam, ait, terram vniuersam adorare oportet, quod nunquam vetus illa ethnica Roma à quoquam postulauit, quæ dedignata non est, fœdere coniunctos Reges socios, atque amicos comiter appellare.] Probat autem hanc adorationem dari Summo Pontificis ex more inaugurandi Pontificem, testemque ipsum Cardinalem Bellarminum appellat.

Verumtamen in primo puncto interpretatio ipsa, seu analogia ad veritatem, & ad literam comparata apta non est, nec sufficiens, quia Antichristus non erit tantum corruptelis contaminatus, sed erit vndique corruptissimus, nec vsurpabit temporale regimen sub specie, vel vmbra spiritualis potestatis, sed primo, ac præcipue temporale imperium occupabit, & violenter vsurpabit, & Deinceps etiam diuinitatem sibi arrogabit, vt partim ex Daniele, & Paulo aperte intelligitur, & in præcedenti capitè tactum est, & in sequenti iterum dicetur. Vnde longe aliter Richard. Victor. lib 4. in Apocalyp. cap. 4. per bestiam illam intelligens imperium ethnicum gentilium Ecclesiam persequentium, ait, comparari pardo maculoso propter variam philosophorum assertionem,] id est, propter variam superstitionem. Ambrosius vero ibi, [hypocrhrysim Antichristi] in varietate colorum dicit designari: [Nam cùm sit futurus homo nequissimus, varijs virtutibus se decorabit, vt facilius stultos quosque decipiat.] Beda vero, & Primasius cum Tyconio Homilia 11. in maculis pardi aiunt repræsentari [gentium varietatem Antichristum sequentium,] siue quia erit multitudo collecta ex diuersis populis, siue quia diuersis hæresibus erit maculata, vt ait Diuus Anselmus. Vnde si maculæ pardi vitia repræsentant, non quoscumque defectus, sed vniuersa vitia in Antichristo futura designant. Accedit quod Antichristus propter velocitatem pardo comparatur quia breuissimo tempore imperium consequetur, & omnia conculcabit. Sicut Danielis septimo, Alexander Magnus propter hanc causam per pardum repræsentatur, vt diuus Hieronimus, & alij exponunt. Item propter crudelitatem in humano sanguine effundendo. Nullus autem nisi impudentissimus sit, similes proprietates in Romano Pontifice audebit confingere. Immò neque Rex Angliæ, neque tota hæreticorum versutia eas corruptelas, quas in Sede Apostolica effingunt, ostendere potuerunt: nam quæ ad doctrinam pertinent corruptelæ non sunt, licèt ab hominibus contrarijs erroribus, & hæresibus corruptis tales iudicentur: quæ vero ad mores spectant, maxima ex parte ab eisdem Ecclesiæ hostibus vltra veritatem efficta, & exaggeratæ sunt; & si aliquæ huiusmodi in Prælatis Ecclesiæ inuentæ aliquando sunt, ad personales, & humanos defectus pertinent, qui sedem ipsam non maculant.

Vnde quæ in secundo, & tertio puncto de similitudine leopardi, & de pedibus vrsinis dicuntur, non grauatè accipimus: aptè enim in verum Antichristum conueniunt. Ex eisdem autem proprietatibus, earumque significatione conuincitur, descriptionem illam non posse Pontifici accomodari: Cur enim Bonifacius Tertius, vel alius similis Pontifex eius successor poterit spurius appellari. cum neque origine talis fuerit, nec electione, sed legitime creatus? Vel quæ rapacitas, aut sæua natura in eis inuenta est, vt vrsinos pedes habere dicantur? Antichristus enim dicitur pedes vrsinos habiturus,

quia [pedibus suis omnia conculcabit,] vt dicitur Daniel 7. Quod autem quarto loco addit de adoratione Pontificis, ridiculum est: non enim adoratur vt Deus, sed vt supremus Ecclesiæ Prælatus, ac Vicarius Dei. Quid enim est adoratio hæc, nisi quædam veneratio, & honoris exhibitio? Ait enim Paulus: [Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. 1. Timot.5. quid ergo mirum, quod is, qui toti Ecclesiæ præest, magna veneratione dignus habeatur? præsertim cum in Christi honorem tota illa veneratio redundet.

Immerito autem comparat Rex Romam ethnicam cum Christiana, tantum enim distat imperium illius ab istius potestate, quantum terrestria, à cœlestibus, corporalia ab spiritualibus, & temporalia ab æternis discrepant, vt in tertio lib. abunde monstratum est. Romani ergo Imperatores tantum temporales domini erant, limitatamque ditionem possidebant, ideoque aliarum ditionum Reges non vt subditos, sed vt socios comiter tractabant. Romani autē Pontifices spirituales Prælati, ac Reges sunt, totumque mundum pro territorio, omnesque oues Christi pro grege habent, & ideo Reges omnes Christianos subditos appellari possunt; & nihilominus eos (nisi hæretici, vel schismatici sint) non solum comiter, sed etiam humanissimos filios, & interdum etiam Dominos appellare non dedignantur. Immò interdum tanta submissione animi id fecerunt, vt eorum verbis abutantur Rex, & Protestantes ad eos Imperatoribus subijciendos, sicut de Gregorio Papa in tertio libro notauimus. Atque hæc sunt satis de prima bestia.

In secunda parte eiusdem capitis 13. narrat Ioannes [Vidisse aliam bestiam ascendentem de terra, quæ habet cornua duo similia agni, & loquebatur sicut Draco,] de qua multa dicit. Primum, fecisse, vt omnes habitantes in terra, adorarent bestiam primam. Secundò datum esse illi, vt faceret [signa magna,] & in particulari ita [vt ignem faceret de Cœlo descendere in terram in conspectu hominum.] Tertiò per hæc signa, [seduxisse habitantes in terra, vt faciant imaginem,] prioris bestiæ, Quartò, [datum esse illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ, & faciat, vt quicumque non adorauerint imaginem bestiæ occidantur.] Quinto, quod [faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem bestiæ in dextera manu sua, aut in frontibus suis, vt nemo possit vendere, neque emere, nisi, qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.] Sextò additur mysterium numeri nominis eius his verbis. [Numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.] Quæ omnia adeo sunt obscura, vt vix humano ingenio coniectari possint, nedum comprehendi. Et vt rectè annotauit Cardinalis Bellarminus signum euidens est, non esse impleta, quia hodie tam sunt obscura, & ænigmatica, sicut quando primum scripta fuerunt, prophetiæ autem, quæ per ænigmata fiunt, licèt antea sint obscura, saltem quando implentur, intelliguntur, & claræ fiunt, aliàs inutiles essent; cum ergo hac perinde obscura sint, ac antea erant, signum est non esse impleta. Et nihilominus Rex Angliæ suo more ita multa accomodat, sicut, vel opinioni suæ, vel ad detrahendum Ramanæ Sedi putat esse accommodata. Prius vero, quam illi respondeamus, proprium, & & literalem sensum huius visionis proponemus, vt comparatione illius error fictæ interpretationis euidentius appareat.

Hæc ergo posterior bestia, vel generatim repræsentat Antichristi pseudo prophetas, & prædicatores, quos ipse ad suam diuinitatem suădendam, & Sanctos persequendos mittet, vt exponunt ibi Primasi. Beda Ansel. & alij & sentit Gregorius XIII. Moral. cap. 26. aliàs 36. vel certe significat aliquem ex illis insignem, & excellentem magicum, & potentem etiam viribus, & exercitu, qui per signa seducendo, & per potentiam cogendo, ad Antichristum adorandum homines cooperetur. Sic Irenæ lib.5. cap.28. post quam priorem huius capitis visionem retulerat, de hac posteriori subiungit. [Post deinde, & de armigero, eius, quem & pseudoprophetam vocat, loquebatur (inquit) quasi draco, & potestatem primæ bestiæ omnem faciebat ei, in conspectu eius.] Eandem comprobat Andre. Cæsar. allegans etiam Irenæum suo capit.37. Aretas verò suo etiam capit.37. licèt in principio videatur, per hanc etiam posteriorem bestiam Antichristum interpretari, postea magis rem declarans, vocat hunc Præcursorem Antichristi, & illos distinguit, comparans cum Ioanne Baptista, & Christo. Victorin. etiam in singulari intelligit falsum Prophetam, qui facturus est portenta, & signa mendacia ante Antichristum. Et hanc nunc frequentius sequuntur eruditi Scriptores, quos refert, & sequitur Maluenda lib.8. de Antichrist. cap.19. Ambrosius verò in Apocalypsim sub disiunctione, ait, hanc bestiam esse, aut multos prædicatores Antichristi, vel aliquem deteriorem cæteris.

Sed licet verum sit, sub illo propheta falso per antonomasiam nominato, alios adumbrari, nihilominus negari non potest, quin de singulari aliquo homine insigni fautore Antichristi, & hominum deceptore Ioannes loquatur, tum quia contextus ipse syncerè spectatus id satis indicat, tum etiam quia in cap.19. euidenter id ostendit idem Ionnes dicens, [Apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.] Vbi euidenter describit eumdem pseudoprophetam, quem sub nomine bestiæ de terra ascendere viderat, & de illo, vt de singulari homine æquè, ac de Antichristo loquitur, & tamquam duos homines specialì modo damnatos numerat, eosque à cæteris sectatoribus Antichristi distinguit, subiungens: Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, &c.] Non est ergo dubium, quin per illam bestiam secundam peculiaris homo, singularisque Antichristi prædicator significetur, cuius duæ præcipuæ proprietates per duas bestiæ conditiones designantur. Dicitur enim habere cornua tamquam agni propter hypocrisim; ostendet enim se mansue-

fuerum, & erit crudelissimus persecutor, vel ostendet se tamquam verum Christum prædicans, loquetur autem vt draco, quia Antichristum prædicabit, motus, & actus à dracone, qui priori [bestiæ dedit totam virtutem suam, & potestatem.] Atque ita duas illas metaphoricas Proprietates exposuerunt Irenæus, Andr. Aret. & alij supra allegati. Et Ticon. aliàs August. Homil. 11. in Apocalyps. licèt illas omnibus hæreticis accommodet. Idemque sensit Gregor. loco supra citato, easdem tribuendo quasi per participationem omnibus falsis prædicationibus Antichristi.

Cætera verò, quæ de hoc falso propheta Ioannes prædicit, licet Patres, & expositores Catholici obscura, & difficilia intellectu esse fateantur, omnes tamen, qui eorum literalem sensum inuestigant, in eis proprietatem verborum, quoad fieri potest, seruare student. Itaque cum dicit facturam esse bestiam illam, vt [omnes habitatores terræ primam adorent, id de diuina adoratione, & vera latria intelligunt, hanc enim ipse Antichristus cupiet adorari, vt in cap. 17. ex Scriptura, & Patribus ostensum est. Item cum dicit facturum signa de sensibilibus miraculis fictis, & mendacibus prodigijs verba exponunt, iuxta verba Christi Matt. 24. [Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia.] Nam sicut quoad pseudochistos per autonomasiam implebuntur hæc verba in Antichristo, ita quoad pseudoprophetas in hoc Antichristi præcursore implenda esse Ioannes sentit. Christum autem loqui de signis externis apparentibus, & sensus illudentibus, nemo vmquam dubitauit. Vnde cum vlterius Ioannes ait, facturam illam secundam bestiam, [vt ignis de cœlo descendat,] de vero locali descensu, & de vero igne, vel saltem de corpore sensibili habente speciem tamquam ignis, omnes etiam interpretantur. Quia hoc, & est consequens ad priorem interpretationem signorum in generali, & est consentaneum proprietati verborum, & nulla est necessitas alias metaphoras confingendi, præsertim, cum Ioannes dicat, descensurum ignem in conspectu hominum. Similiter quod tertio loco addit Ioannes de imagine prioris bestiæ, de propria sensibili imagine, vel statua Antichristi intelligitur; quam facient credentes in eum, & in templis, & fortasse in Hierosolymitano eam collocabunt, vt ipsa adoretur, & Antichristus in ea tamquam verus Deus. Et cum eadem proprietate intelligitur, hunc pseudoprophetam daturum spiritum illi imagini, vt loquarur: nam per pactum cum Dæmone hoc facillimè fieri potest, sicut in sculptilibus, & idolis gentium immundos spiritus loqui solitos fuisse, in historijs notissimum est.

De charactere autem Antichristi, eiusque in manibus, vel fronte impressione, omnes etiam in hoc conueniunt, quòd sit futurum signum sensibile hominibus accommodatum ad externam suæ religionis professionem, & fortasse tamquam insigne quoddam apostasiæ, vel discessionis à Christiana religione, & ad sectæ Antichristianæ aggregationem: quamuis in particulari nemo diuinare possit, qualis character ille futurus sit. Nam illud prius veritas, & proprietas verborum Ioannis requirit; hoc autem posterius, per illa non explicatur, nec in alijs locis Scripturæ reuelatum est, nec ratione inuestigari potest. Denique de nomine bestiæ omnes etiam docent, tale futurum esse, vt ex literis constet, quæ ad rationem numerorum iusta morem Græcæ linguæ redactis, numerum 666. contineant. Quia verò innumeris modis possunt Græcæ literæ ita componi, vt illum numerum reddant, adduunt dicti expositores, sciri non posse, quale futurum sit Antichristi nomen, donec appareat, & tunc ex effectu cognoscatur prophetiæ sensus, & veritas. Nam licèt nunc contingat, nomen alicuius constare ex literis, quæ secundum Græcum Idioma illum numerum reddant, vt de Mahometo, vel Luthero aliqui ostendere conati sunt: illud non est sufficiens Antichristi signum, si alia desint, quia est valde ambiguum, & æquiuocum, & ideò necesse est vt cum alijs coniungantur.

Hanc autem breuem paraphrasim, seu expositionem literalem verborum Ioannis sumo ex auctoribus proximè allegatis. Irenæus enim dicto cap. 28. de hoc pseudopropheta dicit, quod faciet signa [magica operatione.] Et ibidem adiungit cætera verba Ioannis, simpliciterque sine alia interpretatione illa propriè intelligit. In cap. verò 30. latè docet, quod de numero nominis diximus. Victorin. etiam in Apocalyps. circa signum Ignis ait: [Hæc magi per Angelos refugas, & hodie faciunt.] Et addit: faciet etiam, vt imago aurea Antichristo in Templo Hierosolymis ponarur, & intret Angelus refuga, & inde voces, & sortes reddat.] Et de nomine, & nota characteris eodem modo sentit. Idem ferè habet Aret. suo cap. 27. vbi de igne apertè dicit descensurum ita, vt videatur, [Intuentium oculos fascinando,] & de charactere ait, futurum esse [Perniciosi nominis insculpturam,] & dándam esse [in signum, quo possint, vel non possint homines negotiari] supponens illud futurum esse sensibile. Et Andr. cap. 37. [Quidquid, inquit, Pseudochristi præcursor ad hominum deceptionem facturus est, hoc totum per præstigias, & incantationes facturus est, vt Antichristus testimonium habeat à viro, qui tanta miracula patrarit.] Et infrà: [Non est mirum, aut nouum, si in oculis hominum ignem è cælo descendere faciat impostor.] Et adducit exemplum de igne virtute diaboli incenso, vel superne dilapso ad Iobi armentum subitò absumendum. Posteà verò de imagine propria, & loquela eius alia verba interpretatur, exemplisque similium præstigiarum dæmonum confirmat. De charactere item loquitur tamquam de nota sensibili, intelligitque propriè hominibus impelmendum fore, vt signum necessarium ad emendum, & vendendum etiam res necessarias, [Vt saltem, Inquit, ob rerum ad vitam necessariarum penuriam ad violentam mortem adigat,] vtique illos, qui characterem illum recusauerint.

Ac tandem cap. 38. que de nomine Antichristi diximus, tradit, & auctoritate Hypoliti confirmat. [Dabit characterem in dextra manu, & in fronte, ne quis dextra sua manu

manu pretiosam illam Crucem pingat in fronte.] Inferiùs autem sentit, characterem illum futurum esse nomen ipsius Antichristi sigillo sensibiliter impressum in fronte, vel manu. De illo autem nomine negat sciri posse, quale futurum sit. Similiter de charactere Antichristi loquitur Ephrem tract. de Antichristo Metro, seu §. 2. [In dexteram manum, seu frontem insculpturus est homini characterem hunc suum impium, ne facultas sit homini se signandi signo Christi.] Et in sequenti metro signa, & falsa prodigia similiter de externis sensibilibus præstigijs exponit. Ac tandem in metro vlt. idem repetit de charactere, sentiens futurum esse sensibile signum, [quod Christi aduersarij, pro cruce Saluatoris assument.] Indistinctè autem de his loquitur, prout ab Antichristo, vel ab eius pseudopropheta facienda sunt, omniaque Antichristo tribuere videtur. Denique Primasi. Beda, Rupert. & alij in Apocalypsim; imò & moderni omnes in his quæ diximus, consentiunt, licèt in explicando charactere, & nomine Antichristi varias, & inter se dissentientes sententias tradant, quæ varietas nihil nostræ intentioni obest, ideòque necesse non est illam referre, aut expendere, vnusque pro omnibus videri potest Maluenda lib. 8. de Antichristo cap. 18. & 19.

Superest, vt cum hoc simplici Scripturæ sensu, mysticas, & metaphoricas Regis expositiones, seu ad male dicendum accommodationes, conferamus. Ille enim per hanc bestiam secundam, Apostolicam Ecclesiam Pontifici Romano parentem, quam ipse more impiorum Protestantium Apostaticam appellat, interpretatur. Et nihilominùs de illa subiungit: [Cuius firmior origo est, & stabilior, vt quæ visibiliter veræ Ecclesiæ succedat.] In quibus verbis, rei veritate coactus, vel non aduertens quid diceret, Romanam Ecclesiam veram, & Catholicam esse professus est. Nam illa est vera Ecclesia, quæ veræ Ecclesiæ antiquiori visibiliter succedit, vt in primo libro ostensum est. Vnde illa comparatio, qua hæc Ecclesia dicitur firmior, & stabilior, si ad Synagogas Sathanæ, & congregationes Protestantium, seu Apostatarum fiat, rectè, & verissimè facta est: si verò fiat ad Apostolicam sedem, non rectè fit per excessum, sed per æqualitatem fieri deberet. Nam vera Ecclesia non potest à Petra separari, neque è conuerso, ideoque tam firma, & stabilis est Petri successio, quàm est certa veræ, ac visibilis Ecclesiæ duratio; vtraque vero est tam firma, quàm est certum verbum Christi: [Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.]

Quod verò ad interpretationem bestiæ spectat, satis à nobis ostensum est, in proprio sensu significare vnum quemdam singularem hominem. Concedimus autem mysticè posse significare congregationem quamcumque impiorum, hæreticorum, & apostatarum, sequentium, & prædicantium Antichristum; siue generaliter, & typicè dictum, sicut ex Tyconio retulimus, per hanc bestiam significari omnes hæreticorum sectas, & ministros, siue singularem, & proprium Antichristum prædicantium, vt multi Catholici exposuerunt. Sic ergo verum est, bestiam illam esse apostaticam congregationem. Hæc autem apostatica congregatio nunc multiplex est, omnis enim Synagoga Sathanæ sub nomine Christiano collecta apostatica congregatio est, talisque est omnis Lutheranorum, Caluinistarum, Puritanorum, & Protestantium congregatio, similemque esse Anglicanam pseudoecclesiam, in primo libro ex eius statu, & lapsu euidenter ostensum est.

Vt autem Romanam Ecclesiam per illam bestiam repræsentari Rex ostendat, dicit in primis habere [cornua similia agni, quia Christi sponsum refert, & sibi propugnatorem ostendit.] At non per hypocrisim, sed per veram fidem, & adorationem Christi, eiusque imitationem hæc refert, in quo multum ab illa bestia differt. Adiungit: [Reuerà tamen loquitur sicut draco, quia damnabiles, diabolicasque doctrinas docet.] At hoc numquam ab ipso ostensum est; à nobis autem probatum sufficienter est in libro primo, testimonium hoc non solum falsum, sed etiam hæreticum esse, quia vera, & visibilis Ecclesia Christi non potest à fide cadere, cùm sit columna, & firmamentum veritatis, propter promissionem Christi dicentis: [Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.] Et in lib. 2. à cap. 3. non solùm Ecclesiam hanc ab omnibus erroribus, quos in illa Rex fingit, vindicauimus, sed etiam propter contrarias hæreses Angliam, quatenus sub Rege suo nunc militat, apostaticam, & schismaticam esse conuincimus.

Quocircà priùs quàm ad alia progrediar, lectorem admonere libet, vt consideret, quanto maiori, & veriori fundamento regia illa metaphora, in ipsum, suumque miserandum regnum possit retorqueri. Cur enim non dicemus, bestiam illam priorem esse Henricum VIII. & successores eius illum imitantes, & super capita sua nomen habentes blasphemiæ, vtrique, capitis Ecclesiæ, non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus supremi. Cur item non dicetur Henricus fuisse maculosus vt pardus, cùm fidei professionem, & doctrinam, qua pollebat, turpissimis libidinis, schismatis, ac tandem hæresis maculis fœdauerit? Quin etiam velocitate, & ferocitate pardum imitari visus est: nam breuissimo tempore totum ferè Regnum apostatare fecit, & egregios viros in fide constantes atrociter occauit. Denique multò veriùs dicitur Rex Angliæ adulterina imperandi ratione sub specie temporalis potestatis, spiritualem vsurpare, & indebitum cultum, adorationemque ambire, dum tamquam suæ Ecclesiæ caput vult recognosci, obediri, & honorari. Et ad hunc modum possunt cætera facilè accommodari. Similique modo dicemus, alteram bestiam esse Anglicanam Ecclesiam à vera fide lapsam, Regem vt spirituale caput suum venerantem, & infinita verba blasphemiæ in veram Dei Ecclesiam Catholicam, Christique Vicarium proferentem: vel certè bestiam illam secundam dicemus esse ministrorum, falsorumque Prophetarum Regi applaudentium gregem, seducentem ibi habitantes, vt priorem bestiam adorent, eam vt caput Ecclesiæ recognoscendo. Hæc ergo, & similia, & facilè cogitari possunt,

possunt, & maiori cum fundamento dici, tum quia vera sunt, & notissima in vniuerso Orbe, tum quia licèt Rex Angliæ non sit Antichristus, inter eius typos, & præcursores iustè numerari potest, cùm Christum in sua Ecclesia, & Vicario suo persequatur, quod cùm factis exequi non possit, verbis, & probris efficere conatur.

Vnde vlteriùs Rex progreditur, & quod Ioannes dicit de signis, & prodigijs ab hac secunda bestia faciendis, vt gentes seducat, & ad priorem adorandam trahat, ad Ecclesiæ Catholicæ miracula accommodat, quæ falsa, & portenta mendacia esse, & ad conciliandam Pontifici auctoritatem, & potestatem fieri affirmat. Quæ cùm sine probatione contra omnem diuinam, & humanam auctoritatem, ac fidem dicantur, contemnenda potiùs, quàm refellenda videbantur. Breuiter tamen interrogare libet, an credat, in Ecclesia Christi veras potuisse fieri virtutes, ac vera miracula post sexcentesimum sextum annum, nec ne? Si negant fieri potuisse, Christi promissiones eludunt, eisque pro suo arbitrio terminum præfiniunt, Christus enim indefinitè dixit: [Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c.] Et alibi: [Si habueritis fidem, sicut granum synapis &c. Nihil impossibile erit vobis.] Et alibi: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.] Hæ ergo promissiones non possunt ad certum tempus limitari, alioqui posset quispiam dicere, solos Apostolos vera miracula facere potuisse, vel quidpiam simile; quod absurdissimum est. Ergo non pro solis prioribus Ecclesiæ seculis, sed pro omni æuo concessit Christus Ecclesiæ suæ, vt temporibus opportunis talia vera signa in ea fierent.

Dicent, promissiones has factas esse fidei, & ideò potestatem illam durasse in Ecclesia, quamdiu in illa durauit vera fides: postquam verò illa corrupta est, cessasse, & falsa miracula incepisse. Hoc autem est in aliud errorum barathrum incidere: nam si Ecclesia vera fide carere incepit, perijt Ecclesia contra verbum Christi: [Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.] Dicent, perijsse veram Ecclesiam visibilem, sed iam satis ostensum est, Christi veram Ecclesiã visibilem esse, eique Christum perpetuitatem vsque ad finem promisisse. Præterquàm quod signa, & miracula sensibilia esse oportet, atque ideò non nisi ab Ecclesia visibili vera miracula fiunt; illi ergo factæ sunt Christi promissiones, & in ea semper durabit potestas à Christo promissa.

Si ergo potestatem negare non possunt, cur negant esse vera miracula, quæ his temporibus in Ecclesia facta sunt? Non enim pauciora signa veritatis in eis, quàm in illis, quæ in antiqua Ecclesia fiebant, conspiciuntur. Nam in primis facta sunt per viros sanctissimos, Benedictum, Bernardum, Franciscum, Antonium, & alios similes. Deinde frequenter facta sunt ad fidem persuadendam, & in nouis Prouincijs introducendam, vt de Anglia refert Gregorius ferè proximus Bonifacij III. antecessor, & similia fuisse postea in eadem Prouincia facta in eiusdem fidei confirmationem, auctor est Beda lib. 5. histor. cap. 13. & Annales Ecclesiastici referunt, cooperatione similium miraculorum in Flandria, Holandia, alijsque Prouincijs post tempora Bonifacij fuisse fidem introductam. Præterea eadem veritatis indicia in posterioribus miraculis, quæ in prioribus reperiuntur, nimirùm, in miraculo suscitandi mortuum, euidentia præiacentis cadaueris mortui, & vera viuificatio temporis duratione, & pluribus actionibus vitæ, & publica conuersatione confirmata. Denique non minori fide digna historia hæc, quàm illa miracula esse probantur; ergo temerè, & impiè omnia falsa iudicantur.

Quod autem Rex dicit, hæc miracula Ecclesiæ facta esse ad conferendam, & extollendam Pontificis potestatem, non ita est: nam ordinariè fiunt, vel in veræ fidei confirmationem, & propagationem, vel in Christi gloriam, & honorem, sæpe etiam sunt effectus veræ, & firmæ fidei, cui Christus promisit, [Si habueritis fidem sicut granum synapis &c.] aliquando fiunt ex Dei misericordia volentis talia beneficia indigentibus, & petentibus miraculosè concedere, aliquando ad ostensionem sanctitatis alicuius personæ, quam Deus ad aliorum exemplum, & consolationem manifestare vult. Dico autem ordinariè hoc ita esse, quia cum articulus de primatu Pontificis ad fidei dogmata pertineat, & ad veræ fidei, & Ecclesiæ confirmationem notitia eius maximè necessaria sit, etiam in illius veritatis confirmationem potuerunt vera miracula fieri, quoties opportuna, vel necessaria iuxta diuinæ prouidentiæ dispositionem fuerint. Ac denique quamuis vera miracula non semper propter illum finem fiant, nihilominus quatenus fiunt à ministris Ecclesiæ Pontifici obedientibus, & eius auctoritate prædicantibus, satis eandem veritatem de Primatu eius confirmant. Quis ergo non videat, quam sit execranda calumnia, miracula Catholicæ Ecclesiæ cum signis Antichristianæ bestiæ comparare.

Quia verò Ioannes inter signa illius bestiæ vnum peculiare designauit, dicens, [Vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum,] egregiam profectò his verbis Rex affinxit interpretationem, dicens, [Nempe fulmen excommunicationis, cuius tanta vis est, vt thronis exturbare Principes valeat, adeo. vt omnes pro hæreticis occidendi sint, & exurendi: qui bestiæ nolunt imaginem adorare, hoc est, summam eius potestatem nullis limitibus circumscriptam.] In quibus duplex metaphora indicatur, quæ si in allegorico sensu affertur parui momenti est ad persuadendum, eadem enim facilitate, qua fingitur, contemnitur, quia solum ad maledicendum à Protestantibus excogitata est, si verò sensus ille vt literalis proponatur, valde ridiculus est, & intentioni Spiritus Sancti, ipsorumque Protestantium dictis repugnans. Vtrumque breuiter ostendo.

Prima enim metaphora est, qua descendere ignem de cœlo, per metaphoram dicitur esse excommunicationem fulminare. Ac hæc metaphora in primis noua est, sine fundamento in Scriptura, vel Patribus, aut

expositoribus, aut communi modo loquendi. Quis autem credat, Ioannem vsurpasse verba in sola illa metaphorica significatione, quam sibi nuper Protestantes pro sua libidine, & solum ad irridendum confinxerunt? Deinde Ioannes illud ponit vt signum nouum singulare, & admiratione dignum, at fulminare excommunicationem non est nouum, nec singulare, cum etiam ab ipsis hæreticis fiat, vnde nullam habet admirationem, cum quotidianum fit. Imò si illud est Antichristi signum, profectò ante Bonifacium Tertium cœpit Antichristianismus. Nam priùs Innocentius I. contra Imperatorem excommunicationem fulminauit. Denique bestia illa faciet ignem de cælo descendere dæmonis arte, & potestate, fulminatio autem ex communicationis fit potestate à Christo concessa, & in virtute verborum eius. Si Ecclesiam non audierit, &c. Ergo Ioannes non de hoc signo loquitur, nec metaphora est verisimilis.

Dicet fortè Rex, hæc vera esse de iusta & ordinaria excommunicatione, se autem loqui de fulmine illius excommunicationis [cuius tanta est vis, vt thronis exturbare Principes valeat.] Sed contra primò, quia etiam talis excommunicatio potest esse iusta, & legitima potestate facta, vt supra ostensum est. Quanquam re vera impropriè dicatur excommunicatio ipsa exturbare à throno, nam licèt illi duo effectus tanquam duæ pœnæ ab eadem potestate procedant, & simul imponantur, distincti sunt. Nunc autem vt Regi morem geramus tanquam de vno loquimur. Itaque illud etiam fulmen verum, & cœlesti potestate fit, & non est signum mendax, sed verum, vt probauimus, est ergo repugnans cum metaphora. Secundò hoc signum, idest, hæc excommunicatio non fulminatur, seu exhibetur in Ecclesia à prædicatoribus, vel fidelibus obedientibus Pontifici, sed à solo Pontifice, & ita secundum Regiam accommodationem non exhibetur à posteriori bestia, sed à priori, at signum illud faciendi descendere ignem de cælo, non tribuitur à Ioanne priori bestiæ, sed specialiter secundæ, ergo talis interpretatio bestias confundit.

Altera metaphora Regis versatur circa imaginem bestiæ, per quam Rex summam Papæ potestatem significari vult. Hæc autem metaphora eisdem ferè argumentis facilè refellitur, tum quia nullum fundamentum authoritatis, rationis aut probationis habet, tum quia recognoscere, ac venerari hanc summam Pontificis potestatem non est nouũ in Ecclesia Christi, sed ante Bonifacium omnes præcedentes Pontifices eam imaginem induerunt, illaque potestate vsi sunt, omnesque verè fideles illi paruerunt, vt in lib. 3, fusè probatum est. Vltra hæc verò pugnant cum metaphora verba illa, [Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ.] Quis enim Papistarum (vt illi loquuntur) aut veriùs catholicorum docuit vnquam fideles, vt facerent, vel conferrent potestatem Pontifici, cum potiùs constanter doceamus solum Christum illam conferre. Non est ergo illa imago Pontificia potestas, sed aliquid, quod arte, & manibus hominum fieri potest. Nec dicere potest Rex, nihil aliud esse facere imaginem, quam potestatem recognoscere, & confiteri, nam expressè Ioannes duo distinguit, facere imaginem & adorare illam: at verò respectu potestatis, recognoscere potestatem, est venerari illam, ergo aliud est facere imaginem, vndè ferè euidens est, in illis verbis faciendi imaginem, nullam esse metaphoram, vt supra dixi. Quod etiam valdè persuadent sequentia verba [Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, vt & loquatur imago bestiæ.] Hæc enim apertè ostendunt, sermonem esse de imagine materiali & sensibili. Quomodo enim fingi potest Ecclesiam dare spiritum potestati Pontificis, vt loqui possit, vel quippiam simile facere.

Tandem in illis verbis considero duplex signum, vnum faciendi descendere ignem de cœlo, & hoc signum dicitur secunda bestia facere, non per coactionem, sed per seductionem, vt inducat habitantes in terra ad bestiam primam, eiusque imaginem adorandam, vt patet ex verbis illis: [Et seduxit habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.] At verò fulmen excommunicationis non pronunciatur ad inducendos homines per seductionem, sed per vim, & coactionem, quæ maior fit, si cum excommunicatione deturbatio à regno coniungatur. Ergo non quadrat metaphora excommunicationis cum tali signo. Aliud denique signum, scilicèt, dare spiritum imagini bestiæ, & facere, vt loquatur, licèt etiam fit ad seducendum, tamen ad coactionem progreditur, additur enim: [Et faciat, vt quicumque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur.] Et hic etiam non potest accommodari metaphora: nam Ecclesia non dat spiritum, nec loquelam Pontifici, vt potestas eius ad occidendos rebelles extendatur, sed potiùs ipse hanc potestatem suis ministris committit: est ergo ille Scripturæ abusus, non interpretatio.

Deinceps vltrà procedit Rex ad characterem Antichristi Pontifici accommodandum, dicitque characterem bestiæ esse professionẽ obedientiæ, quæ Summo Pontifici fit At Paulus cum monuit fideles [Obedite Præpositis vestris,] non censuit: professionem Ecclesiasticæ, & Christianæ obedientiæ esse Antichristi characterem, sed Christi. Veriorique ratione dicere possemus, iuramentum fidelitatis, quo Rex premit sui regni Catholicos, esse characterem Antichristi, quando quidem sub specie professionis ciuilis obedientiæ sibi debitæ, Vicarij Christi obedientiam negare compellit. Præterea vltra errorem, in quo accommodatio fundatur, repugnat Ioannis verbis. Primò quia vel per obedientiæ professionẽ intelligitur solùm modus ipse viuendi sub obedientia Pontificis, vel intelligitur aliqua specialis formula hanc obedientiam profitendi. Prior sensus non est iuxta mentem Ioannis, quia expressè loquitur de aliquo signo gestando à sectatoribus Antichristi, quo protestentur sectam, & obedientiam eius, vt supra visum est, & ex litera ipsa euidenter constat. Si autem per professionem intelligatur peculiaris forma promittendi obedientiam Pontifici, non quadrat cum verbis Ioannis. Primò: quia Ioannes

nes ait [omnes pusillos, & magnos, diuites, & pauperes, liberos, & seruos] gestaturos esse characterem bestiæ, at verò specialis professio obedientiæ ad Pontificem, non exigitur ab omnibus fidelibus pusillis, & magnis, sed à Pastoribus, vel Doctoribus Ecclesiasticis, alijsvè in simili gradu constitutis.

Secundo character Antichristi ita esse debet communis, & familiaris omnibus, vt sine illo nullus permittatur emete, aut vendere, etiam ad vitam necessaria. Vnde notant Pattes, in eum finem esse imprimendum, vt vel propter vitæ sustentationem omnes homines illum suscipere cogantur, sicut nunc Anglia coguntur Catholici Ecclesias hæreticorum adire, vel iuramentum fidelitatis profiteri, ne bonis ad vitam necessarijs, vel vita ipsa priuentur, at in Romana Ecclesia professio obedientiæ ad Pontificem non exigitur, vt homines possint emere, & vendere, nec sub coactione amittendi necessaria ad vitam, sed in specialibus occasionibus, vbi ad securitatem doctrinæ, gradus, vel muneris suscipiendi iudicatur conueniens, postulatur: nulla est ergo huius characteris ad illam professionem comparatio. Tertiò character Antichristi futurum est signum aliquod permanens manibus gestatum, vel fronti impressum, quod videri possit, vt homines ad dictos contractus humanos admittantur, professio autem obedientiæ est signum (vt ita dicam) transiens, quod in susceptione alicuius muneris semel exhibetur, postea vero nec in manibus, nec in fronte gestatur. Est ergo friuola characteris accommodatio.

Peruenit tandem ad numerum nominis Antichristi, & duas expositiones adhibet. Vna est, vt ille numerus non sit nominis, sed personæ Antichristi, idest, vt necessarium non sit in literis nominis eius illum numerum contineri, sed in ipsa persona, quia in eta annos illius numeri, scilicet *666.* venturus fuit Antichristus. Quam expositionem colligit ex eo, quod idem numerus, qui priùs dictus fuerat [numerus nominis eius. postea dicitur numerus bestiæ, ibi. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ,] & statim addirut, Numerus enim hominis est. Et in his posterioribus verbis videtur Rex per hominem Christum Dominum interpretari, ait enim iuxta hanc expositionem dici numerum hominis, quia est numerus annorum Domini. Sic autem ait, impletam esse prophetiam in Bonifacio III. qui primus, ait, se nominauit vniuersalem Archiepiscopum, quo titulo Sanctus Gregorius Antichristum fore cognoscendum prædixerat.] Atque illa quidem expositio noua non est, nam Ioannes Annius, & quidam alij illa vsi sunt vt ostenderent Mahometum fuisse Antichristum. Et licet illam Regi permitteremus. nihil refert, vt statim dicam.

Negari autem non potest, Ioannem prædixisse numerum illum *666.* futurum esse in nomine Antichristi, expresse enim dixit, aut numerum nominis eius, idest contentum in literis nominis eius, & ita intellexerunt illa verba omnes interpretes. Hoc ergo negari non potest, licet non repugnet: per illum eundem numerum nominis mysticè indicari aliquā proprietatem ad personam pertinentem. Vnde si cum veritate aliarum prophetiarum, vel historiæ posset consistere, vt per illum numerum significaretur tempus ortus Antichristi secundum numerum annorum Domini, vel tempus durationis throni eius, vt alij de Mahometo dixerunt, hoc quidem cum verbis Ioannis non repugnaret. Tamen illud non ita esse in Mahomete, re ipsa monstratum est, vt ostendit Pereira. De proprio autem Antichristo constat ex alijs prophetijs, iuxta quas nec tam cito venire potuit, nec thronus eius tanto tempore durabit, vt supra ostensum est.

Iuxta Protestantium autem accommodationem clarum est, non posse referri numerum illum ad tempus durationis Antichristi, quia opinione illorum iam durauit plusquam mille annis. Propterea ergo Rex studuit numerum accommodare ad tempus ortus eius. Verumtamen etiam hic sensus nullum fundamentum habet in textu, nam eumdem numerum, quem priùs vocauit numerum nominis bestiæ, statim breuitatis causa vocat numerum bestiæ; cum verò subdit, eumdem esse numerum hominis, per hominem non intelligit Christum, quis enim hoc vmquam cogitauit? aut quo fundamento affirmari potest? Accedit, quod neque in illo sensu veritas illi numero respondet, quia Benedictus III. anno *666.* sedit. Respondet primò, numerum illorum annorum non ab anno Natiuitatis Christi, sed ab eo, in quo Pompeius templum diruit, computandum est. Sed hoc neque ratione subsistit; cur enim ab illo potiùs, quàm ab alio quouis tempore computandus est ille numerus? neque constanter est dictum, quia iam ille non erit numerus annorum Domini, sicut paulò anteà dixerat. Ac propterea respondet aliter, sexaginta annis post Bonifacium fuisse confirmatum regnum Antichristi, & ita fuisse numerum illum expletum. Sed hoc non minùs friuolum, & voluntarium est, quia neque Pontifices illis sexaginta annis post Bonifacium magis vsurparunt nomen vniuersalis Episcopi, quam per centum, vel plures sequentes, neque potestate, aut dignitate magis creuerunt.

Prætetquamquòd etiam falsum est, Bonifacium vsurpasse nomen vniuersalis Episcopi, quia solùm ab alio vsurpante vindicauit, & suæ tantùm Sedi posse congruere ostendit, licèt non constet, illo titulo vsum fuisse. Quòd si hæc vsurpatio appelletur, non ille primò, sed Leo Papa ante plures annos illud nomen vsurpasse dicendus erit, quia & Synodus Chalcedonensis titulum illum ei tribuit, vt supra ex Gregorio retuli, & ipse in suis epistolis vniuersalis Ecclesiæ Episcopum se nominat, quod perindè est. Falsum denique est, Gregorium dicere, Antichristum titulo vniuersalis Episcopi fore cognoscendum, sed verba Gregorij sunt. [Quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo, se cæteris præponit.] Quo autem sensu Gregorius nomen illud reprehenderit, iam supra declaratum est. Quidquid verò de vocabulo, & vsu eius fuerit, ex illo loco Gregorij euidenter colligitur, Bonifacium non esse Antichristum, sed ad summum posse inferri, fuisse elatum, vel imitatione

qua-

quadam præcurrisse Antichristum, ex quo apertè sequitur, non fuisse Antichristum. Meliùs certè posset considerare Rex, Gregorium ibi ponere, vt notam Antichristi, quod se Deum dicet, & quòd Deus videri velit super omnes homines. Quod nec Bonifacius, neque vllus Pontificum hactenus fecit. Verùsque nos possumus illi obijcere sententiam Athanasij epist. ad Solitar. vit. agent. in superioribus commemorata, vbi inter imagines Antichristi ponit, [secularem Principem Primatum Ecclesiasticum supra Episcopos vsurpantem.

Aliam denique expositionem illius numeri nominis Antichristi admittit Rex, eamque accommodat Pontifici, quia in hoc nomine Latinus Græcis terminis scriptus ille numerus continetur. [Quod rectè, ait, cùm Romana Ecclesia, cùm Romana fide, & cùm Latina liturgia congruit.] Sed quàm sint hæc omnia violenta, & friuola, perspicuum est. Et in primis benè notauit Bellarminus, Latinos Græce non per ει, sed per ι, scribi, & hoc modo non reddere numerum illum. Nihilominus tamen Aretas suo capite 38. in Apocalyps. inter alia nomina, quæ de Antichristo excogitari possunt, nomen Lateinos posuit, statim verò addidit, oportere scribi per diphtongum (vtique præter morem, & proprietatem Scripturæ) vt possit illum numerum reddere. Deinde Ioannes de nomine proprio Antichristi loquutus est, nullus fuit autem Pontifex, qui proprio nomine Latinus sit appellatus, communi autem nomine etiam Rex Angliæ est Latinus, & Lutherus, & Caluinus fuit latinus; cur ergo magis Pontifex, quam quilibet illorum Antichristus censendus est propter nomen Latinum? Hæc igitur omnia, quæ de Antichristo, eiusque Antesignano in illo capite 13. dicuntur, sincere intellecta, euidenter ostendunt, Antichristum, prout ibi describitur, nondum apparuisse, & toto Cœlo à Pontifice Romano distare: extortæ autem, & violentæ interpretationes metaphoricæ Protestantium non minori claritate produnt errorem, in quo isti homines cæci versantur.

CAP. XX.

Quæ circa 14. 15. & 16. caput Apocalypsis Rex notat, discutiuntur.

Finita tertia visione, prius quam Rex ad quartam transeat. ex cap. 17. sumendam, quædam ex cap. 14. 15. & 16. arripit, quæ licèt leuiora sint, operæ pretium duximus, illa notare, vt nihil quod ad causam pertineat, intactum relinquamus. In principio igitur capitis 14. priùs narrat Ioannes peculiarem gloriam sanctorum Virginum sibi manifestatam; deinde narrat visionem Angeli volantis per medium Cœlum, & habentis Euangelium æternum, & diem iudicij annunciantis. Et in his duobus nihil occurrit annotatione dignum. Tertio ait Ioannes, & alius Angelus sequutus est, dicens: [Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ suæ potauit omnes gentes,] vbi Rex notat ruinam hanc Babylonis, quam hic Angelus prænunciauit, esse interitum Antichristi. Per Babylonem autem vult intelligi Romam, vt in superioribus sæpius dixerat. Vnde significat, Antichristum Romæ, & in eius incendio, ad destructionem esse interimendum. Verumtamen Antichristum esse interficiendum Romæ, noua fictio est sine fundamento excogitata ad suspicionem aliquam prauam de Romana fide generandam. Antiqui enim in Oriente occidendum esse tradiderunt, vt ex Lactant. libro septimo capite decimoseptimo, & sequentibus, & Hypolit. Irenæo, & alijs antiquis colligitur. Hieronymus autem Isaiæ capite, vigesimoquinto in monte Oliueti dixit, esse occidendum. Potestque colligi ex capite vndecimo, Daniel. in fine, & ex capite vndecimo Apocalypsis, vt supra notaui. Et capite decimonono, dixit Euangelista Ioannes, Antichristum viuum esse detrudendum in infernum, vtique imperio Christi, vt Paulus secundæ ad Thessalonicenses capite 2. significauit, & Daniel capite octauo, dicens, [Sine manu conteretur.] Si ergo per Babyloniam, Romam intelligamus, tantum abest, vt Romæ ruina sit interitus Antichristi, vt potius per illum, vel duces, aut socios eius abolenda, & igni tradenda sit, vt ex capite decimo octauo, Apocalypsis colligi potest. Nam vt supra notaui, si Roma delenda est ante iudicij tempus, non erit, nisi tempore Antichristi, & eius conatu, vt extincto nomine Romano, ipse nouam, excellentioremque monarchiam erigere videatur. Si vero per Babylonem, mundum hunc intelligamus, Incendium illud Babyloniæ supponet iam finitam Antichristi persecutionem, & destructionem, ac perditionem eius; ergo neque isto modo ruina Babyloniæ erit interitus Antichristi.

Post has verò duorum Angelorum voces, & monita, tertius sequitur Angelus, tam supplicia in Antichristi sectatores superuentura, quam beatitudinem eorum, qui patienter tribulationem tolerantes, & mandata Dei custodientes in Domino mortui sunt, denuncians. Et quoniam hæc discretio in iudicio facienda est, & ideò statim visio, & repræsentatio iudicij subiungitur. Hæc verò, vt omnes expositores aduertunt, magna ex parte per anticipationem dicta fuere: nam priusquam fiat iudicium præcedent septem plagæ, quæ capite 15. in generali denunciantur, & in capite 16. sigillatim recensentur. Quas nunc explicare nostri muneris non est. Quia verò Rex sensum earum allegoricè ludit, aduerto breuiter, plagas illas ad literam, & propriè intelligi de tribulationibus, & calamitatibus corporalibus, & externis, vt fuerunt plagæ Ægypti, quibus illas comparant Irenæ. lib. 4. cap. 50. Andr. cap. 46. in Apocalyps. vbi singulas ita exponit, quem ferè imitatur Aretas. Et meritò, nam omnia, quæ ibi dicuntur, verè, ac propriè possunt intelligi, & ideò ita sunt intelligenda. Nihilominùs tamen illas plagas more suo Rex in maledicta, & opprobria sanctæ Ecclesiæ, & Pontificis per suas allegorias conuertit; non tamen omnes accommodat, sed quas peruertere, & accommodare potuit, semperque easdem errores supponit, per bestiam Pontificem interpretan-

tando, per pseudoprophetam verò Apostolicam Ecclesiam, & ita tenebras in quinta phiala super sedem Antichristi effusas, dicie esse tenebras ignorantiæ, & erroris Ecclesiæ Romanæ. Ita enim solent hæretici ad excusationem sui erroris, & pertinaciæ, Ecclesiam ignorantiæ, & cæcitatis arguere: cum enim ipsi cæci sint, Ecclesiæ lumen videre non possunt, vt Augustinus sæpe contra Donatistas notat.

Præterquamquod nec metaphora est necessaria, vt dixi, nec potest accommodari; nam illæ plagæ superuenturæ sunt super bestiam, & regnum eius, idest, super Antichristum, & homines ab eo deceptos, vt ibi dicitur. Vnde iam supponent densissimas tenebras spirituales; non est ergo de illis sermo. Sed tenebræ posteà per phialam quintam effundendæ, erunt verè corporales, aut saltem temporales, quia vel super Hierusalem, vbi erit sedes Antichristi, & super totam illam regionem sensibiles tenebræ, & frequentissimę effundentur: vel splendor humanus, & fama Antichristiani regni obscurabitur magnitudine calamitatum, à quibus non poterit Antichristus suis artibus subditos liberare. Vnde fiet, vt ingenti dolore omnes affligantur, ita vt linguas suas præ dolore commanducent, & Deum blasphement præ doloribus, & vulneribus suis, & non agant pœnitentiam ex operibus suis. Quæ verba numquam potuit, nec poterit Rex sine rubore ad Ecclesiam accommodare, facilè autem intelligi potest, quam meliori analogia, magisque in veritate fundata, possent ad tenebras, & linguas, & blasphemias, & impœnitentiam Protestantium transferri.

Progreditur Rex ad sextum Angelum, qui siccando Euphratem, præparauit viam Regibus ab ortu solis, quod dicit, esse impletum, cum iam homo peccati cæptus est reuelari, sublatis omnibus impedimentis, quæ possunt iter eorum, idest, Orientalium Regum ad inuadendum illum monarcham remorari. Vbi per Reges ab ortu solis, se & similes Reges rebelles Ecclesiæ Romanæ, eamque persequentes intelligit, vt inferiùs in quarta visione pag. 121. clarius exponit. Et his Regibus ait, parandam esse viam per effusionem illius sextæ phialæ, vt sublatis impedimentis Monarchiam Ecclesiæ (quam ipse Antichristi esse fingit) liberè, & inopinato inuadant. Sicut Cyrus, ait, inopinato transitu Euphratis Babylonem cæpit, & Balthassarem Regem eius, vasis ad Dei ministerium comparatis abutentem, atque ita tamquam in Dei templo sedentem occidit.

In qua tota metaphora, omissa eius impietate, & audacia, summam ignorantiam Protestantium sic exponentium aduerto: quia non solùm extra literalem sensum suo arbitrio loquuntur, sed etiam contra illum verba accommodant. Nam Reges illi, quibus per effusionem sextæ phialæ, & exsiccatione Euphratis via parabitur, non contra Antichristum incessuri prædicuntur, sed potiùs ad inuandum Antichristum in exterminatione populi Dei, sicut circa Danielis prophetias infra cap. 22. notabimus, & sumi etiam potest ex verbis, quæ Ioannes paulò inferiùs subiungit: [Spiritus dæmoniorum procedunt ad Reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.] Et ita locum illum de conuocatione omnium Regum terræ, & præsertim Orientalium, per Antichristum facienda ad debellandos omnes Christianos, omnes interpretantur. De qua conuocatione, & ingenti ad prælium congregatione sub nominibus God, & Magog mentionem fecit idem Ioann. cap. 20. post Ezech. cap. 38. Quomodo ergo quadrare potest metaphora, vt per Reges ab Oriente venturos intelligantur hæretici contra Papam insurgentes? quid magis friuolum, magisque ridiculum dici, aut cogitari potuit?

Accedit, quod illi Reges non congregabuntur, quando Antichristus incipiet reuelari, sed postquam Antichristus ab vniuerso mundo agnitus, & per suum Pseudo-prophetam satis publicè prædicatus fuerit, imò postquam iam cœperit per alias tribulationes regnum eius affligi, vt ex præcedentibus phialis, & sequentibus verbis manifestum est: at illi hæretici orti, & congregati sunt antequam Antichristus notus esset, vel reuelari inciperet; ipsi enim primi fabulam illam confinxerunt, & thronus, cui ipsi nomen illud imposuerunt, semper fuit notissimus Ecclesiæ, & nihil eorum, quæ per phialas illas prædicuntur, passus est. Denique illorum Regum congregatio futura est in prælium ad diem magnum Omnipotentis Dei, quando nimirum Christus de illis triumphabit, simulque Gog, & Magog destruet. At hæresiarchæ isti nec in vnum diem congregati sunt, & longè ante tempora diei magni Dei prodierunt. In hoc ergo solum conueniunt cum illis Regibus quod re vera contra Christum surrexerunt, & & Antichristo viam parant, & contra Christi Vicarium (sub titulo ficti Antichristi) bellum mouent.

Concludit tamdem Rex, hanc suam prolixam allegoriam, inducendo illa verba eiusdem sextæ phialæ à Ioanne scripta: [Et vidi de ore Draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudo-prophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.] Per quos intelligit nouam sectam exurgentem ad thronum Antichristi tenebris obscuratum, & labantem illustrandum, & fulciendum, quam dicit ternario numero significari, quia tribus magistris diriguntur, Draconis, id est, Sathanæ, Antichristi, id est, Pontificis, & Pseudo-prophetæ, id est, Ecclesiæ Romanæ. Per quam sectam Societatem Iesu sine dubio intellegit; & Doctores, ac Prędicatores eius ranunculis comparant, de quibus hereticorum more ad libitum detrahit. Pro illis autem respondere nec mihi decens, est necessarium. Opera enim illorum de ipsis testimonium perhibent, estque qui videat, & iudicet. Neque parum habent Societatis alumni, & operarij, vnde possint gloriari, quandoquidem cum Christi Vicario, eiusque Ecclesia digni habiti sunt, pro Christi fide, eiusque Vicarij obedientia ignominiam, & contumeliam pati.

Solum quoad verborum Scripturæ abusum, & corruptionem adnotabo, preter alios errores de falsa interpretatione bestiæ, & Pseudo-prophetæ eius, & abusum aliorum verborum illius Scripturæ, in ipsamet allegoria ad textum applicata, non esse constantiam, aut con-

conseeotionem. Nam hoc loco dicit, tres spiritus malos mitti ad fauendum Antichristo, eiusque thronum sustentandum, vnde cum Ioannes de illis dicat: [Procedunt ad Reges totius terræ, congregare illos in prælium,] consequitur apertè, Reges ab his spiritibus congregandos futuros esse Antichristi amicos, & fautores: paulò autem superius dixerat, Reges illos, quibus sextus hic Angelus viam parat, esse hostes Antichristi, & illis expediri viam, vt sine impedimento possint Monarchiam Antichristi inuadere: hęc autem duo non possunt simul subsistere. Nam Reges venturi sine impedimento, & per illos tres spiritus congregandi ijdem sunt, quomodo ergo, & ad inuadendum, & ad sustinendum labantem thronum Antichristi vocantur?

Prętereà isti tres spiritus congregaturi dicuntur Reges in prælium, vtique contra visibilem Christi Ecclesiam, quæ tempore Antichristi erit, operarij autem Societatis non congregant Reges in prœlium aliquod, sed ad pacem, & vnionem cum Christi Vicario, nec ad debellandam Ecclesiam visibilem, sed ad pacem, & vnionem cum illa. Item illi Reges congregandi sunt specialiter ad prælium vnius diei, qui per antonomasiam dicitur, dies magnus Omnipotentis Dei, quia in illo veniet sicut fur, vt statim dicitur, vtique ad destruendum Antichristum, & omnes Reges congregatos, cum illo ad prelium, vt cap. 20. apertè declaratur sub nominibus Gog, & Magog. At hoc non potest ad Prędicatores fidei, qui nunc sunt in Ecclesia Catholica vllo modo accommodari. Vt alia infinita omittam, quæ euidenter ostendunt, Ioannem loqui de corporali, seu materiali prælio, designando etiam locum, in quo Reges congregandi sunt & declarando apertè, ranas illas esse tres spiritus immundos dœmoniorum, facientes signa, quibus Reges ad prælium illud congregent. Ergo vana est, & impodens allegoria ab ociosis, & obdnratis Protestaotibus adinueota.

CAP. XXI.

Ex visione capitis 17. & sequentibus Apocalypsis nouum de Antichristo errorem confutari potius, quam confirmari.

REfert Euangelista Ioannes cap. 17. Apocalypsi. se raptum fuisse in desertum, & vidisse mulierem fornicariam sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ, &c. Ex hac visione, quam Rex Angliæ quarto loco posuit, colligere nititur, Romanum Pontificem esse Antichristum, colligitque in hunc modum. Mulier illa fornicatia Antichristum repręsentat, & omnes proprietates, quæ illi mulieri in eo capite tribuuntur, Romano Pontifici conueniunt; ergo ipse est Antichristus. Maiorem Rex non probat, sed tamquam notum fundamentum suæ disputationis supponit. Minorem autem latè prosequitur ad libitum multiplicando probra contra Romanam Sedem sine probatione, aut veritatis fundamento, sed solùm quia cum ab infantia sub hęreticorum disciplina falsam illam opinionem, ac deprauatam fidem imbiberit, & in ea fuerit consuetudine obfirmatus; nunc & mentis ignoratione, & indignatione permotus audet in Cœlum ponere os suum, & sacra prophanis commaculare.

Sed in primis fundamentum, in quo nititur, falsum est, nam mulier illa non repræsentat Antichristum. Quia Ioannes ipse dixit, mulierem illam habere scriptum in fronte Babylon magna, nemo autem vmquam dixit, Babylonem, vel propriè, vel figuratè significare Antichristum: nam Antichristus homo quidam futurus est, vt supra est demonstratum, Babylon autem semper significat ciuitatem aliquam, vel hominum congregationem, vt idem Ioannes in fine illius capitis 17. conclusit: [Mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet Regnum super Reges terræ.] Et ita Patres omnes, & illius loci expositores in hoc conueniunt, quod mulier illa, seu Babylon magnam aliquam ciuitatem repræsentet, quia hoc iam non tantùm in ænigmate, sed expressè reuelatum, & ab eodem Propheta declaratum est. Quæ autem sit illa ciuitas variè exponitur. Duas tamen esse opiniones probabiles, vnam explicantem hunc locum de ciuitate impiorum, aliam de Romana ciuitate exponentem, supra cap. 7. retulimus, vbi vtramque opinionem declarauimus, & probabilem esse ostendimus, & in vtramque conuenire omnia prauitatis insignia, quibus Ioannes illam onerat, minutatim declarauimus. Aduertimus autem ibi, iuxta Catholicam, & veram declarationem, si Babylon Roma est, intelligendum id esse de Roma non Christiana, sed Ethnica, vt erat tempore, quo Ioannes scribebat, & quamdiu in illo statu durauit, & si fortè ad illum, vel omninò, vel magna ex parte ante mundi consummationem reditura est (vt multi opinantur) etiam pro illo statu meritò eodem nomine significatur: nam Roma Christiana sub vera fide Christi perseuerans, Babylonia dici non potest, cum confessionem falsorum dogmatum, aut plurium sectarum, vel Deorum non admittat. Ideoque meritò Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum ad finem, ad Romam dixit: [Scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, &c.] Et hac ratione Petrus accuratè distinxit Ecclesiam, quæ erat in Babylone ab ipsa Babylone dicens: [Salutat vos Ecclesiæ, quæ est in Babylone collecta.] Et eodem modo loquitur Hieronymus epist. 18. ad Marcel. dicens, [Est quidem ibi sancta Ecclesia, &c.]

Destructo igitur Regis fundamento, eius argumentum ruit. Quapropter omnes accommodationes, quas sub illo fundamento sumit, calumniæ Protestantium sunt, non Scripturæ interpretationes. Neque Rex ipse responsionem hanc effugere potest, cum sæpius in sua præfatione fornicariam illam Romam esse contendat, & nostrorum confessione id confirmet. Hic verò cauenda est calliditas Protestantium, quam notauit Sander. lib. 8. de visibil. monarch. & Rex in præsenti imitari videtur, nam eandem mulierem dicit esse,

esse, & Romam, & esse Antichristum, & bestiam item esse Antichristum, vt supra cap. 15. animaduerti, vt ita confundendo Romam cum Romano throno, & cum Antichristo, postea ad omne regimen illius ciuitatis, ac tandem ad Romanam Ecclesiam, & Sedem sermonem transferat illique omnia, quæ tam de Antichristo, quam de Romana vrbe infideli, eiusque Imperio ethnico dicuntur, accommodet. Talia itaque sunt omnia, quæ in toto discursu circa illud caput comminiscitur Cum enim Roma dicatur fuisse [mater fornicationis, quando omnium gentium idolis, & superstitionibus seruiebat;] vt Leo Papa inquit serm. 1. de Natiuit. & serm. 1. de sanctis Petro, & Paulo. Ideo crimen illud in Apostolicam Sedem transfert. Et sicut nos propter illam Sedem dicimus, Romam esse matrem & magistram omnium Ecclesiarum, ita Rex matrem omnium spiritualium fornicationem illam appellat. Quæ autem sint istæ spirituales fornicationes, quas Romana Ecclesia, vel exercuit, vel docuit, numquam hactenus ostendere potuit, cum ab antiqua, & primitiua fide, nec minimum discrepauerit, vt lib. 1. & 2. probatum est.

Et simili modo cum Roma ethnica dicatur ebria sanguine martyrum, propter Imperatorum persecutiones: idem audet Romanę Ecclesiæ, & Sedi tribuere, quod profectò non video, qua specie, vel vmbra veritatis dici potuerit. Quas enim immanes Christianorum persecutiones excitauit Ecclesia Romana, aut quando sanguinem martyrum fudit, vt propterea sanguine martyrum ebria dicatur? Sed fortasse iustas quorumdam hæreticorum, & Apostatarum pœnas martyria Rex vocat, cum tamen illa supplicia tam rara sint, vt nec proptet illa dici potuerit sanguine hæreticorum ebria, nam vt Patres, & expositores notant, per hæc verba innumera martyrum multitudo denotatur. Denique, vt cætera omittam, non maiori fundamento hæc, quæ de Roma in Apocalypsi dicuntur, tribui possunt Romanæ Sedi à tempore Bonifacij Tertij, quam tempore Syluestri, verbi gratia, vt sępè dictum, & probatum est; desinat ergo Rex tergiuersari, & vel Romam ratione illius Sedis semper fornicariam fuisse fateatur, vel ethnicæ Romæ crimina in Bonifacium, aliosuè sanctos posteriores Pontifices, eorumque legitimos successores traducere desistat.

Deinde quia Rex mulierem cum bestia, quæ illam portat, confundit, non solùm proprietates mulieris, sed etiam bestiæ insignia de Papa interpretari conatur. Et primo refert interpretationem septem capitum ad septem regimina ciuitatis, quam supra impugnauimus, deinde mirabilem habet de decem cornibus expositionem, quam in sequenti capite melius tractabimus. Ac tandem ad destructionem Babylonis in capit. 18. prędictam explicandam digreditur. Quia verò supra in capite 7. destructionem Babylonis illo capite 18. descriptam fuisse tractauimus, non erit necesse circa omnes allegorias & accomodationes, quas hoc posteriori loco Rex commentatur, discurrere, præsertim, quia nihil noui continent, sed eadem maledicta, & conuicia contra Romanam Sedem in eisdem erroribus fundata, & nouis exaggerationibus sine vlla probatione amplificata. Illis ergo fere pręterm issis, solùm quędam puncta, quæ vel vmbram aliquam obiectionis habent, vel calumniam magis perniciosam, & scandalosam continet, prętermittenda non duxi.

Primo ergo in pag. 122. vt simul obijciendo mordeat, verba illa capitis 18. expendit, vbi post descriptam ruinam Romanam dicitur. [Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vixerunt.] Ex quibus concludere intendit, Babylonem illam non esse Romam ethnicam, sed Christianam, quia quod ibi refertur, [cum Roma ethnica, à nullis vmquam Regibus factum est, nec fieri potuit quos vi, & armis subegit.] Ergo illa Babylon est Roma Christiana, & Reges, qui eius interitum deflebant, sunt illi, [quos honorificis, ait, nominibus, titulisque ornauit; veniamque eorum libidinibus, atque illicitis matrimonijs indulsit.] Ad obiectionem vero respondemus in primis, eandem posse contra Regem retorqueri, nam etiam cum Roma Christiana illud factum non est, neque fieri potuit, quia Reges illos, quos ipsa honorificis titulis ornauit, licèt non vi, & armis, fide tamen, & pace Christiana subiecit, vt Leo Papa dixit serm. 1. de S. Petr. & Paul. Deinde dico de vtraque Roma, seu de vtroque eiusdem Romæ statu impertinentem esse obiectionem, quia prophetia illa nondum impleta est, nondum enim Roma fuit penitus extincta. Nam licet aliquas graues calamitates, & clades non modicas sub Gothis, & Vandalis passa sit, per illas tamen non est impleta illa Ioannis prophetia in dicto cap. 18. quia per illa excidia factum non est, [vt amplius non inueniatur,] vt in dicto cap. 7. animaduerti Quamquam de illis etiam excidijs verissimè dici possit Romæ ethnicæ potius, quam Christianæ superuenisse. Erat enim tunc quasi mista, nam licet in ea esset Apostolica Sedes, & Christiana religio, tamen adhuc in ea multæ reliquiæ gentilitatis, magnaque pars ciuium ethnicorum perdurabat, & ad eam ab illa fæce pugnandam Deus illas calamitates permisit, vt doctè, & eruditè Maluenda ostendit lib. 4. de Antichristo cap. 6. ideoque licet capta, diruta Roma, non potuerit non magna incommoda, & damna pati Ecclesia fidelis, quæ in ea tunc erat, quia tamen idololatriæ, & gentilitatis scelera erant causæ ruinarum, ideò potiùs in Romam ethnicam, quam Christianam peruenisse merito duci potest.

Vnde vlterius addo, quod in dicto cap. 7. ex opinione multorum sapientum retuli, non esse incredibile, Romam prope Antichristi tempora, vel in illis à gentibus iterum superandam esse, & ad priorem ethnicum statum reuocandam, eiecta inde Ecclesia, vel ita afflicta, vt quasi in angulo, vel in cauernis terræ delitescat, & tunc impleri optimè poterit prophetia Ioannis in Roma ethnica, & poterunt illam deplorare Reges ethnici, & idolatræ, qui participes fuerant fornicationem, & deliciarum eius. Atque ita merito etiam tunc Babylon appellari poterit, sicut antea vocata fuit etiam si in illa esset Ecclesia, cui Babylonicæ nomen conuenire non potest.

Vnde sapienter dixit Sander. lib. 8. Monarch. cap. 8. Antichristum non Romę, sed inter reliquias, & fragmenta Imperij Romani expectandum esse. Præsertim quia licet fortasse antea Rex aliquis infidelis insurgeret; qui Romam vinceret, ibique suam tyrannidem exerceret, ea res non magis imputanda esset Sedi Apostolicę, aut Ecclesię Romanę, quam Neronis, aut Diocletiani persecutio eidem Ecclesię olim adscribebatur.

Tandem dico, fieri etiam posse, vt Roma illud vltimum, & perpetuum excidium patiatur, etiam si nunquam ad ethnicismum redeat, sed sub Imperio Pontificis permaneat, & quod id patiatur propter sua scelera non tantùm prætrita, sed etiam in illis diebus vltimis futura. Nam (vt supra dicebam) licet in illa Ecclesia fidelis perseueret, poterit vel esse nimium deprauata moribus, vel poterunt in ea multiplicari sectę, vel hęreticorum, vel ethnicorum cum tanta potentia, & libertate, vt Pontifices illos reprimere non valent. Et in tali statu poterit etiam Babylonia vocari propter confusionem, quę in illo statu non poterit non esse maxima. Et similiter poterunt illam deflere Reges, qui erant participes deliciarum eius, siue illi futuri sint ethnici, siue fideles prauis moribus dediti, siue hęretici fouentes sectas, & scelera, quę tunc esse poterunt per vniuersam Italiam, vel Europam, & ita pręualere, vt auctoritate, & potentia externorum Regum Romam etiam inuadant.

Quocumque ergo modo illa prophetia intelligatur, ex ea non solùm non potest colligi, tam nunc esse Romam Antichristianam, verum etiam neque vlla verisimilitudine inferri potest, Ecclesiam, quæ Romæ nunc est, vel tam esse, vel futura esse aliquando Antichristianam, vel infidelem, quia licet multi Ciues, & membra eius à fide deficiant, eo ipso fiunt extra Ecclesiam, quæ semper Fidelis perseuerat. Multoque minus sequitur, caput veræ Ecclesiæ esse, vel futurum esse vmquam Antichristum, quia licet Ciuitas illa funditùs destruatur propter apostasiam, vel propter quamcumque aliam causam, poterit caput, & petra Ecclesiæ firma consistere, & alibi residere, vel latere. Immò licet Deus permitteret, personam alicuius Pontificis in illis temporibus cadere, & tyrannis cedere, errores profitendo, non ideò Pontifex, vt Pontifex est, caderet, nec Ecclesiam falleret; sed illo deposito posset Ecclesia sibi Pontificē creare. Quod per exaggerationem, & ad rem magis explicandam dictum est: nam credibiliùs est, id non esse permissurum Deum, præsertim in tanta Ecclesiæ tribulatione, & oppressione.

Ad calumniam autem, quam Rex obiter in obiectione miscet, dicens, solitos esse Pontifices, veniam dare libidinibus Regum, aut illicita matrimonia permittere. Respondemus falsum esse, & à Rege non posse probari, à nobis autem, vel ex ipso miserando lapsu Anglicano euidenter conuinci. Nam dare veniam libidinibus duobus modis fieri potest: Primò, dando libidinosis veniam post libidinum pœnitentiam, & satisfactionem; & hoc fecerunt sæpissimè Pontifices. Ex quo non Antichristi, sed Vicarij esse intelliguntur Christi, qui claues Cæli illis commisit, & Petro interroganti: [Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies?] Respondit: [Non dico vsque septies, sed vsque septuagiesseptics;] vtique si Ecclesiam audierit, & pœnitentiam egerit, alioqui potiùs separandus est vt ethnicus, & publicanus. Alio modo attribui potest Pontificibus, quod libidinibus veniam præbeant, perseuerantibus in illis, aut approbantibus similia facta, aut publicè, & cum scandalo Ecclesiæ ea dissimulando. Et in hoc sensu tale crimen falsò Apostolicæ Sedi attribui, testis est ipsa Anglia, non enim aliam ob causam Henricus VIII. & cum illo Regnum eius schisma contra Romanum Episcopum inchoauit, nisi quia intolerandæ eius libidini veniam dare noluit. Possentque similia exempla ex historijs Lusitaniæ, & ex alijs ad eamdem falsitatem coarguendam peti. Sed in re clara necessaria non sunt, nec nos decet Regum iam oblita, & deleta delicta in memoriam reuocare.

In altero autem verbo, quod Rex adiungit: [Illicita matrimonia permittere,] alludere planè videtur ad matrimonium Henrici cum serenissima Catherina, quod Papa permisit; immò non solum permisit; sed constanter etiam defendit, quia non illicitum, sed verum, & sanctum fuerat. Probabit autem Rex Angliæ matrimonium Henrici cum Anna Bollena, quod non matrimonium illicitum, sed turpissimum adulterium, & incestus execrandus fuit. Igitur permissio illiciti matrimonij varijs etiam modis fieri potest. Primò approbando matrimonia illicitè facta, etiamsi inualida sint: & hoc falsò tribuitur Ecclesiæ Catholicæ, vel Apostolicæ Sedi, nec à Rege produci potest exemplum, quo id faciat quoquo modo credibile. Immò licet matrimonium fuerit validum, si fuit illicitè factum (quod sæpè contingit) licet Ecclesia probet matrimonium, non probat delictum; immò nec permittit illud, sed vetat, & punit, si potest, interdum enim, quia sine maiori scandalo punire non potest, dissimulat, hæc autem frequenter esse solet culpa Principum potentium, non Apostolicæ Sedis. Alio modo permittitur matrimonium, vt cum dispensatione fiat, quod sine illa factum esset illicitum, & hoc sæpè facit Ecclesia, & iustissimè facit, quia quando id contingit propter impedimenta iure humano introducta, per potestatem etiam Ecclesiæ auferri possunt, & sæpè expedit propter commune bonum, vel aliam causam iustam. Et ita factum est in matrimonio Henrici cum Catherina, vt est res notissima, & à multis doctissimis viris demonstrata. Propter has autem dispensationes non sine dolo, vel captione, dicitur Pontifex permittere matrimonia illicita: nam hæc verba faciunt sensum compositum, vt sic dicam, significant enim permittere illa permanentia illicita, quod falsum est; sed permittere dispensando, vt licitè fiant, quæ sine dispensatione essent illicita.

Pergit vlterius Rex, & occasione illorum verborum Ioannis in dicto cap. 18. vers. 12. [Quoniā merces eorum nemo emet amplius.] Exaggerat Romanæ Ciuitatis diuitias, reprehenditque (vt alia omittam) ornarum

Tem-

Templorum, & cultum sanctarum imaginum. Additque horrendum Protestantium mendacium, quod illi imposuerunt, videlicet: [Beatam Virginem quotidie nouitijs, & exquisitissimis vestimentorum generibus, quamvis habitum referant meretricium, Romæ indui, & exornari.] Verumtamen in hac obiectione satis Protestantes ostendunt, se non Romanam, quam fingunt nouitiam, & Antichristianam, sed veterem, & Catholicam Ecclesiam Romanam calumniari, & odio prosequi. Nam ornatus Templorum non est nouus in Ecclesia, sed ab eo tempore, quo Templa publicè ædificari cœperunt, ornari etiam sumptuosè incœperunt, & maximè Romæ. Cuius rei præter grauissimas historias Eusebij, & posteriorum, testes euidentissimi sunt, antiquissima monumenta, & ornamenta Templorum, ac Reliquiarum, quæ hodie Romæ inspiciuntur, & in actis ipsorum Pontificum, Siluestri, Damasi, & aliorum vsque ad Gregorium copiosissimè inueniuntur. Et præter exempla id etiam docuerunt sancti, & antiqui Pontifices, Felix IV. & Leo I. vt alibi latiùs tractaui. Idem manifestum est de cultu Imaginum, de quo satis in secundo libro dictum est.

Calumnia verò de indecenti vestitu, seu cultu imaginis Beatissimæ Virginis sufficienter refellitur decreto Oecumenicę Synodi Tridentinæ per Romanos Pontifices confirmatæ, vsuque receptæ. Nam sess. 25. in decreto de Sanctorum, & Imaginum cultu, postquam Catholicam doctrinam declarauit, de morali in praxi seruanda subiungit: [Omnis porrò superstitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro vsu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lasciuia vitetur, itaut procaci venustate Imagines non pingantur, nec ornentur.] Rursusque commendat Episcopis: [Curam adhibeant, vt nihil inordinatum, aut præpostere, aut tumultuariè accommodatum, nihil prophanum, nihilque inhonestum appareat, cùm domum Dei deceat sanctitudo.] Atque hanc curam, & religiosam sollicitudinem in Romanis Templis magna diligentia, & pietate obseruari scimus, & per plures annos oculis conspeximus, & in sanctissimæ Virginis Imaginibus maiori consideratione animaduertimus: ideòque fidenter in verbis illis nonnisi meram calumniam, & Hæreticorum impudens mendacium contineri affirmamus.

Neque dissimile crimen est, quod tertio loco Rex Pontificibus obiectat occasione illorum verborum Ioannis: [Merces auri, &c. & animarum hominum.] Dicit enim: [Omnium autem sumptuosarum mercium, quæ maximi pretij sunt, animæ, scilicet, hominum postremò nominantur,] & statim interponit verba, quibus religiosos, & pios sumptus, quos in cœnobijs Religiosorum ædificandis Catholici insumunt, & specialiter in Societatem Iesu inuehitur, quam iniurijs, & contumelijs onerat. Quæ lubens omitto, tùm ne piæ aures legentium hoc opus offendantur; tùm quia in hoc opere non pro Societate, sed pro Catholica fide, & Apostolicæ Sedis singulari prærogatiua respódere, decreui. Et licet in illis verbis aliqui errores contra fidem innoluantur, vt contra Purgatorium, contra suffragia pro defunctis, & contra statum Religiosum, tantùm obiter tanguntur, & non possunt omnia hoc breui opere refutari. Ac de prioribus, pro huius operis opportunitate, satis in secundo libro diximus, de vltimo autem speramus Diuina ope, aliquando in lucem proditurum opus de statu Religioso, germanum socium alterius operis de Religionis virtute, in quo errorem illum ex professo confutamus. Post illa ergo verba, quæ omissa facimus, subiungit Rex: [Et certè credo, non est minima illa animarum negotiatio, cum homines spe, & promissione æternæ salutis fascinantur, vt facilè persuadeatur fraterculo, Regem suum confodere, &c.] Ac tandem concludit: [Atque ita tam animi, quàm animæ iacturam facere.]

In quibus verbis Rex significat, vel Romanos Pontifices, indulgentias, seu remissiones peccatorum solere promittere hominibus, si Reges suos, & Principes temporales occidant; vel Catholicos docere, esse pietatis opus, Principi, & Regi hosti fidei, & religionis, mortem machinari, & inferre, esseque maximè meritorium, & genus quoddam martyrij, mortem pro tali facinore perpetrando subire, atque ita promissione salutis æternæ deceptum fuisse fratrem, qui Regem Galliæ interfecit, & alios similes. Et quidem prior sensus videtur fuisse à Rege intentus, est enim satis consequens ad ea, quæ præcesserunt. At illum verò breuiter, & doctè respondet Bellarminus, solere quidem Pontifices indulgentias Christianis militibus in bellis iustis contra Infideles dimicantibus, vel decedentibus concedere. Nam Gelasius II. antè quingentos ferè annos militibus contra Saracenos Hispaniam occupantibus indulgentiam concessit his verbis: [Si quis vestrum accepta de peccatis suis pœnitentia, in expeditione hac mortuus fuerit, nos eum Sanctorum meritis, & totius Ecclesiæ precibus à suorum vinculis peccatorum absoluimus.] Et posteà pro alijs viuis cooperantibus aliam indulgentiam concedit, vt est apud Baron. anno 1118. num. 18. Aliam concessit Ioannes VI. tempore Ludouici III. Imperatoris, omnibus decedentibus in bello pro defendenda Ecclesia contra Paganos, vt refert Baron. anno 878. nu. 34. ex epistola 144. eiusdem. Item est celebris indulgentia, quam sumentibus crucem pro expeditione Terræ Sanctæ concessit Vrbanus Papa in Concilio Claramontano anno 1095. vt ibidem Baron. refert nu. 25. & nu. 50. Eamdem confirmauit Eugenius III. anno 1145. vt refert Otho Frisingen. de gestis Francorum lib. 1. cap. 34. & latè, Baronius eodem anno num. 30. & sequentibus.

Denique similem concessit Gregor. VIII. in quadam epistola ad vniuersos Christifideles, quam refert Rogerius Anglicanus in Annal. & Guillelmus Neubrigen. lib. 3. Histor. Anglicana cap. 20. Verba concessionis sunt. [Eis, qui corde contrito, & humiliato spiritu laborem itineris huius assumpserint, & in pœnitentia peccatorum, & fide recta decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, & vitam pollicemur æternam. Sine autem superuixerint, siue mortui fuerint, de omni-

omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint, impositæ satisfactionis relaxationem, de omnipotentis Dei misericordia, & de beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate, & nostra, se nouerint habituros.] Eamdemque indulgentiam confirmauit eius successor Clemens Tertius vt Rogerius, & Baronius in Annalibus referunt. Additque Neubrigen. cap. 22. Richardum Comitem Pictauiensem Regis Anglorum filium primum omnium Principum Crucem Domini accepisse, & postea Regem patrem eius simul cum Rege Galliæ in idem propositum conuenisse, & per sua Regna proprijs literis Indulgentiam à Papa concessam promulgasse, & postea in Concilio Anglicano plurium Episcoporum probatam, & receptã esse.

Si ergo nunc Rex Iacobus omnes huiusmodi indulgentias reprehendere audet, satis tot Pontificum, Conciliorum, Regum, & totius Ecclesiæ consensu, antiquaque traditione confunditur, præter alia, quæ de hoc puncto in proprio tractatu à nobis disputata sunt. Si autem accusat Pontifices, quòd eis, qui priuata auctoritate suos Reges audent occidere; similes remissiones indulgent, eosvè ad similia crimina perpetranda Indulgentiarum promissione excitant: nouum crimen hoc est, & in Romana Ecclesia inauditum, sed à Protestantibus ad conciliandam Pontifici inuidiam excogitatum. Nam potius in forma concedendi Indulgentiam, particulam illam, [Vere pœnitentibus, & confessis,] Romani Pontifices addere, aut aliam æquivalentem apponere consueuerunt, tantum abest, vt pro criminibus impetrandis illam promittant.

In altero verò sensu inculcat Rex in illa sua reprehensione quæstionem celebrem, an liceat cuicumque priuato homini legitimum Regem suum tyrannicè regnantem, & præsertim religionem, & Catholicam fidem peruertentem interficere. Quam nunc disputare prolixum, & à nostro instituto alienum esset. Solum ergo cum eodem Cardinali Bellarmino respondemus in primis, ex factis quorundam priuatorum, etiam si Catholici fuerint, non rectè colligi, talia facta per Ecclesiam approbari: nam ex factis, præsertim paucorum, doctrinam colligere, aut ingens caligo ignorantiæ est, aut manifesta calumnia: cum Christus ipse etiam de Scribis, & Pharisæis dixerit: [Quæcumque dixerint vobis facite, secundum opera vero eorum nolite facere.] Deinde dicimus, non Catholicos, sed Hæreticos parentes Lutheranorum, & Protestantium docuisse, Regem non solum propter hæresim, vel tyrannidem, sed etiam propter quodlibet mortale peccatum regnum amittere, posseque à popularibus pro suo arbitrio corripi. Quam doctrinam sequutus est Ioannes Hus, eam vero Ecclesia Catholica vt hæreticam damnat, vt ex Concilio Constantiensis sess. 8. & 15. constat, & alibi à nobis ostensum est. Immò in eodem Concilio sess. 15. refertur assertio quædam ad ipsum delata: [Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vasallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, non obstante quocumque præstituro iuramento, neque expectata sententia, vel mandato, &c.] Illa autem assertio hæretica declaratur, eamque pertinaciter defendens, hæreticus à Concilio denuntiatur. Immerito ergo Rex Iacobus Romanam Ecclesiam, vel eius Catholicos Doctores criminatur, quòd per doctrinam illam fraterculum, vel quempiam alium ad suum occidẽdum Regem spe salutis æternæ fascinauerint, aut persuaserint. Et de hoc puncto hæc in præsenti sufficiunt, nam in lib. 6. iterum occurrent.

Quarto loco post alia conuicia contra Ecclesiam Catholicam, addit Rex Romanam Ecclesiam acerbissimè puniendam esse propter superbiam suam, quàm superbiam dicit explicari illis verbis: [In corde suo dicit, Sedeo Regina, & vidua sum, & luctum non videbo.] Et postea hanc superbiam Rex exaggerat, dicens: [Nulla enim certior est apud illos veræ Ecclesiæ nota, quam secundæ res, & externa prosperitas.] Sed in primis quod spectat ad verba Scripturæ, certum est, illa dicta esse de vrbe impiorum, vel de Roma ethnica, & superba, quæ gloriabatur, quod sederet vt Regina, idest, quia multis regnis, & prouincijs imperabat, & vidua non esset, quia Imperatori, & supremo Domino gentium nupta erat; sicut è contrario deplorabat Hierusalem Ieremias, quòd [sederet quasi vidua domina gentium.] Cùm vero additur. [Et luctum non videbo,] indicatur error Gentilium, qui putabant, Romam, & imperium eius fore perpetua, teste Hieronymo dicta quæst. 11. ad Algas. vbi inter alia ait, nomen blasphemiæ scriptum in fronte meretricis in Apocalypsi esse [Romæ æternæ.] Et ad hunc fere modum communiter exponitur à Patribus, & Doctoribus, ideòque ridicula est, & impia Protestantium illusio. Maxime, cùm in vera Christi Ecclesia non superbia, sed fidelis charitas sit, se sponsam Christi profiteri, cum Paulus ad Ephes. 5. dicat: [Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.] Et postea explicans similitudinem per verba illa: [Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, subiungit, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.] Vnde cum Christus sit Rex Regum quid mirum est, quod sponsa sedeat [Regina in vestitu deaurato, circumdata varietate?] Non enim in se, sed in Domino, ratione sponsi de tanta dignitate gloriatur. Eamdemque ob causam non ex superbia, aut vana præsumptione viduitatem, seu luctum videre non timet, quia à sponso audiuit, Matth. 16. [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] & Matth. 18. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.] Quapropter si verbis Scripturæ per accommodationem vti liceret, multo iustiùs posset Anglia timere comminationem, & pœnas illas, quia re vera dicit: [Sedeo Regina,] quia nullum alium sponsum præter temporalem Regem, nec aliũ superiorem in spiritualibus, vel temporalibus recognosco, [Vidua non sum,] quia supremum Caput, & Christi Vicarium proprium, & tanquam sponsum habeo, [& luctum non videbo,] quia spiritus dictat, hanc esse veram Christi Ecclesiam perpetuo cum Christo mansuram, an & paulatim Romanam Ecclesiam superaturam.

Deni-

Denique quod Rex de suo adiungit, nullam certiorem notam veræ Ecclesiæ apud nos esse, quàm res secundas, & externam prosperitatem, duo continet falsa. Primum, & clarissimum cernitur in illa comparatione, nam omnes Catholici vno consensu tradunt vt principaliores, & certissimas Ecclesiæ notas, esse [vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam,] cum alijs, quæ in his rectè explicatis intimè continentur, vt sunt habere legitimam successionem ab Ecclesia primitiua, per certam, & indubitatam connexionem cum illa in doctrina, in regimine, & pastorali munere, & præsertim in Cathedra Petri. Item esse fundatam in illa Petra per vnionem perpetuam, & obedientiam cum illa. Aliæ verò notæ, quæ ab aliquibus Doctoribus Catholicis multiplicantur, vel ad has reducuntur, vel non sunt tam propriæ, & certæ notæ, quàm veræ Ecclesiæ verisimillima signa.

Aliud assertum falsum est, [externam prosperitatem, & res secundas] absolutè, & sine aliqua declaratione, vel restrictione inter Ecclesiæ notas numerari. Non enim ignorant pij, & sapientes viri, temporalem fœlicitatem rem indifferentem esse: ideoque prosperis in his rebus successus malis, & bonis, fidelibus, & infidelibus, Hæreticis, & Catholicis esse communes. Neque etiam ignorant, nihil esse magis proprium Ecclesiæ Christi, aut sæpiùs ab ipso prænunciatum, quàm temporales afflictiones, & tribulationes, ac persecutiones: è contrario vero pacem externam, & temporalium rerum abundantiam copiosius solere malis, quam bonis concedi; vel quia si quid boni operantur, illa temporalia bona loco præmij recipiunt, vel quia propter peccata sua merentur, vt eis concedantur bona, quibus Deus præuidet, peiores in dies esse futuros, vel certè vt boni meliores efficiantur, tum carendo illis bonis temporalibus, quæ solent occasionem ruinæ spiritualis afferre, tum sustinendo impiorum molestias, qui prosperitatibus elati ipsos affligunt.

Prosperitas ergo temporalis per se spectata non ponitur à nobis vt nota veræ Ecclesiæ, quia non est nota veræ fidei, nec veræ sanctitatis. Quia vero Ecclesia Christi, dum in terris degit, etiam his bonis temporalibus indiget (vt rectè dixit Diuus Augustinus) ideo Christus Dominus sua singulari prouidentia in horum bonorum largitione, conseruatione, ac defensione peculiari cura illi prouidet. Sæpeque extraordinario auxilio, ac plane cœlesti in prosperis successibus obtinendis, & contrarijs vitandis illi assistit. Atque ita prosperitates temporales hoc modo prouenientes Ecclesiæ, aut Principibus inter signa veræ fidei, ac subinde Catholicæ Ecclesiæ à Catholicis recensentur. Sicque Cardinalis Bellarminus libro quarto de Eccles. capite vltimo, felicitatem quidem temporalem loco decimo quinto, & postremo tamquam cæteris inferiorem posuit, non tamen sine prudenti, & sufficienti declaratione, addit enim, [Temporalia felicitas diuinitus ijs collata, qui Ecclesiam defenderunt.] Et talia sunt exempla, quæ inducit & eodem modo loquuntur plures alij auctores, quos ipse refert, & copiose Bozius 2. tom. de Signis Eccles. præsertim capitulo 20. & sequentibus.

In reliqua parte illius discursus, quam ad caput 19. 20. & 21. Rex adiungit, nihil notatione dignum, vel ad causam fidei pertinens inuenio, præter illud, quod obiter in transcursu dicit, an id, quod de Gog, & Magog Apocalyp. 20. dicitur, [de Papa, & Turca accipiendum sit, nec ne, alijs iudicium relinquo,] & rationem reddit, [Quia fere eodem tempore ad suam magnitudinem excreuerunt.] In quibus verbis multis modis errat, & peccat. Primo contra pietatem, & humanam etiam vrbanitatem, dum Papam inter Christi hostes, & Ecclesiæ persecutores numerat, & Turcæ exæquat; in quo non solum ostendit, quantum ab omnibus Principibus pijs, & Catholicis degeneret, qui summa reuerentia, & honore Papam prosequuti sunt, vt satis est in superioribus ostensum: verum etiam euidenter se prodit, non rationis pondere, sed tantum affectu, & odio verba similia effutire. Nulla est enim conuentio, vel comparatio Christi Vicarij fidelium parentis, ac fidei eius magistri, & defensoris cum infideli tyranno acerrimo Christianorum persecutore. Sed qui sapientes sunt in oculis suis, & proprio spiritu ducuntur facile dicunt, tenebras lucem, & lucem tenebras.

Deinde contra veritatem historiæ errat, dum ait, Papam, & Turcam eodem tempore ad suam magnitudinem excreuisse. Nam si de magnitudine Papæ quoad spiritualem dignitatem, & potestatem loquamur, in ea numquam creuit, à principio enim integra, & (vt ita dicam) in summo gradu in Petro fuit, eademque sine augmento, aut diminutione est ad successores Petri deriuata, Ipsam vtique potestatem in se spectando: nam vsus eius crescere potuit, sicut creuit Ecclesia, & impedimenta ablata fuerunt, & maiores etiam occasiones occurrerunt. Et in hoc etiam sensu dici potest Papa à temporibus Constantini ad suam magnitudinem peruenisse, tunc enim cæpit eius dignitas vniuerso Orbi innotescere, & imperator ipse, alijque temporales Principes illi colla subdere inceperunt. Immò etiam quoad temporalem dominationem tunc ferè ad suam magnitudinem peruenit. At Turcæ imperium multum post tempus incepit, nam licèt Turcarum gens, qui olim Gazari dicebantur, antiqua sit, tamen secta, & imperium eorum longè recentiora sunt, nam & impius Mahometus post sexcentesimum Christi annum incepit, & Turcæ non cæperunt orientale imperium Romanorum inuadere vsque ad Constantini Copronyci, & Iconomachi tempora, & vsque ad annum millesimum, ac ferè centesimum illud non obtinuerunt. Vnde si tunc dicatur Turca ad suam magnitudinem excreuisse, vt ce vera dicendus est, omnino falsum est, Papam, & Turcam ad suam magnitudinem simul peruenisse. Videtur autem Rex Iacobus ad initium Mahometis respexisse, quia paulo post Bonifacium Tertium in mundo apparuit, veruntamen sic etiam falsum est, aut eo tempore magnitudinem aliquam Pontificatui esse additam, aut turcarum gentem, vel imperium tunc incepisse. Denique accomodatio

illa

illa de Gog, & Magog, non solum in Pontifice, quod euidentissimum est, verum etiam neque in Turca habet vllam verisimilitudinem, ideòque neque in dubium reuocari, nec aliorum iudicio remitti debuit, vt in superioribus tactum est, & in sequenti capite iterum videbimus.

CAP. XXII.

Ex descriptione Antichristi à Daniele Propheta tradita fabula de Antichristianismo Romano euidenter refellitur.

CVm attentè discursum Regis Angliæ de Antichristo legissem, & nullam in eo Danielis Prophetæ mentionem fieri vidissem, nisi cursim, & obiter asserendo Ioannem in Apocalypsi imitari modos loquendi Danielis, Ezechielis, & Prophetarum, miratus sum valde, & dubitare cœpi, an Rex crederet, Danielem de Antichristo prophetasse. Auxitque suspicionem, quò in principio suæ disputationis ait, Paulum clarius explicuisse, quod Ioannes suis visionibus obscuris tradit, prætermisso Daniele, quasi nihil ad causam pertineret, vel ac si neque obscurè, nec clarè Antichristum prædixisset. Quod si fortasse ita verum est, & Rex non credit, Danielem de Antichristo prophetasse, interrogandus est, cur id credat de Ioanne, & de Daniele neget? quia vterque per ænigmata loquutus est, & neuter nomen Antichristi expresse posuit, & visiones Danielis, iudicio omnium Patrum, & expositorum minus obscurè indicant Antichristum, quam Ioannis. Immò Christus Dominus Matth. 24. satis indicat Danielem de Antichristo fuisse loquutū, eademq; est perpetua Ecclesiæ traditio. Quod si hoc Rex negare non audeat, miramur, cur in tam prolixa disputatione, & tam immani contra Papam accusatione, tanti Prophetæ grauissimum testimonium omiserit? Suspicor ergo, Danielem silentio præterijsse, quia descriptiones eius de Antichristo non solum ad errorem suum confirmandum nullo colore detorqueri poterant, sed illum potius redarguunt, & veritatem non obscurè ostendunt. Ob hanc ergo causam, licèt in superioribus ad ostendendum, Antichristum futurum esse singularem personam, & quanto tempore regnaturus sit, huius prophetæ testimonijs vsi fuerimus, operæpretium duximus, descriptionem Antichristi ex ipso colligere, copiosius enim, quam alij eam tradit, euidentiusque per illam non solum à Papa, sed etiam ab omnibus alijs, qui falsò Antichristi putati sunt, discernitur.

Primum igitur in cap. 7. ait Daniel, se vidisse quatuor bestias, quæ quatuor mundi regna significabant, vt ipsemet declarat, illa verò quatuor regna ex communi sententia, & expositione Catholicorum fuerunt Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum imperia, vt supra capite tertio, breuiter declaratum est. Tribus autem bestijs, seu tegnis prioribus, quę cito transierunt, prætermissis, de quarta dicit inter alia Daniel, quod habebat cornua decem, & subiungit: [Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de Cornibus primis euulsa sunt à facie eius, & Ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.] In his ergo, & sequentibus verbis, quæ postea addemus, intelligimus Danielem personam Antichristi descripsisse. Quod licet in suprerioribus obiter, & per occasionem sæpius indicatum sit, hic ex professo: & integrè exponendum est, quoniam si colligantur simul omnes proprietates, quas Propheta illi paruulo cornui attribuit, falsitatis euidenter conuincitur mendacium, & impostura Protestantium de Romano Antichristianismo. Oportet tamen vt supponamus cornu illud paruulum repræsentare Antichristum. Prius autem decem cornua interpretari necesse est, de ipsa vero bestia quarta nihil addere oportet his, quæ Daniel ipse dixit, videlicet, quartam bestiam esse [quartum regnum in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam.] Per quod omnes Catholici Imperium Romanum intelligunt, omissis interpretationibus Porphyrij, & Hebræorum, de quibus videri possunt Diuus Hieronymus, & alij expositores; nam in hoc nulla est in præsenti controuersia.

De decem item cornibus Daniel declarat, repræsentare decem Reges futuros, satisque indicat esse futuros non omnino distinctos ab illo Regno maximo per quartam bestiam significato. neque in terris, & prouincijs extra ditionem totam Romani Imperij, sed esse futuros decem Reges eiusdemmet regni quarti, sic enim ait: [Porro cornua decem ipsius regni decem Reges erunt. Vnde omnes colligunt, ipsummet regnum Romanum, quod prius vnum imperium fuit, diuidendum esse in decem regna. Quod etiam significatum fuit in cap. 2. eiusdem Prophetæ per decem digitos, in quos statua desinebat.

De hoc autem numero decem cornuum dubitatio est, an sicut Daniel præcisè vidit decem cornua, & non plura, neque pauciora, ita per illa significentur decem Reges in eodem numero certo, ac præciso, an indefinitè multitudo Regum, in quos diuidendum fuit Romanum imperium. Quam quæstionem attingit Augustinus 20. de Ciuit. capite vigesimo tertio, & incertum esse putat, an denarius ille numerus significet absolute vniuersam multitudinem Regum futurorum in Romano imperio prius quam Antichristus veniat, an vero præcise decem Reges demonstret. Prosper etiam in dimidio temporis capite octauo, licet de numero non moueat quæstionem, dubitat, nihilominus, an per illos decem Reges intelligantur truculentiores Reges, qui fuerunt in Religione Christiana.] Aretas etiam capite trigesimo sexto in Apocalypsim generatim dicit, decem cornua significare [consummationem eorum, quæ iuuant ad malitiam, contingere Antichristianam,] vbi numerum indefinitum indicat,

dicat, quamuis aliam opinionem referat dicens: [Sed & de his quidam dixerunt, in decem regna diuisum tunc iri mundum.] Et in hanc sententiam videtur inclinasse Pereira lib.2.in Daniel.dum per decem digitos statuæ significari, ait [Romanum imperium nouissimè diuisum iri in multa regna, multosque Reges, quorum alij potentiores, alij imbecilliores futuri sunt, & ideo digiti partim testiles. Et ibidem ait, per decem cornua in c.7. significari multos Reges. Idemque lib.8. tractans sententiam Augustini, sub disiunctione loquitur dicens, negari non posse, quin quo tempore venturus est Antichristus, futuri sint in orbe Romano, decem Reges, vel multi Reges.

Patres autem communiter, nullam dubitationem. vel quæstionem mouentes, simpliciter dicunt, illa decem cornua significare decem Reges, prout Daniel illos interpretatur, eosque futuros esse in orbe Romano tempore aduentus Antichristi. Ita loquitur Iren. lib.5.cap.25.& in ca.26.fusius in eodem sensu exponit decem digitos statuæ Daniel.2.& decem cornua bestiæ Apocalyp.13.&17.& licet expressè id non declarat, semper tamen tamquam de certo, ac præciso numero loquitur. Hypolit.etiam orat.de Consummatio. mund.solum dicit, cornua decem à Daniele visa esse decem Reges, & eosdem in decem digitis statuæ significari, & eodem modo loquuntur Cyrill.Hierosol.catech.15.Lact.lib.7. cap.16.Tertullian. de Resurrect. carn.c.24.& 25.& in eadem opinione sunt Hieronym. & Theodoret.Daniel.7.& 11. intelligentes, per hæc decem cornua bestiæ, vbicumque in Daniele, & Apocalypsi eorum fit mentio, decem regna significari, in quæ erit Romanum imperium diuisum. Consentiunt etiam Andreas cap.36.& 53. in Apocalyps.qui inter alia dicit, [per decem cornua terreni regni, in decem partes sectionem significari.] Quod etiã Aretas cap.54. attingit referendo tantum aliorum nomine, qui ita inquit, aiunt. Et hanc sententiam sequuntur communiter moderni expositores, & quidam satis eruditus tanta exaggeratione illam affirmat, vt dicat, tam manifestum esse, illos decem Reges, nec plures, nec pauciores esse intelligendos, vt vehementer miretur potuisse de hoc sanctum Augustinum ambigere. Inimò ait, [considerato tanto Patrum consensu, nimium perfrictæ frontis extiturum, qui contra obniti, vel hiscere audeat.

At nihilominus Rex Angliæ in Præfation. pagin. 120. tractans locum Apocalyp. 17. denarium numerum ait ibi sumi pro numero incerto: vtiturque hoc argumento, quod ibi Ioannes alludit ad hunc locum Danielis, quasi supponens vt certius, Danielem denarium pro numero incerto sumpsisse. Additque aliud argumentum, qui septem capitum, & decem cornuum draconis, seu diaboli numerus non potest aliter intelligi, nisi vt numerum declaret incertum. Ego vero in primis non censeo controuersiam hanc pertinere ad dogmata fidei, sed esse rem in opinione positã. Nam Patres pro secunda sententia allegati non tradunt illam, vt certam; imò nec faciunt vim magnam in præciso, ac proprio numero denario, sed in diuisione imperij in plura regna, & vtuntur illo numero, quia Scriptura ita loquitur. Constat autem numerum denarium esse vnum ex his, qui in sacra Scriptura pro multitudine manga, vel vniuersali sumitur. Vnde accedente Augustini auctoritate, & dubitatione aliorum, non videtur posse damnari, aut temerarius, vel audax censeri, qui de significatione illius numeri denarij in illo loco dubitauerit. Præsertim quia de septenario numero capitum tam in hoc loco Danielis, quam in Apocalypsi. 13. & multo magis in 17. multi dubitant, an significet numerum certum, vel communitatem aliquam, seu collectionem Regum impiorum, vt supra vidimus cap. 4. Vnde cum in hoc loco dicit Daniel, tria cornua esse à facie parui cornu euellenda, licèt præcisè intelligatur de tribus Regibus, quia numerus ternarius non solet in alia incerta significatione sumi, neque ibi est necessaria, nihilominus per septem alios Reges subijciendos, vel consœderandos Antichristo intelligi possent omnes alij, qui eo tempore sunt futuri, siue pauciores, siue plures sint, quia septenarius numerus ex mysticis est, qui solent vniuersalitatem significare, & ibi non sine auctoritate, nec sine aliqua apparenti occasione præsumitur talis significatio, vt facilius prophetia, & intelligatur, & impleatur.

Propter hæc ergo non censeo, nimirum esse exaggerandam certitudinem posterioris sententiæ: quamuis illam præferendam, & simpliciter veram existimem. Primò propter scripturæ testimonia, quia non vno, vel alio loco, sed in multis tam in Apocalypsi, quam in Daniele, vbi sub hac figura illa diuisio Imperij Romani in plura regna prædicitur, fit sub illo numero denario. Secundò quia nulla est necessitas metaphoræ, vel improprietatis vocis, cùm nihil obest, quominus illa regna futura sint decem, & non plura: eademque facilitate possit multiplicatio in illo numero, quam in quocumque alio contingere. Maxime quia etiam si fortasse plura regna parua, vel Principatus minores eo tempore in orbe Romano esse possint, nihilominus omnia potuerunt ad decem principalia regna, & quasi capita reuncari. Ita ergo facilè potest ille numerus denarius propriè, & præcisè accipi, neque oportet ad incertos numeros recurrere. Tertiò propter communiorem Patrum consensum.

Neque prima coniectura Regis Angliæ est alicuius momenti, sed in contrarium verti debet, nam quia Ioannes ad hunc locum Danielis alludit, & in hoc loco probabilius est, denarium propriè sumi, ideo in locis Apocalypsis idem iudicandum est. Ad aliud verò argumentum, quod sumit ex comparatione ad numerum septem capitum, & decem cornuum draconi, seu dæmoni attributum, dicens, non posse aliter, quam de certo numero incerto intelligi, respondemus negando assumptum. Et quoniam ipse non designat locum, de quo loquatur, oportet per tria discurrere, in quibus Ioannes illius numeri mentionem facit, vtique cap. 12. 13. & 17.

Et quidem cap. 12. fatemur illum numerum tribui dæmoni: nam apertè dicit Ioannes: [Visum est aliud signum in cælo, &

ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem.] Et nihilominus etiam in hoc loco dicimus, eadem esse capita, & cornua decem, quæ sunt apud Danielem cap. 7. Nam licet ibi sit sermo de dæmone, & in alijs locis de Antichristo, vtriusque organa, & membra, seu instrumenta sunt illa capita, & cornua, id est, illi Reges decem, quorum tres destruet Antichristus, & septem illi seruient, nam dæmon, & Antichristus coniunctissimi futuri sunt, non quidem vnione hypostatica, vt quidam finxerunt, sed morali influxu, & motione. Nam Antichristus, dum vixerit, totus à Dæmone quodam modo possidebitur, mouebitur, & gubernabitur, & ita erit membrum eius præcipuum,& quasi coniunctum organum, quo dæmon cætera ad eundem finem, eosdemque effectus mouebit. Et ideo illa decem cornua, & septem capita tam dæmoni, quam Antichristo tribuuntur, dæmoni vt principali agenti in illo ordine,magis verò remoto Antichristo,vt propinquiori minùs verò principali,si ad dæmonem compararetur. Quamuis respectu aliorum hominum Antichristus etiam dici possit principalis causa, vnde à sanctis, & Theologis caput malorum dicitur, omnium quidem excessu, & abundantia malitiæ, eorum verò, quos suo tempore subiugabit, quibusque, tanquam instrumentis vtetur, etiam influxu, & motione.

Alter vero locus est Apocalypsis 13. & ibi non est sermo de dracone, sed de bestia, cui draco dedit virtutem suam, idest, de Antichristo, & ita ibi etiam non oportet explicare numerum certum pro incerto. Tertius locus est Apocalip. 17. vbi bestia potest quidem dæmonem repræsentare, & tunc idem dicendum est, quod de cap. 12. diximus. Vel significare potest Romanum imperium, vt supra etiam visum est, & tunc ijdem decem Reges, in quos desinet Romanum imperium,repræsentantur,vt idem Ioannes exposuit, & sic etiam ibi idem numerus definitus est. Et de numero septem capitum supra capite. 5. ostendimus, non certum, sed certum numerum significare. Quod etiam Rex Angliæ admittit, cum illa septem capita dicat esse septem regimina Romanæ ciuitatis, & non plura, neque pauciora, ex quo potest argumentum ad hominem retorqueri, idem esse de numero denario dicendum.

Priùs verò quàm ad vndecimum cornu paruulum transeamus, oportet hic breuiter expendere nouam, & mirabilem interpretationem illorum decem Regum, quam Rex Angliæ nobis exhibuit. Illos enim Reges, ait, esse omnes Reges Christianos, qui à tempore declinationis Romani Imperij sub obedientia Romani Pontificis militarunt, & de illis exponit illa verba Apocalypsis 17. [Decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui Regnum nondum acceperunt, sed potestatem tamquam Reges vna hora accipient post bestiam, quia illustriora, inquit, Orbis Christiani Regna, non nisi tuente ethnico Imperio Romano libertatem suam vindicarunt.] Vndè infert, eodem tempore incepisse hos Reges, quo Antichristus suum regnum auspicatus est, id est, tempore Bonifacij III. vt ipse antea exposuit. Et de his Regibus ait perseuerasse multo tempore in vno consilio, [adorando bestiam, eiusque pedes exosculando, omnem potestatem, authoritatemque suam ei concedendo, calicem idololatriæ simul cum illa hauriendo, bellum cum agno in persecutione Sanctorum eius, iubente ea, gerendo, quæ tot nationibus, ac populis imperitabat.] Quod autem Ioannes post illa verba, [Cum agno pugnabunt,] subdit: [& agnus vincet illos,] exponit, dicens: [per nostram conuersionem postquam tandem aliquando, ait, odio meretricem habebimus,] hoc est Romam, [& desertam relinquemus, ac nudam, &c. Deindè, inquit, rationem subiungit (vtique Angelus, seu Ioannes) huius tam subitæ mutationis in nobis, dicens, Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi, vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.] Hæc est Regis interpretatio de decem Regibus in Apocalypsi, cùmque ipse dicat Ioannem alludere ad Danielis verba, idem de decem cornibus apud Danielem sentire iudicat.

Priùs verò,quàm interpretationem hanc reijciamus, explicare oportet, quid per cornu paruum intelligendum sit. De quo affirmare non possum, quid Rex Angliæ sentiat, quia nullam eius mentionem in disputatione sua facit, quod, vt in principio capitis dixi, admiratione dignum est: & suspicionem ingerit, non credere cornu illud Antichristum repræsentare. Quod, si fortè hoc ita est, interrogo quisnam sit? vel cur separatim, & singulariter numeretur? Præsertim cum Rex dicat, illum numerum denarium non significare numerum certum, sed pro incerto poni, in quo etiam vndecimus ille Rex per cornu paruum repræsentatus includebatur. Profectò vix occurrit, quid Rex possit, quod verisimile sit, & prudentibus satisfaciat, respondere. Scio equidem Porphyrium dixisse, illud cornu repræsentasse Antiochum, neque defuisse alios, qui vel Mahometum, vel Turcam significare senserint. Veruntamen Porphyrium confundit Hieronymus, quia Antiochus præcessit Imperium Romanum, & ex Alexandro Magno, ac Imperio Macedonum illustrem duxit originem, & Rex, seu Princeps natus est, cornu autem illud post Imperium Romanum, & diuisionem eius futurum esse prædicitur, & paruum propter humile principium, & ortum dicitur. Aliæ verò opiniones facilè etiam refutari possunt, quia in illis Regnis non inueniuntur proprietates, quæ ibi cornui tribuuntur, vt supra cap. 2. tetigi, & facile ex dicendis lector poterit intelligere: in his enim nunc immorari necesse non est.

Si ergo certum, & constans, cornu illud paruum Antichristum repræsentare, consideratis enim alijs locis Scripturæ, & prædictione ipsius Christi de tribulatione magna Ecclesiæ futura proximè ante iudicium, in nullo alio inueniri possunt proprietates omnes ibi à Daniele prædictæ, & illi cornui attributæ, nisi in Antichristo. Et ita in hac affirmanda sententia conueniunt Patres, & expositores, Hieronymus, August. & Gregor. quos supra cap. 2. retuli, Athanas. epist. ad

soli-

solitat. vitam agent. circa finem, Iustin. contra Tryphon. parum ab initio, Origen. l. 6. contra Celsum circa medium, Cyrill. Hierosolymit. Catechesi. 15. Irenæ. lib. 6. contra hæres. cap. 25. & 26. Theodoret. orat. 7. in Daniel. Prosper in Dimid. tempor. cap. 8. Ruffin. in exposit. Symbol. circa articulum de aduentu ad Iudicium, & reliqui exponentes tam Danielem, quàm Apocalypsim, & Paulum 2. ad Thes. 2. Vbi Chrysost. optimè.

Hinc ergo in primis colligimus, falsam esse interpretationem de decem cornibus, quam Rex tradidit, nimirum, illa esse omnia Christiani Orbis regna, quæ à tempore Phocæ Imperatoris vsque ad Lutherum, vel vsque ad Henricum Octauum, Regem Angliæ Romano Pontifici obedientiam dederunt. Nam decem illi Reges, quos Daniel commemorat, numquam dederunt obedientiam Antichristo, seu illi cornui paruulo, sed potiùs statim ac cornu illud ortum est, tria ex decem cornibus [auulsa sunt à facie eius, quia (vt infrà dicitur) cornu illud Rex erit potentior prioribus, & tres Reges humiliabit.] Vbi euidenter loquitur Propheta de potentia temporali, & de vsurpatione trium regnorum, per bella, vel aliam similem coactionem. Vndè addunt omnes Patres, & expositores, debellatis illis tribus Regibus, reliquos septem manus daturos Antichristo, & illi tamquam inferiores, & subditos potiùs vi, & metu, quàm sua sponte esse sociandos. At nullus Pontifex, siue Bonifasius III. siue quilibet alius tres Reges bello superauit, neque alij inuiti, & bello, aut potentia, & victorija Papæ conterriti, sed fide, & diuina vocatione adducti ei se subiecerunt. Ergo quæ de illis decem cornubus, & de vndecimo paruo dicuntur, non possunt Regibus Christianis, & Romano Pontifici accommodari, eò vel maximè, quod tres illi Reges, quos cornu paruulum debellaturum est, sunt Reges Æthyopiæ, Ægypti, & Lybiæ, seu Africæ, vt est communis traditio Patrum, quos sæpe retuli, sumpta ex Daniel. 11. vt ibi Hieronym. Theodoret. & alij exponunt. At Summi Pontifices numquam in Ægypto, vel Æthiopia bella gesserunt, neque regnis illis dominari cupierunt.

Præterea ex visione Danielis constat, ante ortum illud paruum cornu, quartam bestiam, id est, Romanum Imperium in decem regna esse distrahendum, nam expresse dicit Angelus Danieli: [Porrò cornua decem, ipsius Regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos.] Illi ergo decem Reges futuri sunt eiusdem regni Romani; erit ergo inter eos diuisum prius quàm cornu paruum oriatur. At Romanus Pontificatus, etiam quoad statum, quem habuit sub Bonifacio III. incepit ante tantam declinationem, seu diuisionem Romani Imperij: nam tunc adhuc durabat Romanum Imperium sub vno Imperatore Phoca, & multo tempore posteà durauit, saltem vsque ad diuisionem Imperij in Occidentale, & Orientale. Et licèt multi essent tunc Reges in terris Imperij, nondum Imperij iugum omninò abiecerant, aut supremam potestatem obtinuerant; ergo nec illi fuerunt decem Reges, de quibus Ioannes loquitur; nec paruum cornu potuit esse Bonifacius III. vel alius similis successor eius.

Præter quàm quod non solùm rerum euentus cum verbis, & visione prophetiæ non consentiunt, verùm etiam veritas ipsius rei sistit. Quia Bonifacius nullum regnum erexit, sicut de paruulo cornu prædicit Daniel, nec nouam aliquam potestatem, aut iurisdictionem accepit, vel vsurpauit; imò nec nouum nomen, aut titulum, vt sæpe dictum est; ergo licèt persona eius orta, vel ad dignitatem electa fuisset post Reges, tamen Papa, vel Pontificius thronus, de quo potissimè hæretici loquuntur, non potest dici surrexisse post diuisionem Imperij in decem Regna, imò neque post aliquam inclinationem eius; nam in re ipsa incœpit cum ipso Imperio, & externum etiam splendorem, & maiestatem, Imperio adhuc florente sub Constantino, habere cæpit, & in se nullum augmentum posteà accepit, in externo autem, seu temporali dominio parum creuit, variasque temporum vicissitudines habuit; ergo de illo nullo modo dici potest, venisse post Reges decem, vel post omnes Reges, in quos Romanum Imperium diuisum, vel diuidendum est, ac subindè nec decem illi Reges esse possunt, illi Catholici, & Christianissimi Reges, qui hactenùs sub obedientia Vicarij Christi militarunt.

Cætera verò omnia, quæ Rex Angliæ post suam de decem Regibus interpretationem, in aliorum verborum Ioannis expositionem adiungit, tantam, præseferunt absurditatem, vt refutatione non indigeat. In primis enim non solùm cæteris illustribus Christianis regnis, eorumque Regibus, sed etiam regno suo, suisque progenitoribus magnam irrogat iniuriam, dum omnes vsque ad Henricum VIII. Christi hostes, cum agno bellum gerentes, & fidei persecutores, & Sanctos persequentes, & idolorum cultores, calicem idololatriæ cum bestia haurientes, appellat. Quod enim bellum tot sancti Reges, & Catholici Principes contra Christum excitarunt? aut quos sanctos sunt persecuti, quæue idola adorarunt? Certè si venerari Pontificem Christi Vicarium, fuit Christum persequi, fecit hoc Constantinus, & alij pij, & Catholici Imperatores, ac Reges. Si hæreticorum temeritatem, ac pertinaciam reprimere, est Sanctos persequi, fecerunt hoc antiqui Ecclesiæ Pastores Imperatorum Christianorum potentia adiuti à temporibus Augustini, aliorumque Sanctorum Patrum. Denique si venerari imagines, eisque reuerenter vti, cultus idolorum est, fecerunt hoc Christiani omnes ab initio Ecclesiæ. Igitur vel Principes omnes Catholicos, qui post Constantinum in Ecclesia fuerunt, imò & omnes sanctos Pontifices Antichristianos faciat, vel posteriores, qui à tempore Bonifacij fuerunt, calumniari desinat.

Præterea interpretatio illorum verborum, [Et agnus vincet illos,] vt vincere sit eos conuertere, vt contra Papam, & Romanam vrbem insurgant, euidenter repugnat proprietati verborum, & contextui Ioannis dicentis de illis decem Regibus: [Hi vnum consilium habent, & virtutem suam bestiæ tradent.] Nam tres illorum victi, ac supe-

rati ab Antichristo, non voluntariè, sed necessitate coacti, totam suam potentiam in illum transferent, alij verò timentes potentiam eius illum iuuabunt, eiusque consilijs inseruient. Et ita omnes contra Christum insurgent, sicut subiungit: [Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos,] non solùm decem Reges, sed etiam ipsum Antichristum principalem hostem, & ducem pugnæ. Non ergo vincet conuertendo, sed præliando, & interficiendo, propriè, & verè illos vincendo, [quia Dominus Dominorum est, & Rex Regum,] & hoc magis declarant verba sequentia, [Et qui cum illo sunt vocati, & electi, & fideles, [vtique qui tunc erunt, vincent etiam illos, seu erunt participes victoriæ. Ergo illi Reges qui vincentur, non erunt vocati, nec electi, nec fideles; ergo vinci non est conuerti, sed destrui. Et hoc etiam confirmat idem Ioannes in cap. 16. vbi ait, tres spiritus malos [congregaturos Reges terræ in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei] id est, in quo Deus ostensurus est potestatem suam contra illos, eos mirabili modo superando, & vincendo, vt cap. 21. idem Ioannes describit. Nam sine dubio hoc prælium diei magni omnipotentis Dei non est, nisi prælium Gog, & Magog, de quo in dicto cap. 21. tractat, vt meliores interpretes intellexerunt. Denique ex locis Danielis paulò post, hunc esse verum sensum illius prophetię, & victoriæ per Christum comparandæ confirmabimus.

Vndè etiam constat, falsum omninò esse, decem illos Reges conuertendos à Deo esse contra Antichristum, aut pugnaturos esse cum illo, & victuros illum, sedemque illius, & ciuitatem regiam eius tanto odio esse prosequuturos, vt illam igni tradant, prorsusque euertant. Nam hoc repugnat expressis verbis Ioannis paulò anteà citatis. [Hi vnum consilium habent, & virtutem, seu potentiam suam bestiæ tradent.] Nam ex sequentibus etiam verbis, quæ exposuimus, colligitur clarè, in eo statu esse perseueraturos, donec cum Christo pugnent, & ab eo vincantur; numquam ergo cum Antichristo pugnabunt, neque vincent illum. Imò in illis eisdem verbis, quæ Rex detorquet, hoc euidenter continetur. Ait enim; [Deus enim dedit in corda eorum,] vtique Regum, vt dent suum Regnum bestiæ,] id est Antichristo, donec consummentur verba Dei,] id est, impleantur, quæ de Babylonica destructione, & de ipsius Antichristi interitu prædicta sunt. Dicitur autem Deus hoc dedisse in corda illorum Regum, non inspirando, aut suggerendo, sed (iuxta morem loquendi Scripturæ) permittendo, & illorum malitia ad executionem prouidentiæ suæ vtendo. Hoc ergo modo permittet Deus, Reges illos fortasse priùs Catholicos, prauos autem, & iniquos, Antichristo copulari, eique fauorem suum, & potentiam impendere, & ita regna sua illi tradere, & fortè tributaria efficere, donec consummentur prophetiæ de Antichristo. Durabit ergo illa confæderatio vsque ad finem, numquam ergo illi Reges contra Antichristum, vel Regiam eius insurgent. Quocirca si Babylon illa, & meretrix, seu ciuitas magna, quam isti Reges odient, & desolatam facient, ac nudam, est Roma, profectò indè potiùs conuincitur, Romam numquam esse futuram regiam sedem Antichristi, & impugnatores Romæ non hostes, sed amicos fore Antichristi. Cum ergo Rex Angliæ se inter eos Reges numerat, dicens, meretricem odio habebimus, se inter socios, & fautores Antichristi numerat, videat ergo, & consideret, quem fructum ex istis suis interpretationibus consequatur.

Sic ergo explosa interpretatione illa decem cornuum, & supposito pro constanti, illa repræsentare decem Reges futuros tempore Antichristi, & potentiam suam illi tradituros modo explicato, euidentius etiam est, cornu paruum esse Antichristum, vt Ecclesia semper intellexit. Superest ergo, vt breuiter videamus, quomodo cornu illud paruum Propheta describat. Primò enim ponderanda est proprietas indicata in particula paruulum, posita enim est ad significandum, Antichristum ex vilissimis principijs, & abiectissimis parentibus, infamique gente esse oriundum, non enim sine mysterio verbum illud additum est, vt omnes intellexerunt. Et alijs verbis statim subiunctis magis declaratur, cum de eodem cornu paruo dicitur, [Ortum est de medio eorum,] significatur enim ibi, vt in superioribus notaui, illum non esse oriturum ex aliquo illorum Regum, sed in tertia eorum appariturum.

Vndè altera proprietas notari potest, scilicet, non habiturum regnum hæreditario iure, sed ex paruis initijs, varijs artibus, & imposturis, ac dæmonis fallacijs, breui tempore ita esse augendum viribus, vt tria cornua euellantur à facie eius, idest, vt tres Reges breui tempore humiliet, & maior, ac potentior fiat cæteris, vt ibidem additur; vt rectè Theodoret. exposuit, dicens: [Quia nascens cornu vidit, paruum appellauit tamquam ex parua natione Iudæorum profectum, & interim obscurum regnum obtinens, postquam verò tria euulsit corona, meritò reliquis maius vocat.] Tertiam item proprietatem ex eisdem verbis colligo, nimirum illum primò, ac præcipuè futurum esse tyrannum, qui temporale regnum priùs industria, & prauis artibus inchoet, posteà per potentiam, & bella illud augeat, tres Reges superando, & suis regnis priuando, & alios sibi subijciendo, vel eamquam inferiores, ac debiliores sibi coniungendo, vt magis Ioannes in Apocalypsi declarauit.

Quarta proprietas sumi potest ex illis verbis: [Ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu ipso, & os loquens ingentia.] Vbi per oculos hominis Theodoretus significari intelligit, internam mentem, & iudicium. Atque Antichristo tribui oculos hominis, quia erit sagacissimus, & prudentia humana gubernabitur. Alij simplicius hoc modo exponunt. Cùm habiturus sit faciem hominis, quia verus homo futurus est, loquetur non vt homo, sed vt superbissimus dæmon, quod Ioannes alibi dixit, loquebatur vt draco. Dicitur enim loqui ingentia, seu grandia, tum quia ingenti superbia se efferet, tum etiam quia blasphemias in Deum proferet, nam vt statim subiungitur, sermones, contra excel-

sum

sum loquetur, vtrumque enim illis verbis propriè significatur, & vnum est ad aliud consequens. Incredibili enim arrogantia se Deum proclamabit (vt ex Paulo notauimus) & ita Deo excelso aduersabitur, & contra eum loquetur.

Quinta sumitur ex verbis illis: [Sanctos Altissimi conteret, & putabit, quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Quæ verba sunt de persecutione Antichristi, & de tempore durationis eius, quæ per occasionem necessariam in superioribus exposita sunt. Nunc solum notanda sunt verba illa: [Putabit, quòd possit mutare tempora, & leges.] Quibus declaratur, persecutionem non tantùm esse futuram temporalem, & politicam propter dominationem temporalem, sed simul, & maximè futuram esse spiritualem, nam conabitur mutare tempora, idest, vt ait Hieronymus, cæremonias, festiuitates, vel certè totam Religionem per multa tempora in orbe fundatam, & in cordibus hominum radicatam, & leges, vtique tam diuinas, quam humanas. Nec ipse aliquam ex antiquis religionibus, seu legibus profitebitur, sed nouam introducet, credens, se posse leges, & tempora mutare. Et hasmet Antichristi notas colligit Athanasius dicta epist. ad Solitar. vitam agent. dicens, [Nonne visio Danielis istius modi notis Antichristum significat. Nimirum, quòd bella cum sanctis gesturus sit, & quod inualescet contra eos, quod malitia superabit omnes, qui ante ipsum fuere, & quod humiliabit tres Reges, loqueturque sermones contra Altissimum, & quod meditabitur alienare, & legum & temporum articulos.] Sexta proprietas colligi potest ex sequentibus verbis. [Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem, Regnum autem, & potentia, & magnitudo regni, quæ est super omne cœlum detur populo sanctorum Altissimi,] &c. Nam in his verbis ponitur vt nota Antichristi, quòd prope tempora iudicij veniet, & quod regnum eius non nisi per aduentum supremi Regis Christi conteretur, & ipse interficietur. Quam proprietatem vtpotè ad tempora Antichristi pertinentem, supra explicuimus, illamque ibi Hieronymus, Theodoret. & alij interpretes indicant.

Has autem Antichristi proprietates idem Propheta in sequentibus capitulis partim magis confirmat, & declarat, partim etiam auget. Nam in capite octauo, postquam retulit visionem arietis, & hirci, & de Dario Rege Persarum, & de Alexandro Magno Rege Græcorum illam declarauit, tandem in fine quædam profert, quæ licèt ad literam de Antiocho, qui ex Græcis Regibus, qui Alexandro successerunt, descendit, & Iudæos multum vexauit, intelligantur, in persona eius de Antichristo dicta fuisse multi Patres intellexerunt. Præsertim Irenæus lib. 5. contra hæref. cap. 25. & Origen. lib. 6. contra Celsum circa medium, & Gregor. lib. 32. Moral. cap. 12. aliàs 14. Et reuera verba Prophetæ tam propriè Antichristo quadrant, & ita consonant his, quæ in alijs locis de Antichristo dicuntur, vt propter illum præcipuè de illo dicta esse videantur. Nam initium eius his verbis prædicitur. [De vno ex eis egressum est cornu vnum modicum, & iterum: Consurget Rex impudens facie,] vbi etiam mores eius notantur. De progressu vero eius additur: [Factum est grande contra meridiem, & contra Orientem, &c.] De illius statu: [Magnificatum est vsque ad fortitudinem Cœli.] Astutia vero, & artes, per quas ascendet in illis verbis significantur. Intelligens propositiones, item in illis. Roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus, suis, vtique, sed dæmonis, permittente Deo. De bellis autem, & crudelitate eius dicitur, [supra quam credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet.] Deindè sic describitur eius superbia, & pugna contra Deum. [Vsque ad Principem fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit iuge sacrificium, deiecit locum sanctificationis eius. Et iterum, [Cor suum magnificabit, & contra Principem Principum consurget.] Ac denique de Sanctorum persecutione dicitur. [Deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas. Et iterum: [Interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dolus in manu eius dirigetur.] Ac denique de fine eius dicitur: [Sine manu conteretur,] quod satis consonat verbis Pauli: [Quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui.

Quamuis ergo hæc verè, & ad literam in Antiocho suo modo impleta fuerint, tamen per antonomasiam de Antichristo dicta esse creduntur: nam in illo cum maiori plenitudine, & excessu omnia inueniuntur tamquam in capite ipsius Antiochi, & malorum hominum. Ex his autem omnibus sex proprietates supra notatæ præcipuè declarantur. Solùmque additur altera de modo interfectionis eius, quæ potest esse septima. Octaua verò sumi potest ex cap. 9. eiusdem Prophetæ in illis verbis ferè postremis. [Et erit in templo abominatio desolationis:] nam licèt alijs modis exponatur tam ibi, quam Matth. 24. nihilominùs valdè probabile est, de Antichristo etiam intelligi, vt voluit Irenæ. lib. 5. c. 25. saltem in secundario, vel mystico sensu. Nam ad literam non erat ibi sermo de Antichristo, sed de destructione Hierusalem facta per Titum, vt constat; tamen verba ipsa multò magis in Antichristum conueniunt, iuxta ea, quæ exponendo verba Pauli, & Apocalypsis, latè diximus. Est ergo octaua proprietas, [quod se faciet Deum, & in templo sedebit, vt adoretur, & suam imaginem collocabit, vt per eam etiam tamquam Deus colatur,] vt in Apocalypsi dicitur. Et hoc magis ex sequenti testimonio confirmabitur.

Est enim alius locus similis in eodem Propheta cap. 11. ab illis verbis: [Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor Regius, & veniet clam, & obtinebit eum in fraudulentia.] In tota enim superiori parte capitis prophetauerat Daniel de Regibus Persarum, & Græcorum, & latiùs de successoribus Alexandri, præsertimque de Regibus Syriæ, & Ægypti, quos Reges Aquilonis, & Austri vocat, & peruenit tamdem (vt Hieronymus deducit) ad Seleucum Philopatrum, Antiochi Magni filium, quem vocat [illegible] mum, & indignum decore Regio,] & [illegible]

sub-

subiungit. [Et in paucis diebus conteretur.] Et statim adiungit prædicta verba. [Et stabit in loco eius despectus, &c.] Quæ iuxta literæ contextum, & prophetiæ, seu historiæ consecutionem sine dubio intelliguntur de Antiocho Epiphane, fratre Seleuci impijssimo Rege, qui Dei populum vehementer exagitauit, vt ex libris Machabæorum constat: & ferè omnia sequentia in eo capite de illo ad literam dicuntur, vt fatentur ibi Hieronymus, Theodoret. & alij, & sumitur ex Chrysostom. oratione secunda contra Iudæos. Nihilominùs tamen idem Hieronymus, Theodoret. & alij expositores ibi, & Gregor. libr. trigesimo secundo, Moral. capite vndecimo. Prosper in Dimidio temporis capite nono, multa etiam ex illis verbis de Antichristo dicta esse intelligunt, quia in illum maximè conueniunt, & quia Antiochus in multis typus fuit Antichristi.

Per illa ergo verba, quæ retulimus, rectè confirmantur, & explanantur, quæ de initijs Antichristi in alijs locis dicuntur. Dicitur enim despectus, sicut dicitur paruum cornu, quia vilem, & despectam habebit originem, & ideò in principio, non tribuetur ei honor Regius, quia non orietur ex Regibus, nec regnum iure hæreditario obtinebit, sed veniet clam, & obtinebit id in fraudulentia; quia vafer erit, & propositiones intelliget. In sequentibus autem verbis describit quidem Daniel bella, & victorias Antiochi, dicens, [Abundantes,& vberes vrbes ingredietur.&c.] Sub illarum verò figura Antichristi prælia, & facinora prædixit, & ideò quædam interdum ita exaggerat, vt in solum Antichristum conuenire posse videantur. Quale est illud: [Faciet, quæ non fecerunt Patres eius, & patres patrum eius:] quod Hieronymus notat, ad Antiochum propriè non accommodari, quia in regno, & diuitijs non omnes antecessores suos excessit. Posita ergo sunt propter Antichristum, qui obtinebit multò ampliorem potentiam, & monarchiam, quam ille Antiochus fuerit consequutus. Postea verò describit Propheta persecutionem Antiochi contra Iudæos, in figura etiam depingens persecutionem Ecclesiæ sub Antichristo, cui maximè illa verba conueniunt: [Contra firmissimas cogitationes inibit,] vtique consilia sua, & potentiam armabit contra firmas cogitationes sanctorum fidelium, vt Patres exponunt, vndè infra dicitur: [Cor eius aduersùs testamentum sanctum, & faciet. Et auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.] Quæ omnia fecit suo modo Antiochus, sed ficus omnia in figura contingebant Iudæis, ita illa fuerunt vmbra respectu veritatis per Antichristum futuræ.

Posteà verò de superbia, & blasphemijs Antichristi proprijssima sunt illa verba. [Et faciet iuxta voluntatem suam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deũ, & aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica, &c. Et infra. Deum patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduersùs vniuersa consurget.] Per quæ verba optimè explicantur, quæ supra tractauimus, vbi de cornu paruulo dicitur habere os loquens ingentia. Item quod circa verba Pauli diximus, quòd ostendet se tamquam sit Deus, Dei veri locum, & adorationem vsurpans. Vndè ex hoc loco colligunt Patres, Antichristum idola gentium demoliturum, & deos gentium non esse adoraturum. Ex quo etiam notat Hieronymus, hæc verba ita conuenire Antichristo, vt non possint de Antiocho intelligi, qui idololatra fuit, & Hebræos ad Deos gentium adorandos compellebat, vt in libris Machabæorum narratur. Hæc ergo esse potest nona proprietas Antichristi, scilicet, non esse futurum idolorum cultorem, quod saltem in publico, vel de antiquis Dijs gentium intelligendum est. Nam statim addit Daniel, illum esse adoraturum Deum Moezin, de quo quis sit futurus, magna est controuersia, variæque expositiones, sed ad præsens non referunt. Et probabilius videtur, habiturum Antichristum locum aliquem occultum, in quo dæmonem adiutorem suum sub aliqua imagine, vel idolo occultè colat, vt tractaui in 2. tom.3. partis disp.54. art.4. vbi non dixi, vt quidam mihi imposuit, forsan illa verba interpretanda esse de solo Antiocho, sed retuli primo loco hanc sententiam, & postea sententiam Hieronymi, quam in præsenti etiam tetigi, & validissima est, confirmaui.

Denique in reliqua parte capitis iterum prædicit Propheta prælia, & Victorias Antichristi, & specialiter quomodò tres Reges Ægypti, Africæ, seu Libyæ, & Æthiopiæ vincet, & regna eorum occupabit. Postea verò Hierosolymam, debellaturus eam, cum magna potentia veniet in multitudine magna, vt conterat, & interficiat plurimos, & figet tabernaculum suum Apadno inter maria super montem inclytum, & sanctum,] quod de monte Sion, vel Oliueti, Hieronymus, & alij exponunt. Ac tandem de morte eius subiungitur, [veniet vsque ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei,] quia nimirùm, [interficiet illum Dominus spiritu oris sui, seu Imperio suo, & sine manibus,] præcipiet enim aperiri terram, vt deuoret eum, & viuus in infernum demergatur, vt in Apocalypsi dicitur. Postmodum verò Daniel cap.12. declarat, quanto tempore duratura sit illa persecutio Antichristi, & quomodo paulò post mortem eius futurum sit iudicium, & vniuersalis resurrectio, vt exposuit Augustinus 20.de Ciuitat.cap.23.& copiosè in superioribus explicatum est. Atque hæc ferè sunt notæ, & signa, quibus nobis Antichristum Daniel descripsit, quæ latiùs Hieronymus, & Theodoret. prosequuntur, & ex modernis Pereira lib.8. & 14.in Daniel. & Malnenda sparsim in suis eruditis libris de Antichristo.

Conferant ergo omnes, qui fidem adhibent Scripturis has proprietates, & notas Antichristi cum his, quæ de Romano Pontifice sunt toti orbi manifesta, & luce clarius videre poterunt, quanta fuerit hæreticorum impudentia, & horrenda temeritas, vel potius insania, qui venerandam Apostolicam sedem tam incredibili infamia dehonestare ausi sunt, & quanta sit illorum cæcitas, qui ipsorum nugis, & inanibus cogitationibus se illudi sinunt. Antichristi enim initia abiecta erunt, & obscura, non tantum generis, & originis (illud enim non multum curandum esset) sed regni, & potestatis. Origo autem

Roma-

Romanæ sedis quoad dignitatem ipsam altior cogitari non potest, ab ipso enim Christo fundata est, & inde ad singulas personas, etiam Bonifacij, & posteriorum per legitimam successionem manauit. Deinde Antichristi regnum ab ipso per falsas artes, & tyrannidem inchoabitur: Pontificis autem regnum præcipuum nullum post Christum habuit initium, sed successionem, non per fraudes, vel tyrannidem, sed per legitimam electionem. Ad hæc, Antichristi regnum temporale erit, per fraudes incipiet, & per bella, & cædes hostium dilatabitur, Primatus autem Pontificis spiritualis est, semperque idem quoad dignitatem, in se spectatam, & licèt quoad populorum subiectionem creuerit, non tamen per corporalia bella, sed per verbum Dei, & fidem credentium. Per quam sicut in vno tempore dilatatam est, ita per infidelitatem aliquorum in aliquibus locis fuit imminutum, licèt per Dei gratiam alibi semper augeatur. Omitto cætera, quæ ad mores, tempora, sedes, & fines pertinent, nam in superioribus satis ea inter se contulimus, & non solùm diuersa, sed etiam omninò opposita esse ostendimus. Nuncque solùm adnotare voluimus, & aduertere, quanta in his omnibus sit Scripturarum consonantia, & concordia, vt indè etiam appareat, quàm sint violentæ Protestantium accommodationes ad visiones Apocalypsis: cum non solùm sint voluntariæ, & sine duce, & præter verborum proprietatem, & contra rerum veritatem, sed etiam sint contra alia clariora Scripturarum loca, per quæ debent obscuriora intelligi iuxta prudentem rationem Scripturam interpretandi.

Eorum, quæ in hoc libro tractantur Summa, cùm apostrophe ad Regem Angliæ.


Qvamuis huius libri materia, & argumentum nihil aliud præter calumniam, vel certè potius horrendam blasphemiam continere videtur, ideòque multis prudentibus melius fortasse videri posset hæc omittere, quàm cum piarum aurium offensione rem per se incredibilem in quæstionem adducere; nihilominus laborem hunc nostrum neque inanem, neque pijs auribus offendiculo futurum esse iudicauimus. Cum enim serenissimus Angliæ Rex in suo de Antichristo discursu, ita suis coniecturis confidere videatur, vt earum responsionem per singula disputationis membra, tamquam rem nobis arduam, vel certè impossibilem, audacter postulet, non solum vtile, verum etiam necessarium visum est tum ad singula respondere, tum etiam ostendere, omnia, quæ obijciuntur, & sine fundamento solido esse cogitata, & neque coniecturæ nomen mereri. Ita vt mirandum profectò sit, in re tanti momenti, vt in ea salutis æternæ cardo versetur, tam leuibus allusionibus, seu allegorijs prudentes viros duci potuisse.

Hanc igitur ob causam priùs de Antichristi persona fundamentum posuimus, illumque futurum esse singularem quendam hominem ex Scripturarum verbis, serie, ac concordia, nec non ex communi Patrum consensu demonstrauimus. Deindè per singulas partes à Rege propositas discurrendo, in primis tempus eius nondum venisse, persecutioneque illam, qualis ab initio non fuit, ab eo mouendam, nondum inchoatam esse, nec testes contra illum mittendos adhuc apparuisse, ex eisdem principijs ostendimus. Postea verò sedem eius, nec Romæ, nec vnquam futuram esse comprobauimus. Ac deinque Antichristi personam ex proprietatibus à Prophetis, & Apostolis de illo prædictis latè considerauimus; & quomodo per incredibilem tyrannidem, & fallaces artes, ac signa mendacia, & ingentia prælia ab infimis principijs ad orbis monarchiam ascendet, & in tantam denique arrogantiam, & superbiam perueniet, vt supra omne, quod dicitur Deus, extollatur, ita illum descripsimus, vt euidentissimum sit, nullum mortalem hominem, nedum Romanum Pontificem, tam iniquum, & abominabilem hactenus fuisse.

Quod si aliqua illius imago in aliquo terræ loco cogitanda est, non certè in Sancta Romana Sede, sed in cathedris Hæresiarcharum, vel in thronis Regijs Paganorum, aut schismaticorum Romanam Ecclesiam persequentium cogitandam esse ostendimus. Sicut Hieronymus Antiochum, & Neronem, Damascenus Mahometem; Irenæus Marcionitas, & similes hæreticos; Cyprianus omnes Christi aduersarios Antichristum appellarunt. Nemo enim nisi aliquis ex istis Antichristis, & Christi hostibus in Rom. Pontificem, tale nomen talemuè calumniam traduxit. Neque in eius cogitationem ascendere poterit, qui antiquam illius sedis originem planè diuinam, eiusque felicissimum progressum, & admirandam stabilitatem cum Augustino, & alijs Patribus attenta mente considerauerit.

Reliquum est, Rex serenissime, vt omni animi perturbatione deposita, vim rationum, & pondus auctoritatis attenta mente recogites, quantaque absurda ex libera scripturæ commentatione proueniant, mediteris: grauissima D. Hieron. verba simul considerans, qui cum Porphyrio disputans Daniel. 11. ita concludit: [Hoc ideò prolixius posui, vt Scripturæ sanctæ difficultatem ostendam, cuius intelligentiam absque Dei gratia, & maiorum doctrina non nisi imperitissimi, vel maximè sibi vendicant.

EIVS-



EIVSDEM AVCTORIS.

DISPVTATIO DECIMA.

De Summo Pontifice.



Xplicuimus diſputat. præcedente totam Eccleſiæ rationem, & regiminis formam, quam monarchicam eſſe concluſimus: ſequitur, vt de Monarcha ipſo, ac ſupremo Paſtore diſſeramus. Quoniam verò in ſuperioribus iam oſtenſum eſt, id capue, & neceſſarium eſſe in Eccleſia, & à Chriſto Domino inſtitutum, eo generatim poſito, progredimur ad demonſtrandum, in quonam homine hanc dignitatem conſtituetit, in quibus deinceps perpetua ſucceſſione durauerit, in quo tandem hodie perſeneret, ac modo ſimili ſemper perſeuerabit. Diſputant verò de hoc argumento in primis Auctores ij, quos præcedenti diſput. meminimus D. Thom. 22. qu. 5. artic. 50. lib. 4. contra Gent. cap. 76. & in Opuſc. de regimine Principum ſi eius eſt; & in Opuſculo contra errores Græcorum. Theologi in 4. agendo de clauibus. Recentiores contra Lutheranos. Turrian. contra Sadeelem. Bellarmin. tom. 1. tota controuerſia 3. Valent. controuerſ. 1. libro 8. Salmeron. tom. 4. par. 3. à tractatu 1. vſque ad 5. & in Acta Apoſtol. à tract. 62. Videri qnoque poteſt Molina de iuſtit. tract. 5. diſput. 4. vbi quoſdam alios adducit in num. 3. Addi poſſunt iuriſperiti in tom. 13. Tractatuum, p. 1. & 2. ſpeciatim Michael de Anin.

SECTIO PRIMA.

An Chriſtus Dominus vniuerſalem Eccleſiæ curam Petro conceſſerit? atque adeò, an Petrus fuerit in terris primus Chriſti Vicarius, & vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex, & Paſtor.

OStendimus ſuperiori diſputatione varijs modis in quæſtione hac ab Hæreticis erratum fuiſſe, qnorum placita ſatis confutauimus; in ſequentibùſque veritatem confirmando, iterum ea impugnabimus: illis ergo prætermiſſis, dico primò: Omnes Apoſtoli acceperunt à Chriſto Domino iuriſdictionem, & ſpiritualem poteſtatem in totam Eccleſiam, & in totum orbem. Concluſio eſt certa, & communis, quæ patet primò ex Scriptura, Matth. 18. [Quæcumqne alligaueritis, &c.] quamquam enim Origenes, Theophylact. & alij verba hæc, non de ſpirituali iuriſdictione Sacerdotum, ſed de actu correctionis fraternæ, & remiſſionis iniuriarum interpretentur; attamen literalis ſenſus eſt de poteſtate clauium, reddit enim Chriſtus Dominus rationem, quare his, qui Eccleſiam, id eſt, Paſtores Eccleſiæ non audit habendus ſit tamquàm Ethnicus, & Publicanus; quia nimirum Paſtores Eccleſiæ habituri erant poteſtatem ad præcipiendum, excommunicandum, ſoluendum, & ligandum. Ita Hilarius Anſelmus, & alij expoſitores ibi, & Auguſtinus tractatu 26. & 49. in Ioan. Verum quidem eſt, eo loco Chriſtum Dominum non dediſſe poteſtatem Apoſtolis, ſed promiſiſſe, vel prædixiſſe fore, vt haberent illam; quod notauit Turrecremat. libro ſecundo ſummæ, cap. 77. hoc tamen ſufficit intentioni noſtræ: nam Chriſtus promiſſionem impleuit Ioan. 20. [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.] quem locum Cyril. & Chryſoſtomus in hunc ſenſum exponunt, & eamdem vim habent verba illa, Matth. vltimo, & Marc. vltim. [Data eſt mihi omnis poteſtas, &c.] Confirmatur: quoniam conſtat ex Scriptura, omnes Apoſtolos ab ipſo Chriſto Domino apoſtolicam dignitatem accepiſſe, Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Ioan. 20. ad Galat. 1. & 2. ad Epheſ. 4. & 1. Corinth. 12. de ratione autem dignitatis apoſtolicę eſt iuriſdictio, & poteſtas ſpiritualis in vniuerſum populum fidelem, vt D. Thom. notat prima Corinth. 12. & ad Galat. 1. vbi Paulus etiam aſſeuerat, ſe non ab Apoſtolis, ſed à Chriſto poteſtatem accepiſſe in vniuerſum orbem, eò quòd ab illo fuerit Apoſtolus conſtitutus: quare, &c. Secundò, principaliter patet concluſio ex Patribus, qui hanc concluſionem ſæpè affirmant, & in illius ſenſu non rarò pronuntiant, Apoſtolos fuiſſe dignitate pares. Ità Anacletus Papa epiſtola 3. habetur cap. In nouo teſtamento 21. d. Leo Papa ſermone 3. in Anniuerſario Aſſumptionis ſuæ. Cyprian. lib. de vnitate Eccleſiæ, habetur cap. loquitur 24. quæſt. 1. Hieronym. in id ad Galat. 2. [Reſtiti ei in faciem. habetur cap. Paulus 2. qu. 7. vbi Gratian. explicat de æqualitate ſanctitatis

ſed

sed non rectè: id enim, neque sciri potest, neque fortasse verum est. Rursus Hieronymus 1. contra Iouin. Hilar. 6. de Trinit, paulò post medium Vigil. Papa in epist. decret. c. 7. Tertiò probatur assertio ex effectibus; legimus namq; Apostolos generaliter quascumq; mundi partes peragrasse, & Presbyteros, & Episcopos constituisse, & ordinasse, vt constat ex Actis Apostolorum, & Epistolis Pauli, qui Ephesi Timotheum consecrauit, Titum constituit Cretæ, & de alijs non paucis videri potest Niceph. lib. 2. & 3. per multa capita. Exercuerunt prætereà actus varios iurisdictionis, cuiusmodi sunt excommunicare, ac leges ferre, sicut patet ex 1. Corinth. 5. 6. 7. 11. & 14.

In hac tamen conclusione aduertenda sunt nonnulla. Primum, nomine Apostolorum nos intelligere duodecim, sanctum Mathiam, videlicet, includendo, & excludendo Iudam, qui, licèt fuerit ad Apostolatum vocatus, electus, & Apostolus nominatus, vt patet Luc. 6. numquam tamen veram Episcopi consecrationem, aut Apostoli iurisdictionem obtinuit, cùm iam laqueo vitam finierit, quo tempore cæteri iurisdictionem acceperunt, Comprehendimus etiam Diuum Paulum, de quo & conclusio, & rationes factæ æquè, ac de alijs Apostolis procedunt: de beato Barnaba nihil mihi certum constat; Clemens enim 7. constitutionum eum inter septuaginta Discipulos numerat, & quamuis Actorum 13. Spiritus sanctus dixerit: [Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos,] & propterea nomen Apostoli in Ecclesia obtinuerit, dubitarique non possit, quin Episcopus fuerit, vt ex eodem cap. 13. colligitur: at non satis constat, illum dignitatem apostolicam, quoad omnia, quæ de illius ratione sunt, atque adeò quoad vniuersalem iurisdictionem, obtinuisse. Vnde neque Ecclesia æquali solemnitate festum eius, ac aliorum Apostolorum celebrat. Secundò, est aduertendum tria in Apostolis esse distinguenda, Ordinem sacerdotij, consecrationem episcopalem, & iurisdictionem vniuersalem; quæ tria certissimum est in singulis eorum fuisse, vel immediatè à Christo data, vel certè ex præcepto eius: & de Ordine quidem Sacerdotij, certissima fides est, omnes illum à Christo Domino immediatè accepisse sub noctem Cœnæ, verbis illis: [Hoc facite in meam commemorationem,] vt Trident: definit sess. 22. cap. 1.

Quomodo collata fuerit Apostolis potestas iurisdictionis.

De potestate item iurisdictionis mihi multò probabilius est eam omnes à Christo Domino immediatè accepisse, quæ est antiquorum Theologorum communior sententia in 4. distinctione 18. 20. 24. vbi Diuus Thomas, Bonauentura, Albertus, & alij Gabriel in Canon. Lect. 3. Caietanus tractatu de auctoritate Papæ, & Conciliorum, capit. 3. Turrianus lib. 2. pro epistolis Pontif. cap. 21. & in scholijs, lib. 6. constit. cap. 12. pag. 81. Soto distinctione 20. quæst. 1. artic. 1. Victor relect. 2. de potestate Ecclesiæ, quæst. 2. Castro 2. de iusta Hæreticorum punitione, capit. 24. Salmeron, & plerique initio allegati, Vargas Opusc. de hac re; & planè colligitur ex locis Scripturæ, & Patrum suprà citatis, Ioannis 20. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,] & supra [Quorum remiseritis peccata.] Vbi Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, & alij Patres id notant, & Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ: & quamuis eo tempore Thomas abfuerit; potuit tamen Christus, vel illi absenti potestatem conferre, vel certè post octo dies, cùm illi iterum apparuit, eam largiri; sicut ex Actor. 1. colligitur, Mathiam non à Petro, vel Apostolis ad Episcopatum electum, sed immediatè à Christo; atque adeò verisimilius, ab eodem iurisdictionem immediatè accepisse, quoniam, vt Diuus Thomas 1. Corinth. 12. notat, primùm ad dignitatem Apostolicam necessarium, est iurisdictio, & auctoritas gubernandi fidelem populum; ex quo sumitur generale argumentum: nam certò constat, omnes Apostolos, ab ipso Christo accepisse Apostolicam dignitatem, vt patet ex Luc. 6. Ioan. 6. 1. Corinth. 12. ad Ephesios 4, de ratione autem talis dignitatis est iurisdictio: ergo, &c. Tandem id satis comprobat exemplum Pauli, qui ipso teste ad Galat. 1. & 2. nullam iurisdictionem ab alijs Apostolis accepisse testatur.

Contra datam resolutionem sentiunt Turrecremat. libro secundo Summæ, cap. 54. Iacobat. Libro 10. de Concilijs, artic. 7. contendentes, totam iurisdictionem fuisse datam soli Petro, vt nimirum commodiùs defendant Episcopos omnes, qui Apostolis succedere dicuntur à Concilio Florentino in instructione Armenorum, & Trident. sess. 23. capit. 4. & ab Augustino in id Psalm. 44. [Pro patribus tuis, &c.] non immediatè à Christo, sed à Pontifice Romano Petri successore iurisdictionem habere. Sed hoc certè non est sufficiens fundamentum, quo à communiori sententia recedatur. Constat enim similitudinem non valere in omnibus; potest enim nunc Pontifex Episcoporum iurisdictionem restringere, vel ampliare: quod non potuisset Petrus facere in Apostolis, qui à Christo missi fuerunt in totum orbem ad fundandam Ecclesiam. Aliter ergo succedunt Episcopi Apostolis, quàm Episcopus Romanus Petro: hic enim, vt dicemus in sequentibus, ita succedit, vt post ratam electionem, immediatè ab ipso Christo recipiat vniuersam iurisdictionem, quam Petrus receperat, vt illius vicem suppleat: Alij verò Episcopi succedere dicuntur Apostolis, non in hoc vt habeant immediatè iurisdictionem, à quo Apostoli habuerunt; cæteri namque præter Petrum, eam non acceperunt ordinariam, & ad successores transferendam, vt dicemus sed quasi delegatam priuilegio speciali ob peculiarem necessitatem, quæ tunc dabatur propagandi fidem, fundandique Ecclesiam per vniuersum mundum; cuius signum est; tum, quia Episcopi, qui Apostolis succedere dicuntur, non habent generalem iurisdictionem, sicut Apostoli ipsi habuerunt; tum etiam, quia si propria foret talis successio, nulli debuissent Episcopi creari viuentibus Apostolis, sicut viuente Petro nullus creatus est, qui ei succederet

ret in Pontificatu. Episcopi ergo succedere dicuntur Apostolis secundùm quamdam accomodationem, & repræsentationem, ad eum modum, quo Presbyteri succedere perhibentur 72. discipulis, quia nimirum eorum subeunt vices, officioque funguntur: sic enim in Episcopis residet pontificia, & episcopalis dignitas, quæ fuit in Apostolis: sunt etiam præcipuæ columnæ, & Pastores Ecclesiæ, quibus commissum est illius regimen, quibus in muneribus Apostolis assimilantur, succedereque dicuntur. Vide Alens. 4. part. qu. 49. memb. 6. art. 3. §. 2. Diuum Thomam 4. d. 19. quæst. 1. art. 3. ad 1. Richard. d. 24. art. 5. quæstio. 3. Paludan. de potestate papali, art. 2. cap. 7. & 8.

Quomodo dignitas Ordinis collata sit Apostolis.

De potestate Ordinis est adhuc maior dubitatio. Nam Turrecrem. lib. 2. capit. 32. multis rationibus conatur probare solum Petrum fuisse à Christo Domino ordinatum Episcopum; ipsum verò reliquos Apostolos consecrasse, vt verum sit, quòd Pontifices sæpiùs asseuerant, Petri Cathedram esse Matrem, & radicem omnium Ecclesiarum, & à Romana Ecclesia omnem consecrationem, & dignitatem episcopalem promanasse; quod non alia ratione stare posse videtur, quàm quia solus Petrus à Christo fuit creatus in Episcopum, à quo omnes alij per successionem quandam deriuarentur. Ita significat Innocentius I. epist. ad Conc. Carthag. quæ est 19. [A quo, inquit, Petro ipse Episcopatus, & ipsa auctoritas huius nominis emersit.] Ita quoque Anacletus Papa epistola secunda ad Iulian. primum Episcopum, Cyprian. epistola 6. Leo sermone 3. de anniuers. suæ assumptionis, & in epistola 89. [Vt ab ipso (id est, Petro) quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Chrysostomus Ioann. vlt. Committit Petro præsidentiam fratrum, vt ab illo deriuetur in reliquos.]

Alij verò sentiunt, Christum Dominum ordinasse Episcopos, Petrum, & Iacobum, & Ioannem, hosque cæteros consecrasse. Ita indicat Clemens lib. 6. & 7. constitutionum, quem refert Niceph. lib. 2. capit. 3. At enim in priori loco Clemens de Iacobo maiori loquitur: [Quem Dominus, inquit, cum Petro, & Ioanne, præcipuo honore dignatus fuit.] In posteriori verò agit de Iacobo iusto, de quo nullam probabilitatem habere potest hæc sententia, propter ea quæ dicemus. De alijs tribus persuaderi potest ex eo, quòd multi Patres indicant, Iacobum iustum ordinatum fuisse Episcopum Hierosolymitanum à Petro, cum Iacobo, & Ioanne; quod sensit Anacletus epistola 2. scribens, eiusmodi exemplo constare, Episcopum non nisi à tribus Episcopis ordinari oportere. Concinit idem Clemens citatus; quamuis non ordinatum, sed electum dicat. Idem sentit Hieronymus de viris illustribus, in Iacobo, neque est verisimile, quod dicunt nonnulli, præfatum Iacobum Hierosolymitanum Episcopum non fuisse vnum aliquem ex Apostolis, vt Niceph. suprà, & cap. 36. & 44. Ex Euangelio enim, & Actibus Apostolorum oppositum colligitur, Iacobum, scilicet, fratrem Domini vnum fuisse ex duodecim Apostolis, & de eodem, qui etiam iustus vocabatur, narrant historiæ Hierosolymis Episcopum fuisse: Ecclesia denique eumdem celebrat, atque vt Apostolum veneratur; certè ex opposito planè sequitur, neque historias, neque Ecclesiam mentionem vllam fecisse tanti Apostoli.

Alij ergo volunt, omnes Apostolos immediatè ab ipso Christo fuisse Episcopos ordinatos. Ita Glossa 1. Corinth. 15. circa illud [Posuit quidem Deus in Ecclesia primùm Apostolos, &c.] Et multi Theologi in 4. d. 24. videturque expressa sententia Augustini libro quæstionum noui, & veteris Testamenti, quæst. 97. sub finem: [Ipse enim,] ait loquens de Christo, [priusquàm in cęlos ascenderet, imponens nomen Apostolis, ordinauit in Episcopos.] Ubi cùm indefinitè loquatur, planè de omnibus se loqui significat. Sermone etiam 28. (si eius est) ad fratres in Eremo, eodem indefinito loquendi modo, inquit Christum ordinasse Apostolos Sacerdotes in nocte Cœnę; ex quo potest sumi argumentum; nam si Christus immediatè ordinauit omnes Apostolos Sacerdotes, cur non Episcopos? vix sanè potest reddi ratio probabilis: nã sicut Presbyteri æquales sunt in ordine, & esse inęquales possunt iurisdictione; ita Episcopi quoad consecrationẽ equales in iurisdictione possunt esse inæquales. Ex quo deducitur nouum argumentum: namq; si in aliquo fuit inæqualitas inter Apostolos, fuit haud dubiè in potestate iurisdictionis, quam nihilominùs immediatè à Christo Domino receperunt; ergo multò credibiliùs idem dicendum est de potestate Ordinis. Denique, cùm proximè sint à Christo constituti in apostolica dignitate, eáque maxima ex parte in dignitate episcopali fundetur, verisimilius planè est, etiam ipsum Christum per se in Apostolos ordinasse, quos ipse viuens, præsensque elegit, & quibuscumq; est conuersatus.

Quod ideò dico, quia de Mathia res videtur minùs explorata, quamuis in actibus non legatur eius ordinatio, solùm quippè in cap. 1. habetur: [Cecidisse sortem super Mathiam, & annumeratum fuisse cum vndecim Apostolis.] Verisimilius tamen est, ordinationem recepisse ab Apostolis, ne speciale miraculum admittamus, aut potiùs extraordinarium modum prouidentiæ; non enim est dubium, quin potuisset Christus Dominus sua potestate excellentiæ illum à cœlo consecrare; vel per Angelos id efficere, vt aliàs de Amphilochio refert Niceph. lib. 11. c. 2. Non tamen teneo sufficientem auctoritatem, vel necessitatem tanti miraculi; pręcipuè cum Actor. 13. indicetur, Paulum Apostolum per impositionem manuum ab hominibus fuisse ordinatum Episcopum, quo in loco Chrysostomus id ita interpretatur, idèmque sentit Leo Papa epistola 81. Neque verò eadem est ratio de his, atque de cæteris, quos Christus Dominus per se ipsum in vita mortali vocauit, & cum quibus vixit; etenim absque vllo miraculo, vel extraordinaria prouidentia potuit illos per se ordinare Episcopos, & ordinauit Sacerdotes, ac fecit Apostolos; quæ sententia verisimilior apparet, quamuis in

hac

hac re nihil possit certum haberi.

Minùs verò certum est, quo loco, aut tempore fuerint Apostoli à Christo ordinati Episcopi: nam quidam putant factum id fuisse in nocte Cœnæ: tum, quia tunc data est Ecclesię potestas ad consecrandum corpus Christi Domini, & ad perpetuò retinendam hanc potestatem; non retinetur autem, nisi per ordinationem Sacerdotum; ergo verisimile est, tunc recepisse Apostolos potestatem ordinandi Sacerdotes, consequenterque fuisse consecratos in Episcopos. Alij malunt factum Ioan. 20. illis verbis: [Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.] Vel certè Matth. vltimo, cùm dictum à Christo fuit: [Data est mihi omnis potestas, &c. Euntes in mundum vniuersum prædicate, &c.] Ita Carthus. 4. d. 24. quæst. 8. Sed, vt monui, hac in re nihil est certum de tempore, circumstantijs, & modo; quamuis simpliciter probabilius videatur, quod proposuimus.

Nec obstat ratio primæ sententiæ: nam certissimum est, illa Pontificum dicta non fundari in eo, quòd Petrus ordinauerit omnes Apostolos: nam Pontifices illis loquendi modis, volunt solummodò explicare certum primatum Ecclesiæ Romanæ, esseque Matrem omnium Ecclesiarum; quia ad illam, vt diximus, pertinet regimen, & gubernatio omnium; itemq; à Petro incipere episcopalē dignitatem quod omnium primus illam accepit, & cum maiori excellentia, & prærogatiua, quam cæteri, quantùm ad iurisdictionem, de qua materia Pontifices agunt. Ad fundamentum secundæ sententię respondetur, illam non fuisse propriam ordinationem episcopalem Iacobi, sed designationem, seu determinationem eius ad Episcopatum Ierosolymitanum, vt in eo haberet non solùm delegatam, sed ordinariam etiam potestatem, posseteque proinde in eo Episcopatu habere successorem. Quod si intercessit fortè manuum impositio, non per modum veræ consecrationis episcopalis, sed cuiusdam ecclesiasticæ cæremoniæ fuit adhibita.

Ad extremum est in hac conclusione obseruandum, cùm dicimus, omnes Apostolos accepisse iurisdictionem in vniuersum orbem, intelligi, potestatem eam fuisse quodammodò æqualem amplitudine obiecti, & loci; non verò in modis, neque in actibus talis iurisdictionis, vt iam in sequenti conclusione dicetur.

Assertio secunda: De praeminentia Pontificatus Petri, & successorum.

Dico secundò: Petrus Apostolus fuit in in hac iurisdictione cæteris superior, in eo præcipuæ, quòd illi soli sit data potestas ordinaria regendi, & pascendi vniuersam Christi Ecclesiam, vt in ea ipsi perpetuò succederetur, quod alijs Apostolis datum non est. Hæc conclusio simpliciter est de fide, patetque primò ex celebri loco Matthæi decimo sexto: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] In quo testimonio, quoniam non solùm Hęretici, verùm etiam aliquando Catholici illud eludere conati sunt; duo certissima esse debent. Primùm totum illum sermonem Christi Domini ad Petrum esse relatum. Secundùm Petri summam potestatem, & dignitatem patefacere. Primum euidenter liquet ex ipso verborum ordine: ait enim Christus Dominus: [Beatus es, Simon Bariona, & ego dico tibi, &c. Et super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam.] Nam vox, hanc, ex proprietate sua, aliquid præsens, vel de quo pauló antè sermo præcesserat, importat, nimirum Petri personam. Neque obstat illa mutatio generis masculini in fœmininum, quam latina translatio ex græca sumpsit. Nam in hebræa, vel syriaca lingua, quia Christus loquebatur, vtrobique est nomen Cephas, quod petram significat, teste Hieronymo, ad Galatas 1. Vnde Ioann. 1. Petro prædixerat Christus appellandum nomine Cephæ, qua voce vsus est hoc Matthæi loco, dicens: [Tu es Cephas & super hanc Cepham:] ac si diceret: [Tu es lapis, & super hunc lapidem.] Græcus autem, & latinus Interpres propter diuersitatem masculini, & fęminini generis, voces aliquantùm commutarunt: re tamen vera idem retinetur sensus. Confirmatur: nam, si particula, hanc, aliquid præter Petrum designaret, sine causa Christus appellaret Simonem, ad eumque sermonem dirigeret, cùm neque ad Petrum pertineret id, quod dicturus esset, neque illa nominis mutatio ad præsentem sermonem prorsus referret: nouo ergo imposito nomine, noui prouisio muneris significata sine dubio est. vt notauit Cyril. libro secundo in Ioannem, capite secundo.

Et ex his etiam patet secundum: ideò enim Petrus petra Ecclesiæ nominatur, quia eius Pastor, & Rector vniuersalis constitutus est, vt Patres omnes exponunt. Hinc enim Concilium Chalcedonens. Act. decimatertia, Petrum vocat petram, & crepidinem Ecclesiæ. Athanas. in epistola ad Felicem Papam, quam suo, & Ecclesiæ Alexandrinæ nomine scripsit: [Tu es, inquit, Petrus, & super fundamentum tuum, Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, sunt firmatæ.] Chrysostomus homilia 55. in Matthæum, & alij expositores, græci, & latini in illum locum. Augustinus sermone 11. de Sanctis, & Leo Papa sermone secundo, in anniuersar. suæ assumptionis, & Maximus sermone de Petro, & Paulo. Paulinus epistola 4. ad Seuerum, Petrum vocat fundamentum Ecclesiæ, & Ambros. in hymn. quem Ecclesia sæpissimè canit, Petrum vocat Ecclesiæ petram: [Hoc, inquit, ipsa Petra Ecclesiæ canente, culpam diluit.] Quod notauit Augustinus lib. 1. retractat. capit. vigesimoprimo. Eadem expositione vtuntur frequentissimè Patres, Anaclet. Papa epistola tertia, capit. tertio. Cyprian. de vnitate Ecclesiæ, habetur 24. quæst. 1. capit. Loquitur Dominus, & epist. ad Quintum. Item lib. 4. epist. 9. & epist. Iabalanum, August. lib. 2. de Baptis. cap. 1. [Cæterùm, quis, ait, nesciat, Petrum Apostolatus principatu cuilibet Episcopatui esse præferendum? Tertull. de præscript. Hær. Orig. hom. 5. in Exod. & hom. 6. ad Roman. quem refert etiam Euseb. lib. 6. histor. capit. 19. Hilar. 6. de Trinit. & Canon. 16. in Matth. Basil. lib. 2. de Spiritu sanct.

Ambros. Lucæ quinto, & serm. 47. & sermone de fide Petri, & de natali Petri, & Pauli. Vide caput, Non turbat. Vigesimaquarta, quæst. 5. & cap. Fidelior. d. 50. Hieron. in dictum locum Matth. & 1. contra Iouinian. & Hierem. 16. & Ezech. 4. Greg. lib. 4. epist. 32. & 33. & lib. 3. epistola 37. August. sermone 24. 28. & 29. de Sanctis, & sermone 124. de tempore, & plures infrà referam.

At enim locum hunc non solùm aduersarij, sed etiam Patres, alijs modis interdum exponunt; id quod oportet breuiter attingere, vt veritas euidentiùs constet. Prima expositio est, verba illa, super hanc petram, non ad Petrum, sed ad Petri confessionem referri. Ita Ambros. lib. 6. in Luc. cap. 9. Chrysostomus homilia 89. in Matth. Cyril. dialog. 4. de Trinitate. Hanc expositionem Lutherani libentissimè amplectuntur; si autem non excludat priorem sensum explicatum (vt excludere videtur Arboreus lib. Theosoph. cap. 5. qui est re verà proprius, & literalis, posset hic secundus admitti; quia, & vna litera plures sensus patitur, & totum, quod in hac expositione affertur, in se verum est; nam etiam fides est suo modo fundamentum Ecclesiæ, vt præcedenti disputatione, sectione prima vidimus; & magis accommodatè ad hunc locum fides Christi, quam Petrus confessus est, dicitur fundamentum, non tanquam quod, vt dialecticè loquamur, sed tanquam quo; quia nimirum confessio Petri fuit illi quodammodò ratio, seu dispositio, ad primatum Ecclesiæ obtinendum, vt Hieron. Hilar. & alij interpretantur. Et hoc modo expositio hæc in primam incidit, sicut & alia Cyril. nimirum, intelligi fidem Petri Summi Ecclesiæ Pastoris, quæ deficere non potest, cùm Ecclesiæ fidem totam quodammodò sustineat. Quæ expositio non solùm contraria nobis non est, sed potiùs bene ostendit, quid sit, Petrum esse petram, in qua fundatur Ecclesia: nimirum esse vniuersalem Pastorem, ex quo Ecclesiæ firmitas, & in vera doctrina constantia, tanquam ex certa, & infallibili regula pendet; quem sensum habet etiam Epiphanius 2. contra hæreses in 50.

Alia expositio frequens etiam apud Patres est, petram, in qua, vt Christus pronunciat, fundatur Ecclesia, esse ipsum, quem Petrus fuerat confessus; nam, vt 1. Corint 3. dicitur: [Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.] qui cap. 10 Petra vocatur, & Matth. 28. & Lapis angularis. Ita Augustinus sermone 13. de verbis Domini, tractat. vltimo in Ioan. & 1. tract. cap. 21. memorat se aliquando exposuisse super hanc petram, id est, Petrum, & quodammodò retractat potiùs dicendum fuisse, id est, Christum, quamuis tandem vtranque expositionem admittat, tanquam probabilem. Et quidem, si de re ipsa per se loquamur, certum est, solum Christum Dominum esse primum, & principale fundamentum, quo tota Ecclesia nititur; Petrum verò solùm esse fundamentum, quatenus vicem Christi gerit; loquendo tamen de sensu huius testimonij, quod tractamus, certum etiam est, non esse sermonem primò, & per se de excellentia, quam Christus habet, sed quam Petro promisit, & de ratione, propter quam illi tale nomen imposuit, ad quem, vt vidimus, totus Christi sermo dirigebatur. Ac præter argumenta facta, illud proprium huius loci est, Christum non de se agere, quia de futuro loquitur: non dabat enim, sed promittebat Petro dignitatem; si autem de se ageret, planè assereret, super quam fundatur, aut est fundata Ecclesia. August. autem, quamuis locis citatis eo modo loquatur, attamen in alijs primam expositionem approbat, & in retractationum loco arbitrium legenti committit. Hoc porrò tempore certum esse debet, primam expositionem esse literalem, quòd si quis secundam hanc addere velit, non multùm cum eo contendendum: Eo enim ipso, quod potestatem suam Christus Petro committens ipsum petram vocat, satis docet se esse primarium fundamentum, & petram Ecclesiæ.

Tertia expositio est Erasmi, Petrum ibi significare quemcumque fidelem propter quædam verba Origenis, in illum locum Matthæi, qui non ad literam, sed per allegoriam exponens, accomodat verba Christi singulis fidelibus: literali tamen sensu nulla ratione possunt eo modo exponi, vt ex dictis patet, atque ex his etiam, quæ statim dicemus. Et probatur: quia nunquam in Scriptura singuli fideles appellantur Ecclesiæ fundamenta, sed membra: nam ipsum Ecclesiæ corpus sunt, vel certè componunt: quid est ergo, quod in eis fundatur.?

Quarta expositio est, sermonem Christi dirigi ad omnes Apostolos, quia omnes sunt fundamenta. Hanc tradunt Lutherani, & Caluinistæ, volentes Petrum nomine omnium Apostolorum respondisse; quod etiam dixerunt Hieron. & Chrisostomus ibid. & rursum Hieron. 1. contra Iouinianum, & Aug. serm. 13. de verbis Domini: sicut ergo nomine omnium loquebatur: [Tu es Christus, &c.] ita etiam omnium audiuit: Beatus es, & Tibi dabo,] &c. Vnde vlteris addunt, ea verba non esse pro Apostolis tantùm in personis proprijs, sed vt repræsentabant totam Ecclesiam: & ita tandem volunt promissionem Christi non Petro, sed Ecclesiæ fuisse factam. Hæc expositio planè detorquet literam, & eius sensum, ac propterea militat contra Patres, quæ duo ostensa iam sunt, & iterum explicabuntur. Primùm enim oportet intelligere verba historicè, & literaliter, vt sonant quandoquidem commodè possunt eo modo intelligi, in quo nullam absurditatem includunt; quod profectò tota Ecclesia sensit; aliàs nihil haberemus certum, & statum in Scriptura. Deinde, circumstantiæ omnes indicant, proprium esse sermonem de Petro: quas bene ponderauit ibi Caiet. imponitur enim proprium nomen, & nouum, Petrus; itemque nomen patris, & pronom. Tu, & Tibi, ad illum diriguntur. Vnde Patres communiter colligunt, ei soli reuelationem illam fuisse factam. Hilar. supra, & sexto de Trinitate citato. Chrysostomus homil. 15. in Matthæum, Cyril. 12. in Ioan cap. 64. & sermone 2. de Petro, & Paulo Augustin. sermone 124. de tempore; & eadem ratione promissionem illam, Tibi dabo, hoc loco solùm Petro factam intelligunt, vt patet ex vniuersis citatis, & ex

ex Leone Papa epistola prima, Melchiade epistola prima, Iulio, Damaso; Cyricio, & alijs Pontificibus in suis decretalibus epistolis, quos in sectione sequenti latiùs referemus. Idem habet Origenes lib. 5. in epistolam ad Roman. Basil. libro secundo contra Eunom. & homilia de pœnitentia, Ambros. de Isaac, cap. 13. Optatus lib. 1. & 2. & 16. Quo circa, cùm Patres dicunt Petrum pro cæteris locutum, non intelligunt, Apostolos cæteros commisisse Petro vicem loquendi pro omnibus: oportuisset enim, vt priùs de hac re colloquerentur, & conuenirent; quod fieri non potuit, cùm neque suspicari quidem potuerint, Christum quiddam simile eos interrogaturum; neque omnes per reuelationem diuinitatem Christi, sicut Petrus cognouissent: intelligunt ergo Sancti Petrum solùm inter Apostolos voluisse Christo respondere; alios verò tacendo, & annuendo consensisse; hocque modo Petrum pro omnibus dedisse responsum. Sed vrgent Lutherani: nam Augustinus tractatu 50. & vltimo in Ioan. & primo de doctrina christiana, cap. 17. & de agone christiano, cap. 30. & Psal. 108. ait Petrum, cùm audiuit, Tibi dabo, Ecclesiam repræsentasse, aliàs, inquit, Ecclesia non solueret, & ligaret. Respondeo his, & similibus locis, non negare Augustinum, imò & expressè docere promissionem hanc verè, & propriè fuisse factam personæ Petri, atque adeò in hac promissione contineri vniuersalem Ecclesiæ primatum illi promissum: vult ergo, Petrum ideò tunc præfigurasse Ecclesiam; tam, quia non in suum, sed in Ecclesiæ commodum erat potestatem accepturus; tum, quia non per ipsum solùm caput erat exercenda, sed alijs etiam Ecclesiæ ministris communicanda, tum denique, quia non personæ tantùm Petri fiebat promissio, vt scilicet ipse solus illa frueretur, sed vt perpetua successione, in Ecclesia maneret, atque hoc modo verissimè dicitur, promissionem illam factam fuisse Ecclesiæ, non in singulis membris, vel communitate, sed in ea parte sicut dicimus, Germanis datum esse Imperium Romanum, non communitati, sed illorum principali. Obijciunt vlteriùs, quia alij etiam Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ, ad Ephes. secundo, & Apocalypsi 21. Respondeo, illos etiam fuisse suo modo fundamenta, cùm per illos fundatæ sint Ecclesiæ per Orbem vniuersum, & per illos disseminata est certa, & catholica doctrina, qua ratione etiam Prophetæ ibidem dicuntur fundamenta, sunt præterea fundamenta, quia sunt vniuersales Pastores, vt dixi. Etenim, quamuis hac ratione nomen hoc commune sit, proprio verò, ac peculiari titulo, Petro spectat, quia scilicet ipse fuit Pastor, & Dux eorundem Apostolorum, & eius sola dignitas perpetuò erat in Ecclesia conseruanda. Vnde rectè Hieron. & D. Tho. dicto loco. [Etsi super omnes, inquit, Apostolos, Ecclesia fundata sit, tamen singulariter fundatur in Petro, quia ipse electus est caput omnium.]

Vltima expositio, seu potiùs calumnia Hæreticorum est, Christum promittendo claues Petro, & potestatem ligandi, nullam dignitatem superioris, aut Pastoris promisisse, sed tantùm nudam Euangelij prædicationem, per quam homines Deo conciliantur 2. Corinth. 1 Hæc tamen hæresis etiam per se satis improbabilis ostenditur, destruit enim vim ipsorum verborum, & metaphoræ Christi, quæ vsitata est in Scriptura, ad significandam Pontificiam dignitatem, vt patet Esai. 9. & 22. & Apocal. 3. & Matth. 16. & 23. pugnat etiam cum communi expositione Patrum, quos iam citauimus. Ac præterea videri potest Chrysost. hom. 55. in Matt. & Gregorio lib. 4. epist. 32. Hieron. epist. ad Hedibiam, qu. 9. tandemque ex dicendis in sequenti testimonio magis impugnabitur hic error, qui latiùs etiam improbandus est in materia de clauibus.

Secundò, principaliter probatur conclusio ex illo Ioan. 21. [Pasce oues meas.] quæ verba ad solum Petrum fuisse dicta, Patres omnes interpretantur, Chrysost. Cyril. Augustinus ibi; Leo Papa serm. 3. suæ assumptionis, Ambros. Lucæ vltimo, Maximus sermone de Petro, & Paulo, & euidenter patet ex contextu, sic enim incipit illa narratio euangelica: Simon Iona, vel Ioannis (idem enim valent quod ad hebraicum nomen attinet) diligis me plùs his, & illa, quæ subsequuntur [Pasce oues meas & Cum esses iunior] ad solum Petrum diriguntur, illo autem verbo, [Pasce oues meas] metaphoricè significauit Christus episcopalem dignitatem, & potestatem, quamuis Hæretici solam Euangelij prædicationem intelligant eo loco fuisse Petro à Christo præceptam, at Patres vniuersi pastoralem curam intelligunt illi commissam, est autem Pastoris munus, non tantùm alimenta præbere, sed etiam regere, ducere, tueri gregem, reuocare errantes oues, compellere, si necesse sit, & alia obire munia, quæ latè prosequuntur Gregorius in pastorali, Chrysostomus libro de Sacerdotio, præcipuè lib. 2 (vbi ex hoc testimonio, Petri dignitatem, & & prælationem latè confirmat.) Bern. 2. de consideratione, Græcique omnes in illum locum, & ibidem Augustinus, exprimens eo loco, oues pascendas, & regendas Petro esse commissas, & facit Scripturæ phrasis, quæ Pastoris voce, Principis, & superioris, quam significare solet, vt patet Esai. 44. in fine Ezech. 34. initio Nahum 3. versu 18. & sæpè.

Respondent adhuc Hæretici, quamuis hoc totum verum sit, non tamen inde concludi, Petro maiorem dignitatem, quam cæteris Apostolis fuisse datam, nam & alij Apostoli constituti sunt Pastores ouium Christi, vnde nihil nouum hic Petro conceditur. Verùm, vt ait Cyril. lib. 12. in Ioan. cap. 64. in fine, [Apostolatus eius renouatur dignitas, ne propter negationem labefactata videretur.] Sed, vt de cætero hanc calumniam excludamus, aduertendum ex dictis circa præsens testimonium promisisse Christum Petro singulariter, fundaturum se super eum Ecclesiam, illique regni cælestis claues traditurum Matth. 16. Et cap. 18. eidem cum cæteris Apostolis vniuersalem potestatem ligandi, & soluendi generaliter promisisse, vtranq; ergo promissionem post resurrectionem impleuit, posteriorem hanc & generalem Ioan. 20. vt suprà vidimus, priorem singulatim Petro factam in cap. 21. Ioan. Vnde

hæc

hæc singularis concessio aliquid sine dubio continet, quod in illa generali non contiebatur, nam generalis Petrum etiam comprehendebat, & ex illa iam satis constabat, ob negationis culpam, non fore Petro denegandam promissam semel Apostolicam dignitatem, aliquid ergo nouum posteà illi datum est, atque vt significaret Christus Dominus hanc singularem traditionem priori singulari promissioni respondere, eodem nomine illum compellat. Simon Ioannis,& sicur illic fidei: ita hic charitatis confessionem ab illo exigit, ter autem interrogat. vt trinæ negationi, trina confessio correspondeat, quod adductis verbis Cyrillus significauit, cùm dixit, Christum Dominum confirmasse Petro primatum, non quem re ipsa antè obtinuerit, sed spe. & promissione, quam asserit non fuisse vacuam ob negationem. Ita exponunt etiam Ambros. Psalm. 47. Augustinus epistola 50. Cyrillus Hierosol. catechesi 2. Optatus lib. 2. contra Parmen. Bernardus serm. de Petro, & Paulo Arnob. Psalm. 108. Theophylact. Luc. 22.

Aliter præterea conantur Hæretici subterfugere vim huius loci, Christum non commisisse Petro oues vniuersim, non enim dicit [Pasce omnes, sed meas] quod idem verificari potuit pro cæteris Apostolis, imò pro quolibet Episcopo, non ergo hinc constat datam fuisse Petro vniuersalem potestatem, sed hinc maximè, inquiunt, colligi potest, Petro fuisse datam curam Iudæis prædicandi iuxtà id ad Galat. 2. [Creditum est mihi Euangelium præputij sicut, & Petro circuncisionis &c.] Respondendum cum Bernardo lib, 2. de considerat. cap. 8. sic scribente; [Pasce oues meas, quas? illins, vel illius populi, ciuitatis, vel regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit, cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil Quibus verbis præter Bernardi auctoritatem multæ etiā rationes continentur Ptima. Nulla est maior ratio designandi has, vel illas oues, vel ergo omnes commisit, vel nullas. Secunda, Dum dicit, meas, totum suum ouile apertè intelligit, sicut qui alteri commendat filios, vel discipulos, qui in testamento relinquit sua bona, nihil excipit. Tertiò, patet à simili Ioan. 10. [Cognosco oues meas, & oues meæ vocem meam audiunt. & vitā æternam do eis.] Tandem hic est Patrum sensus, & Ecclesiæ, quæ Petro canit. [Tu es Pastor ouium, Princeps Apostolorum, Tibi tradidit Deus omnia regna mundi, &c.] Consentiunt Leo Papa, Chrysostomus, Ambrosius Theophylactus, & alij paulò antè citati Epiphan. in Anchorato circa finem, Gregor. li. 4. epist. 32. August. in id Psal. 103. [Potabunt omnes bestiæ agri.] Qui Patres ex illo etiam discrimine verborum Christi, [pasce agnos meos, pasce oues meas,] colligunt: omnis generis, & conditionis homines, siue inferiores, siue superiores Petro fuisse commissos. Quod verò Hæretici adiungunt Iudæorum curam specialiter fuisse Petro commissam, apertè falsum est, nam primò, si loquamur de ministerio prædicationis, de quo Hæretici ipsi loquuntur, constat ex Matth. vltimo, non solùm Petro, sed etiam omnibus Apostolis datam fuisse potestatem docendi omnes Gentes, & Actor. 10. & 15. Petrus specialiter mittitur ad prædicandum Gentibus, constat etiam ex traditione perpetua, præcipuas Gentium Ecclesias, Antiochenam Romanam, & alias præcipuè per Europam à Petro fuisse erectas vt docet Innoc. I. epi. 1, sicut è contrariò Paulo non solum datum est Gentibus, sed Iudæis etiam prædicare, Act. 9 vnde 1. Cor. 9. profitetur, se Iudæis Iudæum factum esse, vt omnes lucrifaceret, itaque non potest ea ratione astringi Petri potestas, nec illi designari possunt certæ quædam oues magis, quàm aliæ. Quod verò adducitur ex secunda, ad Galatas, accipiendum est secundum quandam accommodationem, conuenit enim inter Apostolos: vt regiones mundi inter se diniderent, ac fortè Petrus & Paulus inter se statuerint, vt alter principaliter attenderet conuersioni Iudæorum, Gentium alter, vt latè Hieron. eo loco exponit, qui in epistola ad Saluiniam paulò post initium ait, postea Petrum ab angustia circuncisionis trans latum esse ad præputij latitudinem.

Tertiò, principaliter probatur conclusio ex alijs locis Euangelij, & ex Actorum libro, in quibus indicatur hæc Petri dignitas: in Euangelijs enim sunt multa talis dignitatis signa, primo, illi singulariter mutatur nomen, & aliud imponitur, quod semper retinuit, ac valdè accommodatum ad significandam futuram dignitatem, denique nomen quod ipsi Christo, quia primum caput & fundamentum Ecclesiæ est, sæpissimè in Scriptura tribuitur, dum igitur suum nomen communicat, dignitatem etiam communicare apertè indicat, quod benè ponderauit Leo Papa supra. Secundò, cùm recensentur Apostoli, primo loco Petrus apponitur, & sæpè ipse describitur vt caput, & dux aliorum, Matthæus quoque cap. 10. referens Apostolorum nomina inquit [Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt, Primus Simon, &c.] Et ad reliquos progreditur, absque terminis numeralibus, vnde in particula, primus, primatum fuisse indicatum notauit ibi Albertus Magnus. Vide Ambrosium in 2. ad Corin. 12. Augustinum tractatu vltimo in Ioan. Dices ad Galatas 2. Petrus nominatur post Iacobum. Respondeo primò, quòd Augustinus, Ambrosius, Hieron. & Chrysost. contrario ordine videntur legisse. Item, non oportuisse, Paulum semper scrupulosè obseruare illum ordinem. vel certè, quia tres tantùm numerabat Petrum digniori loco, scilicet, medio constituit. Tertiò, significatur hæc dignitas Petri, quoties ipse singulariter nominatur, cæteri verò Apostoli vniuersè atque confusè, sic Angeli præcipiunt mulieribus Ite, dicite discipulis eius, & Petro Mar. 16. Paulus 1. Corin. 12. [Cæteri Apostoli: & fratres Domini, & Cephas.] Quarto, huc spectat, quòd Petrus ferè semper loquitur nomine omnium, vt ponderauit Cyrillus in id Ioan. 6. Domine ad quem ibimus, & Chrysostomus homilia 55. in Matth. Quintò, fuit etiam non paruum indicium futuræ dignitatis: quod illi Christus edixit, vt pro se, & ipso Christo solueret tributum, quod tamen per capita familiarum soluebatur, vt Lyranus

nus, & alij notant, & hoc indicium ponderarunt bene Origenes, Chrysostomus, & Hieron. Matth. 17. August. quæst. 75. noui Testamenti. Sextò, fuit etiam indicium, quòd iubente Christo, solus super populos, qui per aquas significantur, venit ad Christum Io. 21 Vnde Bernar. suprà [Petrus, inquit gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, quia non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aqua multæ, populi multi.] Septimò, facit, quod Christus inter viros primùm apparuit Petro post resurrectionem, iuxta id Luc. 24. Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.] vbi Ambrosius id notat: & Chrysostomus, ac Theophylactus in id 1. Corinth. 15. Visus est Cephæ. Huc etiam accedit, quòd illi, vt supra vidimus, plusquam cæteris Apostolis vera Christi diuinitas, & filiatio naturalis reuelata est quia nimirum Christi mysterium; & totum fidei negotium ad Petrum maximè pertinebat in posterum. Vnde Clemens I. epist. 1. Petrum vocat primitias electionis Christi. Et his similia sunt alia multa in Euangelijs, quæ à Patribus obseruantur, vt, quòd duò miracula in eius piscatione operatus sit Christus, quæ notauit Ambro. ser. 11. & Aug. tract. 125. in Ioan, quòd illi primò lauerit pedes. teste Augustino, Ioan. 13. quamuis Chrysost. & alij primum velint fuisse Iudam, quòd ad quædam mysteria, quæ remotis arbitris Christus operabatur, vel ostendebat, Petrus semper vocatus fuerit.

Ad hæc reperiuntur similia alia, vel maiora signa, quæ post Ascensionem Christi dedit Petrus suæ dignitatis in Apostolorum Actibus, quæ potiùs continent vsum, & exercitium tantæ potestatis. Actor. 1. Petrus confestim proponit electionem faciendam noui Apostoli loco Iudæ, quod ponderans Chrysostom. ibi homil 3. [Cognoscit, inquit, à Christo creditum gregem. Actor. 2. primus promulgat Euangelium: vt notat idem Chrysost. Actur. 3. primus fidem miraculo confirmat, vt aduertit Ambros. serm. 68. Actur. 4. ipse solus pro omnibus in Concilio Pharisæorum causam agit Cap. 5. mortis iudicium in Ananiam, & Saphiram profert & cap. 10. ei primùm fit reuelatio vocandarum gentium ad Euangelium cap. 15. de se ipso affirmat Euangelium Gentibus prædicasse, vt ait Chrysostomus hom. 32. in Acta. Præterea cap. 15. primus inter Apostolos sententiam dicit, quã alij sequuntur, quod aduertunt Clemens li. 6. constitut. Apostol. cap. 12. Hieron. ad Aug. cap. 11. inter ipsius epist. Theodoret. in epistula ad Leonem. Tandem permulta alia sunt Scripturæ loca, in quibus hæc eadem dignitas, & potestas indicatur, vt illud Luc. 22 [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos] Sic notant Augustinus libro quæstionum noui, & veteris Testamenti, quæst. 75. Chrysost. hom. 3. in Acta, Lucius Papa I. Felix I. Marcus I. in epistola decretali, Agatho in epistola Synodi, Theophylactus ibi. Ponderari etiam solet, quòd cap. 12. Actorum legatur, quod tota Ecclesia pro Petro tanquam pro capite funderet orationem. Item, quòd ad Galat. 2. Paulus ascenderit Hierosolym. videre Petrum. [Quia ei delegauerat Dominus curam Ecclesiarum,] ait Ambr.

Quartò principaliter, quamuis simpliciter non possit hæc veritas ratione demonstrari, quia est de quodam particulari Christi Domini facto, & voluntate, attamen suppositis, quæ diximus, fieri potest euidens illius coniectura, ostendimus enim, oportuisse institui à Christo Domino, qui post ascensionem eius dux esset, totiusque Ecclesiæ caput, fieri autem non potuit, vt Christus Dominus ipsis duodecim eam dignitatem omninò æqualiter concederet, nam vel omnes ita illam reciperent: vt in eorum successoribus perpetuò duraret, quod est planè absurdum: sic enim duodecim, vt minimùm, essent capita Ecclesiæ, seu potiùs tot capita, quot Episcopi, quod incredibilem pareret confusionem: vel nullus ita reciperet eam dignitatem, vt in ea esset successio, hoc verò apertè facit contra debitam institutionem Ecclesiæ, cuius ordo hierarchicus, debitumque regimen perpetuò conseruanda erant, sicut, & ipsa Ecclesia: ergo oportuit, eam dignitatem ita vni tradi, vt illi succederetur, & non alijs. Quòd si vni ex duodecim hoc datum est, nullus inficiabitur, Petrum fuisse, suppositis tam multis eius priuilegijs, quæ recensuimus. Simile argumentum est, quòd, licèt omnes Apostoli in vnum orbem potestatem receperint, vt dixi; attamen ipsa ratio ordinis, vnitatis, ac perfectæ congregationis postulabat, vt vnus eorum esset superior, & Prælatus cæterorum: nam multitudo sine ordine parit confusionem: quam rationem perpendit Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ, & epistola ad Iubaianum, & sæpè aliàs. Nazianz. oratione 21. de modestia in disputat. adhibenda, Epiphan. hæresi 51. propereàque vocant Petrum Ducem Discipulorum, & Diuus Thomas 2. 2. quæstione 33. artic. 4. ad 2. scribit, Paulum subditum fuisse Petro; quod etiam affirmat Augustinus epistola 19. & ad hunc modum loquuntur Clemens I. & alij Pontifices suprà relati de omnibus Apostolis respectu Petri.

Ex quibus intelligitur, Petrum duplici titulo superasse, dignitate, & potestate, cæteros Apostolos. Primò, quia hæc dignitas fuit in eo, vt in Pastore ordinario totius Ecclesiæ, cui succedendum erat, vt adhuc ampliùs sectione sequenti ostendetur: in alijs verò non ita, sed eorum potestas quodammodò delegata erat, & ex priuilegio. Secundò, quia iurisdictio Petri se extendebat ad ipsas personas Apostolorum directè; nimirum poterat illis præcipere, atque huc, vel illuc mittere. Addimus Tertiò, ad Petrum spectasse curã vniuersalis Ecclesiæ quasi per se primò: hanc enim oportuit in vno inueniri: cùm tamen ad cæteros tam vniuersalis potestas non nisi secundariò esset demandata. Declaratur: nam singulis Apostolis data est tanta potestas in hunc sensum, vt vbique gentium possent prædicare, absoluere, Episcopos instituere, & similia; non tamen vt possent singuli vniuersalem Ecclesiæ ordinem præscribere, aut leges condere, quæ totam obligarent: namque si hoc possent singuli, magna confusio oriretur. Quapropter in hoc etiam Petri potestas super alios eminebat. Ex qua excellentia pleraque resultant, quæ de Petro legimus, quæque ad hanc spectant dignitatem,

eu-

cuiusmodi est, librum approbare, Ecclesiæque proponere tamquàm canonicum, vt de Euangelio Marci notat Tertullian libro 4. contra Marcion. & ex Clement. Papa referunt Euseb. lib. 2. cap. 15. Niceph. lib. 5. cap. 18. quò etiam spectat, voluisse Paulum, Euangelium suum cum Petro conferre: [ne in vacuum cucurrisset,] propter auctoritatem, scilicet, Petri, inquit Hieron. citata epist. ad Augustin. & Tertullian. supra. Atque hæc sufficiunt in huius veritatis confirmationem: Patres enim plures non oportet iterum adducere, cùm explicando Scripturæ testimonia satis multos retulerimus, & in sequenti sectione latiùs huius rei perpetuam traditionem afferemus.

Contra hanc porrò veritatem potest obijci primò, quia Actor. 8. Petrus simul cum Ioanne mittitur ab alijs Apostolis Samariam, quod est signum cuiusdam æqualitatis. Secundò, cap. 13. Iacobus in Concilio definit, & eius sententiam alij sequuntur. Tertiò, ad Galat. 2. Paulus reprehendit Petrum ostendens se superiorem, vel certè æqualem; & 2. Corinth. 11. ad se se pertinere dicit [omnium Ecclesiarum sollicitudinem.] Quartò Clem. 1. epistola vocat Iacobum Episcoporum Episcopum, eumque regere vniuersam Ecclesiam pronunciat. Deinde, ad extermioandam Petri dignitatem recolunt Hæretici plura ipsius peccata, partim vera, partim ab ipsis impiè conficta: obseruant etiam, quòd in antiquis imaginibus Paulus ad dexteram Petri depingatur, & similia, quæ non refero, quia nihil ad institutam controuersiam pertinere videtur.

Ad primum ergo respondeo, mittere non significare semper auctoritatem in mittente; quia sæpè fit permittendo, consulendo, vel rogando, non præcipiendo; quo pacto amicus dicitur amicum mittere: & Matth. 2. legitur Herodes misisse Magos in Bethleem. Vide Turrecrem. lib. 2. cap. 14. ad 3. Ad secundum nego definuisse Iacobum, sed subscripsisse potiùs, & consensisse sententiæ Petri: ita Hieronymus epistola ad Augustinũ supra citata, Theodoretus epistola ad Leonem de eadem re: Verum quidem est, Iacobum Petro consentiendo simul præbuisse consilium circa modum in illius rei executione tenendo; quod licet etiam inferiori coram superiore præstare. Ad tertium quidam occurrunt, Cepham, quem Paulus reprehendit, non fuisse Apostolum, sed vnum aliquem ex 70. Discipulis: sic refert Euseb. 1. histor. cap. 12. ex Clemente Alexandrino 4. Stromat. & Eunomius etiam ad Galat. 2. Sed planè repugnat hoc, non solùm communi expositioni Patrum Græcorum, & Latinorum, sed etiam ipsi contextui: nam ille idem Cephas cùm Iacobo, & Ioanne dicuntur [Columnæ Ecclesiæ:] & in quibusdam codicibus græcis loco [Cephæ] legitur [Petrus.] Alij ergo volunt reprehensionem fuisse in gratiam Iudæorum, quod indicant Origenes, & alij Græci; sed hoc etiam caret fundamento, planèque videtur repugnare verbis Pauli: [Cum vidissem, quòd non rectè ambularent, &c.] Vnde Augustinus de agone Christiano, cap. 30. & tribus epist. ad Hieronymum, & Diuus Thomas 12. quæst. 103. artic. 3. ad secundum, sentiunt peccasse Petrum veniallter, ob idque fuisse à Paolo reprehensum; interdum namque inferior potest corrigere superiorem cum debita modestia, & reuerentia, vt suo dicetur loco; maximè quando id aut proximorum salus, aut honor fidei requirit. Vide D. Thom. 22. quæst. 33. artic. 4. ad primum, Hadrianum VI. quæst. 9. Sixtum lib. 1. Bibliothec. annot. 107. & lib. 6. annor. 274. & 275. Alio verò in loco Paulus fatebatur, habere se omnium Ecclesiarum sollicitudinem, & ob charitatis officium, & ob apostolicum munus, cui tamen Petrus esset superior, vt ostensum est. Ad 4. respondetur primò, id fuisse genus modestiæ, & honoris, quem meritò Clemens Iacobo tribuit tanquàm Apostolo, & fratri Domini. Et secundò, quia reuerà Episcopus erat multorum Episcoporum, sibi subditorum. Tertiò, quia erat tanquàm decus, & exemplar aliorum Prælatorum.

Ex occasione autem resolutæ quæstionis agitari poterat, an Apostoli, qui Petro superuixerant, fuerint verè subditi Episcopo Romano Petri successori: de qua re nihil apud Auctores me legisse memini; videtur tamen ex dictis sequi, inferiores extitisse iurisdictione, atque adeò iurisdictioni Pontificis Romani subiectos, quamuis alijs prærogatiuis, & excellentijs fuerint superiores. Primum planè patet ex dictis: nam eadem potestas, & iurisdictio, quæ fuit in Petro, transfusa est in successores, quare in tribus iam dictis conditionibus superabant illi viuentes Apostolos, scilicet in obiecto potestatis; nam ad successorem Petri pertinet per se primò cura, & gubernatio totius Ecclesiæ, quod vt dixi, non competiuit cæteris Apostolis. Secundò, potestas illa extendebatur ad omnes, & singulas personas etiam Episcoporum, quia id exigebat ratio ordinis, & vnitatis Ecclesiasticæ. Tertiò, potestas Pontificis Romani semper fuit ordinaria, & perpetuò in Ecclesia mansura, non sic autem in cæteris Apostolis.

SECTIO II.

An potestas, & uniuersalis Ecclesiæ Pastoris dignitas, quæ in Petro fuit, in Episcopo Romano per continuam successionem permanserit vsque ad eum, qui nunc Cathedram Ecclesiæ tenet Gregor. XIII.

IN hac quæstione variè erratum est; eò quod semper hęc dignitas Hæreticis hominibus infensa fuit, & odiosa; præcipuè verò hisce temporibus incredibili ira, & odio in Summum Pontificem sunt commoti, quorum verba, vt omittamus, quoniam indigna sunt, quæ referantur, sententia breuiter hæc est. Primùm, negant, vt vidimus, Petri primatum. Secundò etiamsi in Petro illam dignitatem admittant, negant illi successorem, ac volunt fuisse tantùm peculiare beneficium Petro concessum ob singularem Christi erga illum amorem. Tertiò, vt demus, inquiunt, succedi Petro, non subinde necesse est, vnum successorem

rem esse, sed possunt esse aut duo, vt Romanus, & Constantinopolitanus Episcopi, vel quatuor Patriarchæ; vel aliquid simile, vt quisq; Rex in suo regno. Quartò, si vnus, inquiunt, succedere debet, potiùs Hierosolymitanus Episcopus, quam Romanus existimandus est; quia primus ille Episcopalem Sedem post Petrum habuit, aut fortè Constantinopolitanus. Ex his tamen dictis quartum hoc nullum prorsùs fundamentum habet; quia neque ex Christi Domini institutione, nec ex legitima successione, aut iure hæreditario, aut ratione certa, vel apparenti ostendi potest, aliquem ex dictis Episcopis esse vniuersalem Pastorem Ecclesiæ, vt ex sequentibus clariùs constabit: Reliqui etiam errores ferè in superioribus exclusi sunt, & sequentibus crebrò contra illos agemus: quare, ijs omissis,

Dico primò: Petri dignitas, & Summi Pontificis Ecclesiæ munus, non cum ipso Petro extinctus est, sed ad aliquem eius successorem manauit. Est de fide definita in Concilio Constantiense sess. 8. 15. & 27. & in Bulla Martini V. & ostensa satis est in præcedenti sectione, ex locis Euangeliorum, & expositione omniũ Patrum, qui hac maximè in parte docent, dignitatem Petri cæterorum Apostolorum dignitatem superasse; quòd nimirum ipse solus vniuersalem potestatem ordinariam, & in Ecclesia perpetuò mansurã acceperit, ideòque super illum peculiariter dici fundatam Ecclesiam. Vnde Leo Papa sermone secundò de sua ad Pontif. assumptione: [In Petri Sede sua viuit potestas, excellit auctoritas.] Idem epistola ad Anastasium. Anaclet. epistola 3: Chrysostom. etiam libro secundo de Sacerdotio, id colligit ex illo Ioannis 12. [Pasce oues meas.] Commisit enim Petro oues non victuras tantùm viuente Petro, sed omnes simpliciter; quia omnium curam gerebat; quas tamen omnes Petrus in persona sua pascere non poterat: commisit ergo illas Petro, & successoribus. Hinc Paulus ad Ephes. 4. [Quosdam dedit Pastores ad consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in virum perfectum.] Si enim, teste Paulo Christus constituit Pastores duraturos vsque ad diem communis resurrectionis; quia tandiù durabit Ecclesia militans, cui Pastores sunt necessarij; multò certè magis caput Pastorum continua successione duraturum fuit, cùm multò magis necessarium sit, quàm cæteri, neque hodie minùs, quàm in principio nascentis Ecclesiæ; vt in tanta gentium diuersitate, & morum varietate vnum semper Christi ouile integrum, & vnanime conseruetur. Confirmatur primò: nam Petro non est data dignitas vniuersalis Episcopi propter ipsũ; sed propter Ecclesiam, vt rectè Augustinus libro de Pastoribus, c. 10. ait: ergo, si Ecclesia semper est, semper indiget ea dignitate. Confirmatur secundò: nam in lege veteri constitutum est supremum Sacerdotium, quod continua successione tandiù perseueraret, quamdiù lex illa vigeret: ergo à fortiori in lege noua, quæ perfectior est; diuersa licèt ratione successionis, in veteri quippè lege carnalis erat successio, quia lex ipsa erat imperfecta, nunc verò per electionem, vt infrà tractandum est. Confirmatur vltimò: nam ostensum est supra, totam Ecclesiæ hierarchiam ex Christi institutione, ad vnum supremum caput esse reuocandam; & Ecclesiæ regimen ex eadem institutione esse monarchicum: sed Ecclesiæ hierarchia, & illius regimen semper durat continua quadam successione, ex eadem Christi institutione: ergo, & ipsius caput modo eodem.

Dico secundò: Post Diuum Petrum semper exercuit in Ecclesia supremi Pastoris, & Episcopi dignitatem, & potestatem Romanus Episcopus. Hæc conclusio, cùm non tam sit de iure, quàm de facto, potiùs testibus, & historijs, quam rationibus confirmanda est; testes verò ad quinq; capita reuocari possunt, nimirum, Pontifices, Concilia, Patres, Imperatores, ipsosmet Hæreticos. Ex historijs autem decem signa huius potestatis quæ, manifestè illam indicant, afferri possunt.

Primus modus probandi assertionem, per varia nimirum testimoniorum genera.

PRimò itaque arguitur ex auctoritate Pontificum: plerique enim editis epistolis suis decretalibus hanc sibi adscribunt dignitatem, Clemens, Anacletus, Zepherinus, qui Apostolicã auctoritatem in sua Sede cognoscunt, & in illa grauiores causas determinandas esse docent. Callistus: [Nulli dubium est, quòd Apostolica Ecclesia caput sit omnium Ecclesiarum.] Iulius I. Gelasius, Vigilius eandem dignitatem latissimè tuentur, ferè reliqui omnes vsque ad Gregorium, quos breuitatis causa pretermitto. Nam in primo tomo Conciliorum innumera de hoc argumento continentur, & in epistolis Leonis, & Gregorij. Vide specialiter epist. 73. 79. 82. 87. Leonis, & 36. lib. 6. registri Gregor. & insignem Agathonis Papæ ad Michaelem Imperatorem, quæ tota est de hac re; rescriptum Damasi ad Concilium Mauritaniæ. Neque verò horum Pontificum auctoritas infirma est, quòd in propria causa loquantur, vt quidam Hæretici obijciunt, primò, quia fuerunt præstantes sanctitate viri, atque etiam Martyres non pauci; quos ambitione ductos putare, & impium est, & stultum dicere; quia non tam in propria, quàm in communi totius Ecclesiæ causa loquebantur; ad cuius firmitatem, & stabilitatem pertinet, vt in ea vnum caput perseueret, & non sint schismata, sicut rectè dixit Cyprian. libro de vnitate Ecclesiæ. Deniquè, si non verè, sed arroganter scriberent, antiquiores certè Ecclesiæ Episcopi, & Patriarchæ illis se se opponerent, & eorum audaciam taxarent; quod tamen nunquam fecerunt, sed magna potiùs cum veneratione decreta illa susceperunt, vt in sequentibus videbimus. Neque etiam obstat, quòd alij Hæretici calumniantur epistolas, quæ in tomis Conciliorum, aut seorsim etiam circunferuntur, non fuisse ab ijs, quibus tribuuntur conscriptas, sed ante 400. annos fuisse inuentas, confictasque ab adulatoribus Monachis; quam esse manifestam calumniam constat. Nam Isidor. qui floruit tempore Magni Gregorij, hoc est, ante mille annus illarum mentionem fecit; antiqui etiam collectores Canonum, Bruchardus, & alij eas referunt, non tan-

tanquàm suo tempore recenter natas, sed in vetustissimis codicibus repertas. Damasus prætereà in vitis Pontificum, earum meminit, ac multa in Concilijs generalibus ex illis referuntur, & apud antiquos Historiographos reperiuntur passim. Denique, de epistolis Leonis, & Gregor. tam est euidens ex stylo, & perpetua traditione, vt nullus vnquam de ijs dubitauerit, neque, qui sanè mentis sit, dubitaré potuerit.

Secundò arguitur ex Concilijs, & primò ex Nicæno, in cuius Canone 6. ita pronunciatur: [Ecclesia Romana semper habuit primatum, &c.] Et quamuis in exemplaribus, quę sunt in manibus, prætermittantur verba hæc in dicto Canone; attamen in Concilio Chalcedon. Act. 16. dicto modo citantur, Patresque ibi existentes approbant; atque ita etiam vertit quidam Dionys. vt notauit Alanus in 2. dialogo. Extat etiam Can. 3. quòd omnibus liceat ad Episcopum Romanum appellare. Can. etiam 44. nuper ex Arabico conuersus, eiusdem Concilij Nicæni, primatum Petri, & Episcopi Romani Petro succedentis declarat, vt refert Turrian. lib. 3. de dogmat. characteribus. Sciendum est enim ex epistola Athanasij, & Episcoporum Ægypti ad Marcum Papam, acta illius Concilij fuisse combusta ab Arianis. Vnde in historia Græcorum, præter Symbolum, & 20. Canones, nihil aliud habetur. Athanasius verò refert viginti Canones in eo Concilio fuisse editos, in quibus priuilegia Romanæ Sedis explicabantur, simulque auctoritas congregandi, & confirmandi Concilia asserebatur. Quod iuramento etiam confirmat ipse Athanasius, cum Concilio Alexandrino in epistola ad Felicem II. idemque habetur in rescripto Felicis, & tradit Liberius Papa in sua epistola. Et cùm aliquando accusaretur Athanasius ab Ario, quòd damnatus in Concilio Antiocheno, ad Iulium Papam appellasset, Canonibus Concilij Nicæni se defendit, quos à Marco Papa integros impetrauerat, vt in Concilio Florentino sessione 70. vbi hæc questio agitata est, palàm refertur. Idem colligitur ex epistola prima, & secunda Iulij I. ad Episcopos orientales. Eorundem Canonum meminit Concilium Mauritanum Damaso scribens, ac Damasum in suo rescripto. Innocentius I. epistola ad Victor. Carthaginens. Episcopum, cap. 3. & epistola ad Oriental. quam refert Nicephorus lib. 13. & 32.

Sed obijciunt, in illo Canone 6. sic vlteriùs haberi: [Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, vt Alexandrinus Episcopus honorum omnium habeat potestatem, quia, & Vrbis Romæ Episcopi parilis mos est.] Cuius Canonis sensus esse videtur, Patriarcham Alexandrinum esse supremum caput in suo Patriarchatu, sicut est Episcopus Romanus in suo. Nam, licèt in quibusdam exemplaribus omittatur vox, [Parilis,] vt patet ex Concilio Chalcedonense Act. illa 16. id verò nihil refert, quia idem sensus retinetur. Neque etiam placet, quod Miranda in summa Conciliorum, ex quodam, vt ipse refert, vetustissimo exemplari, ait, non esse legendum [Romano Pontifici; sed Metropolitano;] quoniam vulgares codices omnes habent, [Pontifici Romano,] & in Concilio Chalcedonensi ipse Legatus Leonis I. similiter legit.

Quare occurunt alij distinguendas esse in Romano Pontifice dignitates duas aliam Summi Pontificis totius Ecclesiæ, de qua non fit sermo in verbis allatis; aliam Patriarchæ Occidentis, secundùm quam fit comparatio inter Patriarcham Alexandrinum, & Romanum, vt scilicet Ecclesiæ, quæ designatæ erant Patriarchæ Alexandrino, ita illi sint subditæ, sicut Ecclesiæ Occidentis subdebantur Romano Episcopo, vt Patriarchæ spectato. Ita intelligere visus est hunc locum Theodorus Balsamon in expositione huius Canonis, & Ruffinus libro 10. cap. 6. quamuis Auctor hic limitet talem iurisdictionem Episcopi Romani ad suburbanos Episcopos, maximèque vicinos Romæ, quod sine vllo fundamento scribit. Vnde illa expositio sano modo intellecta probabilis est, & potest esse vtilis ad intelligendas locutiones alias, quæ in varijs locis reperiuntur, vt in Synodo Romana sub Agathone quæ refertur actione 4. sextę Synodo, & in epistola Constantini Imperatoris, quæ eidem sextæ Synodo pręfigitur, & in epistola Flauiani Episcopi Constantinopolitani ad Leonem I. in quibus quidam Episcopi peculiariter dicuntur subditi Episcopo Romano, eademque phrasi Concilia nonnulla Patriarchalia vocantur. Vide Turrian. secundo contra Centuriator. cap. 3. Turrecrematam libro 3. cap. 3. Nihilominus tamen dicta expositio applicata ad Canonem Concilij Nicæni non omninò placet; cum quia in eo Concilio, vt vidimus, præmittitur primatus Romani Episcopi, tum etiam, quia non fit ibi comparatio, sed potiùs ex consuetudine Episcopi Romani, redditur causa dignitatis conseruandæ in Patriarcharu Alexandrino: non est autem huius rei causa, quod Romanus sit Patriarcha in Occidente, sed potiùs quam Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imperatorem rectè videtur intelligere, scilicet, in Alexandrino Episcopo conseruandam esse illam dignitatem, quia Episcopo Romano parilis mos est illam conseruandi. Itaque voluit Concilium, eum morem retinendum esse, quem Episcopus Romanus sua auctoritate confirmarat, in quo potiùs comprobat Episcopi Romani dignitatem, quam illi deroget; & hanc expositionem veram esse, præter Nicolai auctoritatem, & ipsummet contextum cui optimè quadrat, patebit amplius ex dicendis, cùm ostendemus Patriarchales dignitates, & diuisionem earum, auctoritati Romani Pontificis fuisse constitutas, & ab illo semper dependisse.

Secundum Concilium generale, quod fuit Constantinopolitanum primum, Romani Pontificis dignitatem etiam agnouit, vt patet ex epistola ipsius Concilij ad Damasum Papam, quam refert Theodoret. libro 5. suæ historiæ, cap. 9. & ex rescripto Damasi ad idem Concil. ibid. cap. 10. vbi sic ait: [Quòd vestra charitas Apostolicæ Sedi reuerentiam debitam tribuit, &c.] Tertium Concilium item generale, quod est Ephesinum primum, hanc etiam dignitatem agnouit: tum quia Cyrillus Patriarcha Alexand. præfuit Concilio, vt Vicarius, & Legatus Cœlestini I. tum etiam,

etiam, quia Concilium affirmat se ex mandato Cœlestini deposuisse Nestorium, & alia, quæ referuntur ab Euagrio libro primo hist. cap.2.4. & sequentibus,& à Nicephoro lib.14. cap.33. & 38. Eamdem auctoritatem sæpissimè testatur Concilium quartum generale, quod est Chalcedonense, vbi sæpè Leo dicitur vniuersalis Episcopus, & Pastor vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum. Vnde Gregorius lib. 4. epistola 32. commemorat in Synodo Chalcedonesi nomen Vniuersalis Episcopi, Pontifici Romano oblatum fuisse ob honorem sancti Petri. Tandem actione 16. illius Concilij omnes Patres Primatum tribuunt Romano Pontifici.

Obijcies: In eodem Concilio æqualis dignitas tribui videtur Episcopo Constantinopolitano; non ergo Romanus cunctis præcellit. Occurrunt nonnulli, illius Concilij Canones esse incertos; quia vel conditi sunt absentibus Legatis Apostolicis, vt sentit liberatus cap. 13. breuiarij, vel certè contradicentibus, vt ibi indicatur. Quam ob causam Leo Papa illam action. non probauit, vt patet ex epistola Leonis ad Marcianum Augustum, & epistola ad Pulcheriam, & epistola ad Anatholium, idemque sentit Gelasius de vinculo anathematis, & epistola ad Episcopos Dardaniæ. Alij verò putant hunc locum esse corruptum à Constantinopolitanis: nam Gregor. lib.5. epist.14. scribit, Chalcedonensem Synodum in quodam loco [ab Ecclesia Constantinopolitana esse falsatam.] Sed his videtur obstare, quod in 6. Synodo, Canone 36. Canon ille citatur, & approbatur. Nihil tamen obstat, quia certum est, eos Canones non esse editos legitima Synodo, vt patet ex Nicolao Papa epistola ad Michaelem Imperatorem; quamuis autem hæc vera sint, adhuc Canon illa nobis fauet; quia tantùm concedit Archiepiscopo Constantinopolitano dignitatem Patriarchalem, & simpliciter in eo dicitur, vt habeat secundum locum post Ecclesiam Romanam, & actione tertia, quæ certissima est, obsecrant Græci, vt post sanctissimam, & Apostolicam Sedem, honorem secundum habeat Constantinopolitanus Episcopus: atque in hunc modum explicatur etiam decretum allatum Concilij Ephesini.

Quintum Concilium similiter generale Constantinopolitanum secundum in clamatione hæreticorum,& in epistola Orientalium & in actione quarta eamdem veritatem profitetur. Item 6. Synodus, tertiaque Constant. quæ epistolam Agathonis Papæ recipit, quia multa habentur de Primatu Romanæ Ecclesiæ, & Petrum per Agathonem loquentum esse testatur. Rursùm in 7. Synodo, secundaque Nicæna, suscipitur epistola Hadriani Papæ, in qua Primatum Romanæ Ecclesiæ sæpè testatur. Idem affirmatur in 6. Synodo, actione 7. damnaturque Photius, qui expnens in Cœlum, contra Apostolicæ Sedis priuilegia, ausus sit ei resistere. Vide cap. Definimus, dist.22. Verum est quidem,hoc etiam 4. Concilium Constantinopolitanum omninò certum non esse. Præterea idem affirmatur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & Lugdunen. sub Gregorio X. cap. 1. vbi conuenerunt Græci, & habetur cap. Vbi periculum, de electione in 6. Idem in Viennensi sub Clemen. V. & alio Lugdun. sub Innocent.IV. Vide cap. Damnamus, in fine de summa Trinitate. Item in Concilio Constantiensi, session.6. & in Bulla Martini V. & in Florent. in literis vnionis, consentientibus Græcis, & Latinis, & in Lateranensi sub Leone X. sessione 11. Vide caput primum de summa Trinitate, & fide Catholica, in 6. & cap.1. de homic. in 6. Clem. vnica de summa Trinitate, & Clem. de iureiurando, & cap. Antiqua, de priuilegijs. Vltimò, in Trident. sessione septima, Can. 3. de Baptism. & sessione 14. Can. 7. & sess. 25. Can. 1. & 2. de reformatione, & sæpissimè aliàs, in quibus locis Ecclesiam Romanam vocat omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram,& illi esse ab omnibus fidelibus, & Episcopis obedientiam præstandam.

Vlterius afferre possumus plura Concilia Prouincialia, quæ Summam Romani Episcopi dignitatem agnoscunt; & vel consilij causa, vel definitionis, aut confirmationis, ad illam concurrunt, vel interdum etiam ad illam appellant,de quo dicam plura in sequentibus. Videri etiam potest Concilium Carthaginense, contra Cælestium, & Pelagium quod sua acta ad Innocentium misit, vt patet ex epistola eius ad Innocentium, & ex rescripto Innocentij. Idem præstitit Mileuitanum, vt videre est in epistola ipsius ad Innocentium, & ex rescripto; quæ omnia habentur inter epistolas Augustini à 90. Similiter Episcopi Numidiæ, cum suo Primate, Damasum consuluerunt, vt constat ex epistola quarta ad Prosperum, eiusdem Damasi. Inter Concilia etiam Toletana, multa, aut ferè omnia dignitatem hanc Romani Episcopi agnoscunt. In epistolis quoque Leonis, & Gregorij Papæ, ac sæpe in Decretalibus, & Extrauagantibus obseruare licet, Episcopos ea Hispania, Gallia, Anglia, Germania, Lusitania, & alijs Occidentis, & Orientis Ecclesijs, ad Romanam Sedem in rebus dubijs fidei, moremque causa recurrisse.

Tertium genus testimoniorum sumitur ex antiquis Patribus Ecclesiæ, quorum verba non refero, sed tantum loca indico. Irenæus libro 3. capit.3. Cyprian. libro 1. epistola 3. & 8. & lib.2. epist.12. & libro 4. epistola 2. 8. & 9. & libro de vnitate Ecclesiæ. Vnde fine causa Erasmus dubitat, quid senserit Cyprianus de Primatu Romanæ Ecclesiæ, eo solùm, quia Cornelium compellat charissimum fratrem; cùm tamen illud non sit indicium, aut minoris reuerentiæ, aut etiam æqualitatis, sed charitatis, vel sinceritatis illorum temporum; cuius rei argumentum est, quod in multis epistolis Presbyterorum Cypri ad Cyprian. quæ habentur in fine libri quinti, quamuis essent eius subditi, appellent eum charissimum fratem. Iam Athanas. cum Episcopis Alexandrini Patriarchatus,tum in epistola secunda ad Felicem, Primatum Ecclesiæ Romanæ splendidè agnoscit, tum etiam in epistola ad Liberium. Epiphanius quoque in Anchorato, & hæresi 51. & 72. Origenes supra, & ad Romanos 6. Tertullianus 4. contra Marcion. & contra Praxeam, & de præscript. Hæretic. Dionys. in epistola, quam ad Roman. scribit apud Euseb. lib. 4. cap. 22. Ambros. oratione funebri de obitu Satyri,

habetur 24. quęst.1. cap. Aduocabit, quo loco obiter aduertendum est, eo iam tempore solùm vocatos fuisse Catholicos, qui fidem Ecclesiæ Romanæ sequerentur, vt constat etiam ex lege prima, Codice de Summa Trinitate. Idem rursus Ambros.lib.3. de Sacramentis, cap.1. & 1. ad Timotheum 3. & in cap.9. Lucæ habetur 24. questione prima, capit. Quæ dignior. Basilius sermone de iudicio Dei, & epistola ad Athanasium. Hieronym. in omnibus epistolis ad Damasum, & Dialogo contra Luciferian. & in Apologia contra Ruffin. & epistola ad Pammachium, & Oceanum de errore Origenis. Cyrillus Hierosolymitan. catechesi secunda. Cyrillus Alexand. 12. in Ioann. cap.64. August. contra epistolam fundamenti, cap.4. & epist.165. ad Generosum, & in omnibus epistolis ad Innocent. & 2. de Baptismo paruul. capit.1. ac denique in epistola 172. Chrysost. epistola ad Innocentium, & epistola ad Renatum. Maximus epistola ad Orient. & homilia 2. de beato Laurent. Optatus 2. contra Parmen. Prosper 2. de vocatione Gent.cap.16. & sæpè lib. ad obiect. Vicentin. qui pro Augustino Cælestinum I. consuluit, cuius rescripto, & auctoritate munitus, pro August. scripsit librum contra Collatorem. Euseb. in chronico, anno Domini 44. lib.2.cap.13. Nicephor. lib.2. cap.14. ad finem Bernard. epistola 137. & libris de consideratione, qui omnes Primatum Ecclesiæ Romanæ clarissimè profitentur. Etsi enim in nonnullis citatis locis de Primatu Petri loquantur, hoc tamen in loco eiusdem esse rationis cum Romano liquet. Vide etiam Sozomenum lib.4. cap.15.

Quartò, ostenditur hęc veritas ex dictis & factis Imperatorum: primus enim inter Christianos extitit Philippus, quem Fabianus Papa ob publica peccata à communione semouit, cuius potestatem ille cognoscens, publicam egit pœnitentiam, teste Eusebio, lib.1. historiarum, capite 25. Secundus extitit Constantinus, qui innumeris factis, & dictis Romani Pontificis dignitatem veneratus est; de qua re duos integros libros edidit Eugubinus, Eusebiusque multa refert in vita Constantini; historia etiam de Baptismo Constantini in vrbe Roma suscepto, ministrante Pontifice Syluestro, refertur à Zonara, Nicephoro, & alijs Historiographis, habeturque in actis Syluestri, qui probantur capit. Sancta Romana; & in actis Liberij eamdem refert historiam Nicolaus I. epistola ad Michaelem Imperatorem, & Leo IX. contra Michaelem Episcopum Constantinopolitanum, capite tertio, qui etiam addit, ideò Constantinum Romanum Imperium Bizantium transtulisse, ne Rex terrenus simul cum Imperatore cælestium, & sanctorum, in eandem vrbem concurrerent. Vide Clement. Vnigenitus, de pœnitent. & remissionibus, & Clement. vnica de iureiurando, & capit. Fundamenta de electione, in sexto, & capit. Constantini, distinctione 96. vt mirum sit, quam impudenter Hæretici nonnulli historiam Constantini Magni, atque eius in Ecclesiam Romanam venerationem falsitatis arguant. Tertius fuit Valentinianus, qui in epistola ad Theodosium, & ipse cum Marcian. in epistola ad Leonem Primum, apertè agnoscunt Episcopi Romani supremam dignitatem. Vide leg. Cunctos populos, Cod. de Summa Trinitate. Quartus, Iustinianus idem sentit in gestis Ioann. I. & Hormisdæ Pontificum, in lege, Non reddentes. Codice de Summa Trinitate. Vide Diuum Thomam, aut cuius erit, opusculo vigesimoquarto de regimine Principum, à capite decimosexto ad vigesimum vsque. Quintus, Honorius Imperator idem fatetur. Vide cap. Victor. 97. distinctione. Multa etiam ex Carolo Magno, Ludouico, Henrico, Othone referuntur in decretis, distinctione sexta. Ac denique Carolus V. in edicto Vuormaciensi, quod refert Coclæus in fine libri de actis Lutheri: [Ad veri, inquit, Romanorum Imperatoris officium pertinet, vsque ad sanguinem laborare ob sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensionem.] Huc verò annumerari possunt honores, quos Catholici Imperatores, fremant licèt Apostolicæ Sedis hostes, Romanis Pontificibus exhibuisse accepimus, pedes scilicet exosculatos fuisse, equum fræno tenuisse, & similia, quæ in edicto Constantini memorantur. De alijs quoque Imperatoribus, & Principibus vulgatæ sunt historiæ.

Quintum genus testimoniorũ sumitur ex confessionibus Hæreticorum, qui in principio hæresis, antequam ab Ecclesia discederent, obnixè curarunt adhærere Romano Pontifici, id quod, qui minùs assequi potuerunt, tunc demum ausi sunt, & Ecclesiam deserere, & illius auctoritatem negare, atque aliquando tandem ad Ecclesiam conuersi, Romani Pontificis auctoritatem sunt professi. Prior pars colligitur ex actis plurium hæreticorum schismaticorum. Nam Fortunatus in sua causa ad Petri Cathedram appellauit apud Cyprianum, libro primo, epistola tertia, & quarta. Item Abailard. apud Bernard. epist.109. & August. libro secundo de peccato originali, capit. septimo, & libro secundo contra Iulianum in fine, scribit, Pelagium, & Celestium promisisse in principio damnaturos se omnia, quæ Innocentius Papa damnaret. Hieronymus epistola ad Damasum, & Theodoretus lib.5. cap.3. affirmant, Paulinum, & Vitalem publicasse, se cum Damaso sentire, vt morbum suum tegerent. Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes, scribit Arium coram Summo Pontifice accusasse ipsum Athanasium, refertque Nicephorus lib.9. cap.6. & 7. Zonaras lib.4. Triparrit. cap.16. Wiclef. etiam epistola ad Vicarium Christi, illum esse confitetur, seque, & doctrinam suam in principio illi submisit. Sanderus quoque narrat, idem fecisse Lutherum cum Leone X. Posterior pars de Schismaticis, vel Hæreticis iam conuersis, constat ex epistola Leonis Papæ 33. & 84. & ex Gregorio. cap. Quoties dist. 7. & 25. qu.1. cap.1. & cap. Berengarius, de consecr. dist.2. & sæpè aliàs referuntur confessiones Hæreticorum, qui, cùm ad veram fidem redeunt, Ecclesiæ Romanæ primatum confitentur. Vide in secundo tomo Conciliorum epistolam Hormisdæ Papæ ad Episcopos Hispaniæ, & epistolam Bonifacij II. ad Eulalium Episcopum Carthaginensem, quem ad communionem Ecclesiæ Romanæ admisit. Consule prætereà Legationem Armenorum, & Iacobinorum in Concilio Florentino, qui eamdem

exhi-

exhibent confessionem; & sessione vltima illius Concilij habetur par confessio Iosephi Episcopi Constantinopolitani, qui morti proximus, non sine miraculo, illam ex ore dictauit. In Concilio denique Lateranensi sub Leone X. sessione 11. continetur confessio satis expressa Patriarchæ Maronitarum, in qua Pontificem vocat Christi Vicarium gerentem in terris vicem Petri, &c.

Secundus modus probandi assertionem per varia signa exercitæ potestatis supremæ.

SEcundò principaliter confirmatur conclusio ex vsu, & exercitio huius potestatis, quam decem signis, & vijs ostendere proposuimus supra num. 3. Primum ergo sit, Pontificem Romanum semper in alios Episcopos iurisdictionem quamdam superiorem exercuisse, confirmando electionem eorum vel per se, vel per suos Legatos, quos ferè semper in varijs regionibus habuisse infrà ostendemus. Vndè ex canone 20. Concilij Sardicensis, & ex epistola 82. Leonis Papæ colligitur, Episcopum Thessalonicensem solitum olim fuisse vice Romani Episcopi electiones Episcoporum confirmare. Simile quid colligitur ex Gregorio cap. Salonitanæ distinct. 63. [Res, inquit, facta est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit.] Ea autem erat, Episcopum fuisse ordinatum sine eius consensu. Sumptum est ex lib. 20. Registri cap. 15. Præterea Leo Papa epist. 52. 55. & 67. ad Marcianum, & epist. 33. & 35. ad Pulcheriam, & epist. 38. ad Anatholium confirmat ordinationem Anatholij. Ex septima etiam Synodo colligitur, Hadrianum I. concessisse Tarasio consecrationem. Hoc idem confirmat antiqua consuetudo Patriarcharum Orientis, qui statim post electionem suam epistolam Synodicam Romano Pontifici mittebant, cuius rei testimonia extant apud Damasum, & habentur distinct. 100. patet etiam ex Gregorio lib. 1. epistola 4. & libro 7. epist. 63. & Leone epist. 3. 33. & 38. Idem confirmat antiquus vsus pallij. Nàm post scriptam dictam epistolam Synodalem, Summus Pontifex misit semper Metropolitanis pallium in signum plenitudinis Archiepiscopalis, de quo extat titulus extra de auctoritate, & vsu pallij, vbi plura decreta ex Clemente, Celestino III. Innocentio III. Honorio III. de hac re referuntur, & Ioannes Carnotensis libro 1. refert decretum Damasi, qui præcepit, vt Metropolitani, qui post tres menses consecrationis suæ, ad Sedem Apostolicam pro pallio non misissent, commissa sibi careant dignitate. Hinc Bonifacius II. vt patet ex eius epistola 2. Episcopum Moguntinum Primatem Germaniæ pallio donauit. Simile habetur apud Gregorium libro 7. Registri cap. 5. Ioannes Papa V. antè annos 800. opus, & librum edidit de pallij dignitate. De eadem re multa Turrecremata libro 2. cap. 4. Brucard. lib. 1. cap. 211. Ioannes Andreas, & Canonistæ, cap. Significasti, extra de electione, & cap. Iuxta distinct. 93. Denique, hic locus satis confirmatur ex iuramento, quod Episcopus consecrandus exhibet: iurat enim se Petro, & illius Ecclesiæ fidem, & subiectionem præstiturum, vt patet ex Pontificali, & communi vsu.

Secundum signum est, Episcopum Romanum semper tulisse leges, & præcepta, quæ ad totius Ecclesiæ gubernationem spectarent, & vniuersam Ecclesiam obligarent, quod est proprium vniuersalis Pastoris: id autem patet ex Gelasio epistola 1. dicente: [Conueniens est, vt totum corpus Ecclesiæ, in hac obseruatione sibimet concordet, quam in Petri Sede vigere conspicit; vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum.] Idem planè constat ex omnibus epistolis decretalibus antiquorum Pontificum. Nàm, vt Isidorus notauit, cùm antè Constantinum non possent, propter tyrannos, Concilia celebrari, Pontifices Summi per epistolas decretales Ecclesiam gubernabant; quod patet ex epistola Clementi tertia, & Anacleti prima, Alexand. ad omnes Orthodoxos, Pij I. & cæterorum: [Vos, inquit, Apostolica auctoritate instituimus, &c.] Idem constat ex alijs epistolis Callixti, Thelesphori, & aliorum, quos supra citauimus, quæ partim in decretis Gratiani, & Brucardi continentur. De qua re vide Concilium Romanum sub Hilario Papa, cap. Nulli 25. quæst. 1. & cap. Generaliter, ex Hadriano Papa, & cap. Omnia, ex Damaso ibidem, & capit. Institutionis, ex Gregorio 25. quæst. 2. & cap. Si Romanorum, distin. 19. ex Nicolao Papa. Extant præterrà de hac re multarum Prouincialium Synodorum testimonia, quæ Pontificum Romanorum statuta suscipiunt, & illis obedientiam præstant. Bracharensis 1. cap. 18. Toletani 3. cap. 1. Toletani 4. cap. 16. Hispalensis 2. canone 2. Tiburiensis cap. 30. habetur cap. In memoriam distinct. 19. vbi dicitur, fuisse sub Carolo. Brucardus verò lib. 1. cap. 220. sub Arnulpho refert. Turionensis 2. cap. 21. In tomis verò Conciliorum excusis Venet. anno 1585. dicitur Turonica Synodus. Agathen. cap. 9. Citatur cap. Presbyter distin. 82. ex Concilio Gangrensi, quod tamen in eo non inuenitur, Carthaginen. 3. canone 1. Et multa alia habentur de hac re distinct. 19. decreti. Ex quibus intelligitur, quàm erronea sit Hæreticorum sententia negantium Pontificibus potestatem condendi leges, de quo alibi latiùs.

Tertium signum est potestas dispensandi, etiam cum alijs Episcopis, in Ecclesiasticis Canonibus: hoc enim faciens apertà se ostendit alijs superiorem; hanc autem potestatem exercuisse constat ex historia Niceph. lib. 14. à cap. 37. vbi dicitur, Proculum iussu Celestini Papæ, ex Episcopatu Cyziceno translatum fuisse in Constantinopolitanum, dispensando in canone 15. Concilij Nicæni, & 1. Sardicensis, quæ id vetabant. Multa alia de ea re refert idem Brucard. lib. 1. cap. vlt. & in epist. Anther. I. ad Episcopos Bœticæ, & Toletanæ Prouinciæ. Antè annos 1300. scripta habetur similis historia de alia mutatione cuiusdam Episcopi, Sedis Romanæ auctoritate facta. Videri etiam potest epist. 2. Callisti Papæ, & Martyris, & confirmari ex vsu dispensandi in votis, & alijs similibus, quæ ex perpetua traditione habentur, nec

omnia

omnia poffunt hoc loco numerari. Vide Gelaf. Papam, epift. 1. Gregor. lib. 12. cap. 31. Innocent. III. cap. Propofuit. extra de conceff. præbendæ. Bernard. lib. 3. de confideratione, qui omnes latè explicant, poteftatem difpenfandi effe apud Romanum Pontificem. Plura habes in Turriano tertio contra Centuriatores, Lindan. quarto panopliæ, cap. 90.

Quartum fignum fumitur ex poteftate coerciua, quam Romani Pontifices exercuerunt in vniuerfalem Ecclefiam, & Principes eius, compellendo Ecclefiæ membra, ad obediendum diuinis, & pontificijs legibus; de quo extat egregia fententia Hilarij Papæ in quadam Romana Synodo, fuo tempore celebrata. Leo etiam I. epiftola prima, & Gregorius libro feptimo, epiftola 53. nonnulla habent de hac re. Huc etiam fpectat hiftoria, quam refert Eufebius libro 5. cap. 24. de Victore, qui multas Afiæ Ecclefias excommunicauit, eò quòd in celebratione Pafchatis cum Romana Ecclefia confentire nolebant: & quamuis idem Eufebius referat, Irenæum, & alios Catholicos grauiter tuliffe factum illud Victoris; numquam tamen illi obiecerunt, quòd id facere tentaffet, quod fub eius non caderet poteftatem; fed folùm, quòd afpera, & nimis rigida videretur fententia, abfque vrgenti caufa, & neceffitate. Tamen Concilium Nicænum, vt idem Eufebius refert libro 3. de vita Conftantini, Victoris fententiam comprobauit. Vide Epiphan. hæref. 50. & Augu∫t. in 29. Huc etiam fpectat hiftoria, quam refert Nicephor. lib. 13. cap. 34. de Innocentio Primo, qui excommunicauit Arcadium, & Eudoxiam propter caufam Chryfoftomi; quod facere non potuiffet, nifi effet vniuerfalis Epifcopus, poteftatemque haberet in eos etiam Imperatores, qui extra Epifcopatum Romanum Conftantinopoli regnaffent. Similis hiftoria eft Gregorij Tertij, qui Leonem Imperatorem Græcum excommunicauit, vt refert Zonaras in vita eius. Ad vfum prætereà huius poteftatis fpectat, quòd fæpè Epifcopus Romanus alios Epifcopos ob delicta, vel peccata Epifcopatu priuauit; de quo refert Pighius libro 4. cap. 13. & Simanchas de Catholicis inftitutionibus, tit. 25. num. 9. Similiter Nicolaus Primus epift. ad Michael. enumerat octo Patriarchas Conftantinopolitanos à Romanis Pontificibus depofitos, quorum vnus fuit Antimus, quem Agapetus Papa depofuit contra voluntatem, & minas Imperatoris; qua de re multa referuntur in quinta Synodo generali; ex qua etiam conftat, Felicem Papam depofuiffe Petrum Antiochenum, & ex eo loco multa argumenta fumi poffent ad hoc inftitutum confirmandum. Videri etiam poteft Liberatus in breuiario, cap. 21. & Zonaras in vita Iuftin. Idem colligitur ex caufa tum Achatij Conftantinopolitani, apud Nicephorum, lib. 16. cap. 17. tum Diofcori Conftantinopolit. quem Gelafius epiftola ad Epifcopos Dardaniæ, Sedis Apoftolicæ auctoritate depofitum effe fcribit; tùm denique Flauiani, quem Damafus dignitate priuauit. Legatur Theodoretus lib. 5. cap. 23. Socrates lib. 5. cap. 15. Sozomenus lib. 8. cap. 3. Nicephorus lib. 12. cap. 24. Et quamuis Theodofius ipfe, alijque intercederent; Flauianus tamen ad Epifcopatum reuocatus non eft, nifi Romano Epifcopo annuente. Hanc eandem poteftatem coerciuam illud non obfcurè indicat, quòd Epifcopus Romanus Reges etiam, & Imperatores temporales regnis, & iurifdictione temporali interdum priuet, & ad alios transferat propter fchifmata, vel hærefes, vel fimilia facinora, vt infrà in materia de hærefi oftendemus.

Quintum fignum eft, quòd non femel, neque ex vna mundi plaga, occurrentibus dubijs de rebus ad fidem, vel mores Ecclefiæ pertinentibus, ad Sedem Romanam, tamquam ad fupremam Cathedram, & tribunal, recurfum eft, atque eius fententia, & definitio expectata: de quo figno plures epiftolæ apud Cyprianum leguntur, quibus Pontificem Romanum confuluit. Hieronymus etiam ex Damafo audire voluit modum loquendi in myfterio Trinitatis, vt videre eft in epiftola de tribus hypoftafibus. Idem poftularunt Epifcopi Numidiæ, vt patet ex epiftola quarta Damafi ad Profperum. Et Hieronymus epiftola ad Geront. ait fe fuiffe à fecretis Damafi, ad refpondendum confultationibus fynodicis Orientis, & Occidentis. Irenæus verò apud Hieronymum de viris illuftribus, miffus eft Romam ab Epifcopis Galariæ, vt Papam confuleret de quibufdam fidei quæftionibus; quod etiam fecit Polycarpus propè tempora Apoftolorum: fimili enim de caufa Romam acceffit tempore Aniceti Papæ, tefte Eufebio, lib. 4. cap. 14. Ex Concilijs deindè Africanis, & epiftolis Auguftini, præcipuè 90. & fequenti conftat, in quæftionibus fidei recurriffe femper ad Pontifices Romanos, Innocentium, Cœleftinum, & cæteros fuæ ætatis. Ex epiftolis quoque decretalibus ipforum Pontificum, idem inftitutum apertè colligitur: continent enim refponfa de rebus, quæ ab ipfis petebantur ad fidem, & mores pertinentibus, vt patet ex Anacleto epift. 3. Euarifto epift. 1. Alexand. I. epiftola prima ad omnes Orthodoxos, & Eleutherio epiftola ad Gallos, Fabiano epiftola fecunda ad Orient. & alijs communiter, qui omnes refpondendo, affirmant, pertinere munus, & officium Apoftolicæ Sedis effe, dubia, & quæftiones fubditorum terminare.

Sextum fignum non diffimile præcedenti eft, in grauioribus caufis, & difficillimis in Ecclefia occurrentibus femper ad Romanam Sedem, tamquàm ad fupremum tribunal, fuiffe appellatum: quod conftat primò ex varijs Pontificum epiftolis, & decretis, Anaclet. epiftola 1. Sixti Secundi epiftola 1. habetur 2. quæft. 6. cap. Si quis putauerit. Higinij in cap. Salua quæft. 3. & cap. Si autem eadem caufa, atque ex Aniceti epiftola ad Gallos, Victoris epiftola ad Theophylactum, Alexan. Zepherini epiftola ad Epifcopos Siciliæ, Melchiadis epiftola ad Epifcopos Hifp. Vide 2. quæft. 1. cap. Primates, & 2. quæft. 2. cap. Si quis, cap. Ad Romanam, cap. Quoties & 3. quæft. 6. cap. Quamuis, cap. Accufatus. Idem conftat ex varijs hiftorijs. Celebris illa eft Athanafij, qui iniuftè ab Arianis damnatus ad Iulium Papam appellauit, & ab ipfo in fuam Sedem reftitutus eft, vt fcribunt Nicephor. lib. 9. c. 3. & 9. Sozomen. lib. 4. cap. 15. Tripartit. lib. 3. fuæ hiftoriæ cap. 7.

cap. 7. quod idem Athanas. testatur in princip. secundæ epistolæ. Lege ipsum Athanas. epistola ad Felicem Secundum. Idem fecit Petrus Alexandr. tempore Damasi referente Nicephor. lib. 11. cap. 48. hisque duobus exemplis ad hanc rem vtitur Hieronymus in Epitaphio Marcellæ; similisque historia extat de Chrysostomo, qui quoniam ab Episcopatu fuerat iniustè depositus, ad Innocentium appellauit, vt constat ex eius epistola ad ipsum Pontificem, & ex varijs epistolis eiusdem Innocentij ad diuersos. Vide Nicephor. lib. 13. cap. 19. 34. & 36. Flauianus quoque Episcopus Constantinopolitanus ad Leonem appellauit, vt Liberatus scribit in Breuiario, cap. 12. appellauit similiter Theodoretus, vt constat ex epistolis eiusdem ad eundem Leonem; appellauit denique Episcopus quidam Thebanus, vt constat ex Gregorio lib. 2. epist. 6. indictionis 11. Nec solùm Catholici Episcopi, sed etiam Hæretici in principio consueuerunt ad Apostolicam Sedem appellare: ita de Marcione refert Epiphanius hæresi 42. ita Cyprianus lib. 1. epist. 3. & 4. de Fortunato, Felice, & Basilide. Ita Sulpicius lib. 2. sacræ historiæ, de Priscilian. tempore Damasi. Denique hanc fuisse antiquissimam Ecclesię consuetudinem testatur Leo Papa epistola 89. ad Episcopos Galliæ, & Gelasius epistola ad Faustum, & epistola ad Episcopos Dardaniæ. Idem denique statutum fuit in Concilio Sardicensi sub Iulio, Canone 3. 4. & 7. quod generale esse, & semper in Ecclesia receptum, testatur Athanasius in 2. Apologia, vbi adfuisse liquet Legatos Papę Iulij, & plusquam 300. Episcopos ex varijs regionibus, & Prouincijs totius Orbis, idemque habet Hilarius libro de Synodis. Nec refert, quòd August. 2. contra Crescon. cap. 34. Concilium Sardicense ab Orientalibus contra Athanasium congregatum appellet hæreticum: non enim de hoc loquitur, quod generale fuit, sed de priuato quodam conciliabulo 67. Episcoporum, cuius meminit Sozomenus lib. 3. cap. 8. & 11. vbi etiam notat, Canones Concilij Sardicensis sæpè citari à Patribus, tamquàm editos in Nicæno, vt patet ex epistola Zosimi Papæ ad Episcopos Africæ, & epistola Iulij ad Orientales, & epistola Innocentij ad Victritium Episcopum Rothomagensem, & Leone epistola 25. ad Theodosium, cùm tamen hi Canones non habeantur hodie in Nicæno Concilio; fortasse tamen antiquitùs in eo circumferebantur: nam & Canones alios, præter eos viginti, qui extant, fuisse editos suprà ostendimus in num. 5. & suadetur etiam, quoniam inter hosce Canones ille non visitur, quo statutum est, vt Pascha die Dominico celebretur; quod tamen esse editum constat ex historijs; Eusebius lib. 3. de vita Constantini. Ambrosius epistola 82. Hieronymus præfatione in Iudit. Augustinus epist. 110. item ex Concil. quodam Africano, Can. 14. & ex Attico in Concilio Chalcedonensi sub finem; feruntur etiam varia decreta Concilij Nicæni, quæ inter dictos viginti Canones non habentur; aut fortasse antiqui Patres Concilium Sardicense, & Nicænum tamquàm vnum reputarunt, proindèque Sardicensis inter Synodos generales non censetur, quia eodem ferè tempore coacta sunt, ijdemque Patres magna ex parte ad vtrumque conuenerunt, atque eadem doctrina est in vtroque tradita.

Contra hoc tamen signum de appellationibus obijciunt Lutherani quædam loca Cypriani, Augustini, & quorundam Conciliorum in Africa, in quibus videtur prohiberi, ne ad Summum Pontificem appelletur. Legi de eo potest Cyprianus lib. 1. epist. 3. August. epist. 162. Concil. Mileuit. cap. 12. & Concil. 6. Africanum. Ad hæc breuiter respondendum, nunquam hos Patres id vetuisse, aut eam potestatem Episcopo Romano ademisse: nam potiùs Augustinus dicta epistola apertè fatetur, Episcopis licere appellare ad Romanam Sedem. Eandem esse sententiam Cypriani constat ex eodem, in lib. 1. epist. 4. & lib. 3. epist. 13. In adducto autem loco solùm contendit, minimè expedire ad Romanam Sedem appellationes, quando reus manifestissimè conuincitur de delicto, apud immediatum Iudicem; quo etiam modo loquitur Ambros. epist. 69. vel potiùs Damasus, vt alij volunt: nam de Ambrosio, tamquàm de alio, mentio fit eo loco. De Concilio autem Meleuitano consulatur Gratianus cap. placuit, 2. quæst. 6. breuiter dico, non esse ibi sermonem de causis Episcoporum, sed Presbyterorum, quas Patres voluerunt apud Episcopos transigi, ipso Pontifice Summo id nihilominùs confirmante; quamuis nullum Concilium prohibere vnquam potuerit, quin Pontifex appellationem cuiusuis iustam admittere possit. Iam Concilium 6. Africanum, potiùs expressè affirmat, admittendas esse appellationes ad Pontificem: obsecrat tamen, ne facilè, & qualiber ex causa intendantur, atque in hac sententia fuisse semper Africanos Patres constat, præter dicta ex Leone epist. 87. ad Africanos, & Bonifac. ep. 2. ad Eulalium Alexandrinum, & Concilio Florentino sess. 20. Ad hunc denique locum arguendi spectat, quòd ferè omnia, quæ ad modum tractandi grauiores causas Episcoporum attinent, vt accusationis forma, testium inductio, &c. statuta, & definita sunt auctoritate Romanæ Sedis, vt patet ex Anacleto epist. 2. cap. accusatio, 2. quæst. 7. Zepherin. epist. 1. ad Episcopos Siciliæ, cap. Primates, 2. quæst. 1. Alexand. epist. 1. cap. si qui, 3. quæst. 4. cap. si qui, 2. quæst. 3. cap. quamuis, 3. qu. 6. cap. induciæ, 3. qu. 3. cap. iudicantem, 30. quæst. 5. cap. accusatores, 2. quæst. 8. cap. caueant, 3. quæst. 9. cap. nihil, 2. quæst. 1. & cap. si quis, dist. 94.

Septimum signum Pontificiæ dignitatis, & vniuersalis Episcopatus Romani, est cura, quam semper habuit de infidelium conuersione, & Ecclesiæ vniuersalis propagatione: ostendimus enim in superioribus, munus hoc proprium esse eius Pastoris, qui caput est totius Ecclesiæ, & in nullum alium posse propriè conuenire: hoc autem verè tribuitur Ecclesiæ Romanæ; neque id hæretici negant: nam sunt frequentes, & certissimæ historiæ de illa re: Dionysius enim, qui in Gallia primus fidem seminauit, ab hac Sede missus est. Augustinus in Angliam tempore Gregorij. Chilianus ad Francones, quos feliciter conuertit tempore Cononis. Diuus Bonifacius Episcopus, & Martyr missus fuit ad Germanos, à Gregorio II. Scotia sub Cœlestino I. qui Palladium ad eam misit, fidem suscepit: & simi-

liter

liter tota Hungaria, tempore sancti Stephani Regis illius, curante Episcopo Romano. Legatur hac de re Hosius lib. 3. contra Brentium circa principium; vbi refert, Lutherum fassum esse, totum id, quod est fidei, immò omnem bonum Christianum à Papa ad Germaniam deuenisse: consule etiam inferiùs disp. 18.

Octauum signum affine praecedenti: In Ecclesia Romana semper viguit potestas condendi nouos Episcopatus; res certè necessaria propter nouas in dies infidelium conuersiones; quod à principio Ecclesiae obseruatum esse constat ex 1. epist. Clementi, & 2. ac 3. Anacleti, & ex epistola Aniceti ad Galliarum Episcopos, Melchiadis ad Hispanos, Damasi epistola 4. Nicolaus I. epistola ad Michaelem Imperatorem. [Romana, inquit, Ecclesia alias omnes, siue Patriarchales, siue Episcopales erexit: ipsam verò solus Christus instituit.] Gregorius lib. 7. epist. 32. asseuerat [ab Apostolica Sede Sacerdotium in Africa ortû fuisse.] Idem de Sicilia ait Leo epist. 4. His denique temporibus, cum nouus Orbis, atque Orientis Indiae per Praedicatores ab ipsa Romana Sede missos Ecclesiae accesserint, eiusdem Sedis auctoritate noui in illo erecti sunt Episcopatus.

Nonum signum affine, ac simile septimo est, quia non solùm infideles omninò ab Ecclesia alieni per hanc Sedem conuersi sunt; verùm etiam, qui ex Ecclesia in haeresim, & infidelitatem sunt prolapsi, eiusdem Sedis auctoritate, & diligentia disparuere: haec enim pars, in custodia Dominici gregis, huic reseruata est Pastori; & quandocumque aliarum Ecclesiarum Praesules in fide defecerunt, aut certè nutarunt, ab Episcopo Romano, vel correptos, vel confirmatos accepimus, iuxta verbum Domini: [Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] In qua re, iudicium huius Sedis semper habuit summam auctoritatem, vt Prosper dixit in fine libri contra Collatorem, & infrà latiùs ostendemus, agendo de remedijs contra haeresim. Vide Augustinum epist. 94. & epist. 106. & initio libri contra Iulianum. Et Leonem Papam epist. 83. & 84. Et Gelas. optimè epistola ad Oriental. Denique, Augustinus epist. 102. eleganter scribit, nullum vnquàm iudicatum fuisse Haereticum, quem Ecclesia Romana admiserit; nullumque Catholicum, quem ipsa damnauerit. Atque ad hunc locum spectat, nihil vnquam in Ecclesia fuisse denuò de fide declaratum, neque vllum Concilium, etiam generale, vacuum esse suam auctoritatem citra Pontificis confirmationem, vt infrà in materia de Concilijs, disp. 11. sect. 3. latiùs ostendemus; Interim videatur epist. 1. Pelagij II. ad Oriental, & Gregorius lib. 4. epist. 36.

Vltimum signum vniuersalis potestatis Episcopi Romani est, habuisse semper in varijs orbis Prouincijs Legatos, & Vicarios, quibus vices suas committat, eseruatis sibi causis grauioribus. Ita legimus, Episcopum Thessalonicensem vices Romanae Sedis per Orientem gessisse, vt epist. 94. Leo Papa testatur: [Sicut praedecessores mei, inquit ad Anastasium, praedecessoribus tuis; ita ego dilectioni tuae, priorum secutus exempla, vices mei moderaminis delegaui, &c.] Praetereà, Episcopum Constantinopolitanum interdum hoc munus Legati Apostolici obijsse in Aegypto colligitur apertè ex epistolis Simplicij Papae ad Achatium Episcopum, & Gelasij ad Episcopos Dardaniae: [Cur, inquit, non ad Sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre curauit Achatius?] Praetereà, Alexandrinum Episcopum aliquando hac dignitate Legati fuisse praeditum, sumitur ex epistola Bonifacij II. ad Eulalium Episcopum Alexandrinum, & Nicephorus lib. 14. cap. 34. refert à tempore Celistini Papae, qui vices suas Cyrillo Alexandrino delegauit, Episcopos Alexandrinos, & mitram, & Papae appellationem fuisse sortitos; Episcopum quoque Hispalensem munus hoc Legati, per Hispanias gessisse loco Sedis Apostolicae, constat ex epistola Simplicij Papae ad Leonem Episcopum Hispalensem; ob quam fortasse dignitatem, in nonnullis Concilijs Toletanis Episcopus Hispalensis, primus etiam ante Toletanum subscripsit. Similiter Arelatensis Episcopus in Gallijs idem munus obtinuit, vt scribit Nicolaus Papa epistola ad Michaelem Imperatorem, & constat ex epistola Gregorij Magni ad Vigil. lib. 4. Registri, epistola 52. Iam Callistus Papa epistola ad Episcopos Galliae, hortatur illos, vt fulti Sedis Apostolicae auctoritate, aduersùs statuta Apostolica nihil fieri permittant. Leo Papa epistola 87. committit Potentio Legati officium per Africam: denique necessitatem Pontificię legationis palàm declarat Symmachus Papa cap. valdè, dist. 94.

Ex his igitur omnibus euidenter satis constat, Romanum Pontificem à principio nascentis Ecclesiae, & habitum, & existimatum esse Pastorem vniuersalem, & huiusmodi potestate, & dignitate vsum fuisse: nam ea omnia, per quae discurrimus, manifestissima sunt munera eius, qui in totam Ecclesiam iurisdictionem habet, & in alium non possunt vlla ratione conuenire.

Tertia assertio de fide, & moraliter euidens.

Dico tertiò: Romanus Pontifex non tyrannicè, neque iniustè hanc sibi dignitatem vsurpauit; sed per legitimam Petri successionem obtinuit. Conclusio est de fide, & suppositis ijs, quae diximus, est moraliter euidens. Primùm enim credibile non est, potuisse Romanum Episcopum per tyrannidem hanc sibi dignitatem vsurpare, eàm neque armorum vi, neque modis alijs, quibus videmus imperia, aut regna solere vsurpari, iniustè illam obtinere potuerit. Praetereà, omnia testimonia supra adducta, tum ex Patribus, & Concilijs generalibus, quò Episcopi, & Patriarchae conueniebant, quibus dignitas haec maximè poterat esse infensa; tum ex Imperatoribus, atque alijs, qui eamdem dignitatem Episcopo Romano tribuunt, planè conuincunt, iustè, & sanctè, & non tyrannicè eam semper obtinuisse. Id verò non ignorantia, neque vi vlla compulsi testificati sunt. Tertiò, huc accedit perpetua traditio: nam, teste

teste Augustino, 4. de Baptismo, cap. 24. quæ ab omni Ecclesia seruantur, & quorum origo non inuenitur, ex Apostolorum traditione profecta esse credendum est: huiusmodi autem est Pontificatus Romani Episcopi; nullum enim illius potest inueniri principium post Apostolos; quod argumentum in sectione sequenti latiùs prosequemur, & excludemus hæreses, quæ de hac traditione versantur. Quartò, potest eadem successio declarari in hunc modum, statuendo primò, Diuum Petrum fuisse Romę Episcopum, & vsque ad mortem suam ibi fixisse Sedem; quamuis enim Hæretici quidam vtrumque vertant in dubium, & nonnulli etiam negare audeant; res tamen adeò est euidens, & contestata, vt satis in eo probant suorum dogmatum falsitatem, cùm ad ea defendenda cogantur etiam humanam quandam euidentiam, & perpetuam traditionem, historiamque inficiari. Itaque Petrum Romæ fuisse, ipsemet in epistola 1. cap. 5. testatur in hæc verba: [Salutat vos ea, quæ Babylone est, Ecclesia,] idest, Romæ, vt Patres interpretantur, Papias apud Eusebium lib. 2. cap. 15. Tertullian. libro de præscript. Hieronym. de viris illustribus in Petro, Oecumenius, & alij Expositores. Deinde, Petrum Episcopalem Sedem suam Antiochia Romam transtulisse asseuerant Hieronymus suprà, Epiphan. hæresi 17. Leo I. & Diuus Maximus sermone de sanctis Petro, & Paulo, & ferè reliqui Patres in sermonibus argumenti eiusdem. Dorothæus in synopsi, Eusebius lib. 3. cap. 4. Denique, in eo Episcopatu ad mortem vsque perseuerasse testantur ijdem Patres, & historiæ, atque omnes alij Sancti in hac, & præcedenti sectione adducti; idque fit certissimum ex perpetua totius Ecclesiæ traditione, atque sepulchris sanctorum Petri, & Pauli, quæ summa totius orbis veneratione Romæ coluntur; qua de re opusc. edidit Clitouæus in suis miscellaneis, Turrian. 23. Cent. cap. 16. Secundò supponitur, oportuisse quempiam succedere Petro in pastorali munere, & cura totius Ecclesiæ, vt in 1. conclusione ostensum est; vnde rectè concluditur, in ea Sede Petro succedere debere, in qua suum ille Episcopatum vsque ad mortem collocauit; hæc autem est Romana Ecclesia, inter quam, & Antiochenam hæc est differentia, nam in illa Petrus priùs sedit, sed tandem reliquit, ideòque solùm inibi retenta est priuata episcopalis dignitas simul cum patriarchali, ex Petri voluntate, in Ecclesia verò Romana fixit Sedem perpetuò, vsque ad mortem, & in ea voluit suam residere dignitatem. vt sectione sequenti latiùs ostendetur.

Sed ecce Hæretici. Quamuis demus, inquiunt, hanc dignitatem per legitimam successionem aliquandiù durasse, at necesse est, fateamur iam esse extinctam: nam tempore Vrbani VI. tres omninò profitebantur se Pontifices Summos, nec constare potuit de legitimo, ergo nec de reliquis, qui ad hunc vsque diem successerunt, id certum esse potest. Quo argumento concludebat Vuiclef. damnatus sess. 8. Concil. Constantiensis nullum iam esse verum Papam, addunt præterea Concilium Basiliense generale deposuisse Eugenium, & elegisse Felicem. postea verò Eugenium sua auctoritate in Sedem irrepsisse. Vnde conficiunt, non fuisse verum Pontificem Eugenium, cumque ab eo manent posteriores cæteri Pontifices, Cardinales, & Episcopi, colligunt, nullum esse iam legitimum successorem.

Respondendum tamen ad priorem partem, Vrbanum verum fuisse Pontificem, constitit siquidem ab vniuersis Cardinalibus ritè & rectè fuisse electum, nec prauorum hominum schisma potuisse illum dubium efficere Deinde post schisma illud in Concilio generali constant. quotquot poterant habere ius ad Papatum, eo iure cesserunt, electusque vniuersim est Martinus V. & à tota Ecclesia receptus, prætetquam à Benedicto II. ac paucis sequacibus. Quo breui extincto, Martinus V. vniuersalis Ecclesiæ Sedem pacificè possedit, quę continenti successione legitima vsque ad præsentem Gregorium XIII. possidetur. Hinc ad posteriorem partem respondetur, Concilium Basiliense in principio quidem fuisse legitimum, & auctoritate Eugenij, cuius Legati in eo interfuerunt, congregatum, postea verò fuisse schismaticum, & seditiosum Conciliabulum, ac nullius prorsus auctoritatis, vt in Concilio Lateran. vltimo, Sess. 11. declaratur, tale autem fuit, vbi primùm aggressus fuit ad legitimi Pontificis depositionem, primò, quia eo tempore non aderant eius Legati. Secundò, quia præcipui quique Episcopi discesserant, pauci porrò, qui remanserant, contra antiquam Conciliorum formam, multitudinem Presbyterorum aggregarunt, vt aliquid esse viderentur Tertiò, quia Florentiæ per idem tempus agebatur Concilium ritè coactum, auctoritate scilicet Pontificis præsidentis ex Latinis patiret, & Græcis Episcopis; præsente etiam Imperatore Græco, & oratore Latini Imperatoris, quę omnia scribit Æneas Syluius in historia eius Concilii.

Tandem potest confirmari conclusio tum ex sanguine Martyrum, qui pro hac dignitate tuenda effusus est, non tantùm prætetitis, sed præsentibus etiam temporibus, tum, quia quotquot ab hoc capite desciuerunt, Hæretici, & Schismatici semper sunt habiti, præcipuè Gręci, maximèque Constantinopolitani Patriarchæ, qui manifestò pariter ac iusto Dei iudicio in manus Turcarum deuenere: ex quo per extremam audaciam Romanæ Sedis dignitatem ambiere.

SECTIO III.

An Episcopus Romanus iure diuino, ex Christi Domini scilicet institutione, sit vniuersalis Pontifex Ecclesiæ.

HÆc quæstio partim definita iam est, partim locupletanda venit, quo magis veritas præcedenti sectione demonstrata confirmetur. Sciendum ergo duas hìc posse moueri quæstiones, vna est, an dignitas, quam ostendimus facto, & iure in Pontifice Romano inueniri ab hominibus introducta sit, an ex Chri-

Christi Domini institutione constet. Altera, au concedendo, dignitatem illam esse à Christo institutam, ipsius coniunctio cum Episcopatu Romano sit etiam Christi, an hominum potius institutio?

In priori quaest. quamuis ex superioribus videatur satis definita, non defuerunt, qui Summum Pontificem introductum esse ex hominum institutione crederent, sicut Patriarchatum Constantinopolitanum, vel Alexan. Ita Ocham in dialogis, p. 1. cap. 13. & 23. & quos suprà disputatione 5. in comparatione Papae, & Conciliorum citauimus, refert etiam Turrecrem. lib. 22. cap. 39. dixisse quosdam, institutam fuisse hanc dignitatem ab Imperatoribus. Sic Caluinus vult, Phocam Imperatorem Graecum dedisse Pontifici Romano primatum, in Graecos, Pipinum, & Carolum Magnum in Gallos, & Germanos, quod equidem vanissimum est. Nam euidenter ostendimus, pontificiam dignitatem esse multò antiquiorem. Phocas ergo solùm declarauit edicto Romanam Ecclesiam esse Caput omnium Ecclesiarum, idque, vt ambitionem Patriarchae Constantinopolitani compesceret: sicut Beda refert libro de sex aetatibus in Phoca, quod tamen idem declarauerat Iustinianus Imperator epist. ad Innocent. II. & Valent. vtroque antiquior epistola ad Theodosium. Pipinus autem. & Carolus Magnus nihil spiritualis potestatis in Galliam. vel Germaniam Episcopo Romano contulerunt, multo enim tempore ante ipsos Leo Papa epist. 89. & Gregorius lib. 4. epistola 52. scripserunt ad Episcopos Galliae tanquam Pontifices Summi, ac superiores eorum. Per id quoque tempus, antequam Pipinus in Regem Franciae eligeretur, Primates, & Galliarum populi relaxationem iuramenti ob iustas causas à Pontifice Summo petierunt, vt licitè possent iniquum Regem deponere, ac Pipinum subrogare, quae historia videri potest in Paulo Diacono 6. de gestis Longobard. cap. 5. & Paul. Æmil. lib. 1. & 2. de gestis Francorum, & Blondo decade lib. 10.

Alij opinati sunt, Constantinum Imperatorem dedisse primatum Episcopo Romano propter Canonem, Constantinus dist. 96. Ita posuit Marsilius de Padua damnatus à Ioan. XXII. in sua quadam Extrauaganti, refertque Turrecremata lib. 2. cap. 42. & lib. 4. in fine idem potauit Ioan. Hus damnatus in Concilio Constantiensi. Sess. 14. Contra quos illud etiam sufficit, quod planè ostenderimus exemplis antiquis Romanorum Pontificum hunc primatum Ecclesiae Romanae esse multò antiquiorem, immò & ipse Constantinus in in illo eodem Canone confitetur, principatum Sacerdotum, & christianae religionis caput, ab Imperatore caelesti institutum esse; quocirca, quae ibidem Constantinus Pontifici Romano largitur (nihil modo de illius Canonis auctoritate disputando) partim ad dominium temporale spectant, partim ad executionem dignitatis Pontificiae, non ad eius institutionem, nam licèt ante illa tempora, Episcopi Romani in totam Ecclesiam haberent auctoritatem, attamen ob persecutiones, & alia impedimenta, non poterant vt oportebat, sua vti potestate, & Ecclesiam totam gubernare, quod vt facere liberiùs possent, Constantinus curauit.

Aliter finxit Lutherus dignitatem hanc à Constantino Quarto manasse, prolato ex Platina testimonio, in vita Benedicti XII. sed eadem certitudine Lutherus excluditur ex traditione dicta, & alijs, quae ante adduximus, Platina verò solùm refert habuisse olim Imperatores ius quoddam confirmandi Pontificum electiones, cui Constantinus IV. suo tempore cessie, illud porrò ius, non nisi concessione, & beneficio Sedis Apostolicae habuerant, vt infrà dicetur.

Alij autumant, primatum fuisse concessum Episcopo Romano ab vniuersa Ecclesia in Nicaeno Concilio, ibi namque datum esse priuilegium Romanae Sedi, vt in grauioribus causis ad illam ex vniuersa Ecclesia posset appellari. Vnde Melchiades Papa epistola ad Episcopos Hispan. Damas. epistola ad Prosperum, Zozimus epi. ad Episcopos Africae, cuius verba in Concilio 6. Carthagineo. habentur, & Iulius I. epist. ad Orientales, de hac dignitate tractantes, solùm eam referunt in Ecclesiae consuetudinem, concilijque Nicaeni definitionem, quod senserunt etiam Africani Episcopi in illo 6. Concilio profitentes, se obtemperaturos, si Canon ille Nicaenus reperiretur. Item indicatur in concilio Calced. Act. 16. & Romano 3. sub Symmacho. Haec verò sententia non solùm haeretica est, sed ex ipso vsu, & traditione planè conuincitur falsitatis, atque ex ipso etiam Concilio Niceno impugnari potest, nam, vt suprà vidimus, in plerisque alijs canonibus pronunciat, veterem esse consuetudinem, vt inter omnes Episcopos, Romanus primatum habeat, nullam ergo dignitatem, vel potestatem Concilium illi attribuit. Sed vt paulò antè dicebamus, ante Constantini, & Concilij Nicaeni tempora aliundè attributam exercere non poterat, declarauit itaque Concilium Nicaenum. postulante Ecclesia, vt Romanus Pontifex, quoad punctum illud de appellationibus, suam potestatem exequeretur. Adde praeterea, Pontifices Summos omnibus regulis fidei fuisse vsos ad suam dignitatem confirmandam, Euangelij testimonijs, traditione, Conciliorum decretis, neque oportere, vt omnibus simul regulis semper vtantur, sed illa, quae pro temporum opportunitate, & eorum, ad quos sermo est, capacitate, videtur vtilior, & accommodatior, quoniam res semel in Concilijs definitae solene expressiùs, & clariùs retineri, ideò saepè allegant Concilij definitionem, non instituentem, sed veritatem declarantem, sic Nicolaus Papa epis. ad Michael. Imperatorem [Haec ait, priuilegia à Christo Domino sunt donata, à Synodis celebrata, & honorata.] & Ioannes Secundus epist. ad Iustinum, postquam dixerat, Ecclesiam Romanam caeterarum omnium esse Matrem, subdit. [Sicut Patrum regulae, & Principum statuta declarant.

Alij denique, quamuis admittant: Pontificiam dignitatem semper fuisse in Ecclesia, nullumque omninò initium reperiri posse, post Apostolorum tempora. negant tamen ab ipso Christo manasse, sed à Petro: & reliquis Apostolis, indicantibus expedire, vt hierar-

hierarchia Ecclesiæ ad vnum caput reuocaretur. Fundamentum desumunt ex eo quod Romanus Pontifex frequenter vocatur Petri Vicarius; vt cap. Ego Ludouiens d. 63. & sæpè alias quasi vices illius suppleat, & ideo ab eo sit institutus, namque Iulius I, epistola 1. apertè docet Apostolos voluisse, Ecclesiam Romanam habere primatum, imò quod difficilius est, Anacletus Papa epist. 2. affirmat Apostolos voluisse Petrum habere primatum. Sed hæc sententia etiam erronea. & fundamento destituta.

Dico ergo primò, Dignitas Summi Pontificatus, quæ hactenus semper fuit in Episcopo Romano, non ab hominibus, sed ab ipso Christo immediatè creata est, & ex ipsius præcepto, & institutione continenter perseuerat. Conclusio est de fide, ad quam confirmandam non oportet alia inducere, quàm quæ dicta sunt in præcedentibus Sect. duabus etenim in prima ostendimus, Christum Dominum in Petro illam dignitatem instituisse, in 2. statuisse etiam vt Petro succederetur. Hinc Gelasius Papa in Concilio 70. Episcoporum Romanam Ecclesiam asserit à Christo Domino habere primatum, & Anacletus epist. 3. negat expressè ab Apostolis habuisse. Vnde: cùm alio in loco dicit, Apostolos ita voluisse, loquitur necessario de voluntate consentiente in primatum Petri, non de constituente, eodemque modo potest exponi Iulius, quamuis etiam aliam admittat expositionem. Ratio verò conclusionis data est à nobis sect. 2. disputationis præcedentis, vbi ostendimus Christum Dominum voluisse, & instituisse regimen monarchicum, quod esset maximè conueniens ipsi Ecclesiæ, quare mirum est, dictos Auctores fateri, ex eraditione etiā Apostolica, primatū hunc maximè conuenientē esse Ecclesię, ad Christū& non sed ad Apostolos illius institutionē velle reuocare cum pręcipuè ad Ecclesiæ fundationem pertineat, neque possit talis primatus cosistere; absque speciali Spiritus sancti assistentia, quæ non nisi ex ipsius Christi promissione, & institutione haberi potest. Dicitur autem (vt omnibus, quę vltima sententia afferebat: satisfaciamus) Pontifex Romanus Vicarius Petri, non propriè: nam veriùs ac magis propriè dicitur Vicarius Christi, vt loquitur Concilium Lugd. sub Leone X. Et habetur cap. vbi periculum, de electione, in 6. & Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium, solùm ergo habet verum ille dicendi modus, quatenus Romanus Pontifex sedet in Cathedra, & Sede Petri, & veluti personam eius sustinet, non quia ab ipso sit institutus.

Dico Secundò, Dignitas Summi Pontificatus à Christo Domino instituta cum Episcopatu Romano coniecta fuit; ex Petri facto illius, atque adeò ex eius institutione manauit. Vt probetur assertio notandum, licèt Christus Dominus pontificiam hanc dignitatem instituerit, antequam in cælum conscenderet, attamen non constare præcipere eum vt qui esset Pontifex, Sedem suam haberet Romæ, vel loco alio: imò nec constare, vt esset Episcopus ordinarius alicuius priuati Episcopatus, sic planè perseuerauit Petrus toto tempore antequam Antiochiæ sederet, postea verò dignitatem pontificiam coniunctam habuit cum eo Episcopatu, quam deinde mutauit, & annexuit cum Romano, quo illum diuinis preordinationibus (vt ait Leo) antedibant, & honor potestatis, & gloria passionis. Constat ergo has esse duas dignitates diuersas, & separabiles de se, vniuersalis Episcopatus, videlicet, & priuatus, seu ordinarius vrbis cùm ergo hæ duæ semper coniunctæ fuerint, & qui in vna succedit Petro, semper in alia succedat, necessè est, illas duas dignitates ex voluntate, & instituto alicuius habentis potestatem hactenus, semper manere coniunctas: ergo saltem ex ipsa Petri, si de Christi voluntate minùs constat; de qua statim erit dicendum: nam illæ duæ tantùm præcesserunt voluntates, à quibus hæc coniunctio potuerit manare. Neque enim fingi potest ab vniuersali Ecclesia, aut à Concilio alio manasse; quamuis credatur verisimile, in eam rem etiam cæteros Apostolos consensisse, vt Iulius I. in dicta epistola insinuabat. Atque hanc conclusionem intendit Gregorius libro 6. epistola 37. dicens: [Ipse sublimauit Sedem, in qua quiescere etiam, & præsentem vitam finire dignatus est.] Confirmatur: nam Clemens epistola 1. quam Anaclet. & Alexand. in suis quisque epistolis magna veneratione recipiunt, & Damas. in vita Clementis, scribunt, Petrum elegisse sibi successorem ipsummet Clementem, cui potestatem ligandi, atque soluendi, sibi à Domino traditam dedit, & Episcopum Romanum esse voluit; quod etiam confirmat Tertull. de præscript. Hæretic. & Ruffin. in prologo ad recognitiones Clementis, aut cuiusuis antiqui Auctoris sit opus. Ex quo facto constat, Petrum coniunxisse dignitatem Pontificiam cum Episcopatu Romano: eodem autem modo, quo Petro successit Clemens; siue id fuerit immediatè, siue post Linum, vel Cletum, de quo opiniones circumferuntur; eodem, inquam, modo Clementi successit Anacletus, & huic Euaristus, & sic de cæteris, quos Irenæus libro 3. cap. 30. vsque ad sua tempora duodecim numerat. Et august. epistola 165. vsque ad sua, recenset quadraginta; nos verò 230. numerare possumus: quos habuisse semper eumdem Episcopatum, eumdemque modum dignitatis, confirmatur à signo, ex fidei, scilicet, integritate, quæ semper in Romana Sede perstitit, ad quam numquam potuit accessum habere perfidia, vt Cyprian. ait libro primo, epistola 3. sed incorruptam semper seruauit Patrum auctoritatem, & traditionem, vt ait Hieron. ad Damas. Aliæ verò Sedes ferè omnes hæresibus fœdatæ sunt, præcipuè Patriarchales; & maximè Constantin. quę de Primatu contendere ausa fuit. Hoc nimirùm signo facilè intelligitur priuilegium Petro concessum, [non deficiet fides tua,] in hanc Sedem fuisse translatum: quia, nimirùm, illi coniuncta est ea dignitas, cui tale priuilegium debebatur. Tandem ratio afferri potest, quia expediebat Summo Pontifici, certam quamdam, & statam habere Sedem, vt mox dicemus: atqui dubitari non potest, quin Petrus, vt Pontifex Summus, eam designare potuerit: ergo, &c.

Sed iam occurrit 2. quæst. num. 1. adducta

ducta. ac aneexio hæc principatus Petri ad Sedem Romanam, quam à Petro dicimus fuisse ortam, ita sit auctoritate eius constituta, vt ab ipso solo manauerit? an verò ex Christi præcepto, & auctoritate id egerit? cùm enim de hoc nihil ex fide certum habeamus, varia opinantur Theologi Sot. 4. d. 24. q. 2. art. 5. dixit, totum hoc negotium esse de iure humano, atque adeò in potestate Summi Pontificis situm, disiungere dignitatem Pontificiam ab Episcopatu Romano; sicut potest erigere Ecclesiam quamlibet in Patriarchalem, & iam erectam sua dignitate priuare, si expediuerit: cuius sententiæ esse videtur Palud. tractatu de potestate Papæ, art. 2. & 4. Armacha. lib. 2. cap. 13. & 14. & alij quidam. Contrariam sententiam tenent Caietanus opusculo de potestate Papæ, cap. 13. & 14. Can. lib. 6. de locis, cap. 4. & cap. vltimo ad 10. Turrecremat. cap. [Sacrosancta] d. 22.

Dico nihilominùs tertiò: Quamuis coniunctio Summi Pontificatus, cum Romana Sede ad primariam huius dignitatis institutionem non pertineat, neque videatur à Christo Domino ante ascensionem in cœlum ordinata; probabilius tamen, & magis pium videtur, Petrum ex ipsius Christi Domini præcepto, & voluntate illam instituisse. Prior pars, & ex dictis, & per se videtur satis manifesta, constat enim accidere huic dignitati, per se loquendo, esse cum hoc, vel illo Episcopatu priuato, atque loco coniunctam; non enim exiguo tempore vixit Petrus Summus Pontifex sine certa Sede: atqui si interim, permittente Deo, ab Herode fuisset occisus, habuisset profectò successorem, qui tamen ex vi successionis Episcopus Romanus non esset. Quòd verò ante Ascensionem Christus Dominus nihil de hoc ordinauerit, patet; tum quia nihil tale habemus ex Scriptura, vel traditione; tum ex eo, quòd Petrus Sedem fixit primùm in vna Ecclesia, postmodum in altera; tum tertiò, quia nulla apparet eius rei necessitas. Posterior deindè pars assertionis confirmari solet illis Pontificum testimonijs, quibus conficitur, Romanum Pontificem iure diuino, & ex Christi Domini institutione, habere Primatum Ecclesiæ. Verùm, quæ hoc tantùm exprimunt, minimè vrgent, neque hanc conclusionem ij Pontifices intendunt, sed primam tantùm; cuius signum est, quia semper confirmant suam sententiam illis Euangelijs verbis: [Tu es Petrus, &, Pasce oues meas.] Alia nihilominùs legimus Patrum, & Pontificum testimonia, quæ indicant, post Ascensionem fuisse Petrum de hac re peculiariter à Christo instructum, & monitum. Ita sentit Innocent. III. cap. [Per venerabilem.] Qui filij sint, &c. vbi dicit, Romam elegisse Dominum; ac refert historiam, quòd Petro vrbe egredienti Christus occurrerit, ad illamque reuocauerit: cuius etiam historiæ meminit Ambrosius oratione contra Auxent. & lib. 5. epistola 32. indicatque Athanas. Apolog. de sua fuga, & refert Eugesippus libro 3. de excidio Hierosol. cap. 2. Vnde Marcellus Papa epistola 2. ad Episcopos per Antiochiam constitutos, quæ habetur cap. Rogamus. 24. quæst. 1. dicit, Petrum iubente Domino, Sedem Antiochiæ Romam transtulisse. Leo etiam Papa Sermone Sanctorum Petri & Pauli, Augustin. & alij Patres sæpè asserunt, peculiari Dei ordine factum, vt Cathedra Petri Romæ collocaretur. Congruentia afferri potest: quia sicut oportuit, Summum Pontificem esse vnum, & certum; ita oportuit habere certam, & immobilem Sedem, vt remouerentur seditiones, & scandala, & faciliùs posset tota Ecclesia ad suum caput accedere: oportuit ergo hanc designationem fieri ipsius Christi Domini auctoritate; quia si sola Petri, vt Summus Pontifex erat, voluntate fieret, alterius etiam Pontificis voluntate mutari aliquando potuisset. Vnde etiam sumitur probabilis coniectura; nam si hæc res purè humana esset, aliquando, vel in Concilijs generalibus, vel à Pontificibus diuersarum nationum, vel Regibus etiam, aut Imperatoribus facta fuisset mutatio: cùm ergo id numquam in Ecclesia acciderit, signum est, negotium hoc diuinum esse, & non prorsus humanum. Quòd verò electa fuerit Romana ciuitas potiùs, quàm alia, licèt ex Christi Domini arbitrio potissimùm pendeat, suam quoque habet congruentiam, nimirùm propter amplitudinem vrbis; tum etiam propter Sanctorum Martyrum, & Principum Apostolorum sanguinem ibi effundendum; tum denique, vt Dei potentia, & fidei efficacia magis ostenderetur, [vt quæ fuerat magistra erroris, fieret discipula veritatis,] vt Leo Papa notauit, & bene D. Thom. 3. p. q. 35. art. 7. ad 3.

Dicet quis, aliquando fuisse mutatam Romanam Sedem, proindéque non esse de iure diuino. Respondetur, præsentiam Summi Pontificis fuisse per aliquot annos in Gallia, sed verum Episcopatum semper fuisse Romæ; nam licèt Summi Pontifices habitarent Auenione; semper tamen perseuerarunt Romani Episcopi, nullusque alius præter ipsos per id tempus eam Sedem occupauit. Vrgebis, si de iure diuino Summus Pontifex Episcopus est Romanus, ex eodem iure Romæ residebit, cùm quisque Episcopus iure diuino residere debeat in propria diœcesi: consequens est contra id, quod contigit aliquando, ac contingere necesse esset, si Roma vastaretur. Fateor teneri Papam, si commodè possit, regulariter residere in Romana diœcesi: illud enim, & ad bonum regimen priuati Episcopatus, & ad totius Ecclesiæ commune, postulatur: at verò ob temporum calamitates coguntur interdum Pontifices abesse, aut certè Principum potentia coacti, vt fortè accidit, quo tempore Romana Curia erat in Gallia. Quod dicitur de vrbis vastitate, credibile est, Deum numquam permissurum, vt portæ inferi contra eam præualeant, ob Sanctorum Petri, & Pauli intercessionem, Sedis Apostolicæ dignitatem, ac Ecclesiæ totius vtilitatem: & ita intelligimus, sæpè fuisse præteritis temporibus diuinitùs seruatum; præcipuè tempore Leonis Papæ, vt habet historia vulgata. Vnde Chrysost. 2. ad Thessal. 2. docet regnum Romanorum duraturum vsque ad Antichristum, eumque contra Romanum Pontificem potissimè pugnaturum. Idem Hieronym. epistola ad Algasiam, quæst. 11. Lactantius libro 7. c. 25. Tertull.

Tertull. in Apologia. Augustin. 2n. Ciuit. cap. 19. Plura vide in Waldens. libro 2. de fide, cap. 41. Roffensi art. 25. Driedone l. 4. cap. 3. part. 2. & 3. Echio lib. 1. de primatu Petri, cap. 13. & contra Luther. c. 29. & 30. Pighio libro 3. hierarch. cap. 12. Turrecrem. lib. 2. cap. 36. & 40. & alijs non paucis.

SECTIO QARTA.

An, & quomodo Summus Pontifex eligi debeat ab omnibus?

ORitur ex præcedenti sectione præsens difficultas: nam si Pontificia dignitas ab ipso Christo Domino immediatè est instituta, fieri non potest, vt ab hominibus conferatur: omnes ergo Pontifices, qui ab hominibus post Petrum creati sunt, veri Pontifices non erunt. Confirmatur: nam si Pontifex ab hominibus eligitur, eius potestas erit inferior, quàm illa tota congregatio hominum, à quibus eligitur; quod est contra Pontificis dignitatem. Sequela patet: quoniam ita accidit in omni Republica, quę suos sibi eligit Magistratus: hi enim toti Reipublicæ semper sunt obnoxij, ab eaque dependent.

Duo sunt in hac materia distinguenda; alterum est designatio personæ; alterum collatio potestatis, & dignitatis; quæ duo interdum coniunguntur, vt cùm Christus Dominus personam Petri designauit, & elegit, illiq; potestatē cōtulit; interdū verò separantur, vt cùm Rex aliquē in Episcopū nominat, personam quidem designat, non verò impertitur dignitatem, sed Pontifex nominationem regiam approbando, dignitatem confert. Quo posito:

Dico primò: Quando Pontifex Summus creatur, electores personam designant; solus autem Christus immediatè confert dignitatem, & potestatem. Conclusio est certa ex his, quæ in præcedenti sectione dicta sunt: hoc enim volunt Pontifices, & Patres, cùm pronuntiant, Romanum Pontificem habere à Christo Domino potestatem. Item Papa Vicarius est Christi: sicut ergo Prorex immediatè ab ipso Rege instituitur; ita & Papa, qui veluti pro Pontifice Christo, ab ipso creatur. Præterea si Ecclesia præberet hanc potestatem, posset illam limitare, vel augere, vel modum illi præscribere, vt solet Pontifex, cùm Episcopos creat. Tandem ostensum est supra, & ostendetur in sequentibus Christum non dedisse hanc potestatem toti Ecclesiæ; ergo nec ipsa potest illam dare. De hac porrò conclusione legantur Turrecremat. libro secundo, cap. 44. Caietan. opusculo primo de auctoritate Papæ, cap. 13. & 2. p. Apolog. cap. 22. Turrian. 1. contra Centur. capit. 18. Solùm notandum, Christi Domini concessionem, quamuis respectu huius designatæ personæ noua sit; attamen ex priori concessione facta Petro, originem habere, atque etiam moraliter eamdem esse cum illa; tunc enim stabili, vnàque voluntate statuit Christus, eam Petro concedere, & omnibus eius legitimis successoribus; id est, loco illius ritè, & canonicè electis, seu designatis; quia posita voluntate, necessitate quadam hypothetica communicatur dignitas ritè electo. Dices: quandocumque in electione cuiuslibet Magistratus, duo illa, designatio, scilicet, personæ, & collatio potestatis, ad diuersos pertinent, is, qui dignitatem confert, ius habet non conferendi talem dignitatem, si persona designata non sit digna; nec solùm ius habet, sed interdum ita facit, ac præsertim Pontifex in confirmatione Episcoporum: idem ergo faciet Christus Dominus in electione Pontificis: ergo cùm numquam constet, an persona digna sit, & sufficiens ad illud ministerium, si ex vi electionis humanæ non habet potestatem, sed expectanda omninò est Christi collatio, & veluti confirmatio, numquam satis constabit, an Papa electus, verus sit Papa.

Respondeo, propterea errasse quosdam Hæreticos, electum non fieri verum Papam, nisi sit vir probus. Confirmantque, quia priùs interrogauit Christus Dominus Petrum, an se diligeret. Imò dixerunt alij, non fore verum Papam, nisi prædestinatum; eademque ratione addere possent, verum non esse, nisi sit doctus, & habeat cætera omnia, quæ necessaria sunt illi muneri. Sed hæresis est, damnata in Concilio Constantiensi, & in genere, contra illam disputatur in materia de Sacramentis, & de clauibus, & alibi. Itaque certum est, vt Deus conferat infallibiliter hanc dignitatem, nihil aliud requiri, quàm personam simpliciter capacem eius, legitimè electam fuisse, siue digna sit, siue indigna: nam Deus ob maius Ecclesiæ bonum, ita statuit, atque exequitur; quia multò esset maius Ecclesiæ incommodum carere sæpius vero capite, semperque posse dubitare de illo, quàm habere interdum infirmum: neque in hoc est eadem ratio de Deo, & hominibus; tum quia homo est tantùm dispensator; Deus verò Dominus; tum etiam quia certò constare potest, quandòne homo confirmat præsentationem: in Deo autem constare non posset, absque speciali reuelatione, quam non oportuit iugem esse in Ecclesia: tum denique, quia homo nequit insufficientiam alterius hominis electi supplere instar Dei, qui per paruum, vel indoctum Pontificem potest, si velit, æquè benè prouidere Ecclesiæ, ac per alium quantumlibet dotibus ornatum. Porrò autem Christus Petrum rogauit, an se amaret, non quia fundare vellet illam potestatem in charitate, eamquam necessario fundamento; sed gratia exempli, vt Pastores intelligerent, quales esse deberent, & Rectores quales ab eis oporteret eligi, vt Augustinus ait de agone Christiano cap. 30. Chrysostomus libro 2. de Sacerdotio, & Leo Papa Serm. 3. de Assumpt. sua. Difficultas verò est, an requiratur in eligendo Pontifice character, vel fides, vt Christus Dominus illi conferat dignitatem, de quo infrà occurret locus.

Dico secundò: Potestas eligendi, & designandi personam, data fuit hominibus. Est certa, & necessaria, vt patet ex vsu Ecclesiæ, & quia expediens fuit, hominum Ecclesiam humano modo gubernari quoad fieri posset; nec erat consentaneum statui legis gratiæ, & fidei,

fidei, vt semper de cœlo expectaremus signum, ad cognoscendum, quem eligeret Dominus.

Dico tertiò: Modus eligendi Pontificem, non fuit à Christo Domino præscriptus, sed Ecclesiæ commissus est. Conclusio est certa: nam constat varium fuisse in Ecclesia huius electionis modum; si autem Christus modum determinasset, ille idem, & vnicus fuisset semper in Ecclesia retentus. Antecedens patet: nam Petrus, qui fuit primus Papa, successorem sibi delegit Clementem, vt constat ex ipsius Clementis epistolis, & ex secunda alia Alexand. Papæ I. ad Orthodoxos: & ex epistola Ioannis III. ad Episcopos German. ex cap. Si Petrus, & capitulo Vnde, 8. quæst. 1.

Sed contra: Nam Clemens re vera non fuit secundus Pontifex à Petro: non ergo ab eo fuit electus. Antecedentes sumitur; tum ex Canone Missæ, vbi Linus, & Cletus ante Clementem numerantur; tum ex varijs Patribus, & historijs: Irenæus enim lib. 3. cap. 3. Anacletum post Linum censet: deinde Clementem, (vbi irrepsisse arbitror nominis errorem, vt pro Cleto Anacletum posuerit.) Idem sentit Hieron. de scriptoribus ecclesiasticis in Clemente: Eusebius verò lib. 3. histor. cap. 14. Linum post Petrum collocat, tum Clementem; idem habet Aug. epist. 165. Iam verò Epiph. serm. 27. & Platina, Linum, & Cletum prius numerant. Propter hæc Turrecremat. lib. 2. cap. 51. negat, Petrum elegisse Clementem, qui sibi succederet, solùmque nominasse illum, vt posteà eligeretur: sed hoc manifestè facie contra dicta ipsorum Pontificum in citatis epistolis.

Vnde dicendum est, vel Clementem fuisse quidem à Petro electum; statim verò post mortem Petri renunciasse, ac noluisse succedere, quod sentit Epiph. supra: vel certè probabiliùs, Clementem de facto immediatè successisse Petro. Ita Damas. in Pontificali, Tertull. de præscript. Hæretic. Ruffinus in præfatione Recognitionum Clementis ad Gaudens. Et indicant Pontifices citati Leo II. in epist. decretali. Linus ergo extitit coadiutor Petri, eo viuente, Romanamque Ecclesiam gubernabat, illo absente, ipsique ante Petrum defuncto, Cletus in eodem munere suffectus est: tandem verò, mortuo Petro, Clementis eius successoris, Cletus itidem, quamdiu vixit, coadiutor fuit; ob idque hi duo inter Episcopos Romanos numerantur. Vide Turrian. lib. 3. contra Centur. cap. 10. Post Petrum verò nullus Pontificum sibi elegit successorem; quamuis Epiphan. supra id videatur tribuere Lino, & Cleto; Sed, & sub dubio loquitur, ac potiùs de consecratione Episcopali, quàm de iurisdictionis potestate: quare licèt non sit omninò certum; probabilius tamen est, quod statuimus. Itaque in initio Ecclesiæ electio Summi Pontificis à Clero Romano, & Episcopis, qui Romanæ essent, peragebatur, vt colligitur ex Cypriano lib. 4. epist. 2. vbi de electione Cornelij loquitur, & Eusebius libro 6. historiarum cap. 21. dùm de Fabiano scribit, atque etiam Damaso in Pontificali.

Expectabatur autem in hac electione populi consensus, non vt suffragia ferret in electione; sed testimonium vitæ, & morum eius, qui eligebatur: de quo vide cap. Cùm longè, dist. 63. & cap. Electionem, dist. 79. & Cypr. lib. 1. epistola 4. & libro 2. epist. 5. Posteà verò etiam consensus Imperatorum cœpit expectari, ita vt non censeretur omninò firma electio, donec, Imperator assentiret: quod priuilegium interdum, fuit per tyrannidem vsurpatum, vt ab Henrico V. tempore Paschalis II. interdum falsò confictum, vt de quodam Othone refertur capit. In Synodo, dist. 63. interdum verè datum ab ipsis Pontificibus, vt de Carolo Magno, & Pipino habetur cap. Hadrianus, eadem dist. 93. quod statim renunciauit Ludouicus eorum successor, ibidem cap. Ego Ludouicus. Quamuis posteà alij tentauerint illud repetere; de quo multa Pighius lib. 3. de Eccles. hierarch. capit. 13. & Paludanus libro de Republica Ecclesiastica, cap. 7. Turrecrem. & alij.

Tandem verò Hadrianus II. statuit, vt in electione Pontificis nullius secularis Principis consensus obseruaretur; atque etiam propter abusum, consensus populi prætermissus fuit: per se ergo huiusmodi laicorum consensum numquam fuisse necessarium, constat ex Concilio Romano sub Symmacho Papa ex 6. Synodo generali, & multis, quæ congerit Gratian. illa dist. 63. & 64. postmodùmque Gregorij VII. & Vrbani tempore, electio Romani Pontificis Cardinalibus commissa est, vt patet ex in cap. In nomine Domini: dist. 23. & cap. 1. dist. 77. & cap. Licet exemplo de electione, & cap. Vbi periculum: eodem titulo, in 6. Et Clementina, Ne Romani, eodem titulo, & ex Concilio Constantiensi sessione 8. vbi damnatur Wiclef. qui hanc Cardinalium electionem negabat esse legitimam, de quo Walden. 2. doctrin. fidei antiquæ, artic. 3. cap. 39. Iuo Carnot. 3. decret. Hugo de sancto Victore, libro secundo de Sacramentis, par. 3. capit. 14. De origine verò, & dignitate Cardinalium, vide Turrecremat. Pighium, & Paludanum supra citatos, Villadiego, & alios in tomo 13. tractatuum, parte 2.

Dico quartò: Ad Sedem Apostolicam præcipuè spectat præscribere, & ordinare modum eligendi Summum Pontificem; quòd si de eo nihil esset statutum, & Sedes vacaret, electio ad omnes Ecclesiæ Episcopos pertinebit. Priorem partem bene docuit Caietanus, probaturque primò, quia modus eligendi Pontificem, qui nunc est in Ecclesia, præcipuè fundatur in legibus, & statutis ipsorum Pontificum: ergo ipse vsus Ecclesiæ docet, hoc pertinere ad Summum Pontificem. Secundò, cùm Papa sit Ecclesiæ caput, in eo est suprema potestas gubernandi Ecclesiam: ad eum ergo spectat prouidere in rebus maximè necessarijs: vna verò ex his, & grauissima, est electio Summi Pontificis: ergo, &c. Tertiò, quia vix alia ratione potuisset continuari legitima successio Pontificum ab initio Ecclesiæ vsque ad hoc tempus; nam si solus Pontifex non potuisset modum electionis præscribere, pertinuisset hoc ad vniuersam Ecclesiam, seu Concilio generale numquam autem per longam annorum seriem quicquam est de hac re statutum, aut ordinatum in Concilijs generalibus: signum ergo est à principio Pontifices

Sum-

Summos auctoritate propria statuisse modum electionis, qui pro ratione, aut necessitate temporum retentus fuerit, vel eadem auctoritate mutatus, tandemque permanserit is, qui nunc viget in Ecclesia, atque in Concilijs generalibus est confirmatus, duobus, videlicet, Lateranensibus sub Nicolao I. & Alexandro III. & in Lugdun. vno, alteroque Viennensi.

Oppones: Si hæc potestas apud Pontificem resideret, posset vtique nunc sua auctoritate hunc eligendi ritum abrogare, & nouum introducere. Item posset eligere successorem sibi, & statuere, vt omnes in posterum idem præstarent, aliósque electionis modos tollere. Denique possent electionem committere solis laicis. Propter hæc, & similia Paludanus de potestate Ecclesiæ sentit contra hanc conclusionem, & idem inclinat Turrecr. cap. 51. asserens, periculosum esse, si vnius hominis iudicio, quod falli, ac fallere potest, Summi Pontificis electio credita sit. Vnde dist. 79. cap. vltimo: Summi Pontificis electio Sacerdotibus, & spiritualibus de populo commissa dicitur. Respondetur tamen, mirandum non esse potestatem hanc vni homini esse datam, cui Christus Dominus totam Ecclesiam tradidit; quia sicut existimamus non permissurum Deum tantę potestatis abusum in magnũ Ecclesiæ detrimentum; ita credendum est non permissurum, vt circa electionem Pontificis aliquid decernatur, quod intolerabilem errorem contineat.

Vndè ad primam obiectionẽ respondeo, non videri dubium, quin possit Papa modum eligendi, qui nunc viget in Ecclesia, mutare, vt benè defendit Caietanus, & Vict. contra Paludanum, & alios: ac suadetur: quia non est minor potestas hodie in Pontificibus, quàm fuerit in antiquioribus: ergo sicut illi mutarunt antiquam eligendi formam; ita, & hi mutare poterunt. Item, forma hæc siue modus eligendi, non est diuini iuris, vt ostensum est: ergo positiui: potest autem Papa mutare omne positiuum ius: ergo, &c. Tandem aduersarij admittunt, posse inuerti hunc modum à Concilio generali: ergo potiùs à Papa, qui superior est, poterit inuerti. Immò quod Paludanus, & alij aiunt, Concilium generale, Sede vacante congregatum, posse eligendi modum, sine Papæ auctoritate, innouare, verisimile mihi non est; tum, quia totum illud Concilium inferioris potestatis est, quàm Pontifex, cuius auctoritate est modus ipse introductus, & confirmatus; tum, quia vt, ostendimus, hoc negotium non est per se primò commissum Episcopis, sed Pontifici; & ideò postquàm ab eo semel decretus est, ab omnibus Episcopis seruandus venit; nisi fortè Cardinales sua eligendi potestate adeò abutarentur, vt in legitima electione Summi Pontificis non conuenirent: talis enim euentus iam ad secundam partem conclusionis positæ reuocaretur.

Ad secundam illationem quidam facilè concedunt, posse Pontificem nominare sibi successorem. Ita Victor. relect. 2. de potestate Papæ, quæst. 2. n. 2. & 3. ac potest colligi ex Symmacho cap. Si transitus, dist. 79. Ratio verò sumitur ex argumento facto: nam ad Papam spectat definire modũ, quo sibi succedatur: sed vnus erorum est, vt antecessor successorem nominet, qui neque includit repugnantiam, nec apertam præ se fert indecentiam: ergo, &c. Confirmatur: quoniam Papa statuere valet, vt eo viuente eligatur successor, ad eum modum, quo pro Imperatore eligitur. Valet prætereà, hanc nominandi Pontificis prærogatiuam vni soli personæ concedere, vt Ostiensi Episcopo, v. g. Potest item indulgere Episcopo, vt eligat sibi successorem, cap. Petisti. 7. quæst. 1. & 8. quæst. 1. non semel: ergo, & ipse idem poterit efficere: cur enim non sibi tribuat, quod alijs potest? Denique ostendimus, Petrum id egisse, neque constat permotum fuisse singulari priuilegio, aut reuelatione: fecit ergo ex ordinaria potestate.

Contrariam sententiam sequuntur Caietanus, Turrecr. Paludanus supra; citatur etiam Cardinalis cap. In nomine Domini. dist. 23. cap. Si Petrus. 8. quæst. 1. Armacha. lib. 1. cap. 15. & 19. Eorum aliqui fundamentum ponunt, quòd eligere successorem, sit prohibitum iure diuino omnibus Ecclesiæ Prælatis, vt colligitur ex Hilario Papa, cum Concilio Romano cap. Plerique 8. quæst. 1. Non est verò firmum fundamentum; quia prohibito iuris diuini nõ satis constat, immò hoc ipsum est, quod queritur; ac præcipuè, quia de alijs Episcopis non liquet ea prohibitio, vnde ex priuilegio id planè valent; textus verò adductus contra eos agit, qui propria auctoritate id vsurpabant, ac si iure posent, vt Ecclesiastica beneficia in hæredes transmitterent: Alia verò ratione vtitur Caiet. quod successor nulliter electus sit à Papa, ne duo Pontifices simul dentur: mortuo autem Pontifice eligente, non obliget electio, quæ in vita ipsius effectum non habuit, vt videre licet in priuatis Episcopis; quæ profectò ratio efficax non est: constat enim, Christum Dominum potuisse potestatem Pontifici concedere, vt ipse designet personam, cui immediatè post mortem suam Christus ipse iurisdictionem pontificiam concedat. Vndè verò non ita concessisse probabitur? Aliud ergo fundamentum satis probabile est, hanc potestatem eligendi successorem non fore futuram in ædificationem, sed in destructionem: nam facilè eueniret, vt hæreditate possideretur Sanctuarium Dei. Quod perpetua etiam traditio confirmat: nullum enim post Petrum legimus id fecisse; cùm tamen multi casus occurrerint, in quibus id videri posset Ecclesiæ maximè opportunum ad vitandam schismata, &c. Vndè iuxta hanc sententiam dicendum, Christum Dominum statuisse, vt electio Pontificis per Clerum fieret; quod Anacletus etiam indicat cap. vlt. dist. 79. modum tamen præscribendũ reliquisse Summo Pontifici. Nec verò Symmachus in alio textu affirmat, Papam nominare sibi successorem; sed posse agere cum electoribus de persona aptiori, & digniori, vt ad id muneris eligatur: nam olim electores cum Pontifice, vt benè exponit Glossa, de successore deliberabant.

Prępositæ opiniones duæ habentur probabiles: Ego tamen nec simpliciter concederem dictam potestatem Pontifici, nec negarem simpliciter: potest ergo Papa ordinare modum

modum electionis; iustum tamen, & vtilem Ecclesię, quique non sit in destructionem eius, sed in ædificationem: quare, si tentaret prædictum eligendi modum tamquàm ordinarium præscribere; is minimè valeret, neque esset obseruandus; quia planè vergeret in perniciem Ecclesiæ, vnde apertam contineret iniustitiam; attamen si in raro casu, vrgente aperta Ecclesiæ necessitate, id faceret; iustè faceret, legitimaque potestate vteretur, vt arbitror; vt rationes pro Victor. factæ probant. Et per hæc respondetur ad tertiam illationem, negando sequelam; scilicet, fieri posse, vt hæc potestas eligendi solis laicis committatur; nam esset intolerabilis abusus, & in graue incommodum Ecclesiæ; quod etiam contrarius Ecclesiæ vsus confirmat; ac licèt ad electiones laici nonnulli admittantur in casu vrgente, non videtur extra Pontificis potestatem situm esse.

Secunda pars conclusionis procedit contra opinantes, Pontifice decedente, cùm nihil de modo eligendi successorem disposuerit, electionem deuolui ad vniuersam Ecclesiam, seu fideles omnes. Quæ sententia est prorsus falsa, & ad errores Lutheranorum accedens, contendentium, Ecclesiæ ministros à populo creandos esse. Et præterea ferè impossibilis: quomodo enim cuncti fideles ad electionem conuenirent? Deinde constat, Sacerdotum, & præcipuè Summi Pontificis electionem ad laicos non pertinere: de quo multa in decretis, dist. 62. 63. & 89. Videatur etiam Pigh. lib. 1. de Ecclesiasticæ hierarchia, cap. 13. & 16. Est autem conclusio contra Caietanum in Apolog. cap. 22. qui vult, eu in casu electionem pertinere ad Clerum Romanum, quòd Papa iure diuino sit Episcopus Romanus, & in qualiber Ecclesia, deficiente Episcopo, vel superiori alio, qui prouideat, electio spectat ad Clerum quasi naturali iure: sicut ad Principes Reipublicæ attinet Principis electio, quàdo decst successor. Verum ex hac ipsa ratione probatur nostra conclusio, quam Victoria supra num. 21. defendit: nam electio capitis cuiusuis Reipublicæ, per se pertinet ad primores Reipublicæ, deficiente successione: sed Papa caput est totius Ecclesiæ: ergo vbi nihil esset ab eo, vel alijs Pontificibus statutum, electio illius pertineret ad Principes Ecclesiasticos, nimirum Episcopos. Ex quo soluitur fundamentum Caietani: nam cùm Papa eligitur, primò, & per se eligitur caput totius Ecclesiæ, & ideò magis ex hac parte pensandum est, ad quos pertineat electio. Confirmaturque ex cap. Si duo distinct. 79. vbi decernitur, si duo de Papatu contendant, ac res sit dubia, illum debere permanere, quem vniuersitatis consensus elegerit, & ita factum esse in Concilio Constantien. notissimum est.

Dices, difficillimè omnes Episcopos conuenire, præcipuè, si careant capite, qui eos conuocet, ac designet locum, &c. Occurrendum, in rebus humanis non posse omnia incommoda vitari, & casum, de quo loquimur, esse rarissimum, & in re grauissima, neque euenturum vnquam sine magna Ecclesiæ perturbatione, ideòque grauissimo etiam remedio illi subuenire oportere, quale est Concilium generale Episcoporum, quod licet difficile congregatu sit in eo casu, non est tamen impossibile, supposito hierarchico ordine Ecclesiæ: nam præter Episcopos sunt Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ: superiores ergo possent præcipere, & conuocare inferiores; supremi verò deberent inter se conuenire, quod facilè possent, cum sint pauci numero, habeantque iam certa priuilegia, & dignitatis ordinem.

Sed quæret vltimò aliquis, an electus debeat necessariò esse de numero Cardinalium? Constat quidem non fuisse id per se necessarium, attamen vsus Ecclesiæ ita habet, ac fieri oportet, vt dixit Stephanus Papa cum Concilio in cap. Oportebat, & cap. Nullus, distinct. 79. Nihilominus crediderim, si aliquis extra Collegium Cardinalium legitimè eligeretur, electionem fore ratam, & firmam, quia non video, quo iure ita reuocata sit electio passiua ad personas Cardinalium, vt aliàs nulla sit habenda.

SECTIO V.

An certa fide constare possit, hunc hominem esse verum Pontificem, & Ecclesiæ caput.

Sicut in superiori disput. de Ecclesia, sectione 9. diximus, vt esse possit vtilis, & infallibilis fidei regula, oportere, non solùm in confuso illam esse crediram, sed etiam determinatè, & in indiuiduo, hanc esse vel illam, quam oculis cernimus, & hoc sensu appellari visibilem, ita nunc quærimus, an simili modo verus Pontifex visibilis sit in indiuiduo, & determinatè, ita vt non solùm credamus esse in Ecclesia vnum summum caput, quod Romæ suam Sedem habet, sed etiam esse hunc hominem, quem oculis cernimus. Videtur ergo non posse, quia Deus nunquam id reuelauit. Secundò, quia est res humana, & contingens, pendens ex testimonio paucorum hominum, & ex multis circunstancijs valdè dubijs, vt an sit baptizatus, an ritè ordinatus, &c. Tertiò, quia est res, cui potest subesse falsum: accidit enim aliquando esse reputatum Pontificem, qui talis non erat. Quartò, vsu Ecclesiæ constat, eos qui verum Pontificem negant in indiuiduo, non existimari hæreticos, vndè à Patribus dicuntur non errare contra fidem, sed contra charitatem, scindentes vnitatem.

Propter hæc argumenta aliqui ex Catholicis negant, posse immediatè fide teneri, hunc esse verum Pontificem, sed solùm certitudine quadam morali, quam sufficere dicunt vt teneamur illi obedire in omnibus, etiam credendis rebus, quas de fide esse definierit. Hi sunt Turrecremata lib. 4. Summæ, part. 2. capit. 9. ad finem. Albertin. de agnoscen. assert. &c. quæst. 5. ad fin. Caietan 22. qu. 1. artic. 3. in respon. ad 4. Bañez 22. quæst. 1. artic. 10. in prioribus commentarijs, dub. 2. ad 2. Cano, & Vega, quos retuli disput. 16. sect. 4. num. 3. Cordub. lib. 1. quæst. 17. §. 2. Castro lib. 1. contra hæres. cap. 9. circa med. Christian. axiomata libro 2. artic. 6. capit. 11. & alij. Est verò in his Auctoribus nonnulla dif-

differentia; saltem in modo loquendi. Quidam enim, etsi negent, haberi immediatè de fide, hunc Pontificem, v. g. Gregor. XIII. esse verum Pontificem. volunt tamen esse mediatè, eo quod ex vna de fide, quod ritè electus sit verus Pontifex, & altera naturaliter nota, quod hic sit ritè electus colligatur. Verum nos distinctionem hanc alibi confutauimus. Alij dictam conclus. fidem sapere aiunt, ex eodem fundam, quod ex vna de fide, & altera naturaliter cognoscibili eruatur. Itaque vno verbo appellare possunt theologicam. Alij tandem simpliciter pronunciant ad fidem non pertinere. Mihi tamen placet contraria sententia: atque dico; sicut Christi Ecclesia visibilis est hæc numero, ita habere posse hoc numero caput visibile; atque adeò de fide esse hunc hominem, qui communi Ecclesiæ consensione acceptus est, vt caput Ecclesiæ, cui ipsa tenetur obedire, esse verum Ecclesiæ Pontificem Petri successorem. Probatur primò ex Concilijs, atque ante omnia in Bulla Martini V. apud Concilium Constantiens. disponitur, ab hæreticis, qui Ecclesiæ Catholicæ reconciliari volunt, primum omnium exigendum esse, an credant Ppam canonicè electum, qui pro tempore fuerit (eius nomine expresso) esse successorem Petri, & habere supremam potestatem in Ecclesia Dei: est ergo hoc, vt Pontifex supponit, de fide credendum: neque enim infra certitudinem fidei proponitur res immediatè credenda à Pontificibus. Deinde, Concilia non distinguunt inter verum Pontificem in communi, & hunc qui nunc sedet cum omni consensione Ecclesiæ; sed eadē veneratione, & fide complectuntur: sic certè Chalcedonense Concilium recipit nominatim Leonem Papam, VI. Synodus Agathonem, Mileuitanum, Innocentium III. & sic de cæteris. Secundò, si numquam constat Catholica fide, hunc esse verum Pontificem, consequenter neque constare potest, hoc esse verum Concilium, quod non minùs hæreticum esset, quàm negare vera esse quatuor Euangelia, vt dixit Magnus Gregorius. siquidem verum Concilium formaliter includit verum Pontificem; atque ob talem inclusionem dicimus nos, tam immediatè de fide esse, Christum esse animal, viuentem, substantiam: atque esse hominem: quare si de fide catholica numquam esset, hunc esse verum Pontificem, neque de tali fide essent vnquam eius decreta, quod est hæreticum. Videatur decretum Leonis Papæ cap. De libellis distinct. 20. Immò neque Catholica veritas, & certitudo huius numero Ecclesiæ posset rectè consistere; quia hæc maximè pendet ex coniunctione cum vero capite, requiritque veros, ac legitimos Sacerdotes, Pastores, & Ecclesiasticam hierarchiam: ac hęc omnia pendent ex eo, quod verus, & legitimus Pontifex in indiuiduo sit certus, & qua ratione possum dubitare de hoc Pontifice, potero & de antecessore, atque adeò de tota retrò serie: ergo de veritate Episcoporum, & Cardinalium, qui ab his creati sunt, atque ita ruet tota certitudo veræ Ecclesiæ, & Hierarchici ordinis, quomodo argumẽtantur Heretici contendentes, à tempore saltem Vrbani Papæ defecisse veram successionem: hinc enim satis sibi videntur inferre, iam non posse esse certum, an verè Summo Pontifici succedatur, aut vbi gentium vera Ecclesia visibilis extet. Vnde præterea arguitur tertiò ex potestate definiendi res fidei, & obligandi ad credendum definita: impossibile enim est teneri me ad credendum ea, quæ hic homo definit, vt dicta à Deo, nisi etiam teneat ad credendum de fide, hunc hominem habere à Deo potestatem definiendi, & assistentiam Spiritus sanctus, potestatemque ad me obligandum, vt credam, quæ ipse definit: hoc autem est planè credere, hunc hominem Summum esse Pontificem.

Nec verò intelligi potest, quod quidam respondent, sat esse certitudine morali credere, hunc esse verum Pontificem, cum Pontifex solùm se habeat, vt applicans, & proponens fidem, diximusque in superioribus, ex parte proponentis sufficere certitudinem moralem ad credendum: illud enim verum est considerando res propositas in ratione credibilium, & quatenus aliàs iam definitæ, ac certæ à proponente proximo, seu ministro Euangelij prædicantur: secus verò est de eo, quem oportet me amplecti, vt infallibilem regulam fidei, eius scilicet, materias definientem. Quod declaratur à simili: vt enim, quæ in Scriptura continentur, fide diuina credantur, non sat est certitudine morali, sed fide Catholica oportet credere, ipsam scripturam esse diuinam: tam est autem regula fidei Pontifex, quam Scriptura, vt patet ex disputatione 5. sectione 5. Ratio verò est: quia quæ in Scriptura continentur, vel à Pontifice definiuntur, vt vera sint, non pendent tantùm ex eo, quod credibile sit etiam euidenter, hanc esse Scripturam, vel hunc esse Summum Pontificem: sed ex hoc, quod verè ita sit ac infallibiliter: oportet ergo tanta certitudine credere verè ita esse, quanta creduntur ea, quæ ipse definit.

Propter hæc ergo alij negantes etiam de fide haberi, hunc esse verum Pontificem; volunt nihilominus esse de fide, hunc hominem, qui certitudine quadam morali in tota Ecclesia habetur verus Pontifex, verè, & ritè efficere omnia, quæ efficit verus Pontifex, & gaudere priuilegijs omnibus, assistentiaque Spiritus sancti Petro, & legitimis successoribus eius promissis. At hæc sententia in easdem incidit difficultates, quas vitare conatur. Et præterea, vt mihi videtur, propriam vocem ignorat, & contradictoria dicit. Explico singula. Primò, vnde quæso, magis constat, hunc hominem à nobis existimatum Pontificem, gaudere in re ipsa priuilegijs Summi Pontificis, quam esse verè Summum Pontificem? non enim vnum magis altero reuelatum esse dicetur, & vtrumque pendet, ab existimatione quadam hominum morali. Immò inuoluit hæc sententia, quippiam non reuelatum solùm, sed etiam falsum, scilicet priuilegia omnia Summi Pontificis, & potestatem alicui dari, qui non sit verus Pontifex: nam Christus Dominus non cuicumque, sed Petro, & successoribus legitimis dixit: [Quodcumque ligaueris, &c.] Deinde, vt hæc ipsa sententia ponit, dari valet Pontifex existimatus tantummodo: demus verò ita esse: poterit ergo etiam esse non Sacerdos: nunquid igitur ille, si sacramentaliter absoluere tentet, aut con-

consecrare, id perficiet? Nullo modo: contrarium enim astruere, hæreticum esset: non ergo habet potestatem omnem, quam habuit Petrus per illa verba: [Quodcumque ligaueris, &c.]

Dicent fortè habere omnem potestatem quoad actus solius iurisdictionis, non autem ordinis. Sed obest primò; quia plenaria iurisdictionis potestas fundatur modo aliquo in potestate ordinis, ita vt necessariò illam prærequirat, neque consistere valet plena Summi Pontificis potestas, quæ ad Ecclesiæ gubernationem pertinet, separata à potestate interiori, & in pœnitentiæ foro; immò in Pontifice propriè, non duæ sunt potestates, sed vnica eminens, atque vtramque comprehendens. Vnde tandem concludo, contradictionem inuolui, asserendo hunc hominem habere supremam potestatem iurisdictionis in totam Ecclesiam, ac negando, de fide haberi; eundem esse Summum Pontificem; quia iam affirmaretur, definitionem, vt ita loquar, conuenire in hunc hominem, non autem definitum: idemque pronuntio de credendo, hunc hominem habere potestatem definiendi, seu actu verè definiuisse ex assistentia Spiritus sancti: nam hæc omnia pertinent ad iurisdictionem inseparabilem à verò Pontifice. Vnde etiam intelligitur, quo modo ipsi negantes haberi de fide, hunc esse verum Pontificem, possint nihilominùs credere fide, quæ ab illo definiuntur: nam re ipsa, ac de facto credunt, illum esse Pontificem, cùm credant habere potestatem, ac Summi Pontificis priuilegium; ex quadam autem ignorantia putant se non non credere. Vnde ex ignorantia incidunt in quandam veluti contradictionem.

Ad primum argumentum in principio factum respondemus, illud esse à Deo reuelatum, quo modo reuelatum est, hanc esse Ecclesiam veram: quare, cùm reuelauit, Petrum esse caput Ecclesiæ, pariter reuelauit generaliter de omnibus eius successoribus, solùmque deest sufficiens propositio huius, vel illius contenti sub illa reuelatione: talis verò propositio habetur per vniuersalem testificationem, & approbationem Ecclesiæ, quod planè explicatur, & confirmatur à simili casu: nunquam enim videtur. Deus reuelasse, Episcopum Romanum esse potiùs Pontificem Summum, quam Alexandrinum; quia nunquam hoc expressit Deus, sed in confuso tantùm dixit, quando reuelauit Petro dignitatem, & successionem; quia talis reuelatio se se ostendit, & cadit in eos Episcopos, vel in eorum Episcopatum, in quo Petro succeditur, postquam illa successio sufficienter est Ecclesiæ proposita per traditionem, vel vniuersalem consensionem: quando verò intelligendum sit dari sufficientem propositionem, ita vt omnes obliget? quibusdam videtur tunc dari, cum ritè, & verè electus, atque adeò verus Pontifex proponitur, & hoc quidem sufficiens est, vt ex præcepto obedientiæ, & charitatis teneamur tali Pontifici obedire, atque vt non possit quispiam iure ab illo disiungi, sine schismate; attamen loquendo, vt re ipsa loquimur, de assensione per fidem, fortasse non erit sufficiens propositio, donec moraliter constet, illum esse acceptatum à tota Ecclesia, & pacificè possidere suum Primatum, atque adeò posse obligare omnes fideles ad credendum quicquid definierit, tunc enim certissimè credendum est, non posse accidere errorem in vniuersali Ecclesia in re adeò graui; qualis esset deceptio in ipsa viua regula fidei credendæ: nam is error æquipararetur errori in fide; si enim regula posset esse falsa, etiam regulatum; atque si intolerabilis error esset in Ecclesia, quando tota crederet librum aliquem esse Canonicum, qui verè non esset, cum tamen ille sit quædam regula fidei inanimata, multò intolerabilius esset errare in viua regula, quin potiùs, si circa hanc posset semel dari error in vniuersali Ecclesia, numquam esset verum, illam habere certam, & infallibilem regulam viuam fidei sibi loquentem, Christi nomine.

Ad secundum respondetur, ita pendere hanc veritatem ab humano testimonio, sicut pendet fides à proponente, & idcò nihil derogare certitudini fidei, de alijs porrò conditionibus requisitis, dicendum, illas per se primò non pertinere ad fidem, sed esse quasi conclusiones Theologicas, quæ consequutione quadam inferuntur: sicut enim ex fine sequuntur media, ita ex eo quòd Deus constituit Ecclesiam, vt numquam erret, & vera semper vtatur regula in rebus fidei credendis, consequenter speciali cura disponit, vt is, qui ad talem dignitatem eligitur, eas omnes conditiones habeat, quæ ad illam verè suscipiendam sunt necessariæ.

Ad tertium, negatur antecedens: nulla enim de ea re extat historia fide digna; accidit quidem aliquando, Ecclesiam non agnoscere pro tempore aliquo verum, & certum Pastorem; conspirasse autem totam in vnum falsum caput, existimando, scilicet, verum esse Papam, qui verus non esset, numquam accidit. Neque ex priori incommodo potest argumentum sumi ad posterius: non enim sunt paria; quòd enim Ecclesia aliquo tempore non agnoscat certum Pastorem, est quidem non paruum Ecclesiæ detrimentum; tamen non exponit illam periculo falsorum dogmatum, & perpetui cuiusdam, & quasi irreparabilis damni; quia omnia illa, quæ per id tempus efficiuntur à Pontificibus dubijs, valida esse nequeunt sine vera auctoritate Pontificia. Vnde non existimantur certa, donec per indubitatum Papam stabiliantur; si verò falsus Pontifex, indubitatus haberetur, omnia ab illo definita, & facta certissima existimarentur, cùm tamen infallibilia non essent.

Ad quartum respondetur, id fortasse contingere, quia nostra hæc sententia de fide non est. Secundò dicitur, omnia schismata ferè semper nasci, priusquàm verus Pontifex absque controuersia ab vniuersa Ecclesia receptus sit; si tamen homo aliquis, vel Ecclesia particularis nunc negaret obedientiam, v.gr. Gregorio XIII. negando simul esse illum verum Pontificem Petri successorem, non video, quo modo posset ab hæresi excusari magis, quàm si negaret Romanum Episcopum Petri successorem esse.

SECTIO

SECTIO VI.

An verus semel Papa, necessariò, dum viuit, existat Papa, vel possit aliqua ratione à dignitate cadere.

Dico primò, Pontificem posse voluntate sua dignitatem deponere. Ità definitur cap. 1. de renunciat. in 6. & ità aliquando contigisse liquet ex historijs: controuersia verò esse potest, an vt renunciatio eius valeat, oporteat expectare Ecclesiæ consensum, vel saltem Cardinalium; quæ quidem ad Canonistas magis, quàm ad nos spectat. Ego autem censeo, id non esse necessarium; tùm quia Pontifex eo loco simpliciter docet, posse liberè resignare; tùm etiam, quia alij Episcopi, vel Prælati ideò non valent eam liberè resignare prælaturam, quia Papam habent superiorem, cuius consensum exspectare debeant. Hic verò nullum talem habet, & ideò sicut sine superiore instituitur: ità sine superiore renunciat, vt ibi Glossa dicit.

Quæstio præcipua est, an contra voluntatem propriam possit priuari; quia non apparet, à quo priuetur; à Deo enim immediatè numquam deponitur, cùm non extet lex Diuina ordinaria de ea re, nec expectandum sit, vt extraordinario modo id faciat Deus. Rursus, neque ab homine depositio à Pontificatu fieri posse videtur, quia Papa non habet in terris superiorem, cap. Nunc autem dist. 21. In hac re sunt opiniones astruentes vtroque modo posse Pontificem dignitate priuari, propter diuersas causas. Nàm in casu hæresis, aiunt ab ipso Deo immediatè deponi, nullo expectato hominum iudicio. Ita Turrecremata lib. 2. cap. 102. lib. 4. par. 2. à cap. 18. Augustin. de Ancona de potestate Papæ artic. 5. Palud. in opusc. eiusdem argumenti, Driedo lib. 1. de liberr. Christian. c. 14. Cast. 2. de insta Hæreticorum punit. cap. 22. & 23. Simanchas institut. Catholic. cap. 21. Iacobat. 7. de Concilijs artic. 1. Salmeron. to. 12. tract. 83. Fundamentum est, quia omnis iurisdictio Ecclesiæ fundatur in fide, iuxtà id Corinth. 3. [Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, &c.] Quod exponens Augustinus de fide, & operibus cap. 16. [Si Christus, inquit, est fundamentum, etiam fides Christi.] Et ad Colos. 1. [In fide fundati.] Si ergo fides est fundamentum Ecclesiæ: ergo & est fundamentum Pontificatus, ac hierarchici ordinis ipsius Ecclesiæ. Confirmatur; nam propterea Matth. 16. videtur Christus petijsse priùs à Petro confessionem fidei, quàm illi hanc dignitatem promitteret. Confirmatur secundò: sæpè enim Patres indicant, nullum fide carentè posse habere iurisdictionem in Ecclesia. Cyprianus relatus cap. Nouatianus 7. quæst. 1. cap. Didicimus 24. quæst. 1. Ambrosius cap. Verbum, de pœnitentia qu. 1. Gelasius Papa, cap. Achatius 1. & Alexand. II. cap. Audiuimus 24. quæst. 1. Augustinus epistola 48. ad Vincent. & libro de Pastoribus. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 39. Confirmatur tertiò vulgari argumento: quia Hæreticus membrum Ecclesiæ non est: ergo nec caput. Item, Hæreticus nec salutari debet, sed omninò vitari, vt Paulus ad Tit. 3. & Ioannes in epistola 2. docet: ergo multò minùs obediri: denique, Hæreticus Pontifex Christum negat, & veram Ecclesiam: ergo seipsum, & suam dignitatem: ergo eo ipso dignitate priuatur.

Contra hanc sententiam dico secundò: in nullo casu, etiam hæresis, priuatur Pontifex sua dignitate, & potestate immediatè ab ipso Deo, absque hominum præeunte iudicio, & sententia. Ita hodie communiter opinantur, Caietanus de auctoritate Papæ cap. 18. & 19. Soto 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2. Cano 4. de locis cap. vltimo ad 12. Cordub. libro 4. quæst. 11. & infra agentes de pœnis Hæreticorum alios referemus, ac generaliter ostendemus, iure Diuino non priuari quempiam dignitate, & iurisdictione Ecclesiastica propter culpam hæresis. Nunc breuiter ratio à priori redditur: quia, cùm ea sit grauissima pœna, vt ipso facto incurratur, oportet iure Diuino expressam esse: nullum autem ius tale inuenitur, quod vel generaliter id statuat de Hæreticis, aut specialiter de Episcopis, aut specialissimè de Papa; nec item certa traditio de eo habetur: nec verè cadere potest Pontifex ipso facto à sua dignitate propter ius humanum: tùm quia illud esset latum vel ab inferiori, scilicet, Concilio, vel ab æquali, nempe prædecessore Papa: at neuter horum habet vim coactiuam, vt punire valeat Pontificem æqualem, vel superiorem: quare, &c.

Dices, posse haberi legem interpretatiuam iuris Diuini. Est tamen hoc commentitium, quia nullum tale profertur ius Diuinum: præterea nulla hactenus à Concilijs, vel Pontificibus lata lex est, quæ id ius Diuinum interpretetur. Confirmatur: quia eiusmodi ius perniciosum esset Ecclesiæ: minimè ergo credendum est fuisse à Christo institutũ. Probatur antecedens: quia si Papa Hæreticus occultus est, & ipso iure à dignitate caderet, omnia ab eo facta irrita forent. Dices, hanc rationem non probare, saltem de Hæretico notorio, & publico. Sed obstat, quia si Hæreticus etiam exterior, occultus tamen, adhuc potest esse verus Papa, eadem ratione poterit, esto delictum fiat notum, quamdiù de illo non pronunciatur sententia: tùm quia nullus incidit in pœnam, nisi vel ipso facto, vel per sententiam: tùm etiam, quia sic maiora incommoda sequerentur: incideremus nimirum in dubium, quanta deberet esse infamia, vt à dignitate cadere censeretur: sequerentur ergo schismata, & perplexa omnia redderentur, præcipuè si post infamiam per vim, vel modo alio retineret Sedis possessionem, plurésque actus sui muneris exerceret. Confirmatur secundò vrgentissimè: quia si accideret, Papam hæreticum fieri etiam exteriorem, sed occultum, qui postea resipisceret, ac verè pœniteret, omninò caderet perplexus: nam si per hæresim cecidit à dignitate, debet omninò Pontificatum cedere, quod est grauissimum, & ferè contra ius naturæ, scilicet nimirum prodere: retinere autem Episcopatum non posset, quia intrinsecè malum esset. Vnde ipsi

ipsi etiam contrariæ sententiæ Auctores fatentur, in eo casu posse retinere Episcopatum, atque esse revera Papam: quæ est communis sententia Canonistarum, cum Glossa cap. Nunc autem distinct. 21. Ex quo sumitur contra eos apertum argumentum: nam per pœnitentiam non restituitur à Deo Papalis dignitas, sicut gratia: inauditum est enim, qui verus Papa non sit, à Deo fieri Papam sine hominum electione, & ministerio. Tandem, fides non est omnimodè necessaria, vt homo sit capax spiritualis, & Ecclesiasticæ iurisdictionis, possitque exercere veros actus talem iurisdictionem exigentes: ergo, &c. Antecedens patet manifestè: quippè in extrema necessitate Sacerdos hæreticus potest absoluere, vt in materia de pœnitentia, & censuris docetur, quod non fit sine iurisdictione.

Ex quo fundamentum contrariæ sententiæ ruit: sicut enim fides non est fundamentum necessarium ad potestatem ordinis, quæ suo modo præstantior est: ita neque iurisdictionis. Ad hæc nullus, vt credo, Auctor dicet cum probabilitatis vmbra, per solam interiorem hæresim amitti dignitatem Papalem: quamvis sit certum amitti fidem. Nec adducta testimonia sunt ad rem; quia non est sermo de fundamento iurisdictionis, aut dignitatis Ecclesiasticæ, sed de primario fundamento totius Ecclesiæ, & iustificationis, ac omnium bonorum spiritualium, quod est Christus, & fides eius: nec etiam ex facto Christi cum Petro, sumitur probabile argumentum: aliàs eodem modo diceret aliquis, charitatem esse fundamentum Pontificiæ dignitatis: quia etiam Christus Petrum interrogauit, an se amaret: solùm ergo, vt supra etiam diximus sessione 4.num.4. voluit Christus ostendere, quæ essent necessaria in Pontifice, vt conuenienter posset munere suo fungi. Et eodem ferè modo loquuntur Patres, qui præterea volunt, Hæreticum mereri omni dignitate, & iurisdictione priuari: interdum etiam agunt de priuatis Episcopis, supposito iure Ecclesiastico, de quo infrà dicemus. Ad tertiam confirmationem vnico verbo respondetur, Papam hæreticum non esse membrum Ecclesiæ, quoad substantiam, & formam, qua constituuntur membra Ecclesiæ: esse tamen caput quoad officium, & influxum: quod non est mirandum: quia non est primum, & præcipuum caput sua virtute influens, sed quasi instrumentale, & vicarium primi capitis, quod potens est influxum spiritualem membris tribuere, vel per caput æneum: proportionali enim ratione per Hæreticos interdum baptizat, interdum etiam absoluit, vt dictum est.

Dico tertiò: Si Papa sit Hæreticus, & incorrigibilis, cùm primùm per legitimam Ecclesiæ iurisdictionem sententia declaratoria criminis in eum profertur, desinit esse Papa. Est communis Doctorum. Colligitur ex Clemente I. epistola 1. vbi ait, Petrum docuisse, hæreticum Papam esse deponendum, Fundamentum autem hoc est: quia grauissimum foret nocumentum Ecclesiæ, talem habere Pastorem, nec posse sibi subuenire in tam graui periculo. Præterea contra dignitatem Ecclesiæ facit, subditam manere hæretico Pontifici, neque posse illum à se depellere: nam qualis est Princeps, & Sacerdos, talis solet existimari populus: hoc item confirmant rationes prioris sententiæ, illa præcipuè, quod hæresis vt cancer serpit; propter quod malum, Hæretici quoad fieri potest, vitandi sunt: multò verò magis Pastor hæreticus: quomodo autem vitari potest, si Pastor esse non desinat?

Circa hanc verò conclusionem sunt nonnulla explicanda. Primò, à quo ferri debeat huiusmodi sententia? Quidam enim dicunt à Cardinalibus ferendam, & potuisset quidem Ecclesia hanc causam illis committere: præcipuè si ex consensu, vel ordinatione Summorum Pontificum ita esset statutum, sicut de electione factum est: sed non legimus, hactenus iudicium hoc illis esse commissum: ideòque dicendum, per se pertinere ad omnes Ecclesiæ Episcopos: nam, cùm illi sint ordinarij Pastores, & columnæ Ecclesiæ, ad illos credendum huiusmodi causam interesse: & cùm ex iure Diuino non sit maior ratio de his, quàm de illis, atque iure humano nihil de hoc sit statutum, necessariò dicendum, spectare ad omnes, atque adeò ad generale Concilium: & ita communis sententia Doctorum habet: videri que possunt, quæ circa hoc punctum fusè satis tractat Cardinalis Albanus in opere de Cardinalibus quæst. 35. & habetur inter tractat. editionis anni 1584. in to. 19. par. 2.

Tunc autem occurrit secundum dubium, quomodo posset tale Concilium legitimè congregari, cùm legitima congregatio ad Papam spectet? Respondetur primò, fortasse non oportere cogi proprium Concilium generale, essetque satis in singulis regionibus Concilia Prouincialia, vel nationalia conuocari ab Archiepiscopis, vel Primatibus, & omnia in eadem sententia conuenire. Secundò, cùm Concilium generale conuenit ad res fidei definiendas, vel ad vniuersales leges ferendas, tunc oportere, vt legitimum sit à Papa indici: ad hoc verò negocium, quod peculiariter Pontificem ipsum concernit, eique quodammodò contrarium est, legitimè congregari posse, vel à Collegio Cardinaliũ, vel ex consensu Episcoporum: atque si Pontifex tentaret huiusmodi congregationem impedire, non fore illi parendum: quia contra iustitiam, & commune bonum abuteretur summa potestate.

At hinc oritur tertia dubitatio, quo iure possit ab illa congregatione Papa iudicari, cùm esset illa superior? Qua in re Caietanus se mirè vexat, ne cogatur admittere, Ecclesiam, vel Concilium stare supra Papam, in casu etiam hæresis: tandem verò concludit, suprà Papam quidem stare vt priuatam personam, non vt Papam. Sed non satisfacit distinctio: nam eodem modo posset affirmari, Ecclesiam iudicare Papam valere, atq; punire, non vt Papam, sed vt priuatã personam: item, quia Papam superiorem esse in quantum Papam, nihil est aliud, quàm eam personã ratione dignitatis, esse exemptam ab omni iurisdictione hominis alterius, & habere iurisdictionem in alios, vt patet de quacumque alia dignitate: & explicatur; nam dignitas Pontificia non facit superiorem abstractè, & metaphysi-

physicè, sed reuerà, & in indiuiduo superiorem nulli subiectum: ergo, &c. atque ita intellexit rem hanc Concilium tempore Marcellini congregatum, cùm declarauit, [primam Sedem à nemine iudicari:] id enim dixit de illamet persona Marcellini, quæ priuata profectò erat. Ita quoque refert Nicolaus Papa epistola ad Michaelem Imperatorem, vbi meminit similis decreti editi in Concilio Romano sub Syluestro, & plura statim afferemus.

Alij ergo fatentur, Ecclesiam in casu hæresis esse Pontifice superiorem; sed difficile hoc dictum est. Nam Christus Dominus Papam constituit absolutè supremum Iudicem; Canones etiam indifferenter, & generaliter id affirmant, ac tamdem Ecclesia nullum actum iurisdictionis exercere valet in Papam, neque confert illi potestatem eligendo, sed personam designat, cui Christus per se confert potestatem: quando ergo Ecclesia Papam hæreticum deponeret, non ipsa, tamquam superior id præstaret, sed ex consensione Christi Domini iuridicè declararet, eum Hæreticum esse, atque adeò prorsùs indignum Pontificis dignitate, tuncque ipso facto immediatè à Christo deponeretur, depositusque maneret inferior, ac posset puniri. Addendum verò, quamuis Ecclesia ante suam declarationem nihil possit in hęreticum Papam, per modum superioris, & habentis iurisdictionem in illum; naturali tamen iure suæ defensionis, posse illum coercere, si fortè nocumentum aliquod machinetur in Ecclesiam, aut congregationem Concilij generalis impedire conetur. Vndè verò constet, iure diuino statim deponi Pontificem lata Ecclesiæ sententia? Respondeo primò, iam attulisse me testimonium Clementis ex ore Petri. Secundò, sacras Scripturas, quæ præcipiunt vitare Hæreticos, hoc satis indicare. Tertiò, ex communi consensu Ecclesię, & Pontificum id haberi. Quartò, rationem naturalem ita docere; quia non est credendum, Christum destituisse Ecclesiam omni remedio in tanto periculo; quod verò adduxi, maximè accommodatum apparet causæ, de qua disputamus.

Dubitari potest quartò, de Papa semel hæretico, sed iam emendato. Caietanus suprà docet, non debere, aut posse deponi, quòd iam Hæreticus non sit, vt habetur in capite, dixit Apostolus, vigesimaquarta, quæst. 3. colligique potest ex facto Marcellini cap. nunc autem, dist. 21. vbi Gloss. assentit. & cap. si Papa, dist. 40. vbi Canonistæ id opinantur: & videtur planè vera sententia, præcipuè cum moderamine Caietani, ad monendum, scilicet, esse hæreticum Papam semel ac iterum, resipiscentemque non esse deponendum: quòd si nimium fuerit contumax, vel certè relapsus, crediderim posse, & debere deponi, etiamsi errores corrigat, & perseuerantiam iuret, iuxta id primæ ad Timoth. 3. [Hæreticum hominem post primam, & secundam monitionem deuita.] Immò ait Iacobatius lib. 8. de Concil. art. 2. planam esse mentem Canonistarum, hoc procedere, quando Papa incidit in hæresim, nondum ab Ecclesia apertè damnatam, animaduersusque statim resipiscit: quòd si errauerat contumaciter, contra veritatem iam apertè definitam, nihil esse expectandum, sed illicò deponendum; tum, quia is iam censetur semel, ac millies admonitùs, neque postcà vrgendus erit maiori auctoritate, quàm sit ea, à qua desciuerat; tum, quia semper grande imminet periculum, ne illius conuersio ficta sit. Quæ certè omnia probabiliter dicta sunt; procedunt tamen supponendo, verum Pontificem posse incidere in hæresim. Quod licèt multi verisimiliter affirment; mihi tamen breuiter, & magis pium, & probabiliùs videtur, posse quidem Papam, vt priuatam personam errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia. Quamuis enim efficere Deus possit, vt hæreticus Papa non noceat Ecclesiæ; suauior tamen modus diuinæ prouidentiæ est, vt, quia Deus promisit Papam definientem numquam erraturum, consequenter prouideat, ne vmquam ille Hæreticus sit. Adde, quod hactenus in Ecclesia numquam accidit, censendum ex Dei ordinatione, & prouidentia accidere non posse. Vide Pigbium lib. 4. Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 8. Simanchas in institutionibus Catholicis, tit. 12. num. 14. Et idem incommodum sequeretur, si occultus hæreticus in Papam eligatur, quod nullus, quem viderim, negat esse possibile: si ergo tale quid accideret, non videtur dubitandum, posse eiusmodi Pontificem cum sua hæresi perseuerare. Quidquid verò sit de his casibus, credendum omninò est, Deum numquam permissurum, vt Ecclesia ad eas angustias deueniat, quas dubia suprà tacta supponunt: nam, si talis quispiam Pontifex inciperet Ecclesiam administrare, vel illum Deus confestim de medio tolleret, vel certè prouideret, qua ratione tantum malum breui extingueretur, vt in casibus minùs vrgentibus videmus hactenus semper fecisse.

Ex quibus iam expediuntur duo alia, quæ occurrebant dubia. Quintum erat: si Papa innocens, probaretur hæreticus, num posset deponi? atque si deponeretur, an teneret factum? Primò, ego negarem talem casum esse possibilem, non solùm, quia Spiritus Sanctus non permitteret rem adeò perniciosam vniuersæ Ecclesiæ; verùm etiam, quia non posset Pontifex probari nocens iuridicè, nisi post legitimum Concilium ad eam causam congregatum: non posset autem congregari legitimè, nisi postquàm inciperet esse notorium, ac satis manifestum crimen Pontificis: difficile autem creditu esset, falsum crimen, quodque numquam ipse publicè professus est, esse posse omnibus existimatum euidens. Secundò, admittendo casum, non posset in illo deueniri ad iustam sententiam depositionis; quia si ipse innocens est, facilè abiurabit omnem hæresim, & probabilissima saltem signa suæ innocentiæ ostendet; qui autem ita se geret, non poterit iustè deponi, vt diximus. Quòd si tamdem fingatur casus, in quo iustè possit ita damnari; vt, si falsis criminationibus accusaretur, probareturque relapsus: dicendum in eo casu, ipsum teneri ad obediendum, & propter dubium, quod esse posset in Ecclesia de vero Pastore, obligari ad renuntiandum sponte, vt maximum Ecclesiæ damnum euitetur. Quòd si fortè renuntiare detrectet, crediderim manere verè depositum; quia sententia est simpliciter iusta, neque potest alio modo Ecclesiæ sufficiēter subueniri.

Sex-

Sextum dubium erat, quid in præsenti quæstione dicendum, si Papa exterius tantùm esset hæreticus? Respondendum breuiter, si vi coactus idololatriæ actum exerceat, vel hæresi subscribat, posteàque fateatur inuitum se id fecisse, ac neget se ita sensisse, vel adhuc sentire, non posse eo in euentu condemnari, aut deponi, vt ex facto Marcellini constat: attamen, si voluntariè deliberasset, & tamquàm ex propria sententia exteriùs professus fuisset hæreticam doctrinam, quicquid sit de interiori eius fide, eadem ratione, & modo contra eum procedi posset, qua contra quemlibet alium hæreticum; tum, quia Ecclesia de interioribus, seu occultis minimè iudicat; tum, quia non minùs noceret Ecclesiæ talis Pontifex, quàm si esset verus hæreticus. Vnde, si in hæresi exteriùs persisteret vsque ad condemnationem, & depositionem; quantumlibet interiùs numquam amisisset fidem, sententia valeret, effectumque sortiretur; neque de illius dictis curandum esset, quicquid asseueraret se numquam interiùs fidem negauisse.

Dico quartò: Extra casum hæresis, non potest verus, & indubitatus Pontifex, etiamsi iniquissimus sit, dignitate sua priuari. Est certa, & communis conclusio Diui Thomæ in quarto, dist. 19. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. ad 2. & aliorum in eadem distinctione agentium de fraterna correctione. Caietani opusc. de auctoritate Papæ, par. 1. cap. 27. Turrecrem. lib. 2. c. 98. & seq. & illorum, quos in cap. 93. adducit. Item Antonin. 3. par. tit. 22. cap. 4. §. 3. Augustin. de Ancon. quæst. 5. Iacobat. lib. 9. de Concil. art. 12. habetur etiam inter tract. tom. 13. par. 1. à pag. 342. editionis 1584. Turrian. lib. de Pap. & Concil. Albert. Pighij lib. 6. de hierarch. eccles. cap. 14. & 15. Cordub. lib. 4. quæst. 6. Probatur 1. quia Papa, quamtumuis iniquus, verus est Papa: ergo habet supremam potestatem: ergo illi est obediendum; iuxta id 1. Petri 2. [Non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis, & Matth. 23. [Super Cathedram Moysis.] Rectè Tertullianus lib. de præscript. cap. 3. [Ex personis probamus fidem; non ex fide personas.] Colligitur etiam ex Luc. 12. [Quis, putas, est fidelis seruus? &c.] quasi non aliam essentialem formam postulet, quàm fidem. Vnde omnes Pontifices suprà citati, sicut affirmant, in causa hæresis posse Ecclesiam de Summo Pontifice ferre iudicium; ita simpliciter id ipsum negant extra illum casum, & hoc sensu passim pronuntiant Papam à nemine iudicari. Vide citatos in conclusione tertia. Certè Adrianus Papa secunda epistola synod. ad octauam Synodum, vt habetur etiam Actione septima, & Canone 21. in tom. 4. Concil. dicit, non esse afferendas accusationes contra Papam, & generale Concilium; neque (si afferantur) propter eas ferendam esse de illo sententiam. Concilium quoque Lateranense sub Alexandro III. & habetur cap. licet de electione, docet, Sedem Romanam non habere in terris, à quo propter sua crimina iudicetur: & idem habetur in Extrauaganti, Vnam sanctam de maioritate, & obedientia. Idem confessi sunt Patres illius Concilij pro facto Marcellini, & habetur cap. Nunc autem distinct. 21. in qua dist. multa alia referuntur, præcipuè ex Nicolao Papa, epistola ad Michaelem Imperatorem, vbi veritatem hanc rectè confirmat. Idem docuit Concilium congregatum in simili causa, tempore Sixti Papæ, atque ipse Sixtus cap. mandastis secunda, quæst. 5. Pariter etiam Concilium aliud tempore Symmachi habetur secundo tomo Conciliorum. Item aliud Romæ coactum tempore Caroli Magni, qui de vita Leonis III. inquiri, & iudicari volebat: respondit verò Concilium, Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum caput, à nemine iudicari. Habetur in 3. tomo Concil. in Leone III.

Dicet aliquis, hæc solùm probare, Pontificem non posse iudicari directè, vt inferiorem; posse tamen iuridicè declarari delictum eius, quo ritè declarato, ipso iure diuino Papa depositus censeatur, sicut etiam de hæresi dicebamus: videtur enim par ratio; quia non minùs incommodum potest afferre Ecclesiæ iniquus Pontifex per alia crimina, quàm per hæresim; ac naturale ius esse videtur, vt è medio tollatur Princeps tyrannus, aut Pastor ouium dissipator. Vnde & Christus membrum abscindere consulit pro salute corporis. Occurrendum, potuisse quidem Christum Dominum ita constituere, si voluisset, non fecisse tamen, vt omnia testimonia adducta probant, dum solùm excipiunt casum hæresis; sicut etiam constat ex Bonifacio II. in cap. si Papa dist. 40. & cap. electionem, distinct. 79. cap. oues, secunda, quæst. 7. & cap. nemo, cap. aliorum, cap. cuncta 9. quæst. 3. & alia multa, quę adducit Turrecremata supra cap. 102. Vnde August. 2. contra epist. Perilian. cap. 51. [Cur criminaris, inquit, Cathedram Apostolorum, in qua Petrus sedit? &c.] Idem scribit lib. 1. cap. 3. & lib. 2. contra epist. Parmeniani, cap. 11. Neque certè expediuisset, Christum ita constituere, primò, ne occasio sumeretur multorum schismatum; facilè enim negotio excogitarentur crimina, quæ depositione digna iudicarentur. Secundò, quia multò maior est ratio de hæresi: per eam enim constituitur Pontifex extra Ecclesiam; & ideò meritò excludendus venit, vt ineptus ad illam regendam. Tertiò, hæresis crimen certum est ac designatum; si verò ad alia crimina licentia extenderetur, nullus esset terminus accusationum, & calumniarum. Denique, si aliter res esset constituta, possent oues se gerere erga Pastorem tamquàm iudices, & superiores; quod est contra rectum ordinem, & rationem.

Porrò contra ipsam conclusionem sentit Glossa cap. si Papa dist. 40. Et consentiunt Canonistæ quidam, alijque cum Abbate capite, significasti de electione, volunt, scilicet, Papam deponi posse ob notoria crimina illa, quæ graue scandalum afferant Ecclesiæ, si tamen incorrigibilis ostendatur. Argumenta eorum referunt Caietanus, & Turrecremata suprà, & Bellarmin. libro 2. de Roman. Pontif. à cap. 27. Quædam verò sumuntur ex naturali ratione, quæ à nobis insinuata iam sunt, & ferè soluta: ostendimus enim, non esse parem rationem de hæresi, & alijs criminibus; atque naturale ius in hac parte nonnisi conuenientem defensionem concedit; quæ potest ab Ecclesia procurari, & adhiberi absque

que

que iudicio, vel depositione Pontificis. Si enim aliquid statuat contra bonos mores, non erit illi parendum. Si quidpiam tentet contra manifestam iustitiam, & commune bonum, fas erit illi resistere. Si vim inferat, vi poterit repelli, cum moderamine inculpatæ tutelæ: Alia deindè argumenta sumuntur ab auctoritate. Prima est Clementis Romani ex ore Petri, Papam se mundanis actibus inserentem dignum esse, qui deponatur: sed nequaquam eo in loco narratur, si faciat, proptereà debere deponi. Secunda Pauli Petrum reprehendentis ad Galatas secundò; sed aliud est fraternè corrigere, aliud iudicare. Tertia eorum Pontificum, qui se canonicè purgarunt coram Ecclesia, vel Concilio, de criminibus sibi obiectis, vt patet in Concilijs, & in iuribus numero decimoquarto citatis. Respondetur, id non fecisse coactos, nec ex obligatione iustitiæ, vt ex ipsis etiam Concilijs citatis constat; sed ex charitate, ne scandalum suis ouibus crearent. Quarta, quia historiæ circumferuntur, in quibus narratur, Pontifices fuisse depositos extrà casum hæresis, vt Ioannem XII. Eugenium in Concilio Basiliensi; occurrendum, quicquid tale actum sit contra verum, & indubitatum Papam, merum fuisse schisma, & inanem violentiam, quæ effectum non est consequuta; de quo latè Turrecremata suprà; & libro quarto, parte prima, capite nono. Pighius lib.6. c.19. Ex his iam.

Dico quintò: Verus, & indubitatus Pontifex, nisi in perpetuam incidat amentiam (in quo casu ipso iure diuino priuatur) quamuis multis alijs incommodis, & calamitatibus impediatur, nec possit Ecclesiam commodè gubernare, in sua perstat semper dignitate, nec potest illa priuari. Sub hac conclusione comprehendo plurimos euentus, de quibus Caietanus, Turrecremata, & Pighius suprà latè disputant, cum eisque in omnibus conuenio. Nam perpetua amentia æquiualet morti, quoad vsum rationis, & libertatis, atque adeò, quoad capacitatem iurisdictionis, & dignitatis. Probatur etiam rationibus supra factis in numero decimoquinto: etenim, si liceret casus alios fingere, in quibus esset Papa deponendus, vt propter nimiam senectutem, aut captiuitatem perpetuam, ac similes, daretur occasio schismatum, & sæpè iure, vel iniuria verus Pontifex in dubium vocaretur: omninò ergo oportuit præcludi viam seditionibus, & perturbationibus Ecclesiæ, circa verum Pontificem.

Volunt autē quidam, teneri in huiusmodi casibus Pontificem renuntiare Episcopatui; quod fortasse verum est, quando impedimentum eius in magnum vergeret Ecclesiæ detrimentum, & nulla vis, & iniuria inferretur Pontifici ab ipsis fidelibus: quandiù verò Papa valet aliàs sufficienter prouidere Ecclesiæ, non tenebitur renuntiare; idemque censeo, si ex iniuria, & inobedientia fidelium subditorum proueniat, quominùs possit conuenienter fungi suo munere; quia fraus, & iniquitas nulli fauere debet, quamuis in hac parte regula charitatis esset Pontifici consulenda. Neque verò, si casu aliquo ad renunciandum in conscientia obligaretur, posset ab Ecclesia deponi, vel cogi ad renuntiandum, quia nec illi superior est, nec in illum habet vim coactiuam: Minimè probo limitationem quorundam, si Papa iuramento promiserat se renunciaturum, posse ab Ecclesia cogi ad seruandum iuramentum: nam, quicquid sit de talis iuramenti valore, & obligatione; quicquid etiam de licita, aut illicita eius transgressione, nequaquam ob id posset cogi ab vllo, qui eodem Pontifice superior non esset; præcipuè, cùm possit secum ipse dispensare, ex causa probabili; aut certè, si causa deesset, proptereàque relaxatio non valeret in conscientia, non ideò pertineret ad subditos causam, valoremque dispensationis expendere. Sed, quid si Papa ob perpetuam amentiam depositus ad se redeat? Respondeo, si prudenter, & humano modo sufficienter examinata res fuit, ac tandem iudicata, verè depositum manere; quia negotium hoc non debet ex futuro contingenti dependere. Interrogabit etiam quispiam, an possit Pontifex humano iudicio se sponte submittere? resolutio tamen ex iam tractatis facilis relinquitur.

Dico sextò: Dubius Pontifex, quando non potest Ecclesiæ certa ratione constare, an verè fuerit electus, per Ecclesiam deponi valet. Hoc constat ex vsu Ecclesiæ; ita enim factū est in Constant. Concil. ac iure legitimo factum est. Et ratio reddi potest; quia in eo casu non datur verus Papa in conspectu Ecclesiæ, quæ proindè minimè tenetur illi obedire: manet ergo ius Ecclesiæ ad eligendum Pontificem verum, cui teneatur obedire, atque adeò ad deponendum dubium. Neque hinc fit Ecclesiam esse Pontifice superiorem; quia tantum hoc detinet ad potestatem illum eligendi. Vnde, si contingeret vno quopiam rectè, & ritè electo, Cardinales proximè post designationem, rem vertere in dubium, generarique schismata; posset Concilium generale de negotio cognoscere, ac pro ratione causæ, aut electum confirmare, aut deponere: quia, quamuis eligendi ius concessum sit Cardinalibus; censendum tamen ea lege fuisse concessum, vt possit semper Ecclesia fieri certa de veritate sui capitis: in casu ergo quo non possit, ius sibi reseruauit conuenienter prouidendi. Est enim hoc, & ipsi rationi naturali consentaneum, & ad bonum Ecclesiæ regimen necessarium. Vnde, si forte Papa verè coram Deo electus iustè deponatur, verè ac validè deponatur, ad eum modum, quo de Papa hæretico diximus numero duodecimo. Et hæc de Summo Pontifice pro hac disputatione dicta sufficiant: cætera de illis auctoritate quoad doctrinam, & mores pro tota Ecclesia, videri possunt superiùs in disputatione quinta, sectione octaua.

DISPVTATIO XI.

De Concilijs.

DVo ficut in fuperioribus, in difputatione hac explicanda occurrunt. Alterum, quid Concilium fit, & quomodo congregari debeat,& confirmari. Alterum, quam auctoritatem in fuis habeat definitionibus. Porrò circa nomen Concilij, & varia eius genera, videantur, quæ in difputatione quinta, fectione feptima, notata funt. Solùm de tertio genere addendum, Concilia generalia potiffimùm ad generales caufas, & dogmata fidei definienda congregari; quam confuetudinem ab Apoftolis initium habuiffe ex decimoquinto cap. Actorum conftat, ex quo intelligimus, rationem hanc congregandi Concilia à Chrifto Domino manaffe: atque ad hoc accommodari folent verba illa Matthæi decimo octauo: [Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi fum ego.] Patetque ex Concilio Chalcedonenfi, Actione prima, Concil. Tolet 15. Cæleftino in epiftola quadam ante Concilium Ephef. Nec enim placet, quod Pighius libro 6. hierarch. capite primo, fentit. congregationem horum Conciliorum effe ex humana inftitutione: nifi fortaffe intelligat, quantùm ad tempus, & ordinationem; vel quia fortaffe non eft fimpliciter ex præcepto diuino, vt hæc Concilia congregentur. Nam poteftas, & ratio illa congregandi, à iure diuino fine dubio habet originem, vt latiùs dicemus; quin potiùs fuppofita fide, & inftitutione Ecclefiæ à Chrifto facta, eiufque gubernatione, quafi naturalis ratio dictat talium Conciliorum celebrationem: eft enim naturale homini, in grauiffimis rebus multorum fententias, & confilia expectare.

Ex quibus etiam intelligi poteft eiufmodi Conciliorum neceffitas, quæ multiplex effe poteft. Primò, extirpatio graffantis hærefis, vel fchifmatis, quod interdum grauiter Ecclefiam premit, vt ex citat. Actor. 15. colligitur. Secundò, definitiones, vel declarationes fidei, toti Ecclefiæ neceffariæ, quæ rectè fiunt conuenientibus totius chriftiani orbis capitibus. Tertiò communium legum condendarum ratio: conuenientibus enim ex totius orbis partibus Epifcopis, ac Legatis, meliùs conftat, quid omnibus Ecclefijs expediat. Denique, ad fimiles alias generales, vel grauiffimas caufas tractandas perneceffaria funt vniuerfalia Concilia, vbi multorum deliberatione meliùs illæ definiuntur, vt dicitur cap. Prudentia, de officio deleg. cap. De quibus, dift. 20. quæ omnia videre licet in Concilijs generalibus hactenus congregatis, quæ in principio Ecclefiæ poft Apoftolos per aliquot annos celebrari non potuerunt propter Imperatorum, & Principum contradictiones, & perfecutiones. Vnde tunc temporis Pontifices per epiftolas folùm decretales neceffitatibus Ecclefiæ præfto erant.

Poftmodum verò à temporibus Conftantini, introduci cœperunt, Nicænum primum contra Arium; Conftant. primum contra Macedonium; Ephefinum contra Neftor. Calcedonenfe contra Eutychen. Conftantin. fecundum contra Petrum Antiochenum, & reliquias Neftorianorum. Conftantin. tertium contra Monotelitas; Nicænum fecundum contra Iconomac. 8. Synod. quæ eft etiam Conftantin. 9. contra Photium, Iconomac. & Lateranenfe fub Innocentio III. pro reformanda Ecclefia Lugdun. fub Gregorio X. pro vnione Ecclefiæ Græcæ. & reformatione vniuerfalis Ecclefiæ: Lugdunenfe aliud, fub Innocent. IV. contra Federicum Imperatorem fchifmaticum; Conftantienfe ad tollendum fchifma competitorum trium, qui fe Pontifices appellabant; Bafilienfe ad reftaurandam difciplinam Ecclefiæ, quod tamen ad debitum finem non peruenit; Florentinum pro vnione Ecclefiæ orientalis; ac denique, Trident. contra Lutheranam hærefim, aliafque plures, & ad Ecclefiæ vniuerfalis mores reparandos. Atque hæc funt potiffima Concilia generalia, ex quibus fatis colligitur finis, & neceffitas ea congregandi, & talis aliqua deprehenditur in cæteris, quæ in Ecclefia fuerunt coacta: & hæc de quæftione, an eft, videntur fatis. Sequitur dicendum, quid hoc Concilium fit, vel ex quibus partibus conftare debeat?

SECTIO PRIMA.

Vtrùm ad Concilia generalia debeant foli Epifcopi conuenire?

COnftat varijs rationibus, & titulis varios etiam homines ad huiufmodi Concilia vocari poffe. Alios quidem, qui Patres congregatos tueantur, & feditiones omnes vitandas curent: fic vocari poffunt feculares Principes, aut Legati, vel Duces eorum. Alios, vt negotia tractent, vel fui rationem in Concilio reddant: fic vocari poffunt non folùm Principes feculares, fed etiam Hæretici, Schifmatici, & cuiufuis conditionis homines. Alios, vt difcutiant res tractandas, fintque à confilijs ipfis Patribus: fic vocari folent fapientes cuiufque conditionis, vel dignitatis viri. Alios denique tamquam propria membra Concilium conftituentia, qui ex officio vendicant actiua fuffragia in Concilij definitionibus, & ftatutis: atque hi funt, qui propriè conueniunt, & de quibus inftituitur difputatio.

In qua, prima fententia Hæreticorum, iudicium fidei tribuit non minùs laicis, quàm Ecclefiafticis, fœminis, quàm viris, indoctis, quàm doctis. Fundamentum eft: quia fola vniuerfalis Ecclefia habet priuilegium non errandi in fide, & ideò nifi tota Ecclefia conueniat, iudicium non erit infallibile: omnes autem numerati membra funt vniuerfalis Ecclefiæ. Confirmatur primò, quia certitudo huius iudicij non eft ex fexu, vel ex humana doctrina, fed ex Spiritus fancti infpiratione; omnes autem recenfiti doceri poffunt à Spiritu fancto, fi velint. Confirmatur fecundò; quoniam fideles effe debent ita in fide inftructi, vt poffint rationem reddere fuæ fidei, 1. Petri 3. Et Chriftus Dominus omnibus fidelibus dicit: [Scrutamini Scripturas, Ioannis

nis quinto. Tandem huic errori fauere videtur Nicolaus Papa in cap. Vbinam, 96. distinctione, vbi Glos. verbo, Pertinet, in illum inclinat.

Secunda sententia, quæ præcedentem moderatur, ait, non omnes quidem laicos, sed primarios quosdam viros, & Doctores debere vocari, vt ex omnibus conditionibus, & statibus hominum, aliqui conueniant, & vt, quæ ad omnes spectant, ab omnibus approbentur, iuxtà regulam iuris capit. quod omnes, de regulis iuris, in 6. Confirmatur: cur enim, si laici doctiores sint, quàm Sacerdotes, excludantur à iudicio, quod ex scientia, & doctrina maximè pendet? Confirmatur secundò exemplis: nam Moyses laicus in causis fidei iudicauit; Dauid, & Salomon sacras literas scripserunt; in antiquioribus Concilijs laici aderant, & subscribebant. In Concil. quidem Chalcedon. viri Patricij, Consules, & Senatores in omnibus ferè Actionibus inter Legatos Pontificis, & Patriarchas sedent, & munera Iudicum exercent, apud Nicephor. lib. 15. cap. 16. In 6. Synodo, Actione prima, Imperator præsidere dicitur, quod fernatur ferè in toto illo Concilio. Et in 8. Synodo similiter præest Basilius Imperator cum multis Patricijs, & in eisdem Concilijs laici subscribunt; immò Basilius Imperator, cùm rogaretur subscribere, ait, [tranquillissimum imperium nostrum sequutum præcedentes Imperatores, Constantinum, Theodosium, Martianum, vnle subscribere.] Ex quo intelligimus, alios idem fecisse, denique in Concilio Toletano III. & Arausic. reperimus laicos subscripsisse.

Tertia sententia negat quidem necessarium esse, laicos ad Concilium generale conuenire; affirmat tamen posse à Pontifice vocari, ac ferendi suffragij facultate donari. Ita Waldens. lib. secundo doctrinal. fidei, capit. 19. quem Cano lib. 2. cap. 7. & lib. 4. cap. 4. conclus. 4. refellit.

Quarta sententia excludit vniuersim laicos à Concilio; non tamen Sacerdotes omnes, non Episcopos, non Abbates: nam Religiosi, præcipuè Generales familiæ cuiusque, & similes alij de iure videntur pertinere ad Concilium. Vnde vsus obtinuit, vt conuocentur, quemadmodum factum videmus in Bullis Iulij III. & Pij IV. connotationis ad Concilium Tridentinum, & ex cap. Adrianus, 63. dist.

Dico primò: Non est de ratione generalis Concilij, vt omnia omninò Ecclesiæ membra ad illud conueniant, Est de fide, & ferè euidens in lumine naturali, partimque probata in superioribus, vbi ostendimus, in Ecclesia esse ordinem hierarchicum; & alios esse Pastores, & Doctores; alios, qui pascantur, ac doceantur. Apertè hoc confirmat exemplum Apostolorum Actor. 15. atque vsus posteriorum Conciliorum, quæ illud sunt imitata. Præterea, tam numerosa congregatio esset prorsùs impossibilis, vnde ab Hæreticis malitiosè conficta est, vt auctoritatem Conciliorum destruant, excogitaro impossibili modo illa congregandi. Ad hæc rationi etiam naturali aduersatur, vt fœminæ, & idiotæ homines, qui nihil nouerunt de traditionibus Ecclesiæ, nihil de difficultatibus fidei, de Sanctorum explicationibus, de Pontificum decretis, & alijs, quæ omninò necessaria sunt ad iudicium ferendum in rebus grauissimis, quin etiam prudentia carent necessaria ad condendas leges, & vniuersam Ecclesiam gubernandam, vt, inquam, in generali Concilio Iudices, Doctores, & Legislatores constituantur: quamuis enim Concilium præcipuè Spiritus sancti auxilio, & inspiratione perficiendum sit; attamen idem Spiritus sanctus dictat, vt homines prudenti, & rationabili modo procedant: itaque conclusio hæc euidentior est, quàm vt probatione indigeat, & ex sequenti ampliùs patescet.

Dico ergo secundò: Nullus laicus est necessariò ad Concilium vocandus, vt iudex sit, & suffragium ferat. Est de fide, primò ex Scriptura docente munus esse Sacerdorum Scripturam sacram, & doctrinam fidei explicare, ac tradere laicis; cuius rei multa testimonia adducta sunt in superioribus, nunc breuiter ex Testamento veteri ostenditur, Ezech. 44. [Sacerdotes Leuitæ populum meum docebunt, &c.] Aggæi 2. [Interroga Sacerdotes legem.] Malach. 2. [Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.] Exod. 19. [Veniam ad te, vt audiat me populus, & credat tibi in perpetuum.] Deuteronom. 17. [Si ambiguum iudicium, &c. venies ad Sacerdotes.] Idem constat ex Testamento nouo ad Eph. 4. [Quosdam dedit Apostolos; alios Pastores, & Doctores.] Actor. 20. [In quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.] Matth. 5. [Vos estis lux Mundi.] & cap. vlt. [Euntes docete, &c.] & Luc. 10. [Qui vos audit, me audit.] & alijs, quibus supra disp. 9. sect. 5. num. 3. ostendimus, Ecclesiæ regimen ad laicos minimè pertinere.

Secundò probatur ex traditione, quæ primùm sumi potest ex Concilijs omnibus generalibus. Nam Actor. 15. Apostoli ipsi cum Presbyteris conueniunt, & definiunt; reliqua multitudo audit, & obedit. In Nicæno primò soli Episcopi 318. iudicant, & definiunt, & Imperator Constantinus fatetur, fidei defensionem ad se non pertinere, & humiliorem locum sibi deligit. Ita Euseb. lib. 3. de vita Constant. Ruffinus libro primo, cap. secundo, Socrates libro primo, cap. 8. Theodor. lib. 1. cap. 7. In Chalcedon. Actione prima, & in Ephes. 1. soli Episcopi conueniunt, dant suffragia, & subscribuntur, & in 8. Synodo, Can. 17. expressè reijciuntur asserentes, Concilia non posse congregari absque secularibus Principibus, idque contra Canones, & perpetuam Ecclesiæ consuetudinem esse dicitur. Idem constat ex Synodis alijs vsque ad Tridentinum. Eiusdem traditionis testes sunt Pontifices Clemens I. epistola 5. habetur cap. Relatum. 35. d. & lib. 10. recognic. habetur, documentum hoc Clementi à sancto Petro esse relictum. Nicolaus Primus Episcopus ad Michael. Imperat. Gelas. epistola ad Athanas. Augustum.

Tertiò: Eadem consuetudo, seu traditio colligi potest ex dictis, & factis Imperatorum, ac Principum secularium; de Constantino iam diximus: simile quid fecisse Theodosium constat ex epistolis eius ad Con-

cilium Ephesi, cap. Satis, dist. 95. & apud Socratem. & Theodoretum suprà, & Euagrium libro primo, cap. 4. De Valentiniano refert simile quippiam Sozom. lib. 6. cap. 7. Basil. Imperat. in 8. Synodo, Actione 10. negat, & ad se, & ad vllum laicum pertinere ecclesiastica negotia tractare. Euagr. lib. 3. cap. 4. & Liberatus libro secundo Breuiarij, cap. 16. In quarta etiam Romana Synodo sub Symmacho, refertur similis confessio Theodorij Regis Ariani. Et Victor. lib. secundo persecut. Vandal. adducit aliud ex Henrico Rege. Extat etiam de hac re optima epistola Pulcheriæ Augustæ inter præambulas ad Concilium Chalcedonense. Denique Iustin. Imperat. in 8. Synodo, in causis fidei, & religionis, imperiale iudicium Sacerdotum iudicio submitti pronunciat.

Quartò, tandem eadem traditio constat ex Patribus, Ignatio Episcopo ad Smyrnen. Dionysio epistola 8. ad Demophil. Tertullianus etiam de præscriptione, latè irridet Hæreticos, qui laicis attribuunt hæc sacerdotalia munera. Ambros. optimè epist. 34. contra Maxen. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotibus, & homil. 4. de verbis Isai. August. epist. 48. & 166. & 167. Cyrill. epistola 4. Athanas. epistola ad solitariam vitam agentes: vbi refert verba Osij Cardubeo. ad Constant. Imperat. [Ne te immisceas Ecclesiasticis; nec nobis in hoc genere præcipe, sed à nobis disce.] Cyprian. lib. 4. epistola 9. Basil. in regul. contractior. in 276. Nazian. oratione 6. 14. & 17. habetur capit. Suscepistis, distinctione 10.

Vltimò, tandem ratione arguitur: Nam definitiones Conciliorum, tum quæ ad fidem, tum quæ ad mores spectant, ad quamdam potestatem iurisdictionis pertinent; siue eam habeat Concilium à Deo immediatè concessam, siue à Papa delegatam: sed potestas iurisdictionis Ecclesiæ non ad laicos, sed ad Sacerdotes per se spectat, vt supra ostensum est: ergo, &c. Rationes etiam pro præcedenti conclusione adductæ hanc confirmant non leuiter.

Dico tertiò: Soli Episcopi per se, & necessariò, sunt ad Concilia generalia conuocandi, vt in illis Iudices sint: item Primates, & superiores omnes; de Cardinalibus infrà dicemus à num. 85. Pars ergo affirmatiua conclusionis, hoc scilicet pertinere ad Episcopos, patet satis ex adductis in præcedenti conclusione, & superioribus in materia de Ecclesia. Vide dist. 16. 17. & 18. decreti, & alia, quæ in hanc rem allegat Osius in confess. Polon. cap. 24. §. Neque verò. Negatiua verò pars, nimirum alios præter Episcopos non esse per se, & simpliciter necessarios, ferè apertè definiunt in 8. Synodo cap. 17. & in Actione 10. extat oratio Basilij Imperat. vbi de hac re optimè disserit; sicut & Theodosius in epistola ad Cyrill. Alexandrinum; estque cap. 4. inter epistolas Cyrilli. Et probatur primò ex ipso vsu Actor. 15. vbi cum Apostolis conuenerunt Presbyteri, idest, Episcopi: ita enim in primitiua Ecclesia nominabantur, tamquam seniores, & maiori honore digni, vt aliàs etiam obseruauimus, & in materia de ordine notari solet. Vnde 1. Petri 5. seniores monentur, vt pascant gregem, quod est munus Episcopi, vt habetur Actor. 20. Immò verò licèt cum Apostolis alij conuenerint in illo Concilio; tamen solos Apostolos legimus sententiam dixisse, & definiuisse, vt notat Turrecrem. lib. 3. cap. 14. Sander. lib. 2. Monarch. cap. 7. De Concil. Nicæn. id satis per se liquet. In Chalcedon. Actione prima, frequentia sunt verba illa: [Synodus Episcoporum est, non Clericorum; superfluos foras mitte.] Quæ proferuntur in quosdam Monachos, qui interesse curabant, & iudicare; atque ibidem quidam Martin. Abb. seu Archimandrita: [Non est, inquit, meum subscribere, sed Episcoporum.] In 8. Synod. Actione 14. dicitur, solos Antistites debere conuenire in Concilijs. Ad hæc in omnibus ferè Concilijs soli subscribunt Episcopi; quòd si aliquando admittuntur alij ad subscribendum, addi solet nonnihil, quo denotetur, illos non definiendo subscripsisse, sed consentiendo definitis: itaque Episcopi simpliciter pronunciant, subscripsi, vel etiam, definiens subscripsi: alij verò non ita; sed, vt in Concilio Arausic. secundo habetur de quibusdam Presbyteris, consentientes subscripserunt; ad quem modum aliquando subscribit Imperator, vt patet in 6. Synodo, Actione 12. Vide Euseb. lib 4. histor. cap. 22. Huc accedunt testimonia Patrum, Marcellini Papæ epistola secunda, Leon. I. in epistola nona (quæ potius est Flauiani) & in 13. 15. 16. 17. 23. & 53. 88. 91. Iren. libro 3. cap. 3. August. contra Faustum, libro 33. cap. 6. lib. 6. de Baptis. cap. 35. & libro contra Donatist. post collationem, cap. 15. & in breuiculo, collat. diei tertiæ. & in epistola 119. cap. 19. & epistola 152. Quibus locis Concilia denominantur episcopalia, eò quòd ex Episcopis, per se, coalescant.

Rationes breuiter hæ sunt. Prima, quia soli Episcopi sunt Pastores Ecclesiæ ex officio, vnde August. epist. 59. ad Paulin. in quæst. 4. Pastores, & Doctores, ad Ephes. 4. idem valere intelligit. Quòd si distinguamus Pastores à Doctoribus, vt alij distingunt, certè dicendum esset, Doctores non docere, nisi ex commissione Pastorum, iuxta illud Hierem. 3. [Dabo Pastores, qui pascant vos scientia, & doctrina.] Vnde ad Doctores spectabit, doctrinam tradere à Pastoribus definitam; Pastorum autem est discernere pascua, quamuis consilio Doctorum vti debeant. Vide Canum de locis; libro 4. cap. 4. secunda, quia Episcopi sunt proprij successores Apostolorum, quasi Primates, ac capita Ecclesiæ; in omni autem bene instituta Republica, ad optimates pertinet eam regere, & quasi ad comitia publica congregari; ijdemque censentur Rempub. totam repræsentare. Vnde Aristotel. ait, ciuitatem id maximè esse quod est in ea principale: sic igitur congregatio vniuersalis Episcoporum sufficienter vniuersalem Ecclesiam repræsentat, iuxta illud Matth. 18. Dic. Ecclesiæ; si enim priuatus Pastor dicitur Ecclesia priuata, & particularis; quia scilicet tota Ecclesia in suo Episcopo quasi in capite continetur, & repræsentatur, quod etiam rectè Cyprianus lib. 4. epistola 9. inculcat, & scripserat Pius I. in sua epistola 2. decretali ad finem: simili planè modo vniuersalis congregatio Episcoporum

to-

totam Ecclesiam vniuersalem sufficienter repræsentabit. Vnde August. primò de Baptismo contra Donatist. cap. 118. plenariam Concilij sententiam, vocat totius Ecclesiæ consensionem, & Athanas. epistola de gestis Synodi Arimin. asseuerat, vniuersum Orbem in Concilio Niceno coactum fuisse, cùm solùm; 18. Episcopi conuenissent; & Leo epistola 24. & 26. idem Concilium vocat totius mundi, & in 8. Synodo, Actione 5. dicitur: [Loquere, Photi, totus mundus hic est.] Similisque est modus loquendi Scripturę Exod. 19. vbi dicit Dominus Moysi: [Hęc annunciabis filijs Israel.] & infrà: [Venit Moyses, conuocauit maiores populi, &c.] 3. Reg. 8. [Congregati sunt omnes maiores.] ac paulò pòst: [Rex omni Ecclesiæ Israel benedixit: omnis enim Ecclesiæ Israel stabat, &c.

Tertia ratio: Concilium generale requirit vniuersalem: nam qui conueniunt, Iudices fidei sunt, & morum: sed Episcopi propriè habent hanc iurisdictionem in Ecclesia: ergo. Maior ostenditur: quia Concilium definit, & indicat, quid sit tenendum in Ecclesia; vnde omnes Episcopi, qui conueniunt, subscribunt tanquam Iudices, vt patet etiam ex modo loquendi Conciliorum, [Præcipimus, constituimus, &c. Mandamus, decernimus,] &c. in Concilio Niceno, cap. 3. & in Chalcedon. epistola ad Leonem: Decretis tuis nostrum honora iudicium.] & in epistola Leonis 57. & 59. de quo vide Diuum Thomam quodlibeto 5. articulo 3. & quodlibeto 6. articulo 6. Cano lib. 5. cap. 5. Soto in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. ad secundum. Turrecrem. & alij suprà. Minor verò patet; cum ex 6. Synodo actione 11. & 7. Synodo c. 19. & Concil. Colon. Prouinc. quod alia citat; tum etiam ex Actor. 15. vbi Iacobus sententiam suam profert, tanquàm Iudex; ac præterea constat ex dictis, solos Episcopos esse successores Apostolorum, atque adeò in illis præcipuè residere iurisdictionem ad Ecclesiam gubernandam. Vltimò argumento si præter Episcopos alij prorsùs requirerentur in Concil. vel illi essent omnes omninò Sacerdotes, vel Parochi, vel fortasse alij; hoc vltimum dicendum non est, cùm nulla ratione monstrari valeat, cur hi potiùs, quàm illi omninò necessarij sint: primum autem est absurdissimum; tum, quia impossibile est, omnes Sacerdotes, & Parochos, immò nec maiorem eorum partem, ad Concilium generale conuenire; tum etiam, quia regulariter idonei non sunt ad iudicandum de rebus fidei: nec idoneos esse, ad munus, vel dignitatem eorum spectat: sed suis Episcopis obnixè parere, Sagramentaque poſse Parochianis ministrare.

Obijces primò, hinc sequi, Cardinales non pertinere ad Concilium, si Episcopi forrasse non sint; quia nullam habent potestatem iurisdictionis. Secundò, idem argumentum est de Episcopis titularibus, seu annularibus, vt appellant. Tertiò è contrario, Abbates nonnulli sunt, qui immediatè subsunt apostolicæ Sedi, iurisdictionemq; habent Episcopalem: illi ergo erunt de necessitate Concilij generalis. Quartò, nullus Episcopus habet iurisdictionem in vniuersalem Ecclesiam, nec omnes simul, nisi à Papa illam recipiant; quam proinde concedere posset quibus vellet: si ergo illam alijs concederet, non essent Episcopi de necessitate Concilij; immò hinc videtur sequi non esse membra aliqua Ecclesiæ determinatè necessaria ad Concilium, sed id toto pendere ex voluntate Pontificis, qui suam potestatem committit, quibus vult, quod maximè procedit, apud opinantes, Episcopos non eſse Iudices in Concilio, sed Consiliarios Pontificis.

Ad has obiectiones primò concedendum prærogatiuam ferendi suffragij in Concilio generali, non adeò esse Episcoporum propriam, vt nequeat Pontifex eam alijs communicare, si expedire censuerit, (quamuis, quia Episcopalis dignitas iure diuino fuit instituta, ad Episcopos quasi ordinario iure pertineat, vt ad generale Concilium conuocentur,) vt tenet communis sententia: & ratio est; quia actus iurisdictionis, illi præcipuè, qui ad externum regimen Ecclesiæ ordinantur, communicari possunt per Pontificem quibusuis ecclesiasticis personis capacibus talis iurisdictionis: sunt autem capaces, etiam non Episcopi: nam actus, qui in Concilio exercentur per se, & intrinsecè non pendent à consecratione episcopali.

Hinc secundò probabilius est, Cardinales nunc ex iure ordinario pertinere ad generale Concilium, siue id habeant à iure diuino, siue pontificio, quod etiam pendet ex illa quæstione, an Cardinalium dignitas sit iure humano introducta, vt vult Sotus in 4. distinct. 24. quæst. 2. art. 4. Victor. relect. 2. de potestate Ecclesiæ, quæst. 2. num. 24. vel diuino, vt tenet Turrecrem. lib. 1. cap. 8. & plures alij: quicquid verò de hoc sit, iam Doctores omnes citati conueniunt, Cardinales habere suffragium definitiuum in Concilio, vt latiùs prosequitur Turrecremata lib. 3. cap. 14. Ratio verò est: quia iam ex vsu, & concessione Pontificum, præferuntur Cardinales Episcopis in his, quæ episcopalis consecratio essentialiter non fundat; tum etiam, quia in suis titulis habent iurisdictionem episcopalem, cap. ijs qui, de maioritate, & obedientia. Vnde in Concilio Lateran. sub Leone X. ante Episcopos subscribunt Cardinales.

Tertiò, Generales Ordinum ex consuetudine, & concessione Pontificum, habent suffragium, quamuis ex iure communi non oporteret illos vocare. Quartò, de Abbatibus non viget talis aliqua consuetudo, nec Pontifices illis hoc concesserunt, nec eorum dignitas talis est, vt putandum sit, iure diuino hoc ad ipsos pertinere, & quamuis alijs in rebus videatur eorum iurisdictio similis episcopali; non tamen in omnibus, quia id ex iure humano descendit. Videatur Iacobatius referens multos lib. 2. cap. 2. versic. Dubium tamen est. Alban. 1. parte de Concil. cap. 16. Quintò, Episcopi annulares vocari sine dubio possunt ad Concilium, & habere suffragia: per se verò id minimè necessarium est, quia iurisdictione carent Episcopali: & ita habet vsus. Sextò, de alijs laicis probabilius est, non posse Pontificem eis concedere suffragium in Concilio generali; quamquam doctissimi sint, quod quidem non est adeò certum: attamen traditio Ecclesiæ id satis confirmat, numqam enim id factum legimus, cuius ratio est, quia iure saltem ordinario,

capaces non sunt iurisdictionis Ecclesiæ, vt aliqui traditur: ferre autem suffragium in Concilio non tantùm scientiæ, sed etiam iurisdictionis est actus. Vide Osium in Confessione Polonica, cap. 24. Et per hæc satis patet responsio ad obiectiones omnes, & ad argumenta hæresum, & sententiarum, quas in principio quæstionis retulimus.

SECTIO II.

Vtrùm, vt Concilium generale sit, oporteat omnes Ecclesiæ Episcopos, etiam Romanum, ad illud vocari, & conuenire?

Difficultas huius quæstionis in eo est, quòd si tantus personarum conuentus requiratur ad Concilium generale, pauca, aut fortasse nullum ex celebratis hactenùs in Ecclesia Concilijs, dicendum erit generale; quia vix vmquam reperiemus, omnes omninò Ecclesiæ Episcopos ad illud conuenisse; si verò necesse sit maiorem saltem partem Episcoporum cogi, multa etiam Concilia non erunt generalia existimanda, quæ communi Ecclesiæ consensu generalia iudicantur, vel si satis fuerit magnam aliquam partem Episcoporum conuenire, ferè nihil differret Concilium generale à prouinciali, vel nationali: cui auctoritas Pontificis adiuncta est. De hac porrò quæstione latiùs Turrecremata lib.3.cap.16. & Cano lib.5. cap.3. & alij.

Dico tamen breuitèr primò; Ad Concilium generale per se necessarium est, vt conuocatio ipsa generalis sit, idest, vt omnes Episcopi Ecclesiæ, qui Pastores sunt, & iurisdictionem habent, quoad fieri possit, conuocentur. Suadetur primò ex ipso nomine generalis Concilij. Secundò, quia id Concilium repræsentat vniuersalem Ecclesiam, vt dicitur in Concilio Constantiens. sess. 5. approbaturque à Martino V. ac constat ex adductis sect. præcedenti ex Leone, Augustino, Athanasio, & alijs Patribus, atque etiam ex Gregorio cap.sicut, dist.15. & Pelagio in cap. confidimus, 27. qu. 1. de quo videri possunt latissimè Osius de confessione Polonica, capit. 24. Cano lib. 5. cap. 5. & Sotus dist. 18. quæst.1. artic.4. ad secundum. Castro primo de Hæreticorum punitione, cap. 6. & Vega lib.1. super Trident. cap. 5. ergo per se necesse est, vt in eo conueniant, vel saltem conuocentur omnia Ecclesiæ capita.

Dices ergo: si talis conuocatio aliqua ratione impediatur, non poterit fieri generale Concilium, atque adeò in potestate cuiusque Tyranni sita erit Concilij generalis celebratio. Respondeo, ideò addidisse me, (Quoad fieri possit:) Quin etiam necesse non erit conuocationem ad aures singulorum peruenire, sed ex intentione vocantis generalem esse, ac per se ad omnes referri: non oportebit etiam omnes in particulari vocari, sed satis erit Patriarchis, vel Primatibus, aut Prouincijs omnibus edictum Concilij generalis congregandi promulgari, vt omnes sigillatim conueniant, vel eos mittant nomine omnium, qui Patriarchæ, aut Primati, aut etiam Prouinciali Concilio sufficere videbuntur. Ita Turrecremat. & alij supra, videturque satis rationabile, vt ex dicendis etiam patebit.

Dico secundò: Vt Concilium generale sit, non oportet omnes Ecclesiæ vniuersalis Episcopos, immò nec maiorem eorum partem, re ipsa congregari, Est certa ex ratione dubij in principio posita; etenim secunda Synodus generalis, prima Constantinopolitana, vniuersalis censetur, & vna earum, quæ quatuor Euangelijs comparatur cap. 1. & 2. distinct.15. cum tamen solùm conuenerint 150. Episcopi, inter 500. & eò ampliùs, qui tunc in Ecclesia viuebant, vt sumitur tum ex historijs, tum ex eo, quod ante plures annos conuenerint ad Concilium Nicænum 318. Patres. Præterea ex Leone Papa, epist. 42. & 50. & epist.52. quæ est Episcoporum quorumdam ad ipsum, constat ad Concilium Chalcedonense (quod alterum est ex quatuor illis primis) ex toto Occidente solos Legatos Romani Pontificis conuenisse, & in 7. Synodo in epist. Orientalium Episcoporum ad Cæsarium Episcopum Constantinop. quæ habetur act. 3. dicitur, nihil derogari auctoritati Concilij generalis, ex absentia trium Patriarchalium Sedium, ac etiam plurimorum Episcoporum, qui sub illis sunt. Confirmatur, quia sæpè est impossibile, tot Episcopos conuenire in Concilium propter bella, aut tyrannos, aut similia incommoda. Ratio verò à priori est quia generale Concilium non tam re, quàm repræsentatione, quadam quodammodo auctoritate, dicitur vniuersalem Ecclesiam continere: potest autem habere hanc generalem repræsentationem, & auctoritatem, quamuis non omnes Episcopi, nec maior eorum pars conueniat, vt ostendetur: ergo, &c.

Dico tertiò: Vt Concilium generale sit, duo præcipuè necessaria sunt; vnum est præsentia Papæ per se, vel per suos Legatos; alterum, vt ex alijs Episcopis ea multitudo conueniat, quæ vel omnes comprehendat, vel saltem repræsentet, & vicem absentium subeat. Hanc conclusionem indicant Auctores supra citati, & Iacobat. lib.5. art.7. & Alban. cap.7. & 21. colligiturque ex ordine seruato in omnibus penè generalibus Concilijs. Prioris partis ratio est; quoniam, si auctoritas Episcopi Romani non interueniat, deerit in Concilio caput, atque adeò potestas in vniuersam Ecclesiam, quæ in ipso maximè residet: vsus autem, & traditio Ecclesiæ docet hanc præsentiam sufficienter fieri per Legatos; quod, qua ratione intelligendum sit, & quæ difficultas in eo occurrere possit, sect. sequenti explicabitur, & aliqua ex parte dictum est supra, disp.5. sect.7.

Secunda verò pars assertionis liquet etiam ex vsu Ecclesiæ, immò & cuiuslibet Reipublicæ, generaliumque congregationum: quandò enim Primates omnes, & capita conuenire non possunt, alij alijs suas vices tribuunt, vt quod ab his fuerit decretum, ab omnibus definitum esse censeatur. Tandem, hoc postulat ipsa veluti naturalis conditio rerum humana-

manarum, quæ alio modo tractari non possunt vnde moraliter idem iudicatur, multos nomine, & potestate omnium conuenire: ac omnes ad vnum interesse.

Petes hoc loco quidnam requiratur, vt qui conueniunt, omnium nomine congregati censeantur, eosque representent? Respondeo primò, non esse habendam rationem Episcoporum: qui summo Pontifici non obediunt: nam, licet illi simpliciter sint membra veræ Ecclesiæ vt disp. 9. sect. 1. num. 13. tractatum est: attamen ob schisma diuisi ab ea sunt: non sunt igitur Concilio generali necessarij, nec regulariter vocandi, nisi fortè vt resipiscant. Secundò, qui Episcopi obedientes Pontifici vocari non possunt commodè de facto propter impedimentum aliquod, vel conuocationem ignorant, vel venire ipsi non possunt, nec aliquem suo nomine mittere, tenentur suo iuri cedere, ac consentire, vt alij eorum locum teneant, & ita eos velle præsumendum est. Tertiò, si aliqui ob malitiam venire ipsi nolint, aut alios mittere; qui conueniunt, præcipuè ex Romani Pontificis auctoritate, declarare possunt se vices omnium subire, & alios, qui venire nolunt, suffragij iure esse priuatos, vel certè inuitos etiam, & coactos suas vices præsentibus committere. Vndè tandem fit, vt tota hæc repræsentatio vniuersalis Concilij potissimùm pendeat ex legitima ipsius declaratione, & præcipuè Romani Pontificis, qui à principio intendit Concilium generale congregare, & eo modo congregatio euadit generalis, prout potest commodè; tuncque ipsum Concilium auctoritatiuè declarat, Episcopos ibi congregatos locum omnium cæterorum tenere, atque adeò generale Concilium in eis sufficienter consistere.

Dico quartò: Quędam sunt Concilia generalia non simpliciter, ad quæ, scilicet, non vocantur Episcopi totius Orbis, sed cuiusdam nationis, præsentibus Legatis Romani Pontif. atq; adeò, quæ quoad potestatem, & auctoritatē generalia sunt ob præsentiam Pontificis, licèt non quoad conuocationem. Ita patet ex vsu: nam in Africa huiusmodi fuit Concilium Mileuitan. cui præfuit Anselmus Romanæ Sedis Legatus; nonnulla etiam Concilia Toletana, vt patet ex epist. 1. Gregorij ad Leandrum, & epist. 92. Leonis Papæ ad Turibium; multa item Romana, quæ generalia dici solent, quo sensu ait Nicolaus I. epistola ad Michaelem Imperatorem, in casu Marcellini Papæ congregatum fuisse Concilium omnium Episcoporum, cùm tamen centum octoginta solùm conuenerint ex Patriarchatu Romano, vt refert Platina: sic etiam Concilium Nicęnum habetur primum generale, & Constantinopolitanum primum dicitur secundum generale, quamuis, & antea fuerit celebratum Concilium Romanum, quòd prædicto modo generale secundùm quid appellatur, & ante Nicænum alia similia fuerint celebrata, vt de tempore Marcellini dictū est; & de tempore Cornelij refert Eusebius lib. 6. cap. 43. Itaque Nicęnum fuit primum inter generalia simpliciter, prout præcedentibus congregationibus descripta sunt, exceptis tamen Concilijs Apostolorum, quæ quatuor fuisse dicuntur, vel vt alij volunt, quinque, quamuis illud, quod Actor. 15. refertur, sit celebrius, & magis in modum Concilij congregatum. Vide Iacobatium lib. 1. §. Sed nunc, &c. & Albanum lib. 1. de Concilijs cap. 1.

SECTIO III.

Ad quem spectet Concilium generale congregare, atque in illo præsidere, eiusque decreta confirmare?

SVppono quæstionem esse de Concilijs, quæ congregantur ad definiendas res fidei, vel morum, aut leges ferendas, quæ vniuersam Ecclesiam obligent; hæc enim propriè, & per se loquendo, sunt Concilia vniuersalia, id quod dico, vt prætermittam euentus, quibus præcedenti disputatione diximus, posse congregari vniuersæ Ecclesiæ Episcopos sine Papæ auctoritate; veluti si Sedes vacaret, Cardinalesque negligerent conuenire ad electionem, vel si Papa Hæreticus fieret, admonitusque non resipisceret, ac nollet Concilium cogi, vel denique si vniuersale schisma grassaretur, & nullus esset Pontifex certus: nam talia Concilia non nisi secundum quid generalia sunt, cum capite careant. Vndè per se non habent potestatem in vniuersam Ecclesiam, nec causam aliam tractare possunt, quam cuius gratia congregantur, scilicet, vt Papam eligant, vel hæreticum declarent; quod si aliud quidpiam aggrediantur, & errare possunt, & auctoritatem non habent obligandi, quæ omnia, & ex superioribus satis probari possunt, & ex his, quæ iam dicemus. Vide Caietanum opusc. 1. de auctoritate Papę cap. 16. Turrecrematam lib. 3. cap. 8. Pighium lib. 6. capit. 18. Iacobatium lib. 3. artic. 1. Omissis ergo his extraordinarijs congregationibus.

Dico primò: Potestas ordinaria cogendi Concilium generale, in vno aliquo Principe Ecclesiæ debet residere, qui non est Imperatoe, vel alius Princeps secularis, sed Romanus Pontifex. Prima pars solùm ex congruentijs ostendi potest: nam efficacioribus argumentis disputanda est simul cum tertia. Probatur ergo: quia cùm Conciliorum congregatio sit maximè necessaria Ecclesiæ, vt & vsus, & ratio satis ostendit, oportuit hanc Conciliorum ordinariam congregationem posse optima ratione, & ordinatè fieri: ergo oportuit potestatem vocandi ad hoc Concilium, in vno aliquo residere, aliàs magna esset confusio, si huiusmodi res singulorum Principum Ecclesiæ iudicio relinquerentur: sequerentur enim facilè scandala, seditiones, & similia, quæ accidisse iam scimus in multis Conciliabulis ab hęreticis, & schismaticis coactis. Nec verò poterat conuenienter hæc potestas multis committi: nam vel committeretur diuisim, & hoc manifestam pareret confusionem, ac dissensionem, quia darentur quasi duo capita in vno corpore; vel committeretur coniunctim, quod etiam dici non potest, cùm nulla sit plurium hominum multitudo, ad quam hic actus possit spe-

ctare

ctare: nam maximè poneretur tota Episcoporum collectio, quę planè inepta esset; quia ea potestas residere debet in vno aliquo, qui omnibus Episcopis imperet: congregatio autem Episcoporum nequit singulis Episcopis imperare, nisi priùs ipsa sit legitimè congregata. Atque hoc etiam confirmant omnia supra adducta de Ecclesiæ Monarchia.

Secunda verò conclusionis pars constat ex omnibus, per quæ supra ostendimus, spiritualem potestatem gubernandi Ecclesiam, non residere in laicis, neque Principibus secularibus: potestas autem congregandi Concilium spiritualis est, & directè spectans ad Ecclesiæ regimen. Secundò, probari potest confessionibus, & testimonijs ipsorum Imperatorum, quæ suprà adduximus, & ex Valentiniano refert optimum testimonium Sozomenus lib.6. histor. cap.7. Tertiò, ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ. Videatur Sanderus libro 2. Monarch. cap. 2. & 3. Pigh. lib. 5.

Tertia pars conclusionis explicatur: sensus enim illius est, solum Romanum Pontificem posse præcipere omnibus Ecclesiæ Episcopis, vt certo loco, & tempore ad Concilium generale conueniant: itemque solum illud Concilium, quod eius præcepto, & voluntate cogitur, esse legitimum, atque habere auctoritatem tractandi de rebus fidei, & morum vniuersalis Ecclesiæ. In hoc sensu conclusio est de fide simpliciter, quam Auctores supra citati latè probant, & eam docent. Diuus Thomas 2.2. quæst. 1. art. 10. & qu. 10. de potentia, artic. 4. ad 13. Ad probationem verò sufficerent ea, quibus supra ostendimus, solum Pontificem Summum habere à Christo Domino potestatem in vniuersam Ecclesiam: nam inde euidenter sequitur, & illum habere potestatem, & nullum habere præter ipsum.

Sed probatur præterea primò varijs testimonijs, Marcellini Papæ epistola 1. ad Antiochenæ Ecclesiæ Episcopos, vbi sic ait: [Simul Apostoli, & successores, inspirante Domino, constituerunt, vt nulla Synodus fieret præter Romani Pontificis auctoritatem.] Quod refertur Can. 17. Apostolorum, de quo vide Turrian. lib. 1. contra Centuriat. cap. 22. Idem Marcell. epistola ad Maxent. & habetur cap. 1. dist. 17. docet, prouincialia Concilia posse congregari sine auctoritate Papæ, non tamen generalia regulariter, idest, canonicè, & legitimè. Idem Iulius I. epistola 1. Gelasius II. epist. 1. Felix II. epistola ad Synodum Alexandrinum, latiùs Nicolaus epistola 1. ad Michaelem Imperatorem. Item Damasus Papa epistola 3. ad Stephanum, & in rescripto ad Episcopos Mauritaniæ, habetur dist. 17. cap. Huic soli, & Symmachus Papa cum Synodo Romana 3. & 4.

Secundò, idem definiuit Concilium Nicænum primum: Canon tamen hic de re editus non extat inter viginti, quos nunc habemus: illius verò meminit Athanasius cum Synodo Alexandrina epistola ad Felicem II. [Scimus, aiunt, ab omnibus in Nicæna Synodo concorditer constitutum, non esse Concilia celebranda, nec Episcopos damnandos absque Romani Pontificis sententia.] Idem refert Iulius I. loco suprà citato, & in epistola 2. & Damas. dicta epist. ad Stephan. refertur etiam idem Canon à Leone I. epist. ad Theodosium Imperatorem, & à Gelasio I. in tomo de vinculo anathematis, & in epist. ad Episcopos Dardaniæ. Adducitur deinde à Niceph. libro 9. cap. 5. & in 10. scribit, Eusebium Nicomediensem congregasse Concilium, cui non interfuit Iulius, nec eius Legatus: [Cùm tamen, inquit, Ecclesiastico Canone sancitum sit, non debere Ecclesiam præter sententiam Romani Pontificis synodicè, aut conciliariter congregari.] Qui Canon Ecclesiasticus certè nullus alius esse potest, nisi vel à Pontifice Summo, vel à Concilio Nicæno editus; quia tunc nullum erat aliud generale Concilium congregatum post Apostolorum tempora. Eodem modo Socrat. libro 4. Tripart. cap. 9. scribit, hoc haberi ex regula Ecclesiastica; & rursum libro 2. histor. suæ cap. 8. & 17. Sozomen. lib. 3. cap. 10. & 11. Hanc eamdem Summi Pontificis potestatem agnoscunt Patres in 7. Synodo actione 6. & in 8. Synodo actione 1. & 7. Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 11. tria Concilia Africana in epistola ad Damasum, & Synodus Romana sub Damaso. Vide Triparrit. libro 5. cap. 16. & plura alia in dist. 16. & 17. d. decreti.

Tertiò, plura Conciliabula, tametsi ex magna Episcoporum multitudine coacta, hoc solo nomine sufficienter abrogantur, quòd absque Summi Pontificis auctoritate congregata sint. Id primum patet ex Conciliabulo Ariminensi 500. Episcoporum, vi, & potentia Constantij Imperatoris congregatorum, quod Damasus Papa epistola 5. cum Concilio 90. Episcoporum, non alia ratione reprobat, quàm quia Romani Pontificis non expectauit decretum. Idem præstitit Gelasius Papa cum Synodo 70. Episcoporum. Idemque fuit tunc vniuersalis Ecclesiæ sensus, vt refert Nicephorus libro 11. cap. 31. & effectus rem comprobauit: nam propterea à vero errauit illud Conciliabulum. Simile exemplum visitur in cœtu 338. Episcoporum, qui sub Leone III. Imperatore Imaginum vsum damnauit, ac reprobatur in 7. Synodo act. 6. quia Romanum Pontificem auctorem non habuit; quod etiam docet Hadrian. I. epist. ad Tharasium: in secunda quoque Synodo Ephesina Dioscorus Alexandrinus Leonem Papam excommunicauit, cuius tamen acta [prædatoria] dicuntur à Patribus Græcis, & in octaua Synodo [latrocinia,] & in Concilio Chalcedonensi prorsus improbantur hoc titulo, quòd sine auctoritate Romani Pontificis fierent. Sunt & alia similia multa, de quibus legito Vvaldensem libro 2. doctrinæ fidei cap. 19. & Turrecrem. lib. 3. cap. 18.

Quartò, possumus argumentari ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ: ita enim obseruatum est in omnibus Concilijs generalibus, quæ in Ecclesia habent auctoritatem à Concilio Nicæno vsque ad Tridentinum.

Dico iam secundò: In generali Concilio solus Romanus Pontifex per se, aut per Legatos suos, qui locum eius subeant, præsidere debet. Conclusio est certa de fide, quam omnia adducta satis confirmant: nam si Papa caput Ecclesiæ est, certè ille præsidere debet corpori, & nemo alius. Sed confirmant id etiam Pontifices supra citati, præcipuè Leo I.

Iulius

Iulius I. & Nicolaus I. qui docent in Concilio etiam Nicæno id fuisse confirmatum; & exemplo eiusdem Concilij constat, Osium, Vincentium, & Victorem, loco Romani Pontificis in eo præsedisse, & primos omnium subscripsisse. Idem exemplum habemus in 2. Synodo, vt patet ex epistola Damasi ad ipsam, & ex lib. 9. Tripart. 24. De 3. Synodo, licèt ex parte interierint eius acta, tamen ex his, quæ extant, satis colligitur, Cyrillum, vt Legatum Sedis Apostolicæ, præfuisse. Eodem modo in 4. Synodo Chalcedonen. Paschasius cum alijs præest, atque ita inquit: [Paschasius vice beatissimi, ac Apostolicæ vniuersalis Ecclesiæ Papæ, sanctæ Synodo præsidens subscripsit.] Idem facit in 5. Synodo Menas Legatus Papæ, atque adeò in 6. 7. & alijs, vt ex earum actis, & suprà adductis satis constare potest. Specialitèr in 8. sic subscribit Legatus: [Ego Donatus Dei gratia Episcopus Hostiensis locum obtinens Domini mei Hadriani Pontificis, & vniuersalis Papæ, huic sanctæ, & vniuersali Synodo præsens ad voluntatem eiusdem, &c.] Ex quibus omnibus sufficiens traditio huius rei colligitur, & ratio præter omnia adducta id confirmat: quia videlicet, necesse est, aliquem præesse in Concilio generali, vt caput totius corporis: aliàs seruari non posset conueniens ordo, sed magna potiùs confusio esset in Concilijs: ergo prærogatiua hæc concedenda est maximè illi, qui caput est totius Ecclesiæ.

Oppones, in plerisque Concilijs haberi, præsedisse Imperatores, vt patet, tùm ex apertis verbis: in 6. enim Synodo sic legitur: [Præsidente pijssimo Imperatore, &c.] vt videre est actione 1. & 12. et 18. Simile quid legimus in 8. Synodo, tum etiam ex loci dignitate: nam sæpè vel ipsi, vel viri Patricij, eorum locum tenentes in medio sedent; Legati verò Sedis Apostolicæ ad dexteram, & interdum ad sinistram, vt patet ex eisdem 6. & 8. Synodis, & ex historia Concilij Chalcedon. quam refert Nicephor. lib. 15. cap. 4. Fatemur quidem, interdum Imperatores, vel sæculares Magistratus eam loci dignitatem vsurpasse, non tam iure, quàm potentia; negamus tamen propriè loquendo præfuisse Concilijs, sed tantùm affuisse, vt nulli tumultus fierent, & vt Concilia maiori quadam exteriori auctoritate, & dignitate celebrarentur: de qua re satis multa diximus sect. 1. ostendentes, laicos minimè pertinere ad Concilium generale: tantùm abest, vt illi debeant præsidere; vbi etiam ostendimus, Constantinum, & alios Principes, & Imperatores digniorem locum in Concilijs vsurpare noluisse; videantur multa distin. 96. cap. Nos ad fidem, & cap. Satis, cum similibus.

Dico tertiò: Ad Romanum Pontificem spectat definitiones, & leges à Concilio generali factas confirmare. Est certa de fide, quæ ex omnibus supradictis satis probata videtur, breuitèr tamen ostenditur. Primò, traditione, & vsu Ecclesiæ: nàm Nicænum Concilium primum; per epistolam petijt à Siluestro, gesta sua vt confirmaret, [quo nostra, inquiunt, regula fixos possit habere gradus,] idque obtinuit, vt patet ex rescripto Siluestri ad Concilium, Idem fecit Chalcedonen. Synodus actione 3. & in alloqutione ad Martianum Imperatorem rogat, vt curet Synodum [Sedis Petri auctoritate roborari,] quam confirmationem Leo Papa distulit, propter quædam priuilegia Constantinopolitanæ Ecclesiæ tributa: intercedente verò Valentiniano Imperatore, & scribente ad Leonem, iudicium Ecclesiarum Orientis suspensum esse circa decreta Concilij Chalcedonensis, neque à Sede Apostolica esse confirmata; Leo tandem cōfirmauit ob priuilegia Anatolio concessa, vt patet in epistola 56. 57. & 59. Leonis ex Gelasio, tomo de anathematis vinculo, qui agens de hac Synodo, inquit: [Totum in Sedis Apostolicæ situm est potestate; & ita quod firmauit in Synodo Sedes Apostolica, robur obtinuit; quod refutauit, habere non potuit firmitatem.] Præterea 5. Synodus confirmata fuit à Vigilio, vt scribit Niceph. lib. 17. cap. 27. Sexta Synodus à Leone Papa, Concilium Constantien à Martino V. & Tridentinum à Pio IV. Si verò in aliquibus non extat expressa confirmatio, causa est, quia omnia in eis facta sunt ex Sedis Apostolicæ prescripto; vndè confirmatione minimè opus habuerunt, vt videre est in 2. 3. & alijs Synodis. Atque ita intelligendum, quod Gregor. ait lib. 6. epist. 51. ex Concilio Constantinopolitano 5. damnationem Macedonij recipi ab Ecclesia; quia nimirum facta fuerat ex præscripto Damasi: Canones verò omnes non recipi; quia nec fuerant ex ordinatione Pontificis, nec ab illo confirmati. Quod idem colligitur ex Concilio Chalcedonensi act. 5. & Gelasio Papa supra epist. 5. ad Episcopos Dardaniæ: & ad idem facit epistola Concilij Ephesini ad Nestorium, & Agathonis Papæ ad 6. Synodum: facit & Innocentius I. ep. 25. & quas citauimus ex Leone. Vide Hosium lib. 2. contra Brent. circa fin. Confirmari hoc ampliùs potest ex historia Pauli, qui Petrum adijt, vt cum eo conferret Euangelium, eiusque auctoritate apud Ecclesiam confirmaretur; quod notarunt Tertullianus lib. 4. contra Marcionem; & Hieronymus epist. ad August. habetur 11. inter epist. August. Augustinus lib. 28. contra Faust. cap. 4. & simile est, quod Marci Euangelium priùs Petrus probauit, quàm Ecclesiæ traderetur, vt refert Eusebius lib. 2. cap. 15. in Clemente, Papia, & Hieron. de viris illustribus in Marco. Confirmatur item ex Eugenio IV. in Concilio Florentino, in decretis vnionis, vbi docet, Romanam Ecclesiam, omnes vniuersales Synodos auctoritate Episcopi Romani legitimè congregatas, celebratas, ac confirmatas recipere, quasi diceret, [& non alias.] Denique, suprà ostensum latè est, quemlibet damnatum, etiam hæreseos, posse appellare ad Apostolicam Sedem; quod signum est, tale iudicium indigere confirmatione illius Sedis. Vide Turrecrematam lib. 3. cap. 47.

FINIS.



REGESTVM.


ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh.

Omnes ſunt Duerniones.
Principium eſt Duernio.



ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.